UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Praeceptis Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae - Libros Vndecim Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

urn:nbn:de:hbz:466:1-73203

Visual Library

Th. 443a.

D. H V
3.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ETHICA AMORIS,

SIVE

THEOLOGIA SANCTORUM,

MAGNI PRÆSERTIM AUGUSTINI, ET THOMÆ AQUINATIS,

CIRCA

UNIVERSAM AMORIS & MORUM DOCTRINAM,

ADVERSUS NOVITIAS OPINIONES
Strenuè propugnata,

ET IN MATERIIS PRINCIPALITER HODIE CONTROVERSIS
Fundamentaliter discussa

Per Fr. HENRICUM A S. IGNATIO, Athensem, Ordinis Fratrum
Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, Exprovincialem, nuper Commissarium
Generalem, S. Theologiæ emeritum Professorem.

Opus nedum Theologis, Animarumque Directoribus, sed & verbi Dei Præconibus utilissimum, plenâ manu argumenta subministrans ad doctè & piè disserendum de omni materia, ad vitam Christianam pertinente.

TOMUS SECUNDUS.

DE EXTERNIS REGULIS AMORIS ET MORUM, LEGIBUS UTIQUE,
ac Præceptis Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiæ.

LIBROS UNDECIM COMPLECTENS.

LEODII,
Ex Officina Typographica J. FRANCISCI BRONCART. 1709.

Cum Approbationibus & Superiorum permissu.

Liber I. *Amor Legibus obtemperans, sive de Legibus ac Præceptis.*

Liber II. *Amor fidelis.*

Liber III. *Amor sperans.*

Liber IV. *Amor charitativus.*

Liber V. *præliminaris ad præcepta virtutum Cardinalium.*

Liber VI. *Amor prudens.*

Liber VII. *Amor fortis.*

Liber VIII. *Amor temperans.*

Liber IX. *Amor justus, sive de jure & justitia.*

Liber X. *Amor psallens in Decachordo, sive de præceptis Decalogi.*

Liber XI. *Amor submissus Heptalogo, sive de præceptis Ecclesiæ.*

RELIGIOSISSIMIS PATRIBUS

ABBATI, PRIORI, CÆTERISQ. MONACHIS

ſanctiſſimi Monaſterii Aureæ Vallis.

AD Vos ſuâpte velut naturâ, non tam currit, quàm volat hæc Theologia, RELIGIOSISSIMI PATRES: quippe quæ uſque adeò veſtra eſt, ut eam Vobis planè auferrem, ſi non offerrem. Quod enim ad Authorem attinet, mea eſt; quod ad inſcriptionem verò, *Sanctorum*. Quorum verò honori ac meritis dicanda Sanctorum Moralia, niſi eorum, qui & Sanctorum Moralia profitentur, & Sanctorum vitam æmulantur? An non Regula, quam profitemini, Theologia Moralis Sanctorum eſt? Nonne & Sanctorum vita, vita veſtra? Altiſſima eſt Profeſſio veſtra, cœlos tranſit; par Angelis eſt, angelicæ ſimilis puritati. Non enim ſolùm æmulamini omnem ſanctitatem, ſed omnis ſanctitatis perfectionem, & omnis conſummationis finem. Longè eſt à Vobis circa communia præcepta languêre, & hoc ſolum attendere, quid præcipiat Deus; imò attenditis quid à Vobis velit, probantes quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Aliorum eſt Deo ſervire; Veſtrûm adhærere. Aliorum eſt Deum credere, amare, revereri; Veſtrûm eſt ſapere, intelligere, cognoſcere, frui. Magnum eſt hoc, arduum hoc & ſublime. Neque enim communis eſt vita Chriſtianorum, ſed Angelorum. Siquidem angelica eſt vita veſtra: quia ut angelica, ſic & veſtra converſatio non eſt in terris, ſed in cœlis. Magna quidem profitemini; ſed Vobis magna Dei amore profitentibus, & in fide ac ſpe gratiæ ejus majora aggredientibus, non ſolùm deſiderium & voluntatem ingerit Deus, ſed & idem ipſe, qui voluntatis gratiam prærogat, ſubrogat etiam virtutem ad proventum. Sic vita veſtra manifeſtum facit, quàm reprehenſibilis ſit vita delicatula, nedum ſæcularium, vix niſi ſæcularia ſapientium, ſed & multorum Religioſorum, quàmque immeritò ipſi, ſicut & Scriptores, neſcientes quid loquantur, impracticabilem aſſerant Theologiam Moralem Sanctorum. Excuſationem quidem ipſi prætendunt ex virium deficientia, quàm jam ſupra humanam imbecillitatem ſit vita verè chriſtiana & evangelica, qualis fuit vita primorum Chriſti fidelium. Verùm ipſorum mollitiem & imbecillitatem ex nimio ſui amore, charitatiſque languore provenire, oſtendit vita veſtra, dum quaſi digito demonſtrat, amanti nihil eſſe difficile. Sileant ergo molliores Caſuiſtæ, qui in tenebris de luce judicantes, nimiæ imbecillitatis defectu id propè omne emolliunt & eunuchizant, quod virile ac robuſtum eſt in arcu præceptorum Dei, ſaluberrimorumque documentorum Evangelii. Utinam ſaperent & intelligerent, quod ſapit & intelligit luminoſa charitas veſtra! Accedite ad Auream Vallem quicumque morum præcepta traditis, ibi videbitis, quantâ facilitate, quanto ſpiritûs fervore, quantâ abundantiâ pacis illud adimpleatur, quod Regius Pſaltes ait: *propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.*

In recordatione Aureæ Vallis totus exulto, dum ibi ſuſpicio primitias ſancti Spiritûs, & pignus gratiæ, cum ſpe perennaturæ ibi vitæ ſanctioris. Nam & ipſummet nomen *Aureæ Vallis*, bonæ ſpei præfert omen, quòd utique ibi, prout de Monte Dei Pſalmiſta canit, ibi (inquam) jugiter habitatura ſit generatio *innocens, & mundo corde*, generatio quæ *non accepit in vano animam ſuam*, generatio *quærentium Dominum, quærentium faciem ejus ſemper*. Vallis pinguis, Vallis coagulata, Vallis in qua beneplacitum eſt inhabitare Dominum Deum in ea. Quid mirum, cùm Aurea Vallis, teſte Oracuło Pontificio, ſit *Paradiſus Domini, & pœnitentiæ receſſus*? In quo religioſiſſimè ſervatur

lex Monaſtica paupertatis, nihil habetur peculiare, nihil proprium, nihil niſi commune: Commune verò quàm ſimplex, quàm modeſtum, quàm ab omni faſtu alienum! Ibi videre eſt in Patrem Abbatem reverentiam, amoris ac fiduciæ pleniſſimam, Monachorum inter ſe plenam concordiam, nullum cum exteris commercium, nullum cum ipſiſmet Confratribus colloquium. Altum in tota domo ſilentium, vitæ quædam æquabilitas, ſemper ſeria, ſemper conſtans, frequens labor, continua oratio, dulces lachrymæ, lectiones piæ, non curioſæ, victus aſper ac tenuis (Vobis quippe olus cibaria ſunt, & legumina) ſomnus parcus, ad veteris Eccleſiæ morem protracta jejunia, fides integra, ſpes firma, charitas ſemper ardens, effuſa in pauperes liberalitas, benefica in peregrinos hoſpitalitas: Quàm diligens ad publicas preces diù noctùque concurſus! Quanta orandi perſeverantia! Quanta orantium (quâ Deo grata vis infertur) unanimitas! Ceremoniarum quàm pius, at ſimplex & ſine pompa religioſus apparatus! Cantus ejuſmodi, ut voces angelicas audire quis putet, lenis, diſtinctus, ſonorus, ad pietatem compoſitus, qui & devotionem inſtillet, & lachrymas eliciat.

Illic Auguſta Dei Majeſtas, Chriſtique præſentia ſentitur, Myſteriorum oblatio plena fidei, plena ſacri timoris. O ſacram Vallem! O religioſum domicilium. O cineres Sanctorum, Bentzeradtiorum, Lantremengiorum, &c. ibi ſepultos! O quanta Vobis conſolatió, RELIGIOSISSIMI PATRES, quòd Magni iſtius Bentzeradtii, ſanctioris vitæ Monaſterii veſtri Reſtitutoris, quotquot eſtis, Filii eſtis! Et ſicut Filii, ita & hæredes ſpiritûs & ſanctitatis ipſius. Satagite ergo ut quo pede ſub ſanctiſſima ipſius directione cœpiſtis, eo ſemper eatis, & ad ſolidioris virtutis apicem ardentiori ſtudio jugiter aſpirantes, Domino ſerviatis in ſanctitate & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus veſtris. Ita voveo & ſpero,

RELIGIOSISSIMARUM PATERNITATUM VESTRARUM

Humillimus & devotiſſimus in Chriſto ſervus
Fr. HENRICUS A S. IGNATIO, Ordinis Carmelitarum.

IN-

INDEX

LIBRORUM ET CAPITUM TOMI SECUNDI.

LIBER PRIMUS.

Amor Legibus obtêmperans, sive de Legibus ac Præceptis.

Caput I. *Legis definitio ac divisio.* 1

Caput II. *Tametsi lex æterna proprie non habeat rationem legis, nisi respectu creaturæ rationalis; omnes tamen creaturæ eatenùs illi subjiciuntur, quatenùs omnes ab ea diriguntur, & gubernantur.* 2

Caput III. *Lex naturalis prorsus immutabilis est, indispensabilisque.* 3

Caput IV. *Lex humana, tametsi esse debeat justa, & possibilis observatu, in dubio num justa sit, observanda est.* 5

Caput V. *Leges humanæ in singulis Provinciis, utplurimùm non obligant, nisi in iis solemniter promulgatæ.* 6

Caput VI. *Factâ debitâ promulgatione legis ecclesiasticæ, vis ipsius à populi acceptatione non pendet; ideòque peccat populus, absque justa causa eam non acceptans. Censetur tamen Ecclesia in ejus suspensionem, vel revocationem consentire, si invalescente contrario usu, id sciens, observantiam non urgeat.* 9

Caput VII. *Legum civilium, sicut & potestatis civilis finis intrinsecus & primarius non est sola externa politia, sed (mediatè saltem) est subditorum vita bona, felicitasque æterna.* 10

Caput VIII. *Dignitati potestatis ac legis ecclesiasticæ non satis consulit opinio, quæ ponit finem istius potestatis ac legis, in materia sibi propria (id est nec naturalis, nec divini juris) esse solam externam politiam ecclesiasticam.* 12

Caput IX. *Omnis humana lex, propriè dicta, sive ecclesiastica, sive civilis, etiamsi id non exprimat, obligat in conscientia.* 13

Caput X. *Satisfit objectionibus.* 15

Caput XI. *Occasione quartæ objectionis, specialiter agitur de legibus pœnalibus.* 16

Caput XII. *Etiam monetariæ, & tributariæ leges in conscientia obligant.* 18

Caput XIII. *Omnis lex in conscientia obligans, obligat sub culpa veniali, vel mortali,* 20

Caput XIV. *Leges humanæ, tam civiles, quàm ecclesiasticæ, in materia gravi, per se obligant sub culpa mortali; in levi, sub veniali.* 21

Caput XV. *Lex ecclesiastica indirectè obligare potest, & de facto obligat ad actus internos.* 23

Caput XVI. *Valdè probabile est, lege purè ecclesiasticâ, etiam directè præcipi, & prohiberi posse actus internos.* 24

Caput XVII. *Solvuntur objectiones.* 26

Caput XVIII. *Ad satisfaciendum legi, vel præcepto Ecclesiæ, non requiritur voluntas expressa ei satisfaciendi; sed sufficit interpretativa.* 27

Caput XIX. *Unico actu satisfieri potest pluribus præceptis, eodem tempore concurrentibus, dum super eundem actum cadunt; secùs dum cadunt super diversos actus.* Ibid.

Caput XX. *Uno eodemque tempore, per plures actus non incompatibiles, satisfieri potest pluribus præceptis, non affixis diversis temporibus.* 28

Caput XXI. *Quemadmodùm uno eodemque tempore satisfieri nequit pluribus præceptis, diversis temporibus affixis; ita nec pluribus partibus ejusdem præcepti, diversis temporibus affixis, quando scilicet præcepto illo præcipitur totum aliquid successivum. Nec proinde satisfacit præcepto Ecclesiæ, de audiendo Sacro, qui duas, vel plures ejus partes simul à diversis celebrantibus audit.* 29

Caput XXII. *Deobligatus, ob impotentiam, à toto opere præcepto, non eo ipso deobligatus est à parte, etiam minori, ad quam est potens, si præceptum sit de re divisibili, terminusque potentiæ, & impotentiæ non sit incertus, & ambiguus.* Ibid.

Caput XXIII. *Legislator, etiam supremus, in gravi materia, sibi non indecora, legibus à se latis, quoad vim directivam, (non quoad coactivam) tenetur sub mortali se conformare.* 30

Caput XXIV. *Clerici tenentur legibus civilibus, quæ non repugnant sacris Canonibus, nec ecclesiasticæ immunitati, nec officio clericali. A legibus tamen gabellarum, tributorum, & vectigalium ipsi & Religiosi sunt exempti.* 31

Caput XXV. *Diœcesanis legibus, non solùm quoad Festa indicta, sed & quoad jejunia, publicas preces, & similia, Regulares exempti se conformare tenentur, in omni materia, in qua non sunt exempti.* Ibid.

Caput XXVI. *Peregrini legibus particularibus locorum extraneorum, per quæ transeunt, vinciuntur, à patriis interim exempti.* 32

Caput XXVII. *Recedens è patrio loco, ubi Festi vel jejunii lex viget, licèt ante meridiem perventurus ad locum, ubi non viget, ante discessum tenetur audire Sacrum, si possit, & prævideat se alibi non auditurum: nec ante discessum licitè sumit carnes, jentaculum, nisi aliundè excusetur.* 33

Caput XXVIII. *A lege Festi, jejunii, &c. non solvitur incola loci, ubi lex illa viget, qui solâ causâ eam subterfugiendi, excurrit in locum, ubi non viget.* 35

Caput XXIX. *Ecclesiasticis legibus non subjiciuntur infideles, nec pueri nondum ratione utentes, nec perpetuo amentes.* 37

Caput XXX. *Humanæ legis obligatio tribus præcipuè modis cessat.* 38

Caput XXXI. *Finis legis latæ in bonum generale Communitatis, vel ad removendum malum, seu periculum aliàs imminens multis de Communitate, nunquam cessat in particulari, nisi cesset in communi. Infundata proinde est opinio plurium Recentiorum, quod lex cesset in particulari, cessante fine legis in particulari, quodque leges in præsumptione fundatæ, cessent in casibus particularibus, in quibus particulariter falsa est præsumptio.* Ibid.

Caput XXXII. *Consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta, legi derogat humanæ, tametsi nulla consuetudo derogare possit legi naturali, vel divinæ.* 39

Caput XXXIII. *Legitima dispensatione relaxatur obligatio legis humanæ, non naturalis.* 41

Caput XXXIV. *Ad legitimam humanæ legis dispensationem duo requiruntur, ut scilicet procedat ab habente potestatem, & adsit rationabilis causa dispensandi.* Ibid.

Caput XXXV. *Subticentia veri, aut expressio falsi, dispensationem reddit subreptitiam, vel de subreptione suspectam, quotiescumque casus propositus cum subticentia veri, aut falsi expressione, prudentum judicio non comprehendit casum, prout reverà se habet, tametsi Pontifex, casûs (ut se habet) veritate expressa, falsitateque omissa, equidem dispensasset.* 45

Caput XXXVI. *Casus notabiles ex dictis superiori capite deciduntur.* 46

Caput XXXVII. *Etiam per privilegium humanæ legis obligatio relaxatur.* 49

Caput XXXVIII. *Acquisitio & amissio privilegii.* 50

Caput XXXIX. *Privilegia Religiosorum Mendicantium, mutuaque eorum communicatio.* 54

Caput XL. *Ejusdem communicationis explicatio. Ubi de communicatione Indulgentiarum.* 55

Caput XLI. *Mendicantes per Apostolica privilegia exempti sunt à jurisdictione Episcoporum, sicut & ipsorum Ecclesiæ, Oratoria, & loca, Domus, Conventus & bona.* 58
Caput XLII. *Varii casus, in quibus Regulares, etiam Mendicantes, Episcopis obedire tenentur.* 60
Caput XLIII. *Religiosi Mendicantes, sicut & cæteri Ecclesiastici, tam in civilibus, quàm in criminalibus, exempti sunt à Judicum Laicorum potestate, sicut & à tributis, vectigalibus, & gabellis per Laicos impositis.* 64
Caput XLIV. *Mendicantes, eorumque bona, per Apostolica privilegia eximuntur à decimis solvendis.* 89

LIBER SECUNDUS.

De Præceptis Theologicarum Virtutum.

PARS PRIMA.

Amor Fidelis.

Caput I. *Fidei definitio, præstantia, objectum.* 91
Caput II. *Ad fidem internam necessarius est pius affectus voluntatis erga primam Veritatem, seu Dei revelantis authoritatem.* 92
Caput III. *Fides interna actualis adultis omnibus, in peccato existentibus, necessitate medii in re, & non solùm in voto, necessaria est ad justificationem.* 93
Caput IV. *Fides actualis interna omnibus ratione utentibus, etiam in infantia baptizatis, necessitate medii simpliciter necessaria est ad salutem.* 98
Caput V. *Post promulgationem Evangelii, omnibus ratione utentibus, necessitate medii simpliciter necessaria est fides explicita Dei existentis, & remuneratoris.* 108
Caput VI. *Omnibus ratione utentibus, eadem necessitate (post Evangelium promulgatum) ad justificationem, & salutem, necessaria est fides explicita Christi, seu incarnationis, & SS. Trinitatis.* Ibid.
Caput VII. *Necessitas actûs fidei in accedentibus ad Sacramentum Pœnitentiæ.* 115
Caput VIII. *Christianæ fidei ac doctrinæ capita credenda, & scienda necessitate præcepti.* Ibid.
Caput IX. *De fidei actu datur speciale præceptum, ratione sui obligans, non semel dumtaxat in vita, sed frequenter.* 117
Caput X. *Sufficiens fidei propositio requiritur ad obligationem credendi, utpote necessaria ad prudentem assensum.* 118
Caput XI. *Explicatur quænam sit sufficiens fidei propositio.* 120
Caput XII. *Ultra præceptum fidei internæ, duplex datur præceptum illius, certis in circumstantiis, exteriùs confitendæ.* 123
Caput XIII. *Circumstantiæ, seu casus, in quibus obligat præceptum confessioni fidei.* 125
Caput XIV. *Confessio fidei, in casibus antedictis, fieri debet absque ulla æquivocatione, contrariavè Religionis simulatione.* 127
Caput XV. *Casus, in quibus censetur, vel non censetur quis fidem negare.* 129
Caput XVI. *Non solùm graviter, & valdè graviter peccatur, coram infidelibus Christum erubescendo in materia fidei; sed & coram Catholicis ipsum erubescendo in materia morum.* 132
Caput XVII. *Infidelitas, tresque ejus species explicantur.* 134
Caput XVIII. *Definitio hæreseos, gravitas malitiæ ipsius, & requisita ad formalem hæresim.* 136
Caput XIX. *Pœna hæreticorum.* 139
Caput XX. *Hæreticorum libri prohibiti.* Ibid.
Caput XXI. *Prohibita cum hæreticis communicatio, deque rebus fidei disputatio.* 142
Caput XXII. *Unumquemque in sua religione salvari posse, falsissimum est.* Ibid.
Caput XXIII. *Extra Catholicam, seu Romanam Ecclesiam, non est salus.* 144
Caput XXIV. *Modus quo Athei, qui nullam fidem & religionem agnoscunt, ad fidem perducendi sunt.* 145
Caput XXV. *Modus quo prædicti, simulque Pagani, & Judæi perducendi sunt ad Religionem Christianam.* 146
Caput XXVI. *Modus quo hæretici convertendi sunt ad Religionem Catholicam, seu Romanam.* 149
Caput XXVII. *Romanæ Religionis, seu Ecclesiæ veritas ostenditur, ex eo quod habeat notas veræ Religionis, manifestaque signa credibilitatis.* Ibid.
Caput XXVIII. *Romanæ Ecclesiæ, seu Religionis veritatem amplius demonstrant antiquitas ipsius, indefectibilitas, seu duratio indeficiens, & gloria miraculorum.* 154
Caput XXIX. *Nulla Religio, nisi Romana, manifesta habet indicia credibilitatis; imo omnis alia Religio manifesta habet incredibilitatis argumenta. Quod imprimis ostenditur de Paganismo, Mahumetismo, & Judaismo.* 156
Caput XXX. *Idem ostenditur de Lutheranismo, Calvinismo, &c.* Ibid.
Caput XXXI. *Uberiùs ostenditur, doctrinam Lutheranam, & Calvinianam esse anti-evangelicam, nec esse unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam.* 161
Caput XXXII. *Incredibilitas sectæ Lutheranæ, Calvinianæ, &c. copiosiùs demonstratur ex eo quod Lutherani, Calviniani, &c. nullam habeant fixam fidei suæ regulam.* 164
Caput XXXIII. *Responsiones sectariorum confutantur, signanter privatus Calvinistarum spiritus.* 166
Caput XXXIV. *Sola Ecclesia Romana habet infallibilem fidei regulam: sola proinde vera.* 171
Caput XXXV. *S. Scriptura, licèt non sola, est infallibilis fidei regula.* Ibid.
Caput XXXVI. *Ostenditur, solam Scripturam sacram non esse infallibilem fidei regulam; sed etiam traditionem esse talem.* 176
Caput XXXVII. *Ad terminandas fidei controversias, ultra Scripturam & traditiones, necessaria est regula animata, seu animatus Judex controversiarum illarum.* 178
Caput XXXVIII. *Sicut Ecclesia, sic Judex controversiarum fidei, visibilis esse debet.* 179
Caput XXXIX. *Ecclesiæ quoque Caput visibile esse debet.* 180
Caput XL. *Concilium Generale, simul cum Romano Pontifice spectatum, vel ab ipso confirmatum, est visibilis, infallibilisque Judex controversiarum fidei & morum.* Ibid.
Caput XLI. *Romanus etiam Pontifex, cum Ecclesia Romana, absque Generali Concilio, & antequam ipsi Ecclesiæ universalis consensus accedat, visibilis, infallibilisque, & irreformabilis est Judex controversiarum fidei & morum.* Ibid.
Caput XLII. *Ex Scriptura & traditione demonstratur, S. Petrum, Petrique in Romano Pontificatu successores, esse Generales Christi Vicarios, ab ipso cum plenitudine potestatis immediate institutos.* 194
Caput XLIII. *Ex Scriptura, traditione, & ratione demonstratur, S. Petrum, & quemlibet successorem ipsius, esse supremum totius Ecclesiæ Monarcham.* 196
Caput XLIV. *Ex Scriptura, & traditione demonstratur, S. Petrum, & quemlibet Petri successorem, esse Caput, Pastorem, Pontificem, Rectorem, Magistrum, & Judicem Ecclesiæ universalis, etiam in Concilio Generali congregatæ.* 200
Caput XLV. *Argumenta, quæ adversus hactenùs dicta objiciuntur, invalida esse ostenduntur.* 211

LIBER TERTIUS.

Amor Sperans.

Caput I. *Spei theologicæ definitio & objectum.* 215
Caput II. *Spei à charitate discrimen.* 216

INDEX.

Caput III. *Spei à charitate discrimen explicatur.* 223
Caput IV. *Spei Christianæ certitudo absque salutis securitate.* 224
Caput V. *Spes Christiana nec in hæreticis, nec in damnatis, nec in beatis reperitur; bene in animabus Purgatorii, & Catholicis viatoribus, etiam impiis.* Ibid.
Caput VI. *Spei præceptum ac necessitas.* Ibid.
Caput VII. *Contra spem peccatur excessu, per præsumptionem; defectu, per desperationem; sed longe frequentiùs per illam, quàm per istam.* 225

LIBER QUARTUS.

Amor Charitativus.

CAput I. *Charitatis definitio, objectum, præstantia.* 227
Caput II. *Charitatis supernaturalitas.* 228
Caput III. *Charitatis actus, seu affectus, & non solùm effectus, omnibus ratione utentibus necessarius est necessitate medii ad salutem.* Ibid.
Caput IV. *Charitatis actus, seu affectus, iisdem necessarius est necessitate præcepti.* 229
Caput V. *Exorbitantes sententiæ circa tempus quo divinæ dilectionis præceptum obligat.* 230
Caput VI. *Designantur tempora, quibus obligat primum mandatum.* 231
Caput VII. *Momentosa observatione roboratur asserta obligatio primi maximique mandati.* 236
Caput VIII. *Infundata non est opinio Theologorum, asserentium divini amoris actum ex debito exercendum, 1°. singulis Dominicis ac Festis. 2°. quando adultus suscipit Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ Sacramentum. 3°. quoties gravis tentatio nobis periculum injicit, ne separemur à charitate Christi. 4°. quoties deponendus est affectus ad mortale peccatum; quoties proindè offerre volumus Missæ sacrificium, vel Missam audire; quoties Deum peculiariter colere debemus aut volumus. 5°. quoties insigne beneficium à Deo accipimus. 6°. quoties Deum blasphemiis impeti, vel grandi aliquo scelere offendi videmus.* 237
Caput IX. *Contra primum mandatum est, aliâ re frui velle, præter Deum.* 239
Caput X. *Hæresis est, illusioque pessima dæmonis, quod habens amorem Dei purissimum (qualem habere se jactant Quietistæ) sollicitus esse non debeat de custodia mandatorum Dei & Ecclesiæ; nec de oratione, seu precatione; nec de frequentia Sacramentorum; nec de impugnatione tentationum; nec de exercitio jejuniorum, aliarumque carnis mortificationum; nec curare usum imaginum & indulgentiarum; quodque à cæterarum virtutum exercitio abstinere debeat, qui Deum amat.* 240
Caput XI. *Deus super omnia diligendus est, non solùm objectivè & appretiativè, sed & intensivè, non intensione affectûs sensitivi, sed affectûs rationalis.* 241
Caput XII. *Dilectione charitatis, etiam formali & interna, post Deum jubemur diligere proximum.* 245
Caput XIII. *Ordo in charitate Dei & proximi servandus.* 247
Caput XIV. *Amoris benefactivi ordine tenemur magis diligere nosipsos, quoad animam, bona spiritualia, vitam corporalem, corporali vitæ proximi comparatam, quàm proximum; secùs quoad temporalia bona, ad quorum conservationem præcepto non tenemur.* 248
Caput XV. *Unusquisque tenetur propriam vitam corporalem exponere pro æterna proximi salute, in extrema necessitate, si alius non adsit, qui possit & velit ipsi succurrere.* 250
Caput XVI. *Exponitur præceptum dilectionis inimicorum.* 253
Caput XVII. *Mundanorum hominum excusationes & argumenta contra assertam obligationem confutantur.* 256
Caput XVIII. *Exteriora condonationis signa inimico veniam legitimè petenti, etiam statim post acceptam injuriam, privatus quisque exhibere tenetur; tametsi non prohibeatur apud Judicem agere pro satisfactione damni in fama, honore, vel fortunæ bonis, siquod ultra offensam acceperit: nisi damnificator satisfactionem prudentum arbitrio sufficientem amicabiliter facere paratus sit.* 258
Caput XIX. *Prorsus illicitum est proximo cuicumque optare malum, ut inde nobis obveniat bonum proximi malo postponendum.* 261
Caput XX. *Peccatoribus & inimicis licitum est optare aliqua temporalia mala, ut corrigantur.* 263
Caput XXI. *Sensus verborum Salvatoris Matth. 5.* Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum. Ibid.
Caput XXII. *Eleëmosynæ erogandæ præceptum.* 264
Caput XXIII. *Erogandæ eleëmosynæ obligatio, etiam sub mortali, longè frequentior est quàm aliqui putent.* 265
Caput XXIV. *Prorsus à veritate devia est damnata illa propositio:* Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui; *sicut & ratio in qua eam fundant Defensores illius: quia scilicet* superfluum non est quod servatur ad augendum statum suum vel suorum, sive ad comparandum sibi vel suis altiorem statum. 268
Caput XXV. *Corollaria momentosa ex dictis cap. 23. & 24. deducuntur.* 270
Caput XXVI. *Certum est, in extrema necessitate unicuique præceptam esse eleëmosynam de superfluis ad vitam, tametsi necessariis ad statûs splendorem, seu decentiam.* 272
Caput XXVII. *In gravi necessitate, tametsi illicitum sit alienum invito domino surripere; dives tamen tenetur sub mortali proximo succurrere, etiam diminuendo aliquid de splendore statûs sui, si necesse sit, dummodo decentia statûs per hoc enormiter non lædatur.* 273
Caput XXVIII. *In communi pauperum necessitate danda est de superfluis ad decentiam statûs eleëmosyna, non necessario huic vel illi determinate, sed aliquibus indeterminate.* Ibid.
Caput XXIX. *Ecclesiastici beneficiati cæteris strictiùs tenentur ad superflua beneficiorum in pauperes, vel alias pias causas, eroganda, nec de iis in usus profanos, vel in consanguineos suos, non pauperes, disponere possunt.* 276
Caput XXX. *Occurritur argumentis in contrarium, casusque notabiles resolvuntur.* 278
Caput XXXI. *Eleëmosynæ præcepto non satisfit, proximi necessitatem (dum simpliciter est pauper) sublevando per mutuum.* 284
Caput XXXII. *Uxor, absque expresso mariti consensu, non potest de dote, bonisque communibus, facere eleëmosynas magnas, quibus familia valde incommodaretur, saltem extra proximi necessitatem extremam.* 285
Caput XXXIII. *Non sola corporalis eleëmosyna præcepta est, verùm & spiritualis, signanter correctio fraterna.* 286
Caput XXXIV. *Declaratur quando facienda sit correctio.* Ibid.
Caput XXXV. *Modus faciendæ correctionis, ut vere fraterna sit & proficua.* 290
Caput XXXVI. *Obligatio æquo animo correctionem accipiendi.* 291
Caput XXXVII. *Ipsi quoque Superiores subindè ab inferioribus, cum omni reverentia, modestia, & humilitate corrigendi sunt.* 292
Caput XXXVIII. *Quando delictum fratris est occultum, non Communitati nocivum, nec cedens in grave tertii detrimentum, spesque est emendationis ipsius per monitionem secretam, necessario servandus est Evan-*

gelicus ordo, saltem extra Religiosum Institutum, cujus professores renuntiant juri, quod habent ad propriam famam. 292
Caput XXXIX. *Evangelicum fraternæ correctionis ordinem pro solis sæcularibus, seu vitam communem ducentibus, Salvator non præscripsit; sed & pro religiosam vitam profitentibus.* 295
Caput XL. *Quid agere possit, vel non possit Superior, vi simplicis denuntiationis sibi immediatè factæ ut patri.* 297
Caput XLI. *Vitia charitati opposita recensentur, describunturque, scilicet odium, invidia, acedia, discordia, contentio, rixa, bellum, duellum, seditio, scandalum.* 298
Caput XLII. *Duelli malitia ostenditur.* 300
Caput XLIII. *Requisita ad justitiam belli.* 301
Caput XLIV. *Peccata, quæ utplurimùm committuntur in bello.* 303
Caput XLV. *Definitio, divisio, & malitia scandali.* 304
Caput XLVI. *Ad vitandum scandalum pharisaïcum, nulla bona, seu spiritualia, seu temporalia, dimittenda sunt: licèt, ad vitandum scandalum pusillorum, aliquando dimittenda sint bona temporalia; imò & spiritualia vel occultanda, vel differenda, si ad salutem non sint necessaria.* 306
Caput XLVII. *Reflexio ad dicta capite præcedenti, & inde deducta gravitas malitiæ scandali, v. g. provenientis ex ornatu mulierum, ad lasciviam provocante.* 307
Caput XLVIII. *Probabiliter aliquando tenemur prætermittere ea quæ aliàs sunt juris naturalis affirmativi, vel juris positivi, divini, & humani, ad vitandum scandalum pusillorum.* 309
Caput XLIX. *Variorum casuum resolutio ex præmissis.* 310
Caput L. *Solvuntur objectiones, simulque varii deciduntur casus præcedentibus affines.* 312

LIBER QUINTUS PRÆLIMINARIS
ad Præcepta Virtutum Cardinalium.

Caput unicum. *De natura Virtutum in genere.* 317

LIBER SEXTUS.
Amor Prudens. In quo agitur de Prudentia, Virtutibusque ei annexis.

Caput I. *Prudentiæ natura, & præstantia.* 320
Caput II. *Partes integrales prudentiæ.* 321
Caput III. *Partes potentiales prudentiæ.* 322
Caput IV. *Vitia prudentiæ opposita per defectum.* Ibid.
Caput V. *Vitia prudentiæ opposita per excessum.* 323

LIBER SEPTIMUS.
Amor Fortis.

Caput I. *Fortitudinis duplex acceptio & officium.* 324
Caput II. *Martyrium adultorum est actus heroicus fortitudinis.* Ibid.
Caput III. *Requisita ad rationem martyrii.* 325
Caput IV. *Requisita in peccatore dispositio, ut martyrium ipsi prosit ad salutem.* Ibid.
Caput V. *Martyrio ultrò se offerre, citra specialem S. Spiritûs inspirationem, & secluſis certis circumstantiis, non licet.* 328
Caput VI. *Virtutes fortitudini annexæ.* 329

LIBER OCTAVUS.
Amor Temperans, sive de Temperantia.

Caput I. *Temperantiæ definitio, officium, & vitia opposita.* 332
Caput II. *Temperantiæ partes velut integrantes.* 333
Caput III. *Partes subjectivæ, seu species temperantiæ.* Ibid.
Caput IV. *Obligatio & excellentia castitatis.* 334
Caput V. *Castitatis impedimenta, eorumque remedia.* Ibid.
Caput VI. *Encomia & prærogativæ castitatis virginalis.* 337
Caput VII. *Specialiter observanda circa intemperantiam in cibo & potu.* 339
Caput VIII. *Partes potentiales temperantiæ, seu virtutes ipsi annexæ.* 342

LIBER NONUS.
Amor Justus, sive de Jure & Justitia.

Caput I. *Justitiæ definitio ac divisio.* 352
Caput II. *Definitio ac divisio juris, quod est objectum justitiæ.* 354
Caput III. *Definitio ac divisio dominii.* 355
Caput IV. *Dominium perfectum, seu in solidum, penes duos, in eamdem rem simul esse nequit.* 356
Caput V. *Separabilitas usûs à dominio in rebus unico usu consumptibilibus.* Ibid.
Caput VI. *Subjectum & objectum dominii.* 359
Caput VII. *Error est mundanorum hominum, divinæ Scripturæ, ac sanctorum Patrum Theologiæ contrarius, putare usque adeo absolutum, illimitatumque esse dominium in ea quæ superfluunt convenienti sustentationi familiæ & statûs sui, ut ipsis licitum sit divitias sine termino appetere, in statûs sui augmentum congregare, & in quoscumque usus pro libitu expendere.* 360
Caput VIII. *Requisita ad acquisitionem dominii.* 361
Caput IX. *Thesauri, seclusâ lege positivâ, toti cedunt inventori; sed aliter legibus civilibus dispositum est.* 362
Caput X. *Bona derelicta fiunt primo occupantis: secùs bona vacantia, & incerta.* 363
Caput XI. *Bona, quæ sub alterius dominio fuerunt, per legitimam præscriptionem in bona conscientia acquiruntur præscribenti.* 366
Caput XII. *Casus, in quibus conceditur restitutio in integrum, non obstante præscriptione.* 373
Caput XIII. *Declaratur alius dominium acquirendi modus per contractum.* Ibid.
Caput XIV. *Conditiones requisitæ ad legitimum contractum.* 374
Caput XV. *Contractus gravi metu injustè incusso initi, non sunt generaliter invalidi, sive jure naturali, sive positivo.* 376
Caput XVI. *Appendix, de votis ex metu factis.* 377
Caput XVII. *Contractus de se prorsus invalidi, sive jure naturæ, sive positivo, eos irritos decernente, non firmantur juramento; secùs si de se non sint prorsus invalidi, sed naturalem saltem pariant obligationem.* 378
Caput XVIII. *Aliqui contractus facti sine solemnitate à jure requisita pariunt, aliqui non pariunt obligationem naturalem in foro conscientiæ.* 380
Caput XIX. *Transitus à contractibus in genere ad solemniores ejus species.* 381
Caput XX. *Definitio, & divisio mutui.* Ibid.
Caput XXI. *Obligationes mutuatoris & mutuatarii.* Ibid.
Caput XXII. *Divisiones mutui.* 382
Caput XXIII. *Usuræ definitio ac divisio.* 383
Caput XXIV. *Ad usuram necesse non est, quod lucrum ex mutuo exigatur, tamquam debitum ex pacto, sive ex justitia.* 384
Caput XXV. *Usurarium est lucrum, quod vere intenditur ex mutuo, sive mediate, sive immediate ex eo intendatur.* 385
Caput XXVI. *Exempla alia usuræ, tum apertæ, tum palliatæ.* 387
Caput XXVII. *Usuram jure naturali, divino, & ecclesiastico prohibitam esse, contra Græcorum, & Caroli Molinæi errorem ostenditur.* 393
Caput XXVIII. *Probabile non est, aliquid supra sortem*

tem exigi posse, titulo obligationis non repetendi sortem ante certum tempus, v. g. ante annum. 396
Caput XXIX. *Ratione lucri cessantis, damnique emergentis, ex mutuo aliquid ultra sortem, sub certis conditionibus, exigere licet.* 398
Caput XXX. *Conditiones necessario servandæ ad aliquid supra sortem juste exigendum, titulo lucri cessantis, damnivè emergentis.* 399
Caput XXXI. *An etiam pro probabili periculo sortis, habitâ ratione qualitatis, & quantitatis periculi, servatâque proportione inter periculum & auctarium, in foro conscientiæ licitum sit aliquid ultra sortem exigere, gravis est controversia inter Doctores; in qua partem negativam, ob rationes non contemnendas, tenent Doctores Sorbonici, & Lovanienses, cumque ipsis plerique alii, scientiâ, & pietate celebres; affirmativam tamen (salvâ lege charitatis, servatisque aliis conditionibus infrà exponendis) tradit Traditio Romana.* 401
Caput XXXII. *Occurritur rationibus in contrarium.* 404
Caput XXXIII. *Dummodo intentio sit recta, serveturque æquitas in pœna, mutuator pacisci potest, ut mutuatarius, præfixo tempore suâ culpâ non restituens, aliquid ultra sortem solvat in pœnam, etiam secluso lucro cessante, damnoque emergente.* 405
Caput XXXIV. *Nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usura; licet tamen ab eo qui paratus est hoc facere, & usuram exercere, mutuum accipere sub usura, propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius.* 406
Caput XXXV. *Qui bonâ fide contractum fecit usurarium, quem si scivisset non esse justum, alium fecisset contractum justum, v. g. societatis, non potest auctarium supra sortem retinere, titulo lucri cessantis ex tali justo contractu, si ab initio nullo modo cogitaverit de isto alio contractu justo.* 407
Caput XXXVI. *Ab usura liberi sunt Montes Pietatis, tam Italici, quàm Belgici, & mixti.* Ibid.
Caput XXXVII. *Usurarius non acquirit dominium, etiam transiens, usurarum.* 409
Caput XXXVIII. *Usurariorum pœnæ.* 411
Caput XXXIX. *Quomodo Confessarius se gerere debeat cum usurariis.* Ibid.
Caput XL. *Amplius explicatur obligatio restitutionis, cui obnoxii sunt usurarii, ipsorumque hæredes, ac Notaris.* Ibid.
Caput XLI. *Explicantur requisita ad promissionem.* 412
Caput XLII. *Promissio ob turpem causam, nec ante secutum opus vi suâ obligat, nec post illud.* 415
Caput XLIII. *Casus, quibus cessat obligatio promissionis.* 417
Caput XLIV. *Donatio, ejusque divisio, & personæ quæ donare possunt.* 418
Caput XLV. *Depositum, ejusque leges, & depositariorum obligationes.* 419
Caput XLVI. *Commodum & precarium,* 421
Caput XLVII. *Locatio, & obligationes locatorum.* Ibid.
Caput XLVIII. *Obligationes locatariorum, seu conductorum.* 423
Caput XLXI. *Specialia circa locationem operarum, & operariorum.* Ibid.
Caput L. *Fidejussio & assecuratio. Pignus & hypotheca.* 424
Caput LI. *Fœdum & Emphyteusis.* 425
Caput LII. *Ludus & Sponsio.* 426
Caput LIII. *Ludi aliqui legibus civilibus & canonicis Laicis prohibiti.* 428
Caput LIV. *Iidem ludi maximè Clericis prohibiti.* Ibid.
Caput LV. *Injustitia quatuor ex capitibus committitur in ludo.* 1°. *ratione inæqualitatis.* 2°. *ratione fraudis.* 3°. *ratione coactionis.* 4°. *ratione impotentiæ alienandi quod ludo exponitur.* 430
Caput LVI. *Quod sine vi & fraude ludo vetito est acquisitum, probabiliter potest retineri.* 431
Caput LVII. *Emptio & venditio.* 432
Caput LVIII. *Negotiatio.* 434
Caput LIX. *Pretium quo vendendum est & emendum.* Ibid.
Caput LX. *Casus quibus licitum est res suas vendere ultra latitudinem vulgaris pretii currentis.* 436
Caput LXI. *Ultra allegatas peculiares causas, quatuor aliæ sunt generales, & communes, ob quas vulgarè pretium justè augeri potest vel minui.* 437
Caput LXII. *Non licet vendere merces supra latitudinem justi aliàs pretii, ex hoc quod credito vendantur, nisi interveniat alius titulus, lucri cessantis, vel damni emergentis, &c.* 438
Caput LXIII. *Siquis emptor velit rem emere vilius, quàm sit justum pretium, eo quod pecuniam antè solvit, quàm possit ei res tradi, est peccatum usuræ.* 439
Caput LXIV. *Debitum liquidum, centum florenorum v. g. secluso titulis lucri cessantis, damni emergentis, & periculi non solutionis, vel saltem difficilis solutionis, non potest minoris emi quàm centum florenis.* Ibid.
Caput LXV. *Proxenetæ, vel Factores, seu alii quibus aliquid committitur vendendum, vel emendum nomine committentis, si vendant supra, vel emant infrà constitutum sibi pretium, non possunt quod supra, vel infra est, sibi retinere.* 441
Caput LXVI. *Grandis injustitiæ rei sunt mercatores, monopoliis caritatem inducentes, vel pretia rerum augentes.* 443
Caput LXVII. *Convelluntur fundamenta contrariarum opinionum.* 445
Caput LXVIII. *Variæ recensentur injustitiæ mercatorum, res defectuosas vendentium.* 447
Caput LXIX. *Venditor aliquando tenetur rei vitium aperire, non semper. Explicantur casus quibus tenetur, & non tenetur.* 448
Caput LXX. *Satisfit objectionibus, & earum occasione varii casus resolvuntur.* 450
Caput LXXI. *Venditor privatim sciens rem brevi minùs valituram, ob superventuram mercium & mercatorum copiam, non tenetur hoc emptori manifestare, nec aliquid de pretio nunc currenti diminuere.* 452
Caput LXXII. *Licita est venditio cum pacto retrovenditionis, servatis certis conditionibus.* 454
Caput LXXIII. *Justa & licita est emptio & venditio censûs realis, sive novi, sive antiqui, sive pecuniarii, sive fructuarii, sive temporalis, sive perpetui, servatis servandis.* Ibid.
Caput LXXIV. *Conditiones requisitæ ad justitiam censûs realis.* 457
Caput LXXV. *In locis ubi Piana non viget, licita & justa est emptio ac venditio censûs personalis, dummodo persona, super qua constituitur, sit fructifera per industriam, vel per res suas.* 458
Caput LXXVI. *Census perpetui jure naturali non sunt prohibiti.* 460
Caput LXXVII. *Spectato jure naturali, licitus quoque est census temporalis; sive ad tempus determinatum, dummodo sit longum, v. g. viginti annorum; sive ad indeterminatum, v. g. ad vitam alicujus hominis.* Ibid.
Caput LXXVIII. *Illicita tamen est emptio censûs trium vel quatuor annorum, secluso titulis, quibus licitum est minoris emere debitum in futurum solvendum; illicita à fortiori emptio censûs ad annum, eâ lege, ut eo elapso, venditor emptori sortem integram refundere teneatur, pensione in eam non computatâ. Illicita denique emptio censûs redimibilis ad arbitrium emptoris, pensionibus in sortem non computatis.* Ibid.
Caput LXXIX. *Dubiorum nonnullorum solutio, de aliquibus pactionum formulis, de quibus aliquando disceptatur, an pro censu, an pro usura accipienda sint.* 461
Caput LXXX. *Specialiter observanda juxta Consue-*

tudines, & Edicta Principum Belgii, circa reditum exoptionem, præscriptionem, solutionem. 462
Caput LXXXI. *Definitio & divisio contractûs societatis, & conditiones ad justitiam ipsius requisitæ.* 464
Caput LXXXII. *Justa & legitima non est societas cum pacto, ut capitale salvum sit ei qui pecuniam in societatem confert, lucrum verò communiter dividatur.* 465
Caput LXXXIII. *Contractui societatis adjicere non licet duplex aliud pactum; primum, quo sociorum alter sortem in omnem eventum assecuret pecuniam conferenti; alterum, quo vendatur ipsi lucrum incertum pro certo. Nec proinde licitus est contractus trium (ut vocant) cum eodem.* Ibid.
Caput LXXXIV. *Multiplici ratione (laudatas authoritates consequente) contractus trium illicitus ostenditur.* 468
Caput LXXXV. *Solvuntur objectiones.* 469
Caput LXXXVI. *Variorum casuum circa societatem animalium ex antè dictis resolutio.* 472
Caput LXXXVII. *Regulæ secundùm quas in fine societatis faciendæ est divisio, dum unus sociorum operam, alter pecuniam contulit.* 474
Caput LXXXVIII. *Definitio & divisio cambii.* 476
Caput LXXXIX. *Rationes, seu tituli justificantes lucrum ex cambio reali, sive minuto, sive locali.* Ibid.
Caput XC. *Usurarium est lucrum ex cambio* Francofurtensi, *sive ad nundinas, præcisè fundatum in expectata solutione.* 478
Caput XCI. *Ab usura etiam vix, aut ne vix quidem excusari potest cambium cum recambio, quod Itali vocant* Con la ricorsa, *aliterque appellari solet* Bizontinum, *aut* Placentinum. Ibid.
Caput XCII. *Definitio testamenti, ejusque species.* 479
Caput XCIII. *Solemnitates ad testamentum requisitæ.* Ibid.
Caput XCIV. *Testamentum, legatum, & quælibet ultima voluntas, ad pias causas, valet absque solemnitatibus jure civili requisitis.* 480
Caput XCV. *Testamentum ad causas profanas, licèt in foro externo non valeat absque solemnitatibus juris, probabilius valet & obligat in foro conscientiæ.* Ibid.
Caput XCVI. *Non omnia testamenta, quæ videntur pia, verè coram Deo pia sunt, etiamsi à Jurisconsultis fortasse vocentur ad pias causas.* 481
Caput XCVII. *Personæ quæ possunt, & non possunt testamentum condere.* 483
Caput XCVIII. *Personæ quæ possunt & non possunt hæredes instituì.* 484
Caput XCIX. *Testamenti executio.* 485
Caput C. *Definitio injustitiæ, seu injuriæ, justitiæ oppositæ.* 486
Caput CI. *Scienti, & invalidè consentienti, id est juri suo cedere non valenti, fieri potest injuria; secùs, si juri suo cedere validè possit.* 487
Caput CII. *Restitutionis definitio, & discrimen à solutione & satisfactione.* Ibid.
Caput CIII. *Restitutio ad salutem necessaria est necessitate præcepti, non necessitate medii.* 488
Caput CIV. *Quilibet injustus alienæ rei detentor, vel damnificator, eam tenetur statim restituere, si potest, vel petere dilationem ab eo cujus rem detinet, vel quem damnificavit.* Ibid.
Caput CV. *Casus quibus restitutio differri potest.* 489
Caput CVI. *Duo, vel si vis, tres sunt tituli, ex quibus restitutionis exurgit obligatio, scilicet res accepta, reique acceptio, justa & injusta.* 491
Caput CVII. *Declarantur personæ, ex titulis illis obligatæ ad restitutionem; sicut & quantitas, seu mensura faciendæ ab ipsis restitutionis.* 492
Caput CVIII. *Uberiùs explicatur obligatio restitutionis ex titulo rei acceptæ, atque imprimis obligatio possessoris bonæ fidei.* 493
Caput CIX. *Bonæ fidei possessor restituere tenetur fructus naturales rei alienæ, & ex parte mixtos, non verò merè industriales.* 494
Caput CX. *Bonæ fidei possessor, ex quo cognoscit se rem alienam bonâ fide emisse à fure, tenetur eam immediatè reddere domino, etiam cum periculo amittendi pretium à se persolutum, nec potest reddere furi, à quo scit domino non restituendam.* 496
Caput CXI. *Respondetur ad ea quæ objiciuntur.* Ibid.
Caput CXII. *Ad obligationem restitutionis ratione contractûs generaliter non requiritur culpa, sive theologica, sive juridica.* 498
Caput CXIII. *Regulæ tres circa obligationem restituendi ex contractu.* Ibid.
Caput CXIV. *Ad obligationem restitutionis, ratione injustæ acceptionis, requiritur formalis culpa theologica contra justitiam commutativam.* 499
Caput CXV. *Objecta dissolvuntur.* 500
Caput CXVI. *Culpam theologicam (quam necessariam diximus ad obligationem restitutionis, ratione injustæ acceptionis, seu damnificationis) mortalem esse debere, ut obligatio sit sub mortali, aliqui probabiliter affirmant, alii probabiliter negant; pari (ut videtur) utrinque probabilitate. In praxi proinde pars deterior, seu obligatio sub mortali supponenda est.* 503
Caput CXVII. *Fur & quicumque malæ fidei possessor, rem alienam, ratione injustæ acceptionis restituere debet, secundùm optimum statum, & summum valorem, quo dominus eâ usurus erat, vendendo, locando, alendo, &c. Et si ante restitutionem melioratа fuerit, cum sua melioratione restituenda est.* 505
Caput CXVIII. *Res quæ casu periit apud furem, similiter certo peritura apud dominum, ipsi restituenda est.* 506
Caput CXIX. *Satisfit objectionibus.* 508
Caput CXX. *Sicut ex injusta rei alienæ acceptione, vel detentione; sic ex injusta boni alteri obventuri impeditione restituendi provenit obligatio.* 509
Caput CXXI. *Bonorum publicorum distributor non tenetur ad restitutionem, quando ea distribuit contra justitiam distributivam præcisè; sæpè tamen tenetur, quatenùs simul violavit justitiam commutativam, cum distributiva concurrentem.* 510
Caput CXXII. *Qui seductoriâ deceptione proximum damnificavit in bonis spiritualibus, ipsum pertrahendo in peccatum, tenetur ad restitutionem, quantùm ipsi possibile est.* 511
Caput CXXIII. *Qui vi, fraude, vel seductione Novitium abduxit è Religione, in qua profiteri meditabatur, ex justitia non tenetur loco ipsius eam ingredi; tenetur tamen ipsi Novitio pro posse compensare spirituale damnum, sicut & Religioni damnum temporale inde secutum, pro valore spei quâ temporale commodum ex ipsius donatione, vel industria expectabat.* 513
Caput CXXIV. *Simoniacè accepta sunt restituenda.* Ibid.
Caput CXXV. *Beneficiati non implentes officia beneficiorum suorum, ad fructuum restitutionem tenentur pro rata.* 515
Caput CXXVI. *Quicumque habens beneficium ecclesiasticum, cum Cura, vel sine Cura, si post sex menses quàm illud obtinuerit, divinum Officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissæ recitationis Officii, & temporis, suos non facit; sed eos, tamquam injustè perceptos, in fabricas Ecclesiarum hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare tenetur.* Ibid.
Caput CXXVII. *Quicumque non solvunt decimas legitimè debitas, vel eas fraudant in quantitate, vel qualitate requisita, tenentur ad restitutionem.* 518
Caput CXXVIII. *Quisquis hominem injustè occidit, mutilavit, vulneravit, tenetur ad restitutionem.* Ibid.
Caput CXXIX. *Homicida tenetur per preces, sacrificia, & alia opera pia, pro posse resarcire damnum*

spirituale satisfactionum, saltem juxta æstimationem verisimilitudinis eorum, quas occisus per se, vel per alios, erat verisimiliter facturus, si non fuisset occisus. 520

Caput CXXX. *Homicida, mutilator, vulnerator injustus, citra omne dubium, restituere tenentur temporalia omnia damna realia, ex homicidio, mutilatione, vulneratione secuta.* 521

Caput CXXXI. *Personæ quibus homicida restituere tenetur pro damnis realibus, ex homicidio secutis, vel secuturis.* 522

Caput CXXXII. *Casus, in quibus cessat, vel non cessat obligatio restitutionis ob homicidium, vel mutilationem.* Ibid.

Caput CXXXIII. *Corruptor virginis sponte consententis, id est nec vi, nec fraude, vel dolo, nec importunis precibus inductæ, sed ultro se offerentis, vel leviter rogatæ, non tenetur aliquid ipsi restituere; tenetur tamen parentibus satisfacere pro injuria, si fuerint inviti, & virgo sub eorum extiterit potestate.* 523

Caput CXXXIV. *Qui virginem vi, vel fraude corrupit, jure naturæ tenetur ad reparationem damnorum inde secutorum.* 524

Caput CXXXV. *Dum ex adulterio secuta est proles, adulter & adultera tenentur ad restitutionem damnorum omnium, tam legitimis filiis, quàm etiam marito, & hæredibus ipsius.* 526

Caput CXXXVI. *Adultera impotens ex se reparare damna, marito, legitimis filiis, vel hæredibus provenientia ex suppositione spurii, non tenetur, cum periculo gravioris mali, spurium marito, vel filiis legitimis, ad impedienda damna illa, revelare.* 528

Caput CXXXVII. *Sive quis proximum injustè diffamaverit falsum dicendo, sive verum injustè revelando, tenetur ad restitutionem famæ injustè ablatæ, quo meliori modo fieri potest; sicut & ad restitutionem omnium damnorum realium inde causatorum.* 530

Caput CXXXVIII. *Causæ excusantes à restitutione famæ.* 534

Caput CXXXIX. *Quicumque est causa efficax injustæ damnificationis, ad eam positivè cooperando, tenetur ad restitutionem.* Ibid.

Caput CXL. *Cooperantes negativè, videlicet mutus, non obstans, non manifestans, ad restitutionem non tenentur, nisi dum proximi damnum non impediunt, dum absque notabili suo periculo, vel damno, impedire possunt, & ad id ex justitia tenentur, non ex sola charitate.* 536

Caput CXLI. *Casus, in quibus positivè cooperantes per mandatum, consilium, &c. tenentur in dubio, an per suum mandatum, consilium, &c. fuerint causa efficax damni.* 539

Caput CXLII. *Dum plures ad injustè damnificandum positivè sic cooperati sunt, ut singulorum cooperatio non fuerit efficax, nisi conjuncta cum cooperatione aliorum; singuli tenentur ad totum, aliis pro parte, vel toto non restituentibus.* 541

Caput CXLIII. *Specialia de mandante.* Ibid.

Caput CXLIV. *De consulente.* 542

Caput CXLV. *De movente, seu inducente ad actionem injustam exemplo suo.* 544

Caput CXLVI. *De consentiente, palpone, receptante, participante.* 545

Caput CXLVII. *de circumstantiis faciendæ restitutionis.* 548

Caput CXLVIII. *Tempus & locus faciendæ restitutionis.* Ibid.

Caput CXLIX. *Modus faciendæ restitutionis.* 549

Caput CL. *Ordo servandus in restitutione, ratione rei acceptæ, & injustæ acceptionis.* 551

Caput CLI. *Ordo servandus in satisfaciendo creditoribus, dum omnibus debitor satisfacere non potest.* Ibid.

Caput CLII. *Septem causæ excusantes à restitutione.* 554

Caput CLIII. *Octava causa à restitutione excusans, conditionesque ad eam requisitæ.* 556

LIBER DECIMUS.

De Præceptis Decalogi.

PARS PRIMA.

Amor Religiosus.

Ad primum Decalogi Præceptum: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

Caput I. *Occasione verborum, quæ habentur in præfatione primi Præcepti, explicatur modus quo servanda sunt Dei & Ecclesiæ præcepta.* j

Caput II. *Specialiter expenduntur verba ista,* Deus tuus. ij

Caput III. *Ampliùs explicantur, Christianisque applicantur verba ista:* Eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis, *&c.* iij

Caput IV. *Expositio verborum illorum:* Non habebis deos alienos coram me, *&c.* v

Caput V. *Religionis natura, objectum, & actus explicantur.* Ibid

Caput VI. *Declarantur actus Religionis.* vj

Caput VII. *Exponitur quid sit, quidque importet adoratio.* vij

Caput VIII. *Devotio, duplexque causa & effectus ipsius.* Ibid.

Caput IX. *Orationis definitio.* viij

Caput X. *Orationis necessitas.* x

Caput XI. *Conditiones in oratione necessariæ.* x

Caput XII. *Conditiones requisitæ ad hoc, ut oratio infallibiliter impetret.* xj

Caput XIII. *Pro omnibus viatoribus orandum, necnon pro animabus Purgatorii; sed nullo modo pro damnatis.* xij

Caput XIV. *Tametsi solus Deus orandus sit, tamquam primum principium & fons bonorum omnium, & Christus tamquam primarius & principalis Mediator noster apud Deum; orandi sunt tamen alii Sancti, homines & Angeli, tamquam Mediatores secundarii, qui nomine Christi, & virtute meritorum ipsius, etiam valent aliqua bona nobis impetrare.* xiij

Caput XV. *Horarum Canonicarum explicatio.* xiv

Caput XVI. *Obligatio ad Horas Canonicas recitandas.* Ibid.

Caput XVII. *Religiosos ad Chorum professos, etiam in sacris non existentes, sicut & Religiosas similiter ad Chorum professas, seclusa speciali Instituto Ordinis sui, vel Apostolicâ dispensatione, sub mortali esse obligatos & obligatas ad Horas Canonicas, etiam extra Chorum recitandas, sententia est adeò certa, ut opinio contraria nullam habeat probabilitatem.* xvj

Caput XVIII. *Nullius omnino momenti sunt argumenta quæ allegantur contra Religiosorum & Monialium obligationem, assertam capite præcedenti.* xix

Caput XIX. *Virgines Collegiales, quæ in Belgio, & Germania Canonissæ vocantur, ad Horarum Canonicarum recitationem extra Chorum, sub mortali tenentur, dum eas à Choro abesse contingit.* xxij

Caput XX. *Declaratur qualitas & quantitas obligationis ad Horas, ratione beneficii, Ordinis, vel religiosæ professionis.* Ibid.

Caput XXI. *Mortale peccatum est, loco Officii diei, assumere aliud notabiliter brevius, vel notabiliter differens ab illo.* xxiij

Caput XXII. *Non est liberum quodvis assumere Breviarium, sed Officium legendum ex Breviario ab Ecclesia, vel consuetudine loci præscripto.* xxiv

Caput XXIII. *Tempus, & modus quo recitandum est Officium.* xxv

Caput XXIV. *Ad Officii divini recitationem adeo necessaria est attentio, ut præcepto non satisfaciat, mortaliterque delinquat, qui animo voluntariè distracto notabilem Officii partem recitat.* xxvij

Caput XXV. *Objectionum inanitas ostenditur.* xxxj
Caput XXVI. *Examinatur controversia circa obligationem recitandi extra Chorum, Officium parvum B. Virginis, Officium Defunctorum, Psalmos Graduales, Pœnitentiales, & Litanias majores, diebus in Breviario præscriptis.* xxxiij
Caput XXVII. *Causæ excusantes ab Horarum recitatione.* xxxvj
Caput XXVIII. *Cultus Deiparæ Virginis & Sanctorum primo Decalogi præcepto non adversatur.* xxxviij
Caput XXIX. *Errores vitandi circa cultum Sanctorum.* xl
Caput XXX. *Sacrarum Reliquiarum honor primo Decalogi præcepto non prohibetur.* xlj
Caput XXXI. *Usus ac veneratio sacrarum imaginum eidem præcepto non contrariatur.* Ibid.
Caput XXXII. *Voti natura & conditiones explicantur.* xliij
Caput XXXIII. *Multiplex divisio voti.* xliv
Caput XXXIV. *Melius & laudabilius est facere aliquid ex voto, quàm sine voto.* Ibid.
Caput XXXV. *Votum, sive solemne, sive simplex, in materia gravi obligat sub mortali.* xlv
Caput XXXVI. *Qui dubitat an votum emiserit, in pari utrimque probabilitate, illud implere tenetur. Et qui dubitat an actus quispiam adversetur voto à se facto, similiter ab eo tenetur abstinere, ne se mortali illaqueet crimine.* xlvj
Caput XXXVII. *Contrariis argumentis occurritur.* l
Caput XXXVIII. *Religiosam vitam solemniter professus, in Monasteriis ubi disciplina regularis quoad pleraque considerabilia Regulæ puncta, Superiorum dissimulatione est relaxata, licèt non intenderit nisi vivere sicut vivunt, qui in pluribus ejusmodi punctis Regulam transgrediuntur, aliàs non professurus, tenetur equidem vivere secundùm Regulam.* lij
Caput XXXIX. *Definitio statûs religiosi.* liij
Caput XL. *Religiosus non peccat mortaliter per transgressionem punctorum Regulæ, ad quæ sub mortali non tenetur; posset tamen in iis mortaliter peccare ex negligentia magna, vel contemptu.* liv
Caput XLI. *Religiosus per ingressum, seu potiùs professionem Religionis, juxta S. Thomam, absolvitur ab omnibus votis anteà factis.* lv
Caput XLII. *Obligatio Religiosorum ex voto paupertatis.* Ibid.
Caput XLIII. *Eorumdem obligatio ratione voti castitatis.* lvij
Caput XLIV. *Obligatio ratione voti obedientiæ.* Ibid.
Caput XLV. *Voti obligatio quatuor modis cessat, irritatione, commutatione, dispensatione, & materiæ mutatione.* lviij
Caput XLVI. *Declaratur quinam habeant potestatem vota irritandi.* lix
Caput XLVII. *Declaratur quinam habeant potestatem vota commutandi, in iisque dispensandi.* lxj
Caput XLVIII. *Confessarii Ordinum Mendicantium habent à Summis Pontificibus delegatam ex privilegio potestatem commutandi, & dispensandi omnia vota, Summo Pontifici non reservata, etiam jurata.* lxiv
Caput XLIX. *Vitia Religioni opposita. Atque imprimis* superstitio. lxv
Caput L. *Idololatria peccatorum omnium gravissimum est, si gravitas ipsius consideretur ex parte peccati.* lxvj
Caput LI. *Gravissimè peccant, tam divinationem, magiam, & sortilegium exercentes, quàm ariolos, magos, sortilegos consulentes, eorumque operâ utentes.* Ibid.
Caput LII. *Explicatur quid, & quotuplex sit vana observantia.* lxix
Caput LIII. *Explicantur species irreligiositatis.* lxxj
Caput LIV. *Describitur sacrilegium, explicanturque pertinentia ad illud.* lxxiij
Caput LV. *Simoniæ natura explicatur.* lxxv
Caput LVI. *Simoniæ malitia explicatur.* lxxviij
Caput LVII. *Simoniæ multiplex divisio.* Ibid.
Caput LVIII. *Casus quibus simonia incurritur.* lxxix
Caput LIX. *Simonia multiplex in beneficiis ecclesiasticis.* lxxxj
Caput LX. *Simoniacorum pœnæ.* lxxxiv
Caput LXI. *Obligatio ad restitutionem, ob simoniam.* lxxxvj
Caput LXII. *Exponitur natura statûs ecclesiastici.* lxxxvij
Caput LXIII. *Prælaturam ecclesiasticam, ecclesiasticaque beneficia, curam animarum habentia, pro se ambire, vel postulare non licet; nec finaliter recusare, dum Superior absolutè jubet acceptare.* Ibid.
Caput LXIV. *Beneficii ecclesiastici descriptio ac divisio.* lxxxix
Caput LXV. *Præparatio & dispositio ad Tonsuram Clericalem requisita.* Ibid.
Caput LXVI. *Novem conditiones requisitæ in recipiente beneficium.* xc
Caput LXVII. *Observanda circa pluralitatem beneficiorum, an licita sit?* xcj
Caput LXVIII. *Explicatur gravitas peccati eorum, qui conferunt beneficia indignis, vel minùs dignis.* xcij
Caput LXIX. *Tribus præsertim modis acquiruntur beneficia.* xciij
Caput LXX. *Tribus etiam modis beneficia amittuntur.* xciv
Caput LXXI. *Pensionis ecclesiasticæ natura & conditiones.* xcv

PARS SECUNDA.

Amor sine reverentia magna non usurpans sanctum Dei nomen.

Ad secundum Decalogi præceptum: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

CAput I. *Juramentum definitur ac dividitur.* cxv
Caput II. *Juramentum esse potest bonum, & actus latriæ, si debitæ serventur conditiones.* xcvj
Caput III. *Obligatio juramenti promissorii.* xcviij
Caput IV. *Juramentum promissorium ficto animo factum, est illicitum, est obligatorium tamen.* xcix
Caput V. *Prorsus illicitus est restrictionum purè mentalium usus, nec ulla de causa licitus in juramentis, uti nec in judiciis, contractibus, nec in ulla humana conversatione.* cj
Caput VI. *Corollaria ex præmissis.* cvj
Caput VII. *Satisfit Casuisticis argutiis in contrarium.* cix
Caput VIII. *Justa de causa licitum est juramentum ab infideli exigere, vel suscipere, quem scis juraturum per falsos deos.* cxj
Caput IX. *Licitum non est homini privato indutere quempiam ad jurandum falsum, quod inducens scit falsum esse, licèt jurans putet esse verum.* cxij
Caput X. *Juramentum promissorium, metu gravi extortum, inducit obligationem, perjuriique reus est qui illud violat, nisi à Romano Pontifice, vel Episcopo fuerit relaxatum.* cxiij
Caput XI. *Nullum juramentum, vergens in pejorem exitum, servandum est, nec illud non servans est perjurus.* cxiv
Caput XII. *In mortali versantur crimine, qui leviter, temerè, absque justa necessitate, vel utilitate, ex prava consuetudine jurant, nec consuetudinem illam corrigere pro virili curant.* cxv
Caput XIII. *Secundo præcepto non solùm prohibetur juramentum temerarium & perjurum, sed & in vanum assumere sanctissimum Dei nomen, vel etiam sanctissimum nomen Jesu, Mariæ, &c.* cxvj

INDEX.

PARS TERTIA.

Amor pius in cultu Festorum.

Ad tertium præceptum : Memento ut diem Sabbathi sanctifices.

CAput I. *Quod Sabbathum fuit in veteri lege, hoc Dominica est in nova.* cxvij
Caput II. *Dierum festorum institutio.* cxviij
Caput III. *Explicantur opera servilia, diebus Dominicis ac Festivis prohibita.* Ibid.
Caput IV. *Pietas tamen, & justa necessitas, servilia opera festis diebus aliquando permittunt.* cxxij
Caput V. *Explicantur requisita ad sanctificationem Sabbathi, seu diei Dominici, vel Festivi.* Ibid.
Caput VI. *Graviter peccant (saltem in linea peccati venialis) Christiani, qui cum peccati mortalis affectu, sive eo non deposito, Missam Dominicis & Festis diebus audiunt.* cxxiv

PARS QUARTA.

Amor parentibus obsequiosus.

Ad quartum Decalogi præceptum : Honora patrem & matrem, &c.

CAput I. *Explicatur quinam in hoc præcepto parentum nomine sint intelligendi.* cxxvj
Caput II. *Explicatur honor ex Dei præcepto parentibus debitus.* Ibid.
Caput III. *Recensentur præcipui filiorum defectus, contra honorem parentibus debitum.* cxxvij
Caput IV. *Declarantur ea in quibus filii parentibus obedire tenentur.* cxxix
Caput V. *Obligatio parentum erga filios.* cxxxj
Caput VI. *Pastoris erga oves sibi commissas obligatio.* cxxxiv
Caput VII. *Patrum & matrum familiæ erga servos & ancillas obligationes.* cxxxvj
Caput VIII. *Peccata famulorum, famularumque erga dominos & dominas.* cxxxvij
Caput IX. *Obligatio Parochianorum erga Pastores suos, & generatim erga Sacerdotes.* Ibid.
Caput X. *Prorsus improbanda est opinio, à mortali excusans filios & filias, inconsultis parentibus nubentes.* cxxxix

PARS QUINTA.

Amor justus erga proximi vitam.

Ad quintum Decalogi præceptum : Non occides.

CAput I. *Necessitatem recurrendi ad tritam Majorum viam, Sanctorumque Theologiam, pro recta Decalogi intelligentia, demonstrant horrenda novaturientium Casuistarum de homicidio dogmata.* cxl
Caput II. *Solâ Dei authoritate hominem licet occidere.* cxlij
Caput III. *Divinum præceptum*, non occides, *generale est ; ab eo proinde nullas exceptiones facere licet, nisi quas ipsa fecit divina Authoritas ; quæ cùm non nisi tres exceptiones fecisse legatur, alias facere non licet.* cxliv
Caput IV. *Principibus & Magistratibus, in bello justo, licitum est hostes occidere, sicut & malefactores Reipublicæ noxios, etiam pro solo furto.* cxlv
Caput V. *Non est licitum privatâ authoritate occidere injustum invasorem vitæ.* cxlvj
Caput VI. *Solida responsio ad argumenta contraria.* cxlix
Caput VII. *Multò minùs occidere licet injustum invasorem bonorum temporalium.* cl
Caput VIII. *Casuistarum argumenta repelluntur.* cliv
Caput IX. *Occidere non licet injustum invasorem pudicitiæ.* clv
Caput X. *Nec licitum est occidere injustum invasorem honoris & famæ.* clvj
Caput XI. *Observatio notabilis circa curam honoris & famæ.* clix
Caput XII. *Nonnullæ aliæ de homicidio & duello propositiones cum execratione rejiciendæ.* clxiij
Caput XIII. *Occurritur argumentis, quæ contrà præmissa objiciuntur.* clxiv
Caput XIV. *Seipsum directè, & per se occidere nunquam licet.* clxvj
Caput XV. *Ne publicâ quidem authoritate, sive jubente Judice, potest malefactor seipsum interficere.* clxvij
Caput XVI. *Nunquam licitum est innocentem occidere directè, & per se.* clxix
Caput XVII. *Neque ipsi Judici fas est capitis damnare probatum in judicio nocentem, quem privatâ scientiâ certo scit innocentem.* clxxj
Caput XVIII. *Se, vel alium mutilare nunquam licet, nisi quando, & quantùm est necessarium ad salutem totius corporis.* clxxiij

PARS SEXTA.

Amor refrænans carnis opus, & concupiscentiam.

Ad sextum præceptum : Non mœchaberis.
Et nonum : Non concupisces uxorem proximi tui.

CAput I. *Quisquis sive æstu libidinis abreptus, sive grandis mali metu percussus, plena cum deliberatione & consensu contra sextum agit præceptum, vel aliud quidpiam agit eorum, de quibus Apostolus Galat. 5. ait, quòd qui talia agunt, regnum Dei non consequentur, à gratia Dei excidit, mortali illaqueatus crimine.* clxxiv
Caput II. *Explicatio sexti & noni præcepti.* clxxvj
Caput III. *Morosa delectatio de rebus obscœnis est mortale peccatum contra hoc præceptum.* clxxvij
Caput IV. *Satisfit objectionibus, earumque occasione variis difficultatibus.* clxxix
Caput V. *Delectatio morosa viduorum ac viduarum de copula in matrimonio habita, imaginata ut præsente, sicut & conjugandorum de habenda, peccatum est mortale, tam ratione objecti, quàm ratione effectûs quem ejusmodi delectationes per se natæ sunt causare.* clxxxj
Caput VI. *Ipsis etiam conjugatis mortale est, veneream in carne sua delectationem in absentia compartis, morosis de copula cum comparte cogitationibus, voluntariè excitare.* Ibid.
Caput VII. *Morosa delectatio est peccatum ejusdem speciei, cujus est actus illicitus, de quo habetur delectatio.* clxxxij
Caput VIII. *Aspectus impudici & libidinosi haud dubiè sunt peccata mortalia.* clxxxiij
Caput IX. *Verba impudica, seu turpia proferre, obscœnas cantilenas cantare, vel libenter audire, utplurimùm est peccatum mortale contra sextum præceptum, vel propter affectum minùs castum, vel propter periculum turpium cogitationum, vel propter scandalum.* clxxxv
Caput X. *Chorearum & saltationum frequentatio adeo periculosa est, ut sine peccato rarò, vel nunquam fiat.* Ibid.
Caput XI. *Malitia osculorum, amplexuum, & tactuum venereorum.* clxxxvij
Caput XII. *Fornicatio simplex, stuprum, & raptus.* clxxxviij
Caput XIII. *Nonnulla observanda ab iis qui ad matrimonium tendunt, ne peccando contra castitatem, contra sextum peccent præceptum.* cxcj
Caput XIV. *Peccata conjugum contra sextum præceptum.* cxcij

Caput XV. *Adulterium, ejusque gravitas.* cxciij
Caput XVI. *Incestus, & gravis malitia ipsius.* cxcv
Caput XVII. *Sacrilegii venerei malitia & gravitas explicantur.* cxcvj
Caput XVIII. *Malitia & species peccatorum contra naturam.* cxcvij
Caput XIX. *Malitia mollitiei, seu immunditiæ & pollutionis.* cxcviij
Caput XX. *Grandis malitia reliquarum specierum peccati contra naturam.* cc

PARS SEPTIMA.

Amor aliena nec surripiens, nec concupiscens.

Ad septimum præceptum: Non furtum facies.

Et decimum: Non concupisces rem proximi tui.

Caput I. *Furti definitio ac divisio.* ccij
Caput II. *Quantitas requisita ad furtum mortale.* cciij
Caput III. *Casus in quibus mortale est repetitis victibus sic furari modica, ut exinde tandem excrescat quantitas magna.* ccvj
Caput IV. *Satisfit objectionibus quæ fiunt contra dicta capite præcedenti.* ccviij
Caput V. *Famuli & famulæ domesticæ non possunt heris occultè surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod accipiunt.* ccix
Caput VI. *Occulta nihilominùs compensatio, servatis debitis conditionibus, speculativè videtur licita, sed in praxi non facilè permittenda.* Ibid.
Caput VII. *Furari nunquam, sive nullo unquam casu est licitum, quia intrinsecè malum: surripere autem alienum, permissum quidem est in extrema necessitate, quando aliter haberi non potest; sed illud extendere indefinitè ad necessitatem gravem, est dare ansam pauperibus ad passim furandum.* ccxj

PARS OCTAVA.

Amor in sermone verus, & justus.

Ad octavum præceptum: Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.

Caput I. *Falsum testimonium est peccatum mortale gravissimum.* ccxij
Caput II. *Mendacium omne est intrinsecè malum, nulloque omninò casu licitum.* ccxiij
Caput III. *Natura & malitia detractionis & contumeliæ.* ccxv
Caput IV. *Varii modi detractionis.* ccxvj
Caput V. *Varii modi, quibus augetur gravitas detractionis.* ccxvij
Caput VI. *Casus, in quibus narratio defectuum proximi solùm est peccatum veniale, vel nullum.* ccxviij
Caput VII. *Gravia de proximo narrans ex auditu, frequenter, non semper peccat graviter contra justitiam, licèt nullam narratis authoritatem addat.* ccxix
Caput VIII. *Occultum crimen proximi revelare tres causæ permittunt, scilicet justitia, charitas, necessitas.* ccxx
Caput IX. *A mortali detractione non excusatur, qui vel uni viro prudenti, sine justa necessitate, revelat grave crimen occultum proximi, etiamsi vir ille credatur secretum servaturus.* ccxxj
Caput X. *Mortalis detractionis reus est, qui publicè diffamatum in uno peccati genere, in alio non connexo diffamat.* ccxxij
Caput XI. *Non est mortale contra justitiam, nec contra charitatem, nescientibus revelare crimen alicujus, in loco ubi de eo justè diffamatus est, sive per publicam sententiam Judicis, sive per notorietatem facti, vel famæ.* Ibid.
Caput XII. *Mortale est contra justitiam, crimen uno loco publicum solâ publicitate facti, vel famæ, divulgare in alio loco distanti, ubi alias nunquam, vel difficulter scirì potuisset.* ccxxiij
Caput XIII. *Non est mortale contra justitiam, crimen uno loco justè publicum per publicam Judicis sententiam, manifestare in alio loco, ubi publicum non est; si tamen absque causa id fiat, in materia gravi, mortale esse videtur contra charitatem.* ccxxiv
Caput XIV. *Contra justitiam peccat, qui occultum crimen proximi, uno in loco injustè publicatum, sive isto in loco, sive in aliis scienter nescientibus revelat.* Ibid.
Caput XV. *Peccatum audientis detractorem.* Ibid.
Caput XVI. *Mortale est contra justitiam calumniatori, vel detractori, sive in judicio, sive extra, notabile crimen falsum scienter objicere, ad finem defendendi honorem suum, vel famam, etiamsi sic defendi possit, aliter non possit.* ccxxv
Caput XVII. *Ad vitanda gravia tormenta, falsum tibiipsi crimen in judicio imponere ob cujus confessionem sis morte plectendus, mortale peccatum est.* ccxxvij
Caput XVIII. *Reus in judicio criminali legitimè interrogatus, fateri tenetur crimen à se verè commissum, etiamsi pro eo confesso sit morte plectendus.* ccxxviij
Caput XIX. *Nemini licet scripturas publicas ementiri ad innocentiam suam contra testem injustum defendendam; nec ille qui veram apocham, schedulam obligatoriam, seu quodvis aliud instrumentum amisit, cujus defectu gravissimi momenti litem amissurus est, falsum fabricare ac supponere potest absque gravi peccato.* ccxxix
Caput XX. *Octavo præcepto non solùm prohibetur externa locutio contra proximum, sed & interna per cogitationem, suspicionem, opinionem, & judicium temerarium, quorum natura & malitia explicatur.* Ibid.
Caput XXI. *Regulæ secundùm quas dubia meliorem in partem interpretanda sunt, vel non sunt.* ccxxxij

LIBER UNDECIMUS.

Amor Dei ministrum sese exhibens in jejuniis.

Caput I. *Jejunii definitio, & tria ad illud requisita.* ccxxxvj
Caput II. *Variæ quæstiones ex dictis resolvuntur, variæ etiam opiniones ob nimiam laxitatem refelluntur.* ccxxxix
Caput III. *Etiam potu jejunium olim violabatur. An etiam hodie? controvertitur. Saltem indistinctè verum non est effatum istud:* Liquidum non frangit jejunium. ccxlj
Caput IV. *Nonnullæ aliæ Casuistarum opiniones confutatæ.* ccxliij
Caput V. *A sanctis Patribus culpantur, & saltem jejunii meritum perdunt, qui diebus jejuniorum, varia gulæ in cibis & liquoribus irritamenta exquirentes, negotium non agunt domandæ carnis, imò potiùs voluptatis.* Ibid.
Caput VI. *Similiter à sanctis Patribus, & sacris Canonibus, unanimique Canonistarum, ac plurium magni nominis Theologorum sententia, Christiani hominis officium plenè implere non censentur, qui in Quadragesima, & aliis diebus jejunio consecratis, à potitione non abstinent debitis conjugalis.* ccxliv
Caput VII. *Declarantur dies, quibus est jejunandum.* ccxlv
Caput VIII. *Declarantur personæ obligatæ ad jejunium* Ibid.
Caput IX. *Ab ecclesiastici jejunii observantia tres causæ excusant, labor necessarius, infirmitas, ætas, cum jejunio incompatibiles; vel, si mavis, unica causa, moralis scilicet impotentia.* ccxlvj
Caput X. *Declarantur potestatem habentes in jejuniis dispensandi.* ccxlix

TO-

TOMUS II.

DE EXTERNIS REGULIS AMORIS ET MORUM.

LIBER PRIMUS.

AMOR LEGIBUS OBTEMPERANS,

Sive

De Legibus ac Præceptis.

INfidelium quidem deploranda est conditio, qui licèt omnes beati esse velint, qua in re sita sit beatitudo ignorantes, per omnia speciem bonitatis habentia vagantur, post longosque errorum circuitus fateri coguntur: *Ergo erravimus à via veritatis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Ast magis miseranda conditio majoris partis Christianorum, qui ab ipso intelligentiæ sole, Christo, edocti quæ sit vita beata, & quæ ad eam recta via, errant & ipsi à via veritatis, vel instar infidelium, vitam beatam in rebus quærentes perituris, vel ad verum bonum adeò negligenter gradientes, ut ad illud pervenire nolle videantur. Pauci utique interrogant: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Pauciores opere divinum implent responsum: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. 19. Imò ex ipsis multi, qui se doctos existimant, de lege & mandatis velut de re differunt odiosa, & ideò restringenda; in id unum incumbentes, ut viam ad beatam illam vitam, quam suprema Veritas, Deus, arctam esse definivit, latam faciant; quasi opinionum suarum subtilitatibus, divinæ legis terminos immutare valeant, qui adjicere non possunt ad staturam suam cubitum unum. Atque, ut regnum amplient cupiditatis, usque adeò coarctant regnum charitatis, ut ad eximendos homines ab obligatione legis, etiam naturalis, contenti sint opinione, etiam minùs probabili; ad ipsos verò adstringendos, sententiam velint omninò certam. Non sic veri Dei amatores, non sic: Dei *mandata super aurum & topazion*, & super omnem humanam cupiditatem diligentes, norunt scriptum esse: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis:* totâ proinde sollicitudine cavent periculum, etiam minùs probabile, violandorum Dei mandatorum. Nec odiosam, sed favorabilem ideò reputant legum alligaturam, quia salutarem; memores Salomonicæ sententiæ: *Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia ipsa est vita tua.* Ipsa quoque via est, quâ angustam cælorum portam intrandam, arctamque Paradisi semitam ambulandam sciunt.

CAPUT I.

Legis definitio ac divisio.

1 LEx à S. Thoma 1. 2. q. 90. a. 4. definitur: *ordinatio rationis ad commune bonum, ab eo qui curam Communitatis habet, promulgata*; ubi per ordinationem rationis intelligit ordinationem rationabilem, seu rectæ rationi conformem, non purè directivam, sed præceptivam, seu obligatoriam. Lex enim à ligando dicta est, quia *obligat ad agendum*, inquit S. Doctor. Et in eo differt à consilio: utpote quod sic dirigit, ut non obliget. *Ubi* enim *consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi præceptum, necessitas est servientis*, ait D. Hieronymus l. 1. contra Jovin.

2 Nec S. Doctor id intelligit de ordinatione obligatoria quomodocumque, sed stabiliter & fixè. Cùm enim lex ex natura sua ferri debeat ob commune bonum (quod non est fluxum & instabile bonum) & subjectum in quod fertur, sit Communitas, quæ etiam ex se stabilis est, nec ad membrorum singularium variationem variatur: lex, (utpote regula Communitatis, principaliter respiciens commune ipsius bonum) ex natura sua pariter stabilis esse debet & perpetua; atque adeò stabiliter ac perpetuò obligatoria, nisi cesset per revocationem, vel materiæ mutationem, vel finis cessationem. In quo differt à præcepto: quod quia non fertur directè in Communitatem, nec principaliter respicit commune bonum, ex natura sua non est perpetuum, sed expirat morte, vel

amotione mandantis, juxta illud : *Mandatum expirat morte mandantis.* L. *mandatum* Cod. *mandato*, & L. *& quia* ff. de jurisdic. omn. judic. deleg.

3 Est & aliud discrimen legis à præcepto, in eo nempe quòd præceptum non requirit authoritatem publicam in præcipiente, uti requirit lex, per verba illa in definitione posita : *ab eo, qui curam Communitatis habet.* Sola proinde publica potestas est legumlativa; non verò privata, seu œconomica, qualem habent patres in filios, domini in servos, &c. Quorum proinde præcepta nonnisi in latiori acceptione leges subinde vocantur, ut Proverb. 1. & 6. *Ne dimittas legem matris tuæ.*

4 Additur 1°. in definitione, *ob commune bonum*: quia iste est finis primarius, quem lex ex natura sua respicere debet, uti habetur L. 1. ff. de Legib. cap. ult. de offic. delegat. cap. final. de majorat. & obed. & cap. 2. de Constitut. in 6. Et ratio est, quia lex est proprius actus publicam potestatem habentis, ut dictum est. Publica verò potestas, quà talis, in commune bonum instituta est L. 1. Cod. de legib. Ideò ergo lex nulla privato commodo, sed pro communi utilitate debet esse conscripta. cap. *erit autem* dist. 4.

5 Nec obstat, quòd leges aliquæ immediatè ferantur ob bonum particularium personarum, v. g. in favorem minorum, pupillorum, &c. quia eo non obstante feruntur principaliter in commune bonum; utpote exigens, ut minoribus, pupillis, &c. taliter provideatur. Quam etiam ob causam lex non desinit esse lex, ex eo quòd secundariò cedat in commoditatem alicujus particularis, v. g. lex gabellarum in favorem Principis. Quia ad bonam Reipublicæ administrationem, ad commune proinde bonum expedit, ut Princeps divitiis polleat, quibus Rempublicam ab hostibus tueri queat.

6 Ob eandem rationem lex naturalis, etiam illa quæ immediatè privatum bonum respicit, v. g. lex correctionis fraternæ, lex tuendi vitam propriam, &c, dicenda est ex intentione Authoris sui, scilicet Dei (qui homines creavit ad constituendam Rempublicam unam) in commune bonum ordinata. Tum quia bono isti particulari prospicere, spectat ad bonum commune. Tum quia non dubium, legem naturalem à Deo conditam esse propter ipsum Deum, tanquam finem ultimum, communeque bonum omnium.

7 2°. in eadem definitione additur, quòd lex esse debeat *promulgata.* Quia, ut sanctus Thomas ait loco citato a. 4. lex imponitur per modum regulæ, & mensuræ. Regula autem & mensura applicari debet his qui regulantur, & mensurantur. Unde ad hoc quòd lex virtutem obligandi obtineat, oportet quòd applicetur hominibus, qui secundùm eam regulari debent. Quod fit per promulgationem, quâ lex innotescit Communitati. Et ideò cap. *in istis* dist. 4. dicitur, quòd *leges instituuntur, cùm promulgantur.*

Quòd si objicias, legem naturalem esse 8
veram legem; ei tamen deesse promulgationem.

Respondet S. Doctor ad 1. negando minorem : quia promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso, quòd Deus eam mentibus hominum inseruit, naturaliter cognoscendam.

Unde omnia supradicta recolligendo, clariùs & expressiùs lex definiri posset : *rationis ordinatio, stabiliter obligans Communitatem, publicâ authoritate, in commune bonum, promulgata.*

Dividitur 1°. in æternam & tempora- 9
lem. Æterna est ordinatio incommutabilis veritatis, & æquitatis, ab æterno in Deo existens, quâ Deus omnia convenientissimè dirigit in finem suum, media ad id convenientia, juxta naturæ suæ exigentiam, cuilibet præfigendo.

Temporalis est quæ in tempore à Deo lata est.

Et hæc subdividitur in naturalem & po- 10
sitivam. Naturalis juxta S. Thomam a. 2. nihil aliud est quàm participatio legis æternæ in creatura rationali, ipsi innata, seu naturaliter insita ab Authore naturæ, & intrinsecùs velut inscripta in cordibus nostris, secundùm illud Augustini l. 83. qq. q. 53. Lex naturalis est *ipsius æternæ legis, atque adeò summæ & immutabilis rationis divinæ, in mentibus hominum facta transcriptio.* Positiva est, quæ naturaliter non est insita, sed ab aliquo Legislatore extrinsecùs posita, & constituta.

Positiva rursum subdividitur in divinam 11
& humanam. Divina est quæ Deum habet Legislatorem; estque duplex, scilicet vetus, seu Mosaïca; & nova, seu Evangelica. Brevis utriusque differentia, secundùm Augustinum, est *timor & amor*, sive quòd illa sit lex timoris, ista amoris.

Humana est, quæ hominem habet Le- 12
gislatorem, sive quæ humanâ fertur authoritate, licèt à Deo acceptâ. Estque etiam duplex, Ecclesiastica, & Civilis. Ecclesiastica, seu Canonica, est quæ constituitur à Papa, Concilio, Episcopo, vel alio Prælato Ecclesiastico. Civilis, seu sæcularis, est quæ constituitur ab Imperatore, Rege, Principe, Magistratu sæculari, &c.

CAPUT II.

Tametsi lex æterna propriè non habeat rationem legis, nisi respectu creaturæ rationalis; omnes tamen creaturæ eatenus illi subjiciun-

tur, quatenùs omnes ab ea diriguntur, & gubernantur.

13 PRior pars inde perspicua est, quòd lex æterna propriè non habeat rationem legis, nisi respectu earum creaturarum, quarum conscientiam ligat, quæque proinde rationem habent, & libertatem.

14 Posterior pars verò constat ex eo quòd Deus, sicut est Creator, ita & Gubernator creaturarum omnium. Omnes proinde per media naturæ cujusque convenientia in finem suum ab æterno convenientissimè ordinavit, & in tempore dirigit, per dictamen æternæ rationis suæ. Debuit enim in ipso ab æterno esse non solùm ratio rerum faciendarum, quæ dicitur idæa; sed & ratio rerum gubernandarum, quæ est lex æterna, quâ præscribit modum, quo creatura quæque actiones suas exercere debeat, & in finem sibi præscriptum tendere. Et hoc modo sumpta lex æterna (id est præcisè quatenùs creaturas omnes gubernat, & dirigit) vix, aut ne vix quidem differt à divina providentia (cui creaturæ omnes haud dubiè subduntur) tametsi ab ea, non realiter, sed formaliter diversa sit, quatenùs conscientiæ obligationem creaturis rationalibus imponit. Ideò de Sapientia divina Sap. 8. dicitur quòd *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Psal. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Prov. 8. *Legem posuit aquis, ne transirent fines suos.* Matth. 8. *Venti & mare obediunt ei.* Ipsimet peccatores, quamvis peccando se subtrahant ab aliqua lege, quæ sub æterna continetur; non tamen æternæ legis ordinem totaliter egrediuntur; quia dum effugere volunt voluntatem ejus jubentem, non effugiunt punientem.

CAPUT III.

Lex naturalis prorsus immutabilis est, indispensabilisque.

15 EX dictis capite 1°. satis intelligitur, legem naturalem esse ipsammet legem æternam, non prout est in Deo (quomodò est ab æterno) sed prout est in nobis; tamquam subditis, sive prout est participatio quædam legis æternæ, in nobis existens; quomodò æterna non est (cùm non sit in nobis ab æterno) sed temporalis, prout nos sumus, & omne quod in nobis est per participationem. Lex proinde naturalis, nihil aliud est, quàm impressio quædam æternæ legis in nobis, sive radius quidam ab æterna lege in mentem nostram derivatus; & signatura quædam æternæ lucis, incommutabilisque veritatis, quâ videmus quid rectæ rationi, sive æternæ legi, incommutabilique veritati consentaneum, quid dissentaneum sit. Nihil quippe aliud est lex naturalis (uti n. 10. vidimus) nisi æterna lex, scripta in cordibus nostris, sive æterna lex quatenùs *in cor hominis, non migrando, sed tamquam imprimendo transfertur, sicut imago ex annulo in ceram transit, & annulum non relinquit*, inquit Augustinus 14. Trinit. Quæ quidem æternæ lucis impressio (quam Regius Psaltes vocat *signaturam super nos divini vultûs*) nihil est aliud quàm naturale dictamen, à Deo, Authore naturæ, creaturis rationalibus inditum, per quod incommutabilis veritas Deus nobis manifestat, quid legi suæ æternæ sit vel non sit conforme.

16 Et hinc patet, legem naturalem immutabilem esse, sicut est lex æterna. Cùm ab ea non aliter differat, quàm lex æterna prout in nobis, ab eadem lege æterna prout est in Deo. Lex quippe naturalis est *participatio legis æternæ in rationali creatura*, uti definit S. Thomas. Legem verò æternam immutabilem esse, ubique clamat Augustinus, ipsam ubique vocans *æternam & incommutabilem justitiam & veritatem.* Nec certè Deus æternæ suæ justitiæ & veritatis ordinem immutare potest, nisi negando seipsum. Ut enim S. Thomas q. 100. a. 8. ad 2. ait: *Deus negaret seipsum, si ordinem suæ justitiæ auferret: cùm ipse sit ipsa sua justitia.* Et ideò *in hoc Deus dispensare non potest, ut hoc liceat non ordinatè se habere ad Deum, vel non subdi justitiæ ejus, etiam in his, secundùm quæ homines ad invicem ordinantur.* Non potest etiam ordinatissima Dei voluntas non velle, ut omnia sint ordinatissima. *Brevissima verò legis æternæ notio, quæ impressa nobis est, ea est* (inquit Augustinus l. 1. de lib. arbitr.) *quâ justum est, ut omnia sint ordinatissima.*

17 Nec obstat supremum absolutumque Dei in creaturas omnes dominium. Quia sicut Deus per illud creaturam subtrahere nequit à subjectione, quâ subjicitur isti dominio; ita nec à subjectione, quâ subjicitur æternæ justitiæ ipsius, sicut & ordini sibi per eandem præfixo. Proinde nullâ (etiam divinâ) dispensatione fieri potest, quòd creatura Deo non debeat amorem; sicut nullâ, etiam dispensatione divinâ, fieri potest, quòd creatura Deo non debeat obedientiam, & servitutem. Nec Deus, jure supremi dominii, magis abrogare potest vel mutare legem naturalem in parte, quàm in toto; nec magis dispensare in parte, quàm in totalitate illius; v. g. ut liceat non fugere malum culpæ, vel illud velle, quâ tale. Unde Augustinus l. 1. de lib. arb. c. 6. Evodium interrogat: *Quid illa lex, quæ summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est, per quam mali miseram, boni beatam vitam merentur ..... potestne cuipiam intelligenti non incommutabilis, æternaque videri? an potest aliquando injustum esse, ut mali miseri, boni autem beati sint? .... Evodius: Video*

hanc æternam esse, atque immutabilem legem. Subdit Augustinus : *Ut igitur breviter æternæ legis notionem, quæ impressa nobis est, quantum valeo, verbis explicem; ea est, quâ justum est ut omnia sint ordinatissima. Tu, si aliter existimas, profer.* Evodius : *Quid tibi vera dicenti contradicam, non habeo.* Augustinus : *Cùm ergo hæc sit una lex, ex qua illæ omnes temporales ad homines regendos variantur, num ideò ipsa variari ullo modo potest?* Evodius : *Intelligo omninò non posse : neque enim ulla vis, ullus casus, ulla rerum labes unquam effecerit, ut justum non sit, omnia esse ordinatissima.* Et serm. 25. in Psal. 118. ait, homines sine lege naturali non magis esse posse, quàm sine natura humana : *Namquid lex ista naturalis non erat in populo Israël? erat planè, quoniam & ipsi homines erant. Sine lege autem naturali essent, si præter naturam humani generis esse potuissent.* Quod nec divinitùs possibile est.

18 Dices : lege naturali prohibitum est 1°. homicidium. 2°. furtum. 3°. fornicatio; Deus tamen 1°. præcepit Abrahæ ut occideret filium suum Isaac. 2°. permisit Israëlitis ut furarentur Ægyptiis vasa argentea. 3°. præcepit Oseæ ut faceret filios fornicationum.

Respondeo lege naturali non prohiberi homicidium factum authoritate ejus qui habet dominium vitæ & mortis, sed factum sine illa. Proinde dum authoritatem id faciendi dedit Abrahæ, non dispensavit in lege naturali. Nec Israëlitis permisit furtum, dum permisit spoliationem Ægyptiorum : cùm furtum sit ablatio rei alienæ, invito domino; spoliationem verò illam Ægyptiis fecerunt, consentiente Domino universorum. Denique non præcepit Oseæ fornicationem : cùm fornicatio sit accessus ad non suam. Deus autem solùm præcepit Oseæ, ut eam in suam, sive in uxorem acciperet, quæ priùs fornicaria fuerat; ait enim : *sume tibi uxorem fornicationum.* Dumque addidit : *fac tibi filios fornicationum*, per filios fornicationum, ampliativè intellexit filios ex ea, quæ priùs fornicaria fuerat. Qui etiam repræsentativè erant filii fornicationum, in quantum repræsentabant spirituales fornicationes, sive idololatrias populi Israël. Addunt aliqui, verborum istorum, *fac tibi filios fornicationum*, hunc esse sensum, eos tibi fac filios adoptivos, quos ex fornicatione suscepit mulier fornicaria, quam volo ut sumas tibi uxorem. Sed prior expositio conformior est contextui.

19 Dices 2°. Mellifluus Doctor l. de præcept. & dispens. c. 3. ait, præcepta secundæ tabulæ divinam dispensationem admittere : *quæ etsi nullam hominum dispensationem admittunt, Dominus tamen, horum quod voluit, & quando voluit, solvit.*

Respondeo, Mellifluum Doctorem satis explicare seipsum in contextu, utique de dispensatione impropriè, non propriè dictâ. Sic enim specificat præcepta, *non occides, non mœchaberis, non furtum facies*, ut exemplificet in spoliatione Ægyptiorum per filios Israël, in accessu Oseæ ad mulierem fornicariam, & in facto Samsonis, seipsum unà cùm hostibus opprimentis, quæ excusat quatenùs facta authoritate Dei. Ad hæc verò Deus authoritatem dando, in lege naturæ propriè non dispensat, prout in ea propriè non dispensavit, dum in filii vitam Abrahæ authoritatem dedit. Nam in ipsâ lege naturæ, prohibente occisionem hominis, accessum ad non suam, &c., subintelligitur, sine authoritate Domini universorum, quâ proindè accedente, materia præcepti *non occides*, non manet materia præcepti *non occides*, sed per accessum divinæ authoritatis, fit materia quoad circumstantiam diversa. Non mirum proinde, si fiat de prohibita non prohibita. Tunc verò solùm contingit dispensatio propriè dicta, dum relaxatur alicui obligatio legis, materiâ illius non mutatâ. Videtur quidem Bernardus (in adducto à se exemplo Oseæ) existimasse, quòd eam non acceperit uxorem, sed se mulieri fornicariæ miscuerit, authoritate Dei imperantis. Quod (licèt minùs conforme sit textui) non obest assertioni nostræ. Quia præcepto, *non mœchaberis*, non prohibetur nisi accessus ad non suam, factus sine authoritate Domini universorum, qui potest concedere usum corporis feminæ, etiam non concesso dominio, ut alibi dixi, videturque Mellifluus Doctor loco citato innuere.

Dices 3°. Deus cum Patriarchis dispensavit in polygamia, tametsi lege naturali prohibita. Tametsi etiam matrimonium consummatum, lege naturæ sit indissolubile, Deus in illa lege dispensavit, concedendo Judæis libellum repudii. 20

Respondeo, polygamiam uxorum non esse pro omni circumstantia contra naturæ legem, magis quàm polygamiam beneficiorum; nec proinde esse contra naturæ legem, quando fit authoritate Dei, sicut polygamia beneficiorum non est contra naturæ legem, quando fit authoritate Ecclesiæ, ob ingens aliquod Ecclesiæ bonum. Idem pariformiter dicendum de dissolutione matrimonii consummati. Quamvis enim matrimonium consummatum, jure naturæ sit indissolubile authoritate humanâ; non tamen est indissolubile authoritate divinâ.

In omnibus itaque exemplis, quibus primâ facie Deus in lege naturæ dispensasse videtur, solùm facta est mutatio alicujus circumstantiæ in ipsa materia. Quâ mutatione factâ, res illa, quæ aliòquì erat materia legis naturalis, materia illius esse desiit. Idcòque lex naturalis respectu illius, non tam dispensatione, quàm suâ sponte cessavit. Quoad hoc tamen est differentia præcepto- 21

rum primæ & secundæ tabulæ, prout Mellifluus Doctor loco citato benè advertit; in hoc videlicet quòd priora non solùm indispensabilia sint, sed etiam sic immutabilia, ut actiones illis prohibitæ, effici nequeant licitæ, ne quidem per mutationem materiæ. Hoc autem in quibusdam secundæ tabulæ præceptis fieri potest. Non tamen in omnibus. Cùm non appareat, quomodò hoc fieri possit in præcepto, *Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.*

CAPUT IV.

Lex humana, tametsi esse debeat justa, & possibilis observatu, in dubio num justa sit, observanda est.

22 QUòd observatu possibilis esse debeat, manifestum est ex eo quòd nemo possit ad impossibile obligari, regula sexta Juris in sexto. Debet autem possibilis esse, non physicè dumtaxat, sed & moraliter, ita ut non sit nimiùm difficilis (nimis enim difficilia à Philosopho, & aliis passim reputari solent moraliter impossibilia) quia Legislator agere debet cum subditis, non ut mancipiis, sed ut hominibus liberæ conditionis; nec proinde debent inhumanum, & nimis durum ipsis jugum imponere, ne sint similes Pharisæis, quos Dominus arguit in eo quòd *alligant onera gravia, & importabilia.*

23 Quòd verò justa esse debeat, patet ex eo quòd Deus non dederit hominibus potestatem ferendi leges injustas, sed rectæ rationi conformes dumtaxat. Non enim dedit cuiquam potestatem in destructionem, sed in ædificationem, 2. Cor. 1. Nec certè par est inde nasci injurias, unde jura nascuntur, cap. *qualiter & quando* de accusat. Denique finis legis est coercere delicta, vitamque rectè instituere. L. 2. ff. de legib. hoc autem per injustitiam fieri nequit. Ideò Doctores omnes conveniunt, leges injustas non obligare, nec propriè leges esse. Quod tamen intelligendum est de injustitia se tenente ex parte legis, non de illa quæ solùm est in intentione Legislatoris. Cùm haud dubiè parendum sit legi, quæ Reipublicæ necessaria est & utilis, tametsi profecta sit ex prava intentione Legislatoris. Sed & subinde vitandi scandali, & majoris mali causâ, parendum legibus injustis, dummodò legi æternæ, aut naturali non contrariis.

24 Denique legi parendum esse in dubio num justa sit, & quoties evidens non est ejus recusandæ ratio, constat ex dictis to. 1. l. 11. Quòd si tunc obediendum, dum lex non est manifestè contra Deum, uti docent sancti Patres, multò magis dum solùm dubium est, an lex non nimiùm gravis sit, an eò usque se Legislatoris potestas extendat, &c. Communi namque sapientum sensu meritatis argueretur, qui in contentione inferioris cum superiore, circa præcepti obligationem, sententiam inferioris aestereret præferendam. Pauci enim sunt sapientes, qui pro indubitato non habeant, in dubiis circa obedientiam, judicium superioris præferendum opinioni inferioris. In dubio (inquit Nicolaus Cusanus epist. 1. ad Rodericum de Trevino) pro facto Principe præsumendum est, quòd rectè creditâ potestate utatur, & ipsi obediendum est. Enimverò non spectat ad subditos determinare, aut examinare quid possit Papa (ait Victoria relect. 4. propos. 16. Et idem est de aliis Prælatis) aut quid non possit, & quomodò teneatur parere vel non. Quia sacrilegium est disputare de potentia Principis 17. q. 4. §. *committitur* ..... Deinde esset in turbationem, & dissolutionem Ecclesiasticæ hierarchiæ & authoritatis, si quilibet posset dicere, Papa non potest, & hoc modo eximeret se à mandatis Papæ, & esset manifestum nutrimentum inobedientiæ, & schismatum, & hæresum. Imò hinc natæ sunt hæreses (ut ait Cyprianus) quòd Sacerdoti Dei, vel Papæ non obeditur. Et ideò Gregorius Magnus in cap. 15. lib. 1. Reg. ad illa verba, *quasi peccatum ariolandi est repugnare*, sic ait: *Qui repugnant Prælatorum imperiis, ideò utique repugnant, quia divinam voluntatem se scire melius æstimant. Quasi ergo peccatum ariolandi est repugnare: quia, velut divino altari contempto, ad aras damonum responsa percipiunt, dum cordis sui præstigiosis, ac superbis adinventionibus credunt, & salutaribus Prælatorum consiliis contraria sentiendo refragantur.*

In dubio itaque præsumendum pro superiore, nisi manifestè constet de ejus iniquitate, prout omnes Juristæ docent, teste Donato Laynensi in praxi Regular. to. 4. tr. 17. q. 21. n. 7. Eandem esse Canonistarum sententiam, testis est Fagnanus ad cap. *cùm ad monasterium*, de statu Monach. & ad cap. *cùm sicut accepimus*, de ætat. & qualit. *Tanta* quippe *est judicialis authoritas, ut semper pro ipso judice præsumi debeat, donec contra ipsum aliquid legitimè comprobetur.* cap. *in præsentia*, de renunt. Sed & in cap. *bonæ* 23. de elect. dicitur, quòd *propter authoritatem judiciariam* (& idem est de legislativa) *præsumamus pro his quæ acta sunt à Legato.* Idem declarant leges, dum aiunt, quòd qui exceptionem facit contra præcepta superiorum, probare debet quod excipitur L. *si pactum* ff. de probat. Quòdque excipientem partibus Actoris fungi oportet, L. 19. ff. eodem. At verò cùm partium jura sunt obscura, consuevit contra eum qui Actor est judicari. L. 47. ff. de obligat. Et hoc quia *in obscuris favendum est reo, potius quàm actori* L. *in obscuris* ff. de reg. jur. Vide plura hac de re loco citato. 25

Ubi tamen constaret legem humanam 26

contrariam esse divinæ, obediendum esset Deo magis quàm hominibus, uti Princeps Apostolorum dixit Act. 5. Et rationem dat S. Thomas 2. 2. q. 69. a. 13. ad 1. quia *potestati inferiori in tantum aliquis subjici debet, in quantum superioris ordinem servat: à quo si exorbitaverit, ei subjici non potest.*

CAPUT V.

Leges humanæ, in singulis Provinciis, ut plurimùm non obligant, nisi in iis solemniter promulgatæ.

27 COnsentiunt Doctores, legem humanam, regulariter loquendo, esse debere solemniter promulgatam, non singulis de Communitate, sed alicui determinatæ parti illius, ut obliget omnes, ad quorum notitiam devenerit, cap. *ad hæc* de postulat. Prælat. Sed non conveniunt de loco ubi fieri debeat solemnis promulgatio, an scilicet ad hoc ut lex Imperialis, vel Regia obliget omnes de Imperio, vel Regno, sufficiat promulgatio illius in Curia Imperatoris, vel Regis? an verò necessaria sit promulgatio in singulis Provinciis? Similiter an lex Pontificia in singulis Provinciis promulgari debeat? an verò sufficiat promulgatio illius in Curia Romana?

Ad hoc respondeo 1°. cum communi, ex natura rei, necessariam non esse promulgationem in singulis Provinciis, sed sufficere promulgationem in Curia Pontificis, Imperatoris, Regis, &c. si sic Pontifex, Imperator, Rex velit; dummodò concedat tempus sufficiens ad hoc ut lex devenire possit ad notitiam Provinciarum. Quia legis natura, & definitio non determinat loca, in quibus facienda sit promulgatio legis, sed solùm necessitatem promulgationis, talis utique, quæ moraliter sufficiat ad hoc ut lex in notitiam subditorum omnium, vel majoris partis, humano modo pervenire queat. Nec dubium, quin Pontifex, post promulgationem in Romana Curia, legibus suis obligare possit omnes Provincias Ecclesiæ, etiam remotas: cùm illimitatam quoad hoc potestatem à Christo acceperit, *quæcumque ligaveritis*, &c. eamque ipsi potestatem in se agnoscant, dum nonnunquam declarant, se velle obligare omnes ubique fideles, post solam Romanam promulgationem. Uti nuper se velle declaravit Alexander VII. quoad executionem Decreti sui de die 5. Maii 1667. vetantis notari alterutram sententiam, circa sufficientiam attritionis. Similiter Pius V. Constitutionem suam, contra Clericos malè promotos, voluit obligare ubique, post promulgationem Romæ factam. Idem voluit Clemens VIII. de sua Constitutione contra non Presbyteros, Missam celebrantes, &c.

28 Respondeo 2°. leges Imperiales de facto non obligare in singulis Provinciis, nisi post duos menses à promulgatione facta in Metropoli singularum. Sic enim declaratur in Authentica *ut factæ novæ Constitutiones* de nov. oper. nuntiat. In qua Authentica licèt sermo expressè non fiat, nisi de Constitutionibus testamentorum: rubrica tamen illius generalis est, unanimique Juristarum sensu censetur habere vim textûs, & ab Authore juris esse posita. Ratio quoque, quam ibi Imperator exprimit (hæc utique: *cur enim culpabimus eos qui postas nostras ignoraverint Constitutiones .... si, eò quòd non fuerint sufficienter propositæ, ignorentur*) generalis est, & communis Imperii consuetudo generaliter eam interpretatur; sicut & Pius IV. in Bulla sua super declaratione temporis, quo Concilium Tridentinum foret observandum, ubi sic: *Jure communi sancitum est, ut Constitutiones novæ* (generaliter loquitur) *nonnisi post certum tempus obligent*, &c. Quod nullibi sancitum invenitur, nisi in illa Authentica.

29 Respondeo 3°. in omnibus etiam regnis, nominatim Hispaniæ & Galliæ, praxis communis est, quòd Regia Edicta & Constitutiones mittantur ad singulos Supremos Parlamentorum Senatus, indeque distribuantur per inferiores Curias ad infima quæque tribunalia, atque in eorum singulis promulgentur intra tempus à suprema Curia præfixum. Et ideò ante ejusmodi promulgationem, illis non tenentur incolæ locorum, in quibus Edicta non sunt taliter promulgata. Ita de Gallia, post Petrum de Marca, testatur noster Irenæus à S. Jacobo in tract. de legib. sect. 1. §. 4. in fine. Idem in Belgio nostro quotidie videmus practicari. Denique Cabassutius in sua Juris Canonici Theoria & Praxi l. 1. c. 4. *In omnibus* (inquit) *sæcularibus regnis receptum videmus, ut in remotis Provinciis leges neminem adstringant, nisi ex quo in eisdem publicatæ fuerint.*

30 Respondeo 4°. quoad leges Pontificias, duas hac de re celebres esse sententias. Una censet ejusmodi leges ubique obligare post promulgationem Romæ factam, nisi Pontifex aliud significet. Sic tenent Doctores Itali passim, favetque Stylus, & praxis Romanæ Curiæ, in qua Christiani Orbis negotia deciduntur secundùm leges ibi promulgatas.

Sed probabilior videtur altera sententia, Pontificias utique leges in singulis Provinciis, aut Diœcesibus, promulgandas esse, ut in illis obligent, nisi Pontifex expressè declaret, obligare se velle omnes ubique fideles, post Romanam promulgationem. Ita Panormitanus in cap. *cognoscentes* de Const. Cajetanus in 1. 2. q. 90. a. 4. Dominicus Soto l. 1. de justit. & jure q. 2. a. 4. Nicolaus Serarius disput. de Leg. n. 56. & seq. & omnes ferè Doctores Hispani, Galli, Germani.

31 Et probatur 1°. quia ex una parte ſententia noſtra in nullo Pontificiæ præjudicat authoritati : cùm Pontificiis legibus, poſt Romanam promulgationem, non neget eſſe parendum, dum Pontifex id ſe velle declarat. Ex alia parte valdè rationabiliter aſſeritur, leges etiam Pontificias, ita promulgandas eſſe, ut facilè pervenire poſſint in notitiam omnium quibus latæ ſunt. At verò facilè pervenire non poſſunt in notitiam omnium, &c, niſi ſint in Provinciis promulgatæ. Et ideò communis eſt Eccleſiæ uſus, ut ſuæ leges Provincias non adſtringant, niſi poſt promulgationem in illis. Talis imprimis eſſe ſolet intentio Conciliorum, etiam Oecumenicorum, uti conſtat ex Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. *cùm infirmitas* extra de pœnit. & remiſſ. ibi : *Siquis medicorum hujuſmodi noſtræ Conſtitutionis, poſtquam per Prælatos locorum fuerit publicata, tranſgreſſor extiterit, ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur.* Necnon ex Tridentino ſeſſ. 24. c. 1. ſtatuente ut Decretum ſuum, matrimonia irritans clandeſtina, ſolùm obliget *poſt lapſum triginta dierum à promulgatione, ſingulis in Provinciis facta.* Petrus de Marca in Concord. Sacerd. & Imper. l. 2 cap. 15. idem conſtare dicit ex antiquioribus Conciliis, Nicæno, Sardicenſi, Epheſino, Arelatenſi I. in epiſt. ad Sylveſtrum Papam, ibi : *Placuit autem ..... à Te, qui majores Diœceſes tenes, per te potiſſimum omnibus inſinuari Canones iſtius Concilii.*

32 Secundò, talis etiam eſſe ſolet uſus & ſenſus Summorum Pontificum, uti conſtat ex Siricio epiſt. ad Himerium, Epiſcopum Tarraconenſem, ubi Decretalem ſuam jubet in quinque Hiſpaniæ, aliiſque vicinis Provinciis promulgari. Necnon ex Innocentio epiſt. ad Epiſcopum Tholoſanum. Zoſimo epiſt. ad Epiſcopum Arelat. Leone ad Nicetam. Leone X. in Concordatis inter ipſum & Franciſcum I. Francorum Regem verbo *receptæ*. Et tit. de collat. §. *præfatique Ordinarii*. Ac rurſus ex Conſtitutione Alexandri VII. *ſollicitudo omnium Eccleſiarum*, ubi jubet eam in Diœceſibus promulgari. Denique ex eo quòd epiſtola Siricii, de continentia Diaconorum, vim legis olim in Gallia non habuerit : quia ibi non promulgata, uti liquet ex epiſtola 3. Innocentii I. Similiter epiſtola 84. Leonis Magni, de continentia Subdiaconorum, in Sicilia, tempore Gregorii Magni, vim legis nondum habebat, ob eandem rationem.

33 Nec refert quòd Nicolaus I. Can. *quod dicitis* diſt. 16. repellit excuſationem Conſtantinopolitanorum, qui, contra Canones Concilii Sardicenſis, Photium ad Sedem Patriarchalem promoverant, de eoque reprehenſi, prætexebant ſe Canonibus illis non teneri, eò quòd Græcis eſſent ignoti. Neque enim repellit eam, allegando neceſſariam non eſſe per Provincias Orientis promulgationem, ſed excuſationis falſitatem demonſtrando ex ipſomet Codice Canonum, quo Græci in dies uterentur, necnon ex eo quòd Concilium iſtud apud ipſos, in Regionibus ipſorum actum fuiſſet, & ab omni Eccleſia receptum.

Tertiò, idipſum probatur ex cap. 1. de 34
nov. oper. nuntiat. ubi dicitur, quòd Jus Civile ſervari ab Eccleſia ſoleat, ubi aliter Eccleſia non ſtatuit : *Sicut leges non dedignantur ſacros Canones imitari ; ita & ſacrorum Canonum ſtatuta Principum Conſtitutionibus adjuvantur.* Sed ſecundùm Jus Civile lex non obligat Provinciales, niſi promulgata ſit in Provinciis, nec ullibi Eccleſia aliter de legibus Eccleſiaſticis ſtatuit. Ergo.

Quartò, ex eo quòd Eccleſiæ (utpote bo- 35
næ Matris) intentio in dubio benignè interpretanda ſit ; ideòque dum ſatis non conſtat de intentione Eccleſiæ, circa obligationem legum Eccleſiaſticarum, ea interpretatio præferenda ſit, quæ majus habet fundamentum in ſuavitate & benignitate Eccleſiaſtici regiminis, juxta regulam illam Juris, *In obſcuris benignior interpretatio facienda eſt.* Sed aſſerta à nobis interpretatio mentis Eccleſiæ, ſeu Summorum Pontificum, majus habet fundamentum in ſuavitate & benignitate Eccleſiaſtici regiminis, quàm oppoſita : ſuavitas quippe illa & benignitas potiſſimùm relucere debet in attemperatione legum Eccleſiaſticarum ad humanum, ſuavemque modum, quem quoad hoc ſervant ipſæmet leges Civiles, niſi magna aliqua ratio aliud quandoque ſuadeat, uti ſuadet v. g. caſu quo Summus Pontifex prævideret, promulgationem in Provinciis per infundatos Miniſtrorum Politicorum prætextus impediendam, prout non rarò contingit. Tunc enim Provincias omnes legibus ſuis juſtiſſimè adſtringere poſſunt, poſt ſolam Romanam promulgationem. Quod dum abſolutè declarant, parendum eſt ; etiam non obſtantibus quibuſcumque in contrarium conſuetudinibus, ſi addant : *non obſtantibus quibuſcumque conſuetudinibus in contrarium.* Quia nulla Provinciarum conſuetudo limitare poteſt univerſitatem poteſtatis, quam Summo Pontifici Chriſtus conceſſit, abſolutè, & illimitatè dicendo : *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.*

Quintò denique, ex eo quòd in Hiſpa- 36
nia, Gallia, Belgio, moribus utentium ſit receptum, quòd leges, etiam Pontificiæ, ante promulgationem in Provinciis non obligent, ſaltem dum aliter non exprimunt. De Gallia teſtatur id Duvallius tract. de Rom. Pontif. p. 3. q. 7. §. *deinde quamvis*, uſum illum roborans ex citato Concordato inter Leonem X. & Franciſcum I. Idem de Belgio teſtatur liber, cui titulus, *Jus Belgarum circa Bullarum Pontificiarum receptionem*, ad id allegans vetuſtiſſimam Belgarum à 300. annis conſuetudinem.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

37 Quòd si negotia Orbis Christiani in Romana Curia decidantur juxta leges ibi promulgatas : id partim fit quia Romani Judices contrariam sequuntur sententiam , cujus non negamus probabilitatem. Partim quia æquum est quòd quis judicetur secundùm leges promulgatas & receptas in loco, ubi lis contestatur. Partim quia sic præscribitur per regulas Cancellariæ Romanæ. Circa quas observandum , quòd regulæ illæ magis forum externum respiciant , quàm internum , quòdque pleraque judicia , secundùm regulas illas Romæ facta, variis in Provinciis non recipiantur , ubi regulæ illæ non sunt usu receptæ.

38 Respondeo 5°. jure communi (quod moribus utentium in Provinciis est receptum , censeturque per hoc sufficienter promulgatum , quòd in Academiis ex Cathedris prælegatur authoritate Principum , qui leges vel canones condiderunt) vitandos in omnibus Provinciis excommunicatos, tametsi excommunicationis sententia in una tantùm Diœcesi promulgata fuerit. Sic enim Ecclesia specialiter disposuit can. *siquis* 11. q. 3. & cap. 8. de offic. Judic. ordin.

39 Respondeo 6°. necessariam non esse in Provinciis promulgationem Decretorum ad fidem & mores pertinentium ; sed omnes ubique fideles iis teneri statim atque ad eorum notitiam sufficienter devenerint. Neque enim fidei & morum Decreta humani sunt juris , sed divini. Nec proinde vim obligandi immediatè habent ab hominibus, sed à Deo , infallibilique Dei authoritate nituntur ; in cujus obsequium omnes ubique fideles captivare debent intellectum , statim atque de ea sufficienter constat per Ecclesiæ propositionem.

40 Respondeo 7°. necessariam etiam non esse in Provinciis promulgationem legum Pontificiarum, quæ non condunt jus novum , sed solùm declarant antiquum , in illis sufficienter promulgatum. Ita Nicolaus Garcia in præfat. ad tract. de benefic. ante medium : Salgado in tract. de supplicat. ad Sanctiss. p. 2. c. 2. n. 11. & cum aliis multis Thomas Hurtadus to. 1. Moral. l. 3. resol. 45. n. 292. & l. 1. resolut. regular. resol. 2. n. 272. & 273. Et hanc communem esse Canonistarum sententiam ostendit Fagnanus ad cap. 1. *quoniam* de Constitut. n. 43.

41 Et probatur 1°. ex leg. fin. Cod. de legib. ubi legis solemniter promulgatæ sequenda dicitur interpretatio , seu declaratio à Legislatore facta sine solemnitate.

42 2°. ex leg. *adeò* §. *cùm quis* ff. de acquir. rer. domin. & L. *hæredes* 21. §. 1°. ff. de testam. ubi , in dubio , sequenda dicitur interpretatio testamenti solemnis à testatore sine solemnitate facta , ob rationem in casu nostro pariter militantem : *nihil enim nunc dat , sed datum significat.* Atqui similiter in casu nostro Legislator nihil nunc de novo statuit , sed statutum significat. Nam, ut optimè Salgado n. 15. prioris legis declaratio nihil novi dat , nec obligationem novam inducit , nec dispositionem facit diversam à priori , sed solùm declarat quid per priorem legem dispositum sit.

Perinde verò est , sive Legislator declarationem illam per se immediatè faciat , sive per alium ab ipso commissum , cum potestate faciendi declarationes definitivas , seu decisivas , prout v. g. S. Congregatio Cardinalium , Concilii Tridentini Interpretum , à Papa habet potestatem definitivè decidendi dubia circa ejusdem Concilii intelligentiam emergentia. Declaratio quippe facta ex commissione Principis , per alium ad id ab ipso deputatum , eandem vim habet , ac si ab ipso Principe facta fuisset , secundùm hanc regulam juris in 6. *quod per alium facimus , per nos facere censemur.* Et sic S. Congregatio apud Zerolam in praxi Episcop. 1. p. verbo *authoritas* sub finem declaravit his verbis : *Eadem ratio habenda est de his quæ scribuntur à Cardinalibus S. Congregationis Concilii Tridentini , ac si à Papa scripta essent.* Idem iisdem penè verbis eadem S. Congregatio Abbatissæ cuidam Messanensi respondit apud Garciam ubi suprà. 43

Unde patet 1°. declarationes Concilii Tridentini , ab eadem Congregatione factas, non esse merè doctrinales , prout sunt interpretationes Doctorum , & Jurisperitorum ; sed perinde definitivas , ac si Papales essent ; utpote factas ex commissione Papæ , per personas ad id à Papa authorizatas , uti constat ex Bulla Sixti V. septima in 2. p. Bullarii sui , ubi Congregationi illi facultatem tribuit authoritativè , seu definitivè decidendi dubia , circa Concilii Tridentini mentem exurgentia. Nec verò dubium est , Principem Senatui suo tribuere posse hanc authoritatem : cùm ei tribuere possit authoritatem leges condendi L. *humanum* Cod. de legib. Quare istius Congregationis declarationibus standum , ac si à principio ab ipso Concilio Tridentino dispositæ fuissent , ait Salgado n. 11. citato. Videri potest Fagnanus ad cap. *quoniam* de Constitut. ubi decem argumentis demonstrat , S. Congregationis declarationes vim legis obtinere. 44

Et hinc patet 2°. Regulares non magis uti posse privilegiis , quæ dicta S. Congregatio declaravit sublata , sive per Concilium Tridentinum , sive per Summorum Pontificum Bullas solemniter in Provinciis promulgatas , quàm si Concilium ipsum Tridentinum , vel Summi illi Pontifices idipsum declarassent ; sive declarationes illæ S. Congregationis sint solemniter in Provinciis promulgatæ , sive non sint. Neque enim solemnis ejusmodi declarationum promulgatio requiritur , sed sufficit solemnis promulgatio 45

gatio Concilii, vel Bullarum per eas declaratarum, ut vidimus.

46 Idem dicendum de Sedis Apostolicæ Decretis, quibus nonnullæ propositiones, jus divinum, vel naturale concernentes, practicari, vel doceri prohibentur. Cùm jus istud sufficienter promulgatum sit. Ejusmodi proinde Decretis parendum est, non expectatâ eorum in Provinciis promulgatione, uti constat ex præmissis, & optimè docet noster Lumbierus observat. 2. ad propositiones ab Innocentio XI. damnatas, ubi ait, ejusmodi Decreta, ut hîc obligent, & ex iis teneamur damnatas propositiones, ut improbabiles, scandalosas, & nocivas fugere, non egere promulgatione hîc factâ. Et ratio (inquit) est manifesta: quisque enim strictè tenetur fugere, quod morali certitudine scit esse venenum, quocumque modo id sciat. Et si cavere debeamus ab herba, quam sapientissimus Medicus pro certo affirmavit mortiferam; multò magis à doctrina, quam Christi Vicarius mortiferam, venenosamque declaravit. Denique sicut prodigus esset salutis suæ corporalis, qui dictam herbam comederet; sic prodigus esset æternæ salutis suæ, qui à tali doctrina non caveret.

CAPUT VI.

Factâ debitâ promulgatione legis ecclesiasticæ, vis ipsius à populi acceptatione non pendet; ideòque peccat populus, absque justa causa eam non acceptans. Censetur tamen Ecclesia in ejus suspensionem, vel revocationem consentire, si invalescente contrario usu, id sciens, observantiam non urgeat.

47 QUòd earum vis à populi acceptatione non pendeat, adeò certum existimat Suarez l. 4. de legib. c. 10. ut salvâ fide negari non possit. Idem censet Mauclerus de Eccles. Monarch. p. 2. l. 4. c. 3. Et Facultas Parisiensis anno 1521. hanc Lutheri propositionem: *Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syllabæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem assensu, & quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fit*, hac censurâ perstrinxit: *Hæc propositio est à debita subditorum erga Prælatos & Superiores subjectione & obedientia retractiva, legum positivarum seditiosè destructiva, & in fide & moribus erronea, & est error damnatus Valdersium, cum errore Arrianorum conveniens.* Meritò quidem, quia *Apostolicæ Sedis judiciis & Constitutionibus obviare, planè est hæreticæ pravitatis.* Ivo Carnotensis epist. 8. *Et solus infidelis, aut schismaticus, Apostolicis detrectat obedire mandatis.* S. Thomas Cantuariensis epist. 122. ad Gilbertum Episc. London.

48 Enimverò Christus Vicario suo authoritatem dedit ad gubernandum, & præcipiendum, eamque illimitatam, sive independentem à consensu subditorum, dum illimitatè dixit: *Pasce oves meas*, Luc. 10. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* Ergo subditis obligationem imposuit ad obediendum. Videri potest Fagnanus in cap. *treugas* de treuga & pace, ubi quæstionem hanc fusè prosequitur. Nec certè Ecclesiæ Principes minori ad obligandum populos authoritate pollent, quàm Principes sæculi, quorum potestas in sacris oraculis universalioribus, vel illimitatioribus terminis non exprimitur, quàm potestas Principum Ecclesiasticorum. Leges verò Principum sæculi (ut optimè Facultas Theologica Duacensis anno 1636. consulta super re monetaria, cumque ea Sylvius l. 1. resolutionum verbo *moneta*) statim atque satis promulgatæ sunt, vel statim à præfixo obligationis tempore, observari debent, nullâ expectatâ populi acceptatione, puniunturque ut transgressores, qui secùs faciunt. Neque enim gladium Principibus & Magistratibus Deus hac lege porrexit, ut eo solùm uterentur, cùm leges ipsorum à populis acceptarentur. Alias gladius & potestas ipsorum plerùmque inefficax fieret, vel certè minoris virtutis, quàm subditorum potestas ad recusandum. Nec absolutè verum esset, quod Apostolus absolutè dixit: *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ideòque Alexander VII. justissimè propositionem hanc proscripsit: *Populus non peccat, etiamsi absque justa causa non recipiat legem à Principe promulgatam.*

Quod autem invalescente non acceptatione, Principis id scientis, nec observantiam urgentis, consensu lex censeatur suspendi, vel revocari; ratio est, tum quia, *qui tacet consentire videtur*, tum quia lex, in istis circumstantiis, non expedit Reipublicæ bono, utpote taliter dispositæ, quòd Princeps non possit absque illius turbatione transgressores punire. Prudentia verò Principis non censetur velle continuationem legis, pro illis circumstantiis, in quibus non expedit Reipublicæ bono. Et hoc est quod sibi vult lex *de quibus* ff. de legibus, dum ait: *Leges nulla alia de causa nos ligant, quàm quòd judicio populi receptæ sint.* Neque enim id intelligit de prima obligatione, sed de firma & perseveranti. De qua in canone *in istis* dist. 4. *Leges instituuntur cùm promulgantur* (tunc ergo veræ & obligatoriæ sunt) *firmantur* (id est firmam obligationem inducunt) *cùm moribus utentium comprobantur.* Cæterùm qui primi sunt authores non acceptationis, quique sine causa primi non acceptant, graviter peccant, utpote graviter impingentes in illud Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* 49

Dixi *sine causa*. Si enim justa sit causa suspicandi, vel etiam credendi, legem à Principe latam esse ex mala informatione, seu falsa aliqua suggestione, populus, & qui po- 50

pulo præest, absque injuria Principis, & absque inobedientiæ culpa, pro legis revocatione potest reverenter supplicare, legisque executionem interim suspendere, cum animo parendi, si Princeps plenè informatus, observantiam urgeat. Ut enim Alexander III. cap. *si quando* de rescript. *si quando tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur.... rationabilem causam prætendas: quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod pravâ nobis fuerat insinuatione suggestum.*

51 Simile quid habetur cap. *cùm teneamur* de præbend. Idem dicendum quoties lex incommodum aliquod maximum secum trahit, præsertim à Principe ignoratum, vel propter aliqua Legislatori incognita (cujus notitia pertingere nequit ad singula) v. g. propter antiquum usum in contrarium, lex prudenter creditur plus allatura damni, quàm utilitatis. Quas ob causas, expendi possunt novæ leges, antequam recipiantur, earumque interim executio suspendi à Præpositis Provinciarum, dummodò id fiat cum bona fide, sincera intentione, debitaque cum reverentia. Neque enim id fieri censetur contra Principis voluntatem.

52 Denique regimen ecclesiasticum imitari debet divinum, & ecclesiastica Hierarchia cælestem. Quemadmodùm ergo Deus in causas infimas per intermedias influit, & in cælesti Hierarchia per superiores illuminantur & perficiuntur medii, & per medios infimi: ita Decreta ecclesiastica primùm quidem Episcopis, & per Episcopos ad inferiores Sacerdotes, & per inferiores Sacerdotes intimanda sunt plebi; adeò ut si aliâ viâ perferantur, in suspicionem meritò veniant, nec satis sit, ut fidelibus quoquo modo innotescant (inquit doctissimus Author Tractatûs de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, ubi Apostolicæ Sedis authoritatem fortissimè tuetur) sed consueto more debent promulgari, si solitus ordo commodè queat observari.

CAPUT VII.

Legum civilium, sicut & potestatis civilis finis intrinsecus & primarius non est sola externa politia, sed (mediate saltem) est subditorum vita bona, felicitasque æterna.

53 PLures in contrarium Theologos & Jurisconsultos refert C. Valerus Atrebatius in Pronomide ad jus universum tit. 6. §. 3. sed assertioni nostræ (cujus momentum patebit ex sequentibus) subscribunt Adam Gontzem 1. Politic. 2. §. 8. Gregorius Tholosanus, Navarrus, Covarruvias, Duarenus, Garcia, Carninus, Dominicus Soto de jur. & just. q. 6. a. 4. §. *ac demùm*, Scarius de leg. §. 37. &c.

54 Et probatur 1°. quia finis intrinsecus & primarius potestatis, & legis civilis, ille est, ad quem potestas civilis instituta & ordinata est à Deo, Authore suo (cùm idem sit finis intrinsecus & primarius cujusque potestatis, sicut & cujusque scientiæ & artis, qui est finis intrinsecus & primarius institutionis illius) finis verò intrinsecus & primarius institutionis cujusque potestatis, ille est, quem ipsi in sua institutione præfixit Author, & Institutor illius. Sed potestas civilis ad hoc à Deo Authore suo instituta est, ut mediante honestâ & pacificâ societate terrenæ civitatis, cives cælesti tandem civitati transcribat, juxta illud Augustini epist. 5. ad Marcellinum: *Omnia hæc potest Princeps politicus, non tantùm propter istam vitam honestissimè gerendam, non tantùm propter civitatis terrenæ concordissimam societatem, verùm etiam propter adipiscendam sempiternam salutem, per sempiterni cujusdam populi cælestem, divinamque Rempublicam.* Terrenam namque civitatem Deus cælesti voluit esse subordinatam, & qui *universa propter semetipsum operatus est*, terrena, sicut & cælestia omnia, propter semetipsum, tamquam finem, instituit, ordinavitque.

55 2°. Si solùm externam tranquillitatem leges civiles spectarent, inordinatæ forent; utpote contra præceptum Domini Luc. 12. *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & cætera adjicientur vobis.* Quæ profectò verba Salvator ad ipsos etiam Principes & Reges, quà tales, direxit, ut si ordinatè vellent temporalem Reipublicæ sibi commissæ salutem procurare, temporalem illam salutem subordinarent æternæ, sive regno Dei & justitiæ, tamquam fini primario, ad quem reliqui fines debent finaliter collimare. Hoc enim pacto fiet, ut Reipublicæ Deus salutem daturus sit temporalem, uti dedit Salomoni: quia primariò non quæsivit, nec postulavit divitias, & splendorem regni sui, sed sapientiam, & justitiam.

56 3°. Legibus solam externam tranquillitatem, utilitatemque primariò quærentibus, ne exteriora quidem illa comparari, vel comparata retineri possent. Occultis enim fraudibus, furtis, libidinibus, & inde cædibus, seditionibus, bellis omnia redundarent. Ut ergo comparetur & conservetur Reipublicæ salus, finis primarius illius esse debet Deus. Quia, ut Augustinus ait epist. 3. ad Volusian. *solus Deus laudabilis Reipublicæ salus. Neque enim conditur & constituitur civitas, nisi fundamento & vinculo fidei, firmaque concordiæ; cùm bonum commune diligitur, quod summum, ac verissimum Deus est; atque eo uno invicem se diligunt homines, cùm propter illum se diligunt*, &c.

57 4°. His consonanter S. Thomas l. 1. de Regim. Princip. c. 15. dicit, quòd *ad officium Regis pertinet vitam multitudinis bonam procurare, secundùm quod congruit ad cælestem beatitudinem.*

58 5°. Potestas œconomica Patrumfamilias non ordinatur ad solam vitam, salutemque subditorum temporalem; sed ad æternam, ad quam parentes tenentur filios suos educare & dirigere, secundùm Augustinum tract. 50. in Joan. Idem ergo dicendum de potestate legumlativa Regum & Principum qui sunt Reipublicæ Patres.

59 6°. Potestas Regum & Principum à Deo est. Quia *non est potestas nisi à Deo*, Rom. 13. Quæ autem à Deo sunt, ad Deum referri oportet. Nec proinde sola Reipublicæ salus temporalis esse potest finis primarius dictæ potestatis: finis quippe iste, non Christianus est, sed Machiavellicus. Machiavello namque statûs politici ratio primaria fuit, eique omnis alia ratio subordinata fuit.

60 7°. Si potestati civili Deus præfixisset finem intrinsecum, & primarium merè externum, ac temporalem, Legislatoribus civilibus non dedisset potestatem obligandi subditos in conscientia, & sub reatu æternæ damnationis. Sed illam dedisse certum est ex fide, ut posteà videbitur. Ergo. Probatur major, quia credibile non est Deum dedisse hominibus potestatem subditos obligandi sub pœna incomparabiliter altioris ordinis, quàm sit finis isti potestati præstitutus. Cùm finis externus & temporalis obtineri potuisset obligando sub pœna illi proportionata, utique externa & temporali; pœnæque statuantur tamquam media ad obtinendum finem intentum. Media autem oportet esse proportionata fini. Credibile proinde non est, quòd data esset hominibus potestas obligandi in foro Dei, si finis humanæ potestatis nullo modo esset causa, seu interesse Dei, sed sola causa & interesse hominum.

61 8°. Ad regale officium religionis causa & defensio primariò pertinet. Igitur finis intrinsecus & primarius Reipublicæ non potest non esse subordinatus fini & curæ religionis. Antecedens probatur, quia à vera religione pendet salus & conservatio Reipublicæ. Siquidem vera religio est quæ legibus etiam civilibus tribuit vim & authoritatem. Hæc est enim quæ prohibet rebellionem adversus Principes, jubetque obedientiam, honorem, & tributum potestatibus sublimioribus reddi. Quod vel Athei ipsi fatentur, dum aiunt, religionem subtile esse Politicorum commentum, ut hac ratione vim & authoritatem legibus suis concilient. Testeque experientiâ, religionis eversores, ipsarum etiam legum & Reipublicæ eversores sunt. Ob hanc quippe rationem Epicurei olim è civitatibus pulsi. Ob eandem Athei adhuc hodie pelluntur. Nec dubium varias Respublicas per hæreses esse subversas.

62 9°. Denique, exemplo suo varii Imperatores ostenderunt, Imperialem se potestatem accepisse ad procurandam in subditis Dei gloriam, religionis curam, salutem subditorum. Ideò enim varias fecerunt leges de peccatis arcendis, de religione, aliisque pertinentibus ad salutem, ut videre est in Codicibus Theodosii, & Justiniani. Quod & in veteri Testamento fecerunt Ezechias, & Josias, Rex Ninivitarum, Darius, Nabuchodonosor, &c, teste Augustino proximè referendo. Novissimis etiam temporibus Carolus V. Imperator in Edicto promulgato Bruxellis 4ª. Octobris 1540. usurarios negotiatores prohibuit, ne animarum perditionem causarent, ut patet ex tenore Edicti: *Sans y pourvoir, tout le fait de marchandises se convertiroit en usure, qui causeroit la perdition des ames. Nous en ce voulant pourvoir, tant pour le salut des ames, conservation de nostre foy Chrétienne, que pour éviter les autres inconveniens, &c.* Idem etiam Imperator plura alia Edicta fecit adversus hæreticos, blasphemos, luxum, ebrietatem, aliaque delicta. Denique in recessu Imperii anni 1595. expressum habetur, Imperii finem esse gloriam Dei, salutemque subditorum.

Quæ tamen non eo sensu accipienda sunt, 63
quasi ad Imperatores directè spectet potestas veræ religionis præceptiva, sed dumtaxat executiva legum divinarum, ecclesiasticarumque in materia religionis. In hoc enim Reges & Imperatores Deo & Ecclesiæ ex officio suo servire debent. Ad hoc quippe significandum, *etiam temporibus Prophetarum, omnes Reges* (inquit Augustinus epist. 50.) *qui in populo Dei non prohibuerunt, nec everterunt quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur, & qui prohibuerunt, & everterunt, supra aliorum merita laudantur.* Et infrà, alludens ad illud Psalmi 2. *Et nunc Reges intelligite.... servite Domino in timore: Quomodò* (inquit) *Reges servium Domino in timore, nisi ea quæ contra Domini jussa sunt, religiosâ severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est; & aliter, quia etiam Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter. Quia verò etiam Rex est, servit leges justa præcipiendo, & injusta prohibendo, convenienti vigore sanciendo; sicut servivit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelsa, quæ contra præcepta Dei fuerant constructa, destruendo. Sicut servivit Josias, talia & ipse faciendo. Sicut servivit Rex Ninivitarum, universam civitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut servivit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dando. Sicut servivit Nabuchodonosor, omnes in regno suo positos à blasphemando Deo lege terribili prohibendo*, &c.

Solvuntur objectiones.

OBjicies 1°. Ad potestatem civilem non 64
spectat ferre legem spiritualem, sed temporalem: ergo nec ad eam spectat res-

picere finem ſpiritualem, ſed temporalem.

Reſpondeo 1°. diſtinguendo conſequens, illudque concedendo de fine ſpirituali immediato & proximo; negando de mediato & remoto. Lex enim temporalis, talis dicitur à fine ſuo proximo, non à remoto. Et ſicut virtutes, ſic leges diſtinguuntur fine proximo, non remoto.

65 Reſpondeo 2°. Licèt ad poteſtatem civilem non ſpectet directè ferre legem ſpiritualem; ad eam tamen ſpectat, leges ſpirituales ab Eccleſia latas ſubſidiariâ manu conſervare, ad earumque executionem cogere, dum opus eſt: cùm poteſtas civilis ſit tutrix, protectrix, & auxiliatrix Eccleſiæ, ſeu poteſtatis eccleſiaſticæ, prout varii Pontifices declarant.

66 Objicies 2°. Aſſertio noſtra confundit poteſtatem civilem cum eccleſiaſtica.

Reſpondeo negando aſſumptum. Diſtinguit enim finem utriuſque proximum, ſicut & propriam cujuſque materiam. Neque enim ad leges ſpirituales tribuit Legiſlatoribus civilibus, niſi poteſtatem ſubſidiariam, eccleſiaſticæ poteſtati ſubordinatam; utpote ordinatam ad eccleſiaſticam defenſionem, ad urgendamque legum eccleſiaſticarum & divinarum executionem.

67 Objicies 3°. Finis legis temporalis non eſt ſpiritualis, ſed temporalis; utpote proportionatus legi, cujus eſt finis.

Reſpondeo, ut antè, finem proximum legis temporalis eſſe temporalem; finem tamen remotum & ultimum illius eſſe ſpiritualem. Sapienter enim Sotus l. 1. de juſt. q. 6. a. 4. dicit, quòd licèt Principis finis proximus ſit quietus ſtatus Reipublicæ (de quo fine loquitur S. Thomas quodlib. 12. n. 25. dum ait, quòd *Legiſlator civilis intendit pacem civium, eccleſiaſticus verò ſalutem animarum*) ſupremus tamen eſt ſempiterna felicitas.

68 Objicies 4°. Eccleſia, & Imperium, vel Regnum, ſunt duæ Reſpublicæ adæquatè diſtinctæ: ergo & fines utriuſque ſunt adæquatè diſtincti.

Reſpondeo 1°. Eccleſiam & Imperium non ſic eſſe Reſpublicas adæquatè diſtinctas, ſicut Regna Hiſpaniæ & Galliæ v. g. ſunt regna adæquatè diſtincta: cùm Eccleſia ſit in Republica, & Reſpublica in Eccleſia, ut loquitur Dominicus Soto in 4. diſt. 25. a. 1. Nam & Laïci ſunt in Eccleſia, & Clerici in Republica. Teſte etiam Auguſtino, Civitas Dei, & terrena ſociatæ ſunt, nec una ſine altera conſiſtit: quia & Eccleſia temporalibus, Reſpublica eccleſiaſticis indiget.

69 Reſpondeo 2°. Eccleſiam & Rempublicam ſolùm eſſe Reſpublicas diſtinctas, quoad finem proximum & immediatum, propriamque cujuſque materiam, ſeu leges; utpote quas Reſpublica directè fert in materia temporali; Eccleſia in ſpirituali. Sed hoc minimè impedit, ne in eundem finem ſpirituallem utraque conſpiret; qui quidem ſit finis proximus eccleſiaſticæ poteſtatis, ac legis; ſed nonniſi remotus poteſtatis ac legis civilis. Unde licèt poteſtas civilis, in quantum directè præceptiva, reſtricta ſit quoad materiam propriam; in propria tamen materia ſubditos regit in ordine ad ſalutem æternam, tanquam finem ſuum remotum, atque ultra poteſtatem directè præceptivam, reſtrictam ad materiam temporalem, inſeparabiliter annexam habet poteſtatem ſubſidiariam ad materiam ſpiritualem, in quantum Deo & Eccleſiæ ſervit, tanquam ſubſidiaria, & adjutrix ad executionem legum ſpiritualium, in materia fidei & morum. Ad regale namque officium ſpectat compellere ſubditos, ut Dei & Eccleſiæ præcepta ſervent, eamque fidem teneant, quam Eccleſia tenendam docet, hæreticos ab Eccleſia declaratos pœnis temporalibus coërcendo, &c. prout Auguſtinus docet epiſt. 48. 50. & 166. Leo quoque Papa epiſt. 73. ad Leonem Auguſtum, ſic ipſum affatur: *Debes Imperator incunctanter advertere, regiam poteſtatem tibi, non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam, ut auſus nefarios comprimas, & quæ benè ſunt ſtatuta defendas.* Quod & Imperatores pios Conſtantinum, Valentinianum, Gratianum, Theodoſium, Martianum, &c. feciſſe conſtat ex Codice L. *cunctos populos* tit. de ſum. Trinit. & fide Cathol. & ex toto titulo de hæreticis.

CAPUT VIII.

Dignitati poteſtatis ac legis eccleſiaſticæ non ſatis conſulit opinio, quæ ponit finem iſtius poteſtatis ac legis, in materia ſibi propria, (id eſt nec naturalis, nec divini juris) eſſe ſolam externam politiam eccleſiaſticam.

OPinionem illam Valerus §. 5. tribuit 70 Gloſſæ & Azevedo. Eandem ſequitur Eruditus quidam Recentior de Legib. diſput. 6. dub. 1. reſol. 2. Sed cæteri paſſim omnes aſſertioni noſtræ ſubſcribunt. Et meritò.

Primò, quia à fortiori concluditur ex dictis capite præcedenti.

Secundò, quia ſi vera eſſet opinio quam 71 impugnamus, Eccleſia, quatenùs Legiſlatrix in materia purè eccleſiaſtica, nonniſi litteræ, externiſque inhæreret exercitiis, ut Synagoga, legibuſque ipſius, taliter ſpectatæ, ſatisfieret actionibus internè ſacrilegis ac impiis, dummodò externè piis & honeſtis. Quod non conſonat doctrinæ Eccleſiæ, quæ per Alexandrum VII. damnavit hanc propoſitionem: *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam*, ſeu ſacrilegam, ſacrilegio merè interno, *ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* Sicut & iſtam per Innocentium XI. *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrile-*

gam corporis Domini manducationem.

72 Tertiò, Ecclesia, quà Legislatrix in materia purè ecclesiastica, est Congregatio & Societas, non purè humana, sed Christiana (uti constat ex Ecclesiæ definitione) igitur habet finem nobiliorem, quàm Congregatio & Societas purè humana; illum utique quem habet Congregatio & Societas Christiana, quà talis; qui sine dubio est salus æterna, ad quam Congregatio Christiana, quà talis, sine dubio ordinatur.

73 Quartò, Ecclesiam, etiam quà Legislatricem in propria materia, Christus fundavit, & acquisivit sanguine suo. Actor. 2. Illum ergo habet finem, quem Christus, suo sanguine ipsam fundando intendit. Qui sine dubio est salus æterna, non sola externa pax, vel honestas, quæ cùm potiùs sit finis Congregationis & Societatis humanæ, quà talis, quàm Christianæ, quà talis; sicut pro ea sola Christus non fudit pretiosum sanguinem suum, sic in ordine ad illum finem solum Ecclesiam, seu Congregationem Christianam, quà talem, non fundavit, nec acquisivit sanguine suo.

74 Quintò denique, potestatem ecclesiasticam, etiam quà legislativam in materia propria, Christus Ecclesiæ contulit his verbis: *Pasce oves meas*, Joan. 21. Sed his verbis Christus non contulit Ecclesiæ, etiam quà Legislatrici in propria materia, potestatem pascendi fideles in ordine ad vitam temporalem præcisè: ergo in ordine ad vitam æternam. Ad quod significandum Matth. 16. dixit: *Tibi dabo claves regni cælorum, &c.*

CAPUT IX.

Omnis humana lex, propriè dicta, sive ecclesiastica, sive civilis, etiamsi id non exprimat, obligat in conscientia.

75 CErtum est potestate ecclesiasticâ & civili posse ferri leges obligatorias in conscientia, etiam in materia aliàs non præcepta lege naturali, vel divinâ. Quamvis enim in contrarium referri soleat Gerson lib. de vit. spirit. sect. 4. (quem tamen in bonum sensum ex contextu ipsius explicat doctissimus Pontificiæ authoritatis Vindex in tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 2. c. 8.) & quoad potestatem civilem Almainus q. de potest. eccles. c. 11. aliique pauci. Nihilominùs quoad potestatem ecclesiasticam, *sine controversia jam docent Authores Catholici* (inquit Valentia 1. 2. disp. 7. q.... p. 6.) *fide certum esse, quòd possit ferre leges obligatorias in conscientia, etiam sub mortali. Quod verò attinet ad potestatem civilem, tametsi Sotus l. 1. de justit. q. 6. a. 8. putet id non omninò certum ex fide: Ego autem certum prorsus arbitror.* Suarez verò idipsum vel de fide, vel fidei proximum esse dicit l. 3. de legib. c. 21. Nam (inquit) *ferè aperte colligitur ex illo Pauli* ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem* (æternam, uti exponunt Patres Græci & Latini, teste Bellarmino tom. 1. Controv. p. 1. l. 3. c. 2.) *acquirunt. Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram* (id est propter pœnam) *sed etiam propter conscientiam.* Pallavicinus denique in Histor. Conc. Trid. l. 8. c. 19. dicit in eam sententiam *consentire omnes, qui Romæ probantur, ubi, qui contrarium tenent, notantur, nec hodie permitteretur doceri contrarium.*

Sed licèt tantus sit consensus Doctorum 76
de potestate obligandi subditos in conscientia; quidam tamen Recentiores, ut Thomas Hurtado, Arriaga, &c. id negant de facto, saltem quoad leges civiles: quamvis enim fateantur Principibus civilibus eam competere potestatem; negant tamen ipsos habere hanc voluntatem, seu intentionem ipsos in conscientia obligandi; à qua intentione usque adeò putant obligationem illam dependere, ut expressam de eo Legislatoris intentionem requirant, ad hoc ut lex civilis in conscientia obliget in materia, quæ aliàs non est juris divini, vel naturalis; in qua dicunt, quòd *lex civilis, nisi id exprimat, in conscientia non ligat.* Quæ sententia adeò invaluit in vulgo, ut Navarrus in Manuali c. 23. dicat, de legum sæcularium transgressione non solere fieri scrupulos conscientiæ, nisi cùm per eam lex etiam divina, naturalis, aut canonica infringitur.

Nihilominùs contra ipsos probatur asser- 77
tio nostra (quæ adeò communis est inter Doctores, ut eorum plures oppositam acriori censurâ perstringant apud Valerum tit. 13. §. 3.) ex Apostoli verbis n. 75. relatis, quæ certè nimis absoluta sunt, nimis generalia, nimis aperta, ut glossam patiantur. Neque enim Apostolus verba sua limitat ad casum quo Legislator civilis (de quo expressè loquitur) suam de eo intentionem exprimit, neque excipit casum, quo id non exprimit, neque expressionem istam requirit; sed absolutè, generaliter, & absque distinctione, & exceptione, pronuntiat obligationem obediendi, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. A quo generali pronuntiato ex dictis to. 1. Prolegom. 1. c. 5. nobis non licet privatâ excipere authoritate, nec generalitatem ipsius restringere solâ humanâ ratione, sine ullo in sacris Litteris, Canonibus, vel Patribus fundamento. Quo certè fundamento non solùm destituta est illa adversariorum exceptio, sed & insuper contraria est Apostoli intento, ut videbit, quisquis maturè perpenderit, ipsum loqui etiam de necessitate obediendi legibus Principum temporis sui, qui Ethnici erant,

nec intentionem obligandi in conſcientia unquam exprimebant. Eorum tamen legibus neceſſariò parendum Apoſtolus prædicabat, non ſolùm propter iram, id eſt, propter pœnam, ſed etiam *propter conſcientiam*, ſeu conſcientiæ obligationem. Et iſtam eſſe Dei voluntatem, conſtat ex 1. Petr. 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi .... ſive Ducibus ab eo miſſis .... quia ſic eſt voluntas Dei.*

78 Nec fundata eſt gloſſa eorum, qui Apoſtoli verba reſtringunt ad legem Principum, quæ verſatur in materia, quæ aliàs eſt juris divini, vel naturalis. Tum quia reſtrictio illa nullum habet fundamentum in Scriptura, nec in Patribus, nec in Apoſtoli contextu; imò ei obſtat ratio Apoſtoli: *Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo. Quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Dei enim miniſter eſt*, &c. Cùm iſta perſpicuè militet etiam in legibus civilibus, quæ non verſantur in materia juris divini, vel naturalis, tamquam interpretationes, vel determinationes illius. Tum quia ubi Apoſtolus non reſtringit, neque nos generalia verba ipſius reſtringere debemus, nec poſſumus. Tum denique quia aliàs ex Apoſtolicis verbis illis probari non poſſet, Legiſlatoribus civilibus competere poteſtatem obligandi in conſcientia, in materia non juris divini, nec naturalis. Quod qui diceret, apud omnes ferè Doctores malè audiret: cùm oppoſitum, tanquam fide certum, vel fidei proximum, omnes ferè Doctores probent ex illo Apoſtoli loco.

79 Secundò probatur ex communi traditione Sanctorum, aientium, quòd dum Deo contraria non præcipit homo, in legitima poteſtate conſtitutus, Deique proinde Vicarius, pariter obediendum ſit, ac ſi Deus ipſe præciperet. Ita nominatim Auguſtinus in tit. Pſal. 70. Bernardus tract. de præcept. & diſpenſ. conformiter Scripturæ, dicenti, eos qui obediunt ipſorum ordinationibus, Dei ordinationi obedire, & qui ipſis reſiſtunt, Dei ordinationi reſiſtere. Atqui tenemur in conſcientia obedire Deo, divinæque ordinationi. Ergo.

80 Tertiò, obligatio in conſcientia, vel eſt eſſentia, vel propria paſſio veræ legis. Sed nulla vera lex eſt ſine ſua eſſentia, vel propria paſſione. Nulla igitur eſt ſine conſcientiæ obligatione. Probatur major: tum quia vera lex eſt *commune præceptum*; obligatio verò conſcientiæ, vel involvitur in eſſentia, vel eſt propria paſſio præcepti, ſicut & voti, uti docet Auguſtinus l. de ſancta virginitate cap. 15. *Eſt autem præceptum, cui non obedire peccatum eſt. Conſilium, quo ſi uti nolueris, minùs boni adipiſceris, non mali aliquid perpetrans.* Tum quia conſcientiæ obligatio, vel involvitur in eſſentia, vel eſt propria paſſio veræ legis divinæ (utpote cujus prævaricatio nunquam non eſt veri nominis peccatum, uti patet ex peccati definitione tradita ab Ambroſio l. 6. de Paradiſo c. 8. *Peccatum eſt divinæ legis prævaricatio.* Et ab Auguſtino 22. contra Fauſtum 27. *Peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.*) Ergo ſimiliter involvitur in eſſentia, vel eſt propria paſſio veræ legis humanæ: cùm omnis vera lex humana ſit participatio quædam legis æternæ, & omnis prævaricator veræ legis humanæ ſit prævaricator divinæ, jubentis *obedire omni ſuperiori legitimè præcipienti*, ſecundùm illud, *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui vos audit, me audit*, &c. Omnis item prævaricator veri præcepti Regis ac Principis, ſit prævaricator quarti præcepti Decalogi, ſicut omnis prævaricator veri præcepti parentum ſuorum, quorum non eſt major, imò minor authoritas in filios, quàm Regis in ſubditos, uti docet Auguſtinus Serm. 6. de verb. Dom.

Et hinc patet obligationem legum civi- 81
lium in conſcientia, iis poſitis, ex natura rei provenire, ſive ex natura ipſius legis humanæ; ſicut obligatio præcepti parentum, ac voti, poſito voto, & præcepto illo, oritur ex natura præcepti ac voti. Sicut enim ſemel poſito quòd pater acquiſierit jus in filium titulo generationis, ratio naturalis dictat ſibi obediendum; ſic poſito quòd Princeps acquiſierit jus legitimæ poteſtatis, v. g. titulo legitimæ ſucceſſionis, vel electionis, ratio naturalis dictat ei obediendum.

Patet etiam non magis neceſſariam eſſe 82
expreſſam declarationem intentionis Legiſlatoris, ad hoc ut humana lex obliget in conſcientia, quàm expreſſam declarationem intentionis parentis, vel voventis, ad hoc ut verum patris præceptum, vel votum obliget in conſcientia. Enimverò non eſt cur expreſſio illa magis neceſſaria ſit in lege civili, quàm in eccleſiaſtica. Sed neceſſaria non eſt in lege eccleſiaſtica. Ergo. Minor conſtat ex eo quòd innumeræ leges Conciliorum & SS. Pontificum ab omnibus cenſeantur in conſcientia obligare, ſine tali expreſſione, quam Concilia, & Patres facere non ſolent, nec fecerunt in lege jejunii v. g. nec in lege lata in cap. finali de celebr. Miſſ. ne Latinus in Eccleſia Occidentali celebret in fermentato: iſtorum tamen præceptorum tranſgreſſio, tametſi non ex contemptu, vel inobedientia, foret mortalis; oppoſitam quippe opinionem Alexander VII. condemnavit. Major verò probatur, quia nulla apparet diſparitatis ratio, utpote quæ non benè petitur, ex eo quòd finis legum civilium ſit ſola externa politia: cùm finem legum eccleſiaſticarum, in materia purè eccleſiaſtica, nonnulli ex adverſariis pariter exiſtiment eſſe ſolam externam politiam eccleſiaſticam, conſtetque ex dictis cap. 7. & 8. nec legum civilium, nec eccleſiaſticarum finem eſſe ſolam illam externam politiam.

Et

83 Et confirmatur 1°. quia si expressio illa requireretur, nullæ Ethnicorum leges in conscientia unquam obligassent (ob defectum istius expressionis;) hoc autem dicere, esset Apostolo in faciem contradicere.

84 2°. Dato, non concesso, quòd in Principe sæculari, ultra potestatem, & voluntatem ferendi legem, ad obligandum in conscientia, necessaria foret intentio taliter obligandi, adhuc equidem in casu non expressionis, intentio ista præsumenda foret: cùm omnis Legislator enixè cupiat leges à se latas exactè servari. Ideò namque Licurgus cives suos sacramento adegit, ad promittendam legum custodiam. Ideò eadem custodia legum prima & summa lex Platonis fuit. Ideò Reges & Magistratus sæculares pœnam transgressoribus apponere solent; non ut conscientiæ obligationem relaxent (aliàs non satis promoverent commune bonum (quod est finis legum) cùm pœna externa ut plurimùm non debeatur ante condemnationem, quam occulti transgressores facilè eludunt) sed ut hominibus minùs timoratis (plus homines timentibus, pœnamque temporalem, quàm Deum, & pœnam æternam) ultra conscientiæ obligationem calcar istud adjiciant.

85 3°. Sic est in manu, seu potestate Legislatoris, legem ferre, vel non ferre, ut si legem veram ferat, lex ab ipso lata non possit non habere essentiam, naturam, naturalesque proprietates legis. Quamvis enim lex, quoad sui existentiam, pendeat à voluntate Legislatoris; supposità tamen legis existentiâ, voluntas Legislatoris efficere non potest, quòd lex existens non habeat essentiam, & naturam legis, &c. Quemadmodùm præceptum patris, & votum, quoad sui existentiam, pendet à voluntate patris, vel voventis; supposità tamen existentiâ præcepti paterni, & voti, voluntas patris, vel voventis, efficere nequit, quòd præceptum paternum, & votum, non habeat essentiam, naturam, & naturales proprietates veri præcepti, & voti. Quemadmodùm verò essentia, natura, vel naturalis proprietas veri præcepti, & voti; sic essentia, natura, vel naturalis proprietas veræ legis, est obligatio in conscientia, uti præmissa convincunt, rectèque tradunt Bellarminus, Serarius, aliique passim. Meritò proinde sanctus Thomas 1. 2. q. 96. a. 4. generatim, & sine exceptione pronuntiat, leges, si justæ sint, in conscientia obligare, deberentque Christiani tantò magis in eo convenire, quantò minùs Ethnici in eo disconvenerunt; à quibus ideò præmium in Campis Elisiis expectandum credebatur ab obedientibus, & pœna ab inobedientibus, quibus à Radamantho inclamaretur, *Discite justitiam moniti*, &c.

CAPUT X.

Satisfit objectionibus.

OBjicies 1°. Legislatori civili, ut Rectori 86
politiæ civilis, per se non competit judicare de obligatione conscientiæ. Ergo dum aliud non exprimit, in conscientia non obligat.

Respondeo 1°. argumentum istud ducere in præcipitium. Siquid enim probat, probat, nec parentes, nec Legislatores civiles, in conscientia obligare posse (cujus oppositum ab omnibus ferè Theologis reputatur esse de fide, vel fidei proximum) quia nec parentibus, nec Legislatoribus civilibus, ut Rectoribus politiæ civilis, per se competit potestas judicandi de obligatione conscientiæ.

Respondeo 2°. in antecedente falsum 87
supponi, nimirùm Legislatores civiles, dum non intrepetantur legem divinam, vel naturalem, vel canonicam, solùm considerandos, ut Rectores politiæ civilis externæ. Cujus oppositum constat ex dictis cap. 7.

Respondeo 3°. negando consequentiam. 88
Quemadmodùm enim ad hoc ut Legislator civilis in conscientia obligare possit, necesse non est, quòd ipsi per se competat potestas judicandi de conscientiæ obligatione; sic ad obligare de facto in conscientia, non requiritur quòd ipsi per se competat de facto judicare de ista obligatione.

Objicies 2°. Lex civilis, in materia capa- 89
ci obligationis gravis, non necessariò obligat graviter: ergo in materia capaci obligationis in conscientia, non necessariò obligat in conscientia.

Respondeo, nec antecedens esse verum (ut posteà videbitur) nec consequentiam bonam: utpote ex antecedente isto non magis consectariam, quàm ex eodem confici possit, legem civilem non necessariò obligare in conscientia, saltem ad acceptandam pœnam, in materia capaci talis obligationis. Ad pœnam tamen acceptandam lex omnis, etiam civilis, in conscientia ut minimùm obligat, ut adversarii fatentur. Si ergo lex civilis, in materia capaci obligationis gravis, non necessariò graviter obliget (quod non conceditur) ideò est, quia sine eo stat essentia & natura legis: quæ (ex præmissis) non stat sine obligatione in conscientia.

Objicies 3°. Multæ leges ecclesiasticæ 90
non obligant sub peccato, nec proinde in conscientia (ut constat ex Regulis Dominicanorum, Minimorum, & Societatis, quæ id expressè declarant) idem ergo dicendum de multis legibus civilibus.

Respondeo negando antecedens, intellectum de veris ac propriè dictis legibus.

Ad ejus probationem, Respondeo (cum Driedone lib. 3. de libert. Christ. cap. 3. Bellarmino l. 3. de membris Eccles. c. 11. Filliutio tr. 2. c. 11. Sylvio 1. 2. q. 96.

a. 4. quæstiunc. 1. Mastrio disput. 2. de legib. n. 135. Bonacina apud ipsum. Valero tit. 10. §. 5. & tit. 13. §. 6.) Regulas illas non esse per se, & ratione sui veras leges, quatenùs determinatè præscribunt aliquid faciendum, vel omittendum; licèt dici possint leges pœnales, quatenùs pœnam transgressoribus injungunt; ad quam acceptandam obligationem conscientiæ inducunt. Hujusmodi proinde Regulæ, quatenùs determinatè aliquid faciendum, vel omittendum præscribunt, meræ sunt ordinationes, similes statutis multarum civitatum, iisque quadrat quod Angelicus Doctor 2. 2. q. 186. a. 9. ad 2. ait: *Non omnia quæ in lege humana continentur, traduntur per modum præcepti; sed quædam proponuntur per modum ordinationis cujusdam, obligantis* (in conscientia) *ad solam pœnam.* Ut enim idem S. Doctor ait ibidem q. 108. a. 4. *aliquis interdum punitur sine culpa, non tamen sine causa.* Unde regula juris: sine culpa, *nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*

91 Cæterùm, licèt Regulæ illæ per se, & ratione sui non sint veræ leges, quatenùs per se in conscientia, id est, sub peccato non obligant; per accidens tamen, & ratione adjunctæ (vi voti, & statûs religiosi) obligationis tendendi ad perfectionem, per media in Regula præscripta, dici possunt veræ leges; nec dubium (ut sic) in conscientia, & sub peccato obligare, quatenùs unusquisque Religiosus ad perfectionem sub peccato seriò anniti tenetur per media suo statui propria. Sed & hoc sensu sub peccato obligant, quòd vix in praxi fieri possit, ut quis eas sciens & lubens sine culpa transgrediatur, prout de Constitutionibus sacri Ordinis nostri, ipsæmet p. 4. c. 18. n. 5. declarant, quòd *quamvis ex se non obligent ad culpam, sed ad pœnam.... tamen.... vix fieri posse, ut quis eas sciens & lubens transgrediatur sine culpa.* Confer quæ dixi tom. 1. l. 10. p. 1. cap. 27. & seqq.

Et partim ideò, partim quia Regulæ illæ sunt leges pœnales, Religiosi de earum transgressione judicari possunt; non verò ex eo quòd ex se, quoad materiam præscriptam, sint veræ leges. Neque approbatio Summi Pontificis probat eas esse veras leges. Quia approbare non est universim authoritatem legibus impartiri: nec Regularum illarum approbatio aliud est, quàm authentica Summorum Pontificum declaratio, quòd Regulæ illæ salutares sint ordinationes, secundùm quas earum Professores judicandi sint.

CAPUT XI.

Occasione quartæ objectionis, specialiter agitur de legibus pœnalibus.

92 OBjicies 4°. Dantur leges purè pœnales. Sed istæ non obligant sub culpa, nec proinde in conscientia, sed sub sola pœna. Ideò enim purè pœnales dicuntur.

Pro solutione notandum 1°. legem pœnalem esse quæ imponit pœnam. In quo differt à lege morali, quæ aliquid præcipit, vel prohibet, sine adjectione pœnæ.

Notandum 2°. legem pœnalem esse du- 93
plicem, scilicet purè pœnalem & mixtam. Purè pœnalis est quæ sic pœnam statuit in eos qui quidpiam fecerint, vel omiserint, ut illud non præcipiant fieri, vel omitti. Mixta est quæ præcipit aliquid fieri, vel omitti, simulque pœnam contrafacientibus imponit, vel copulativè, v. g. dicendo, *nemo triticum asportet è regno; qui secùs fecerit, solvat tantum.* Vel disjunctivè, *nullus è regno triticum asportet; vel si asportaverit, solvat tantum.*

Notandum 3°. pœnam aliam esse latæ 94
sententiæ, aliam sententiæ ferendæ. Latæ sententiæ, est quæ sic lege est constituta, ut ipsa lex eam de facto condemnet, nec proinde ad eam requiratur sententia Judicis condemnativa, sed solùm criminis declarativa; ut cùm lex dicit, nemo hoc vel illud faciat, sub pœna excommunicationis *ipso facto*, vel *extunc*, vel *ipso jure* incurrenda. Et idem est si lex dicat, *excommunicamus*, vel *excommunicationem se noverit incurrisse*, & ejusmodi. Pœna sententiæ ferendæ est pœna sic lege constituta, ut ad eam incurrendam sit per Judicem, vel Superiorem condemnandus; ut si lex solùm dicat, *sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis*, vel *reus erit, tali pœnæ subjacebit*, vel *excommunicetur, suspendatur*, &c. Quòd si dubium sit, an verba legis contineant pœnam latam, vel ferendam, censendum, quòd solùm contineant ferendam. *In pœnis* enim *benignior interpretatio est adhibenda.* Reg. 49. juris in 6. Ideò cùm hæc verba, *sit excommunicatus, sit suspensus*, dubium relinquant, nùm sententiam latam, vel ferendam contineant (quia plurimi canones continent prædicta verba, quæ tamen secundùm Glossam cap. 20. de foro competenti sententiam continent ferendam; eò quòd ly *sit* accipi sic possit, ut sit de facto, vel sit in futurum.) Ideò Navarrus in Manuali c. 27. n. 12. probabiliter docet, verba illa interpretanda esse de pœna ferenda (nisi ex adjuncto aliud appareat) etiamsi plures oppositum teneant. His notatis, ad objectionem.

Respondeo, leges purè pœnales à pluri- 95
bus quidem Theologis admitti, sed fortasse volunt eas esse veras leges respectu Judicis, qui ad infligendam pœnam (iis præscriptam) in conscientia tenetur (prout diserte exprimunt Driedo, Becanus, Vasquez, &c.) Aliàs namque leges pœnales ipsimet negant esse verè ac propriè leges, prout ostendit Sylvius citatâ q. 96. quæstiunc. 8. Et meritò, quia omnis lex (propriè dicta) aliquid

quid jubet vel prohibet, & omnis pœna (propriè dicta) ſupponit culpam, ſecundùm Auguſtinum l. 1. Retract. c. 9. dicentem: *Omnis pœna, ſi juſta eſt, pœna peccati eſt.* Nec proinde ea, quæ propter cauſam quidem infligitur, ſed non propter culpam (de qua ſuprà) pœna eſt propriè dicta, ſed impropriè. Unde ſiquando Princeps, lege propriè dictâ, confiſcari velit bona è regno aſportata, vel importata, eſt quia aſportationem, vel importationem prohibet. Dum verò taxam imponit aſportantibus, vel importantibus, non imponit eam per modum pœnæ, ſed vectigalis: ſicut dum imponit pedagia ad pontes, flumina, portas, &c. ſolvenda.

96 Si tamen velis, dari leges purè pœnales, non ſolùm reſpectu Judicis (ut ſuprà) eatenùs dantur, quatenùs in conſcientia obligant ad ſubeundam pœnam. Ad quam proinde acceptandam tranſgreſſor (ex communi Doctorum ſententia) tenetur ſub culpa veniali, vel mortali. Ita nominatim Sylveſter, Sotus, Medina, Azorius, Arragonius, Wigers, quos citatos ſequitur Sylvius, loco antè relato. Et alioquin ferè tota legum humanarum vis periret. Quòd ſi de legibus, non purè, ſed mixtè pœnalibus ſit ſermo, eas in conſcientia non obligare, vulgi errorem vocat Sotus. Adverſus quem errorem Alphonſus à Caſtro libris duobus de lege pœnali ex profeſſo invehitur; ſignanter l. 1. c. 8. ubi ſic: *Circa poteſtatem, quam lex pœnalis in ordine ad culpam habet, ſcio tam à multis erratum, ut jam proverbii loco illorum error ſub hoc verborum tenore celebretur: nulla lex pœnalis obligat illius tranſgreſſores ad culpam aliquam: quia ſatis eſt quod tranſgrediens legem exponat ſe periculo pœnæ per legem impoſitæ. Qui error cum multorum animas læſerit, ut certâ experientiâ didici, ad diverſa peccata committenda audaciam tribuens, coactus ſum talem errorem ampliſſimis rationibus convincere.* Et infrà: *Non ſolum indoctum vulgus video eſſe hoc errore deceptum; ſed multos alios, qui ſe pro doctis haberi volunt, audio in hunc errorem lapſos.* Eandem opinionem Salas diſput. 15. n. 10. improbabilem cum multis doctiſſimis Recentioribus cenſet. Et certè videtur contraria rationi: pœna enim imponitur, quominùs tranſgreſſio fiat. Ergo non debet removere obligationem in foro animæ, ne præbeat occaſionem tranſgrediendi legem; ſicque operetur contrarium ejus, propter quod pœna apponitur. Ideò Caramuel (tametſi indulgentiſſimus) in Reg. S. Bened. diſput. 3. n. 37. *Leges* (inquit) *pœnales mixtas obligare in conſcientia aſſerui. Petis utrùm benignius quidquam reſolvi poſſit? Reſpondeo negativè.... Nam ſi defendi poſſet, legem mixtam non obligare in conſcientia, etiam duæ defendi contradictoriæ poſſent. Idem enim eſt dicere, lex mixta non obligat moraliter, ac dicere, lex quæ ſimul obligat moraliter & pœnaliter, non obligat moraliter, ſed purè pœnaliter. Ubi quis ita cæcus, ut non videat claram contradictionem?*

Inſtabis: præſumendum non eſt, Legiſlatorem velle duplici pœnâ, velut duplici contritione, tranſgreſſores conterere, pœnâ ſcilicet internâ & externâ, æternâ & temporali; ſed potiùs æternam & internam remittere, dum externam imponit & temporalem. 97

Reſpondeo negando antecedens: tum quia non poteſt non velle adſtringere ſub pœna interna, ſi legem veram ferre velit. Tum quia licèt id poſſet, nullo modo præſumendus eſſet id velle: quia imprudens eſſet. Dum enim vellet legem firmare, infirmaret, aſtutiſque in arte fraudandi, & occultè tranſgrediendi hominibus, tranſgrediendæ legis occaſionem præberet. Nec injuſtum eſt, aut novum, duplici pœnâ, internâ & externâ, temporali & æternâ tranſgreſſores punire. Dum enim Deus eſum pomi vetiti Protoparentibus interdixit, ſub pœna interdixit æternæ damnationis, & mortis temporalis. Legibus quoque eccleſiaſticis, ultra obligationem ſub culpa, ſæpiſſimè imponitur obligatio ſub cenſura. Denique in cap. *Imperatores* 11. q. 3. dicitur: *Inter homines pœnam luet, & apud Deum ſortem non habebit, qui hoc facere noluit.*

Pro hujus materiæ complemento adde legem pœnalem, quæ pœnam decernit infligendam, non obligare ante ſententiam Judicis condemnatoriam. Quia in pœnis benignior interpretatio facienda. Reg. 49. juris in 6. pœnam etiam, quæ actionem rei requirit, ipſe ſubire non tenetur ante ſententiam Judicis, ſaltem declaratoriam criminis, niſi ad religioſam ſpectet obſervantiam (quæ v. g. præcipit orationem, diſciplinam, & ſimilia.) Quia ab humana conſuetudine alienum eſt, ut is qui in legem peccavit, in exilium v. g. proficiſcatur, aut mulctam perſolvat, ante Judicis ſententiam. Pœnis tamen in mera privatione conſiſtentibus, in quas ipſo facto incurri lex declarat, ſtatim conſtringitur, qui legem violavit, v. g.... pœnâ excommunicationis, privationis vocis activæ, aut paſſivæ, ſicut & privationis beneficii, cujus proinde titulo & proprietate ſtatim excidit legis eam ipſo facto infligentis tranſgreſſor, tametſi ſeipſum beneficio ſpoliare non teneatur ante ſententiam declaratoriam, niſi id lege ſit expreſſum. Unde Parochi, qui in pœnam privationis beneficii ipſo facto incidit, acta valent; confeſſioneſque ipſi factæ, ſicut & datæ abſolutiones, validæ ſunt, prout Theologi uno conſenſu docent, approbatque Mater Eccleſia, ut conſcientiarum quieti conſulat. Fructus etiam retinere poteſt, modò beneficii onera exequatur (niſi lex contrarium ſtatuat) quia ad iſta ſufficit titulus coloratus, cum errore communi.

CAPUT XII.

Etiam monetariæ, & tributariæ leges in conscientia obligant.

98 VAlerus tit. 13. §. 9. cùm multa allegasset pro obligatione legis pœnalis in conscientia, subjungit ut sequitur : *Vellem in contraria opinione perstantes adduci ad casus qui maximè perturbant Rempublicam, & ad tot tantasque aporias redigunt ejus Principem. Quales vidimus anno 1646. & sequentibus usque ad annum 1652. quibus populus Belgicus indomite contumax fuit Edictis Regis super re monetaria. Et hîc* (Duaci) *ubi scribimus, circa fraudes vectigalium, super vino & cervisia impositorum, fomento, & illecebrâ istius erroneæ opinionis, licere transgredi leges pœnales. Adeò ut Rex coactus fuerit exprimere, per impositionem pœnæ se non remittere culpam in casu monetario. In altero verò Edicto severissimo, omnes ad juramentum adigere, de non fraudandis vectigalibus. Et in minùs grassantis mali casu, respondit Facultas Theologica, hujus & Lovaniensis Universitatis, anno 1632. affirmantissimè, & sine ulla dubii oppositi formidine, Edicta pœnalia super re monetaria subditos obligare in conscientia. Extant utriusque Universitatis responsa prælo exhibita, cum alio doctissimorum Patrum Societatis Doctorum, du Trieu, le Roy, & la Croix, inter Resolutiones Sylvii tom. 2. verbo moneta. Quæ Facultates, Duacensis & Lovaniensis, etiam fortiùs affirmant, contrarium sine errore à Catholicis teneri non posse.*

99 Sed quid de legibus tributariis, id est, quibus tributa & vectigalia indicuntur? Sive sint veræ leges, sive non, sive etiam vectigalium impositio fiat adjectâ, sive non adjectâ pœnâ, in conscientia obligare, communis & vera opinio est, licèt contrà sentiant Angelus, Navarrus, Soncinas, Bartolomæus Medina, & quidam alii. Quorum fundamenta sunt sequentia. 1°. quòd sic videatur consuetudine receptum, ut leges, seu indictiones vectigalium non obligent sub culpa, sed sub pœna, siquis deprehendatur ea fraudasse. 2°. quòd leges imponentes tributa & gabellas, non censeantur determinatè prohibere defraudationem, sed indeterminatè, *solve sine fraude, vel da mulctam, si deprehensus fueris.* 3°. quòd Princeps, ea imponendo, non intendat, ut tam accuratè solvantur : si enim accuratè solverentur, forent justo majora. Unde Philippus II. Hispaniarum Rex, conquerentibus Ministris, quòd à multis vectigalia fraudarentur, fertur respondisse : *Sinite eos, furantur enim de suo.* 4°. quòd per adjectionem pœnæ sufficienter compensetur Regi quidquid per fraudationem ipsi decedit. 5°. denique quòd leges tributariæ, sic explicatæ, moderatæ sint, & tolerabiles ; aliter verò explicatæ, nimis duræ sint, & fortassis injustæ. 6°. quòd saltem omnia vectigalia nova injusta sint.

Sed his non obstantibus vera est (ut dixi) communis opinio, quæ leges illas obligare dicit in conscientia. Quam Alphonsus à Castro lib. 1°. de lege pœnali c. 10. tam certam existimat, ut contrariam doctrinam *errorem* vocet, & quidem *errorem pestiferum.* Sic enim habet : *Ex hac falsa doctrina mihi constat multos denegasse Regi Hispaniæ tributa. Rem mihi notam narro, quam ego ipse vidi, & non quam ex aliorum relatione didici. Nam multi mercatores, in variis Hispaniæ locis, me de hac re consuluerunt, quibus constanter, & eodem tenore semper respondebam, illos qui talia tributa denegant, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem.* Et infrà : *Hæc causa fuit, quæ me ad hoc opus scribendum impulit, ut huic errori pestifero, quem sciebam multorum peccatorum fuisse causam, occurrerem. Timebam enim illud Isaiæ :* " Væ mihi, quia tacui. " *Et illud Leonis :* "Qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat. " *Quis enim vir doctus, & Catholicus tolerare potuisset tam pestiferam sententiam, quæ docet furta sine peccato exerceri, & quæ furto sublata sunt, sine peccato retineri ?* 100

Istius doctissimi Authoris zelum prosecutus est Carninus in tract. de vi & potest. leg. p. 2. c. 7. Valerus tit. 13. §. 10. & Judocus Damhouderius in praxi crimin. c. 101. n. 16. contrariæ opinionis patronos vocans *rerum mundanarum imperitissimos.* Et reverà *videtur mutata jam scena à tempore Christi* (ait Valerus) *nec jam amplius fraudes publicanorum*, sed civium adversus publicanos, arguendas *esse : illi enim ab his justificati, sive illi multò, quàm hi hodie justiores sunt.* Sed hisce censuris Apostolico judicio relictis, nostra & communis assertio 101

Probatur 1°. ex Scriptura, ex qua habemus, tributa esse debita Regibus & Principibus ex justitia. Matth. 22. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari* : his enim verbis Christus, viso numismate censûs, seu tributi, quod Cæsari pendebatur, tributum illud ita probavit, ut voluerit illud Cæsari reddi, tamquam rem quæ Cæsaris esset, seu debita ipsi ex justitia, cujus est suum cuique reddere. Idem tradit Apostolus Rom. 13. *Ideò & tributa præstatis : ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal*, &c. Ex quo utroque loco patet, tributa & vectigalia Principibus debita esse lege divinâ, dumque ab hominibus positivè determinatur quantitas eorum, hujusmodi determinationes non esse nisi determinationes, & interpretationes legis divinæ. Cujusmodi leges in conscientia obligare, nemo it inficias. 102

2°. Quemadmodùm Princeps ex justitia debet Reipublicæ curam & vigilantiam pro 103

illius conservatione & tranquillitate; sic Respublica ex justitia debet Principibus suis, pro regalis statûs decentia, sustentationem, subsidiaque necessaria ad regni onera sustinenda, & ad salutem Reipublicæ procurandam. Istorum verò subsidiorum præstatio fit per solutionem tributorum, vectigaliumque, quorum taxatio fit per leges positivas. Ista proinde subsidia sunt stipendia Principibus ex justitia debita; sicut decimæ sunt stipendia Ecclesiæ ex justitia debita, pro sustentatione Pastorum, &c. Teste namque Apostolo 1. Cor. 10. *nullus militat stipendiis suis.* Reges autem & Principes Reipublicæ saluti, communique omnium paci militant.

104 3°. Tributa & vectigalia Principibus debita esse ex justitia, communis mundi sensus & usus ostendit. Jus namque illa exigendi Ministri Regum & Principum publicanis vendere solent, istamque venditionem communis mundi sensus & usus approbat.

Igitur publicani, per contractum emptionis, jus strictum acquirunt ad illa. Proinde graviter contra justitiam peccant, qui justum vectigal notabiliter defraudant, suntque rei furti; atque adeò tenentur ad restitutionem. Ideò Joannes Valerus de differentiis utriusque fori, differentiâ 2. mercatores vectigalia justa non solventes, non existimat tutos in conscientia, ne tunc quidem, dum minimè petuntur à publicanis, id non advertentibus. Neque enim donare vel condonare præsumuntur: cùm nihil minùs intendant, vel cogitent. Videri potest Augustinus epist. 96. aliàs 124. ad Olympium, ubi debitum fisco non solvere, fraudem vocat: *Neque enim fraus ista, quoniam fisco fiebat, ideò non fiebat.* Unde subjungit, quòd *melius inopia laborem servi Dei tolerant, quàm ut necessariorum facultatem cum conscientia fraudis obtineant*, dimittendumque potiùs agrum, non soluto fisco comparatum (nisi fiscalis debiti remissio per Imperiale beneficium obtineatur) quàm conscientiâ fraudis retinendum.

105 Nec valida sunt fundamenta contrariæ opinionis. Ad primum enim respondeo cum Suarez, Salas, Carnino, &c. negando id consuetudine introductum; imò consuetudinem in contrarium allegari à Carnino. Ut ut sit, cùm tributorum institutio de regalibus sit, pertineatque ad supremam potestatem, præscribi non potest per privatorum consuetudinem. Covarruvias qq. practicar. c. 4. nec consuetudo contra legem humanam prævalere potest, nisi consentiente Principe: quem in puncto gabellarum non consentire, patet ex eo quòd fraudantes puniat, & in Belgio suam in contrarium intentionem aperte declaraverit per exactionem jusjurandi, de iis non fraudandis. Denique tributa & gabellæ, non secùs ac decimæ, debentur jure divino, & naturali. Contra quod omnis humana consuetudo, non tam consuetudo est, quàm corruptela.

Ad secundum respondeo contrarium pa- 106
tere ex breviculis vectigalium, quæ non continent alternativam, solvendi vel luendi; sed solùm determinant quantitatem vectigalis solvendi.

Ad tertium respondeo negando assump- 107
tum. Quod solidè non probatur ex dicto illo Philippi II. utpote qui dum dixit (si tamen dixit) *finite illos*, facetè dixit. Dum verò subjunxit *furantur*, furti peccatum supposuit. Nec contrarium insinuavit, addendo ly *de suo*: quamvis enim verè fures sint, qui vectigalia fraudant; furantur tamen quodammodo de suo, pro quanto sibi retinent pecunias suas, tametsi Regi, vel publicanis ex justitia debitas.

Ad quartum respondeo, istud etiam as- 108
sumptum negari à publicanis, & Judicibus. Et meritò, tum quia per astutiam & subtilitatem fraudantium, pœnæ ut plurimùm eluduntur. Tum quia mulctæ, quibus aliqui plectuntur, non compensant fraudes aliorum, sed diligentiam, cautelam, & sumptus publicanorum in iis detegendis.

Ad quintum respondeo 1°. negando, 109
quòd leges tributariæ, sensu nostro explicatæ, nimis duræ sint, vel injustæ. Neque enim tales censere potest, qui compertas habet maximas Reipublicæ necessitates, saltem in afflictissimo Belgio nostro, ubi gravissima bella à sæculo perdurant, nec quantacumque tributa sufficiunt ad publicas necessitates, uti manifestum facit experientia, publicique ærarii inopia.

Respondeo 2°. dato, non concesso, quòd 110
tributa aliqua nimiùm dura essent, intolerabiliaque, saltem non omnia esse talia. Omnia tamen fraudantur. Nec ea quidem, quæ intolerabilia videri possent, si in totum solverentur, etiam in parte solvuntur, tametsi in parte evidenter tolerabilia. Causa proinde fraudum non tam est prætensa illa intolerabilitas, quàm naturæ corruptæ tenacitas & cupiditas, suggerens excusationes in peccatis.

Respondeo 3°. nulli sapienti, in Belgio 111
nostro, dubium esse posse de justitia vectigalium, tum ob præmissa, tum quia in Belgio, non tam imperantur, quàm impetrantur, nullaque, absque consensu Ordinum, qui populi tutelam gerunt, imponuntur.

Respondeo 4°. Sicut in dubio de justitia 112
aliarum legum, vel etiam de justitia belli v. g. obligatio est parendi, juxta Augustinum 22. contra Faustum c. 47. sic & in dubio de justitia tributorum impositorum. In dubio namque præsumendum pro Principe, & justitia legum, ordinationumque ipsius. Nec privatorum est judicare leges & ordinationes, quarum occultas rationes ut plu-

rimùm ignorant) ſed vivere ſecundùm leges , &c.

113 Et propterea ſententia Angeli, Navarri, &c. non ſolùm omni deſtituitur fundamento, ſed & Regi , bonoque communi adverſatur , & à Doctoribus communiter reprehenditur , teſte Sylvio. Navarri quoque ſententia , quòd mortaliter non peccent aſportatores mercium è regno , non ſoluto vectigali, nec piſcantes in fluminibus vetitis, vel in ſilvis ligna cædentes, pecorave paſcentes contra prohibitionem : hanc (inquam) ſententiam Becanus periculoſam vocat. Cùmque Lovanii, Præſide eximio D. Martino Steyartio, publicis in Theſibus defenſa fuiſſet propoſitio aſſerens nec peccare, nec ad reſtitutionem teneri eum, qui de taxa præſcripta ſubtrahit, quantum bonâ fide credit, ſe ſupra alios ſuæ conditionis gravatum iri , ſi totam taxam ſolveret : propoſitionem iſtam , ad ſe delatam, Supremum Brabantiæ Conſilium 11. Julii 1693. ſcandaloſam , Majeſtatiſque juribus, Statibus, & publico pernicioſam declaravit.

114 Ad ſextum reſpondeo à nonnullis omnia vectigalia nova improbari velut injuſta ; maximè impoſita ſuper rebus ipſo uſu conſumptibilibus , & ſuper eſculentis & poculentis. Verùm ipſi non ſatis attendunt publicam neceſſitatem , plerùmque adeò urgentem , ut ei ſublevandæ nec antiqua vectigalia ſufficiant , nec nova , quæ ſuper aliis rebus imponuntur. Ideòque dum ea indiſtinctè damnant , errandi anſam ſemidoctis præbent. In noſtro præſertim Hiſpanico Belgio, in quo vectigalium illorum juſtitiam & neceſſitatem , nedum uſus à multis retrò annis frequentiſſimè oſtendit , ſed & unanimis ſenſus omnium Belgii Ordinum (qui pro iis imponendis ſupplicare ſolent Regi) quorum (utpote expertorum , compertaſque habentium publicas neceſſitates , earumque cauſas) unanimis hac de re ſenſus inconſiderationem arguit contradicentium.

CAPUT XIII.

Omnis lex in conſcientia obligans , obligat ſub culpa , venali , vel mortali.

115 ESt adeò communis aſſertio Theologorum omnium , ut prorſus ſingularis ſit contraria Recentioris cujuſdam opinio diſp. 3. de legib. n. 19. dicentis non omnem tranſgreſſionem legis æternæ eſſe peccatum mortale , vel veniale , Auguſtinianamque peccati definitionem , *dictum , factum , vel concupitum contra legem æternam* , latiùs patere, quàm peccatum mortale , vel veniale , convenireque peccato , nec mortali, nec veniali, quod vocat immediatè à parte rei individuatum ſub peccato in genere. Qui etiam Author diſput. 6. n. 26. dicit, obligationem in conſcientia multùm differre ab obligatione ſub culpa, ut patet (inquit) ex Regula Dominicanorum , aliorumque quorumdam Religioſorum. Illæ enim obligant in conſcientia (utpote dictante Regulas illas eſſe ſervandas) non verò ſub culpa : cùm exprimant ſe non obligare ſub culpa.

Sed contra ipſum aſſertio noſtra probatur. 116
1°. Quia omnis tranſgreſſio legis , verè & propriè in conſcientia obligantis , eſt vera & propriè dicta tranſgreſſio legis Dei æternæ, ut conſtat ex dictis num. 80. Sed omnis vera & propriè dicta tranſgreſſio legis Dei æternæ , eſt veri nominis peccatum , adeòque culpa (ut conſtat ex Auguſtiniana & Ambroſiana peccati definitione) omne autem veri nominis peccatum , vel mortale eſt , vel veniale. Neque enim à parte rei magis dabile eſt veri nominis peccatum , nec mortale , nec veniale , quàm veri nominis peccatum , nec grave , nec leve. Quod tam impoſſibile eſt quàm quantitas à parte rei, nec magna , nec parva.

2°. Quia novum iſtud & inauditum peccati individuum ſuus Author definire non poteſt , nec naturam ipſius explicare. Neque enim benè ipſe explicat, dicendo, quòd ſit peccatum non privans hominem gratiâ ſanctificante, ſed ſpecialibus Dei favoribus, gratiiſque quibuſdam actualibus. Iſta namque eſt definitio , ſeu explicatio peccati venialis, quam omnes paſſim Doctores tradunt, nec aliam ipſe proferre poteſt.

3°. Singulares opiniones , contra Theolo- 117
gos omnes , abſque cogente fundamento non ſunt introducendæ. Id enim ſapientum omnium judicio temerarium reputatur , uti oſtendimus to. 1. de Deo diſtinct. 1. q. 1. a. 3. & q. 5. a. 3. Sed opinio quæ ponit peccatum à parte rei nec mortale , nec veniale , ſingularis eſt , & contra Theologos omnes (diviſionem namque peccati propriè dicti in mortale & veniale , velut adæquatam , Theologi omnes hactenùs receperunt & tradiderunt) nec ullum habet fundamentum cogens. Non enim ex ſacris Litteris, non ex ſacris Canonibus, non ex Patribus, utpote ſolam facientibus mentionem peccati mortalis & venialis. Non denique in ratione petita ex ſupradictis Religioſorum Regulis. Quia Regulæ illæ ad materiam in eis præſcriptam , ex ſe non obligant ſub peccato propriè dicto , ſed ſub pœna dumtaxat, prout expreſsè declarant. Ex illis ergo ſolidè probari nequit veri nominis peccatum , quod nec mortale ſit , nec veniale. Neque laudatus Author citatâ diſp. 3. n. 19. verè dicit tranſgreſſioni Regularum illarum per ſe convenire Auguſtinianam peccati definitionem : cùm id ſit contra expreſſam Regularum illarum expreſſionem , & contra id quod ipſemet diſput. 6. n. 24. expreſsè dicit, Regulas illas ſub culpa non obligare , ſed ſub pœna dumtaxat.

CAPUT XIV.

Leges humanæ, tam civiles, quàm ecclesiasticæ, in materia gravi, per se obligant sub culpa mortali; in levi, sub veniali.

118 PRobatur imprimis de legibus ecclesiasticis. Quia licèt legum humanarum transgressionem, etiam in materia gravi, secluso contemptu, & scandalo, non esse mortalem, docuisse dicatur Gerson: omnes passim Doctores opinionem istam prorsus improbabilem censent. Et Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.*

119 Pro judicanda verò materiæ gravitate, tametsi determinata regula assignari nequeat, quæ omnes omninò casus comprehendat; regulæ sequentes ut plurimùm servire poterunt.

Prima: pœna gravis, ut excommunicationis majoris, capitis, exilii perpetui, &c. signum est materiæ gravis.

Secunda: si lex communi fidelium sensu & apprehensione censeatur graviter obligatoria, signum est materiam illius esse gravem.

Tertia: ad ferendum judicium de materiæ gravitate, non sufficit considerare rem absolutè, & secundùm se præcisè (contingit enim rem absolutè exiguam, attentis circumstantiis esse respectivè gravem, prout fuit esus pomi Adamo vetiti) sed oportet eam considerare cum omnibus circumstantiis suis, temporis, loci, personarum, & maximè finis à Legislatore intenti.

Quarta: ad dijudicandam materiæ gravitatem, non sufficit etiam quòd finis ob quem præcipitur, vel prohibetur, sit in se magni momenti; sed oportet quòd ad finem illum magni momenti vel necessaria sit, vel multùm conducens. Sola proinde materia illa in legibus humanis censetur gravis, quæ vel necessaria est, vel valdè utilis ad notabilem finem à Legislatore intentum.

120 Probatur quoque assertio generaliter de quibuscumque legibus, etiam civilibus, quia earum transgressio in materia gravi, per se est transgressio legis divinæ in materia gravi, juxta dicta n. 80. Sed transgressio legis divinæ in materia gravi, est mortalis, ut omnes fatentur. Ergo.

121 Sed, hoc dato, quæritur, an saltem per accidens, ex intentione Legislatoris, fieri possit, ut transgressio legis humanæ, in materia gravi, mortalis non sit, sed venialis dumtaxat? Affirmant Navarrus, Suarez, Sanchez, Bonacina, Arriaga, Salas, & novissimè Jacobus Boudart tom. 2. tract. 4. de legib. §. 30. Sed probabiliùs negant Victoria, Sotus, Salmeron, Bellarminus, Arragonius, Medina, Vasquez, Tannerus, Becanus, Sylvius, Caspensis, Amicus, Mastrius; estque sententia communior, ut Mastrius testatur disput. 2. de legib. q. 5. n. 142.

122 1°. Quia hoc ipso quòd Legislator humanus veram fert legem in materia gravi, obligatio gravis sequitur ex natura rei, vel ex lege divina, nec Legislator humanus hoc impedire potest; sicut impedire non potest, ne obligatio in conscientia, & sub culpa, ex natura rei, vel ex lege divina, sequatur, hoc ipso quòd veram fert legem, ut ostensum est cap. 9.

123 2°. Hoc ipso quòd Legislator humanus veram fert legem in materia gravi, lex divina, de obediendo Superiori legitimè præcipienti, obligat in materia gravi, nec hoc Legislator humanus impedire potest. Sed omnis lex divina, in materia gravi, obligat sub mortali, nec hoc etiam Legislator humanus impedire potest. Quod enim Boudartius ait, lege divinâ, de obediendo Superiori legitimè præcipienti, non induci aliam obligationem, quàm sit ea quæ provenit ex voluntate istius Superioris legitimè præcipientis, solùmque juberi iis obediri sub veniali, si Superior iste solùm sub veniali jubeat. Verum non est: tum quia divinæ legis obligatio (de obediendo, &c.) ab ipsa lege divina procedit, non ab humana, cujus obligatio potiùs à divina lege derivatur, quàm è converso, juxta illud D. Thomæ 1. 2. q. 96. a. 4. *Leges humanitùs positæ habent vim obligandi in foro conscientiæ à lege æterna, à qua derivantur, secundùm illud Proverb.* 8. " Per me Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt. " Et illud Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt*, &c. Tum quia aliàs similiter dici posset, lege divinâ, de obediendo Superiori legitimè præcipienti, non induci aliam obligationem, nisi quam Superior voluerit, ac per consequens per eam non induci obligationem in conscientia, si Superior veram legem, seu præceptum ferens, non velit legem suam, vel præceptum obligare in conscientia, sed sub pœna dumtaxat. Quod Boudartius §. 29. meritò negat.

124 3°. Non est in potestate jurantis, vel volentis, in materia gravi, se solùm obligare sub culpa levi. Similiter ergo non est in potestate legem veram ferentis, in materia gravi, solùm obligare sub culpa levi. Consequentia bona est à paritate rationis. Antecedens est communis sententia Doctorum, & probatur, quia aliàs posset quis voto perpetuæ castitatis se obstringere, vel summam valdè notabilem Deo, Sancto vel Ecclesiæ sub juramento promittere, sub veniali dumtaxat. Quod si verum esset, de multis ejusmodi votis, juratisque promissionibus, meritò dubitari posset, utrùm obligent sub mortali, quando obligationem istam volentes, vel promittentes non expresserunt, nec de ea cogitaverunt. Neque enim

est cur tunc præsumendi sint voluisse, in materia gravi, se per ejusmodi vota & promissiones obligare sub culpa gravi, si potuerint sub levi. Si enim Legislator (secundùm adversarios) præsumendus non sit voluisse, in materia gravi, subditos per legem obligare sub culpa gravi, nisi id expresserit, vel signo aliquo, à materiæ gravitate distincto, sufficienter manifestaverit: cur non pariter philosophandum de vovente, jurante, promittente? cur votum, juramentum & promissio, in dubio, potiùs præsumi debet factum proportionatè ad materiam, quàm lex, vel præceptum? An ideò dicent voventem, & sub juramento promittentem, non teneri voto & juramento sub culpa gravi, in materia gravi, nisi id expresserit, vel signo aliquo, à materiæ gravitate distincto, manifestaverit? At in contrarium est communis sensus Doctorum, communisque apprehensio timoratorum fidelium. Sicut ergo votum & juramentum, sic lex & præceptum, in materia gravi, semper obligant sub culpa gravi, & in dubio præsumi debet factum proportionatè ad materiam.

Solvuntur objectiones.

125 OBjicies 1°. Lex est actus Legislatoris; obligatio verò est effectus moralis istius actûs. Sed actus agentium, in moralibus, non operantur ultra intentionem eorum. L. *non omnis* ff. *si certis*. Si igitur Legislator, in materia gravi, solùm obligare velit sub culpa levi, lex sic solùm obligabit.

Respondeo 1°. argumentum istud nihil probare, quia nimium probat, videlicet obligationem in conscientia non inducendam per legem, si intentio Legislatoris sit solùm obligare sub pœna. Votum item & juramentum (utpote actus voventis, & jurantis, qui non operantur ultra intentionem agentium) in materia gravi non obligare sub culpa gravi, si vovens & jurans solùm intendat se obligare sub levi.

126 Respondeo 2°. actus agentium non operari ultra intentionem eorum, in iis quæ ab eorum voluntate dependent, per eamque impedibilia sunt. Quemadmodùm verò obligatio in conscientia, sic quantitas illius, suppositâ materiæ gravitate, non pendet à voluntate Legislatoris, veram legem ferre volentis, nec per eam impedibilis est, sed vel ex natura rei, vel ex divina lege resultat, prout à simili constat ex dictis de voto, juramento, &c.

127 Objicies 2°. Legislatori, in materia gravi, liberum est legem ferre, vel non ferre, sicut & materiam gravem proponere servandam sub præcepto, vel sub consilio dumtaxat. Ergo pariter ipsi liberum est, in materia gravi, ferre, vel non ferre legem obligatoriam sub culpa gravi.

Respondeo 1°. etiam istud argumentum nimium probare, videlicet liberum esse Legislatori veram ferre legem, quæ tamen obligatoria non sit in conscientia; liberum item voventi & juranti facere verum votum, vel juramentum, in materia gravi, non obligatorium sub culpa gravi.

Respondeo 2°. Sicut liberum est Legisla- 128
tori veram legem ferre, vel non ferre; ex supposito tamen quòd veram legem ferre velit, non magis ipsi libera est qualitas obligationis (puta obligatio in conscientia) quàm voventi & juranti, seu aliquid sub juramento promittenti (verum quippe votum, & juramentum in conscientia non obligatorium, hactenùs inter Theologos non est auditum) sic ex eodem supposito, suppositâ item materiæ gravitate, non magis ipsi libera est quantitas obligationis in conscientia, quàm libera sit voventi & juranti.

Objicies 3°. Ecclesiæ præceptum de non 129
communicando in humanis cum excommunicato, deque recipiendo Confirmationis Sacramento, solùm obligat sub culpa levi; licèt obligare possit sub gravi, atque adeò versetur in materia gravi.

Respondeo negando antecedens, quoad receptionem Sacramenti Confirmationis, si necessaria sit necessitate præcepti ecclesiastici (qua de re tom. 3.) at secundùm aliquos solùm necessaria est necessitate præcepti divini, quod in materia gravi haud dubiè obligat sub culpa gravi. Quoad communicationem verò cum excommunicato, si eam Ecclesia solùm prohibeat sub culpa levi (de quo etiam alibi) signum est, quòd, in circumstantiis in quibus eam prohibet, non judicet abstinentiam illius graviter necessariam esse ad finem à se intentum; per consequens non esse materiam gravem.

Objicies 4°. Regula Carmelitarum, ex 130
communi Religionis sensu, solùm obligat sub veniali, ad abstinentias & jejunia per eam præscripta: quæ tamen haud minùs sunt materia ex se gravis, quàm abstinentia & jejunia ecclesiastica.

Negat antecedens Thomas à Jesu; sed eo concesso (uti noster Lezana concedit tom. 1. Summæ c. 7. n. 6. ex communi Religionis sensu, qui optimus est legum interpres) respondeo hoc ideò esse, quia servatis iis quæ ad votorum substantiam spectant, abstinentias illas & jejunia singula Religio non censet esse materiam formaliter gravem, respectivè ad finem quem intendit, qui est tendentia ad perfectionem, in actibus internis principaliter consistentem, eò quòd in iis subinde ex humana fragilitate, non ex consuetudine, neque ex contemptu deficientem non censeat per singulas transgressiones graviter, sed leviter dumtaxat deficere à fine illo per Regulam intento; tametsi abstinentiæ illæ & jejunia materialiter fortè sint materia gravis, vel

etiam

etiam formaliter in ordine ad alios fines, quos Ecclesia principaliter intendit, dum abstinentias & jejunia præcipit. Nec hoc mirum videri debet, quandoquidem una eademque materia, in ordine ad unum finem levis, in ordine ad alium finem reputetur gravis, ut constat in esu pomi, qui secundùm se est materia levis, sed in ordine ad finem ob quem Protoparentibus prohibitus fuit, formaliter gravis fuit; sicut & infusio modicæ aquæ in Calice. Quomodò etiam transitus per talem plateam, ingressus in talem domum, colloquium cum tali persona, secundùm se præcisè sunt materia levis, sed respectivè ad certas circumstantias, materia gravis, uti sapienter observant Valentia, Salas, Sylvius, &c.

131 Porrò finis Carmeliticæ Religionis, in supradictis punctis, est, uti dixi, præscribere modum tendendi ad perfectionem, ad quam licèt quilibet Religiosus sub mortali tendere teneatur in communi; non tamen in singulari, id est per singulos actus vitæ, vel regulæ suæ. Quia defectus in nonnullis actibus singularibus, hinc inde, citra contemptum accidentes, non censentur deficientiæ notabiles à mortali obligatione tendendi ad perfectionem.

132 Objicies 5°. illud Melliflui Doctoris in lib. de præcept. & dispens. c. 10. *Majora, minoraque præcepta dixerim, secundùm quod majus minusve velle constiterit illum, qui præcipit, sive Deum, sive hominem.* Igitur major vel minor, atque adeò gravis vel levis obligatio præcepti (secundùm ipsum) pendet à voluntate præcipientis.

Respondeo negando consequentiam. Neque enim majorem vel minorem præcepti obligationem petit ex voluntate præcipientis utcumque, sed secundùm quod fertur in majus vel minus objectum. Illam proinde petit ex voluntate præcipientis, proportionatâ naturæ & magnitudini rerum præceptarum. Id enim apertè sonant verba ista, *secundùm quod majus minusve velle constiterit illum*, &c. sicut & exempla quæ subjungit: quòd Deo magis displiceat *furtum alienorum, quàm tenacitas propriorum bonorum.* Item, quòd *in mandatis hominum.... pro variis necessitatibus agendorum, injungentium assertio varietur, quodque putaverint rectius & commodius, hoc ampliùs cupiunt, & exigunt observari.* Objectum proinde Melliflui Doctoris testimonium assertionem nostram firmat, non infirmat; præsertim cùm pariter loquatur de divinis, ac de humanis præceptis; divina verò, in materia gravi, graviter obligare, ne ipsi quidem negant adversarii.

CAPUT XV.

Lex ecclesiastica indirectè obligare potest, & de facto obligat ad actus internos.

ACtus interni dupliciter cadere possunt 133
sub legem, directè & indirectè. Directè, dum per eam præcipiuntur, vel prohibentur per se, & ratione sui, & non solùm ratione actûs externi. Indirectè, dum non præcipiuntur, vel prohibentur per se, & ratione sui, sed ratione actûs externi, cui conjunguntur; ut scilicet actus externus humano modo fiat, vel constituatur in specifica ratione actûs præcepti, vel prohibiti.

Quòd itaque lex ecclesiastica indirectè ob- 134
ligare possit ad actus internos, communissima est sententia Doctorum, & probatur 1°. quia contraria opinio cujusdam Recentioris, non solùm est contra omnes ferè Doctores, sed & contra communem fidelium, Ecclesiæque sensum & usum, ut ex dicendis apparebit. Est etiam contra sacra testimonia capite sequenti proferenda, quæ (utpote favorabilia Ecclesiæ, ejusque potestati) restringenda non sunt, absque fundamento in Scriptura & Patribus, sed amplianda proportionatè ad finem ecclesiasticæ potestatis. Non solùm quia Ecclesiæ favores sunt ampliandi, sed & maximè, quia proximus & immediatus finis potestatis ac legis ecclesiasticæ, in materia sibi propria, non est sola externa politia ecclesiastica; sed est interna & æterna salus animarum, ut constat ex dictis cap. 8. Igitur per Ecclesiam, etiam sistentem in materia sibi propria, præcipi possunt actus ad finem illum proficui, saltem non nimis ardui & difficiles, nec divinæ legi contrarii. Atqui actus externi, sine internis, ad finem illum nihil proficiunt, sed deficiunt potiùs, ut patet in externa horarum recitatione, sine interna attentione & devotione, sed cum voluntaria distractione, vel etiam cum prava intentione, &c.

2°. Opinio illa non satis consulit digni- 135
tati ecclesiasticæ potestatis, in materia sibi propria, dum eam usque adeò decurtat, ut neget eam extendi ad præcipiendum actum virtutis, secundùm rationem formalem, seu animam virtutis, solùmque ei subjicit materiale, seu cadaver virtutis, cui satisfiat actu externo hypocritico, v. g. hypocriticâ devotione, dum capite *dolentes* de celebr. Miss. devotam præcipit horarum recitationem. Quam certè non solùm præcipit ut interpretatrix divinæ legis, sed ut rectrix ecclesiasticæ disciplinæ; sicut dum præcipit jejunia, abstinentias, &c. Cùm nullum sit fundamentum aliter de illa, quàm de istis philosophandi.

3°. Opinio illa non ædificat bonos fide- 136
lium mores, sed dissipat; nec reformat, sed

laxat: cùm ex ea consectarium sit 1°. præcepto merè ecclesiastico, de Missa diebus festis audienda, satisfieri, eam audiendo cum reverentia quidem externa, sed interno animo irridendi divina mysteria. 2°. præcepto merè ecclesiastico, de horis recitandis, satisfieri, eas recitando cum voluntaria distractione, vel etiam recitando ex sola curiositate (sicut leguntur gazetæ) sine ulla interna devotione, determinante externam illam recitationem ad speciem orationis, potiùs quàm curiositatis, &c. 3°. præcepto annuæ confessionis & communionis, quà ecclesiastico præcisè, satisfieri per confessionem voluntariè nullam, vel communionem sacrilegam, ob voluntarium defectum purè internum. Quas sequelas certum est admitti non posse; cùm Alexander VII. damnaverit hanc propositionem: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Innocentius quoque XI. proscripserit hanc: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam corporis Domini manducationem.*

137 Nec propositiones istæ dici possunt solùm damnatæ, intelligendo eas de ecclesiastico præcepto confessionis & communionis, quà interpretativo, vel determinativo divinæ legis, adeòque quà divino, non quà ecclesiastico præcisè. Quòd enim præceptis illis, quà divinis, satisfiat sacrilegâ communione, vel confessione, nullus unquam Catholicus dixit. At Alexander & Innocentius in Decretis suis testantur, damnatas illas propositiones ab aliquibus Doctoribus, vel Professoribus Catholicis traditas, & ideò damnatas fuisse. Causa namque damnationis 45. propositionum ab Alexandro VII. est quia audivit, non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones, Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, *partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire.* Nec Innocentius XI. damnavit, nisi propositiones, *partim ex diversis vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas*, prout uterque loquitur in narrativa Decreti sui.

Denique de veritate assertionis nostræ non est relictus ambigendi locus, postquam S. D. N. Clemens XI. Constitutione suâ, quæ incipit, *Vineam Domini*, definivit, Constitutioni Alexandri VII. Prædecessoris sui circa factum Jansenii debitam esse internam submissionem.

CAPUT XVI.

Valdè probabile est, lege purè ecclesiasticâ, etiam directè præcipi, & prohiberi posse actus internos.

138 Lege purè ecclesiasticâ (id est versante in materia, quæ non sit juris naturalis, nec divini) actus internos præcipi posse, negat (cum nonnullis Antiquis) turba Recentiorum. Sed affirmat veneranda canities Majorum. Ita nominatim Glossa in cap. *cogitationes* dist. 1. de pœnit. Major in 4. distinct. 12. q. 7. Albertus Pighius l. 6. de Hierarch. Eccles. c. 16. Adrianus in 4. q. 4. de confess. §. *alii probant*, & quodlib. 8. q. 8. Joannes Briardus quodlib. 2. Jacobus Latom. de confess. secret. Joannes Lensæus de libert. l. 12. c. 11. Molanus tr. 5. de Repub. c. 81. Jacobus Bajus l. 2. Instit. c. 8. Julius Clarus l. 5. §. ult. q. 91. Medina Cod. de orat. q. 15. Rosella verbo *absolutio*, Corduba l. 4. q. 13. sub finem. Quos è Recentioribus sequuntur Sylvius 2. 2. q. 104. a. 4. Boudartius de legib. tract. 4. §. 35. Merenda tract. de cambio c. 45. & alii, quorum opinionem ideò præferendam censeo, quia rationes & authoritates in favorem ipsius subjiciendæ, longè præponderare videntur rationibus & authoritatibus in contrarium.

Probatur itaque assertio nostra 1°. authoritate Scripturæ, secundùm quam Christus 139
(qui talem Ecclesiæ potestatem haud dubiè concedere potuit) de facto contulit, dum Petro & successoribus amplissimè & illimitatè Joan. 21. dixit: *Pasce oves meas.* Et Matth. 16. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* Neque enim nobis licet ampliſſima & illimitata hæc Christi verba ad solos actus externos coarctare, ratione purè humanâ, sine ullo in sacris Litteris, Canonibus, & Patribus fundamento.

2°. Ex communi sensu & authoritate Ec- 140
clesiæ, quæ suam in actus merè internos potestatem sæpiùs agnovit & exercuit, ut dum Nicolaus IV. in Regula tertii Ordinis S. Francisci, confirmata à Leone X. injungit quotidie Fratribus examen conscientiæ, quod est actus purè internus. Deinde dum in Jubilæo universali dispensat & commutat vota merè interna, etiam de rebus merè internis, v. g. de facienda quotidie oratione mentali. Quamvis enim ista Ecclesiæ potestas in vota, non sit ad ligandum, sed ad solvendum, ab una ad alteram rectè arguitur. Si enim solvendi potestas Ecclesiæ concessa his verbis, *quodcumque solveris super terram*, &c, directè extenditur ad solvendum actus merè internos; similiter ergo ligandi potestas, eidem concessa his verbis, *quodcumque ligaveris super terram*, &c. directè extenditur ad ligandum actus merè internos. Tam enim generalis est tenor concessæ potestatis ligandi, quàm solvendi, tamque ligandi quàm solvendi potestatem sibi ad actus internos collatam Ecclesia censet. Eandem item potestatem agnoscit, dum sacris Ordinibus initiandos obligat ad emittendum votum castitatis. Ad quod licèt Arriaga putet solùm obligare per modum conventionis & pacti; contrarium est verius: quia ad illud obligat etiam nolentes; pactum verò non stat, nisi utraque pars sit volens.

3°.

141 3°. Probatur authoritate Eulogii Presbyteri, sanctitate conspicui, quem aliorum intima penetrasse, & subinde castigasse, author est Sozomenus histor. tripart. l. 8. c. 11.

4°. Ex propositionibus sequentibus ab Innocentio XI. in Michaële Molinos damnatis: *Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodò ad exterius pertingit. Risu digna est nova quadam doctrina in Ecclesia Dei, quòd anima, quoad internum, gubernari debeat ab Episcopo.... quia Ecclesia non judicat de occultis.*

142 5°. Probatur triplici ratione. Prima est, quia Ecclesia potest, justis de causis, voluntatem, & consensum hominis inhabilitare ad vota validè emittenda, illa etiam quæ solo animo, deque materia purè interna fierent, uti probat Suarez l. 3. de voto c. 3. igitur & potest alicui prohibere, ne talia vota emittat.

143 Secunda ratio: Ecclesiæ, etiam ut Legislatricis in propria materia, sive ut Rectricis disciplinæ ecclesiasticæ, finis directus & immediatus, non est sola politia externa, vel disciplina, sed & maximè animarum salus, uti ostendimus cap. 8. igitur Ecclesia directè & per se non solùm præcipere potest actus externos, in ordine ad externam illam disciplinam, sed & internos, ad animarum salutem. Quatenùs enim directè & immediatè ad salutem ordinata, potestatem habet directè & immediatè præscribendi media, & statuendi præcepta, illi fini proportionata: igitur potestatem habet directè & immediatè præscribendi præcipiendique actus internos & spirituales, sine quibus externi ad finem illum internum & spiritualem proportionati non sunt. Sensit vim hujus rationis Suarez loco citato, ideòque ingenuè fassus est, quòd sit in Ecclesia quasi duplex potestas; altera gubernativa fori externi; altera immediatè ordinata ad forum animæ, quam ait se extendere ad actus merè internos. Similiter Layman tr. 4. c. 7. de voto, sic negat Ecclesiæ jurisdictionem in actus internos contentiosam, id est ordinatam ad vindictam & punitionem, ut eidem in eos concedat jurisdictionem proximè tendentem ad animæ salutem.

144 Et confirmatur, quia Ecclesiæ potestas & jurisdictio, quatenùs directè & proximè ad salutem tendit, directè & proximè est spiritualis: ergo directè & proximè versatur circa res & actus spirituales.

145 Tertia ratio: Prælatus Regularis directè obligare potest subditos ad actus merè internos, v. g. ad intentionem Missæ, orationem mentalem, &c. (uti constat ex Regula, & Constitutionibus nostris, à Sede Apostolica approbatis, in quibus ista expresè præcipiuntur) igitur & Ecclesia id potest. Cùm Papa v. g. non minorem, sed majorem habeat potestatem in actus internos subditorum, quàm Prælatus Religionis.

Quòd enim obligatio Regularium fundetur in voluntate, quâ vovens Prælato se voluntariè subjecit secundùm Regulam (adeòque etiam in ordine ad actus internos) sive in voto, quod, quia principaliter fit Deo, ad actus etiam merè internos se extendit. Nihil facit ad tribuendam Prælato Regulari majorem in actus internos potestatem, quàm 146
Papæ, 1°. quia si ratio ista probat pro Prælatis Regularium, probat etiam pro Papa, 147
utpote cui homines voluntariè se subjiciunt per Baptismum, uti per Religiosam Professionem subjiciunt se Prælato Regulari. Sicut enim Religiosi voluntariè fiunt Religiosi, membraque Religionis; sic Christiani voluntariè fiunt Christiani, Ecclesiæque membra. Sicut etiam Religiosi, Religionem profitendo, promittunt obedientiam Superioribus Religionis; sic Christiani, Christianismum profitendo, Baptismumque suscipiendo, promittunt obedientiam Superioribus Ecclesiæ, tamquam Vicariis Christi, à quibus Apostolicum istud usurpari potest: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* Quibus etiam à Christo data est amplissima potestas animas ligandi, & pascendi ad vitam æternam. Professionem quippe baptismalem, votum, promissionem, & pactum esse, Patres omnibus sæculis tradiderunt apud Illustriss. D. Episcopum Castoriensem in tract. cui titulus, *Amor pœnitens* l. 2. c. 6. edit. 2.

2°. Majorem Prælatis Regularibus, quàm 148
Papæ in actus internos potestatem concedere, non est consonum sacris testimoniis n. 137 relatis, contrariumque probatur ex eo quòd Papa sit Generalissimus omnium Religionum, sicut & omnium fidelium.

3°. Potestas Prælatorum Regularium in 149
suos est potestas ecclesiastica. Non suprema. Ergo subalterna, seu dependens, provenienseque ab Ecclesia. Quæ profectò non dat, nisi quod habet.

4°. Si privati homines, suâ voluntate ac 150
voto, Prælatis suis dare possint directam potestatem in actus suos internos: multò magis Christus Ecclesiæ Prælatis, & maximè Papæ eam dare potuit, utpote magis habens internos actus nostros in potestate sua, quàm nosipsi. Christum autem de facto eis contulisse hanc potestatem, constat partim ex allatis sacris testimoniis; partim ex eo quòd Ecclesiæ dederit spiritualem in Christianos potestatem. Ad quod significandum, dedit ipsi Spiritum sanctum, ad regimen populorum, dedit potestatem aperiendi, claudendique cælum, incorporandi corpori Christi, & ab eo separandi; nutriendi fideles pretioso corpore & sanguine suo, &c. Hæc enim liquidò manifestant à Christo datam Ecclesiæ potestatem, cui non solùm corpus, & ea quæ per corpus geruntur, forent directè

subjecta ; verùm etiam animæ, & quæ per animas geruntur.

CAPUT XVII.

Solvuntur objectiones.

151 OBjicies 1°. Angelicam doctrinam 1. 2. q. 91. a. 4. *De his potest homo legem ferre, de quibus potest judicare. Judicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent ; sed solùm de exterioribus actibus, qui patent.*

Respondeo manifestum esse ex contextu, tituloque istius articuli, S. Doctorem nihil aliud intendere, nisi quòd ad sufficienter ordinandos, cohibendosque actus interiores, præter humanam legem, necessaria sit divina; sive quòd humana lex, absque adminiculo legis divinæ, non sit sufficiens ad efficaciter coërcendos internos transgressores. Ad quod manifestandum, immediatè post verba objecta, subjungit: *Ideò lex humana non potuit cohibere, & ordinare* SUFFICIENTER *interiores actus ; sed necessarium fuit, quòd ad hoc perveniret lex divina.* Quia scilicet actus purè interiores humanâ lege solùm prohiberi vel præcipi possunt sub culpa & censura coram Deo incurrenda ; quam siquis interiùs non curaverit, nec fateri voluerit, humanâ potestate, humanoque judicio convinci nequit, nec puniri, sed, quoad hoc, dimitti debet judicio Dei, divinæque legis. Ex quo non magis consequens est, Ecclesiam ad actus internos obligare non posse, quàm ipsam obligare non posse sub reatu peccati mortalis, æternæque damnationis, ex eo quòd eam per se infligere non possit, sed dumtaxat per adjutorium Dei, cujus vices gerit. Et sicut non desinit habere potestatem in actus per accidens occultos, v. g. occultam carnium vetitarum manducationem, ex eo quòd per accidens eam sine Dei adjutorio sufficienter cohibere, sive in judicio contentioso convincere, punireque non possit ; sic non desinit habere potestatem in actus internos, &c.

152 Objicies 2°. Idem S. Doctor 2. 2. q. 104. a. 5. probat dictum istud Senecæ l. 3. de benefic. *Errat, siquis existimat servitutem in totum hominem descendere : pars enim melior exempta est. Corpora obnoxia sunt & adscripta dominis ; mens quidem est sui juris.* Ideòque S. Doctor concludit sic : Et *ideò in iis quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solùm Deo. Tenetur autem homo homini obedire in iis quæ exteriùs per corpus sunt agenda.*

Respondeo hæc non procedere generaliter, & indistinctè, etiam de mente S. Doctoris, tum quia ibidem ad 3. ait, quòd *Religiosi obedientiam profitentur, quantùm ad regularem conversationem, secundùm quam suis Prælatis subduntur.* Regularis autem conversatio, seu vita plurium Regularium, ex præscripto Regulæ ipsorum, est conversatio interna cum Deo, seu vita contemplativa, ut constat ex Regula nostra. Unde & ipse S. Doctor ibidem q. 188. expresè agit de Religionibus, quæ vacant vitæ contemplativæ. In quibus cùm contemplatio, seu interior cum Deo conversatio spectet ad regularem conversationem, non est dubium, in ejusmodi Religionibus, à Prælatis (ex mente sancti Doctoris) præcipi posse aliquid spectans ad puram contemplationem. Non solùm quia (loco antè citato) expresè dicit, quòd Religiosi, *quantùm ad regularem conversationem, suis Prælatis subduntur* ; verùm etiam quia q. 186. a. 5. ad 4. dicit, quòd *votum obedientiæ ipsorum se extendit ad dispositionem totius humanæ vitæ* : quæ, cùm vel activa sit, vel contemplativa, sintque Religiones specialiter institutæ ad vacandum vitæ contemplativæ : igitur votum obedientiæ (in illis) extenditur ad interiores actus contemplationis. Tum quia probabile non est, à tanto Doctore negatam Ecclesiæ potestatem animas ligandi, & solvendi, saltem in foro non contentioso. Certum proinde est, ex mente ipsius, servitutem, seu subjectionem ad Ecclesiam, in totum hominem hoc sensu descendere, nec proinde animas sui juris esse. Proinde dicta illa Senecæ, & S. Thomæ, procedunt de potestate coactiva in foro publico & contentioso, non de purè præceptiva, vel coërcitiva in foro purè interno. In quo Ecclesia non agit præcisè in virtute sua purè humana, sed in virtute superhumana sibi à Christo concessa, de qua nec Seneca agit, nec S. Thomas : de ea namque non procedunt potestas patria & dominativa, in quibus S. Doctor exemplificat ibidem in corpore, & ad 2.

Objicies 3°. De iis Ecclesia non potest ferre 153
legem, de quibus non potest judicare (cùm potestas legislativa conjunctam habere debeat judicativam, seu coërcitivam : aliàs inutilis esset, vel saltem inefficax) sed non potest judicare de actibus merè internis. Quia *Ecclesia non judicat de occultis*, cap. *Sicut* de Simonia. Eique *datum est de manifestis tantummodò judicare*, cap. *tua nos* eod. Et ratio est, quia *secretorum solus Deus Cognitor est, & Judex*, cap. *erubescant* dist. 32. *Homines* quippe *vident ea quæ parent ; Deus autem intuetur cor.* 1. Reg. 16.

Respondeo 1°. sicut Deus Ecclesiæ dedit potestatem ferendi legem obligatoriam in conscientia, tametsi de conscientia nullus hominum judicare queat ; sic dedit ei potestatem ferendi legem de actibus internis, tametsi de iis nullus hominum judicare possit judicio coactionis : sufficit enim quòd de iis judicare possit judicio discretionis, quo judicat an talis, vel talis actus bonus sit, vel malus, an expediat eum præcipi, vel prohiberi, &c.

2°. Sicut Ecclesiæ potestas in actus ex- 154

ternos per accidens occultos (de quibus certum est sermonem esse in objectis canonibus, non verò de merè internis) non redditur per accidens inutilis, nec inefficax, ex eo quòd per accidens conjunctam non habeat potestatem coactivam : Sic Ecclesiæ potestas in actus merè internos, non redditur per se inutilis, & inefficax, ex eo quòd per se conjunctam non habeat coactivam in eos potestatem.

155 3°. Sicut Ecclesiæ potestas ferendi legem obligatoriam sub pœna æterna, non redditur inutilis, nec inefficax, ex eo quòd conjunctam non habeat potestatem per se infligendi pœnam illam, sed solus Deus: sic potestas ejusdem in actus internos, non redditur inutilis, &c. ex eo quòd conjunctam non habeat potestatem per se puniendi vel præmiandi illos, sed solus Deus. Sufficit enim quòd eos punire possit per Deum supplentem quod illi deest ad punitionem similium, taliterque approbantem quod Ecclesia facit, ut contra se, legemque suam factum reputet quod fit contra Ecclesiam Dei vices gerentem, à Deoque authoritatem habentem : sicut sufficit quòd pœnam æternam infligere possit per Deum, &c.

156 4°. Licèt Ecclesia citra divinam revelationem, vel rei confessionem, non possit interiores actus punire pœnâ incurrendâ per sententiam in foro contentioso : benè tamen pœnâ æternâ per Deum infligendâ. Probabile quoque est, quòd pœnâ excommunicationis ipso facto, absque alia declaratione, incurrendâ, punire possit mentales Hæreticos v.g. quamvis id non faciat ob conscientiarum tranquillitatem, inquit Sylvius 2.2. q. 104. a. 5.

157 Objicies 4°. Ecclesia est sensibilis, & visibilis : ergo præcipere nequit nisi actus sensibiles, & visibiles.

Respondeo negando consequentiam. Tum quia ex antecedente non magis consectarium, quàm ex eo consectarium sit Ecclesiam præcipere non posse nisi sub pœna sensibili, & visibili. Tum quia Ecclesia sic sensibilis & visibilis est in capite, & in membris suis, ut potestas ipsius spiritualis sit & invisibilis; quæ proinde ad spirituales actus, & invisibiles, sicut ad pœnam spiritualem, & invisibilem, v. g. divinæ indignationis, & æternæ damnationis, se extendat.

CAPUT XVIII.

Ad satisfaciendum legi, vel præcepto Ecclesiæ, non requiritur voluntas expressa ei satisfaciendi; sed sufficit interpretativa.

158 PRobatur 1°. quia qui, Ecclesiæ legem vel præceptum ignorans, facit id quod Ecclesia præcipit, ubi lex innotuerit, non tenetur ad iterandum quod fecit, v. g. ad audiendum alterum Sacrum.

159 2°. Ex S. Thoma 2.2. q. 104. a. 3. ad 2. ubi dicit, *quòd licèt actus virtutis cadat sub præcepto, potest tamen aliquis implere actum virtutis præceptum, non attendens ad rationem præcepti.*

Siquis tamen, die Festo, audire volens 160
plura Sacra, nollet primâ auditione præcepto satisfacere, sed secundâ, videretur ad eam teneri. Quia licèt expressa satisfaciendi intentio necessaria non sit, necessaria videtur saltem virtualis & interpretativa, sicut ad satisfaciendum voto, vel justitiæ debito. Quam ob causam sicut justitiæ debito non satisfacit, qui pauperi, eleëmosynam petenti, dat solidos duos, ipsi aliunde ex justitia debitos, nolens isto dono satisfacere debito justitiæ; nec satisfacit voto, qui vovit audire Sacrum, & audit, expressè nolens per illud voto satisfacere : ita similiter, &c. Scriptura namque, frequenter inculcans obedientiam & subjectionem erga leges & Legislatores, satis insinuat leges implendas affectu saltem interpretativo legem implendi. Nec ulla inde causa scrupulorum : cùm affectum illum passim habeant Christiani, qui diebus ab Ecclesia præceptis Christiani officium implere solent. Tametsi enim ad diem Festum fortè non reflectant, interrogati tamen, statim dicent se officio satisfacere velle. Nec dubitandum, quin scrupulosi affectum illum habeant : cùm illa ipsa anxietas habendi intentionem expressam, satis ostendat ipsis non deesse interpretativam.

Scio Lessium, Suarez, Vasquez, Valen- 161
tiam, Sanchez, nequidem inquirere interpretativam istam intentionem, & secundùm ipsos satisfacere præcepto, qui Sacrum audit, animo non satisfaciendi. Nec simile est (inquiunt) de eo qui ad Sacrum tenetur ex voto, cùm in potestate voventis sit prorogare obligationem voti; non autem in potestate subditi prorogare obligationem præcepti. Sed non videntur satisfacere : quia licèt obligatus ex voto alium non formaret actum, quo obligationem vellet prorogare, maneret antiqua obligatio voti; sicut manet antiqua obligatio debiti justitiæ, in casu priùs allato, licèt debitor eam novo actu non proroget.

Scio etiam quòd juxta Sanchez l. 1. c. 3. 162
n. 13. verè implet Sacri præceptum, qui illud ex contemptu audit. Sicut & juxta Azor. l. 7. c. 8. & Escobar tr. 1. exam. 11. n. 31. qui solùm interest fœminæ videndæ & concupiscendæ gratiâ. Sed istæ opiniones probabiles non sunt : quia tales Sacrum non audiunt reverenter ac devotè, prout Ecclesia audiri vult.

CAPUT XIX.

Unico actu satisfieri potest pluribus præceptis, eodem tempore concurrentibus, dum super eundem actum cadunt; secùs dum cadunt super diversos actus.

PRior pars vix probatione indiget : dum 163
enim plura præcepta super eundem actum cadunt, sive dum non exigunt nisi unum eun-

demque actum, illum ponendo, ponitur totum quod exigunt. Igitur uno illo actu ipsis satisfit. Sic Sacerdos beneficiarius, unâ horarum recitatione, satisfacit ordini & beneficio, imò & pluribus beneficiis. Unico Sacro satisfacit obligatus ad illud die Festo & Dominico. Unico jejunio obligationi Quadragesimæ, & quatuor temporum in Quadragesima occurrentium. Et sic de aliis.

164 Quòd si unicâ solutione satisfieri nequeat duplici debito justitiæ commutativæ, est quia justitia commutativa respicit æqualitatem rei ad rem, quæ non servatur unicâ v. g. solutione decem aureorum, dum ex diversis contractibus, & singulis eorum, singulos debeo decem aureos. In obligationibus verò legalibus respicitur mens Legislatoris, qui per diversa præcepta sæpè non intendit nisi unam eamdemque rem, ut vidimus.

165 Posterior pars vix etiam probatione indiget. Dum enim plura præcepta exigunt plusquàm unum actum, iis non satisfit nisi ponendo plusquàm unum. Quamdiù enim non ponitur nisi unus, non ponitur totum quod exigunt. Unde qui vovit gratuitum donum decem aureorum Ecclesiæ, cui aliunde debet ex justitia decem aureos, non satisfacit semel dando decem aureos. Quia votum gratuiti doni, est de re aliunde ex justitia non debita, atque adeò de re distincta ab ea, quæ ex justitia debetur.

166 Quando autem diversa præcepta diversos actus exigant, vel non exigant, pendet ab intentione præcipientis, vel obligationem imponentis, quæ ex verbis vel circumstantiis dijudicanda est. Quoties enim præcipiens concedit, ut unico actu pluribus præceptis satisfiat, diversa præcepta ipsius unicum actum exigunt. Quando verò diversis præceptis diversos actus postulat, diversa præcepta ipsius non sunt de unico actu, sed de pluribus.

167 Hinc unico officio satisfieri nequit obligationi hodiernæ & crastinæ. Clarum quippe est obligationes, diversis temporibus affixas (cujusmodi sunt obligatio hodierna & crastina) esse de diversis numero actionibus: cùm una eademque numero actio diversis temporibus à nobis fieri nequeat.

168 Ejusmodi proinde obligationes numquam simul concurrunt, magis quàm dies hodierna & crastina. Unico verò actu numquam satisfit pluribus obligationibus, nisi dum simul concurrunt. Unde Alexander VII. meritò proscripsit hanc propositionem: *Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti & crastino.* Quam propositionem Caramuel Theol. fundam. p. 1. fundamento 31. (cum eximio quodam Jesuita, ibidem sine nomine citato) ideò probabilem censuerat, quia probabilem censuerat, unicâ Matutinarum & Laudum recitatione (vesperi factâ) satisfieri duorum dierum obligationi.

169 Nec refert 1°. quòd Ecclesia permittat, anticipatâ recitatione Matutinarum & Laudum hodie sub vesperam factâ, anticipatè satisfieri pro die crastina. Cùm enim permissio anticipatæ solutionis, non sit remissio rei debitæ quoad substantiam, sed tantùm quoad tempus, quo alioqui solvi deberet, non obstat, ne res quoad substantiam eodem modo solvi debeat, ac si suo tempore solveretur. At, si suo tempore solveretur, non eâdem numero recitatione, sed diversâ solveretur. Aliter permissionem illam interpretari, non est interpretari in morum ædificationem, sed in dissolutionem, contra Ecclesiæ mentem, prout ex allatæ propositionis damnatione manifestum est.

Non refert 2°. quod unicâ confessione, 170
secundùm Cardinalem de Lugo de pœnit. disput. 15. sect. 7. Gasparem Hurtado ibidem disp. 7. diffic. 12. Dianam p. 4. tract. 4. resol. 206. satisfiat obligationi duorum annorum, dum quis, justa vel injusta de causa, omisit confiteri intra annum v. g. 1690. talis enim confitendo statim initio sequentis anni, satisfacit pro anno sequenti & præterito. Quia si vera sit ista sententia (quod non sine fundamento negant viri doctissimi, nosque suo tempore, Deo dante, examinabimus) est quia tunc utriusque anni præcepta concurrunt. Elapso quippe anno 1690. non extinguitur obligatio confitendi pro illo anno, sed concurrit cum obligatione confitendi anno 1691. Cui nihil simile in casu nostro. Qui enim justa vel injusta de causa omisit officium die Lunæ, non tenetur illud recitare die Martis, sed cum die Lunæ extinguitur obligatio recitandi die Lunæ. Nec proinde obligatio recitandi die Lunæ unquam concurrit cum obligatione recitandi die Martis.

CAPUT XX.

Uno eodemque tempore, per plures actus non incompatibiles, satisfieri potest pluribus præceptis, non affixis diversis temporibus.

171 Est omnium ferè Doctorum (apud Sanchez l. 1. Moral. c. 14. n. 11.) aientium satisfacere præcepto auditionis Missæ & horarum, qui in die Festo, tempore quo Missam audit, horas canonicas recitat, vel quascumque alias preces, ad quas tenetur ex voto, vel pœnitentia injuncta. Qua in re licèt non conveniant Angelus, Sylvester, Rosella, & Armilla, solùm ideò disconveniunt, quia Missæ auditionem cum horarum recitatione incompatibilem putant.

172 Sed cur, amabo! quia (inquiunt) ad utramque requiritur attentio, quæ ad utramque simul esse non potest.

Sed contrà: attentio ad utramque requisita, non est attentio ad verba, sed ad Deum, resque divinas (uti Doctores communiter tradunt cum S. Thoma 2. 2. q.

83. a. 13.) attentio verò ista simul esse potest, & ad horarum recitationem, & ad Missæ auditionem.

173 Si dicas hinc consequens esse, quòd obligatus ad audiendas tres Missas, simul iis satisfacere queat unicâ attentione interiùs ad Deum habitâ, si simul legantur in pluribus altaribus ita conjunctis, ut verè dici possit omnibus illis, humano modo, corporaliter adesse.

Respondeo cum Turriano in select. disput. 16. dub. 7. & Coninck de Sacram. q. 83. n. 288. contra Dianam p. 10. tr. 15. resol. 13. talem ordinariè non satisfacere: quia Confessarii, qui trium Missarum auditionem pro pœnitentia injungunt, vel qui eas se audituros vovent, ordinariè intendunt auditionem plurium Missarum successivè. Cùm majorem pœnitentiam, vel majus Dei obsequium intendant, injungendo, vel vovendo auditionem trium Missarum, quàm injungendo, vel vovendo auditionem unius. Major verò pœnitentia non est, nec majus Dei obsequium, simul audire tres Missas, quàm unam.

174 Videtur tamen ex dictis confici, Missæ præcepto satisfacere, qui tempore illius conscientiam examinat die Festo. Cùm examen istud, exteriùs nihil importet incompossibile cum auditione Missæ; interiùs verò importet attentionem ad rem divinam, utique ad sui coram Deo accusationem, &c.

175 Non videtur tamen idem dicendum de confessione tempore Missæ. Quia licèt confessio nihil importet incompossibile cum interna attentione ad rem divinam (cùm attentio ad confessionem sit attentio ad rem divinam) videtur tamen importare aliquid incompossibile cum attentione externa. Quia seriò agens cum Confessario suo, sacramentaliter confitendo, non videtur exteriùs ad aliud attendere, sed totam suam attentionem, seu moralem præsentiam externam in confessione sua unicè consumere. Ita Lugo, Candidus, Bassæus, Bonacina, Dicastillo, & alii contra Reginaldum, & Lessium. Diana tamen p. 10. tr. 14. resol. 45. & Leander de præcept. Eccles. tr. 2. disput. 1. q. 171. à novæ Missæ auditione excusant eos, qui in confitendo non consumunt notabilem Missæ partem, sed v. g. ab initio dumtaxat ad Evangelium inclusivè. Sed si totam Missam de novo audire tenetur, toto Missæ tempore confessus; quidni & partem illam, confessus tempore illius?

176 Non satisfacit etiam obligationi Missæ, qui tempore illius legit historias, licèt spirituales: secùs si legat Meditationem, vel aliquid simile, excitando seipsum ad devotionem, & virtutem, & simul attendendo ad Sacrum. Talis quippe perinde assistit cum externa attentione, ac si legeret Psalmos; interiùs verò attendit ad Deum.

CAPUT XXI.

Quemadmodùm uno eodemque tempore satisfieri nequit pluribus præceptis, diversis temporibus affixis; ita nec pluribus partibus ejusdem præcepti, diversis temporibus affixis, quando scilicet præcepto illo præcipitur totum aliquid successivum. Nec proinde satisfacit præcepto Ecclesiæ, de audiendo Sacro, qui duas, vel plures ejus partes simul à diversis celebrantibus audit.

177 AUdientem simul à diversis celebrantibus plures Missæ partes, v. g. ab uno ab initio ad Consecrationem; ab altero à Consecratione ad finem, satisfacere præcepto de audienda Missa, docuerunt Azorius, Hurtadus, Bonacina, Dicastillo, Baunius, Escobar, aliique plures apud Dianam p. 11. tr. 1. resol. 1. & Leandrum ipsos sequentem ubi suprà q. 56.

178 Sed hanc opinionem ut falsam, & præceptorum Ecclesiæ eversivam, 9. Maii 1657. Facultas Lovanienſis censurâ notavit, addens majorem non habere apparentiam de quatuor Sacri partibus, quàm de viginti; si utique viginti Sacerdotes uno tempore sic in diversis altaribus celebrarent, ut uno dicente Introitum, alter diceret Kyrie & Gloria, alter Epistolam, alter Graduale, alter Evangelium, & sic de aliis partibus. Sed & Innocentius XI. 2. Martii 1679. proscripsit hanc propositionem: *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor, simul à diversis celebrantibus audit.*

179 Et meritò: tum quia Ecclesia, dum præcipit auditionem Sacri, præcipit ut illud audiamus per modum totius successivi (cùm reverà tale sit, nec componatur nisi ex partibus successivis) vult igitur ut partes illius audiamus successivè, ut scilicet Deo consecremus successivum illud temporis spatium, quod in Missa decurrit. Tum quia aliàs sequeretur absurdum à Lovanienſibus notatum. Sequeretur item, quòd siqui homines forent bilingues (quod de Schytis nonnullis legitur) satisfacere possent obligationi horarum, duas simul horas legendo, unam unâ, alteram alterâ linguâ. Et quia Communitates sunt multilingues, divisæ in plures choros, brevissimo tempore satisfacere possent obligationi horarum, uno choro legente Matutinum, alio Laudes (eodem tempore) alio Primam, & sic de aliis.

CAPUT XXII.

Deobligatus, ob impotentiam, à toto opere præcepto, non eo ipso deobligatus est à parte, etiam minori, ad quam est potens, si præceptum sit de re divisibili, terminusque potentiæ, & impotentiæ non sit incertus, & ambiguus.

180 PRobatur 1°. ex cap. *cùm dilecti*, de dolo & contumacia, ubi statuitur præceptum,

quòd impleri non potest quoad totum, implendum quoad partem possibilem.

181 2°. Quia Ecclesia per Innocentium XI. damnavit hanc propositionem Dianæ p. 4. tract. 4. resol. 125. *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur. Quia major pars trahit ad se minorem.*

182 3°. Qui debet viginti aureos, si possit solvere quinque, non autem reliquos, haud dubiè tenetur solvere quinque. Ergo qui debet solvere septem horas, si non possit solvere majores, possit autem minores, tenetur ad minores. Cùm obligatio ista æquè sit de re divisibili, quàm illa.

183 Dixi, si terminus potentiæ & impotentiæ non sit incertus, &c. propter infirmos, in quibus vix, aut ne vix quidem assignabilis est præcisus terminus, ad quem extenditur, & ultra quem non extenditur. Qui si tenerentur ad partem, dum impotentes sunt ad totum, in gravissimos scrupulos conjicerentur in determinanda parte ad quam tenerentur. Et ideò dicendum, quòd si certò potentes sint ad determinatam partem, esto solùm esset unica hora, ad eam tenentur. Ad ea verò quæ præstare certò non possunt, sed dubitant, an possint necne, si dispensationem habere possint, eam petant. Si desit qui dispenset, stent judicio viri prudentis, confisi de benignitate Ecclesiæ, quæ in casu dubii censenda non est eos obligare velle, ne expositi sint gravissimis scrupulis conscientiæ. Ita Lumbierus noster ad propositiones damnatas observat. 14. n. 473. Magnæ consolationis (pro Religiosis Ordinum Mendicantium, & cum ipsis communicantium) est privilegium, quo Leo X. (apud Cassarubium verbo *declarare*) concessit Fratribus Minoribus, & consequenter Carmelitis cum ipsis communicantibus, qui scrupulis vexantur, ut possint in omnibus dubiis, securâ conscientiâ, stare determinationi suorum Superiorum.

184 Collige ex dictis 1°. quòd major pars non semper trahit ad se minorem, nec accessorium semper sequitur principale, ut ostendit Barbosa tract. 1. var. axiom. 4. num. 11. & seqq. Quamvis enim axioma istud procedat in multis, non in omnibus, & signanter non procedit, dum principale & accessorium, divisibilia sunt, & inconnexa. Qui enim promisit dare vaccam, & vitulum ipsius, si vaccam dare nequeat (quia mortua est) tenetur dare vitulum. Non procedit etiam, ubi diversa est ratio accessorii & principalis, ut in casu horarum, in quo tota ratio excusandi à majori parte, est impotentia, quæ ad minorem partem supponitur non esse.

185 Collige 2°. eum qui semiquadrante ante mediam noctem recordatur totius se officii debitorem, etsi impotens sit ad totum ante mediam noctem recitandum, teneri ad recitandum quantum potest, usque ad duodecimam noctis. Eum item, qui (non habens Breviarium) memoriter recitare posset singularum horarum Psalmos, non verò Capitulum, nec orationes, teneri ad Psalmos recitandos. Ita Lumbierus n. 477.

Nec dicas quòd potens audire Missam ab initio ad Evangelium, sed non ultrà, ad nihil teneatur. Vel enim hoc non est verum: vel si verum, ideò est, quia pars illa Missæ sic se habet accessoriè ad Missam, ut ab aliis dividi nequeat. Sed non video cur dicta pars Missæ minùs divisibilis sit ab aliis, quàm una hora ab aliis, vel Psalmi unius horæ à Capitulo & oratione, in casu antè dicto. Unde videtur de omnibus istis pariformiter sentiendum. 186

Collige 3°. nimis laxam & intolerabilem esse opinionem Escobarii Theol. Moral. tr. 1. exam. 11. c. 4. n. 108. ubi sic: Tempore Præfationis quis venit ad Sacrum audiendum, quod unicè celebratur: teneturne illam (id est residuam) singularis illius Missæ partem audire? Sanchez & Suarezius teneri asserunt: quòd illa præcipua sit Sacri pars. Ego autem probabiliter assero non teneri: quia per illam partem Missæ non potest implere præceptum. Quamvis enim implere nequeat præceptum illud quoad totum: benè quoad partem, eamque præcipuam.

CAPUT XXIII.

Legislator, etiam supremus, in gravi materia, sibi non indecora, legibus à se latis, quoad vim directivam, (non quoad coactivam) tenetur sub mortali se conformare.

QUòd illis non teneatur quoad vim coactivam, Doctores conveniunt cum S. Thoma 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. Nullus enim propriè cogitur à seipso (ait S. Doctor) nec alium supremus habet, à quo cogatur. 187

Quòd verò iis quoad vim directivam teneatur se conformare, cum communi tradit S. Doctor ibidem. Quia, ut dicitur cap. *cùm omnis* ex. de Constitut. *Quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet.* Et Sapientis dicit authoritas, *Patere legem, quam tulisti.* Dicit etiam D. Ambrosius epist. 32. *Cùm præscripsisti aliis, præscripsisti etiam tibi. Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* Similia habent Chrysostomus Homil. 4. in Genesim, Isidorus l. 3. Sententiar. aliique Patres. Denique celebris est sententia L. 1. Cod. tit. 14. *Digna vox est Majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri.* Secùs facientibus improperat Christus Matth. 23. *Dicunt, & non faciunt. Alligant onera gravia, & imponunt ea in humeros hominum; digito autem nolunt ea movere.* 188

An verò jure naturali Princeps ad id teneatur? an etiam positivo? 189

Respondeo cum D. Antonino, Cajetano, Vi-

Victoria, Soto, Maldero, Sylvio, Suarez, & aliis communiùs, ad id teneri jure naturali, ut satis indicant solemnia illa legis naturalis dictamina, à Sapientibus Gentilitatis prolata: *Patere legem quam tulisti*, &c. Et verò ratio naturalis dictat, Legislatorem debere præ cæteris servare ea quæ pertinent ad rectam gubernationem, communeque Reipublicæ bonum. Cùm caput Reipublicæ præ cæteris procurare debeat commune illud bonum, per observantiam legum præscriptarum. Commune etiam Reipublicæ bonum exigit, ne caput inferioribus membris alliget onera, quæ portare nolit, cùm æquè possit; sed in eorum portatione inferioribus collaboret, exemploque præeat. Ut enim sapienter Ambrosius loco citato, *Familiæ status nutabit, si quod inquiritur in corpore, non inveniatur in capite.*

190 Assertam porrò obligationem, in materia gravi esse sub mortali, laudati Authores sentiunt. Quia facere contra jus naturale, in materia gravi, æquè mortale est, sicut facere contra jus positivum.

CAPUT XXIV.

Clerici tenentur legibus civilibus, quæ non repugnant sacris Canonibus, nec ecclesiasticæ immunitati, nec officio clericali. A legibus tamen gabellarum, tributorum, & vectigalium ipsi & Religiosi sunt exempti.

191 PRima pars est extra controversiam. Quia Clerici verè sunt partes & membra Reipublicæ; ergo lege naturali tenentur se conformare suo toti, & collaborare publico Reipublicæ bono, observando leges in commune bonum latas, quæ non repugnant ipsorum statui; cujusmodi sunt leges rerum venalium pretia taxantes, frumenti asportationem inhibentes, &c. Aliàs magnæ perturbationes in Republica orirentur. Ideò Nicolaus I. in epist. ad Michaëlem Imperatorem, dicit, Deum sic divisisse Pontificiam authoritatem ab Imperiali, ut Christiani Imperatores, pro æterna vita, Pontificibus indigerent; & Pontifices, pro cursu temporalium tantummodò rerum, Imperialibus legibus uterentur. Et Imperator Valentinianus in epist. ad Episcopos Asiæ, dicit, probos Episcopos non solùm Deo, sed etiam Regum legibus obtemperare.

192 Si tamen Clerici violatores fuerint ejusmodi legum, à Judice Civili puniendi non sunt, sed ab Ecclesiastico, juxta laudabilem illam vocem Constantini Magni ad Episcopos, relatam à Rufino l. 10. histor. c. 2. & à D. Gregorio l. 4. epist. 75. ad Mauritium: *Vos dii estis, à summo Deo constituti: conveniens non est ut homo judicet deos.* Sic proinde legibus civilibus subjiciuntur, quoad vim directivam, ut eis non subjiciantur quoad vim coactivam. Unde Cajus Papa epist. ad Felicem Episcopum: *Nemo Episcopum, aut reliquos Clericos apud Judicem secularem accusare præsumat.*

Secunda pars est D. Thomæ lect. 1. in cap. 13. ad Rom. ubi loquens de debito vectigalium, dicit, quòd *ab hoc debito liberi sunt Clerici ex privilegio Principum. Quod quidem æquitatem naturalem habet. Unde etiam apud Gentiles liberi erant à tributis illi qui vacabant rebus divinis. Legitur enim Genes. 47. quòd Joseph subjecit Pharaoni totam terram Ægypti, præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. Et infrà dicitur, quòd in universa terra Ægypti quinta pars solvebatur, absque* (id est exceptâ) *terrâ sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.* Et Artaxerxes 1. Esdræ 7. vetuit, ne Sacerdotibus & Levitis vectigalia imponerentur. *Et hoc omninò æquum est* (prosequitur S. Doctor) *quia sicut Reges sollicitudinem habent de bono publico, in rebus temporalibus; ita Ministri Dei in spiritualibus. Et sic per hoc quòd Deo in spiritualibus ministrant, recompensant Regi quòd pro pace eorum laborat.* 193

Et ideò Constantinus Magnus, in honorem Sacerdotum novæ legis idem sancivit, quod Artaxerxes suprà pro Sacerdotibus veteris legis, ut refert Eusebius l. 1. histor. c. 7. Sicut & Justinianus Imperator L. 2. Codicis L. *sancimus.* Sed & Concilium Lateranense sub Alexandro III. cap. *non omnis* de immunit. eccles. & alterum sub Innocentio III. cap. *adversus* eod. pariter vetuerunt Ecclesiasticis vectigalia à Laïcis imponi. Variis etiam Summorum Pontificum, Imperatorum, Regum, & Principum privilegiis Religiosi, præsertim Mendicantes, exempti sunt à gabellis, & ejusmodi oneribus. Quæ omnia in Curia Bruxellensi, & aliis Belgii Parlamentis placetata sunt. An verò exemptio illa sit de jure divino? affirmant aliqui. Negant Victoria, Sotus, Bannez, Navarrus, Covarruvias, &c. Quia D. Ambrosius in orat. de tradend. basilic. *Si tributum* (inquit) *petitur, tributum non negatur: agri enim Ecclesiæ tributum præstant.* Et Urbanus Papa can. *tributum* 23. q. 8. *Tributum in ore piscis, piscante Petro, inventum est, quia de exterioribus suis Ecclesia tributum reddit.* Et D. Chrysostomus explicans illud Rom. 13. *Ideò & tributa præstatis*, dicit, obedientiam istam injungi quoque Prædicatoribus Evangelicis, & Sacerdotibus, & Monachis. Vide infrà c. 41. 194

CAPUT XXV.

Diœcesanis legibus, non solùm quoad Festa indicta, sed & quoad jejunia, publicas preces, & similia, Regulares exempti se conformare tenentur, in omni materia, in qua non sunt exempti.

PRobatur, tum quia sunt pars Communitatis legibus istis subjectæ. Pars verò te- 195

netur se conformare suo totî. Tum quia in istis materiis nullo modo probantur exempti. Non est ergo cur non tenerentur ut cæteri. Maximè cùm vix aut ne vix quidem contravenire possint absque scandalo.

196 Et ut non tenerentur vi legum istarum, saltem tenerentur vi legis & æquitatis naturalis, sicut Princeps ad servandas leges à se conditas, licèt illis non subjiciatur vi ipsarum. Unde assertioni nostræ consentit sapientissimus noster Lezana, licèt non consentiant (quoad jejunia) Suarez, Azorius, Rodriguez, &c.

197 Dices 1°. Tridentinum sess. 25. c. 12. tamquam aliquid speciale statuit, Regulares exemptos teneri ad dies Festos, publicandas censuras, &c. supponit ergo non teneri aliis Synodalibus legibus.

Nego consequentiam. Imò ex antecedente inferendum est teneri etiam aliis in materiis, in quibus non magis exempti sunt, quàm in materia Festorum.

198 Dices 2°. Regulares exempti sua habent specialia jejunia, Synodalibus frequentiora.

Quid inde? Et nos Carmelitæ reformati nostra habemus specialia jejunia, Synodalibus frequentiora. Nihilominùs Constitutiones nostræ 1. p. c. 16. statuunt quòd *Fratres nostri, præter Quadragesimam, aliaque ecclesiastica jejunia, quæ* SECUNDÙM CONSUETUDINEM LOCORUM OBSERVABUNT, &c.

196 Regulares etiam non exempti, jejuniis Synodalibus adstringuntur, etsi sua habeant specialia jejunia. Servanda itaque ab omnibus præclara Regula, quam Augustinus epist. 54. aliàs 118. ad Januarium tradit ex D. Ambrosio, valetque tam pro intrancis, quàm pro peregrinis circa particulares locorum leges: *Quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicut est quòd alii jejunent Sabbatho, alii verò non..... disciplina nulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcumque fortè devenerit.... Consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium.....& ait mihi: Cùm Romam venio, jejuno Sabbatho; cùm hîc sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, morem illius serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.... Ego verò de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tamquam eam cœlesti oraculo susceperim.* Similia habentur can. *Catholica* distinct. 11. & can. *sit sancta* dist. 12.

Erravit proinde Cassianus collat. 21. c. 29. & 30. dum dixit, Quadragesimalis jejunii legem Religiosos, & alios viros perfectos non adstringere. Cui mirum est S. Isidorum Hispalensem videri subscripsisse.

CAPUT XXVI.

Peregrini legibus particularibus locorum extraneorum, per quæ transeunt, vinciuntur, à patriis interim exempti.

FUndamentum prioris partis est 1°. quia 200
Augustinus 3. confess. 8. sic tradere videtur, dum ait: *Pactum inter se civitatis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nullâ civis, aut peregrini libidine violetur.* Ubi cùm eodem tenore de peregrino loquatur, ac de cive, verba ipsius præceptum sonant, non consilium.

2°. ex regula ab ipso tradita n. 199. at- 201
que ex D. Ambrosio desumpta.

3°. quia idem 3. doctr. Christ. 12. sic 202
habet: *Quisquis sic eis* (rebus prætereuntibus) *utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, flagitiosus est.* Eas igitur non excedere, præcepti est, non consilii.

4°. Dicta illa Sanctorum adeò sunt con- 203
formia dictamini naturali, ut videantur explicare jus naturale, vel gentium, quo quisque transeuntium (partim ob Reipublicæ conservationem, tranquillitatemque, partim ad frænandam libertatem) obligatur legibus locorum, per quæ transit; sicut obligatur pœnis locorum, in quibus delinquit. Cùm utrumque pariter spectet ad utrumque finem proximè dictum.

Itaque peregrini tenentur servare Festa, 204
jejuniaque particularia locorum, per quæ transeunt. Nec incolæ locorum, ubi Tridentinum non viget, clandestinum matrimonium validè contrahunt in loco, ubi Tridentinum viget. Quia (præter ea quæ antè dixi) contrahentes ratione contractûs sortiuntur forum in loco ubi contrahunt, cap. ult. de foro competenti.

Si ad ista tenentur peregrini, idem à for- 205
tiori dicendum de vagis, qui nullibi fixum habent domicilium. Alias nullis particularibus legibus tenerentur.

Fundamentum posterioris partis (quam 206
Doctores communiter tradunt contra Rosellam, Sylvestrum, & Paludanum) est 1°. quia in cap. 10. de Constitut. in 6. dicitur: Statuto Episcopi, quo excommunicantur ii, qui furtum committunt, non ligentur illi subditi, qui extra Diœcesim furtum committunt.

2°. quia Augustinus epist. 118. c. 2. do- 207
cet, licuisse matri suæ Mediolani non servare sabbathinale jejunium domicilii sui; atque ita sibi à B. Ambrosio responsum.

3°. quia sicut agentia naturalia agere ne- 208
queunt ultra sphæram suæ activitatis; sic agentia moralia obligare non possunt ultra sphæram suæ jurisdictionis. Atqui jurisdictio Episcopi Leodiensis v. g non extenditur ultra Diœcesim Leodiensem. Ideò Leg. ult. ff. de jurisdict. omn. judic. dicitur: *Extra*

tra territorium jus dicenti, impunè non paretur. Idem quippe est, ac si supra jurisdictionem suam velit jus dicere.

209 Hinc committens alibi delictum, in proprio territorio reservatum, absolvi potest à communi Confessario, ubi non est reservatum.

210 Excipitur tamen à Doctoribus casus, quo civis, extra territorium existens, committit delictum, quod consummatur in proprio territorio, ut si ejaculando ex alieno territorio, occidat hominem in proprio territorio existentem. Talis enim ratione delicti subjicitur legibus proprii territorii, contra taliter delinquentes promulgatis, v. g. lege excommunicationis contra homicidas, lege privationis beneficii contra non residentes in beneficio proprii territorii, &c. Videri potest Mastrius disput. 2. de legib. n. 117.

Solvuntur objectiones contra priorem assertionis partem.

211 OBjicies 1°. Augustinus relatus cap. *illa* distinct. 12. dicit, observationes, quæ pro varietate locorum variantur, esse liberas.

Respondeo eas ab ipso non dici liberas respectu incolarum, vel peregrinorum, sed respectu universalis Ecclesiæ, pro quanto non omnes iis tenentur, sicut tenentur observationibus præscriptis ab Apostolis, vel Conciliis Oecumenicis. Unde illas opponit istis.

212 Objicies 2°. Peregrini non subjiciuntur particularibus Legislatoribus locorum, per quæ transeunt, eò quòd illîc nec domicilium, nec quasi domicilium habeant. Ergo non tenentur legibus ipsorum.

Respondeo 1°. ipsis non subjici permanenter, nec absolutè, & per omnia; secùs transeunter, & secundùm quid. 2°. si ipsis non subjiciantur vi ipsarum legum, saltem subjiciuntur vi juris & æquitatis naturalis, declarati in Regula SS. Ambrosii & Augustini, n. 199. relata.

213 Objicies 3°. Peregrini non contrahunt parochiam, aut obligationem Sacramenta recipiendi in loco extraneo, cujus Episcopus non potest etiam ipsos matrimonio jungere, cum eis in votis dispensare, &c.

Respondeo inde solùm sequi, quòd Episcopo vel Parocho extranei territorii non subjiciantur per omnia; secùs quoad aliqua non excepta jure communi, quo excipiuntur casus illi.

214 Objicies 4°. Sacerdos Latinus, peregrinus in Græcia, non tenetur celebrare ritu Græco.

Respondeo hoc ideò esse, quia universalis Ecclesia, ob difficultatem, addiscendi peregrinos illos Missarum ritus permittit ut unusquisque juxta Ecclesiæ suæ ritum celebret, prout videre est in epist. Leonis IX. adversus præsumptiones Michaëlis Constantinopolitani, & Leonis Æridani cap. 29.

Objicies 5°. Infideles, dum inter Christianos peregrinantur, non tenentur Festis diebus audire Missam, jejunia Christianorum servare, &c. 215

Respondeo ideò non teneri, quia Festa & jejunia illa non præscribuntur nisi fidelibus, ut constat ex eo quòd Judæi domicilium habentes in terris Christianorum, ad similia non cogantur.

Objicies 6°. Qui ad unum, vel paucos dies, in alio territorio versantur, non censentur in eo moraliter versari. L. *hæres absens* ff. de judiciis. Sicut qui post nativitatem obiit, non censetur moraliter natus. cap. *nam & ego* de verb. signific. Et Novitius triduo dumtaxat indutus, moraliter non censetur religionis habitum induisse. cap. *ad nostram* de regular. Sed rationabile non est quemquam moraliter obligari legibus particularibus loci, in quo moraliter non est. Ergo. 216

Respondeo certos esse effectus, in ordine ad quos mora longior requiritur, quàm unius vel paucorum dierum, v. g. in ordine ad contrahendum domicilium, vel parochiam, &c. De quibus jura objecta loquuntur; non de omnibus. Neque enim effectus omnes ejusmodi sunt. Nam (ut sapienter observat noster Irenæus de legibus sect. 3. §. 2.) aliquarum legum exercitium adeò facile est, & promptum, ut absque mora possit illi satisfieri. Et istis legibus peregrini, ad unum, vel paucos dies, alieno in territorio versantes, tenentur, v. g. ad solvendum tributum, in transitu per pontem, cum equo vel curru; ad deponendum arma in introitu civitatis; ad non incedendum noctu sine lumine, &c. Similiter tenentur legibus Missæ & jejunii, in loco, ubi particulariter vigent, si ibi trahant moram executioni legum illarum accommodatam. Siquis tamen nocte dormiat in oppido, in quo sequenti die est Festum, manè discedens non tenetur (ante discessum) Missam audire, secluso scandalo, inquit Sylvius q. 96. a. 4. §. *quæritur quarto.* Quia non tenetur ibi trahere moram, executioni præcepti necessariam. Si tamen ibi totâ die, vel ad meridiem usque mansurus sit, tenetur.

CAPUT XXVII.

Recedens è patrio loco, ubi Festi vel jejunii lex viget, licèt ante meridiem perventurus ad locum, ubi non viget, ante discessum tenetur audire Sacrum, si possit, & prævideat se alibi non auditurum: nec ante discessum licitè sumit carnes, vel jentaculum, nisi aliunde excusetur.

217 QUòd ante discessum teneatur audire Sacrum, si possit, & prævideat se alibi non auditurum, tradunt Navarrus, Suarez, Lay-

man, & Doctores communiter (contra Sanchez, Leſſium, Baſſæum, &c.) & ratio eſt, quia præceptum audiendi Sacrum tenetur quis quamprimùm implere, ſi poſteà impleturus non ſit. Qui enim prævidet ſe ab audiendo Sacro futurum poſteà impotentem (ob febrim v. g.) ſtatim audire tenetur, ſi poſſit, ut communis eſt ſenſus timoratorum fidelium. Similiter ergo in caſu noſtro manè audire tenetur, ſi poſſit, & prævideat ſe poſteà non auditurum. Cùm hanc quoque Eccleſiaſticorum Legiſlatorum mentem eſſe, ex communi timoratorum fidelium ſenſu & uſu Layman comprobet l. 1. tract. 4. c. 11. Quare (inquit) ad id etiam ab Epiſcopis & Parochis incolæ diſceſſuri jure optimo compelluntur.

218 Et confirmatur: quia obligatus ſemel in anno confiteri, ſi prævideat ſe poſteà non confeſſurum, eò quòd proficiſcatur in locum, ubi habiturus non eſt copiam Confeſſarii, ex communi Doctorum ſententia, confiteri debet, antequam proficiſcatur. Similiter obligatus ad horas, ſi prævideat ſe eas non recitaturum, niſi manè recitet, manè recitare tenetur (quia ſcilicet toto die urget horarum obligatio, indeterminatè quidem pro qualibet diei parte, abſolutè loquendo, determinatè verò pro hac diei parte, ſi prævideatur non recitandum aliâ diei parte.) Similiter ergo in caſu noſtro.

219 Si dicas 1°. rationem, & confirmationem allatam procedere quidem in eo qui non prævidet ſe ſolutum iri ab obligatione, ſed non procedere in caſu noſtro, in quo ab obligatione Sacri prævidet ſe ſolutum iri, qui ante meridiem futurum ſe prævidet in alieno territorio. De quo proinde philoſophandum, uti de eo qui die Feſto manè prævidet ſe ante ultimum Sacrum accepturum diſpenſationem ab obligatione Sacri. Qui certè non tenetur prævenire. Quòd autem in caſu noſtro prævideat ſe ſolutum iri ab obligatione Sacri, qui diſcedit, dum alia Sacra celebranda ſuperſunt in proprio territorio, vel prævidet ſe ſat citò perventurum ad aliud territorium, ut in eo Sacrum audire queat, ratio eſt, quia talis non tenetur audire Sacrum antequam diſcedat è proprio territorio, quia tunc nondum urget tempus audiendi Sacrum; nec in territorio alieno (ubi non eſt Feſtum) quia in eo non tenetur legibus proprii territorii.

Contrà: falſum eſt quòd in caſu noſtro prævideat ſe ſolutum iri ab obligatione Sacri. Quia licèt abſens è proprio territorio, non teneatur legibus illius, ſi non contraxerit obligationem ante diſceſſum; ſecùs ſi contraxerit (uti contraxiſſe probavimus) & ante diſceſſum non ſatisfecerit, ſed diſceſſerit cum intentione audiendi alibi. Unde vel non poteſt mutare intentionem, vel audire tenetur ante diſceſſum. Quamvis enim dum alia Sacra celebranda ſuperſunt in proprio territorio, nondum abſolutè urgeat obligatio Sacri audiendi, ſi aliud ſit auditurus; urget tamen ex ſuppoſitione quòd prævideat ſe aliud non auditurum, nec ibi, nec alibi. Sicut in caſu quo alii ſuperſunt dies ultimi menſis ad confitendum, præceptum confeſſionis abſolutè non urget primo die ultimi menſis, ſi alio die confeſſurus ſis; ſecùs ſi prævideas alio die te non confeſſurum.

Aliter proinde philoſophandum eſt in ca- 220
ſu noſtro, quàm in caſu diſpenſationis objecto. Si enim manè prævidens ſe ante ultimum Sacrum accepturum diſpenſationem à Sacro, non teneatur prævenire, eſt quia prævidet diſpenſationem, ex voluntate diſpenſantis, extendendam ad totum diem (fruſtranea quippe foret diſpenſatio, niſi ſe extenderet: quia ad nihil prodeſſet, ſi prævenienda eſſet) adeòque retrotrahendam ad partes anteriores iſtius diei. Iſte proinde ſuffultus eſt præcognitâ Legiſlatoris voluntate. Non ſic diſcedens in caſu noſtro.

Si dicas 2°. prævidentem ſe fore impoten- 221
tem ad jejunandum die Cinerum, non teneri prævenire, die præcedenti jejunando.

Contrà: non eſt ſimile. Quia dies præcedens non eſt dies jejunii: dies autem diſceſſus è proprio territorio, ſupponitur eſſe Feſtivus. Iſta proinde ſimilitudine ſolùm oſtenditur diſcedentem è proprio territorio, in eo non teneri audire Sacrum præcedenti die non Feſtivo, ſi prævideat ſe fore impotentem ad illud audiendum ſequenti die Feſtivo.

Quoad diſcedentem è proprio territorio, 222
ubi eſt jejunium, Neotericus quidam diſput. 7. de legib. n. 164. exiſtimat, ipſum ante diſceſſum, ſecluſo ſcandalo, poſſe comedere carnes, ſi eo die perventurus ſit ad locum, ubi carnium eſus licitus eſt.

Sed hoc videtur nimiam inducere laxitatem, ideòque rejicitur ab omnibus ferè Doctoribus. Tum quia iſte tenetur legibus proprii territorii, quamdiù in eo eſt. Tum quia diſcedens è proprio territorio, ubi (ratione Feſti) abſtinendum eſt à labore, tametſi eo die perventurus ad locum, ubi laborare licet, ante diſceſſum in proprio territorio laborare nequit (ut communis eſt timoratorum omnium ſenſus & uſus, qui eſt optimus legum interpres.) Ergo diſcedens è proprio territorio, ubi (ratione jejunii, vel abſtinentiæ) abſtinendum eſt à carnibus, tametſi eo die perventurus ad locum, ubi carnibus veſci licet, ante diſceſſum in proprio territorio carnes comedere nequit. Cùm utriuſque præcepti par obligatio ſit, nec ſit ratio aliter explicandi præceptum abſtinentiæ à carnibus, quàm præceptum abſtinendi à labore.

Si quæras, an ſaltem diſcedens è proprio 223
territorio, in quo eſt jejunium, eo die perventurus ad locum, ubi non eſt jejunium, non poſſit manè (ante diſceſſum) ſumere jentaculum?

Respondeo negativè, nisi aliunde excusetur, ob longitudinem, vel molestiam futuri itineris. Ratio est, quia, quamdiù est in proprio territorio, tenetur legibus illius. Ergo teneturlege jejunii.

224 Contrarium quidem asserunt Sanchez, Lessius, Diana, Villalobos, Amicus, & Tamburinus, hoc nixi fundamento, quòd talis eo die non teneatur ad jejunium. Qui enim plures in die refectiones sumere potest (prout ille potest sumere prandium in suo, cœnam in extraneo territorio, vel in eo cœnam & prandium) excusatur (inquiunt) à jejunio: eò quòd jejunare non teneatur, qui plures refectiones sumere potest. Cùm jejunium essentialiter consistat in unica refectione.

Sed istud fundamentum ipsorum prorsus invalidum esse, dignoscitur ex eo quòd in suos facilè retorqueatur Authores, hoc modo: Qui in hoc jejunii loco, plures uno die refectiones sumere non potest, in eo non excusatur. At iste, de quo agimus, in proprio territorio plures uno die refectiones sumere non potest. Cùm jejunii præceptum (utpote negativum) ibi obliget pro semper, id est pro omni parte dici; nec ipse legitimam ibi habeat excusationis causam. Ergo, &c.

225 Et quam (amabo) legitimam ibi habet excusationis causam? Quia (inquiunt) jejunium particulare istius territorii prohibet absolutè, & pro omni loco plures eo die refectiones sumere. A quo excusatur qui eo die futurus in loco, in quo plures eo die sumere poterit.

Sed contrà: jejunium particulare istius loci, pro eo loco specialiter institutum est, non absolutè pro omni loco. Plures ergo refectiones absolutè & pro omni loco non prohibet, sed pro eo dumtaxat. Igitur ut inde discessurus plures ibi refectiones sumere possit, debet ibi habere legitimam excusationis causam, nec sufficit quòd alibi eam habiturus sit. Cùm legitima causa ibi solùm excuset, ubi habetur; non ubi non habetur.

CAPUT XXVIII.

A lege Festi, jejunii, &c. non solvitur incola loci, ubi lex illa viget, qui solâ causâ eam subterfugiendi, excurrit in locum, ubi non viget.

226 HAnc teneo, cum Bonæ-Spei, & Doctoribus gravioribus, contra Sanchez in Summa l. 1. c. 12. & Dianam. Moveor 1°. quia leges, quæ ad subditorum utilitatem (præsertim spiritualem) ordinantur, eam conditionem ex natura rei, seu naturali lege, vel saltem jure Gentium annexam habent (prout communis timoratorum. fidelium persuasio, & Ordinariorum praxis ostendunt) ut subditis, sine justa causa, earum obligationem subterfugere non liceat. Cùm id necessarium sit ad bonum regimen Provinciarum, & Diœceseon, præcludendamque januam libertinitatis, & continuorum abusuum in confinibus diversarum Diœceseon, quibus contraria sententia eam aperit.

2°. Incola loci, ubi Tridentinum viget, 227 se conferens ad locum, ubi non viget, solo animo ibi clandestinè matrimonium contrahendi, ibi equidem tenetur lege Tridentini, quâ ejusmodi matrimonium invalidatur. Idem ergo de aliis legibus, ob rationis paritatem dicendum. Consequentia bona est, à paritate rationis. Veritatem antecedentis S. Congregatio Cardinalium Tridentini Interpretum, declaravit apud Zypæum in suis Consultationibus, qui desuper eandem Congregationem cum Archiepiscopo Colonienſi consuluit. Hanc verò declarationem Urbanus VIII. approbavit, & inter authenticas declarationes relatam fuisse eximius P. Daubermont Ord. Prædic. & S. Th. Doctor Lovanienſis anno 1680 publicæ disputationi præsidens testificatus fuit.

3°. *Nemini sua fraus debet patrocinari.* cap. 228 *sedes* & cap. *ex tenore* de rescript. Patrocinaretur verò, si vera esset sententia adversariorum. E propriis namque territoriis, solo animo subterfugiendæ legis, absque alia justa causa excurrens, eo ipso fraudem committit. Si ergo per hoc à patriis legibus eximeretur, ex ea fraude, suæ libertatis (ne dicam libertinitatis) patrocinium reportaret. Nec verò talis dici potest uti jure suo, nec proinde excusari à fraude. Neque enim jus quisquam habet è proprio territorio, absque animo mutandi domicilium, ad aliud excurrendi, ad solum finem subterfugiendi patrias leges: sicut nullus habet jus assumendi iter, vel laborem excusantem à jejunio, &c. ad solum finem subterfugiendi obligationem jejunii, &c.

Et hinc 4°. nostra probatur assertio, quia 229 communis est sententia apud Sanchez (ait Layman loco relato) illos qui Festo, aut jejunii die, absque justa causa, iter instituunt, vel laborem, aliudve jejunii impedimentum suscipiunt, solo animo subterfugiendi obligationem jejunii, non liberari, aut excusari à præcepto jejunandi, vel Missam audiendi, quamvis excusarentur, si justam proficiscendi, vel laborandi causam haberent. Quia scilicet proficisci, vel laborare censentur in fraudem legis jejunii, vel Missæ, prout ex L. *contra legem* 21. probat Joannes Escobar tract. de utroque foro a. 4. Nec tales excusantur à peccato, quia scilicet tenentur absque justa causa non apponere impedimentum executioni legis. Omnis quippe lex, eo ipso quo formaliter præcipit observantiam aliquam, eo ipso virtualiter prohibet, sine justa causa apponere impedimentum isti observantiæ. Unde D. Thomas 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3. dicit, quòd *si peregri-*

natio, & operis labor commodè differri possit.... non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda. Ergo similiter, &c.

230 Et confirmatur: quia si non censeretur fraudare, sed legitimè subterfugere obligationem Sacri, jejunii, &c. qui è proprio territorio ad aliud excurreret ad solum finem subterfugiendi illam, sequeretur eum non fraudare legem Sacri, jejunii, &c. sed obligationem illius legitimè subterfugere, qui ad solum finem subterfugiendi illam, apponeret impedimentum executioni illius, assumendo iter, vel laborem aliàs excusantem. Sed hoc dici nequit. Ergo. Majorem probat rationis paritas. Minorem verò probat hæc ratio: quia si hoc legitimè fieri posset, magna sequerentur absurda, nimirùm 1°. quemlibet posse, quolibet die, seipsum legitimè impedire ab auditione Missæ, à jejunio, &c. proficiscendo ad locum, ubi non est Sacrum, vel assumendo laborem valdè difficulter cum jejunio compatibilem, v. g. ludendo pilâ majori parte cujuslibet diei, &c. ad solum finem subterfugiendi obligationem jejunii. 2°. non peccare contra legem jejunii, sed contra aliam legem dumtaxat, qui ad solum finem eximendi se à jejunio, subterfugiendique obligationem illius, illicito se labore fatigaret, v. g. commixtione cum feminis. Docuerunt quidem hoc Sancius & Rocafull apud Dianam p. 10. tr. 14. resol. 11. Pasqualigus in praxi de jejunio decis. 320. Tamburinus l. 4. in Decalog. c. 5. §. 7. sed horrorem piis auribus incusserunt. 3°. prævisionem non audiendæ Missæ non obstare, quominùs quis proficiscatur venatum ad locum desertum, ubi nequibit die Festo Missam audire. Quam propositionem licèt Tamburinus ibidem c. 2. §. 3. probabilem censeat, reverà tamen scandalosa est, quia non ædificat, sed laxat mores. Illam verò propositionem, *Defessus ex quocumque labore licito, vel illicito, v. g. cum feminis commixtione, liberatur à lege jejunii.* Facultas Lovaniensis anno 1657. falsam, & castis auribus horribilem pronuntiavit.

Confirmatur 2°. ex Concilio Mediolanensi, Præside S. Carolo Borrom. p. 11. tit. de jejun. ubi sic: *Illorum damnamus ingluviem, qui primis quinque Quadragesimæ diebus Mediolanum se conferunt, Patriæ ritum in jejunio, & ciborum abstinentia fugientes*; id est, è patrio loco, ubi Quadragesimale jejunium servatur, Mediolanum se conferentes (ubi ex consuetudine non servatur) ad finem subterfugiendi patrium morem.

Solvuntur objectiones.

231 OBjicies 1°. Non benè arguitur ab eo, qui laborat ad solum finem subterfugiendi præceptum jejunii, ad eum, qui è patrio loco discedit ad solum eundem finem. Est enim disparitas, quòd prior assumat medium ad non jejunandum, ubi, & quando viget præceptum jejunii; posterior verò assumat medium ad non jejunandum, ubi, & quando non viget jejunii præceptum.

Respondeo disparitatem esse nullam: quia sicut posterior intendit solùm non jejunare, postquam erit in loco extraneo, in quo non est jejunium; sic prior solùm intendit non jejunare, post iter, vel laborem, post quem non viget jejunii præceptum.

Objicies 2°. Qui facit quod in quæstione 232
est, suo jure utitur; sicut ille, qui ad locum exemptum seu privilegiatum se confert, ad solum finem quærendi immunitatem.

Respondeo negando antecedens. Quod non benè probatur illâ similitudine conferentis se ad locum privilegiatum; utpote qui hoc facit ex voluntate favoreque Principis, qui eo fine privilegiavit locum illum, ut ad illum confugientes gaudeant immunitate. Nihil verò simile est in casu nostro.

Objicies 3°. Qui facit quod in quæstio- 233
ne est, solùm vult agere contra legem, ubi lex non viget: ergo non peccat contra legem.

Respondeo negando consequentiam: quia obligatus ad legem, non minùs peccat contra eam, discedendo à loco, ubi viget, ad solum finem subterfugiendi legem, quàm eo solo fine quærendo & assumendo quodcumque aliud medium, vel impedimentum observantiæ legis, v. g. itinerando, laborando, &c.

Objicies 4°. Licitum est mutare domi- 234
cilium de loco ad locum, ex solo fine subterfugiendi leges prioris domicilii, v. g. ex solo fine contrahendi matrimonium clandestinum in loco posterioris domicilii, ubi Tridentinum non viget. Ergo similiter, &c.

Respondeo negando consequentiam. Est enim disparitas, quòd prius non aperiat viam libertinitatis, uti posterius. Neque enim domicilium verè mutatur, absque sincero animo derelinquendi prius domicilium, & alibi perpetuò habitandi. L. *non utique*, & L. *domicilium*, & L. *ejus qui* 2. §. penult. ff. ad municip. Verendum proinde timoratis conscientiis, ne mentiatur iniquitas sibi. Ficta quippe domicilii mutatio non excusat. Suppositâ verò verâ, & non fictâ domicilii mutatione, non censetur aperta janua continuis excursionibus ad finem subterfugiendi leges, prout in casu nostro. Unde Sylvius 3. p. q. 45. Supplem. a. 4. quæsito 4. & 1. p. resol. 5. *matrimonium* 8. (cum Suarez & Bonacina) putat peccare quidem clandestinè matrimonium contrahentem, in loco mutati domicilii, ubi Tridentinum non viget; ipsius tamen matrimonium esse validum, non obstante quòd domicilium mutaverit, solo animo ibi clandestinè contrahendi. Nec fraudem ipsi tunc patrocinari, sed mutatam conditionem. Quia nimirùm effectus parochianus istius loci, desiit esse parochianus prio-

ris loci. Cæterùm non valere matrimonium ejus, qui (sine domicilii mutatione) è proprio territorio in aliud transit, animo subterfugiendi legem Tridentini. Unde consequenter adjungit, non valere confessionem ejus, qui (absque domicilii mutatione) de una Diœcesi transit ad aliam, sine alia causa, quàm ibi confitendi. Quia transeundo non mutat conditionem, seu Diœcesim, sed transit in fraudem.

CAPUT XXIX.

Ecclesiasticis legibus non subjiciuntur infideles, nec pueri nondum ratione utentes, nec perpetuò amentes.

235 DE infidelibus (puta non baptizatis) patet ex eo quòd soli baptizati subditi sint Ecclesiæ. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?* ait Apostolus.

Quoad pueros ratione nondum utentes, & perpetuò amentes, ratio est, quia lex, utpote rationabile præceptum, solis ratione utentibus imponitur. Unde bruta legis & præcepti incapacia sunt. Hinc Theologi & Canonistæ communiter inferunt, parentes non peccare, præbendo infantibus carnes, in diebus jejuniorum. Et sic habet consuetudo, ut Cajetanus ait 2. 2. q. 147. a. 8. Prudenter tamen filiis suis carnes subtrahent, ut paulatim ipsos in istius abstinentiæ usu formentː *Bonum est* enim *homini, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua.* Et ut D. Basilius loquitur q. 15. *etiam primæ ætatis tempus ad accedentes suscipiendos idoneum esse censetur. Itaque dum adhuc facilè formari potest, & tenera est anima, & velut cera leviter cedit, & convenientes formæ facilè ipsi imprimuntur, ad omnem bonorum exercitationem statim, & ab initio induci ipsam oportet, ut ubi ratio accesserit, & habitus discernendi contigerit, cursus existat ab elementis ab initio, & traditis pietatis formis. Cùm ratio quidem quod utile est suggerat, consuetudo verò facultatem ad rectè faciendum inducat.*

236 Saltem hanc propositionem Emmanuelis Sa verbo *jejunium: Pueri non tenentur à carnibus abstinere ante duodecimum ætatis annum*, è libro ipsius meritò expungi fecit S. Palatii Apostolici Magister. Tametsi etiam perpetuò amentes, ne materialiter quidem peccent, diebus Festivis opera servilia exercentes; ideòque Laymannus (apud Tamburinum l. 4. in Decal. c. 3. §. 1. n. 17.) fas esse dicat opera servilia ipsis tunc imponere. Verendum tamen ne peccet, qui amentis operâ, velut instrumento, utitur ad proprium lucrum, ex ea diebus Festivis percipiendum. Cùm per amentem, velut instrumentum, operari videatur. Quidquid sit, extra controversiam est, fas non esse, ipsos concitare ad iram, blasphemiam, fornicationem, &c. ob intrinsecam deformitatem istis annexam, quam approbat, qui ad ista concitat, & ad ista amentis operâ utitur, velut instrumento.

Quatuor circa pueros supersunt inquiren- 237
da. Primò, an irregularitatem incurrant, si ante rationis usum aliquem mutilaverint, vel occiderint? Secundò, an humanis legibus obligentur, qui septimum ætatis annum attigerunt? Tertiò, an censuras ecclesiasticas incurrant ante annum decimum & dimidium? Quartò, an impuberes incidant in casum reservatum, siquod committant crimen, aliàs Episcopo reservatum?

Ad primum respondeo negativè contra Hostiensem: sic enim Clemens V. declaravit Clementinâ *si furiosus* de homic.

Ad secundum respondeo quibusdam Antiquis visum esse quòd non, nisi proximi essent pubertati, id est, annum decimum & dimidium attigissent. Et ipsis subscribere videtur S. Antoninus. Verùm opinio ista meritò hodie rejicitur à Theologis & Canonistis, contrariumque satis significatur can. *pueris* de delictis pueror. S. Antoninus verò non omninò manifestè isti favet opinioni, cùm exponi possit de subjectione quoad vim coactivam, sive quoad pœnarum incursionem.

Ad tertium communis antiquorum Canonistarum opinio fuit affirmativa. Fundabant se in cap. 1. & ult. de sent. excommun. Verùm caput primum non dicit pueros, Clericorum percussores, excommunicationem incurrisse, sed solùm quòd *non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, quia eos ætas excusat.* Caput ultimum loquitur de pueris proximis pubertati, ibiː *sive ante, sive post pubertatem postulent se absolvi.* Verba namque ista denotare videntur crimen commissum circa tempus pubertatis. Fundata proinde videtur opinio negativa Dominici Soti in 4. distinct. 18. q. 1. a. 3. in fin. aliorumque illustrium Theologorum: quia cap. *referente* de delictis pueror. Alexander III. dicit, quòd *in pueris relinqui solet multum, quod in aliis provectioris ætatis humanæ leges aiunt severius corrigendum.* Nec ecclesiasticæ leges minùs humanæ sunt, quàm civiles, quæ pueros ante decimum annum & dimidium delinquentes, pro commissis delictis non puniunt. L. *quoniam* C. de falsa moneta. L. *pupillum.* ff. de reg. jur. & §. *in summa* Institut. lib. 4.

Ad quartum negativè respondet Theologia Moralis, jussu & authoritate Illustriss. Episcopi Petrocorensis edita to. 1. l. 1. c. 9. in fine: tum quia mitiùs cum illis agendum, quàm cum aliis. Tum maximè quia in ipsis non reperitur necessitas Episcopalis examinis, & correctionis, qualem exigit casuum reservatio. Rationabiliter quidem hoc Episcopi declararent: quia tamen hoc ab ipsorum pendet arbitrio, mens & intentio ipsorum ab ipsis consultò inquiretur.

CAPUT XXX.

Humanæ legis obligatio tribus præcipuè modis ceſſat.

238 PRimò, per expreſſam, vel tacitam Legiſlatoris revocationem. Quia lex pendet à voluntate ipſius.

239 Secundò, per materiæ mutationem, ſi nempe materia legis 1°. de licita & utili (ob advenientes circumſtantias) fiat illicita, vel damnoſa & noxia. Quia lex nequit ad illicitum & noxium obligare. Unde ceſſat obligatio reddendi depoſitum, quando repetitur ad injuſtum nocumentum alicui inferendum. 2°. ſi fiat impeditiva majoris boni, vel alterius legis magis obligantis. Tunc enim debilior cedere debet fortiori, lexque minoris boni, vel charitatis, cedere debet legi majoris boni, vel charitatis, ſicut minus bonum cedere debet majori bono. 3°. ſi fiat nimis moleſta, & difficilis. Quia lex humana, ſicut in principio, ſic in decurſu eſſe debet humana, & moraliter poſſibilis.

240 Tertiò, per ceſſationem finis adæquati ipſius. Quia finis adæquatus legis, eſt velut fundamentum & anima legis. Deſtructo verò fundamento, corruit ædificium, ceſſanteque animâ legis, lex emoritur. Id tamen intelligendum de ceſſatione finis legis in communi, ſive reſpectu Communitatis, non in particulari, ſive reſpectu alicujus particularis. Nunquam enim finis legis, latæ in generale bonum Communitatis, vel ad removendum malum, vel periculum aliàs imminens multis de Communitate, ceſſat reſpectu alicujus particularis, niſi ceſſet reſpectu Communitatis, uti proximè patebit.

CAPUT XXXI.

Finis legis latæ in bonum generale Communitatis, vel ad removendum malum, ſeu periculum aliàs imminens multis de Communitate, nunquam ceſſat in particulari, niſi ceſſet in communi. Infundata proinde eſt opinio plurium Recentiorum, quòd lex ceſſet in particulari, ceſſante fine legis in particulari, quòdque leges in præſumptione fundatæ, ceſſent in caſibus particularibus, in quibus particulariter falſa eſt præſumptio.

241 JUlius Mercorus in præfatione libri ſui, cui titulus, *Baſis Theologiæ Moralis*, ſapienter obſervat, multos in Theologiam Moralem abuſus, multas videlicet opiniones nimis laxas irrepſiſſe, ſub vano prætextu ceſſantis legis in particulari, ob ceſſationem finis.

Nec dubium, plures ſimiliter irrepſiſſe, ſub vano prætextu, quòd leges in præſumptione fundatæ, ceſſent in caſibus particularibus, in quibus particulariter falſa eſt præſumptio. Cujus prætextûs vanitatem ſi perſpectam habuiſſet Diana p. 1. tr. 10. reſol. 28. non dixiſſet, ex illo principio, ſeu prætextu, multos quotidie ſcrupulos in praxi à Confeſſariis tolli poſſe.

Prætextuum quippe illorum vanitas mul- 242
tipliciter oſtenditur. 1°. Quia *non omnium, quæ à Majoribus conſtituta ſunt, ratio adæquata reddi poteſt; rationeſque eorum quæ conſtituuntur, inquiri non oportet; alioqui multa ex iis, quæ certa ſunt, ſubverterentur.* L. 19. & 20. ff. de legib.

2°. Quia finis legis rarò exprimitur in le- 243
ge, nec exprimi debet; nec noſtrûm eſt de eo judicare, ſed in dubio legibus obedire (ſecundùm Auguſtinum relatum can. *in iſtis* diſt. 4. *Non debemus judicare leges, ſed ſecundùm leges*) vel ſaltem ad Superioris declarationem recurrere; non autem ſub ceſſantis finis legis, vel ſub falſæ præſumptionis prætextu, propriâ authoritate, nos à lege eximere. Ut enim dicitur §. *rurſus* Inſtituto de uſucapionibus, *licèt ratio uſucapionis ceſſet in abſente Reipublicæ cauſa, tamen adverſus uſucapionem reſtitutio à Superiore impetranda eſt.*

3°. Finis legis, de qua in aſſertione, non 244
eſt vitatio mali particulariter, ſed communiter alioqui imminentis; vel quia ſcilicet niſi hoc vel illud omnibus univerſim præcipiatur, vel prohibeatur, multa mala, ſeu inconvenientia contingent in Communitate, quæ Legiſlator in commune bonum vult avertere: ſiquidem in condendis ejuſmodi legibus, Legiſlator non attendit ad id quod accidit particulariter in me, vel in te, vel in omnibus, ſed ad id quod accidit communiter, vel in multis, uti docet S. Thomas 1. 2. q. 84. a. 1. ad 3. q. 90. a. 2. q. 96. a. 1. & 6. & 2. 2. q. 147. a. 4. ubi ſic: *Statuta communia proponuntur ſecundùm quod multitudini conveniunt. Et ideò Legiſlator in eis ſtatuendis attendit id quod communiter & in pluribus accidit.* Enimverò *jura conſtitui oportet in his quæ ſæpiùs, vel communiter accidunt.* L. *jura* ff. de legib. Ratioque ſufficiens ad præcipiendum vel prohibendum omnibus, eſt quia alioqui tale vel tale malum, vel periculum continget in multis, v. g. periculum perverſionis ex lectione librorum hæreticorum. Ratio proinde ſufficiens ad prohibendum omnibus lectionem iſtam, eſt quia niſi lectio iſta prohibeatur omnibus, periculum eſt ne multi ex eorum lectione pervertantur. Neque enim Legiſlator attendit periculum, ne iſte vel ille particulariter pervertatur (hoc enim ut plurimùm ſcire non poteſt) ſolùm igitur attendit periculum, ne multi de Communitate pervertantur. Si enim hoc prudenter judicet, lectionem illam omnibus prudenter interdicit.

Finis proinde legis, de qua in aſſertione, 245
numquam ceſſat in particulari, niſi ceſſet in communi. Cujus oppoſitum dum ſupponit opinio triginta Doctorum (apud Dianam ſuprà) dicentium, *Ceſſante fine legis in particulari,*

lari, lex in particulari ceſſat, falſum ſupponit, nec ſolùm ideò rejicienda eſt, ſed & ob graviſſima inconvenientia, ex illa opinione conſectaria, dum latiſſimam aperit januam, ut unuſquiſque pro affectu ſuo judicet, finem legis hîc & nunc in ſe ceſſare, ſeque ideò poſſe onus illius excutere. Monialis quippe facilè exiſtimaret ſibi non ineſſe periculum incontinentiæ, ideòque ſe non teneri lege clauſuræ. Alius, cui matrimonium clandeſtinum eſt interdictum, facilè ſibi perſuaderet in ſe non eſſe periculum fraudis, & adulteriorum. Et ſic de aliis. Meritò proinde opinio illa in Congregatione Lovanienſi Provinciæ Belgicæ, noſtri Carmelitici Ordinis, Lectoribus omnibus prohibita fuit.

246 Dices 1°. Obligatio legis omnes particulariter & ſingulariter afficit: ergo finis legis debet omnes particulariter & ſingulariter reſpicere.

Reſpondeo negando conſequentiam. Quia obligatio legis ideò omnes particulariter & ſingulariter afficit, quia omnes particulariter & ſingulariter ſunt partes & membra Communitatis, ſive quia ex particularibus & ſingulis conflatur Communitas, cujus intenditur bonum. Ex particularibus verò & ſingulis non ideò conflatur Communitas, ut à Rectore Communitatis ſemper intendatur, & procuretur bonum ſingulorum & particularium, quà talium; ſed Communitatis, ut talis.

247 Dices 2°. Saltem finis legis directè magis reſpicientis bonum privatum ſingulorum, quàm generale Communitatis, plerùmque ceſſat in particulari, quin ceſſèt in communi. Et conſequenter talis lex ceſſat, &c.

Reſpondeo: Sive lex directè magis reſpiciat bonum generale Communitatis, quàm privatorum, ſive directè magis reſpiciat bonum privatum ſingulorum, quàm Communitatis; ſi tamen finis ipſius ſit remotio mali, vel promotio boni, ut in pluribus (prout ferè ſemper accidit) finis ejus nunquam ceſſat in particulari, quin ceſſet in communi. Ob rationem n. 144. allatam. Et oſtenditur in legibus naturalibus, quæ licèt directè magis reſpiciant privatum cujuſque bonum, quàm Communitatis (utpote immediatè, & per ſe primò latæ in ſingulas perſonas, potiùs quàm in Communitates, ideòque non aliter promulgatæ, niſi quatenùs ſingulorum cordibus inſculptæ) quia tamen finis legis naturalis prohibentis fornicationem v. g. non eſt vitatio damni prolis particulariter, ſed communiter, ſive in pluribus alioquin imminentis; finis iſtius prohibitionis nunquam ceſſat in particulari, quia nunquam ceſſat in communi. Idem oſtenditur in lege jejunii, quæ licèt directè & immediatè magis reſpiciat bonum cujuſque in particulari, quàm Communitatis, Eccleſia tamen, jejunium inſtituens, attendit ad id quod communiùs accidit. Et ideò non obligat ad illud ante finem tertii ſeptennii, quia non obligat eos, qui ſunt in ſtatu accretionis, quod, ut in pluribus, eſt uſque ad finem tertii ſeptennii, inquit S. Thomas 2. 2. q. 147. a. 4. ad 2. Similiter in lege præcipiente abſtinentiam à carnibus, attendit ad ea quæ communiter accidunt; ideòque non obligat ante ſeptennium (quamvis uſus rationis alicui accideret ante ſeptennium) quia ſcilicet homines communiter, & ut plurimùm non adipiſcuntur uſum rationis ante ſeptennium.

Fateor tamen, quòd ſiquando finis legis 248
eſt particulare bonum alicujus, ubi bonum iſtud non ſperatur reſpectu ipſius, obligatio iſtius legis ceſſat. Unde quia finis legis fraternæ correctionis eſt emendatio fratris, non communiter, ſed particulariter hîc & nunc ſperata (prout omnes communiter docent, atque ex Evangelio colligitur) ubi particulariter ceſſat iſte finis, ſive dum particulariter hîc & nunc fratris emendatio non ſperatur, lex correctionis pro caſu illo particulari non obligat.

Fateor etiam, quòd quandocumque finis 249
legis contrariè ceſſat in caſu particulari, in eo legis obligatio ceſſat. Finis enim legis contrariè ceſſare tunc cenſetur, quando legis obſervantiam contingit eſſe noxiam, & damnoſam. At nullus tenetur ad obſervantiam legis, pro caſu quo noxia eſt & damnoſa, uti vidimus n. 239.

CAPUT XXXII.

Conſuetudo rationabilis, & legitimè præſcripta, legi derogat humanæ, tametſi nulla conſuetudo derogare poſſit legi naturali, vel divinæ.

QUòd nulla conſuetudo derogare poſſit 250
legi divinæ poſitivæ, S. Thomas 1. 2. q. 97. a. 3. ad 1. probat ex eo quòd lex divina, cùm procedat à voluntate Dei, non poteſt mutari per conſuetudinem procedentem à voluntate hominis. Unde nullâ ratione licita eſt conſuetudo damnatis ad mortem denegans tempus recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, & Communionis. Cùm legi divinæ contraria ſit.

Quòd autem nulla etiam conſuetudo legi 251
naturali derogare queat, conſtat ex cap. fin. de conſuet. ubi Pontifex dicit, quòd *nemo ſanæ mentis intelligit naturali legi (cujus tranſgreſſio periculum ſalutis inducit) quacumque conſuetudine (quæ dicenda eſt verius in hac parte corruptela) poſſe aliquatenus derogari.* Conſtat iterùm ex eo quòd omnis conſuetudo contra legem naturalem, irrationabilis ſit, utpote contraria æquitati, & rectæ rationi. Verùm enimverò quemadmodùm veritati, ſic rectæ rationi & æquitati rationabilis conſuetudo cedere debet, juxta illud: *Nemo conſuetudinem rationi, & veritati præponat: quia conſuetudinem ratio, & veritas ſemper excludit.* can. 4. diſt. 9. Siquidem in Evan-

gelio Dominus: *Ego sum* (inquit) *veritas; non dixit: Ego sum consuetudo. Itaque revelatione factâ veritatis, cedat consuetudo veritati.* Ibidem can. 5.

252 Hinc nullâ consuetudine abrogari possunt, quæ in sacris canonibus jure naturali præcepta, vel prohibita inveniuntur. Si enim non stant quatenùs præcepta, vel prohibita jure positivo, semper stant quà præcepta, vel prohibita jure naturali. Ideò non obstante quâcumque consuetudine, semper subsstant quæcumque statuta sunt in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. de reform. de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, & sæcularibus negotiis à Clericis fugiendis. Semper (inquam) subsistunt, quatenùs ex jure naturali deprompta.

253 Denique quòd consuetudo rationabilis & legitimè præscripta legi deroget humanæ, expressè habetur cap. ult. de consuetudine. Ibi namque Gregorius IX. dicit, consuetudinem *posse juri positivo* (puta humano) *præjudicium generare, si rationabilis fuerit, & legitimè præscripta.*

254 Duo proinde requiruntur ad consuetudinem humanæ legi derogantem: primum, quòd sit rationabilis, nec proinde contraria legi divinæ, vel naturali (ob ea quæ dixi n. 250. & 251.) nec peccandi occasionem, vel periculum inducens, nec aliâ ratione bono communi adversa, nec proinde onerosa Ecclesiæ, ejusve immunitati, nec noxia disciplinæ, nec judiciarii ordinis eversiva, &c. Si enim talis sit, communi bono, atque adeò rectæ rationi adversatur. Propterea cap. *si Episcopus* de pœnit. & remiss. in 6. dicitur, quòd *nullâ potest consuetudine introduci, quòd aliquis, præter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere, vel ligare.* Quia scilicet omnis ejusmodi consuetudo, contraria est communi bono, rectoque regimini subditorum. Est proinde irrationabilis, sicut & omnis consuetudo, quæ jure reprobatur. Qualis non est omnis consuetudo actûs lege prohibiti (aliàs nulla consuetudo derogare posset legi: cùm omnis consuetudo legi derogans sit consuetudo actûs lege prohibiti) sed quæ jure reprobatur tanquam corruptela. Quod tamen non fit per omnem legem reprobantem, & abrogantem consuetudinem his verbis: *non obstante quâcumque consuetudine in contrarium.* Quia lex hoc dicens, ex communi sensu Doctorum, solùm censetur reprobare & abrogare consuetudines antecedentes, non subsequentes. Nisi fortè dicat: *non obstante quâcumque consuetudine in futurum.*

255 Si dicas 1°. consuetudinem legi rationabili contrariam, esse non posse rationabilem, cùm rationabile rationabili contrarium esse nequeat. 2°. consuetudinem legi contrariam semper incipere à peccato, sive à transgressione legis; ac per consequens semper in principio esse irrationabilem. 3°. propterea jure canonico (cap. *consuetudinis* dist. 11.) & civili (L. 2. Cod. *quæ sit longa consuetudo*) cautum esse, ne consuetudo legem abroget, eive prævaleat.

Ad 1. respondeo, consuetudinem legi contrariam, semper esse irrationabilem in principio, & in fieri; secùs in facto esse, quando jam accedit expressus, vel tacitus consensus Principis; eò quòd utique publico bono conveniens ipsi videatur, non jam amplius exigere legis observantiam, ne in circumstantiis invalescentis consuetudinis peccandi occasionem præbeat, majoraque mala causet, quàm bona.

Ad 3. respondeo, in juribus illis sermonem 256
esse de consuetudine, vel irrationabili, vel legitimè non præscriptâ. Jura namque illa concordanda sunt relato capiti ultimo de consuetudine.

Secundum, quod requiritur ad consuetu- 257
dinem legi derogantem, est quòd sit legitimè præscripta, id est ut tanto tempore duraverit, quantum requiritur ad legitimè præscribendum contra legem. Neque enim legi derogat consuetudo statim atque incipit, sed ordinariè peccant primi Authores illius, donec sufficiens tempus ad legitimam præscriptionem excurrat.

Sed observandum, consuetudinem dupli- 258
citer posse legi derogare. 1° viâ conniventiæ Principis. 2°. viâ præscriptionis. Priori modo non derogat legi sine scientia & consensu (saltem tacito) Principis. Eo verò consensu posito, non requiritur certum temporis spatium ad derogandum legi. Cùm eo ipso derogetur legi, quo Princeps in derogationem consentit. Posteriori verò modo consuetudo legi derogat sine speciali scientia & consensu Principis (utpote qui non requiritur ad præscriptionem, sed sufficit tempus præscriptioni statutum) non tamen sine consensu generali, seu legali, quo generali lege vim tribuit præscriptioni, atque adeò consuetudini legitimè præscriptæ.

Porrò ad præscribendum contra legem ci- 259
vilem, Doctores communiter ordinariè requirunt tempus decem annorum; contra legem verò canonicam, tempus quadraginta annorum. Quia ad præscribendum contra legem tempus longum requiritur. Quod jure civili decennium esse censetur. L. *super longi* C. de præscript. longi temp. Jure verò canonico ordinarium præscriptionis tempus esse censetur 40. annorum. cap. *de quarta* & cap. *ad aures* de præscript. Nec tamen tempus istud sufficit, dum lex contrariæ consuetudini resistit. Quia nec præscriptio vim obtinet, dum ei resistit voluntas Legislatoris

CAPUT

CAPUT XXXIII.

Legitimâ dispensatione relaxatur obligatio legis humanæ, non naturalis.

260 LEgis humanæ obligationem per legitimam dispensationem relaxari, manifestum est ex definitione dispensationis, quæ nihil aliud est, nisi relaxatio legis, legitimâ authoritate facta alicui particulari personæ, vel ipsi etiam Communitati, pro aliquo particulari casu. Differt ab epycheia, quòd hæc ab unoquoque viro sapiente fieri possit; nec supponat obligationem legis, sed declaret eam non subesse in particulari casu: dispensatio verò tollit obligationem, quam alioqui supponit esse, nec fieri potest ab unoquoque. Neque enim inferior dispensare potest in lege Superioris, sine ejus commissione tacita, vel expressa, can. *inferior* distinct. 21. cap. *cùm inferior* de majorit. & obed. & L. fin. Cod. de legib. Quia scilicet debilior fortiorem ab agendo impedire nequit.

261 Differt etiam à derogatione, & abrogatione legis: quia per derogationem strictè sumptam absolutè deperit aliqua pars legis, etiam in universali; per abrogationem autem ex toto tollitur obligatio legis (etiamsi derogatio, & abrogatio, minus strictè acceptæ, subinde confundantur) verùm dispensatio solùm est relaxatio legis in particulari, vel scilicet respectu alicujus personæ particularis, vel in aliquo particulari casu.

262 Dispensationem verò non cadere in legem naturalem, constat ex dictis cap. 3. de ejus indispensabilitate. Hinc nullâ dispensatione licita reddi possunt, quæ inseparabiliter conjunctam habent deformitatem, legi naturali repugnantem, qualia sunt adulteria, perjuria, mendacia, rerum spiritualium nundinationes, &c. Illa verò quæ absolutè, secundùm se considerata, sic habent deformitatem legi naturali repugnantem, ut tamen aliquibus circumstantiis advenientibus, omnis illa deformitas sic abstergi queat, ut in istis circumstantiis legi naturali non repugnent, sed soli legi humanæ positivæ, pro talibus circumstantiis dispensationem recipere possunt, non quidem dispensationem in jure naturali, sed in jure humano positivo.

263 Id exemplo pluralitatis præbendarum pulchrè S. Thomas quodlib. 9. a. 15. ostendit sic: *Sunt quædam actiones, quæ, absolutè consideratæ, deformitatem, vel inordinationem quandam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus, bonæ efficiuntur. In numero harum actionum videtur esse, habere plures præbendas: cùm hoc quod est habere plures præbendas, plurimas in se inordinationes contineat: utpote quòd non est possibile aliquem in pluribus Ecclesiis deservire, in quibus est præbendatus: cùm præbendæ videantur esse ordinatæ, quasi stipendia Deo ibidem ministrantium. Sequitur etiam diminutio cultûs divini, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum; qui ad hoc aliqua bona Ecclesiæ contulerunt, ut certus numerus Deo servientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest. Et multa alia hujusmodi quæ de facili patent. Unde non potest contineri inter indifferentes actiones, multò minùs inter eas, quæ sunt secundùm se bona, ut dare eleëmosynam, & ejusmodi. Quamvis verò has inordinationes pluralitas præbendarum contineat; tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire, ita honestantes actum, quòd prædictæ inordinationes totaliter evacuentur; ut puta si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequio, ut posset plus servire Ecclesiæ, vel tantundem, absens, quàm alius præsens; & si quæ alia sunt hujusmodi. Et tunc, istis conditionibus supervenientibus, cum recta intentione, non erit peccatum, etiam nullâ dispensatione interveniente, si consideretur tantùm secundùm jus naturale. Quia dispensatio ad jus naturale non pertinet, sed solùm ad jus positivum.*

Ex his verbis Angelici Doctoris, Fagna- 264
nus in cap. *quia* de præbend. concludit, quòd *cessantibus ejusmodi circumstantiis, quæ deformitatem, seu inordinationem tollunt, licitum non est plures præbendas habere, etiam cum dispensatione: eò quòd dispensatio non auferat ligamen juris naturalis, sed solum ligamen juris positivi.*

Quæ S. Doctoris, & Fagnani doctrina, 265
non solùm procedit in pluralitate præbendarum, sed etiam in permutatione beneficiorum, retentione pensionum super beneficio dimisso, absentia Episcoporum, Pastorum, aliorumque beneficiatorum, & similibus, per sacros Canones vetitis: utpote quæ (non minùs ac illa beneficiorum pluralitas) plurimas continent inordinationes legi naturali contrarias, quæ circumstantiis quibusdam advenientibus sic abstergi possunt, ut tamen non abstergantur, ne quidem per dispensationem, aut privilegium Apostolicum, nisi circumstantiæ illæ reverà adsint. Quibus proinde deficientibus, securum te in conscientia non facit dispensatio, uti demonstrat celebre dictum Melliflui Doctoris ad nepotem epist. 1. *Quid tibi fruſtrà quispiam blanditur de absolutione Apostolica, cujus conscientiam divina tenet ligatam sententia?*

CAPUT XXXIV.

Ad legitimam humanæ legis dispensationem duo requiruntur, ut scilicet procedat ab habente potestatem, & adsit rationabilis causa dispensandi.

ASsertio quoad priorem partem manifesta est: sicut enim sine potestate nullus ligare potest, & solvere; sic nec dispensare.

267 Porrò quilibet Legislator in propriis, suorumque Prædecessorum legibus, dispensare potest. In propriis quidem: quia *res per quas causas nascitur, per eas dissolvitur*, can. *omnis* 27. q. 2. & cap. *omnis res* de reg. juris. In legibus verò Prædecessorum suorum: quia sicut prædecessor id poterat; ita & successor: utpote parem cum eo habens authoritatem.

268 Si tamen lex inferioris Legislatoris confirmata fuerit à Superiore majore, v. g. lex Religionis à Papa, non per modum simplicis approbationis, per quam legem inferioris sic declarat ab ipso legitimè factam, ut eam non faciat suam, sed per modum mandati, quo sic illi inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicit, ut velit per quoscumque Judices se inferiores secundùm legem illam judicari (quomodò Constitutiones nostræ confirmatæ fuerunt ab Urbano VIII. & Innocentio X.) tunc inferior Legislator, sine licentia istius Superioris majoris, v. g. Religio, vel Capitulum Generale, sine licentia Papæ, in tali lege ampliùs dispensare non potest, nisi in casibus, in quibus sic ipsamet lex disponit. Quia per ejusmodi confirmationem, Superior major, v. g. Papa, talem legem fecit suam. Ita noster sapientissimus Lezana consulto 6. n. 10. & seqq. noster Antonius à Spiritu sancto tract. 2. disput. 1. sect. 2 noster Andreas à Matre Dei tract. 11. de legib. c. 5. puncto 6. n. 58.

269 Enimverò inferior in lege Superioris solùm eatenùs dispensare potest, quatenùs id ei concessum dignoscitur, vel ex dispositione juris, vel ex consuetudine legitimè præscripta (quomodò Parochi dispensant in jejuniis ecclesiasticis, & in abstinentia à servilibus operibus diebus Festis, &c.) vel ex privilegio, aut expressa Superioris delegatione. Vide suprà n. 260.

270 Cùm autem dispensatio non sit actus jurisdictionis coactivæ, nec contentiosæ, sed purè voluntariæ; habentem potestatem ordinariam, vel delegatam cum aliis dispensandi, secum dispensare posse (dummodò delegatam ad hoc potestatem non acceperit cum restrictione, ad dispensandum cum aliis, non secum) communis est sententia Doctorum, S. Thomæ, Aravio, Cajetani, Didaci de Tapia, Martinez, Basilii, Pontii, &c, apud citatum Andream à Matre Dei num. 60.

271 Nullus porrò hominum, sive inferior sit, sive Superior, etiam supremus, licitè dispensat, absque rationabili causâ, eâque cognitâ, & maturè discussâ. Ut enim S. Thomas 1. 2. q. 97 a. 4. in corp. *Si is qui habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ sua authoritati innititur, absque ratione, pro sola voluntate licentiam tribuat, ut præceptum legis non servetur, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens. Infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune. Imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret.* Propter quod Dominus dicit Luc. 12. *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.*

Ubi igitur rationabilis causa exigit, *detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat*, inquit Augustinus epist. 50. relatus can. 16. causa 1. q. 7. Quia tamen in sacris Canonibus numquam dispensatur, nisi ipsis Canonibus vulnus aliquod infligatur; dispensatio concedenda non est, nisi illa vulneris inflictio alicujus boni accessione compensetur. Ideò Augustinus, relatus can. *Ipsa pietas* 23. q. 4. dicit, quòd dispensatio, seu relaxatio sacrorum Canonum, quæ suo tempore fiebat cum Donatistis (ad facilitandam eorum conversionem) ut post pœnitentiam suis gradibus restituerentur, *fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione hæretici illi sic sanarentur.* 272

Ideò etiam Bernardus de præcept. & dispens. c. 2. *Novit* (inquit) *fidelis servus, & prudens dispensator, ibi tantùm usurpare dispensationem, unde bonam possit habere recompensationem.* Et l. 2. de considerat. ad Eugenium Papam: *Ubi necessitas urget, excusabilis; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est (utilitas dico communis, non propria) nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio; sed crudelis dissipatio est.* 273

Ideò Concilia & Patres, apud eundem de præcept. & dispens. cum Leone Magno proclamant: *Ubi necessitas non est, nullo modo sanctorum Patrum instituta violentur. Ubi ergo necessitas fuerit ad utilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet, ea dispenset.* 274

Ideò denique in Decretalibus cap. 30. & 38. de elect. c. 11. de renunt. & cap. 19. de sent. & re judic. &c. crebrò inculcatur, dispensationem concedendam non esse, nisi utilitate, vel necessitate compensetur. 275

Hinc colligitur 1°. utilitatem, aut necessitatem, ut justæ compensationis rationem obtineat, eò majorem esse debere, quò majora incommoda secum trahit: major quippe utilitas aut necessitas exigitur ad dispensandum cum Episcopo vel Pastore, in residentia, quàm ad dispensandum cum Canonico. Sed & in una eademque materia nunc major, nunc minor causa requiritur, pro varietate circumstantiarum, major v. g. in Diœcesibus, ubi talis dispensationis usus nondum invaluit, quàm ubi invaluit. 276

Colligitur 2°. magnâ circumspectione ac maturitate ponderandas omnes circumstantias, priusquàm dispensatio concedatur. Meritò proinde Tridentinum sess. 25. de reform. c. 18. *Sicut* (inquit) *publicè expedit legis vinculum quandoque relaxari, ut plenius evenientibus casibus, & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat: sic frequentiùs legem solvere, exemploque potiùs, quàm certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus* 277

fieri poterit, indistinctè observandos. Quod si urgens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse, id causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratis, à quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.

278 Colligitur 3°. Illustrissimum Fagnanum ad cap. *nimis* de filiis Præsbyter. gratis non asserere, quòd sit *unanimis consonantia Canonum, Conciliorum, & Interpretum, ut necessitatis vel utilitatis causa in dispensatione debeat esse magna, seu, quod idem est, major, maxima, justa, evidens, urgens, & his consimilis, quibus sacri Canones promiscuè utuntur tanquam synonimis. Alioquin si ejusmodi causa desit, non est dispensatio, sed dissipatio.* Ut autem causa sit talis, legum momento & gravitati proportionata esse debet, ut vulnus valeat recompensare, de quo n. 272. illud tamen præ oculis habendo, quòd minus malum sit excedere nonnihil in lenitate, quàm in severitate.

279 Colligitur 4°. Papam posse quidem dispensare in omnibus Ecclesiæ statutis, sed non pro sola voluntate. Neque enim probanda est opinio quorumdam Jurisperitorum prioris sæculi, qui aiebant voluntatem Pontificis regulam esse, quâ ejus actiones dirigantur: neque in jure positivo constituendo, aut abrogando, aut etiam dispensando, regulam quampiam Pontifici constitutam esse præter ejus voluntatem. Cùm opinio ista contraria sit doctrinæ Christianæ, contraria sensui Ecclesiæ, contraria Theologis passim omnibus, saniorique parti Canonistarum.

280 Imprimis contraria est doctrinæ Christianæ, seu Evangelicæ: cùm ex Matth. 20. v. 25. 26. 27. habeamus, Pontificiam potestatem non esse dominativam, quâ Pontifices pro beneplacito suo, in suum particulare bonum, uti possint; sed dispensatoriam, seu deservientem utilitati, aut ædificationi corporis Christi, quod est Ecclesia, ut constat ex his quæ ibi Christus ad Petrum, & reliquos Apostolos dixit: *Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Isteque est sensus Ecclesiæ, Pontificumque omnium, qui propterà se vocant *servos servorum Dei*: quia omnem quam supra reliquos Ecclesiæ Prælatos, & super Ecclesiam habent potestatem, utilitati subditorum sibi fidelium impendere debent, prout servus impendere debet quidquid habet in obsequium ejus cui servit. Quod adeò verum existimavit Gregorius IX. apud Raynald. ad annum 1234. n. 16. ut propterea dixerit, quòd *Romanus Pontifex .... prudenter attendit, non solùm personas, sed causas, ex quibus dispensare disponit; ne fortè sic dispenset, ut dissipet; imò ne dissipet, si dispenset.*

Ideò dictam opinionem, tanquam Ecclesiæ Catholicæ injuriosam, & Hæreticis scandalosam, Cardinalis Contarenus, Pontificiæ authoritatis Vindex acerrimus, omninò destruxit in epistola ad Paulum III. Ex eaque gravissimos abusus in Ecclesiam Dei irrepsisse (cum Contareno) censuerunt Cardinalis Petrus Caraffa (posteà Paulus IV.) Cardinalis Polus, Cardinalis Sadoletus, Archiepiscopi duo, Episcopus unus, & sacri Palatii Apostolici Magister, quos, prævie ad Concilium Tridentinum, Paulus III. ad se vocari jusserat; ut ipsi, absque ullo humano respectu, significarent abusus illos, abusuumque radicem. 281

Eandem denique opinionem Theologis passim omnibus contrariam inveniet, quisquis eos legerit. Communis certè Theologorum Magister Aquinas 1. 2. q. 97. a. 4. ne Summum quidem Pontificem excipit, dum ait, quòd *quicumque potestatem habet dispensandi in lege humana, si absque ratione, pro sua voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in sua dispensatione.* Et 2. 2. q. 88. a. 12. quòd omnis dispensatio, petita à Prælato, debet fieri ad honorem Christi, in cujus persona dispensat, vel ad utilitatem Ecclesiæ, quæ est ejus corpus. Adrianus etiam de restitut. fol. mihi 74. ex S. Bernardo l. 3. de consid. c. 6. & aliis argumentis pulchrè ostendit, Papam illicitè absque causa dispensare. 282

Ex Canonistis Panormitanus ad cap. *cùm ab eo* de rescript. *Ubi non subest* (inquit) *causa rationabilis, non excusatur quis, quoad Deum, etiam ex dispensatione Papæ. Inter omnes convenit* (ait Covarruvias de matrim. §. 9. n. 15.) *dispensationem à Romano Pontifice concessam contra jus, sine causa, etsi sit contra positivum, animæ tutam non esse. Talis enim dispensatio, dissipatio potiùs dicenda est.* Videri potest Fagnanus, alios referens in cap. *ex parte* de Cleric. non resid. n. 61. 62. 63. & 64. 283

Nullus proinde dicat: *Papa dispensavit, ipse sibi viderit: ego immunis sum.* Ut enim Cardinalis Bellarminus ait in epist. ad Nepotem controv. 50. *Hic cavillus securos reddit multos, tutum verò neminem. Quoniam Papa non est dominus, sed dispensator; ideòque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est; & qui eâ utitur, eâdem semper irretitur iniquitate.* Concinit Cardinalis Toletus Instruct. Sacerd. l. 5. c. 83. *Papæ dispensatio sine causa non habet locum in foro interiori, & coram Deo, sed tantùm in foro exteriori. Unde qui pensiones retinent, etiam cum dispensatione, si non adest causa legitima, securi non sunt. Nec excusantur, quia Papa dedit, & ipsius est considerare quomodò dederit; hoc, inquam, non excusat: si enim quis accipiat pecunias ab œconomo, quem scit malè dispensare res domini, & contra justitiam, non potest tunc retinere. Papa autem non est dominus bonorum & redituum Ecclesiæ, sed tantùm uni-* 284

versalis dispensator. Unde sicut cùm dispensat hominem in voto, non facit hominem securum in conscientia, nisi causa adsit; ita in pensionum, & beneficiorum distributione. Causa autem hæc debet esse in utilitatem Ecclesiæ, cujus sunt bona. Si enim nullâ viâ in Ecclesiæ hujus, vel universalis utilitatem tendat, non est causa legitima.

285 Nullus etiam dicat: Examen de causæ sufficientia relinquimus Pontifici, cujus nos consilio vel judicio commisimus. Talibus enim reponit Bernardus epist. 7. *Utinam non licentiam quæsissetis, sed consilium; ideò, non ut liceret, sed an liceret?* Non hoc igitur quærunt; sed, ut subjungit Mellifluus Doctor, *malum in corde conceperant, opere tamen ausi non sunt adimplere, nisi cum licentia. Conceperant dolorem, sed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo Papa conceptui præberet assensum.... aut circumventus mendacio, aut importunitate victus.... Frivolum satis remedium, quod non est aliud nisi more Protoplastorum, cauteriatis conscientiis texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum.*

286 Nullus denique (cum subtili quodam Recentiore disput. 4. de leg.) dicat, Papam, & quemlibet Legislatorem supremum, esse absolutum suæ legis Dominum; atque adeò posse, pro solo suo beneplacito, uni dispensationem in sua lege concedere, aliis non concedendo; sicut absolutus Dominus potest, de bonis suis, pro solo beneplacito suo, aliquid uni communicare, non communicando alteri? Quia assertio ista contra se habet Evangelium, Ecclesiæ sensum, Theologosque, & Canonistas ferè omnes, ut suprà vidimus.

287 Quòd si Legislator, etiam supremus, non sit Dominus suæ legis, sed in ea administer boni communis, uti ostendimus, probabile certè est (quod plures Juristæ aiunt, & cum iis Cajetanus, & Vasquez 1. 2. q. 178. c. 4.) legis dispensationem sine rationabili causa factam, etiam à Legislatore supremo, nedum illicitam esse, sed & invalidam: quia non tam dispensatio est, quàm dissipatio, juxta SS. Patres; taliter proinde dispensans excedit limites acceptæ potestatis: utpote quam Papa à Deo, Rex à populo, eâ conditione accepit, ut nonnisi in ædificationem, seu utilitatem boni communis, non in dissipationem uteretur: sicut inferior Legislator (ex communi sententia) à supremo Legislatore non accipit potestatem dispensandi in lege ipsius ad beneplacitum, sed ex rationabili causa dumtaxat. Partim quia licèt lex in fieri pendeat à voluntate Legislatoris; quia tamen legis semel in commune bonum positæ non est Dominus, non potest pro sola sua voluntate, contra legalem justitiam, eam destruere, sive ex parte, sive ex toto.

288 Quia tamen communis opinio (affirmans dispensationem supremi Legislatoris in sua lege, non tamen inferioris in lege superioris, absque causa factam esse validam) etiam probabilis est, eâ stante, probabilius adhuc est, quod docent Sylvius 1. 2. q. 97. a. 4. concluf. 5. & apud ipsum Cajetanus, Covarruvias, & alii, utentem dispensatione sine causa concessa (licèt absque fraude) à peccato non excusari; tum quia peccat, qui utitur dissipatione, potiùs quàm dispensatione. Tum quia licèt non peccet contra legem humanam, super qua validè est dispensatus, quæque proinde desinit ipsum obligare; peccat tamen contra legem naturæ, quæ dictat neminem posse sine causa, se subducere communibus oneribus corporis, cujus est membrum, turpiterque agere partem, quæ sine causa discordat à suo toto.

Nec verò ab ea turpitudine ipsum excu- 289
sat disparitas in obligatione. Quia illegitimè est dispar. Et sive obtenta dispensatio valida sit, sive non sit, manet tamen naturalis obligatio sine causa non discordandi à suo toto, super qua non est dispensatus. Videturque alienum à Christiana simplicitate, rectaque ratione, quòd sine causa dispensatus ab abstinentia & jejunio Quadragesimali, immunis sit à peccato, si, robustus & valens, totâ Quadragesimâ carnibus vescatur, nec ullo die jejunet; quòdque pingui beneficio donatus, absque legitima causa numquam horas legat. Hujus verò peccati gravitas petenda est ex gravitate materiæ, vel præcepti, in quo aliis se debet conformare, inquit Sylvius loco citato.

Cæterùm, si post obtentam rationabili de 290
causa dispensationem (super aliquo legali impedimento matrimonii v. g. vel super irregularitate) causa illa cesset, priusquàm dispensatio executioni mandetur, non ideò dispensatio cessat. Non enim ideò redit impedimentum semel legitimè sublatum, dummodò (suppositâ causæ narratæ veritate) dispensatio (ut solet) absolutè concessa fuerit. Si verò dispensatio taliter obtenta non sit super legali aliquo impedimento, sed super observantia alicujus præcepti, v. g. abstinentiæ vel jejunii, & antequam dispensatio mandata sit executioni, causa illius cesset, taliter dispensatus tenetur præceptum servare: si non jure humano (in quo est dispensatus) saltem juxta dicta n. 288. jure naturali, in quo non est dispensatus. Quia nullam habet justam causam discordandi à suo toto, in observantia istius præcepti. Hinc dispensatus à jejunio, & abstinentia Quadragesimali, ex causa ægritudinis, quæ quidem initio Quadragesimæ subsistebat, sed post primam v. g. hebdomadam Quadragesimæ jam penitùs cessat, tenetur reliquos Quadragesimæ dies jejunare. Quia cessante penitùs ægritudine, nullam jam habet causam non jejunandi cum cæteris. Nec prudens & fidelis dispensator censetur dispensationem concedere, pro singulis Quadragesimæ diebus, virtualiter novam (qualis est dispensatio jejunii

vel abstinentiæ Quadragesimalis : cùm quilibet dies Quadragesimæ novam habeat jejunandi obligationem ; totque proinde dispensationibus indigeat, quot sunt Quadragesimæ dies) nisi secundùm leges fidelis & prudentis dispensationis, secundùm quas quælibet dispensatio rationabilem causam habere debet ; ac per consequens dispensatio nova, causam novam, vel veterem perseverantem. Sic enim mentem prudentis dispensatoris interpretatur Ecclesiæ praxis, & Christiana simplicitas, licèt aliter interpretetur Philosophica subtilitas. Videri potest Sylvius suprà q. 97. sub finem.

291 Si quæras rationem, cur, cessante causâ, iste potiùs teneatur jejunare, quàm in casu antedicto sublati per dispensationem impedimenti matrimonii, cessante dispensationis causâ, teneatur à matrimonio abstinere ?

Respondeo rationem esse, partim quia ad jejunandum manet obligatus jure naturali, quo tenetur se conformare suo toti ; partim quia, pro singulis Quadragesimæ diebus, indiget dispensatione virtualiter nova. Non sic in casu sublati legalis impedimenti, utpote quod semel sublatum non reviviscit, nisi per novam causam positivam superinducatur. Neque jure naturali inducitur, sed positivo.

CAPUT XXXV.

Subticentia veri, aut expressio falsi, dispensationem reddit subreptitiam, vel de subreptione suspectam, quotiescumque casus propositus cum subticentia veri, aut falsi expressione, prudentum judicio non comprehendit casum, prout revera se habet, tametsi Pontifex, casus (ut se habet) veritate expressâ, falsitateque omissâ, equidem dispensasset.

292 RAtio est, quia ad validam dispensationem requiritur voluntas, & consensus dispensantis ; nec sufficit voluntas, quæ fuisset, si casus secundùm rei veritatem fuisset ipsi propositus ; sed necessaria est voluntas hîc & nunc à parte rei existens. In facti verò contingentia, prout in assertione proponitur, non existit hîc & nunc in dispensante voluntas dispensandi in casu, prout se habet secundùm rei veritatem, sed in casu moraliter ab eo diverso, nec eum comprehendente : cùm in dispensante non existat hîc & nunc nisi voluntas dispensandi in casu hîc & nunc proposito ; nec hîc & nunc propositus sit casus, ut reverà se habens, sed moraliter diversus, eumque non comprehendens.

293 Quòd si veri expressio, vel falsi omissio, dispensationem aliquando invalidam, vel de invaliditate suspectam reddit, tametsi dispensans, sic animo dispositus sit, ut si verum fuisset expressum, vel falsum omissum, equidem dispensasset ; à fortiori eam invalidat, vel de invaliditate suspectam reddit, dum præsumitur non concessurus dispensationem, si casus, ut est à parte rei, sine subticentia veri, vel expressione falsi, propositus fuisset. Dispensationem verò non concessurus præsumitur, in sequentibus casibus.

Primò, dum supprimitur verum, quod ad 294
obtinendam dispensationem de jure vel stylo Curiæ debet exprimi. Quia Papa juribus se conformare præsumitur, & stylus Romanæ Curiæ censetur stylus ipsius, & secundùm communem sententiam habetur pro lege cap. *ex litteris* de rescript. & cap. *quàm gravi* de crimine falsi. Enimverò stylus Romanæ Curiæ, consuetudo est Romanæ Curiæ, in gravissimis dispensationum causis, nonnisi post accuratissimum examen, discussionemque causarum (ex quibus concedenda sit, vel non sit dispensatio) in variis Congregationibus desuper habitis, probante, vel etiam jubente Pontifice, fuisse præscripta.

Secundò, dum exprimitur falsum, quo de- 295
tecto, secundùm jura, vel Curiæ stylum, dispensatio non conceditur. Ob eandem rationem ; & quia in litteris dispensationis semper additur expressa hæc conditio : *si preces veritate nitantur.*

Tertiò, dum supprimitur verum, vel ex- 296
primitur falsum, quo non suppresso, vel non expresso, secundùm jura, vel stylum Curiæ, vel etiam stylum, seu solitum agendi modum istius determinati Pontificis, dispensatio frequentiùs negatur, & nonnisi rariùs, & difficiliùs conceditur. Quia Pontifex in casu (de quo agitur) præsumitur facturus, quod in simili casu frequentiùs fieri solet ; non autem quod rariùs & difficiliùs fieri contingit. Sed & Fagnanus ad cap. *quoniam* de constitut. n. 14. cum aliis Canonistis probat ex cap. *super litteris* de rescript. aliisque Canonibus, & variis Rotæ Decisionibus, omne tacitum, quo expresso Princeps non tam facilè dedisset litteras, reddere rescriptum gratiæ & dispensationis subreptitium, & ipso jure nullum. Ad citatum verò caput *super litteris*, postquam n. 62. statuisset hanc regulam : *Expressio falsitatis, vel suppressio veritatis, etiam per simplicitatem, vel ignorantiam, vitiat rescriptum in totum, si sit substantiæ rescripti inductiva, seu fundamentum & causa motiva totius concessionis, id est, si Princeps tacitâ falsitate, vel expressâ veritate, nullo modo dedisset litteras.* n. 67. regulam illam amplians, dicit habere locum, non solùm quando subreptio fuit causa inductiva, seu motiva, & finalis ipsius concessionis ; sed etiam quando fuit causa impulsiva, ita ut eâ deficiente, Princeps dispensaturus fuisset, sed difficiliùs. Quia, eo non obstante, subreptio (secundùm jura & Doctores, quos ibi magno numero citat) vitiat in gratiosis, adeòque vitiat dispensationem. Nisi subreptio proveniat ex ignorantia justa & probabili. Qualis cùm non sit, dum tacetur id quod ex jure vel stylo debet exprimi ; dicit 2°. tum vitiare dispensa-

tionem, etiam dum Pontifex, eo non tacito, eam adhuc concessisset, tametsi difficiliùs. cap. *si motu proprio* de præbendis lib. 6. Dum verò per simplicitatem, vel ignorantiam tacetur id quod de jure vel stylo non debet exprimi, tacetur ex ignorantia justa; ideòque subreptio ex ea proveniens non vitiat dispensationem, licèt eo expresso Pontifex difficiliùs dispensasset. Ita ille n. 69. cum Glossa, Calderino, Felino, & Canonistis passim, quibus in hac materia dispensationum, juris humani, magis quàm Theologis credendum: cùm materia ista magis ad ipsos spectet; utpote pendens ex sacrorum Canonum peritia.

297 Cum iisdem etiam n. 10. & seqq. ibidem generatim ait, subreptionem dolosam, seu procedentem ex fraude, vel malitia, non ex simplicitate, vel ignorantia, in totum vitiare rescriptum, si subreptio sit circa ea quæ tangunt substantiam vel formam rescripti, etiamsi subreptio non fuerit causa inductiva, seu motiva totius rescripti, sed partis dumtaxat; imò etiamsi Pontifex rescriptum, seu dispensationem aliàs concessisset, inquit n. 17. & 33.

Subreptio verò non dolosa non vitiat rescriptum in totum, sed eam tantùm partem, cujus fuit causa (vel inductiva, vel impulsiva, juxta suprà dicta) ibidem n. 24.

CAPUT XXXVI.

Casus notabiles ex dictis superiori capite deciduntur.

298 COllige 1°. nullam esse dispensationem, si Oratores dixerint se conjunctos quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradu, cùm tertio se contingerent, sive dolo id dixerint, sive ex probabili ignorantia facti. Quia ejusmodi ignorantia excusare potest à culpa, sed efficere nequit, ut super tertio gradu dispensatio concessa fuerit, super quo ne quidem petita fuit. Ita Doctores communiter. Et certè stylus Romanæ Curiæ vult exprimi proximiorem consanguinitatis, vel affinitatis gradum, sub pœna nullitatis. Nec mirum, quia quò gradus est proximior stipiti, gratiam reddit majorem, difficilioremque, ad quam proinde causa gravior requiratur.

299 Collige 2°. dispensationem esse nullam, si (dum duo invicem juncti sunt inæqualibus gradibus, ex duplici stipite, v. g. in secundo ex uno, & tertio ex altero stipite) solùm expresserint gradum remotiorem. Ita etiam Doctores communiter. Patetque ex eo quòd isti solùm petierint, solùm proinde obtinuerint dispensationem in uno consanguinitatis impedimento, cùm reverà innodati essent duplici impedimento. Quoties verò plura impedimenta, etiam unius generis, concurrunt, debent figillatim in eadem petitione exprimi, sub pœna nullitatis, ut habet stylus Curiæ, docentque Sanchez, Perez, Basilius, Pontius, Rota Romana, & Doctores passim contra Henriquez, Rodriguez, Texedam, & quosdam alios. Et ideò Urbanus VIII. in litteris sub forma Brevis anno 1624. datis ad Officialem Voletanum, nullum declaravit matrimonium duorum, ex indulto ejusdem Pontificis contractum, qui in petitione solùm expresserant tertium gradum, cùm nossent se etiam in secundo gradu junctos. Sic refert Barbosa in suis decisionibus l. 1. voto 3.

Dixi, in eadem petitione: dum enim 300
plura impedimenta concurrunt, secundùm stylum Curiæ, non sufficit exprimere unum in una petitione, alterum in altera, diverso tempore unum sine altero exprimendo. Ita Doctores communiter contra Navarrum, Henriquez, Rodriguez, Vegam, Petrum Ledesmam, & Salas. Quorum sententiam improbabilem censet Diana p. 1. tract. 10. resol. 39. & p. 10. tract. 11. resol. 44. in fine. Hoc enim pacto utraque dispensatio sic postulatur, & impetratur, quasi unum dumtaxat impedimentum tempore impetratæ dispensationis subesset; cùm tamen duo reverà intercederent, quæ si simul exponerentur, nulla fortasse dispensatio concederetur: eò quòd dum simul concurrunt, unum quasi vinculum fortius, & difficilioris solutionis constituant.

Collige 3°. dispensationem adhuc esse nul- 301
lam, si dum duo intercedunt impedimenta diversa, majus exprimitur, tacito minori, super quo facilè dispensatur; tametsi super eo Pontifex dispensasset, si utrumque expressum fuisset. Quia equidem dispensatio super minori concessa non fuit; utpote non postulata.

Collige 4°. cum Pyrrho Corrado (con- 302
tra Perez & Tamburinum) obesse valori dispensationis, si per errorem scribas te esse consanguineum sponsæ tuæ in secundo gradu, cùm sis solùm in tertio; vel si per errorem scripseris tertium gradum consanguinitatis, pro tertio gradu affinitatis. Quia cùm non postulaveris dispensationem super impedimento quo es innodatus, sed super alio (licèt majori) quo non es innodatus, non es dispensatus super impedimento, quo reverà es innodatus. Quamvis enim Pontifex faciliùs dispensasset in tertio, quàm in secundo, vel faciliùs in tertio gradu affinitatis, quàm in tertio consanguinitatis, si impedimentum secundùm rei veritatem propositum fuisset. Hìc & nunc tibi non prodest. Quia equidem non dispensavit, eò quòd ipsi propositum non fuit.

Collige 5°. obesse etiam valori dispen- 303
sationis, siquis, obtentâ semel dispensatione super impedimento criminis, in idem reincidat, & dispensationem iteratè petat, non factâ mentione prioris dispensationis. Cùm enim mentio prioris dispensationis de jure fieri debeat L. 3. Cod. de Episcopali au-

audientia, subticentia illius, est subticentia ejus quod de jure debet exprimi. Igitur secunda dispensatio subreptitia est, & nulla. Ita Doctores communiter.

304 An idem dicendum, quoties dispensatio, in eadem materia, priùs obtenta fuit? Respondeo affirmativè, quandocumque prudenter conjicitur, Principem vel non concessurum, vel difficiliùs concessurum secundam, si recordaretur primam concessisse. Quia omne tacitum, quo expresso Princeps gratiam vel non concessisset, vel difficiliùs concessisset, secundùm jura & Doctores apud Fagnanum suprà, reddit rescriptum subreptitium, & nullum. Qui etiam ad cap. *quoniam* de Constitut. n. 8. generatim affirmat, atque ex variis juribus probat, in litteris, seu rescriptis gratiæ, nisi secundæ faciant mentionem de primis, esse ipso jure nullas.

305 Collige 6°. quòd nulla sit dispensatio super matrimonio contrahendo inter cognatos vel affines, in cujus petitione expressus non fuit incestus prævius, si inter ipsos intervenerit. Quia de stylo Romanæ Curiæ necessariò exprimendus est, tametsi cum ignorantia impedimenti commissus. Quòd si cum scientia commissus fuerit, non sufficit simpliciter exprimere incestum, sed necesse est exprimere, quòd commissus fuerit cum scientia impedimenti, addendo etiam, quòd taliter commissus non fuerit spe faciliùs consequendæ dispensationis. Si enim hac spe commissus fuisset, idipsum quoque exprimendum foret. Nec enim solet tunc concedi dispensatio, ne hac spe homines allicantur ad peccandum. Et ideò dispensatio, juxta stylum Curiæ, non intelligitur concessa, nisi sub hac conditione: modò incestus non sit commissus spe faciliùs consequendæ dispensationis. Pro cujus majori certitudine per litteras dispensationis injungitur delegato, ut ad dispensandum non procedat, nisi recepto ab Oratoribus juramento, quòd sub spe habendæ faciliùs dispensationis incestum hunc non commiserint.

306 Collige 7°. ut dispensatio super cognatione spirituali valida sit, exprimendum esse unde hæc cognatio orta sit. Si enim inter Oratores intercederet filiatio spiritualis, eò quòd alter alterum de sacro fonte levasset, longè difficilior esset dispensatio, quàm si sola inter ipsos spiritualis compaternitas intercederet. Imò non solent Pontifices super filiatione spirituali dispensare: quia id existimant indecorum ac scandalosum. Cùmque tempore Gregorii XIII. eam, casu occurrente, Congregatio annuendam censuisset, Gregorius XIII. annuere noluit, prout videre est apud Fagnanum ad cap. fin. de cognat. spirituali, ubi addit quidem *post tempora Gregorii XIII. in ea aliquando, ob dotis incompetentiam, dispensatum fuisse; non tamen .... quod aliquando factum est, sed quod fieri debet, est spectandum*, inquit Fagnanus ibidem.

In postulatione etiam dispensationis, su- 307
per impedimento cognationis spiritualis, incestus prævius, si fuerit, exprimendus est. Sic enim de stylo Curiæ notoriè receptum testatur Pyrrhus Corradus l. 8. dispensat. Apost. c. 8.

Collige 8°. quòd ut dispensatio super ma- 308
trimonio, cum impedimento dirimente nulliter contracto, valida sit, si cum conscientia impedimenti contractum fuerit, istius scientiæ mentio necessariò facienda sit. Et si cum eadem scientia non solùm contractum, sed & consummatum fuerit, id etiam sub pœna nullitatis exprimendum est. Nec omittenda expressio, quòd ignoranter contractum fuerit, neglectis solemnitatibus in contrahendo matrimonio requisitis, si reverà neglectæ fuerint. Quia in triplici illo casu, vel nulla, vel difficilior esse debet dispensatio, secundùm Tridentinum sess. 24. c. 5. Ait enim: *Siquis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat; idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quòd si ignoranter id fecerit, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis. Non enim dignus est qui Ecclesiæ benignitatem experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit. Si verò solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit.*

Et ideò Pontifices, Concilii Tridentini 309
Decreto se conformantes, cum iis qui scienter cum impedimento dirimente contraxerunt, nonnisi summa cum difficultate dispensant: eò quòd ipsos judicant tali dispensatione indignos; & quia facilitas dispensandi causam tribueret delinquendi. Quapropter Clemens VII. apud Corradum ubi suprà c. 3. decrevit, quòd imposterùm cum illis, etiamsi consummaverint, non intenderet dispensare, sed illos, scandalis quæ oriri posse formidarentur, minimè attentis, omninò separari mandabit. Similiter Paulus IV. (apud eundem ibidem.) *Dispensatio ejusmodi ex prætextu prædicto* (gravium utique scandalorum ex divortio) *etiamsi proles ex matrimonio sic contracto subsecuta fuerit, nullatenùs, sed solùm ex causa urgentissima, pro bono publico, & à jure considerata, per nos tantùm, & non alium approbanda, conceditur .... quod nobis licere non patimur, nostris Successoribus indicantes.*

Collige 9°. regulariter non valere dispen- 310
sationem in forma pauperum nuncupatam, nisi postulantes verè sint pauperes, deque labore, & industria sua tantùm viventes. Quia tenor rescripti, quo talis dispensatio conceditur, juxta stylum Curiæ (cui Pon-

tifex se conformare præsumitur) talis esse consuevit: *Titium & Cajam praedictos, qui pauperes & miserabiles existunt, & ex labore & industria sua tantùm vivunt*, &c. Igitur dispensatio in forma pauperum regulariter non conceditur, nisi talibus pauperibus, non autem honestis, & mediocres reditus habentibus, quibus honestè familiam suam, saltem cum aliquali labore, ac industria sustentant. Paupertas verò ab utraque parte allegari, & in utraque verificari debet. Quia sic exigit stylus Romanæ Curiæ, quæ numquam aliter dispensat. Unde cùm in aliqua Nuntiatura aliquando dispensatum fuisset, non attentâ qualitate divitiarum alterius contrahentis, sed tantummodò paupertate unius illorum, Innocentius X. per litteras circulares, de hoc gravissimè conquestus, omnibus Nuntiis suis significari voluit, ab ipsis dispensari non posse in hujusmodi casibus. Sic à quodam styli Nuntiaturæ Lucernensis peritissimo sibi rescriptum fatetur Gobat in Theol. experiment. de Sacram. tr. 9. n. 666. Qui etiam n. 660. addit, quòd cùm Nuntius quidam dispensasset cum duobus rusticis, tanquam pauperibus, quorum unus habebat in bonis immobilibus quatuor millia scutorum, altera mille, uterque tamen rusticanos labores obibat. Re ad Curiam Romanam delatâ, inde acceptum est responsum, tales habendos non esse pro pauperibus.

311 Putat quidem Gobat n. 656. feminam habendam pro sufficienter paupere, in ordine ad dispensationem in forma pauperum, quæ non habet tantam dotem, quanta consuevit exigi, ad habendum virum paris conditionis extra cognationem, & affinitatem suam. Sed incompetentiam dotis ipsemet stylus Romanæ Curiæ distinguit à paupertate: cùm inter reliquas formas, quibus committere solet dispensationem in forma pauperum, ipsemet Gobat n. 662. referat hanc: *Cum eisdem, si verè pauperes, & Catholici sint, & rationabilis aliqua causa intercedat, v. g. dotis minùs competentis, etiam dispenses.* Eadem distinctio fit in Brevi Innocentii X. quod refert n. 587.

312 Collige 10°. dispensationem super voto castitatis, in ordine ad matrimonium ineundum, regulariter non valere, nisi dum moralis impossibilitas servandi castitatem verificatur in eo qui vovit. Cùm causa, ob quam concedi solet talis dispensatio, in rescripto allegari soleat hæc: *Quòd Orator ita stimulis carnis agitetur, ut continentiam servare non speret, ac propterea matrimonium contrahere desideret.* Moralis verò impossibilitas illa non verificatur in stimulis illis agitato, qui neglexit media ad servandam castitatem ab eo adhibenda, cujusmodi sunt frequentia orationis, ad impetrandum continentiæ donum, vitatio occasionum, corporis macerationes, ad corpus spiritui subjiciendum, &c Neque enim verè dicitur impotens ad servandam castitatem, qui per media ad id ordinata, castè vivere posset, si vellet; sed ideò efficaciter non vult, quia media ad id necessaria adhibere non vult. Cùm talis potiùs dicendus sit nolens servare castitatem, quàm impotens ad eam servandam.

Collige 11°. dispensationem subreptitiam, 313
nullamque esse, quando in supplica adfertur unica illius causa, eaque falsa. Et idem est si duæ, una vera, & altera falsa, sic tamen ut quælibet ad dispensationem insufficiens sit. Quòd si ex pluribus causis sufficientibus unica sit vera, eaque taliter sufficiens, ut Pontifex ob eam solam dispensare soleat, valet dispensatio. Quia plures causæ ejusmodi, licèt copulativè allegatæ, disjunctivè movere solent Pontificem, juxta cap. *jam dudum* de præbend. ubi dicitur quòd *quando plura copulativè narrantur, quæ de jure necessaria non sunt, copulativa in disjunctivam resolvitur.* Plurium verò causarum, disjunctivè se habentium, sufficit alteram esse veram, ut rescriptum non censeatur subreptitium. cap. *inter cæteras* de rescript.

Quòd si in supplica allegatum sit, femi- 314
nam, defectu dotis, mansuram innuptam, nisi cum ea dispensetur, & verificetur quidem ipsam mansuram innuptam, non tamen defectu dotis, sed ob aliam causam, v. g. infamiam, deformitatem, grandævam ætatem, &c. probabile est, validam fore dispensationem: utpote cujus causa finalis est, ne femina alioqui maneat innupta. Quod dum verificatur, parum referre videtur an id proveniat ex defectu dotis, an alia ex causa. Quia verificatur equidem causa finalis. Neque enim defectus dotis in supplica allegatus fuit tanquam causa finalis, sed tanquam movens Pontificem ut credat causam finalem subsistere, feminam utique mansuram innuptam. Quod cùm sit verum, causa finalis allegata in supplica, vera est, non falsa. Ita cum aliis Diana p. 10. tr. 11. resol. 42.

An autem valida sit dispensatio, in cujus 315
rescripto Pontifex erravit in nomine personæ cum qua dispensavit, v. g. exprimendo nomen Petri, pro nomine Pauli? Respondeo cum communi affirmativè. Quia satis constat voluntatem Pontificis esse dispensare cum supplicante, sive eo pro quo supplicatum est, quidquid sit de ejus nomine: nomina quippe significandorum hominum gratiâ reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest. Instit. de legat. §. *si quis in nomine.*

Similiter arbitror Ordinarium supplican- 316
tis, sive ejus pro quo supplicatum est, validè dispensare, dum Pontifex in rescripto erravit, ponendo v. g. Episcopum, vel Officialem Atrebatensem, pro Cameracensi. Quia ex ordinario stylo satis constat, voluntatem Pontificis esse, ut Ordinarius supplicantis, vel ejus pro quo supplicatum est, dispenset,

sive

sive Ordinarius ille sit Cameracensis, sive Atrebatensis. Deinde ratio, quæ probat Ordinarium validè dispensare dum erratum est in nomine supplicantis, similiter probat ipsum validè dispensare dum erratum est in nomine ipsius Ordinarii. Quia sicut ibi, sic hîc parum est de nomine, dum aliunde Ordinarius sufficienter intelligitur. Ita Salas, Amicus, Bonacina, Portellus, Pontius, Sanctarellus, & alii contra Sanchez, Perez, Villalobos, &c.

317 Collige 12°. statum aliquem, seu matrimonialem, seu Ecclesiasticum, mediante dispensatione, non facilè assumendum. Si enim reverà non subsit causa Deo probata, verendum, ne dum status Ecclesiasticus vel matrimonalis, contra canonicas regulas, ipso inspirante conditas, assumitur, Spiritus sanctus, cujus regulæ temerè negliguntur, subtrahat grátias, & benedictiones statui illi ritè obeundo necessarias.

318 Enimverò, sola utilitas aut necessitas Ecclesiæ, ex dictis præcedenti capite, causa est ad id sufficiens, Deoque probata. Se verò Ecclesiæ adeò utilem vel necessarium existimare, ut contra ordinarias Ecclesiæ regulas ad statum Ecclesiasticum dispensativè ascendere debeat, periculo præsumptionis non vacat; præsertim cùm extraordinaria divinæ vocationis indicia necessaria sint, ut (non obstantibus ordinariis signis non vocationis, ob canonicum impedimentum, Ecclesiæ divinitùs inspiratum) prudenter judicet se hîc & nunc vocatum. Unde S. Bernardus (occasione ordinationis S. Malachiæ, ante ætatem tunc temporis requisitam) *Siquid* (ait in vita Malach. c. 3.) *præter Canonum formam processisse videtur, donandum sanè, tum zelo ordinantis, tum meritis ordinati. Ego verò nec in sancto redarguendum, nec usurpandum consulo ei qui sanctus non fuerit.*

319 Sed & ad statum matrimonialem, mediante dispensatione, contra Ecclesiasticas regulas licitè assumendum, non solùm requiritur causa reverà sufficiens (de qua sibi homines sæpissimè blandiuntur) sed & tam multa ad validam dispensationem, juxta modernum Curiæ stylum, necessaria sunt, ut omnia rariùs verificentur, quàm multi putent; ac per consequens matrimonia illa sæpiùs Deo probata non sint. Quod & non rarò infaustus eorum exitus ostendit. Quæ omnia quisquis ad stateram justam appenderit, dicet fortasse cum Cantipratano l. 1. de Apib. c. 19. n. 9. *Quis sapiens erit, & sibi super dispensatione aliqua blandiatur?*

CAPUT XXXVII.

Etiam per privilegium humanæ legis obligatio relaxatur.

320 PAtet ex definitione privilegii: *Privilegium est constans & durabilis gratia, alicui personæ, vel parti Communitatis concessa, contra vel præter jus commune.*

Dicitur 1°. *constans & durabilis gratia.* 321 Quia in eo differt à dispensatione, quod hæc regulariter sit ad unum, vel paucos actus, vel certè ad modicum tempus; privilegium autem ad plures actus, & ad multum tempus, in quo imitatur naturam legis. Nec mirum, quia est lex quædam privata. can. *privilegium* dist. 3.

Dicitur 2°. *alicui personæ, vel parti Communitatis,* 322 ad distinctionem legis communis, quæ toti Communitati fertur.

Dicitur 3°. *contra vel præter jus commune.* 323 Quia, ut benè Fagnanus ad cap. *olim* de verbor. signific. ubi scriptum est jus commune, à quo Princeps aliquem eximit, exemptio ista propriè est privilegium. Et ita sumitur in toto titulo de privilegiis. Patet ergo, per privilegium juris, seu legis communis, obligationem plerùmque relaxari. Nec tamen privilegium semper est exemptio à jure communi: quia non semper supponit jus commune jam esse scriptum, sed aliquando ab initio conceditur, nondum scripto seu condito jure, seu lege communi, ut cùm ab initio Princeps aliquibus concedit jus aliquod, quod non concedit omnibus. Ideò ergo privilegium non semper est contra, sed aliquando præter jus commune. Unde

Privilegium dividitur 1°. in privilegium 324 contra jus, & privilegium præter jus. Istud non derogat juri communi, & amplè est interpretandum. Illud verò derogat juri communi, ab eoque eximit alios præ aliis. Et ideò Doctores passim illud reputant odiosum (quia omnis recessus à jure communi, est odiosus. cap. 1. & 2. de fil. Præsb. L. 6. & cap. *cum dilecto* de consanguin. & affinit.) ac per consequens strictè interpretandum, juxta illud, *odia restringenda.* Quod tamen Sylvester, Tiraquellus, Suarez, & alii communiter dicunt non procedere in privilegiis, quæ contra jus concessa sunt in favorem causæ piæ, ut privilegium canonis *siquis suadente* in favorem Ordinis Clericalis, & privilegia Religiosorum, quæ privilegiatissima vocat noster Lezana consulto 40. n. 102. quia (præterquam quòd summa ratio est, quæ pro Religione facit. L. *sunt personæ* ff. de relig. & sumpt. funer.) privilegia Religiosorum remuneratoria sunt, utpote Religionibus concessa, propter earum merita, seu obsequia spiritualia, reddita Ecclesiæ, ut Pontifices in Bullis suis sæpè declarant. Sunt igitur concessa in favorem causæ piæ: ideòque ampliari debent, tamquam favorabilia (cùm favendum sit pietati) non restringi ut odiosa. Nisi cedant in præjudicium tertii: tunc enim odiosa censentur. Rota Romana diverf. decis. 432. p. 1. Menochius de recuper. possess. remed. 4. n. 38. Si tamen verba privilegii sint clara, tunc fit lata eorum interpretatio, etiam in præjudicium tertii, qua-

tenùs patitur verborum proprietas. Decius conſ. 113. *viſo tenore* n. 6. verſ. *& ideò*. Abbas ad cap. *olim* de verbor. ſignif. n. 4. verſ. *& ex hoc*. Fagnanus ibidem num. 23. Si etiam privilegium ſit in favorem cultûs divini, latè interpretandum eſt in præjudicium tertii. Calderinus conſil. 412. de privileg. Fagnanus loco citato n. 25. Si denique privilegium ſit in præjudicium concedentis, contra ipſum latè eſt interpretandum. cap. *quia circa* de privileg.

325 2°. Privilegium dividitur in reale & perſonale. Perſonale eſt quod conceditur ratione perſonæ. Proinde cum perſona extinguitur. Reg. 7. jur. in 6. Ipſam tamen perſonam ſequitur & comitatur ubicumque fuerit. L. *in omnibus* ff. de reg. jur.

Reale eſt quod conceditur ratione rei à perſona diſtinctæ, v. g. ratione dignitatis, vel officii, vel loci, &c. Ideò non extinguitur cum perſona, ſed tranſit ad hæredes, vel ſucceſſores, duratque toto tempore quo durat res, ratione cujus conceditur. Reg. 68. jur. in 6. Si ſit conceſſum ratione loci, extenditur ad omnes perſonas ibi exiſtentes, etiam forenſes, & extraneas. Fagnanus ad cap. *inter alia* de immunit. Eccleſ. n. 82. ex Bartolo, & Baldo.

326 Quòd ſi dubitetur, an privilegium reale ſit, an perſonale, in caſibus n. 324. enarratis (quibus latè eſt interpretandum) cenſeri debet reale. In aliis verò, in quibus ſtrictè eſt interpretandum, cenſeri debet perſonale. Ita Doctores communiter.

327 3°. Dividitur in gratioſum, & remuneratorium. Gratioſum eſt quod conceditur merè gratis. Remuneratorium, quod conceditur ob merita, ſive in remunerationem obſequiorum, &c. Quæ quidem remuneratoria conceſſio vel fieri poteſt ex debito juſtitiæ, vel ex debito gratitudinis & decentiæ. Priori modo ſunt ſtrictè remuneratoria, ſapiuntque naturam contractûs oneroſi, & ſic revocantur ad conventionalia. Poſteriori modo non ſunt ſtrictè remuneratoria, nec ſapiunt naturam contractûs, ideòque faciliùs revocari poſſunt.

328 4°. In conventionale & abſolutum. Conventionale eſt quod conceditur ex pacto; ſervandum proinde ex juſtitia. Abſolutum eſt quod ſine pacto conceditur. Abſoluta quidem revocari poſſunt; non verò conventionalia, niſi ex gravi cauſa ad publicum bonum pertinente. Doctores communiter ad cap. *quæ in Eccleſiis* de Conſtitut. Unde quia privilegium conceſſum ex cauſa oneroſa tranſit in contractum, non poteſt per Principem revocari. Fagnanus ad cap. *ex epiſtola* de probat. n. 18. & ad cap. *relatum* ne Clerici, vel Monachi n. 24.

329 Porrò ad Principem concedentem privilegium, ejus interpretatio pertinet. Fagnanus ad cap. *olim* de verbor. ſignif. n. 34. Quandocumque ergo obſcura ſunt verba privilegiorum à Papa conceſſorum, pro eorum interpretatione adeundus eſt Papa; nec licet in judiciis pro eorum interpretatione recurrere ad Metropolitanum, nec Epiſcopum, nec Conſervatorem. Fagnanus ad cap. *ſanè* 2. de offic. delegat. n. 49.

CAPUT XXXVIII.

Acquiſitio & amiſſio privilegii.

PRivilegium acquiritur vel expreſsâ Principis conceſſione, vel conſuetudine tacitè probatâ à Principe. Quæ, ut præſcribat contra jus civile, debet eſſe continuata per decennium; ut contra jus canonicum, requiritur tempus 40. annorum. cap. *de quarta* & cap. *ad aures* de præſcript. Ut contra privilegia Regularium, juxta eorum privilegia, requiritur ſpatium 60. annorum. Ut denique contra Romanam Eccleſiam, & jura Papæ reſervata, requiritur tempus immemoriale, & pluſquàm centenarium. Authent. *quas actiones* Cod. de ſacroſanct. Eccleſ. cap. *ſuper quibuſdam* §. *præterea* de verb. ſignific. 330

Ut autem valeat conceſſum privilegium, debet innoteſcere, ſufficienterque publicari: cùm ſit lex quædam privata. Imò ut valeat, effectumque ſortiatur, non ſolùm debet eſſe notificatum privilegiato, ſed & ab eo acceptatum per ſe, vel per procuratorem ſuum. Cùm ſit donatio quædam, quam donatarius ſcire debet & acceptare. Unde L. *qui abſenti* ff. de acquir. poſſeſſ. dicitur, libertatem non acquiri per reſcriptum manumiſſionis, donec ſervus ſciat & acceptet. De legitimitate idem dicitur in Authent. *quibus modis* nat. offic. §. *illud autem*. Idem de conceſſione beneficii cap. 1. de conceſſ. præbend. in 6. verſ. *ex parte*. Idem de juriſdictorio, ſeu juriſdictionis uſu. Lege *barbarius* Cod. de officio Prætoris. 331

Valet quidem privilegium à Principe conceſſum ignoranti, quantum eſt ex parte concedentis, niſi oppoſitum Princeps velit. Sa verbo *gratia* n. 23. Vaſquez 1. 2. diſp. 156. n. 33. Nec enim refert à quo privilegium impetratum ſit, dummodò ſit à Principe conceſſum. L. *univerſi* Cod. de precib. Imperat. offer. Valet (inquam) ſive impetratum ad petitionem illius (pro quo conceditur) vel alterius pro eodem, cap. *ſi motu proprio* de præbend. in 6. ſed non valet uſus privilegii (ex parte privilegiati) niſi ab ipſo acceptetur & cognoſcatur per ſe, vel per alium, v. g. per procuratorem, cui res commiſſa eſt, vel (ut in Religionibus accidit) per eum à quo acceptatio dependet, v. g. per Generalem Religionis. 332

Et ſic admitto (cum Sanchez, & pluribus aliis) eum qui per procuratorem in Curia Romana diſpenſationem petiit ſuper aliquo matrimonii impedimento, validè matri-

monium contrahere, si illud contrahat post concessionem illius Romæ factam, licèt ipsi nondum intimatam. Quia hoc ipso quòd per procuratorem illam petiit, illam per ipsum cognovit, & acceptavit. Sic etiam valet matrimonium sub conditione contractum, hoc ipso quòd conditio purificatur, licèt purificatio ignoretur, saltem in receptissima sententia Canonistarum, quos refert sequiturque Fagnanus ad cap. *super eo*, de condition. apposit. n. 3. atque ex Theologis sequuntur Paludanus, Petrus de Soto, Thomas Sanchez, & alii, dicentes quòd matrimonium per verba de præsenti, coram Parocho & testibus, sub conditione licita contractum, purificata conditione, absque novo consensu statim perficiatur. Quam etiam sententiam in praxi servat Curia Romana, probaruntque (cum S. Congregatione) Pius V. & Clemens VIII. uti refert Fagnanus ibidem n. 5. & 6.

334 Admitto etiam Religiosum validè absolvere in vim privilegii ab Ordine acceptati, licèt à Religioso illo ignorati, modò intendat absolvere. Quia reverà potestatem habet absolvendi, nec ad validam absolutionem necesse est quòd intendat absolvere in vim talis vel talis privilegii; sed sufficit quòd verè habeat virtutem, seu potestatem (etiamsi ignoret se habere) & intendat absolvere.

335 Denique videtur admitti posse quod docent Navarrus, Henriquez, Sanchez apud Dianam ipsos sequentem p. 8. tract. 3. resol. 87. dispensationem impetratam & acceptatam ab altero volentium inire matrimonium, si sit impetrata super impedimento afficiente utrumque, v. g. super cognatione, vel affinitate, prodesse etiam comparti ignoranti. Quia eo ipso quo alter ex his suam dispensationem acceptat, fit habilis ad contrahendum cum altero; quod cùm fieri nequeat nisi uterque habilis sit, valor dispensationis cum uno, necessariò annexum habet valorem dispensationis cum altero.

336 Quemadmodùm autem concessione Principis, privilegium acquiritur; sic amittitur revocatione ipsius, vel successoris, si privilegium sit gratiosum, non conditionale, vel strictè remuneratorium. Privilegia tamen à Principibus sæcularibus concessa Ecclesiæ, vel Ecclesiasticis personis, ab ipsis revocari non possunt, ut pluribus ostendit Donatus Laynensis in praxi rer. Regul. to. 1. tr. 13. q. 4. Privilegia etiam Mendicantium, utpote remuneratoria, à Papa revocari non posse quidam dicere non verentur. Sed eos errare manifestum est, tum quia non sunt strictè, sed latè tantùm remuneratoria. Tum quia quod plerùmque fit à Summis Pontificibus & Conciliis, nefas est dicere quòd fieri non possit. At modò ista, modò illa Mendicantium privilegia frequenter revocantur à SS. Pontificibus & Conciliis. Nec dubium plurima revocata esse à Concilio Tridentino, quibus jam Regulares in conscientia uti nequeunt. Cùm propositio ista damnata sit ab Alexandro VII. *Regulares possunt in foro conscientiæ, uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.*

Sed damnatæ istius propositionis occa- 337
sione quæritur 1°. an sola illa Regularium privilegia per Tridentinum sublata sint, quæ sunt expressè per Tridentinum revocata, per additamentum hujus clausulæ: *non obstantibus quibuscumque privilegiis in contrarium?* An etiam illa, quibus licèt Tridentinum oppositum sanxerit, clausulam tamen privilegiorum revocatoriam non adjecit?

Sola priora esse per Tridentinum sublata, nec generales dispositiones Concilii Tridentini, Mendicantium privilegiis contrarias, iis derogare, nisi adjectam habeant clausulam, eorum expressè revocatoriam, docent Suarez, Miranda, Portel, Hieronymus Rodriguez; & noster Petrus ab Angelis in specul. privileg. Regular. disp. 6. sect. 1. n. 32. ubi plures alios refert. Ita etiam novissimè Joannes Bosco de Sacram. p. 4. disp. 10. n. 245. & seqq.

Sed contrarium videtur dicendum. 1°. quia 338
Tridentinum sess. 25. cap. 22. de Regularibus sic habet: *Hæc omnia & singula, in superioribus Decretis contenta, observari S. Synodus præcipit in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis, ac Domibus quorumcumque Monachorum, & Regularium, &c. non obstantibus eorum omnium ac singulorum privilegiis, sub quibuscumque formulis verborum conceptis.* Quam revocationem licèt Bosco & alii putent solùm cadere supra privilegia contraria Decretis illius sessionis 25. non supra privilegia contraria Decretis aliarum sessionum, quibus adjecta non est clausula revocatoria privilegiorum: per eam tamen revocata esse omnia Regularium privilegia, etiam contraria Decretis aliarum sessionum, quibus adjecta non est clausula revocatoria, seu derogatoria privilegiorum, nec proinde iis privilegiis Regulares uti posse docet Donatus Laynensis to. 1. rer. Regular. tract. 11. q. 15. cum Navarro, & satis probabile putat noster sapientissimus Lezana qq. regular. to. 2. c. 1. n. 58. Et ita S. Congregationem sæpiùs censuisse Donatus testatur ibidem; & ipsius hac de re declarationes refert Card. Bellarminus in citatum cap. 22. Concilii Tridentini.

Secundò, quia Pius IV. in Bulla quæ in- 339
cipit, *in Principis Apostolorum*, motu proprio, & ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis ampliſſimè revocat omnia & singula privilegia, indulta, facultates, mare magnum, &c, in his omnibus & singulis, in quibus privilegia illa contrariantur Decretis Tridentini, eaque, perinde ac si de verbo ad verbum inserta forent, ipso jure revocata, cassata, annullata, & ad ipsius Concilii terminos redacta declarat, nec adversus Decreta &

Statuta ipsius magis suffragari posse, ac si numquam emanassent. Quæ profectò verba propriissimè & certissimè respiciunt omnia & singula totius Concilii, & non sessionis 25. dumtaxat, prout ex tenore constat. Ait enim *in eodem Concilio plurima statuta, quibus privilegia illa contrariantur.* Et ita successores Pontifices passim intellexerunt. Ideò namque in Bullis suis, quibus Regularium privilegia confirmarunt, vel aliis Ordinibus concesserunt, clausulam hanc addiderunt: *dummodò, vel quatenùs Decretis Concilii Tridentini non adversentur, vel contraria non sint,* &c. Ita Gregorius XIII. in Bulla *Romanus Pontifex*, confirmatoria privilegiorum Præmonstratensium. Et in alia confirmatoria privilegiorum Ordinis SS. Trinitatis, Redemptionis Captivorum. Ita etiam Sixtus V. in Bulla *super specula* 70. in Bullario Roman. Gregorius XIV. in Bulla *Romanus Pontifex*, in qua Cruciferis confirmat privilegia à Prædecessoribus suis concessa. Sub eadem clausula Clemens VIII. in Bulla *Pastoralis officii* confirmat privilegia Minorum de Observantia; sicut & Paulus V. in Bulla *injuncti nobis* privilegia Cælestinorum, & Gregorius XV. in Bulla *ad uberes fructus*, & in Bulla *Salvatoris nostri*, & Urbanus VIII. in Bulla *injuncti nobis* 21. Bullar. Rom. & Innocentius X. in Bulla *universalis Ecclesiæ*, data 1648. in favorem Xenodochii S. Joannis Hierosolymitani.

340 Tertiò, quia in Decreto sessionis 14. cap. 17. quo declaratur, inferiores Sacerdotes, extra mortis articulum, sine licentia Episcopi, absolvere non posse à casibus Episcopo reservatis, comprehenduntur Regulares, etiam Mendicantes, non obstantibus privilegiis sibi antè concessis, quæ revera (sive per illud Tridentini Decretum, sive per allata verba sessionis 25. cap. 22.) sublata sunt, tametsi in Decreto illo sessionis 14. c. 7. nulla adjecta sit clausula eorum revocatoria. Quòd enim (eo non obstante) privilegia illa per Tridentinum sublata sint, Summi Pontifices, & sacra Congregatio disertis verbis sæpiùs declararunt. Videatur Declaratio S. Congregationis 17. Novembris 1628. sub Urbano VIII. Dicit enim, *per confirmationes privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia, prius ab eodem Concilio* (nota) *ac deinde etiam ipsius Congregationis Decretis sublata atque extincta, quæ habebant absolvendi à casibus, Ordinario loci reservatis.... Quam Declarationem Sanctitas Sua* (id est Urbanus VIII.) *ad se relatam approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari.* Quæ verba repetit Clemens X. anno 1670. in Bulla *superna magni Patris familias.* Quapropter Miranda in Manuali Prælator. to. 1. q. 46. a. 4. meritò docet, quòd *privilegia Confessariis Regularibus olim concessa, absolvendi à casibus, Episcopis specialiter reservatis, revocata sunt per Concilium Tridentinum.* Comitolus etiam l. 1. respons. moral. q. 25. dicit, quòd *sententia, aiens Regulares absolvere posse à casibus, Episcopis reservatis, nullâ ratione defendi queat, propter Concilii Tridentini Decreta,* &c. Sed hac de re plura to. 3. ubi de Pœnitentiæ Sacramento.

Nec præmissis obstat Bulla Pii V. *etsi Mendicantium*, 341
in qua, ex certa scientia, & de potestatis plenitudine, confirmat, & observari præcipit Mendicantium privilegia, etiam in multis quæ sunt contra Decreta Concilii Tridentini. Siquidem Gregorius XIII. ipsius successor, in Bulla quæ incipit, *in tanta rerum & negotiorum mole*, Bullam illam Pii V. revocavit, & ad terminos Concilii Tridentini reduxit.

Quæritur 2°. an privilegia, corpori juris 342
inserta, sufficienter revocata censeantur per istam Concilii Tridentini clausulam, *privilegiis non obstantibus*? Sunt qui negent, & requirunt specialem de ipsis mentionem, vel derogationem juris communis, cui inserta sunt. Eò quòd privilegia, corpori juris inserta, jam non sint privilegia, sed aliud nobilius nomen sibi vendicent; nec solùm sint jus privatum, seu particulare; sed generale & commune, quod per clausulas generales non abrogatur.

Sed contrarium est dicendum. 1°. Quia pri- 343
vilegium insertum extravaganti *super cathedram*, & Clementinæ *dudum* de sepulturis, imò & Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 11. quòd Regularis, Episcopo præsentatus, & ab ipso injustè rejectus, confessiones excipere possit, quòdque ipsi confitentes satisfaciant præcepto annuæ confessionis: istud (inquam) privilegium censetur sufficienter revocatum per Tridentinum sess. 23. c. 19. hoc ipso quòd ad confessiones audiendas Episcopi approbationem obtentam, etiam in Regularibus requirit, privilegiis & consuetudine quacumque non obstantibus. Non ergo requiritur specialis illa mentio, sed contraria dispositio cum clausula generali sufficit. Consequentia patet. Veritatem verò antecedentis S. Congregatio declaravit, teste Fagnano ad cap. *omnis* de pœnit. & remiss. n. 61. eo utique Tridentini Decreto restrictum esse, quod Regularibus concessum in dicta Clementina *dudum*. Ideòque Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.*

2°. Quia privilegia, ex hoc quòd corpo- 344
ri juris inserta sint, non desinunt esse privilegia (inquit Fagnanus ad cap. *in his* de privilegiis) ergo comprehenduntur in generali privilegiorum derogatione. Probatur assumptum, quia multa privilegia in corpore juris inserta leguntur cap. 6. de rescriptis cap. 23. 24. & 30. de privilegiis, & cap. 2. 6. & 12. eod. tit. in 6°.

345 3°. Tametsi privilegium corpori juris insertum transeat in jus commune (respectu nominatorum in privilegio) tamen juri communi necesse non est specialiter derogari: quia jus commune posterius tollit prius sibi contrarium, licèt de eo mentionem non faciat. Siquidem *Romanus Pontifex condendo Constitutionem posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare censetur.* cap. 1. de Constitut. in 6. cap. *vasa* de consecr. dist. 1. & cap. 1. de cognat. spirit. Ita Innocentius, Felinus, & (teste Fagnano ad cap. *nonnulli* de rescript. n. 40.) Doctores omnes in citatum 1. cap. de Constit. in 6.

346 4°. Quia, ut idem Fagnanus ostendit ad caput *in his* de privileg. n. 12. quotiescumque Concilium Tridentinum sustulit privilegia, sustulit etiam inserta in corpore juris, absque mentione istius insertionis. Nullibi enim, ex stylo Concilii, in generalibus derogationibus privilegiorum fieri consuevit talis mentio. Non imprimis sess. 5. c. 2. & sess. 23. c. 15. ubi revocat privilegia Regularium inserta Clementinæ *dudum* de sepult. Nec sess. 7. c. 8. & sess. 24. c. 9. ubi derogat privilegiis exemptorum, de quibus cap. *luminoso* 18. q. 2. & cap. *cùm Episcopus* de offic. Ordin. in 6. Nec sess. 14. c. 5. ubi derogat dispositioni cap. fin. de offic. deleg. in 6. quoad durationem conservatorum. Nec sess. 23. cap. 8. & 10. ubi revocat privilegia inferiorum quoad ordines & dimissorias, de quibus in cap. *cùm ullus* de temporib. ordin. in 6. & cap. *Abbates* de privileg. eod. lib. Nec in sess. 24. c. 18. ubi ex sententia Congregationis sustulit indultum studentium, insertum in cap. *cùm ex eo* de elect. in 6. Alios multos casus ad idem refert Fagnanus ad cap. *nonnulli* de rescript. à num. 42.

347 Imò ne antiquiorum quidem Conciliorum mentionem facere solet Tridentinum, siquando justis & rationabilibus de causis contra illa aliquid statuit, uti rursum Fagnanus ostendit ad cap. *nonnulli* de rescript. n. 42. Nam sess. 25. de Regular. c. 2. nullâ factâ mentione Concilii Lateranensis, correxit (uti S. Congregatio aliàs declaravit) permissionem, quam Concilium istud in cap. *Monach.* de statu Monachor. fecit Monachis habendi peculium de licentia Abbatis. Et sess. eadem cap. 6. ex sententia S. Congregationis, sustulit formam eligendi per compromissum, vel quasi per inspirationem, à Concilio Lateranensi præscriptam in cap. *quia propter* de elect. Nullam tamen istius Concilii mentionem fecit, sicut nec mentionem fecit Concilii Viennensis sess. 23. c. 12. tametsi ibi abroget dispositionem ipsius, quâ constitutum erat, ut quis ordinari posset Subdiaconus decimo-octavo suæ ætatis anno, & Diaconus vigesimo. Idemque in privilegiis observat eadem S. Synodus, sive illa conciliaria sint, sive non, uti n. 343. ostensum est de privilegio audiendi confessiones sine licentia Episcopi, dum eam injustè recusasset.

Si dicas, per derogationes generales, non 348
censeri derogatum dispositionibus Conciliorum Generalium, nisi adsit clausula eorum specialiter derogatoria cap. *ex parte* & cap. *nonnulli* de rescript. cap. *eam te* de ætat. & qualit. & cap. *ex parte* de Capell. Monach.

Respondeo cum Fagnano ad citatum cap. *nonnulli* num. 28. hoc non procedere in derogationibus generalibus, quæ fiunt per leges generales, & maximè per Decreta Conciliaria; sed in iis dumtaxat quæ fiunt per litteras gratiæ, & rescripta Apostolica contra jus. De ejusmodi namque rescriptis agitur in canonibus objectis, prout videre est apud Fagnanum. Et ratio, cur in istis specialis derogatio potiùs requiratur, quàm in illis, est, quia leges generales summa cum deliberatione, & magna solemnitate fiunt; litteræ verò gratiæ, & rescripta contra jus, plerùmque à Summis Pontificibus per occupationem, vel importunitatem extorquentur, quas verisimiliter non concessissent, si ad contrariam Concilii Generalis dispositionem animum applicuissent. Ideò ergo Pontifices, in canonibus objectis, sanxerunt, ut eorum rescripta, Generalis Concilii Decretis adversantia, vigorem non habeant, nisi in eis derogatum fuerit Generali Concilio. Et signanter Honorius III. in cap. *ex parte* de Capell. Monach. decernit non valere litteras gratiæ contra Lateranense Concilium, à quibusdam Monachis impetratas sine mentione istius Concilii. Nam ut Pontifex ait, *hujusmodi litteras ab Apostolica Sede non credimus emanasse. Quòd si per occupationem forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio supradicto.* Quia (ut Glossa ait ibidem) tales litteræ præsumuntur extortæ, vel per nimiam occupationem Romani Pontificis, vel per importunitatem petentium: cùm (ut dicitur cap. *siquando* de sent. excom.) *per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam per subreptionem contingat hujusmodi litteras impetrari, vel per importunitatem*, ut dicitur in cap. *tuæ fraternitatis* de Præsbyter. & in L. 1. C. de petitionib. bon. sublat. lib. 10. ubi Imperator dicit: *Per importunitatem non concedenda sæpè concedimus.* In istis proinde Papa præsumitur circumventus, inquit Gemnianus consilio 36. *quod collatio* n. 2.

At hujusmodi rationes cessant (inquit 349
Fagnanus n. 35.) cùm Generali Concilio opponitur aliud Generale Concilium. Nam quod pertinet ad solemnitatem, utrumque celebratum censetur pari deliberatione, & maturitate, palàmque est, decreta in Generali Concilio posteriore, censeri non posse extorta per ignorantiam, seu immemoriam, vel negligentiam, nec per occupationem, vel importunitatem, aut circumventionem. Quia nec error juris, nec immemoria anti-

quorum Conciliorum, aut Canonum, præsumi potest in generali Concilio. *Quod enim à pluribus quæritur sapientibus, facilius invenitur.* cap. *de quibus* dist. 20. & *per ampliores homines veritas perfectissima revelatur.* L. ult. C. de fideicommiss. in fine, & cap. *extra conscientiam* dist. 64. Non potest etiam præsumi nimia occupatio Episcoporum, in Concilio congregatorum: cùm aliis negotiis non vacent. Non denique importunitas: quia singuli articuli exquisitissimè discutiuntur, ac deinde Patrum suffragiis, non extortis, sed liberrimis definiuntur. Nulla proinde ratio est, cur dispositio posterioris Concilii Generalis, contraria dispositioni Concilii prioris, ei non deroget, sine speciali mentione ipsius. Imò est ratio in contrarium: quia par utriusque Concilii est authoritas & vinculum, & nihil tam naturale, quàm eo genere quodque dissolvi, quo colligatum est. L. *nihil tam naturale* ff. de reg. jur.

350 Concludendum est igitur cùm Fagnano n. 37. per dispositionem posteriorem Concilii Generalis indistinctè censeri correcta Decreta contraria priorum Conciliorum, licèt de eis mentio facta non fuerit, sicut & generaliter per legem posteriorem corrigitur lex prior, etiam nullâ factâ illius mentione, quando verba posterioris legis id requirunt, uti apertè colligitur ex cap. 1. & 2. de Constitut. in 6°. Et hanc sententiam probavit S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ut videre est apud Fagnanum ibidem. Quòd si in Constitutionibus generalibus subinde fiant derogationes Concilii præcedentis, id censeri debet fieri ad abundantiorem cautelam, non quòd talis derogatio necessaria sit, ait Fagnanus n. 30.

351 Qui etiam n. 38. ex præmissis colligit, per legem generalem magis censeri derogatum privilegiis insertis in corpore juris, quàm non insertis. Nam etsi privilegiis canonum difficiliùs consueverit derogari; tamen quoad non inserta allegari potest defectus intentionis Papæ, propter illorum ignorantiam, vel oblivionem (juxta illud cap. *ex parte* de offic. delegat. *Si memores fuissemus nos pro prædicto N. litteras direxisse, adversario nullatenùs scripsissemus*) quæ ignorantia, vel oblivio præsumi nequit de insertis in corpore juris.

352 Ampliùs ex præmissis colligi potest, quòd non semper requiratur expressa privilegiorum derogatio, imò nec mentio; sed interdùm sufficit, quòd Legislator, illa sciens, legem generalem sine exceptione statuat, ob disciplinæ publicæ necessitatem, postulantem ut lex omnes generaliter, & absque exceptione obliget. Quod etiam significare videtur lex 3. §. 5. ff. de sepulchro violato, ibi: *D. Adrianus rescripto pœnam statuit 40. aureorum in eos qui in civitate sepeliunt. Quid tamen si lex municipalis permittat in civitate sepeliri? post rescripta principalia, an ab hoc discessum sit, videbimus. Quia generalia sunt rescripta, & oportet Imperialia Statuta suam vim obtinere, & in omni loco valere.* Et Concilium Tridentinum id fecisse videtur sess. 14. c. 7. ubi postquam dixit, *magnoperè ad Christiani populi disciplinam pertinere, ut atrociora quædam & graviora crimina, non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur:* posteà sine ulla exceptione decernit, inferiores sine licentia Superiorum nihil posse in casibus ipsis reservatis, ac per hoc derogavit privilegiis, licèt eorum ibi mentionem non fecerit. Quia lex generalis, non tam ex verbis, quàm ex ratione legis, & voluntate Legislatoris metienda est. Tuldenus de jurisprud. l. 2. c. 4. Surdus decis. 19. & 52. Ratio verò allegata derogationem illam exigebat, & sine exceptione istam fuisse Concilii mentem, S. Congregatio, à Sede Apostolica legitimam habens istius Concilii interpretandi authoritatem, semper intellexit, ideòque ab eo tempore semper declaravit, Regulares, in vim privilegiorum anteà obtentorum, à casibus Episcopo reservatis sine licentia ipsius absolvere non posse. Quod & ipsi Summi Pontifices ex dictis num. 339. declaraverunt.

CAPUT XXXIX.

Privilegia Religiosorum Mendicantium, mutuaque eorum communicatio.

353 SUmmi Pontifices, attendentes ad uberes fructus, quos Religiosi Ordinum Mendicantium Ecclesiæ protulerunt, & quotidie proferunt, multis & magnis gratiis & privilegiis eos decoraverunt, quorum nonnulla alibi exhibebuntur, voluerintque inter Ordines Mendicantes perfectam gratiarum & privilegiorum communicationem; ita ut omnes & singulæ gratiæ, concessiones, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, tam spiritualia, quàm temporalia, qualiacumque illa sint, uni Ordinum Mendicantium concessa, & concedenda, hoc ipso communicentur, & communicanda sint singulis aliis Mendicantium Ordinibus, perinde ac si eis specialiter concessa essent, vel forent. Communicationem istam ex certa scientia, de Apostolicæ authoritatis plenitudine fecit Leo X. in Bulla *dudum per nos.*

354 Nec solùm voluerunt, ut singuli Ordines Mendicantes perfectè communicarent in omnibus gratiis, privilegiis, &c, concessis & concedendis cuicumque Ordinum Mendicantium; sed & quibuscumque aliis Ordinibus non Mendicantibus. Hanc quippe communicationem Fratribus Minoribus Clemens VII. anno 1527. concessit in Bulla *dum fructus uberes*, cujus hæc sunt verba: *necnon etiam quibuscumque facultatibus, & gratiis, suæ professionis regulari observantiæ non contrariis, aliis*

aliis Ordinibus quibuſcumque non Mendicantibus quomodolibet conceſſis, & concedendis, frui debere, in omnibus, ac per omnia, perinde ac ſi eis conceſſa ſpecialiter fuiſſent, &c, authoritate & tenore præſentium decernimus, volumus, & mandamus. Eandem communicationem iiſdem ferè verbis idem Pontifex nobis Carmelitis conceſſit, in Bulla *ex Clementi* anno 1530. Et Fratribus Auguſtinianis, in Bulla *Romanus* eodem. Et anno 1552. in Bulla *Sacro.*

355 Unde cùm Societas ſit Religioſus Ordo, & inter Mendicantes Ordines computetur, haud dubium quin alii Mendicantes Ordines uti & frui poſſint privilegiis Societati conceſſis. An etiam illis quæ Societati conceſſa ſunt cum clauſula prohibitiva communicationis v. g. in Bulla Gregorii XIII. quæ incipit ..... ubi poſt multa Societati conceſſa, in fine ſubjungit : *præſentis autem conſtitutionis & gratiæ communicationem omnibus aliis, qui ſua privilegia cum Societate copioſè participant, participareque poterunt, quomodolibet in futurum fieri omninò prohibemus ?* Reſpondeo quòd ſic. Ita Rodriguez, Miranda, Joannes de la Cruz, & alii quos refert, ſequiturque Donatus Laynenſis to. 1. rer. Regular. tract. 7. q. 8. quia Gregorius XIII. ligare non potuit manus Pontificum Succeſſorum : cùm par in parem non habeat poteſtatem, & ea omnia poſſit ſucceſſor, quæ potuit prædeceſſor ; nec dubium quin ſucceſſor concedere poſſit communicationem, quam prædeceſſor concedere noluit, ſed prohibuit. Succeſſores verò Gregorii XIII. ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſerunt ampliſſimam communicationem privilegiorum omnium, etiam Societatis, cum ampliſſimis etiam non obſtantiis, derogatoriarumque derogatoriis, ſine alia exceptione, & reſtrictione, niſi iſta, *quatenùs Sacri Concilii Tridentini Decretis, necnon regularibus dicti Ordinis Inſtitutis non adverſentur, & revocata non ſint.* Sic Ciſtercienſibus conceſſit Gregorius XIV. in Bulla *Romanus Pontifex*, Bulla 3. in Bullario Rodriguez. Sic etiam idem anno 1591. conceſſit Clericis Regularibus infirmis miniſtrantibus, in Bulla quæ incipit, *illius qui pro gregis*, quam Rodriguez refert to. 1. qq. Regular. q. 55. a. 7. 11. & 17. Et Urbanus VIII. Clericis Regularibus Scholarum piarum anno 1622. in Bulla *ad uberes*, apud Cherubim to. 4. Conſtitut. 15. Urbani VIII. Et Minimis anno 1624. Bulla 1. apud Peyrinum. Et Diſcalceatis Ord. SS. Trinit. Redemptionis Captivorum, in Bulla quam refert Leander à SS. Sacramento diſp. 7. de Ordine q. 23. Qui quidem Pontifex in duabus iſtis Bullis noviſſimis, communicationem illam concedit in omnibus privilegiis, quamvis illa ſint ſpeciali notâ digna, difficilis conceſſionis, & ea quæ in generali conceſſione non veniunt.

356 Et ideò Donatus Laynenſis loco citato tr. 7. q. 8. n. 10. cenſet per privilegia Societati conceſſa, cæteros Regulares poſſe abſque interſtitiis, extra tempora, ad Ordines promoveri, &c.

CAPUT XL.

Ejuſdem communicationis explicatio. Ubi de communicatione Indulgentiarum.

DUo tamen circa aſſertam communicationem explicanda ſuperſunt. 1°. an in generali communicatione privilegiorum, & gratiarum, etiam communicatæ cenſeantur Indulgentiæ ? 2°. an generalis illa privilegiorum communicatio extendatur ad ea quæ Conventui vel Domui conceſſa ſunt, ita ut privilegia uni Domui, vel Conventui alicujus Ordinis conceſſa, eo ipſo communicata cenſeantur omnibus Conventibus & Domibus ejuſdem Ordinis, & conſequenter omnibus aliis Ordinibus communicantibus. 357

Ad 1. reſpondeo affirmativè, cum quadam tamen proportione & decentia, idque intelligendo de Indulgentiis toti alicui Ordini vel generaliter, vel per communicationem conceſſis ; non verò de illis quæ alicui ſpeciali loco ob ſpecialem rationem conceſſæ ſunt. Ita Donatus loco citato q. 15. Et ratio eſt, quia Indulgentiæ verè comprehenduntur nomine gratiarum, quarum conceſſa eſt communicatio. Immò latè ſaltem comprehenduntur etiam nomine privilegiorum. Cùm omnis gratia privilegium nuncupetur. Joannes Andreas ad cap. *olim* de verb. ſignif. Baldus in prælud. feud. n. 18. Gramm. deciſ. 59. n. 29. 358

Unde omnes Indulgentiæ conceſſæ Feſtivitatibus unius Ordinis, communicantur conſimilibus Feſtivitatibus ſingulorum aliorum Ordinum communicantium. Exempli gratiâ Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus Eccleſias Prædicatorum in Feſtis ſanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomæ Aquinatis, Catharinæ Senenſis, &c, communicantur viſitantibus Eccleſiam Carmelitarum in Feſtis ſanctorum Eliæ, Angeli Martyris, Alberti, Thereſiæ, &c. Ita conceſſit Julius II. anno 1509. in Bulla *alias ad ſupplicationem*, quæ eſt 13ª. ejuſdem Pontificis apud Peyrinum. 359

Item omnes Indulgentiæ conceſſæ, & concedendæ Eccleſiis, & Domibus unius Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, aut eas viſitantibus, communicantur Eccleſiis & Domibus aliorum Ordinum communicantium, vel eas viſitantibus. Ita Leo X. conceſſit in Bulla *dudum per nos*, apud Lezanam verbo *Indulgentiæ*, ubi Pontifex *omnes & ſingulas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, &c, unius dictorum Ordinum Domibus, Oratoriis, & Eccleſiis, & Eccleſias ipſas, vel Oratoria viſitantibus (cujuſcumque ſtatûs exiſtant) conceſſas & concedendas*, communicat *Domibus, Eccleſiis, & O-* 360

ratoriis singulorum Ordinum Mendicantium, & visitantibus Ecclesias, aut Oratoria, cujuscumque sint status. Quod tamen non est intelligendum de Indulgentiis concessis alicui particulari Ecclesiæ, ob specialem in ea populi devotionem, non verò omnibus Ecclesiis Ordinis, ut antè dixi, notatque Lezana loco citato n. 8. Unde in citata Bulla Leo X. declarat, sæculares in Ecclesiis aliorum Ordinum lucrari non posse Indulgentias S. Mariæ del populo.

361 Ex concessione etiam Clementis VIII. in Bulla *ex Clementi* omnes indulgentiæ, favores & gratiæ, concessæ & concedendæ Confraternitatibus aliorum Ordinum, communicantur Confraternitati S. Scapularis, cum hac quidem restrictione, *citra Indulgentias plenarias*; sed hanc restrictionem sustulit Clemens VIII. in Bulla expedita 20. Martii 1594. quæ videri potest apud nostrum R.mum Stratium de Indulgent. cap. 12. Proinde Confratres S. Scapularis communicant in omnibus Indulgentiis Confraternitatis S. Rosarii, Cordæ S. Francisci, SS. Trinitatis, &c. Confraternitates tamen istæ non participant in privilegio Bullæ Sabbathinæ: quia privilegium istud est singularis gratia B. Virginis, ab ipsamet cælitùs obtenta, & concessa, & approbata dumtaxat à SS. Pontificibus. Communicatio autem solùm est in privilegiis quæ procedunt ab hominibus, vel ab Apostolica Sede. Meritò proinde Cartagena tract. 1. de sacra antiquitate Ordinis Carm. c. 4. privilegium Bullæ Sabbathinæ vocat *singularissimam gratiam*, quâ nulla alia Religio potitur.

362 Nec Paulus V. ejusdem Confraternitatis Indulgentias postmodùm revocando, censendus est revocasse eas quas habet per communicationem, sed solùm Indulgentias specialiter ipsi concessas, quarum loco alias de novo ipsi concessit. Nec certè communicationem ipse, vel successores Pontifices intenderunt extinguere, sed fovere.

363 Cæteri proinde Mendicantes, & eorum Ecclesiæ, seu eas visitantes, communicant in Indulgentia Communionis generalis PP. Societatis, sive in Bulla istius Indulgentiæ apposita sit clausula exclusiva communicationis (quam Patres Societatis, quantum scio, hactenùs non ostenderunt) sive non. Ob dicta n. 355.

364 Nec certè Indulgentia illa aliter est speciali notâ digna, quàm alia insignia aliorum Ordinum privilegia, quorum participes sunt PP. Societatis. Et ut sint, etiam Indulgentiarum speciali notâ dignarum concessa est communicatio, ut dictum est n. 356. in fine. Et ratio istius communicationis est, quia mens Summorum Pontificum est ostendere æqualem erga omnes Ordines communicantes affectum, eumque in finem ipsos, & Ecclesias ipsorum, easque visitantes, æquare in privilegiis & indulgentiis.

Quem etiam in finem, & ob identitatem Ordinis inter nos, & Discalceatos nostros, omnia & singula privilegia, indulta, immunitates, exemptiones, Indulgentias, & gratias Discalceatis nostris, eorumque Domibus, Ecclesiis, Altaribus, &c. per Sedem Apostolicam hactenùs quomodolibet concessa, etiam cum clausula prohibitiva communicationis, & in futurum concedenda, pariformiter & absque ulla differentia nobis & Conventibus ac Domibus, Ecclesiis, Altaribus nostris anno 1670. concessit Clemens X. in Bulla *ad uberes*, cujus hæc sunt formalia verba. *Clemens Papa X. ad perpetuam rei memoriam. Ad uberes bonorum operum fructus, quos dilecti filii Fratres Calceati nuncupati Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, adspirante superni favoris auxilio, in Ecclesia Dei proferre assiduè satagunt, paternæ dirigentes considerationis intuitum, rationi consentaneum reputamus, ut religiosa eorum studia, felicesque progressus, spiritualium gratiarum, atque privilegiorum muneribus confoveamus, atque decoremus. Cùm itaque, sicut dilectus filius Matthæus Orlandus, Prior Generalis dicti Ordinis, nobis nuper exponi fecit, dudum fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster per quasdam suas die 23. Martii 1594. & die 20. Augusti 1603. expeditas litteras, quæ subinde à fel. mem. Paulo Papa V. Prædecessore pariter nostro confirmatæ fuerunt, Congregationem FF. Discalceatorum nuncupatorum ejusdem B. Mariæ de Monte Carmelo esse unum ex quatuor Ordinibus Mendicantibus, Ordinem scilicet Carmelitanum, ipsisque Congregationi, & Discalceatis omnia, ad prædictum Ordinem tam de jure, quàm ex privilegiis attinentia, tamquam propria competere, ac ejusdem Congregationis Præpositum Generalem, Fratres, & Moniales, Domos, Conventus, & Collegia, cæteraque eisdem pertinentia respectivè privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, & gratiis, dicto Ordini concessis, & concedendis, uti, & gaudere debere declaraverit, & alias prout in prædictis litteris uberiùs continetur. Licèt autem Fratres Carmelitæ Calceati omnibus privilegiis, indulgentiis, & gratiis prædicta Congregationi FF. Discalceatorum concessis hactenùs fruiti sint, in vim dictæ declarationis, quâ, ob identitatem ejusdem Congregationis cum Ordine Carmelitano, decernitur id quod uni est concessum, alteri quoque tamquam proprium competere; nonnulli tamen circa hoc scrupulum subinde patiuntur, eò quòd non sit expressa declaratio pro FF. Carmelitis Calceatis, sicuti est pro Discalceatis: Nobis propterea dictus Matthæus Prior Generalis humillimè supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Matthæi Prioris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis,*

latis, siquibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac tam prædictarum, quàm aliarum quarumcumque litterarum Apostolicarum ad favorem memoratorum FF. Discalceatorum, eorumque Congregationis quomodolibet, & quandocumque emanatarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædicto Ordini, ejusque FF. Calceatis, & Monialibus, ac Domibus, Conventibus, Collegiis, cæterisque ad eosdem quomodolibet pertinentibus respectivè, ut omnibus & singulis privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, & gratiis, quæ dictæ Congregationi FF. Discalceatorum, ejusque Fratribus, Monialibus, Domibus, Collegiis, cæterisque ad ipsam Congregationem quomodolibet pertinentibus, hactenùs per Sedem Apostolicam quomodolibet, etiam cum clausula prohibitiva communicationis, concessa fuerunt, & in futurum quandocumque concedentur, dummodò tamen sint in usu, nec revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensa, pariformiter, & absque ulla prorsus differentia, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si eidem Ordini, ejusque FF. Calceatis, & Monialibus, ac Domibus, Conventibus, Collegiis, cæterisque ad ipsum Ordinem pertinentibus hujusmodi nominatim, & expressè concessa fuissent, & in futurum concederentur, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium, concedimus, & indulgemus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apost. Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quâvis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac nostrâ, & Cancellariæ Apost. regulâ de non concedendis Indulgentiis adinstar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus & singulis illis, quæ in prædictis litteris Apostolicis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si exhibitæ, vel ostensæ forent. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 31. Octobris 1670. Pontificatûs nostri anno 1. J. G. Slusius.

366 Cujus concessionis vigore nobis, seu Ecclesiis & Altaribus nostris, communicatum est Altare privilegiatum pro animabus defunctorum singulis diebus, sicut Ecclesiis, seu Altaribus Discalceatorum nostrorum erectis, & erigendis concessum, ut sequitur. *In nomine Domini. Amen. Fidem facio per præsentes Ego Curiæ Causarum R. Cameræ Apostolicæ Notarius publicus infrascriptus, qualiter die 18. Septembris 1670. pro RR. Patribus & Religione Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italicæ, fuit in actis mei Notarii exhibitum memoriale S.mo D. N.* Clementi Papæ X. *directum, cum rescripto à tergo Ill.mi R.mi Joannis Slusii Secretarii Brevium Sanctitatis Suæ tenoris sequentis. Foris. Alla Santita di nostro Sig.re* Clemente X. *Per Fra Gio Paolo dell. Assunta Carmelitano Scalzo. Intus. Beatiss.mo Patre Fra Gio Paolo Maffei dell. Assuntione Carmelitano Scalzo. Dev.mo Oratore della Santita Vestra, prostrato alli suoi santi piedi gl'espone come la fel. mem. Paolo V. concesso un altare privilegiato per alcuni giorni della settimana in ciascheduna Chiesa della sua Congreg.ne d'Italia, de Carmelitani Scalzi. Poi la fel. me. di Gregorio XV. confermo e di nuovo concesse ampliando detta gratia a le Chiese della Congregatione d'Italia, & di quelle che sino a quel giorno erano edificate per tutti li giorni della settimana, parche nelle feste duplici e Domeniche, la Messa delle feste si applichi per un anima del purgatorio e che qualsivoglia Altare per l'anima di quel defonto ò defonta sia privilegiata e liberi l'anima del purgatorio per modum suffragii; Dichiarando che la sudetta gratia ne per via di communicatione, ne in altro modo, si communichi ad altre Religioni, Congregationi ò qualsivoglia persona. Poi ancora questa gratia di nuovo confermo e concesse l'istesso Gregorio XV. pochi giorni prima che passasse a meglior vita. Supplica per tanto la Santita Vestra secundo la benignita che tieneverso la sua Religione si compiaccia di nuovo confermare, concedere & estendere la sudetta gratia alle Chiese che da quel tempo in que sono edificate, & per l'avenire s'edificaranno, e di tal concessione se ne possi fare un Breve, que sara di somma gratia all' Oratore che giornalmente riceve dalla Santita Vestra tanti beneficii egl'apportara tanta maggiore consolatione che dara nuovo motivo di continuare & infervorare le orationi che di continuo si fanno per la prosperita e conservatione della Santita Vestra. Quam Deus*, &c. Tenor rescripti. *Monsig. Slusio ne parli. Die 10. Septembris 1670. S.mus D. N. vivæ vocis oraculo annuit extensioni Indulgentiarum introscriptarum à fel. mem. Paulo V. & Gregor. XV. Prædecessoribus suis pariter vivæ vocis oraculo concessarum ad Conventus & Monasteria quacumque infrascripta Religionis obinde citra erecta, & imposterum quandocumque erigenda. J. G. Slusius Secretarius Brevium dictæ Sanctitatis. In nomine Domini Amen. Fidem facio per præsentes ego Curiæ Caus. Cameræ Apost. Not. qualiter die 18. Septembris 1670. suprascriptus Ill.mus & R.mus D. G. J. Slusius Secretarius Brevium S.mi D. N. Papæ in domo suæ so-*

litæ habitationis secus Montem Quirinalem, medio juramento, tacto pectore, more, &c. recognovit, & recognoscit suprascriptam ejus manum, litteras, & suscriptionem manu propriâ à tergo suscripti memorialis. Factum omni meliori modo, &c. Super quibus, &c. Ita ego Jo. Baptista Angeluccius Curiæ Caus. R. Cam. Apost. Not. Locus (✠) sigilli. *Et aliàs, prout latiùs in actis ad quæ, &c. In quorum fidem, &c. Datum Romæ hac die 20. Novembris 1670. Signatum. Ita est, Antonius Felix Petrochius Not.* Locus (✠) sigilli. Et infrà: *Nos Aloysius de Aquino Prothonotarius Apost. utriusque signaturæ sanctissimi D. N. Papæ Referendarius, necnon Curiæ Causarum Cameræ Apost. Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, Universis, &c. fidem facimus atque testamur suprædictum D. Antonium Felicem Petrochium fuisse, & esse verum, publicum, lealem, authenticum, ac fide dignum Curiæ nostræ Notarium, scripturisque suis publicis, & similibus in judicio, & extra semper adhibitam fuisse, ac de præsenti plenam, indubiamque adhiberi fidem. In quorum fidem, &c. Datum Romæ ex Ædibus nostris hac die 26. Novembris 1670.* Signatum: *Hier. Simoncellus Notarius.* Locus (✠) sigilli.

367 Ad 2. respondeo negativè cum Donato Laynensi ubi suprà tr. 7. q. 14. & nostro sapientissimo P. Lezana to. 2. qq. regul. c. 1. num. 52. nisi eadem vel similis ratio militet in aliis. Quia privilegium generale non extenditur ad ea in quibus Ecclesia speciales habet Constitutiones & Statuta, cap. *si propter* de rescript. in 6. nec concessum uni Ecclesiæ vel Provinciæ, seu loco, ad aliam Ecclesiam, Provinciam, seu locum trahi potest, cap. *cum capella* de privileg. communicatione.

368 Nec refert quòd Pius IV. ad instantiam Catholici Regis Philippi II. concesserit Hieronymianis in Hispania, quòd privilegia concessa uni, vel quibusdam Monasteriis istius Ordinis, censeantur concessa aliis ejusdem Ordinis Monasteriis, ut refert noster Lezana loco citato. Quòdque Paulus III. anno 1537. concessisse dicitur Congregationi S. Justinæ, quòd cujusvis particularis Monasterii ipsius Congregationis privilegia toti Congregationi prædictæ, & illius particularibus Monasteriis communia sint. Cùm enim hoc valdè exhorbitet à jure communi, non est ampliandum, sed restringendum, id est strictè interpretandum, de privilegiis, quæ uni talis Ordinis vel Congregationis Monasterio concessa sunt, tanquam Monasterio talis Ordinis vel Congregationis, vel ubi in aliis militat eadem vel similis ratio. Aliàs enim quis credat (ait Lezana ibidem) quòd privilegium concessum uni Monasterio, ratione paupertatis ipsius, communicetur alii diviti & opulento? aut quòd privilegium concessum uni Ecclesiæ, ob magnam populi devotionem, quæ illic est ratione alicujus devotissimæ imaginis v. g., communicetur aliis Ecclesiis, ubi talis devotio non est, &c? Non magis certè credibile est quòd ista sit SS. Pontificum intentio, quàm quòd eorum intentio sit quòd privilegium non recitandi officium in choro, non cantandi, non eundi ad publicas processiones, &c. Societati concessum ob specialem rationem Instituti ipsius, communicetur aliis Ordinibus, in quibus specialis ista ratio non militat.

CAPUT XLI.

Mendicantes per Apostolica privilegia exempti sunt à jurisdictione Episcoporum, sicut & ipsorum Ecclesiæ, Oratoria & loca, Domus, Conventus & bona.

ISTam exemptionem Carmelitæ habent à Joanne XXII. in Bulla *sacer Ordo vester*: *ita quòd* (ait Pontifex) *nec locorum Ordinarii, nec alia quævis persona Ecclesiastica, in vos, Ordinem vestrum, personas, loca, &c. utpote prorsus exempta, possint excommunicationis, suspensionis, & interdicti promulgare sententias, vel aliàs potestatem, seu jurisdictionem aliquam exercere. Quòd si forsan quidquam in contrarium à quoquam fuerit attentatum, illud omninò irritum sit & inane.* 369

Eandem Dominicani habent à Gregorio XI. in Bulla *virtute conspicuos.*

Minoritæ à Clemente IV. in Bulla *virtute conspicuos.*

Augustiniani à Bonifacio VIII. in Bulla *sacer Ordo.*

Nec isti exemptioni Mendicantes, absque Pontificis licentia, renuntiare possunt, sub pœna nullitatis, ut ex communi Juristarum sententia, variis Rotæ decisionibus, & sacris Canonibus probat Lezana consulto 3. num. 34. signanter ex cap. *cum tempore* de arbitris, ubi Innocentius III. ait: *Cùm etsi volueris, de jure tamen nequiveris, sine licentia Romani Pontificis, renuntiare privilegiis, vel indulgentiis libertatis, quæ Monasterium illud probant ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere.* Quæ ratio quadrat in Mendicantes, eorumque Monasteria, Ecclesias, bona, &c. Quia ut Joannes XXII. in Bulla suprà relata ait: *Vos & prædictum Ordinem, personas, & Ecclesias, Oratoria, Domos, res alias, & loca vestra, ac spectantia ad eadem, in quibus inhabitatis ad præsens, vel inhabitabitis in futurum, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, ac personis degentibus in eis, in jus & proprietatem B. Petri, & Apostolicæ Sedis asserimus.* Talis proinde renuntiatio injuriosa & præjudiciabilis esset Apostolicæ Sedi, cujus interest habere Religiosos cum pertinentiis suis & bonis sibi immediatè subjectos. 370

Episcopi itaque non possunt suis præceptis & Constitutionibus subjicere Mendicantes. Et ideò inter gravamina, & vexationes, quibus Mendicantes ab Episcopis molestaban- 371

tur, Gregorius XI. in cap. *nimis prava* de excessib. Prælat. & Clemens V. in Clement. *frequens*, illud imprimis referunt, quòd volebant eos suis Constitutionibus subjicere.

372 Et quamvis Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi, ut habetur cap. *volentes* de privileg. in 6. statuerit exemptos coram Episcopis conveniri posse ratione delicti, contractûs, aut rei litigiosæ, de qua agitur, eamque Constitutionem Tridentinum innovaverit sess. 7. c. 14. Nihilominùs Religiosi Mendicantes, etiam in tribus istis casibus, id est ratione rei, contractûs, & delicti, exempti sunt ab Episcopi jurisdictione, uti probat Illustriss. D. Fagnanus ad cap. *tuarum* de privileg. n. 16. & seqq. Et specialiter nos Carmelitæ per privilegium Clementis IV. in Bulla *sacer Ordo vester*, & Sixti IV. in Bulla *dum attenta*. Sicut & Prædicatores, Minores, Augustiniani, &c. per Bullas variorum Pontificum, ab eodem Fagnano relatas n. 19. In quibus omnibus fit expressa mentio trium illorum casuum, cum expressa declaratione, quòd ne quidem in aliquo ex tribus illis casibus Episcopi in ipsos quidquam possint, prætextu citati capitis *volentes*. Quod certè non procedit de specialiter exemptis cum specifica expressione trium istorum casuum (uti nec Tridentinum illud innovans) sed de exemptis generaliter dumtaxat, prout idem Fagnanus efficaciter ostendit citato n. 16. & seqq. Unde cùm quidam Episcopi in Hispania contenderent, Religiosos, intra Claustra degentes, coram ipsis conveniri debere in causis civilibus, de quibus in cap. *volentes*, idque propter innovationem istius capitis à Concilio Tridentino sess. 7. c. 14. S. Congregatio apud Fagnanum n. 44. desuper consulta à Procuratore Generali Ordinis nostri, censuit: *neque Constitutione in Generali Concilio Lugdunensi edita, quæ incipit* volentes; *neque Decreto Concilii Tridentini c. 14. sess. 7. comprehendi Regulares* (specialiter exemptos, ut suprà) *ideòque eos, juxta eorum privilegia, coram suis Superioribus, vel Conservatoribus esse conveniendos.* Quam declarationem observari mandavit Paulus V. per litteras in forma Brevis cum Decreto irritante datas 24. Augusti 1607. ut videre est in Bullario to. 3. pag. 223. Aliam declarationem de Regularibus intra Claustra regulariter viventibus exhibet Peyrinus to. 1. ad Constitutionem 11. Sixti IV. §. 11. n. 3. tenoris sequentis: *Dubitatum fuit an Regulares possint civiliter coram Episcopo à suis creditoribus conveniri. Et fuit responsum quòd possint conveniri, si non sint sub regulari observantia. At si sint sub regulari observantia, non possunt conveniri coram Episcopo. Quia habent proprium Superiorem, & nihil habent commune cum iis Episcopi propter exemptionem.* Vide tamen infrà num. 384. in fine.

373 Et ne quis diceret, Mendicantes coram Episcopis conveniri non posse ratione contractûs in suis Monasteriis initi, vel ratione delicti ibi commissi; secùs ratione contractûs initi, vel delicti commissi extra sua Monasteria: Sixtus IV. in Bulla citata expresè declaravit, conveniri non posse ratione rei, contractûs, vel delicti, ubicumque ineatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat.

Ex Decreto tamen Concilii Tridentini 374
sess. 25. de Regular. c. 14. & Constitutione Clementis VIII. die 18. Martii 1596. Regulares intra Claustra degentes, si extra ea notoriè, & cum scandalo delinquant, & Superior, ab Episcopo monitus, delinquentem infrà tempus ab Episcopo præscribendum non punierit, deque punitione Episcopum certiorem non fecerit, ab Episcopo puniri possunt. In illa etiam Clementis VIII. Constitutione additur, quòd si Superior delinquentem ad aliam Diœcesim impunitum transmiserit, instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo præfigendum, sub pœna privationis officiorum ipso facto, & inhabilitatis ad illa, privationisque utriusque vocis (ad quam à solo Romano Pontifice restitui possit) tenetur ipsum revocare ad locum in quo deliquit: alioquin Ordinarius loci, ad quem transmissus est, ab Episcopo loci ubi deliquit, requisitus, vel aliàs de illius delicto informatus, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, delinquentem punire potest, & debet. Denique S. Congregatio declaravit, Regularem extra Claustra delinquere, etiam cùm in Ecclesia Monasterii delinquit, nisi clausis portis, & solis Regularibus in ea existentibus, delictum sit commissum. Non ita si intra Claustra. Videri possunt hac de re plures S. Congregationis declarationes apud Donatum Laynensem to. 1. rer. Regul. tract. 13. q. 95. Quarum unam de 19. Septembris 1625 à se originaliter visam testatur Barbosa in cap. fin. de statu Monach. n. 5. Nec tamen Episcopi possunt incarcerare Regulares, extra Claustra delinquentes, cùm nec Tridentinum id ipsis permittat, nec Clemens VIII. nec S. Congregatio. Quæ econtrà (apud Barbosam in cap. 14. sess. 25. de Regularib.) interrogata, quando Regularis extra Claustra notoriè delinquit, an detinendus sit in carceribus ab Episcopo, donec processus in Curia Episcopali conficiatur, eoque compilato, instante Superiore, remittendus sit ad Superiorem, unà cum his probationibus, quæ habentur? Respondit: *statim remittendum esse, etiam posito quòd Superior nullam instantiam faceret.*

Et licèt aliquibus videatur, Episcopum 375
super notorio illo Regularis delicto, extra Claustra commisso, juridicum processum formare posse; verius tamen est, solùm posse summatim facti informationem capere (de qua intelligenda est declaratio S. Congregationis, quam refert Barbosa in cap. fin. de statu Monach. n. 5.) eamque Superiori

Regulari mittere; non verò juridicum proceſſum. Ita Donatus q. 53. n. 8. cum Hieronymo Rodriguez, Diana, & Bordono. Quia Epiſcopus ex Tridentino ſeſſ. 25. de Regular. c. 14. nullum habet jus in Regularem degentem intrà, vel extrà, notoriè delinquentem, niſi concurrant duo ad id prærequiſita, nimirùm inſtantia Epiſcopi, & defectus Regularis Prælati, negligentis punitionem Religioſi ſui. Igitur antequam hæc duo concurrant, illegitimè ipſum incarcerat, citat, proceſſat, puhit, ob defectum poteſtatis.

376 Regulares tamen apoſtatæ, & ejecti, ſubſunt Epiſcoporum juriſdictioni, ſecundùm Decreta S. Congregationis Concilii de apoſtatis, & ejectis. Tridentinum quoque ſeſſ. 6. c. 3. ſic decernit: *Nemo ſecularis Clericus, cujuſvis perſonalis privilegii prætextu, vel Regularis extra Monaſterium degens, etiam ſui Ordinis privilegii prætextu, tutus cenſeatur, quominùs, ſi deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato, ſecundùm Canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat.*

377 Sed eo Decreto non comprehenduntur Regulares, de Superioris licentia degentes in aliqua Grancia ſeu pertinentia Monaſterii. Cùm Granciæ illæ & pertinentiæ habeantur ut partes, & membra Monaſterii. Non comprehenduntur etiam, qui ad tempus, & non permanenter, extra Monaſterium morantur causâ prædicationis, confeſſionis, quæſtuationis, vel negotii. Quia non cenſentur extra Monaſterium degere, niſi qui extra illud domicilium habent, & permanenter habitant. Similiter non comprehenduntur, qui juſſu Superioris degunt extra Monaſterium in domo Parochiæ ſuo Monaſterio unitæ, niſi commiſerint delictum concernens curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem. Sic enim S. Congregatio ſæpiùs declaravit, ut videre licet apud Donatum q. 41. ubi etiam id probat ex Bulla Gregorii XV. quæ incipit *inſcrutabili*. Alii verò Regulares, qui extra Monaſterium quomodocumque habent domicilium, ſive ſint apoſtatæ, ſive cum obedientia Superioris ad ſervitium Epiſcopi deſtinati ſint, vel Parochiis Monaſterio non unitis addicti, & non ſubjiciuntur correctioni & viſitationi annuæ Superiorum ſuorum, Decreto illo comprehenduntur. An etiam illi qui correctioni, & viſitationi annuæ Superiorum ſuorum ſubjiciuntur? nonnulli affirmant apud Donatum q. 35. ſed negant Ceſpedes & Peyrinus. Tum quia non videtur æquum ut ſubſit viſitationi & correctioni Judicis extraordinarii, qui quotannis viſitatur, & (dum opus eſt) corrigitur à Superiore proprio. Tum quia licèt Regulares illi phyſicè degant extra Monaſterium, moraliter in Monaſterio degere cenſentur, quamdiu degunt ſub poteſtate, diſpoſitione, viſitatione & correctione Superioris ſui. Panormitanus in reſcripto de jurejur. n. 5. Sylveſter verbo *Religio* 3. q. 19. Navarrus com. 4. de Regul. n. 74.

Illud verò quod Tridentinum addit ſeſſ. 7. 378
de reform. c. 8. Locorum Ordinarii Eccleſias quaſcumque, quomodolibet exemptas, authoritate Apoſtolicâ ſingulis annis viſitare teneantur, S. Congregatio ſæpiùs declaravit procedere in Eccleſiis exemptis Sæcularium, non Regularium; utpote qui in odioſis non comprehenduntur ſub generali exemptorum nomine, ſed in ſpecie exprimi debent. Videri poteſt Peyrinus to. 1. privil. ad Conſtitut. 11. Sixti IV. §. 10. n. 17. ubi hanc declarationem refert: *Congregatio Concilii cenſuit, Epiſcopos, aut alios locorum Ordinarios vigore cujuſvis Decreti ejuſdem Concilii, nullam habere facultatem, quovis tempore, in Monaſteriis, Domibus, & Eccleſiis Regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum perſonarum ſecularium, viſitandi Sacriſtias, paramenta, vaſa ſacra, Altaria, & cætera hujuſmodi; aut etiam Tabernaculum, ſeu Pyxidem, in qua ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervatur.* Cùmque Archiepiſcopus Genuenſis prætenderet, dictum Tabernaculum viſitare, ratione quaſi poſſeſſionis, eò quòd Prædeceſſor aliquas Regularium Eccleſias viſitaſſet. Die 26 Januarii 1619. Congregatio reſcripſit id non poſſe, ſed debere abſtinere ab hujuſmodi viſitatione, ut videre eſt ibidem n. 18.

Quòd ſi Epiſcopus viâ facti procedere ve- 379
lit, Prælatus Monaſterii poteſt & debet ipſi reſiſtere, non manu, ſed verbo, ſua jura allegando, deque gravamine, & injuria proteſtando, & monendo ipſum de cenſuris quas incurrunt Epiſcopi, moleſtando Regulares contra tenorem privilegiorum ſuorum. Id enim Sixtus IV. in Bulla *regiminis* ipſis diſtrictiùs inhibet ſub pœna ipſo facto interdicti, ingreſſus Eccleſiæ, & ſuſpenſionis à regimine & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum.

Epiſcopus tamen, ut delegatus Apoſtoli- 380
cæ Sedis, viſitare poteſt Confraternitates Laïcorum, ſitas in Eccleſiis Regularium, earumque Adminiſtratores compellere ad reddendum computa & rationes; ſed non Altaria, & Capellas, in Regularium Eccleſiis per Confraternitates illas conſtructa. Ita S. Congregatio ſæpiùs declaravit apud Aloyſium Riccium 4. p. deciſ. 209. & Barboſam p. 3. de offic. & poteſt. Epiſcopi allegat. 75. & Donatum q. 70.

CAPUT XLII.

Varii caſus, in quibus Regulares, etiam Mendicantes, Epiſcopis obedire tenentur.

TAmetſi Mendicantes, ex dictis capite 381
præcedenti, ab Epiſcoporum juriſdictione & poteſtate exempti ſint; non tamen ſine limitatione, & exceptione variorum ca-

ſuum, factâ à Concilio Tridentino, ac deinde à Romanis Pontificibus, & à S. Congregatione: non ſic tamen ut Epiſcopi poſſint in omnibus iſtis caſibus, ipſos ſub cenſuris, & aliis pœnis cogere ad ſibi obediendum, ſed in iis dumtaxat, ubi id ipſis per Concilium, vel Romanum Pontificem, vel S. Congregationem expreſsè conceditur.

382 Et 1°. quidem Epiſcopi poſſunt ſingulis annis viſitare Parochiales Eccleſias, Monaſteriis perpetuò unitas, earumque Rectores, tametſi Regulares, quoad ea quæ concernunt Parochianorum curam, & Sacramentorum adminiſtrationem, eoſdemque Rectores in eis deliquentes (tametſi aliàs exemptos) ſecundùm regularia Ordinis Inſtituta, intra ſepta Monaſterii punire, uti Leo X. ſtatuit in Concilio Lateranenſi. Vide etiam Tridentinum ſeſſ. 7. de reform. c. 7. ubi mandat ejuſmodi Eccleſias ab Ordinariis locorum quotannis viſitari.

383 2°. Poſſunt etiam, tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati, viſitare, punire, & corrigere Religioſos extra Clauſtra degentes, juxta dicta n. 377. ſicut & ipſos extra Clauſtra notoriè, & cum ſcandalo delinquentes punire, ſi Superior, ab Epiſcopo monitus, id intra tempus ab ipſo præfixum, facere nolucrit, juxta dicta n. 375.

384 3°. *In civilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum.... Regulares, extra Monaſterium degentes, quomodolibet exempti, etiamſi certum Judicem, à Sede Apoſtolica deputatum* (id eſt Conſervatorem) *in partibus habeant: in aliis verò* (cauſis) *ſi ipſum Judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tanquam in hoc à Sede Apoſtolica delegatis, conveniri, & jure medio, ad ſolvendum debitum cogi & compelli poſſunt, privilegiis, exemptionibus, Conſervatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus adverſus præmiſſa nequaquam valituris.* Tridentinum ſeſſ. 7. c. 14. In quo Tridentini Decreto licèt non comprehendantur Regulares intra Clauſtra degentes (uti nec extra Clauſtra degentes) in aliis cauſis, quàm mercedum, & miſerabilium perſonarum (ſi habeant Conſervatorem) nihilominùs Gregorius XV. in Bulla *ſanctiſſimus in Chriſto Pater* die 20. Septembris 1621. revocatis privilegiis ſtatuit, *ipſos etiam Regulares, intra Clauſtra degentes, in cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum, conveniri poſſe coram Ordinario loci, ſi careant Conſervatore.*

385 4°. Regulares, in Eccleſia ſui Ordinis, ſine petita benedictione, vel in Eccleſiis non ſui Ordinis, ſine licentia Epiſcopi, vel etiam in Eccleſiis Ordinis ſui, contradicente Epiſcopo, prædicare non poſſunt. Quia Tridentinum id prohibet ſeſſ. 5. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 4. Regulares tamen in eo delinquentes Congregatio Concilii declaravit, non ab Epiſcopo, ſed à ſuis Superioribus Regularibus puniendos eſſe. Per ſubſequentem quidem Bullam Gregorii XV. quæ incipit *inſcrutabilis*, conceſſa fuit Epiſcopis facultas ipſos eo caſu puniendi. Sed Bulla iſta, nec in Regnis Hiſpaniarum (ubi per Urbanum VIII. ſuſpenſa fuit) nec in Belgio uſu recepta fuit.

386 5°. Regulari, qui in Monaſterio ſui, vel alterius Ordinis, errores & ſcandala diſſeminaverit in populum, ab Epiſcopo interdicendum eſt munus prædicationis. Tridentinum ſeſſ. 5. c. 2.

387 6°. Regulares exempti, ad proceſſiones publicas vocati, accedere compellantur ab Epiſcopis. Tridentinum ſeſſ. 25. de Regul. c. 13. Excipiuntur tamen in fine Decreti qui ſub arctiori clauſura vivunt. Item Gregorius XIII. excipit Regulares, quorum Monaſteria diſtant à civitate ultra medium milliare. Sed & Pius V. in Bulla *etſi Mendicantium*, declaravit non teneri accedere ad quaſcumque proceſſiones, ſed ſolùm ad eas, ad quas ſecundùm conſuetudinem antiquam locorum ſoliti ſunt accedere; vel quæ pro bono pacis Eccleſiæ, vel pro victoria contra infideles indicuntur. Illudque Tridentini Decretum non intelligi de illis Conventibus qui Collegia nuncupantur, in quibus Fratres, neque in choro cantant, neque ad mortuos accedunt, ſed tantùm ſtudiis & lectionibus vacant. Cæteros autem compelli poſſe S. Congregatio cenſuit, etiam per pœnas, vel cenſuras Eccleſiaſticas, nec ab iis abſolvi poſſe à Superioribus ſuis. Quia ſunt excommunicationes ab homine, quarum abſolutio petenda eſt à Judicibus, qui tulerunt, vel à Sanctiſſimo. Iſtam S. Congregationis declarationem referunt Barboſa, Farinacius, & Fagnanus ad cap. *grave* de offic. Ordin. n. 68.

388 Inſignes tamen Authores, apud Donatum to. 1. tr. 13. q. 79. docent, Epiſcopum cenſurare non poſſe Regulares exemptos, qui nolunt ad proceſſiones accedere, ſi ultra exemptionem, habeant (prout revera Mendicantes habent) privilegium ne poſſint cenſuris mulctari, ſine expreſſa conceſſione Apoſtolicæ Sedis. Quam profectò conceſſionem Epiſcopi non habent in citato Tridentini Decreto, ubi ly *compellantur* aliter intelligi poteſt, quàm per cenſuras. Nec eam habent à S. Congregatione: cum allatæ declarationes ipſius non exhibeantur in forma requiſita per Decretum Urbani VIII. & ex adverſo S. Congregatio 20. Maii 1606. vel 1616. (prout citantur apud Dianam infrà) reſcripſerit Epiſcopo Vercellenſi, Epiſcopum poſſe comminari cenſuras, ſed non poſſe actualiter excommunicare, vel interdicere, ſine ordine S. Congregationis, prout refert Barboſa de jure Eccl. l. 1. c. 33. n. 163. Unde ſapientiſſimus Pater noſter Lezana in Summa qq. regul. to. 4. verbo *proceſſio* n. 2. cenſet Epiſcopum poſſe aliis pœnis Regulares compellere, ſed non cenſuris.

Quod & docent Ciarlinius, Peyrinus, Gratianus, Henriquez, Sanchez, Rodriguez, Cespedes, Portellius, Crescentius & alii, quos citat sequiturque Diana p. 11. tr. 2. resol. 8.

389 7°. Episcopi possunt componere, appellatione remotâ, controversias omnes Regularium, & Ecclesiasticorum sæcularium, de præcedentia in processionibus publicis & funeralibus. Tridentinum sess. 25. c. 13.

390 8°. Regulares non possunt erigere novos Conventus sine Episcopi licentia. Ibidem c. 3. Licentiam verò istam Episcopus dare non potest, nisi, vocatis, & auditis Prioribus aliorum Conventuum ejusdem loci, constiterit, novum Conventum sine aliorum detrimento commodè sustentari posse. Sic Clemens VIII. ex sententia S. Congregationis, motu proprio declaravit 26. Augusti 1603. Videri potest Fagnanus ubi supra n. 53. ubi alia circa novorum Conventuum erectionem Decreta refert Gregorii XV. & Urbani VIII.

391 9°. Episcopi, ut Sedis Apostolicæ delegati, plenissimam potestatem habent in iis quæ pertinent ad clausuram in Monasteriis Monialium exemptarum conservandam. Unde ex sententia S. Congregationis (apud eundem Fagnanum n. 56.) licet Episcopo Monasteria Monialium, etiam Regularibus subjectarum, visitare, & singulas Moniales (absque interventu Regularium) examinare in concernentibus clausuram, eamque violantibus pœnam imponere.

392 1°. Nulla puella professionem emittere potest, nisi Episcopus, vel ejus Vicarius exploraverit, an coacta, vel subducta sit, an sciat, quid agat. Quod professionis tempus ne Episcopus ignoret, tenetur Præfecta Monasterii eum ante mensem certiorem facere: aliàs, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit. Tridentinum ibidem c. 16.

393 11°. Episcopus per censuras compellere potest, ut Novitiis ante professionem exeuntibus omnia restituantur quæ sua erant. Ibidem c. 16.

394 12°. In judicio de nullitate professionis, Ordinarius adhiberi debet cum Superiore Regulari. Ibidem c. 19. sive professus ipse nullitatem suæ professionis alleget, sive Religio ad finem ipsum expellendi. S. Congregatio apud Fagnanum n. 72. De nullitate tamen professionis, ex eo quòd facta non fuerit in Conventu pro Novitiatu designato, judicare non potest Episcopus, nisi ex speciali Sedis Apostolicæ licentia, sub pœna interdicti; sed hujus causæ cognitio Sedi Apostolicæ est reservata, prout declaravit S. Congregatio Concilii, approbante Urbano VIII. 5. Jan. 1636.

395 13°. Irrevocabiles donationes, beneficiorumque vel patrimonii renuntiationes, factæ à Novitiis, etiam intra biennium ante professionem, sine licentia Episcopi, vel ipsius Vicarii, nullæ sunt, & cum dicta licentia nullum sortiuntur effectum ante professionem. Ibidem c. 16. Dixi *irrevocabiles*: sic enim communis Doctorum sensus, communis etiam usus interpretatur illud Concilii Decretum. Et colligitur ex fine Decreti, qui est consulere libertati professionis, quam non minuit donatio usque ad professionem revocabilis, qualis est quæ fit per modum testamenti, codicilli, &c. Videri possunt Lezana to. 1. qq. Regul. c. 24. n. 35. & Donatus to. 2. tr. 7. q. 30.

396 14°. Regulares tenentur servare dies festos, quos observari in sua Diœcesi Episcopus præcipit. Trid. ibid. c. 12.

397 15°. Tenentur etiam, mandante Episcopo, in Ecclesiis suis publicare & servare censuras & interdicta, ab Ordinariis promulgata. Ibid. c. 12. Ad quem locum cùm dubitaretur, an Episcopus prohibere possit, ne Regulares in Ecclesiis suis celebrare permittant exteros Sacerdotes sæculares, nisi ab Episcopo (visis ipsorum litteris commendatitiis) admissos, S. Congregatio, teste Fagnano n. 65. censuit posse.

398 16°. Episcopi prohibere debent, ne privatis in domibus, & extra Ecclesias vel Oratoria, ad divinum tantùm cultum dedicata, ab Ordinariis designanda, à Sacerdotibus sæcularibus, aut Regularibus Missa celebretur. Et ne aliis quàm debitis horis celebrent. Tridentinum sess. 22. in Decreto de observand. & evit. in celebr. Miss. ubi Episcopis datur potestas, ut non solùm illa, sed & quæcumque huc pertinere visa fuerint, ut delegati Sedis Apostolicæ statuere, & ad ea servanda censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis, non obstantibus privilegiis, &c. compellere possint, etiam Regulares exemptos, prout S. Congregatio declaravit apud Fagnanum n. 46. Pius etiam V. in extravaganti publicata 29. Martii 1566. prohibet omnibus Sacerdotibus, etiam Regularibus, sub pœna suspensionis à divinis, ne, prætextu licentiarum, aut facultatum, vespertino tempore Missas celebrent. Mandatque locorum Ordinariis, ut id sub iisdem & aliis pœnis, sibi bene visis, inviolabiliter observari faciant.

399 17°. Regulares, ad hoc ut ordinentur, examinari debent ab Episcopis. Tridentinum sess. 23. c. 12. Nec possunt duos sacros Ordines eodem die recipere. Ibidem c. 13. Nec confessiones sæcularium audire, nisi ab Episcopis per examen (si illis videbitur esse necessarium) idonei judicentur, & approbationem obtineant, privilegiis, &c. non obstantibus. Ibidem c. 15.

400 18°. Fratres Ordinum Mendicantium non possunt quidem ab Episcopis prohiberi quominùs, ubi habent Conventus, eleemosynas quærant (id enim in favorem FF. Minorum, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, Bonifacius IX. inhibet in Bulla

Bulla *ad fructus uberes*. Et in favorem Carmelitarum Sixtus IV. in Bulla *dum attenta* 37. apud Rodriguez) ſed tamen ſi extra loca, ubi Monaſteria exiſtunt, quæritare voluerint, tenentur ſuorum Superiorum licentiam Ordinario (id eſt Epiſcopo, vel Parocho) oſtendere (ſi videre voluerint.) At, ſi extra Diœceſim, tenentur Ordinarii conſenſum obtinere, uti (approbante Urbano VIII.) S. Congregatio declaravit anno 1603. In præfatis tamen Bullis id ipſis permittitur omni tempore & loco, non requiſito ad id Ordinariorum conſenſu. Videri poteſt Lezana verbo *quæſtiarii* n. 41.

401 Epiſcopi tamen per cenſuras excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, compellere non poſſunt Regulares exemptos ad obediendum ſibi in omnibus caſibus, in quibus à Concilio Tridentino Epiſcopis obedire tenentur; ſed in illis dumtaxat, in quibus hoc ipſis expreſſè conceditur ab ipſo Concilio, vel aliàs ab Apoſtolica Sede, vel à S. Congregatione: tum ob multa privilegia (à Lezana relata to. 1. c. 11. n. 14.) quibus Pontifices decernunt, locorum Ordinarios non poſſe, abſque ſpeciali commiſſione Sedis Apoſtolicæ, in Religioſos Mendicantes excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti promulgare ſententiam. Tum quia quoties Tridentinum voluit poteſtatem illam in exemptos Epiſcopis concedere, id expreſſit ut ſeſſ. 25. c. 5. & 16. ſeſſ. 22. in Decreto de obſerv. & evit. in celebr. Miſſ. &c. Tum quia in caſibus, in quibus Tridentinum ſubjecit Epiſcopis Regulares exemptos, non ſubjecit ipſos Epiſcopis tamquam habentibus ordinariam in ipſos poteſtatem, ſed ut habentibus à Sede Apoſtolica delegatam dumtaxat. Cui verò poteſtas delegata ad aliquid conceditur, non eo ipſo conceditur poteſtas coactiva, ſeu punitiva, niſi hoc ſpecialiter committatur, cap. *licet* de offic. Vicarii. Nec poteſtas directiva eſſe deſinit utilis ſine coactiva in delegato, dum juvari poteſt per coactivam in delegante. Tum denique quia in caſu num. 385. enarrato, nullam Epiſcopo poteſtatem Regulares puniendi conceſſit Tridentinum (uti S. Congregatio declaravit) licèt Regulares ipſi ſubjecerit, quoad poteſtatem directivam.

402 An verò Epiſcopus declarare poſſit ipſos incidiſſe in excommunicationem inflictam à Jure, vel Apoſtolicis Conſtitutionibus, ad hoc ut evitentur? Plures affirmant. Sed negandum cum Navarro, Rodriguez, Portello, Graffio, Caſarubio, Peyrino, Zerola, Diana, Lezana, Donato, & aliis, niſi hoc ſit ipſi ſpecialiter conceſſum. Quia Regularis declarari nequit excommunicatus, niſi priùs citetur. Citatio verò cùm ſit actus juriſdictionis, fieri debet per Judicem competentem. Qualis non eſt Epiſcopus reſpectivè ad Regulares exemptos. Videri poteſt Donatus q. 26. ubi reſpondet ad argumenta in contrarium, refertque Martinum V. ſtatuiſſe, ut nullus denuntiari poſſit excommunicatus, niſi à ſuo Judice competente, juxta extravag. *ad evitanda* apud Navarrum in Summa cap. 27. n. 35.

Regulares tamen, qui, ob notorium de- 403
lictum, in excommunicationem inciderunt, S. Congregatio apud Fagnanum n. 75. cenſuit poſſe ab Epiſcopo publicè denuntiari excommunicatos, ut ab aliis evitentur.

Tridentinum quoque ſeſſ. 25. de Regul. 404
c. 5. ſtatuit, nemini Sanctimonialium licere, poſt profeſſionem, exire à Monaſterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa, ab Epiſcopo approbanda, indultis quibuſcumque, & privilegiis non obſtantibus.

Capite verò 3. ſtatuit, numerum Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, ab Epiſcopo definiri poſſe, adjuncto tamen Superiore Regulari.

Præterea tom. 3. l. 5. oſtendemus, Regularium approbationes ab Epiſcopis limitari poſſe ad certas perſonas, necnon ad certa loca & tempora. Poſſe etiam eas revocari, vel Confeſſarios ejuſmodi ab audiendis confeſſionibus ſuſpendi ex nova cauſa ad confeſſiones pertinente. Approbatos ſine reſtrictione à Vicario Generali Epiſcopi, poſſe iterùm ab ipſo Epiſcopo revocari ad examen. Approbatos ab ipſomet Epiſcopo, poſſe ab ejus ſucceſſore rurſus examinari, &, ſi minùs capaces inventi fuerint, rejici. In una Diœceſi generatim approbatos, confeſſiones in alia Diœceſi audire non poſſe, abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione. A caſibus Epiſcopo reſervatis Regulares abſolvere non poſſe, niſi hanc facultatem ab ipſo obtinuerint.

Sacra denique Congregatio Cardinalium, 405
Concilii Tridentini Interpretum, apud Fagnanum ad cap. *grave* ext. de offic. Ordinarii, ad dubia ſequentia reſpondit ut ſequitur.

Quæſitum eſt à S. Congregatione Concilii 1°. an Regulares ab Ordinario ad confeſſiones audiendas prævio examine approbati ad tempus, elapſo tempore, tamquam ſemel approbati, poſſint (invito Ordinario) deinde audire confeſſiones? Congregatio cenſuit non poſſe.

Quæſitum eſt 2°. an Epiſcopus volens 406
ex nova cauſa Regulares, ſemel ad confeſſiones audiendas approbatos, examinare, teneatur eam patefacere Superioribus Regularibus; & an de hujuſmodi cauſa conſtare debeat, vel ſit credendum Epiſcopo, atteſtanti hujuſmodi cauſam ſubeſſe? Congregatio Concilii cenſuit poſſe Epiſcopum, ex nova cauſa, etiamſi de ea non conſtet in actis, rurſum examinare, ac minùs repertum idoneum reprobare Regularem, ſemel ad audiendas confeſſiones approbatum; idque ejus arbitrio: quod tamen debebit eſſe moderatum & diſcretum, ita ut eo non abu-

tatur. Verùm ubi hoc facere voluerit, debere id Superioribus Regularibus significare; non quidem cum individua expressione causæ; sed tantùm se velle, ob novam quæ supervenerit causam, ad hujusmodi examen procedere.

407 3°. Conquerentibus Regularibus S. Dominici Neritonensis, quòd cùm essent prævio examine approbati ad confessiones sæcularium audiendas à Vicario Generali Episcopi, dum Episcopus Romæ degeret, illeque ad suam Ecclesiam reversus, vellet eos rursus pro audiendis confessionibus examini sub jicere: Sacra Congregatio Concilii censuit: posse Episcopum rursum examinare Confessarios Regulares à suo Vicario approbatos.

408 Quæsitum est 4°. à S. Congregatione Episcoporum & Regularium, an Episcopus, qui Regulares ad confessiones personarum sæcularium audiendas approbavit, possit eosdem ex nova causa ab iisdem confessionibus audiendis suspendere, non obstantibus quibuscumque privilegiis? Et qualis hujusmodi causa esse debeat? S. Congregatio respondit: Episcopum, quamvis simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione approbaverit Regulares ad confessiones sæcularium personarum audiendas, posse tamen eosdem, si nova causa superveniat, suspendere, ac licentias illis concessas revocare, dummodò causa hujusmodi confessiones ipsas concernat. Cæterùm si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, propter quod rationabili Episcopi judicio videantur à confessionibus suspendi (in quo ipsius Episcopi conscientiam voluit esse oneratam) cùm præcipua Ministri Sacramenti pœnitentiæ qualitas sit integritas vitæ, ac morum honestas: utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere: ac proinde nihil obstare, quominùs ob eam possit Episcopus Regulares, à semetipso approbatos, suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis.

409 Quæsitum est 5°. à Congregatione Concilii, an Regulares possint personarum sæcularium confessiones audire virtute licentiarum à decessoribus Ordinarii illis concessarum, etiam renuente Episcopo Ordinario pro tempore existente? S. Congregatio censuit: posse, quamdiù Episcopus non prohibuerit; cæterùm esse in facultate Episcopi Successoris illos rursus examinare, atque interim prohibere.

CAPUT XLIII.

Religiosi Mendicantes, sicut & cæteri Ecclesiastici, tam in civilibus, quàm in criminalibus, exempti sunt à Judicum Laïcorum potestate, sicut & à tributis, vectigalibus, & gabellis per Laïcos impositis.

410 EXamen speciale meretur ista difficultas, ut & benè intelligatur, & hinc inde limites non excedantur. Cavere enim debent Ecclesiastici, ne zeli Ecclesiasticæ immunitatis prætextu, ei potiùs noceant, per nimiam ipsius extensionem irritando sæcularem potestatem; ne etiam isti potestati nimiùm indulgeant, dum (ut sæpè fit) jus suum contra Ecclesiasticam immunitatem extendere nituntur. Ante omnia examinabimus quo jure Ecclesiastici exempti sint à gabellis, & à potestate Laïcorum Judicum. Deinde veniemus ad puncta de quibus frequens est inter Ecclesiasticos & Laïcos controversia.

§. I.

Fundamenta opinionis prætendentis exemptionem illam esse de jure divino.

EXemptionem Ecclesiasticorum esse de jure divino, satis communis est sententia Theologorum & Canonistarum apud Dianam p. 1. tr. 2. resol. 1. & p. 5. tr. 1. resol. 21. & p. 7. tr. 1. resol. 5. propter fundamenta sequentia. 411.

Primò allegant Canonem *Sylvester* 11. q. 1. ubi Gregorius Papa dicit violationem Ecclesiasticæ immunitatis esse contra leges divinas. Et can. *relatum* ibid. ubi sic: *Relatum est ad hujus sanctæ & Apostolicæ Sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput, ipso dicente Principi Apostolorum Petro*, Tu es Petrus, &c. *quòd quidam æmuli Christi, ejusque S. Ecclesiæ insidiatores, Sacerdotes Dei ad Judices publicos accusare præsumant ..... Taliter prævaricantes prævaricati sunt in Deum suum, & non obediunt præceptis ejus.* Et cap. *si Imperator* dist. 96. *Non legibus publicis, non à Potestatibus sæculi, sed à Pontificibus, & Sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ Religionis Clericos, & Sacerdotes voluit ordinari & disponi.* Clariùs Bonifacius VIII. cap. *quamquam* de censibus in 6°. ait, quòd *Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, & res ipsorum non solùm jure humano, quinimò & divino à sæcularium personarum exactionibus sint immunes.*

2°. Concilium Romanum IV. sub Symmacho Papa can. 3. (habetur to. 2. de jure Conciliorum edit. novæ) *Cavendum* (inquit) *ne exempla remaneant præsumendi quibusdam Laïcis, quamvis Religiosis vel Potentibus ..... quolibet modo aliquid decernere de ecclesiasticis facultatibus, quarum solis Sacerdotibus disponendi indiscussè à Deo cura commissa docetur.* Concilium quoque Lateran. sub Innocentio III. nimis de jure divino Laïcos usurpare dicit, qui viros Ecclesiasticos, nihil temporale detinentes ab eis, ad præstandum sibi de fidelitatis juramento compellunt. Et Lateranense sub Leone X. sess. 9. *A jure tam divino, quàm humano, Laïcis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa est.* Item Colo- 412

nienſe

nienſe parte 9. c. 20. *immunitas Eccleſiaſtica, vetuſtiſſima res eſt, jure pariter divino, & humano introducta.* Et Tridentinum ſeſſ. 25. c. 20. de reform. *Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitas, Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtituta, &c.*

413 3°. Allegant SS. Patres: quos inter Clemens Romanus epiſt. 1. de judiciis Eccleſiaſticis ait, *divinis legibus repugnare, quòd majores à minoribus judicentur.* Dionyſius Areopagita epiſt. 8. ad Demophylum Monach. dicit, ordinem à Deo conſtitutum perverti, ſiquis inferior Sacerdotem judicare præſumat. Gregorius Nazianzenus orat. 17. ad cives timore perculſos, Præfectum ſic alloquitur: *Et tu quoque una es gregis mei ovicula, mea poteſtati, meoque tribunali ex ipſius Chriſti mandato ſubjecta: mea verò judiciaria poteſtas eò præſtantior eſt illâ poteſtate quam geris, quò ſpiritus carni, & cælum terræ præeminet.* Eſt autem contra rationem & ordinem lege naturali inſtitutum, quòd inferior judicet ſuperiorem, cap. *inferior*, & cap. *ſolitæ* de major. & obed. Et ideò Gregorius VII. lib. 8. epiſt. 21. *Quis dubitet* (inquit) *Sacerdotes Chriſti Regum & Principum, omniumque fidelium Patres & Magiſtros cenſeri? nonne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubjugare, & iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubjicere, à quo credit non ſolùm in terra, ſed etiam in cælis ſe ligari poſſe & ſolvi?* Ideò etiam Eugenius Pontifex in epiſtola ad Franciſcum Foſcari Ducem Venetiarum, ait, omnia divina & humana jura diſponere, Miniſtros & Sacerdotes Dei ab oneribus & exactionibus immunes eſſe debere, ſicut Patres veteris Legis. Et Epiſcopi Galliarum in epiſt. è Caſtro Cariſſiaco ad Ludovicum Regem conſcripta, aſſerunt privilegia Eccleſiis conceſſa eſſe *divinitùs conſtituta.* Et ipſimet Galliæ Reges, Carolus Magnus, & Ludovicus Pius l. 5. Capitularium c. 233. ſic aiunt: *Nemini Regum, aut cuiquam hominum in proprium liceat Monaſterium tradere uſum, vel commodum..... Hoc enim divina, & Apoſtolica, & canonica, ſub anathematis pœna, ſanxit authoritas.*

414 4°. Allegant & ſacras Litteras, quæ licèt id in terminis non exprimant, vehementer tamen inſinuant. Dicit enim Deus Num. 3. *Dabis dono Levitas Aaron, & filiis ejus, quibus traditi ſunt à filiis Iſraël..... eruntque Levitæ mei.* Et c. 8. *Statueſque Levitas in conſpectu Aaron, & conſecrabis oblatos Domino, ac ſeparabis de medio filiorum Iſraël, ut ſint mei..... conſecrabis eos in oblationem Domini: quoniam dono dati ſunt mihi à filiis Iſraël.* Et ideò Num. 1. noluit eos Dominus numerari cum reliquis filiis Iſraël, militiæ adſcriptis, ſed à militia immunes eſſe voluit. Atqui *omne quod Domino conſecratur, ſive homo fuerit, ſive animal, ſive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino.* Levit. ult. Quem ſacrum textum præ oculis habentes Carolus Magnus, & Ludovicus Pius, ubi ſuprà c. 303. ſic ſtatuunt: *Nulli liceat ignorare, quòd omne quod Domino conſecratur, ſive homo fuerit, ſive animal, ſive ager, vel quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino, & ad jus pertinet Sacerdotum.* Quia ſcilicet ad jus pertinet Dei, & ad forum divinum, cujus adminiſtrationem Chriſtus ſuo in terris Vicario commiſit, non Laïcis Principibus. Igitur omnia Deo conſecrata, ac proinde perſonæ Eccleſiaſticæ, cum bonis ſuis, Deo & Eccleſiæ datis, ſunt de jure divino & ſacerdotali, ſuntque jure divino exempta à poteſtate ſæculari: utpote jure divino eo ipſo pertinentia ad forum ſacerdotale, quo Deo conſecrata, juxta illud Num. 18. *Omnia quæ ſanctificantur, tradidi tibi, & filiis tuis pro officio ſacerdotali, legitimo ſempiterna.* Quæ cùm ſint præcepta, quæ tradidit Dominus (ut dicitur Levitici ult.) eaque moralia: non ſunt extincta in morte Chriſti, ſed uſque in hodiernum diem permanent, & permanebunt uſque in ſæcula ſæculorum.

Deinde Pſal. 81. dicitur: *Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem deos dijudicat,* 415
ubi per deos intelliguntur Sacerdotes, cap. *Sacerdotibus* 11. q. 1. & cap. *ſatis* ibidem. q. 6. ubi Gregorius Papa ex Scriptura oſtendit, Sacerdotes eſſe deos; deorum proinde, non hominum judicio & poteſtati ſubjectos. Hominibus namque, ſive humanis judicibus & Magiſtratibus, Pſalmo 104. dicitur: *Nolite tangere Chriſtos meos*, id eſt unctos meos. Quales verè ſunt novæ Legis Sacerdotes. Et Conſtantinus Imperator apud Ruffinum l. 1. Hiſtor. c. 2. ait: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit, de nobis quoque judicandi. Et ideò nos à vobis rectè judicamur: vos autem non poteſtis ab hominibus judicari..... vos etenim nobis à Deo dati eſtis dii, & conveniens non eſt, ut homo judicet deos.* Si non eſt conveniens quòd dii judicentur ab hominibus, nec conveniens eſt quòd dii ſubjiciantur exactionibus hominum.

Denique Matth. 17. cùm à Chriſto exi- 416
geretur tributum, Chriſtus ait ad Petrum: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filiis ſuis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jeſus: Ergo liberi ſunt filii. Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare... & in ore piſcis invenies ſtatêrem: illum ſumens, da eis pro me, & te.* Ubi Chriſtus pluraliter loquendo, liberos pronuntians filios, jubet dari tributum pro ſe, & pro Petro, non ex obligatione, ſed ad ſcandalum vitandum. Ergo, ſecundùm Chriſti teſtimonium, nec Chriſtus, nec Petrus, nec proinde cæteri Apoſtoli ad id erant obligati. Nec per conſequens ad id obligati ſunt Apoſtolici viri Clerici, & Monachi. Non Chriſtus, quia Regis regum filius. Nec A-

postoli, utpote specialiter de familia Christi, ipsiusque domestici. Voluit enim Christus privilegium exemptionis suæ ad Ecclesiam, Sponsam suam, & ad Ecclesiasticos, speciales domesticos & familiares suos, extendi, id est, ad Apostolos, eorumque in Ecclesiæ ministerio successores, Clericos, & Monachos. Unde Augustinus l. 1. qq. Evangelic. q. 23. *In omni regno intelligendum est liberos esse filios*, id est, non esse vectigales. Multò ergo magis liberi esse debent in omni regno terreno filii regni illius, sub quo sunt omnia regna terrarum. Et Hieronymus in commentario hujus loci: *Nos* (inquit, de Clericis, & Monachis loquens) *pro illius honore, & tributa non reddimus, & quasi filii Regis à vectigalibus immunes sumus.* Sed & si Christus, ut homo, immunis fuit à tributis, uti de seipso declarat loco citato: ergo immunia etiam sunt bona Ecclesiarum, & Monasteriorum, quæ subsunt immediato & proximo dominio Christi, cui & Ministris ipsius ad ipsius honorem & ministerium donata sunt à fidelibus. Hoc ipso namque quòd filius Regis immunis est à tributo, immunia quoque sunt bona dominio ipsius immediatè & proximè subjecta.

417 Nec certè dubium, quin bona, quæ sibi à piis personis erogata Christus in terris habuit, pro Ecclesiasticæ familiæ suæ sustentatione, ex eleëmosynis pauperum (quorum meminit Evangelium, dum Joannis 9. Apostoli dicunt: *Emamus denariis ducentis panes, & dabimus eis manducare.* Et Joan. 12. quòd Judas *loculos habens, ea quæ mittebantur portabat*) exempta fuerint à tributo, tametsi bonorum illorum Christus non solùm habuerit usum facti (hoc enim hæreticum esse definivit Joannes XXII. in extrav. *licet*) verùm etiam usum juris, sive jus utendi, dominiumque & proprietatem. Bona verò Ecclesiarum & Ecclesiasticorum successerunt in locum bonorum illorum, quæ Christus habuit: cùm pertineant ad patrimonium Christi, sintque Deo dicata, prout illa, nec proinde sint in usus humanos transferenda.

418 5°. Tametsi nullum foret expressum Scripturæ testimonium pro asserta Clericorum exemptione, traditio sufficeret ad verificandum, quòd exemptio illa sit de jure divino. Neque enim necesse est omnia quæ de jure divino sunt, in Scriptura exprimi (ut patet in materiis & formis Sacramentorum) sed si qua in sacris Canonibus de jure divino esse dicantur, nec de eo tamen expressa Scriptura habeatur, signum est divinæ traditionis, ex qua Canones & Concilia id didicerunt. Cùm ergo Canones & Concilia num. 404. & 405. relata dicant exemptionem illam esse de jure divino; vel id ex sacris Litteris didicerunt, vel ex traditione à Christo Domino Apostolis facta, & per Apostolos, eorumque successores ad nos derivata. Multa quippe Christus fecit & dixit, quæ Evangelistæ non scripserunt, ut constat ex Joan. 20.

6°. Denique communis traditio & approbatio nationum omnium in exemptionem istam unanimiter non consensisset, nisi eam naturale dictamen omnibus inditum ipsis dictaret. Unanimis illa traditio, approbatio, & consensus nationum omnium probatur ex eo quòd apud Ægyptios, dum tota terra Ægypti facta est tributaria Regi, terra Sacerdotum, licèt idololatrarum, excepta fuit, ut constat ex Genes. 47. Apud Persas enim & Assyrios, Sacerdotes & Levitæ per Artaxerxem declarantur à vectigalibus immunes, 1. Esdræ 7. Apud Romanos deorum cultui dicati similiter à tributis & vectigalibus exempti fuerunt, ut refert Halicarnassus l. 2. Histor. Apud Saracenos quoque Religiosos à tributis exemptos narrat Odericus Raynaldus in Annalibus ad annum 1237. n. 87. Indecorum verò est, quòd Principes, & Magistratus Christiani cum Sacerdotibus & Religiosis suis duriùs agant, quàm Saraceni & idololatræ cum suis. 419

§. 2.

Exemptio Clericorum à potestate sæculari, in rebus Ecclesiasticis, seu spiritualibus, est de jure divino.

HOc saltem probant quæ allegata sunt n. 405. 406. 407. &c. Probat & ratio, quia potestas Ecclesiastica non solùm distincta est à sæculari, sed & ipsâ superior in ejusmodi rebus. Superior autem inferiori non subjicitur, in iis in quibus est superior. Cùmque plenam potestatem regendi Ecclesiam, & omnes oves suas & agnos Petro & successoribus suis Christus commiserit, ipsi fideles omnes, etiam Reges & Imperatores subjecit: quia oves sunt Christi. Unde vel ipsi Imperatores se Ecclesiæ subditos agnoscunt, scilicet Constantinus Magnus n. 415. laudatus, & Justinianus novell. 83. 420

§. 3.

Exemptio Clericorum à laïca potestate, in rebus civilibus & criminalibus, habet convenientiam quamdam & æquitatem, juri divino conformem; non videtur tamen esse strictè de jure divino præceptivo.

RAtio prioris partis est, quia conveniens, & juri divino conforme est, ut res, personæ, & loca divino cultui dicata, debitâ veneratione tractentur, & Clerici à Laïcis ad judicia & negotia sæcularia non trahantur, ne ii quibus, tamquam Deo militantibus, ab Apostolo prohibetur implicare se negotiis sæcularibus, ad ea pertracti, à cura & studio divini cultûs, rerumque spiritualium avocentur, & in functionibus suis à Laïcis perturbentur, multaque ad Dei cultum pertinentia 421

omittant, metu sæcularium potestatum. Hoc sensu verum est quod Bonifacius VIII. cap. *quarto* de censibus in 6. ait, *jure divino immunes esse Clericos.* Quod Bellarminus tom. 1. tr. de Cler. c. 28. existimat ab ipso dictum, ut Doctore Canonista, secundùm privatam opinionem suam, non ut Pontifice rem fidei definiente.

422 Ratio posterioris partis (quam Bellarminus tradit ibidem, cumque ipso Navarrus, Covarruvias, Menochius, Victoria, Dom. Sotus, Bannez, Sayrus, Rodriguez, &c.) est quia neque ex veteri, neque ex novo Testamento, neque ex traditione exemptio illa demonstratur esse juris divini præceptivi. Quod enim in veteri Testamento legitur de facto Joseph, qui totam terram Ægypti Regi subjiciens, Sacerdotum terras excepit; necnon de facto Artaxerxis, qui Sacerdotes & Levitas à vectigalibus exemit, probat quidem id convenienter factum, non divinitùs præceptum. Illa etiam quæ in Levitico de iisdem Sacerdotibus & Levitis leguntur, ad cæremonialia & Mosaïca istius Gentis pertinent, quæ cum Lege vetere expirarunt. Quòd omnes Gentes, quæ sunt, & fuerunt, quasi conspirarint ad istam exemptionem Sacerdotibus suis concedendam, solùm probat id conveniens esse dictamini rectæ rationis. Illud etiam quod suprà Christum dixisse monuimus, solùm demonstrat id æquum & conveniens esse. Illud denique quod SS. Patres subinde aiunt, Ecclesiasticos à tributis immunes esse jure divino, solùm evincit immunitatem illam habere convenientiam fundatam in jure divino, non præcepti necessitatem.

423 Enimverò nihil juri divino præceptivo contrarium SS. Patres agnoverunt in eo quòd Principibus sæcularibus subessent in controversiis de prædiis, rebusque terrenis, super quibus Clericos quotidie litigare videmus apud sæculares Judices; & in istis ab initio nascentis Ecclesiæ sæcularibus Principibus ipsos subjectos fuisse, Apostolus innuere videtur Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ubi Glossa: *Cùm dicitur, omnis anima, nullus excipitur.* Unde Chrysostomus in illum locum dicit, quòd lex Christi non tollit politicas leges, eisque obedire debeant Monachi & Sacerdotes. Et S. Thomas in eumdem locum: *Clerici* (inquit) *exempti sunt à tributis ex privilegio Principum, quod naturalem habet æquitatem.* Non dicit necessitatem, sed *æquitatem*; nec dicit exemptionem illam esse ex jure divino, sed *ex privilegio Principum.* Quod & dicit Major in 4. dist. 13. q. 2. Et istam fuisse veterum Patrum sententiam satis ipsi innuerunt, dum tributa Principibus ipsi solverunt, teste Valentiniano Seniore in epist. ad Episcop. Asiæ (apud Theodoretum l. 4. Hist. Eccles. c. 7.) ubi dicit, pios & Religiosos Episcopos tributa Regibus pendere. Et reverà Urbanus I. can. *tributum* 23. q. 8. dicit quòd *de exterioribus suis Ecclesia tributum reddit.* Et S. Ambrosius in orat. de tradend. Basil. (quæ legitur post epistolam ipsius 32.) *Si tributum petat Imperator, tributum non negatur: agri enim Ecclesiæ tributum solvunt.* Cui solutioni perinde restitisset, atque traditioni Basilicæ, si tributorum exactio perinde fuisset contra jus divinum, atque exactio Basilicæ.

Quoad exemptionem à sæcularibus judi- 424
ciis in civilibus & criminalibus, si esset juris divini præceptivi, Ecclesia antiquitùs magis sollicita fuisset ad impediendum, ne Clerici ad judicia illa provocati, in illis responderent. Nec id Concilia permisissent. Permisit tamen Concilium Agathense can. 32. ultimæ Conciliorum editionis: *Clericus ne quemquam præsumat apud sæcularem Judicem, Episcopo non permittente, pulsare; sed, si pulsatus fuerit, respondeat.* Idipsum permisit Concilium Epaunense anni 517. can. 11. Concilium Toletanum relatum can. *filiis vel nepotibus* 16. q. 7. declarat, Regem adiri posse, ut negligentiam suppleat Episcoporum in coërcendis Rectoribus, qui Ecclesiæ facultatibus abutuntur. Concilium Matisconense I. anni 581. can. 7. in causis graviorum criminum, homicidii, furti, aut maleficii, permittit Clericos à sæculari Judice judicari. Martinus V. Diplomate anni 1429. indulsit Curiis regni Franciæ judicia de beneficiorum possessorio. Denique Imperatores Valentinianus, Theodosius, & Arcadius L. *graviter* 3. Cod. Theod. sanciunt, Sacerdotum & Episcoporum judicia nonnisi coram Episcopis agitanda, quantùm ad Ecclesiasticas causas. Cætera verò negotia esse penes Judices publicos terminanda.

In Gallia sæculares Judices ex consuetu- 425
dine immemoriali, quam Scriptores Galli, Aufrerius, Tholosani Senatûs Præses, & Guillielmus Benedicti, olim Consiliarius in Senatu Burdigalensi (apud Cabassutium in Jur. Canon. theor. & prax. l. 4. c. 8.) idem operari aiunt ac privilegium, sententiam ferre solent adversus Clericos, reos privilegiatorum (ut vocant) criminum. An autem probari queat, quòd Sacerdotes, eorum rei, ibidem (absque interventu Ecclesiasticæ potestatis) morte infami publicè afficiantur? viderint, quorum est judicare.

§ 4.

Clericorum privilegia recensentur.

UNum est (ait Gudelinus l. 6. de jur. 426
noviss. c. 5.) *quòd Clerici omnes exempti sint à muneribus personalibus, idque tam veteribus Constitutionibus, quàm novissimâ Frederici ..... pœnam gravem violatoribus istius Ecclesiasticarum personarum immunitatis imponente .... Quare Presbyteri, Diaconi, & Subdia-*

cum immunitatem habent tutelæ, sive legitimæ, sive datívæ, sive testamentariæ, necnon curationis. Quamvis ... permissum eis sit legitimam tutelam subire, sed non invitis; & ita demum, si intra quatuor menses, ex quo ad tutelam vocati sunt, apud competentem Judicem inscriptis declarent, se talem administrationem propriâ voluntate suscepisse. Aliud privilegium Clericorum est de quasi castrensi peculio eorum, Constitutione novissimâ Justiniani dictante, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, necnon Cantores & Lectores, omnes scilicet qui Clerici appellantur, res quomodolibet ad ipsorum dominium venientes, habere sub sua potestate ad instar castrensis peculii ..... ita ut hæc donare, seu alienare, & de his testari, licet sub parentis sint potestate, liberè possint. Verba tamen ista, *res quomodolibet ad ipsorum dominium venientes*, Gudelinus dicit restringenda per verba sequentia, utpote quæ manifestum faciunt loqui Justinianum de rebus quomodolibet ex Clericatu, vel occasione ejus provenientibus, utpote in quibus solis constare potest similitudo castrensis peculii (id est bonorum acquisitorum in castris, sive in bello) & permagna ratio est, ut quæ ex industria, ministerioque suo acquisivit Clericus, pleniori jure habeat, quàm illa quæ aliunde ad dominium ipsius devenerunt. Satius ergo est, ut censeamus Clericum non magis de adventitiis posse testari, quàm reliquos, quibus peculii castrensis, aut quasi castrensis jus datum est.

427 Addit ibidem, moribus harum regionum factum esse, ut Clerici per Sacerdotium è patria emancipentur potestate, ita ut propterea necesse non sit, ut Præsbyteri gaudeant privilegio peculii quasi castrensis, ad disponendum de bonis suis. Quia privilegium istud solùm necessarium est, quamdiù Clerici sub aliena existunt potestate, prout est filius minoremnis, seu nondum emancipatus.

428 Tertium privilegium (prosequitur idem Author) est quòd cùm personæ omnium in præsidio sint, & tutela legum, nequa vis vel injuria ipsis inferatur, personæ tamen Clericorum maximè in tali præsidio sint. Constitutio namque est Pontificia, siquis in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, ut is excommunicationem ipso jure incurrat, à qua nullus queat eum absolvere, præter Summum Pontificem, ejusque mandatum habentem, aut præterquàm morte imminente.

429 Reliqua privilegia Clericorum, in novissimis sanctionibus descripta, spectant ad formam quâ sunt conveniendi in judicio .... Et quidem Clerici initio nequaquam exempti fuerunt à jurisdictione Magistratuum sæcularium; sed id paulatim introductum, eisque datum per piorum Principum Constitutiones. Novellis Justiniani jussi sunt conveniri apud suos Episcopos, non semper, verùm factâ distinctione civilis causæ & criminalis, ac criminis Ecclesiastici & communis, necnon primæ & secundæ instantiæ.... Cæterùm tandem generaliter atque indifferenter prohibitum est Clericos vocari ad ullum sæculare tribunal, &c.

His adde privilegium exemptionis à tri- 430
butis & oneribus publicis, quo Clericos gaudere debere usque adeò declarat Concilium Lateranense cap. 46. ut sub pœna excommunicationis prohibeat, ne aliquid (contra illud) attentent Consules, aut alii Superiores Laïci, solùmque indulgeat, ut siquando forsan Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem vel utilitatem prospexerint, ut absque ulla coactione, ad relevandas utilitates vel necessitates communes, ubi Laïcorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias duxerint conferenda, prædicti Laïci humiliter & devotè ea recipiant cum actionibus gratiarum. Vultque in hoc ultimo casu Romanum Pontificem consuli, tametsi hoc variis in locis (extra Italiam) in usu non sit, nescio an hoc ob difficultatem tam procul recurrendi, cùm res sæpè tantam non patiatur moram.

Privilegium istud, quatenùs importat exemptionem ab oneribus personalibus, in usu erat sæculo quarto, cùm Hieronymus in c. 17. Matth. scribat, in usu fuisse tempore suo. Quatenùs verò extendit se ad onera pensitari solita ratione possessionum, in usu non fuit tempore S. Ambrosii, nec Valentiniani Senioris, utpote quo ea vel Episcopi ipsi pensitabant, ut constat ex dictis n. 415.

Ut ut sit, cavere debent Clerici, ne nimis difficiles sint in admittendis oneribus, quibus publicum juvent tempore magnæ necessitatis; ne causa sint (ut non rarò fit) cur nomen Dei à Laïcis indigentibus blasphemetur, dum ad extrema premi se conspiciunt, ubi ad sublevamen ipsorum contribuere Clerici (copiosiùs habentes quàm ipsi) recusant, à quibus rerum terrenarum contemptum discere debent. Contribuendo tamen adhibere debent cautelas necessarias ad obviandum consequentiæ, quam Laïci aliàs (quasi jure præsumptionis) facturi sunt, ut Ecclesiasticos obligent ad continuandas ejusmodi contributiones. Et ideò sæpè utilius est, ut summam aliquam tamquam gratuitam contribuant, non attentâ proportione ad onus quod ipsis corresponderet, si Laïci forent: quia Laïci facilè oblivioni tradunt protestationes ipsorum, solùm attendentes ad factas onerum solutiones.

Nec (juxta sententiam satis communem) 431
contributionem aliquam meritò negare possunt, dum contribuendi causa æquè principaliter respicit utilitatem ipsorum ac sæcularium, modò sæculares eam non exigant, quasi jus habentes; nec ipsis subtrahant

quod neceſſarium eſt ad honeſtam ſuſtentationem; denique eam ſolùm exigant, dum moderata populi contributio eſt inſufficiens.

432 An dicta immunitas ſeu exemptio Clericorum ſolùm ſe extendat ad bona ſtrictè Eccleſiaſtica (id eſt quæ habent vi beneficii Eccleſiaſtici, vel piæ alicujus fundationis) an ad bona etiam patrimonialia? generali regulâ determinari non poteſt, ob varios regnorum ac provinciarum uſus ac conſuetudines. In Belgio exemptione illâ non gaudent Clericorum bona patrimonialia, ne illa quidem quæ ipſis relicta ſunt pro titulo Ordinationis ſuæ, licèt Barboſa l. 1. juris univerſi eccleſiaſtici c. 3. §. 5. n. 28. dicat, quod ad patrimonium Ordinati, res clara eſt illud habere omnia privilegia quæ conceduntur à jure bonis Eccleſiaſticis.... ac proinde immune eſſe ab omnibus exactionibus & tributis ſæcularibus, ut cenſuit S. Congregatio negotiis Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum.

433 In eodem Belgio, contractâ modò ditione Hiſpanicâ, & nuperis bellis exhauſtâ, Eccleſiaſtici in victualium gabellis ferè contribuunt ut populus, etiam Clero ſemper ex integro non conſentiente: quod quia eſt contra cap. *non minus*, & cap. *adverſus* de immunit. Eccleſ. an juſtè ad id cogantur? aliorum eſto judicium. Ideò etiam cum Navarro in Manuali c. 17. n. 202. de juſtitia vel injuſtitia variorum tributorum Eccleſiaſticis impoſitorum (de quibus latè Zypæus de juriſdict. Eccleſ. l. 2.) diſſerendum relinquimus iis, qui carum conditiones meliùs quàm nos norunt.

434 Optandum certè foret, majorem haberi conſiderationem Oecumenicorum Conciliorum, Lateranenſis ſub Alexandro III. alterius Lateranenſis ſub Innocentio III. Lugdunenſis ſub Innocentio IV. Conſtantienſis, Senenſis, & Tridentini ſeſſ. 25. c. 20. de reform. in favorem immunitatis Eccleſiaſticæ, Eccleſiaſticarumque perſonarum, quam tot in punctis violant plures Magiſtratus, Miniſtrique & Conſiliarii Principum. Quæ cauſa fuit, propter quam Synodus Cameracenſis tit. 22. Regiæ ſupplicavit Majeſtati „ ut utriuſque, Eccleſiaſtici, & Civilis, „ & Judicum omnium quieti & ſecuritati conſulens, quod ſuum eſt cuique tribuere, & „ ne ſe invicem turbent, aut impediant, ſuâ „ authoritate Regiâ imperare dignetur. Imprimis verò, quod indigniſſimum eſt, ne in „ ipſas perſonas Eccleſiaſticas aliquid juris, „ aut de eorum exceſſibus cognitionis Judices Laïci uſurpent, aut prætendant; aut „ eoſdem coram ſe pro actionibus perſonali„ bus, etiam civilibus, pertrahant.... Ne Epiſcopos, eorumve Officiales ullo pacto impediant, ne Clericos ſibi ſubjectos criminoſos „ liberè capere, ſeu apprehendere, & incarcerare, &, prout ſacri Canones dictaverint, „ pro modo culpæ punire poſſint.... Ne cùm ipſi Judices Eccleſiaſtici aliquos citaverint, « qui ſe prætendunt exemptos, dummodò no- « toriè tales non ſint, Laïci Judices cognitio- « nem declinatoriæ exceptionis coram Judici- « bus Eccleſiaſticis propoſitæ, eiſdem inhi- « beant, aut eam ſibi uſurpent contra aper- « tiſſimam utriuſque juris diſpoſitionem..... « Ne dicti Judices Laïci Judicibus Eccleſiaſti- « cis præcipere audeant, ut revocent ſuas ſen- « tentias ſuſpenſionis à divinis, aut excommu- « nicationis, aut alia decreta per ipſos lata, « & ne eo prætextu arreſtare præſumant bo- « na temporalia dictorum Judicum Eccleſia- « ſticorum..... Denique ut Magiſtratus, & « Præfecti ſæculares non cogant Clericos, « maximè in ſacris Ordinibus conſtitutos, « qui Chriſto militare debent, ad excubias « diurnas, aut nocturnas, nec eorumdem bo- « na, ſine conſenſu Ordinum Eccleſiaſtico- « rum, ad aliquas contributiones obligare & « taxare præſumant, in grave detrimentum « animarum ſuarum, & immunitatis Eccle- « ſiaſticæ præjudicium. « Eccleſiaſticam quippe immunitatem Chriſtiani Principes, in conſcientia tueri, & promovere tenentur, prout cum aliis Oecumenicis Conciliis ſuprà laudatis, ipſos admonet Tridentinum ſeſſ. 25. c. 20. Unde & violatores illius quotannis per Bullam Cœnæ excommunicantur; quam tamen Bullam Suarez, Vaſquez, Reginaldus, Bonacina, &c. apud Cabaſſutium in notitia Conciliorum c. 71. exiſtimant nullam prorſus habere vim, aut effectum, in quibuſdam articulis, qui neque divini juris, neque naturalis ſunt, ut adverſus Hiſpaniæ Regem, Siciliæ, Sardiniæque poſſeſſorem, aut adverſus Rempublicam Genuenſem, quæ Corſicæ dominatur, tametſi hac Bullâ ſpeciatim declarentur excommunicati detentores trium Inſularum, & quicumque detentorum fautores. Summus autem Pontifex (proſequitur Cabaſſutius) nullam tam ſolemnis cenſuræ ſuæ videtur habere rationem: utpote qui ſciens, Hiſpaniæ Regem, & Genuenſem Rempublicam nihil de Inſularum illarum reſtitutione cogitare, horum tamen Legatos, Oratores, & Officiales, in Curia Romana reſidentes, quin etiam ipſos Proreges & Gubernatores memoratarum Inſularum, quando tunc Romæ verſari contingit, poſt triduum hujuſce publicationis, admittit ad Paſchalia Sacramenta. Eſt verò juris regula, & conſtans effatum, optimam eſſe legum interpretem conſuetudinem. L. *ſi de interpret.* ff. de leg. & cap. *cum dilectis* de conſuet.

§. 5.

Privilegia ſeu immunitates Eccleſiarum, aliorumque locorum ſacrorum.

OB frequentes altercationes inter Eccle- 435
ſiarum, Monaſteriorumque Prælatos

ex una parte, sæcularesque Magistratus ex altera, necesse est hîc aliquid dicere de Ecclesiarum, Monasteriorumque, & aliorum locorum sacrorum immunitate. Observandum igitur primò, hanc immunitatem generaliter consistere in eo, quòd Ecclesiæ, Monasteria, seu alia loca sacra, jurisdictioni sæculari nullatenùs subjiciantur, ita ut nec forensibus actibus violari possint, nec vi effringi, aut occupari, nec militari hospitio gravari, nec tributis subjici, nec personæ ad ea, velut ad azylum, confugientes, inde per potestatem sæcularem extrahi. Quod quidem jus azyli observandum Ecclesiastici Canones decreverunt (ut dicitur can. *id constitutum* 17. q. 4.) & lex Romana constituit, ut ab Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi reos abstrahere omninò non liceat. Ubi nomine Ecclesiæ intelliguntur omnia loca sacra, divinis officiis ab Episcopo deputata, videlicet Sacella, & Oratoria ad publicum cultum divinum deputata, Hospitale, Monasteria, Palatium Episcopale, Sacristia, porticus & atria Templi, Cœmeteria, ut notat Navarrus c. 25. n. 18. Imò juxta Covarruviam cap. 20. n. 18. azyli jure frui debet, qui ad Ecclesiam confugiens, & clausam inveniens, vectes ac portas Ecclesiæ manu tenet. Idem aliqui cum S. Antonino 3. p. tit. 12. c. 3. §. .... dicunt de eo qui confugit ad Sacerdotem portantem S. Eucharistiam: quia licèt id in jure non inveniatur expressum, ratio id suadet: cùm corpus Christi longè dignius sit, quàm Ecclesia materialis. Alii tamen cum Glossa contrarium tenent: quia cùm immunitas ista sit de jure positivo humano, ad non expressa per consequentiam, vel rationis convenientiam trahi non debet.

436 Observandum secundò, hac immunitate gaudere omnes fideles Laicos (sicut & Clericos, uti contra Zypæum latè probat Barbosa Jur. Eccles. l. 2. c. 3.) etiam excommunicatos, & interdictos: cùm inter effectus censurarum istarum non computetur privatio azyli. Nec eâ privantur, qui vulgò dicuntur Ægyptii, per Europam vagantes, furtisque & fraudulentiis viventes: cùm passim sint per Baptismum Ecclesiæ incorporati, Ecclesiasticæque parere soleant jurisdictioni.

Eâ tamen non gaudent hæretici, apostatæ, nec Judæi & pagani, nec publici latrones, viarumque grassatores, nec nocturni agrorum depopulatores; nec ii qui homicidia, vel membrorum mutilationes in Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere non verentur; nec qui proditoriè proximum suum occiderunt, aut assasinè; nec hæresis, aut læsæ Majestatis in personam Principis rei, uti videre est in Bulla Gregorii XIV. *cùm aliàs nonnulli*. Et certè de proditoriè occidentibus Exodi 21. dicitur: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari evellet eum, ut moriatur.* Nec id cum fundamento limitat Escobar tr. 6. exam. 4. n. 27. ad casum, quo quis pecuniâ, aut pretio ad hominem incautum occidendum ex insidiis conducitur. Quasi assasinus non sit qui sine pretio ex insidiis incautum proximum interficit. Hoc enim de cerebro suo contra sensum communem comminiscitur. Nec istius limitationis verisimilitudo ulla invenitur in Bulla Gregorii XIV. uti nec Exodi 20. An verò homicidæ voluntarii, qui ex mera malitia, & sine passione proximum occidunt, censeantur homicidæ proditorii? variant Authores apud Binsfeldium suprà, ubi pro negativa ipse stat opinione. Tales nihilominùs haud dubiè censentur occidentes per venenum. Ultra casus à Gregorio XIV. exceptos, Edicta Belgii de 1°. Junii 1609. & 1°. Julii 1616. addunt decoctores bonorum, eorumque fautores, incendiarios, vagabundos, prædones, sacrilegos, seditiosos, &c. de quibus videri potest Anselmo Tribon. c. 20. §. 43.

Observandum tertiò, quòd in dubio an 437
quis hac gaudeat immunitate, cognoscat Judex Ecclesiasticus, prout disertè statuit Bulla laudata Gregorii XIV. quam in hoc exactè servandam docet Christyneus vol. 1. Decis. Belg. 55. & 57. In Gallia tamen, ne hâc immunitate & impunitate licentia criminum ingravescat, per ordinationem Francisci I. abrogata est lex azyli, ut docet Bugnion de leg. abrog. lib. 1. c. 16. Unde in Galliis vix ulla servatur in Ecclesia reorum confugientium immunitas, nisi eorum qui ære alieno gravantur, ut ibi, neque capi, neque inde extrahi queant, inquit Cabassutius in theor. & prax. Jur. Can. lib. 1. c. 18.

Observandum quartò, quòd effectus di- 438
ctæ immunitatis sunt 1°. quòd in eo loco existens, liber ibi sit relinquendus. 2°. quòd nulla interim sententia ipsi possit imponi. 3°. quòd prohiberi non possit, ne ei victus vel amictus de foris procuretur, tametsi Judex sæcularis providere possit ne effugiat. 4°. quòd spoliari non possit bonis quæ secum ad Ecclesiam detulit, nisi essent furtiva, vel aliàs circa ea deliquisset. 5°. si Judex sæcularis vi reum attentet extrahere, potest Judex Ecclesiasticus vim vi repellere, Ecclesiasticamque immunitatem tueri, Ecclesiæ fores claudendo, similibusque opportunis mediis externis violentiæ resistendo; præsertim excommunicatione, quæ contra violatores Ecclesiasticæ immunitatis adhibenda est; non tamen in Belgio, ubi potiùs resistendum litteris requisitoriis, quibus si sæculares Judices non intendant obedire, ob eas tamen tenentur ab omni ulteriori processu ad mensem supersedere, ut interea Ecclesiastici sibi de justitiæ remedio valeant providere, ut notat Zypæus Jur.

Jur. Pontif. de foro compet. n. 26.

439 Obſervandum 5°. communem eſſe ſententiam Doctorum apud Binsfeldium in c. 7. de injuriis q. 2. concluſ. 5. quòd ſi reus, jam captus, ante vel poſt ſententiam ducatur ad carcerem, vel ad locum ſupplicii, vel ad aliquem alium locum, per locum ſacrum, v. g. Cœmeterium, dum jam eſt iſto in loco, ie tueri non poſſit dictâ immunitate, ſed poſſit etiam invitus abduci: cùm enim liber non fuerit in tranſitu iſto, libertatem conſequi non debet ratione illius. Si tamen è manibus juſtitiæ elapſus, ad Eccleſiam fugerit, invitus abduci non poteſt, ut cum communi docet Navarrus in Manuali c. 25. n. 19. tunc enim in ſua eſſe cenſetur libertate.

440 Denique obſervandum, loca ſacra exempta eſſe à militibus hoſpitandis, cap. *præterea* de jur. patron. ubi etiam præcipitur, ne quis à locis illis pabulum exigat pro equis. Idem privilegium Monaſteriis varii conceſſerunt Pontifices, ſicut & Edictum Caroli V. de 15. Junii 1556.

§. 6.

Exemptiones & immunitates Eccleſiis, locisque & perſonis ſacris conceſſas, Principes revocare non poſſunt.

441 IMmunitatem Eccleſiaſticam (quidquid ſit, an juris divini ſit, an non) initium habuiſſe à temporibus naſcentis Eccleſiæ, teſtatur Concilium Matiſconenſe I. cap. 9. Enimverò Epiſcopos legitimos eſſe Clericorum Judices, ſupponit Apoſtolus 1. Timoth. 5. dum Timotheo ſic loquitur: *Adverſus Præsbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus.* Et S. Petrum ſanxiſſe, ut à ſolis Judicibus Eccleſiaſticis Clerici judicarentur, S. Clemens teſtatur epiſt. 1. Et ipſe anno 68. idem ſtatuit, ſicut & Anacletus anno 80. Et Alexander circa annum 109. Cajus circa annum 283. Sylveſter circa annum 324. Errant proinde, qui Eccleſiaſticæ immunitatis authorem faciunt Juſtinianum Imperatorem circa annum 550. quia (præter ea quæ proximè dixi) anno 340. Concilium Antiochenum can. 12. anno 307. Cartaginenſe III. can. 9. anno 410. Concilium Milevitanum can. 15. Et anno 451. Concilium Calcedonenſe act. 19. can. 9. pro iſta immunitate Decreta condiderunt, ſicut & Conſtantinus Magnus circa annum 330. uti videre licet apud Baronium ad illum annum. Similiter Valentinianus & Theodoſius anno 387. Martianus anno 453. Leo & Anthemius anno 466.

442 Exemptionem porrò illam à SS. Pontificibus & Conciliis concedi potuiſſe, etiam ſine interventu Laïcæ poteſtatis, communis eſt ſententia Theologorum & Canoniſtarum, apud Dianam p. 7. tr. 1. reſol. 12. Statque pro ea S. Thomas opuſc. contra impugnant. Religion. & l. 3. de regim. Princip. Et ſic habetur cap. *Eccleſia S. Mariæ* de Conſtitut. de majorit. & obed. c. 2. cap. *noverit*, & cap. *gravamen* de ſent. excomm. cap. *quamquam* de cenſib. in 6. Et c. ult. de reb. Eccleſ. non alienand.

Et ratio eſt, quia S. Petro & Eccleſiæ 443
Chriſtus Matth. 16. ligandi & ſolvendi poteſtatis plenitudinem conceſſit, nec eam ſæcularium Principum poteſtati ſubmiſit. Et certè poteſtas illa Religioni Chriſtianæ neceſſaria eſt, ad hoc ut res & perſonæ Eccleſiaſticæ, ipſæque Eccleſiæ debita cum veneratione tractentur, & Clerici à Laïcis in cultu Dei non moleſtentur, nec perturbentur.

Et ne exemptiones quidem atque immu- 444
nitates à Chriſtianis Principibus conceſſæ, ab ipſis revocabiles ſunt, juxta communem ſententiam Theologorum, Canoniſtarumque, apud Dianam ibid. reſol. 8. Quia nimirum ex quo eas Clericis tamquam divino cultui conſecratis conceſſerunt, Deo & Eccleſiæ conceſſerunt, quæ per Summos Pontifices conceſſionem illam acceptarunt. Per conſequens exemptiones illæ in jus & dominium Dei & Eccleſiæ tranſierunt. Ex quo verò Principes in jus & dominium Dei & Eccleſiæ aliquid tranſtulerunt, illud ad ſe revocare non poſſunt. Quæcumque enim Deo ſemel conſecrata ſunt, & in jus Dei tranſierunt, Laïcæ ampliùs non ſubſunt poteſtati, ut conſtat à fortiori ex eo quòd donatio ſemel abſolutè & in perpetuum facta non ſubdito, irrevocabilis ſit, ſicut & privilegium ſemel abſolutè conceſſum non ſubdito. L. *ſicut ab initio* Cod. de actionibus. Et ideò cùm Henricus, Angliæ Rex, quaſdam Clericorum exemptiones infringere vellet, ſub prætextu quòd eas ſui prædeceſſores admittere noluiſſent, S. Thomas, Cantuarienſis Archiepiſcopus, ipſi fortiter reſtitit, uſque ad fuſum pro manutenenda Eccleſiaſtica immunitate ſanguinem; iſtamque reſiſtentiam fuiſſe legitimam, conſtat ex eo quòd Eccleſia propterea ipſum ut Martyrem colat, pluribuſque miraculis ipſum poſt mortem Deus illuſtraverit.

Et confirmatur ex eo quòd Reges ac Prin- 445
cipes non pauci divinam ultionem experti fuerint, propterea quòd conceſſas Eccleſiæ atque Eccleſiaſticis immunitates violaverint. Siquidem & Carolum Martellum propterea periiſſe, atque in inferis damnatum à S. Eucherio, Aurelianenſi Epiſcopo, viſum eſſe, legitur in vita ipſius. Et ſanctæ memoriæ Epiſcopus Palafox in ſua allegat. litt. 66. ex S. Bonifacio in epiſt. ad Athanabal. narrat, Clotardum Regem ad inferos raptum, eò quòd Eccleſiaſticos coëgerit ad contributionem. Idem de Guilielmo Anglorum Rege narrat Edinus l. 2. Et de Pandulpho Principe Capuano Chronica Caſſinenſis l. 2. c. 62. Et Ludovicus II. Siciliæ Rex eandem ob cauſam in bello Neapolitano miſerè pe-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

riit. Et Ludovici Crassi filium (uti prædixerat S. Bernardus) similiter periisse refert Cagninus l. 6. Et Carolus Magnus Capitulari 8. (inter Capitularia Benedicti Levitæ l. 7. c. 132.) *Novimus* (inquit) *multa regna, & Reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias exspoliaverunt, resque earum vastaverunt, abstulerunt, vel diripuerunt .... & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt, sed terga multi vulnerati, & plures interfecti verterunt, regnaque & regiones, & quod pejus est, regna cælestia perdiderunt, &c. Quæ omnia vetantes, nec talia facere, nec consentire, nec infantibus aut successoribus nostris exemplum dare volumus.*

446 Gregorius Turonensis l. 4. Histor. Franc. c. 2. de Clothario sic loquitur: *Clotharius Rex indixerat, ut omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum fisco solverent. Quod, licèt inviti, cùm omnes Episcopi consensissent, atque subscripsissent, viriliter hoc B. Injuriosus* (Episcopus Turonensis) *subscribere dedignatus est, dicens: Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet: quia iniquum est, ut pauperes quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea impleantur. Et iratus contra Regem, nec valedicens, abscessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem B. Martini, misit post eum cum muneribus, veniam precans, & hoc quod fecerat damnans, simulque rogans, ut pro se virtutem B. Martini Antistitis exoraret.*

447 Baronius quoque ad annum 850. observat, Francorum tunc quidem enituisse robur, cùm in Regibus cultus pietatis excelleret; elanguisse, cùm defecit, & Ecclesiæ sunt prostitutæ Laïcis; quorum reditibus non sunt illi roborati, vel erecti; sed enervati, penitusque depressi. Luxerunt ista, & aperuerunt ea Principibus ipsi Reverendissimi Patres in Meldensi Concilio, & ad putridum vulnus opportuna apposuere remedia: sed recusavit ille (Carolus Calvus) ea omnia suscipere. Unde justo Dei judicio factum est, ut qui latas à SS. Patribus leges suscipere renuit, à Northmannis coactus sit durissima suscipere jura; & qui Ecclesiastica bona Laïcis tradebat, coactus sit sua largiri Northmannis. Sed sicut nulla secuta est emendatio in Rege, ita non quievit Northmannorum flagellum in manu Dei.

448 Ex his consequitur, omnia Laïcorum statuta & consuetudines contra Ecclesiasticam immunitatem, omnes etiam privilegiorum, exemptionumque Ecclesiis, & Ecclesiasticis concessorum & concessarum revocationes, à Laïcis Principibus, absque Ecclesiæ consensu factas, esse nullas. Idque Cosmas Guimenus, in Senatu Parisiensi Consiliarius, & Enquestarum Præses, in Præfatione Pragmaticæ Sanctionis §. *cùm itaque*, verbo *libertatis*, utriusque Juris authoritate probat, monstratque hujusmodi statuta servantes, aut servari facientes, in excommunicationem incidere, eâque, ob diminutam & subtractam Ecclesiæ jurisdictionem, innodatos esse infinitos Judices. Ac deinde subjungit: " Cùm " autem Rex Franciæ sit Pugil Ecclesiæ, & " inter omnes Christianos Christianissimus, de- " bet custodire jurisdictiones & libertates Ec- " clesiasticas; sed Officiarii ejus in multis ho- " die turbant Ecclesiam in prædictis, ita quòd, " nisi Deus providcat, tandem jurisdictio, & " libertas Ecclesiæ evanescat. " Et *hic abusus* (inquit Rebuffus super procœmio concordatorum, verbo *humanas*) *multos deducet ad inferos.*

Quod ideò dicit, quia ex nimia remissione Sacerdotalis vigoris, secutaque inde nimia Regiorum Officiariorum usurpatione, factum est, quòd nimium Laïcali jurisdictioni tributum, & parum Ecclesiasticæ jurisdictioni atque immunitati in Gallia sit relictum, uti Authores plerique Galli deplorant, experientiaque rerum magistra demonstrat. Varias quidem ad excusandos abusus illos rationes prætexunt noviores quidam Scriptores; sed earum imbecillitatem manifestat Author Tractatûs de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ l. 11. & 12. per totos. 449

§. 7.

Dum in publicis patriæ necessitatibus Clerus, aliique Regulares contribuunt, Religiosi Mendicantes per amplissima Summorum Pontificum ac Principum Privilegia à contribuendo cum cæteris exempti sunt.

ID de Carmelitis constat ex Bulla Sixti IV. *dum attenta* (quæ est mare magnum Ordinis nostri) ubi sic: *Motum proprium Innocentii IV. Clementis IV. & Innocentii V. & Alexandri IV. per quem dicti Ordinis Professoribus B. Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli conceditur, quòd ad solutionem collectarum seu exactionum quarumlibet, vel vigesimæ, cogi à nemine valeant .... ad quæcumque bona dictorum Fratrum, & quæcumque onera, qua etiam sub censuris alterius quotæ, vel subsidii, etiam charitativi, aut datii, vel pedagii, vel gabellæ, seu alio quovis nomine indicerentur, etiam per Apostolicæ Sedis Legatos, locorum Ordinarios, vel Clerum, aut populum, seculares Principes, & Dominos temporales, & alios quoscumque exigerentur, quâvis etiam Apostolicâ authoritate, necnon ad quascumque decimas, etiam quas vulgus Papales appellat, & Apostolica Sedes pro Christianæ fidei defensione, aut aliis imminentibus necessitatibus persæpè indicit, extendimus, ac decernimus, dicti Ordinis Professores, etiamsi decimæ, & onera hujusmodi per quoscumque exemptos, etiam Mendicantium Ordinum Professores, solvi mandarentur, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus & insolitis clausulis, ad decimarum & onerum hujusmodi solutionem non teneri, &* 450

in eorum solutione cessando, censuras, & pœnas aliquando non incurrere, nisi præsentibus, non per generales, aut alias clausulas, specialem mentionem non importantes, sed alias sit derogatum specificè, earum de verbo ad verbum inserto tenore.

451 De Augustinianis idem constat ex Bulla Alexandri IV. *quantò studiosiùs*, in qua n. 6. sic: *Indulgemus, ut ..... ad solutionem collectarum, seu exactionum quarumlibet, vel vigesimæ, cogi à nemine valeatis per litteras Apostolicas impetratas, vel etiam impetrandas, absque mandato Sedis Apostolicæ speciali, faciente plenam & expressam de verbo ad verbum de vobis, vestro Ordine, & hac indulgentia mentionem.*

452 De Prædicatoribus idem constat ex Bulla Julii III. *in sacra*, in qua innovat, & ex certa scientia approbat, observarique jubet *concessa per Sixtum, Leonem X. Clementem VII. & Paulum III. privilegia, immunitates, exemptiones .... ab omni impositione, collecta, decima, etiam Episcopali, subsidio .... necnon datiis, pedagiis, gabellis, & quibuscumque aliis gravaminibus, per Sedem Apostolicam pro tempore impositis*, vultque eos gaudere *omnibus & singulis privilegiis, exemptionibus, & gratiis, quibus aliorum quorumcumque Ordinum Mendicantes, etiam Minores, & de Observantia nuncupati, ac Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, &c. quomodolibet .... concessis.*

453 Minoribus idem anno 1474. concessit Sixtus IV. in Mari magno ipsorum. Et Minimis Julius II. in Bulla *virtute conspicuos* n. 40. cum hac clausula: *Etiamsi in ejusmodi Sedis litteris contineatur, quòd ad quævis exempta, vel non exempta, seu Monasteria se extendant.* Et Patribus Societatis Paulus III. in Bulla *licèt debitum*, cum clausula quòd compelli non possint ad contribuendum, ne quidem per litteras Sedis Apostolicæ, nisi dictæ litteræ impetrandæ, plenam & expressam de ejusmodi indulto, ac concessione de verbo ad verbum, & de eorum ordine fecerint mentionem. In Bulla etiam *dilecti filii* Pius IV. eximit PP. Societatis à *quibusvis decimis, etiam papalibus .... subsidiis etiam charitativis, & aliis ordinariis oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defensione patriæ, ac aliàs quomodolibet, etiam ad Imperatorum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, &c. etiamsi in illorum impositione caveatur, quòd nulla prorsus exemptio cuiquam adversus illa suffragetur: ita quòd Societas, ejusque Domus, Collegia, fructus, res, & bona præfata, semper ab illis, absque declaratione desuper facienda, exempta sint, & esse censeantur, perpetuò liberamus, & eximimus.* Quod Gregorius XIII. confirmavit in Bulla *Pastoralis officii* anno 1578.

454 Insuper Julius III. 5ª. Augusti 1552. in Bulla *ad futuram rei memoriam*, expedita ad instantiam Caroli V. pro expeditione contra Turcas, ad contributionem obligat omnes exemptos, etiam Ordinum quorumcumque, sed Mendicantes excipit: *Nos attendentes præmissa non minùs Clericos quàm Laïcos concernere, & propterea volentes eidem Carolo Imperatori etiam aliquid de fructibus Ecclesiasticis ad hujusmodi tam necessarium opus contribui, motu proprio & certâ scientiâ, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, subsidium medietatis omnium & singulorum fructuum, reddituum, & proventuum .... Ordinum quorumcumque, NON TAMEN MENDICANTIUM, authoritate, & tenore præmissis imponimus.* Quod & eodem tenore, & cum eadem exceptione, NON TAMEN MENDICANTIUM, fecit Clemens VII. 3. Novembris 1532. & Paulus III. anno 1544. Bullâ *ex debito pastoralis.*

455 Denique Pius V. anno 1566. omnes Ordinum Mendicantium Fratres, & Sorores sub illorum cura viventes, eorumque bona, à quibusvis gabellis, contributionibus, & onere hospitandi milites non solùm eximit in Bulla *dum uberes* 11. apud Cherubinum, sed & in Bulla *etsi Mendicantium* apud Cherubinum VII. sic ait: *Inhonestum quoque censentes, Mendicantium Ordines ad aliquorum onerum contributionem teneri, illos, illorum loca, etiamsi animarum curam habeant, ac quæcumque beneficia illis unita, ad contributionem Seminarii, aut decimarum aliquarum solutionem; imò & illos, & eorum Domos, Monasteria, beneficia, & loca quæcumque, ut ab illis quomodocumque dependentia, eorumque possessiones, vineas, agros, & prata, ac alia bona quæcumque, tam ad ipsos, quàm ad Moniales præfatas .... quomodolibet pertinentia, minimè teneri, illos & illas à quibuscumque decimis, primitiis, quartis, mediis, & aliis fructuum partibus, necnon subsidiis charitativis, etiam per nos concessis, ad quorumcumque, etiam Regum, Principum, & Dominorum temporalium instantiam, quâcumque, etiam urgentissimâ, & de necessitate exprimendâ causâ, ac etiam aliis quibuscumque oneribus, tam ordinariis, quàm extraordinariis .... etiam authoritate Apostolicâ, nunc & pro tempore impositis, ita ut penitus & omnino ad alicujus rei contributionem minimè teneantur, omninò eximimus, & liberamus, illosque & illas, etiamsi sæculares, & aliæ personæ quæcumque in eas exigendi possessione fuerint, minimè teneri debere volumus.*

456 Istam quidem Pii V. Bullam Gregorius XIII. extravaganti *in tanta* revocavit quoad privilegia contraria Decretis Tridentini, sed non quoad exemptionem Mendicantium à contributionibus supradictis; utpote quæ Tridentino non adversatur, sed ei potiùs correspondet, ut notat Author Catechesis Neapolitanæ l. 5. c. 2.

457 Nec soli Romani Pontifices illa privilegia, & exemptiones Mendicantibus concesserunt, sed & Imperatores, Reges, ac Principes eadem approbaverunt, & ipsimet con-

cesserunt, eosdemque Mendicantes præ cæteris exemptos esse voluerunt.

458 Et Rex quidem Christianissimus anno 1609. in Februario, Ordinis Carmelitarum privilegia confirmavit. Quod in Parlamento verificatum & registratum fuit 23. Maii ejusdem anni. Successor verò ipsius anno 1614. in Februario ipsos declaravit exemptos ab omni subsidio, &c. imposito & imponendo. Quod pariter verificatum fuit 14. Martii proximè sequentis.

459 Similiter Ludovicus XIII. omnia Discalceatorum nostrorum privilegia approbavit anno 1635. in Augusto. Sicut & Ludovicus XIV. anno 1648. in Julio. Quod etiam in Parlamento verificatum fuit, cum hac clausula: *Voulons, & nous plaît, qu'iceux exposants soient déchargez & exempts, comme nous les déchargeons, de payer aucuns subsides, & impositions mises, ou à mettre, &c. nonobstant quelconques édits, ordonnances, défenses, & lettres à ce contraires, même celles qui comprennent les exempts, & non exempts, privilegiez, & non privilegiez, auxquelles, & à la derogatoire y contenuë, nous avons dérogé, & derogeons par ces dites presentes.* Idem Rex, eodem anno, in Decembri, eorumdem privilegia rursum confirmavit cum hac clausula: *Si donnons mandemens à nos.... ils fassent, souffrent, & laissent jouyr lesdits supplians, & leurs successeurs, pleinement, & paisiblement, cessans, & faissans cesser tous troubles, & empêchemens au contraire.*

460 Sed & aliàs sæpiùs à Christianissimis Regibus Mendicantes à contributionibus exempti fuerunt, scilicet anno 1649. in Julio & Septembri, anno 1653. in Decembri, anno 1654. in Septembri. Et anno 1658. declarati sunt exempti ab impositione super ingressu vini facta generaliter omnibus personis exemptis, & non exemptis, privilegiatis, & non privilegiatis, Ecclesiasticis..... etiam super vino destinato ad usum dictarum Domorum Regiarum, & Principum, &c. Cùmque anno 1662. Clerus, præsentatâ Regi contributione duorum millionum, taxasset quatuor Ordines Mendicantes ad summam 40000. librarum, sequenti anno 1663. in Maio per sententiam Regis, in judicio contradictorio, declarati fuerunt exempti: *avec défence au Receveur des decimes de faire aucunes poursuites à l'encontre d'eux, pour raison de ladite taxe, & aux Deputez de les comprendre à l'avenir aux Roolz desdites taxes.*

461 Denique anno 1671. motâ lite in Parlamento Tornacensi inter Dominicanos, & Scabinos Insulenses, sententia lata fuit ut sequitur: *Veu le differend d'entre le Prieur & Religieux Dominicains du Convent de la ville de Lille Demandeurs par requête du vingtiéme de Janvier dernier d'une part; les Eschevins, Conseil, & huit hommes de la même ville, Rescrikents d'autre. La Cour, ouy le rapport du Commis, faisant droit par son jugement, & arrêt, a dit & declaré, dit & declare, que les termes des octrois, dont est question, ne comprennent les Demandeurs, & suivant ce, qu'iceux ne sont soûmis au payement des impots y repris & denommez. Condamnant les Défendeurs és dépens. Fait au Conseil Souverain de Tournay le 24. Octobre 1671. étoit soubsigné Bernoel avec son paraphe.*

Nec minor fuit Catholicorum Regum, 462
& Principum in Mendicantes Ordines pietas, quàm Regum Christianissimorum. Nam 1°. Henricus Dux Lotharingiæ, Brabantiæ, &c. anno 1249. in vigilia Pentecostes FF. Prædicatores à tributis & contributionibus exemit, ad Scoltetam Antuerpiensem sic scribens: *Cùm non deceat Christi servos Principum terrenorum subjacere tributis, qui jugum Dominicum susceperunt..... hoc insuper concedentes, ut sigua alia à dictis Fratribus, in domibus, vel in hortis, sive etiam aliis quibuscumque possideantur, consimili gaudeant libertate.*

2°. Philippus Dux Burgundiæ, Lotha- 463
ringiæ, Brabantiæ, &c. 15ª. Martii 1457. approbavit, & confirmavit omnes & singulas prærogativas, indulta, libertates, exemptiones, aliasque gratias & concessiones, quas sanctissimus Dominus ipsis indulsit.

3°. Philippus Archidux Austriæ, Dux 464
Burgundiæ, Brabantiæ, &c. 18. Decembris 1494. *Nous avons reçû la supplique des Prieur & Religieux de la Maison de Dieu des PP. Carmes de la ville de Bruxelles, contenant que la même Maison est une des quatre Ordres Mendiants, par raison, droit, & privileges Imperiaux, & qu'à ce sujet elle doit être libre, & exempte de toute gabelle, & autres impositions, & que tous ceux qui sont en cette pacifique possession, doivent être maintenus en leurs privileges. Nous leur accordons encore la même chose, avec deffence à tous nos Gouverneurs, Présidents, & Officiars de ne souffrir que leur soit fait aucun trouble ou empêchement, ains au contraire de leur porter toute faveur & assistence.*

4°. Idem Philippus 15. Julii 1504. in lit- 465
teris ad Cancellarium contra Magistratum Bruxellensem scripsit ut sequitur: *Pourquoy, tres-chers, & bien-aimez, & que les Religieux des Ordres Mendians ont toûjours accoutumé de jouyr des franchises & libertés de toutes assises, maltotes, & gabelles, en tous nos Païs & Seigneuries, nous écrivons devers vous, & vous requerons, & neantmoins mandons bien expressement, & à certes, que lesdits Religieux, Prieurs & Convents, vous entretenez, & faites entretenir en leurs droits, libertez, & franchises desdites assises, maltotes, & gabelles, tant à cause de leur beuvrage & moulure, qu'autres provisions necessaires pour la sustentation, & dépense de leurs Convents, sans au contraire leur souffrir faire aucun destourbier ou empêchement en maniere quelconque.* Ubi insuper man-

dat, in casu litis, interim dari Mendicantibus provisionem.

466 5°. Cùm exactores impositorum super vinum, cervisiam, & esculenta, Gandavi molestarent Dominicanos & Carmelitas, lite desuper motâ coram Magistratu in judicio contradictorio 17. Aprilis 1520. declarati sunt exempti. Sicut & rursum ibidem Carmelitæ & Augustiniani 30. Septembris 1547. in lite contra exactores impositionum super carnes.

467 6°. Status Brabantiæ anno 1536. cùm cæteros omnes comprehendissent in lista contributionum super vinum, cervisiam, &c. solos quatuor Ordines Mendicantes exceperunt.

468 7°. Regina Hispaniarum Bruxellis existens 8. Octobris 1526. à subsidio nomine Suæ Majestatis Imperialis petito à Statibus Generalibus, declaravit illud quidem solvendum ab omnibus, etiam exemptis, exceptis quatuor Ordinibus Mendicantibus : *Lequel impôt se leveroit indifferemment sur chacun de quel état, ou condition qu'il fût, exempt, & non exempt, sauve les quatre Ordres Mendiants.*

469 8°. Carolus V. Imperator 24. Octobris 1552. & Philippus II. Hispaniarum Rex, 11. Aprilis 1559. placetaverunt, & confirmaverunt exemptiones, quas Julius III. in Bulla num. 452. relata sub ampliſſima forma Prædicatoribus concessit, quasque aliis Ordinibus Mendicantium alii Pontifices concesserunt.

470 9°. Cùm in cathalogo contributionum anno 1591. solùm exciperentur Minoritæ, & qui ex incertis eleëmosynis, sine bonis, & reditibus vivunt, Dominicani, Carmelitæ, & Augustiniani, oblato Brabantiæ Ordinibus libello supplici, & ipsi excepti fuerunt, impetratâ hâc apostillâ : *Quia supplicantes vivunt ex incertis eleëmosynis, consentiunt Domini Statuum, quantum in ipsis est in dispositiva suæ supplicæ : ordinantes Receptori Van Leuven, ut huic sese conformet. Actum Bruxellæ 10. Decembris 1591.* Signatum erat *J. Vivosius*

471 10°. Consilium Flandriæ in favorem exemptionis Dominicanorum, supplicantium contra quatuor Membra Flandriæ, hanc tulit sententiam 21. Julii 1592. *Le tout vû, mêmement la rescription de Sa Majesté, dâtée du 10. de ce mois, avons ordonné, & ordonnons par cette aux Defendeurs, & leurs Fermiers, de ne molester les Supplians à cause des impositions mentionnées en leur dite requête, à cause de leur consomption raisonnable, ensemble de à iceux restituer tout ce qu'à icelle cause ils ont sur eux executé, ou autrement reçû.* Quæ sententia post appellationem confirmata fuit in Supremo Consilio Mechlinienſi 23. Septembr. 1593.

472 11°. Eodem anno 1593. 24. Februarii Philippus II. ad Comitem Mansfeldium, Belgii Gubernatorem, scripsit ut sequitur : *Mon cousin, pour ce que de la part des quatre Ordres Mendians, en nos Pays d'embas, m'a été remontré qu'en conformité des SS. Canons, & Constitutions Apostoliques, tout Ordre des Religieux, & particulierement des Mendians, sont exempts de toutes impositions, gabelles, assises, exactions, & aides, & que feu de tres-sainte memoire l'Empereur mon Seigneur & Pere (qui soit en gloire) auroit ordonné le même, & que du depuis en auroit été fait confirmation par moy : mais que nonobstant ce que dessus, les Officiers de mes quatre Membres de Flandres demandoient avec rigueur, & faisoient payer auxdits Ordres Mendiants toutes impositions, assises, & aides, en la maniere qu'elles sont levées des personnes laïques. J'ay été meû de vous faire la presente, à ce que vous faisant apparoir de ce qu'est allegué par lesdits Supphiants, vous ordonniez être observé, sans aucune infraction, ce que par Sadite Majesté Imperiale, & par moy a été declaré & ordonné audit endroit, envoyant icy copie de ladite declaration, & qu'au surplus vous ayez en recommandation tout ce qui concernerois lesdits Ordres Mendiants, pour les grands fruits qu'ils font par leur bonne vie, prieres, & predications, en regard de mes sujets de par delà, &c.*

12°. Archidux Albertus 3. Novembris 473
1596. tunc Cardinalis, & Belgii Gubernator, in litteris scriptis ad quatuor Membra Flandriæ, dicit : *Qu'il luy est apparu, que les Ordres Mendians sont notoirement francs de semblables exactions, tant selon le droit, qu'en vertu de la pratique, & observation du Comté de Flandre, comme a été declaré par arrest du 25. Septembre 1593. de la Cour du Parlement de Malines, confirmatoire de la sentence sur ce donnée au Conseil Provincial de Flandre le 21. Jullette 1592.*

13°. Serenissimi Archiduces, Albertus & 474
Isabella, 20. Octobris 1599. ad Magistratum Bruxellensem scripserunt ut sequitur : *Chers & bien-aimez, de la part des Prieurs & Religieux de l'Ordre S. Dominic, en cette notre ville de Bruxelles, nous a été remontré, que nonobstant la franchise & exemption à eux accordée, tant par feu de tres-haute memoire le Roy notre tres-honoré Seigneur & Pere (que Dieu absolve) que de ses predecesseurs, vos Fermiers les pretendent assujettir aux tailles, assises, & impôts, qui se levent en cette notre dite ville de Bruxelles. Et étant notre intention qu'à chacun soit gardé & maintenu ce que justement lui appartient ; nous faisons la presente, vous ordonnant qu'ensuite des susdits privileges accordez auxdits Religieux, vous ayez à donner ordre qu'ils ne soyent plus avant molestez, ni inquietez pour le fait desdites tailles, assises, & impositions, ains les tenir, & faire tenir francs & exempts, cessants tous contredits & empêchemens au contraire, attendu qu'ils sont des Ordres Mendians, qui vivent principalement*

des aumônes, & charitez des bonnes gens, &c.

475 14°. Iidem Archiduces in sua declaratione, Generalibus Ordinibus factâ 14. Octobris 1600. cùm in solvendo subsidio comprehenderunt omnes omninò privilegiatos, Ecclesiasticos, & sæculares (de consensu ipsorum) etiam aurei velleris Equites, Episcopos, Archiepiscopos, cæteroique omnes, exceptis personis Suarum Celsitudinum, &c. Nihilominùs addiderunt, de cætero sibi persuasum esse, quòd dicti Ordines non prætenderent comprehendere in ista generalitate quatuor Ordines Mendicantes, Religiosos Societatis, & Capucinos, qui omnes plus indigent subsidio, quàm onere.

476 15°. Consequenter ad istam declarationem, Deputati Generales Artesiæ eodem anno 1600. in impositione centesimæ comprehenderunt privilegiatos omnes, ut suprà, exceptis quatuor Ordinibus Mendicantium, & PP. Societatis, & Capucinis, ut constat ex impressis 1600. & 1601. signatis Desfion.

477 16°. Rursus iidem Archiduces in litteris patentibus 15. Novembris 1613. in favorem & ad instantiam quatuor Ordinum Mendicantium sic habent: *Nous a été remontré & exposé, comme nos predecesseurs, de tres-haute memoire, pour la grande & singuliere devotion qu'ils portoient auxdits Ordres, à l'honneur & reverence de Dieu, & exaltation de son saint service, auroient dez tout temps été affectionnez & favorables vers lesdits Remontrans, & fait tous bons offices pour les faire vivre en leur sainte Observance, & maintenir és privileges, exemptions, immunitez, & autres graces, à eux concedées & octroyées, tant par le saint Siege Apostolique, que par nosdits predecesseurs, & specialement par feux de tres-haute memoire l'Empereur Charles V. & le Roy Philippe II. de ces noms, nos tres-honorez Seigneurs, & Pere grans, & Pere (auxquels Dieu absolve) qui auroient à cette fin concedé plusieurs lettres patentes en faveur desdits Remontrans, & enjoint par icelles bien expressement à tous Officiers de les faire & laisser jouyr & posseder pleinement, & paisiblement de leurs privileges, exemptions, immunitez, & autres graces susdites, sans que personne, de quel état ou condition qu'il fût, Ecclesiastique ou seculiere, se puisse avancer de en ce leur donner aucun empêchement, ou d'entreprendre sur iceux par connoissance de justice, ou en quelque autre maniere; mais que chacun s'employeroit à les aider, avancer, & favoriser en toutes choses, que besoin seroit, pour toujours les maintenir en leur dite sainte Observance. Nonobstant quoy plusieurs se seroient avancez, & ne cessent encore journellement de leur donner empêchement, & faire plusieurs molestations, sans permettre qu'eux, ni leurs sujets, tant Freres, que Sœurs, jouyssent des graces, privileges, & libertez susdits. Sçavoir faisons que les choses susdites considerées, inclinant favorablement à la requête & supplication desdits Peres Supplians, nous avons pour l'honneur de Dieu, & l'exaltation de son saint nom & service, agreé, ratifié & approuvé, agréons, ratifions & approuvons de grace speciale par la presente, l'élection qu'ils ont fait le 29. jour de Septembre dernier dudit Dam Robert, Abbé de Villers, pour être Conservateur & Defenseur de leurs personnes, sujets & suppots, de leurs privileges, droits, biens, exemptions, & immunitez quelconques, en luy donnant, tant qu'en nous est, pouvoir & mandement special, de faire tout ce qu'un bon Conservateur des privileges, & autres droits susdits peut, & doit faire, selon & suivant les privileges concedez & accordez aux Suppliants, & leurs sujets & suppots, tant par le S. Siege Apostolique, que par feux nosdits Predecesseurs, & autrement, avec congé & licence de pouvoir faire mettre à duë execution, en & par tous nos Pays de par deça toutes telles Bulles Apostoliques, & autres lettraiges, & enseignemens, que lesdits Supplians peuvent avoir concernant leursdits privileges, & autres leurs droits, & exemptions quelconques, & user d'iceux in forma juris, selon & suivant nos Ordonnances sur ce faites, & à faire sans plus. Auquel effet nous avons ratifié, confirmé, & approuvé, ratifions, confirmons, & approuvons de notre plus ample grace, par cesdites presentes, tous les privileges, graces, & concessions desdits mentionnées, desquelles lesdits Suppliants ont duement, & paisiblement joüy & usé du passé, prenant, & mettant iceux Suppliants, & generalement tous & quelconques leurs sujets, & suppots, avec leurs Eglises, Convents, Cloitres, Maisons, & autres edifices, ensemble tous & quelconques leurs biens, meubles & immeubles en notre protection & sauvegarde speciale.*

Si donnons en mandement à nos tres-chers & feaux les Chefs Presidents, & Gens de nos Privé & Grand Conseils; Chancelier & Gens de notre Conseil en Brabant; Gouverneur, President, & Gens de notre Conseil à Luxembourg; Gouverneur, Chancelier, & Gens de notre Conseil en Geldres; President, & Gens de notre Conseil en Flandres; Grand Bailly de Haynau, & Gens de notre Cour à Mons; Gouverneur, President, & Gens de nos Conseils d'Arthois, & de Namur; Gouverneur de Lille, Douay, & Orchies; Prevôt le Comte à Valenciennes; Bailly de Tournay & du Tournesis; Escoutettes de Malines; & à tous nos Lieutenants, Chefs, Capitaines, & Officiers de Gens de guerre, tant de cheval, que de pied, & à tous autres nos Justiciers, Officiers, & Sujets, qui ce regardera, que lesdits Suppliants Freres & Sœurs, sujets & suppots, leurs Convents, Cloitres, Maisons, & biens meubles & immeubles, ils ne foulent, logent, travaillent, ou endomagent en aucune maniere, ains les gardent, défendent, & preservent des logemens, & de toutes foules, oppressions, inquietations, molestations, & de quelconques autres nou-

vellitez induës, & ne permettent, ny souffrent être pris en leursdits Convents, Cloitres, ou Maisons, aucuns vivres, ou autres provisions pour la nourriture des gens, ou chevaux, sans les payer raisonnablement, gardent & maintiennent, fassent garder & maintenir en leursdits privileges, graces, exemptions, & immunitez à eux octroyées, tant par le saint Siege Apostolique, que par nosdits Ancêtres, & autrement, lesquels avons par cesdites presentes aggreé, ratifié, & approuvé, selon que dit est, &c.

Et si aucune chose étoit faite, ou attentée au contraire, qu'ils la fassent promptement reparer, & remettre au premier & deu estat, procedans, & faisant proceder les transgresseurs & desobeissants par l'execution de la peine susdite, sans aucun port, faveur, ou dissimulation. Car ainsi nous plaît-il.

478 17°. Consilium Mechlinienſe 2. Maii 1650. in causa litis inter Dominicanos, Carmelitas, & Augustinianos Gandavenses, ex una parte; necnon Magistratum, & Consilium ejusdem civitatis, ex altera parte, circa impositiones super caminis, per sententiam declaravit, dictos Religiosos liberos & exemptos, quod spectat ad caminos Conventuum suorum.

479 18°. Consilium Privatum 20. Junii 1652. decretum tulit, quo Patres Societatis Tornacenses exemptos declaravit à nova impositione trium florenorum ad singula dolia vini; sicut iidem exempti sunt ab impositionibus antiquis ejusdem civitatis: *Sa Majesté, ce que dit est consideré, & eu l'avis des Prevots, Jurez, Mayeur, & Eschevins de la ville & cité de Tournay, declare que lesdits de la Compagnie de Jesus sont affranchis & exempts de nouveau impost de trois florins mis par octroy de Sadite Majesté, sur chaque piece de vin, qui se déchargeront, ou consommeront en ladite ville de Tournay; ainsi que lesdits de la Compagnie sont francs & exempts des autres anciennes assises d'icelle ville. Fait à Bruxsel le 20. Juin 1652.* In cujus decreti narrativa, continente expositionem dictorum Patrum, fit mentio decreti Serenissimi Principis Parmensis Alexandri Farnesii, de 9. Junii 1592. tunc Belgii Gubernatoris, quo mandat Consilio Privato, ut provideat, quatenùs Exponentes fruantur immunitate per ipsos Bruxellis requisitâ. Item declarationis Sereniſſimorum Archiducum de 21. Maii 1621. quo Patres Societatis exempti declarantur ab impositione quindecim assium super caminis. Item declarationis Dominorum de Financiis, de 14. Junii 1598. in absentia Cardinalis Infantis, quâ nomine Suæ Majestatis declaratur, non fuisse suam, nec Suæ Majestatis intentionem, dictos Patres comprehendere in impositionibus, sed ipsos frui debere antiquis suis privilegiis, quibus hactenùs fruiti sunt.

480 19°. Idem Consilium Privatum 9. Novembris 1667. in favorem Mendicantium Valencenensium contra Magistratum rescribentem, statuit ut sequitur: *Veû cette reſcription, Sa Majesté la commuane en réponce, ordonne qu'elle soit montrée aux Opposans, pour y dire, permettant cependant aux Supplians par provision, & jusques à ce qu'autrement soit ordonné, de jouyr de l'exemption de 13. pattars sur le grain brayſé, y mentionné soub notte à tenir. Fait à Bruxelles le 5. de Novembre 1667. Paraphé V. Piet, & signé Van Aelen.*

20°. In contributionibus Statuum Belgii, 481
contributionumque cathalogis, Mendicantes Ordines semper fuerunt exempti, ut videre est in cathalogo anni 1601. articulo 68. in cathalogo anni 1619. art. 20. in cathalogo anni 1632. articulo 31. in cathalogo anni 1639. art. 101. Sufficiet referre verba articuli 68. anni 1601. *Item de cette imposition personne ne sera affranchi, ny exempt, de quelle condition, qualité, ou état qu'il soit, Eccleſiaſtique, ou seculier, privilegié, ou non privilegié, noble, non noble, homme de guerre ou autres, reſervez tant seulement les Personnes de Leurs Altezes, & Familles, étant en leur dépense, pour autant ce seulement qu'ils dépenseront à la Cour, & avec ce les quatre Ordres Mendians.*

Tempore quidem Leopoldi Archiducis 482
13. Julii 1648. appositа fuit ista clausula: *Declarans que nuls mannans de ladite Province (de Flandre) Eccleſiaſtiques, ou seculiers, ny même point des Ordres, ou autres possedans biens ou rentes, ne seroient exempts des charges imposées ou à imposer, pour le furniſſement de ladite ayde, & subside extraordinaire.* Sed ei se opponentes quatuor Ordines Mendicantes, recursum habuerunt ad Regem, à quo pro justitia remissi ad Supremum Consilium Mechlinienſe, hanc obtinuerunt sententiam definitivam: *Nous à meure deliberation du Conseil, faisants droit, avons declaré, & par cette nôtre sentence definitive, & arreſt, declarons lesdits Eschevins (de Gand) aux executoriales requises par leur dite requête du 8. Juin 1648 à charge desdits (Dominicains, Carmes, & Augustins) suppliants origineles, non recevables, ny fondez.*

Cùmque Magistratus Bruxellensis ab eo- 483
dem Leopoldo 29. Octobris 1655. subreptitiè impetrasset comprehensionem Mendicantium in quodam donativo, statim post meliorem informationem, post varias Magistratus tergiversationes 17. Decembris 1658. decrevit ut sequitur: *& cependant, & jusques à ce que, vôtre reſcription veüe, autrement soit ordonné, vous aurez à vous conformer à l'ordonnance du 21. Novembre dernier (quæ erat tenoris sequentis: Vous ordonnons cependant, & jusques à ce que vôtre reſcription veüe, autrement soit disposé, de livrer aux supplians billets francs pour le braye qui feront moudre, soub simple notte) & ensuitte laiſſer & faire suivre auxdits Mendians les billets requis pour braſſer, francs & libres, soub notte, que vous en tiendrez, &*

promesses que feront ceux desdits Ordres Mendians, auxquels ce toucherat, d'en payer la portée au cas qu'ils y soyent cy aprés adjugez. Sicque cessante lite, manserunt liberi.

484 Enimverò rationes, quæ moverunt SS. Pontifices Clementem VII. anno 1532. Paulum III. anno 1546. Julium III. anno 1552. ad requisitionem Caroli V. necnon Gregorium XIII. anno 1566. & Sixtum V. anno 1586. ad requisitionem Caroli Borbonii, ad excipiendum Religiosos Mendicantes in illis etiam publicis, & maximis necessitatibus, in quibus alii omnes, etiam Regulares quorumcumque aliorum Ordinum, comprehenderentur, eædem movere debent Reges, Principes, & Status, ad excipiendum eosdem in illis etiam publicis, & maximis necessitatibus, in quibus alii omnes, etiam Regulares, &c. comprehenduntur. Inhonestum quippe est illos gravare, qui cùm ex mendicitate, & eleëmosynis vivant, magis indigent subsidio, quàm gravamine, prout Sereniſſimi Archiduces Albertus & Isabella suprà n. 475. Belgii Status monuerunt. Quamvis enim communis sit causa contributionis, non est communis status & possibilitas contribuendi, quodque in causa illa communi Mendicantes non contribuunt in nummis, contribuunt in spiritualibus officiis, populo Christiano redditis, sicut & in precibus, & sacrificiis, aliisque operibus piis, vitæque austeritate, quibus in publicis necessitatibus à Deo cæleste promerentur auxilium, quo regna, & provinciæ non minùs, imò magis indigent, quàm militibus, & armis. Quia nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. Et oratione Moysis Amalecitæ victi fuerunt, & Philistini oratione Samuelis, magis quàm armis Israëlitarum, ut videre est Exodi 17. & 1. Reg. 7. Orationeque & pœnitentiâ Judith Bethulia ab obsidione liberata est, & Holofernes decollatus, Judith 9. & seqq. Denique David, Ezechias, Josias, Asa, Neemias, Machabæi Rempublicam sacrificiis, precibus, atque operibus bonis feliciorem reddiderunt, quàm armis. Ipseque Plato (licèt ethnicus) l. 1. de leg. ingenuè confessus fuit, Rempublicam sine ope divini Numinis regi non posse. Et qui effutiunt, eam econtrà magis indigere pecuniâ, quàm precibus, loquuntur linguâ blasphemum magis atheismum sapientes, quàm Christianismum.

485 Et quamvis aliqui Conventus Mendicantium reditus habeant, certè non omnes habent, & qui habent, attento Religiosorum numero, hospitum, & fundationum onere, tam modicos habent, ut in considerationem venire non possint, apud eos qui seriâ meditatione pensant, quòd Religiosorum Mendicantium plerique, ex honestissima familia progeniti, in sæculo hæreditatem reliquerint, ut crucem post Jesum portarent, seque totos post orationis horas darent obsequio populi in concionibus, confessionibus, Sacris quotidianis, infirmorum visitationibus, nocturnis ac diurnis, Parochorum auxiliis, &c. quibus honestas non patitur, post hæc omnia, per contributionis onus subtrahere necessaria ad honestum victum, & vestitum, honestamque intertinentiam ædificiorum suorum, sacrorumque ornamentorum, ipsosque deterioris conditionis efficere, quàm sint nobilium famuli, qui victum & amictum habent sine mendicatione, nec habent sarta tecta Templi & Monasterii, necessariaque Sacristiæ intertinenda, & à dominis suis, pro victu, vestitu, & salario quotannis accipiunt circiter 150. florenos, quos dicti Religiosi cum omnibus reditibus suis, & ordinariis eleëmosynis, in singula capita non habent; ideòque ut supradicta necessaria habeant, vivere debent ex salario Missarum quotidianarum, quæ unà cum eleëmosynis, tantò magis deficiunt, quantò major est necessitas seu inopia populi, ideòque Religiosi illi tunc magis indigent sublevamine, quàm gravamine.

Propterea ergo SS. Pontifices inhonestum 486
censuerunt, Mendicantium Ordines ad aliquorum onerum contributionem teneri. Propterea voluerunt, ut insigniori præ cæteris exemptione fruerentur, nec in contributionibus comprehenderentur, etiam dum nullus cæterorum excipieretur. Propterea denique nec nunc in Edictis Principum censendi sunt includi, dum contributionem imponunt omnibus, etiam privilegiatis, & non privilegiatis, Religiosis, & non Religiosis. Quia Mendicantes non comprehenduntur sub communi Religiosorum nomine. Nec enim generalis dispositio complectitur privilegio insignes (ait Diodorus Tuldenus de Jurisprud. extempor. lib. 1. c. 1.) si modò prærogativam habeant in ea re, de qua generalis dispositio loquitur. L. *in fraudem* §. ult. de milit. testam. Mendicantes verò, in re de qua agitur, prærogativam habere insignioris privilegii, ideòque specialiter exprimendos esse, perspicuum est ex allatis privilegiis SS. Pontificum, & Principum, quibus eos voluerunt exceptos, etiam tunc dum cæteri Religiosi, etiam exempti, non exciperentur.

Et quia ex præmissis constat, Mendican- 487
tes semper à Principibus fuisse exauditos, immunesque declaratos, postquam in catalogo contributionum specificè comprehensi, ad ipsos recursum habuerunt, suasque ipsis rationes, & privilegia specialia exposuerunt: eò quòd utique comprehensionem illam Principes, omnibus maturè perpensis, non satis honestam & civilem judicaverint. Siquando Magistratus impetrarent à Principibus litteras specificam facientes mentionem Mendicantium, in solutione contributionum, illæ habendæ sunt tamquam inciviles, & subreptitiè extortæ, & ut tales impugnan-

dæ, & à Judicibus declarandæ, juxta cap. 2. & 20. de reſcriptis, cap. *tuæ fraternitatis* de Præsbyt. L. 7. Cod. de precib. Imper. offer. L. 1. 2. & ult. Cod. *ſi contra jus vel util. publ.* L. ult. Cod. de diverſ. reſcript. & L. 1. Cod. de petit. bon. ſublat. L. 10. Ut enim Imperator ibi dicit: *per importunitatem non concedenda ſæpè concedimus.*

488 Et ideò Chriſtianiſſimi Reges Philippus VI. Carolus V. Ludovicus XII. & Franciſcus I. (ut videre eſt in additionibus ad praxim Umberti c. 3. litt. E.) diſtrictè prohibuerunt Judicibus obtemperare litteris Regis, ſi civiles, & rationabiles non fuerint. Quod ante prohibuerat Carolus VII. in edicto anni 1453. articulo 66. tenoris ſequentis: *Item comme pluſieurs ſouventefois obtiennent de nous & de nos Chanceleries pluſieurs lettres, mandemens, & impetrations par importunité des Requerans, & autrement, pourquoy les parties ſont ſouventefois miſes en grandes involutions de procez, & pluſieurs fois les bons droits des parties retardez, & empêchez; & doubtent ſouventefois les Juges de donner appointement contre nos lettres, combien qu'elles ſoient inciviles & deraiſonnables: Nous voulans obvier à ces inconveniens, avons decerné & declaré, decernons & declarons, que notre intention eſt, que les Juges de notre Royaume n'obeiſſent ny obtemperent à nos lettres, ſinon qu'elles ſoient civiles & raiſonnables, voulant que les parties les puiſſent debattre & impugner d'obreption, & incivilité, & qu'à ce les Juges les oyent & reçoivent, s'ils les trouvent ſubreptices, obreptices, & inciviles, que par leur ſentence ils les declarent ſubreptices, obreptices, & inciviles, ou telles qu'ils trouveront en bonne juſtice, &c.*

489 Denique ſenſus & uſus totius Orbis Chriſtiani eſt in favorem Religioſorum Mendicantium: ſi enim contribuere deberent, ſaltem in extraordinariis neceſſitatibus, in quibus Eccleſiaſtici, & alii Regulares contribuunt, non minùs convocari, audirique deberent, dum ad deliberandum de contributione Status convocantur, quàm cæteri Eccleſiaſtici & Religioſi; tam enim faciunt conſiderabile membrum, ab aliis membris diſtinctum, nec aliis ſubjectum, quàm Clerus, Abbates, & Laici faciunt membra ab invicem diſtincta, nec invicem ſubjecta. Nec æquitas patitur ipſos inauditos, oneribus extraordinariis gravari ab aliis membris, quibus non ſubjiciuntur. Nec regula illa ſolemnis, *quod tangit omnes, debet ab omnibus approbari* Clement. 1. de cenſibus, minùs ſervari debet reſpectivè ad Mendicantes, quàm reſpectivè ad Abbates, vel alia notabilia membra Cleri, vel populi, ab aliis membris independentia, quæ per deputatos ſuos audiuntur in congregatione Statuum, & per eoſdem approbant deliberationes ibidem factas: ſed notorium eſt ex ſenſu & uſu totius Orbis Chriſtiani, Religioſos Mendicantes numquam convocari; dum cætera membra Status pro deliberationibus illis convocantur: ſicut ergo ex ſenſu & uſu totius Orbis convocari non debent; ſic nec debent contribuere. Si enim deberent contribuere, deberent & convocari. Nec ulla eſt ratio non convocandi, niſi paupertas, & mendicitas ipſorum, ob quam non debent contribuere.

CAPUT XLIV.

Mendicantes, eorumque bona, per Apoſtolica privilegia eximuntur à decimis ſolvendis.

PRimò namque Innocentius IV. anno 1654. in Bulla quæ incipit, *religioſam vitam eligentibus*, Auguſtinianos eximit à decimis de bonis quæ poſſident, propriiſque manibus colunt. Similiter Clemens VI. in Bulla *dilectos filios* confirmata per Innocentium VI. in Bulla *proviſionis noſtræ*, Carmelitas eximit à decimis de iis quæ creſcunt intra ſepta eorum, necnon de iis quæ propriis manibus, aut ſumptibus colunt. Id quod Sixtus IV. in Bulla *dum attenta meditatione* (quæ eſt mare magnum Ordinis noſtri) extendit ad quæcumque bona dictorum Fratrum, videlicet quoſcumque hortos & ſylvas, & quæcumque alia bona Ordinis, quæ impræſentiarum juſtè & canonicè poſſident, aut in futurum poterunt adipiſci. Similem exemptionem idem Sixtus IV. in Bulla *regimini* Franciſcanis conceſſit, ſicut & Dominicanis in ſimili Bulla, quæ videri poteſt apud Rodriguez. 490

Secundò Pius V. in Bulla *dum ad ubere*s ſic ait: *Nos volentes eoſdem Mendicantium Ordines, & dilectos Filios eorum Fratres & Monachos, cateraſque perſonas, ac etiam Moniales quaſlibet ejuſdem Ordinis, ſub illorum cura degentes, ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi, motu proprio .... & ex noſtra certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine .... ab omnibus & ſingulis exactionibus, tam urbanis, quàm ruſticis, necnon datiis, gabellis .... collectis, impoſitionibus, & oneribus ordinariis, & extraordinariis, ac tam realibus, quàm perſonalibus meris, & mixtis, &c. ac alias quibuſcumque nominibus nuncupatis, &c. penitus & omninò liberi, immunes & exempti ſint, & eſſe cenſeantur.* 491

Tertiò idem Pontifex in Bulla *etſi Mendicantium* ſic habet: *Inhoneſtum quoque eſſe* 492 *cenſentes Mendicantium Ordines ad aliquorum onerum contributionem teneri .... illos, & eorum domos, Monaſteria, beneficia, & loca quæcumque, eorumque poſſeſſiones, vineas, agros, & prata, ac alia bona quæcumque .... à quibuſcumque decimis, primitiis, quartis, mediis, & aliis fructuum partibus .... ac etiam aliis quibuſcumque oneribus, tam ordinariis, quàm extraordinariis .... omninò eximimus ac liberamus.*

493 Quartò Pius IV. Bullâ *dilecti filii* Patres Societatis eximit à *quibuscumque decimis, etiam papalibus, prædialibus, &c. ita quòd Societas, ejusque Domus, Collegia, fructus, res, & bona præfata, semper ab ullis, absque declaratione desuper facienda, exempta sint, & esse censeantur.* Quod confirmans Gregorius Bullâ *pastoralis officii* 51. in Bullario Rom. eximit *universam Societatem prædictam, omniaque & singula illius .... Collegia .... eorumque personas, fructus, reditus, & proventus .... alias-que res, & bona quæcumque, à quibusvis decimis, etiam papalibus, prædialibus, &c. Non obstantibus litis pendentiis, siquæ sint, & aliis præmissis, ac Innocentii prædecessoris, seu Generalis Concilii hujusmodi, aliisque Apostolicis .... Constitutionibus.* Ubi fit expressa & specifica derogatio cap. *nuper* de decimis, in quo Innocentius, seu Lateranense Concilium statuerat, exemptionem illam non extendi ad prædia post Concilium istud acquisita, si antequam transirent ad privilegiatos, de iis decimæ solvebantur, nisi privilegiati propriis ea manibus vel sumptibus colerent.

494 Ex his patet, Mendicantes non solùm exemptos esse à decimis personalibus, sed & realibus, seu prædialibus, nec solùm extraordinariis, sed & ordinariis, prout ex allatorum privilegiorum tenore constat. An verò exemptio ista realis sit, an personalis? Respondeo nec esse merè personalem (tam enim ipsi, quàm prædia ipsorum exempta sunt, uti privilegiorum verba exprimunt) nec merè realem (non enim prædia cum exemptione transeunt, ad quemcumque transeunt) sed partim realem, partim personalem; adeòque mixtam. Quia prædia ipsorum solùm exempta sunt, quatenùs ipsorum, & in favorem ipsorum. Et ideò hoc ipso desinunt esse exempta, quo desinunt esse ipsorum. Non tamen desinunt esse exempta, hoc ipso quòd Colonis elocantur. Cùm enim per elocationem esse non desinant prædia ipsorum, si Coloni eorum decimas solvere tenerentur Ecclesiæ Parochiali, ipsimet Religiosi (quorum prædia sunt) eas virtualiter solvere tenerentur de prædiis suis. Quod cùm sit contra expressum tenorem privilegii sui, ut privilegium verificetur, videtur omninò dicendum quòd Coloni solvere non teneantur Parochis decimas de prædiis dictorum Religiosorum, quæ colunt, sed eas virtualiter solvere debeant ipsimet Religiosis (in quorum favorem concessa est exemptio à decimis prædialibus, non in favorem Colonorum) solvendo utique majorem pensionem, quàm alioqui solverent, si Parocho decimas solvere deberent. Et istam communiorem esse Doctorum sententiam, testatur Diana p. 10. tr. 12. resol. 51. ubi nominatim refert Pellizarium, Leandrum, Joannem de la Cruz, Hieronymum Garciam, Raphaëlem de la Torre, Peyrinum, & Philippum de la Cruz qui tract. de decimis §. 2. n. 9. dicit sententiam illam usu receptam esse in tota Hispania (exceptâ Portugalliâ) & ex Henriquez addit ita fuisse decisum in variis tribunalibus Salmanticæ, Baezæ, Murciæ. Addit etiam SS. Pontifices id in terminis declarasse in privilegiis desuper concessis Hieronymianis Hispanis, quòd scilicet Coloni & Arrendatarii solvere non teneantur decimas de prædiis ipsorum. Joannem etiam XXII. idipsum Carthusianis concessisse, ut videre est in compendio Cisterciensium. Denique varios Pontifices idem concessisse Benedictinis Cassinensibus, ut videre est in Bullario Congregationis Cassinensis. In his tamen attendenda est consuetudo patriæ & regionum, ut sapienter observat Lezana qq. regul. p. 1. c. 3. n. 15. Saltem in hoc omnes conveniunt, quòd de prædiis, ratione quorum (antequam ad manus Mendicantium devenirent) decimæ non solvebantur, decimæ non debeantur, tametsi Mendicantes, ea propriis manibus, aut sumptibus non colant, sed ea Colonis elocaverint, aut arrendataverint. Quia Concilium Lateranense in citato cap. *nuper* de decimis tunc demum ait teneri decimas solvere de prædiis post Concilium acquisitis, quæ propriis manibus, aut sumptibus non colunt, si ratione illorum anteà solvebantur. Videri potest Fagnanus ad citatum caput n. 18. & 27.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

DE PRÆCEPTIS THEOLOGICARUM VIRTUTUM.

PARS PRIMA.

Amor Fidelis.

HActenus velut in terris demoratus divini amoris ignis, in humanis utique actibus dirigendis, propriam tandem sphæram repetit, ut circa proprium objectum immediatè versetur, & ad ipsum elevet corda Christianorum, ipsosque fide efficiat Christi discipulos, spe commilitones, ut aliquando tandem charitate, (virtutum regina) efficiat beatos. Ista utique esse debet tota intentio, unica ista occupatio, vita tota Christianorum, ut fide, spe, charitate Deum jugiter colant, & in terris inchoent beatam illam vitam, quæ tota erit in contemplatione, adoratione, & amore Dei, divinarumque perfectionum. Ad hoc vocatus est omnis Christianus, ut virtutes annuntiet ejus, qui ipsum de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, & per operum testimonium probet se verè Christianum. Si enim fide sit Christianus, operibus Ethnicus, per ipsum nomen Dei blasphematur, per ipsum Christianismus inhonorificatur, qui cunctis olim gentibus venerabilis fuit, quamdiù bona vita Christianorum testimonium perhibuit veræ fidei ipsorum. *Fides*, (inquit Jacobus Apostolus) *sine operibus mortua est*: vix verè fidelis est qui malè vivit. *Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est; ita & fides sine operibus mortua est.* Pauci proinde Christiani, verè Christiani sunt, quia pauci Christianè vivunt. Et quia paucissimorum hominum vita in fine mundi verè erit Christiana (tantò quippe magis corrumpuntur Christianorum mores, quantò mundi magis appropinquat interitus) hinc est quòd paucissimorum Christianorum fides, tunc erit vera, Veritate teste: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Luc. 18. c. 8.

CAPUT I.

Fidei definitio, præstantia, objectum.

1 OMissis prolixioribus hac de re nonnullorum discursibus, fides breviter definitur: Virtus inclinans intellectum ad firmiter assentiendum iis quæ non videntur, ob Dei, seu primæ Veritatis revelantis authoritatem. In re est communis definitio, desumpta ex S. Thoma 2. 2. q. 4. a. 2. in corp. Qui eam colligit ex Apostolo Hebr. 11. dicente: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

2 Quibus in verbis essentialem fidei definitionem contineri (quidquid sit de definitione logico rigore concinnata, de qua nec Apostolus, nec Spiritus sanctus per eum loquens sollicitus erat) S. Doctor ibidem, & Doctores communiter tradunt. Verba enim illa *argumentum non apparentium*, continent allatam à nobis definitionem, quæ sine dubio continet totam fidei essentiam. Nam ibi *argumentum* sumitur pro argumenti effectu (inquit S. Doctor) per argumentum enim intellectus inducitur ad inhærendum alicui vero. Unde firma adhæsio intellectûs ad veritatem fidei, non apparentem, vocatur hîc *argumentum*. Per argumentum itaque Apostolus intelligit intellectûs convictionem. Unde (ut S. Doctor prosequitur) alia littera habet, *convictio*, quæ non est nisi dum intellectus inducitur ad firmiter assentiendum. Quia verò per solam authoritatem Dei revelantis, intellectus credentis convincitur ad firmiter assentiendum iis quæ non videt, id est quæ evidenter non cognoscit, neque in se, neque in suis causis, vel effectibus; motivum istud firmiter assentiendi satis indicat Apostolus, cùm ait: *argumentum non apparentium.*

3 In principio verò dicitur quòd fides est *sperandarum substantia* (id est fundamentum & basis) *rerum*, non quòd hoc sit prædicatum essentiale, sed accidentale fidei: utique ad significandum, quòd fides est fundamentum & basis totius vitæ spiritualis, per quam pervenimus ad beatitudinem, quam speramus, sicque est fundamentum spei nostræ.

4 Denique tam ex vulgari, quàm ex Apostolica definitione, *argumentum non apparentium*, quatuor consectaria sunt. Primum de ratione & definitione fidei esse, quòd objectum ipsius sit *non apparens*, seu non visum. Quod & esse de ratione spei, colligitur ex Roman. 8. *Quod non videmus, speramus.* Ut enim S. Thomas ibidem, qui veritatem videt, ipsam habet; siquidem veritatem videre, est ipsam habere: non autem sperat aliquis quod jam habet; sed spes est de eo quod non habetur. Si de ratione spei est, quòd

objectum ipsius sit non visum: ergo & de ratione fidei, quæ (secundùm Apostolum) est fundamentum spei. Unde D. Petrus fidem vocat *lucernam lucentem in caliginoso loco*, id est in intellectu obscurè cognoscente. Similiter Ecclesia de Thoma Apostolo canit, quòd *aliud vidit, aliud credidit*. SS. Patres communiter dicunt, quòd *fides est credere quod non vides*. Augustinus Enchirid. 8. *Appellamus* (inquit) *fidem, quam divina eloquia docuerunt, earum scilicet rerum, quæ non videntur*. Proinde Apostoli, Ecclesia, Patres, docent obscuritatem esse de ratione fidei.

5 Secundum consectarium est, quòd objectum materiale fidei sit omnis veritas obscurè à Deo revelata; formale verò, authoritas Dei, seu primæ Veritatis revelantis. Cùm istud sit motivum, propter quod firmiter assentimur veritatibus obscurè revelatis. Cur enim credimus incarnationem Verbi v. g.? quia Deus id revelavit. Cur credimus Deo revelanti? propter æternam, incommutabilem, & infallibilem ipsius authoritatem, supra omnem rationem, & scientiam humanam, supra omnem sensûs experientiam, supra omnem denique humanam authoritatem. Ideò verò tantæ authoritatis est Deus revelans, quia est prima Veritas, falli & fallere nescia. Cùm enim divina veritas sit etiam summa bonitas, nec vult, nec potest fallere. Cùmque eadem veritas sit etiam summa sapientia, falli non potest. Est ergo veritas falli & fallere nescia: cujus proinde revelantis, sive aliquid attestantis authoritas est summa, infallibiliumque omnium infallibilissima.

6 Et hinc tertium consectarium est, quòd fidei nostræ certitudo sit summa, majorque certitudine scientiarum omnium naturalium: utpote cujus fundamentum, sive motivum, objectumque formale (authoritas scilicet Dei revelantis) certius est, & infallibilius fundamento, sive motivo, & objecto formali cujuscumque scientiæ naturalis, quod est vel humana ratio, vel experientia humana, &c.

7 Quartum denique consectarium, est præstantia magna fidei nostræ: tum quia certitudine excedit scientiam omnem naturalem. Tum quia objectum formale ipsius præstantius est objecto, non solùm scientiarum omnium naturalium, sed & quarumcumque virtutum moralium, quarum nullam Deus habet pro immediato objecto formali. Sed & præstantia magna ipsius elucet in eo quòd fides nostra divinam authoritatem appretiet supra omnem rationem, scientiam, experientiam, & authoritatem humanam, eamque non solùm taliter appretiet intellectu (quod hæretici etiam faciunt: utpote non ignorantes excellentiam divinæ authoritatis supra omnia antè dicta) sed affectu etiam & voluntate, ita ut in vero fideli amor primæ Veritatis, & pius affectus erga authoritatem Dei revelantis, prædominetur omni terreno affectui, faciatque sedulò inquirere ea, quæ suprema Dei authoritas per Ecclesiam (quæ columna est veritatis, depositrixque doctrinæ à Christo, & Apostolis nobis traditæ) nobis credenda proponit, eaque omnia sufficienter proposita credere. Quod non contingit in hæreticis, in quibus amor terrenorum, sive quo prosequuntur blandientia, sive quo fugiunt terrentia, adeò prædominatur amori primæ Veritatis, & pio illi affectui erga authoritatem Dei revelantis, ut eos impediat à sufficienti inquisitione veritatum, quas divina authoritas per Ecclesiam nobis credendas proposuit, & à credendis omnibus ejusmodi veritatibus sufficienter propositis.

CAPUT II.

Ad fidem internam necessarius est pius affectus voluntatis erga primam Veritatem, seu Dei revelantis authoritatem.

SIc Theologi communiter docent, sequi- 8
turque ex eo quòd fides (ut superiori capite dictum est) Deum, seu divinam authoritatem non solùm intellectu, sed & voluntate, seu affectu appretiet supra motivum cujuscumque scientiæ naturalis, sive supra omnem rationem, experientiam, & authoritatem humanam, juxta illud 2. Petri 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes*. Unde Augustinus lib. 7. confess. c. 10. *Facilius* (inquit) *dubitarem vivere me, quàm esse veritatem, quam audivi in corde*. Et Chrysostomus hom. 12. in epist. ad Hebr. *Fides dici non potest, nisi cùm circa ea quæ non videntur, amplius quàm circa ea quæ videntur, certitudinem quis habuerit*. Enimverò tanta firmitate & certitudine adhæremus iis, quæ fide divinâ credimus, ut parati simus persuadere nobis, quòd scientia, ratio, experientia, & authoritas humana nos fallant, ipsisque omnibus dicere anathema, si opponantur iis quæ credimus, juxta illud Pauli ad Galat. 1. *Sed licèt nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit*.

Si vera fides non solùm talis sit, sed & 9
talis esse debeat: igitur ad eam necessaria est pia voluntatis affectio, quâ voluntas authoritatem Dei revelantis taliter appretiet, quæque determinet intellectum ad hoc, ut, non obstante obscuritate rei revelatæ, non obstantibus etiam difficultatibus, quas humana ratio, experientia, vel authoritas in contrarium suggerere potest, firmiter credat Deo loquenti, intellectumque suum captivet in obsequium Christi. Quamdiù enim objectum obscurè proponitur, intellectus ad assentiendum non determinatur ab objecto, sed determinari debet à voluntate. Propter

quod Apostolus Rom. 10. dicit: *Corde creditur ad justitiam.* Voluntas autem, ad aliquid fide divinâ credendum, intellectum determinat per piam illam affectionem, quæ nihil aliud est, quàm amor, quo Dei loquentis authoritas (quæ nec in cognoscendo falli potest, nec in loquendo fallere) adeò placet, ut præferatur omni in contrarium rationi, experientiæ, & authoritati.

10 Nihil proinde aliud est, quàm amor inhærens divinæ illi authoritati, illamque præferens omni in contrarium rationi, &c. Affectio quippe inhærens alicui formæ, amor est, juxta illud Augustini l. 8. de Trin. c. 8. *Unde inhæretur illi formæ, nisi amando?* Unde Concilium Arausicanum II. can. 7. piam illam affectionem vocat suavitatem in consentiendo, cùm dicit, *neminem posse consentire evangelicæ prædicationi, absque illuminatione & inspiratione Spiritûs sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo veritati.* Per suavitatem autem in consentiendo Deo, Augustinus passim intelligit amorem & complacentiam, quâ Deus secundùm se placet.

11 Pia itaque affectio illa, nihil aliud est nisi amor & complacentia, quâ Dei loquentis authoritas, nec in cognoscendo falli potens, nec in loquendo fallere, quà talis (adeòque secundùm se, & propter se, non propter aliud) placet supra omnem scientiam, rationem, experientiam, & authoritatem humanam; sive nihil est aliud nisi amor, Dei loquentis authoritatem, quia falli & fallere nesciam, appretians supra omnem scientiam, &c. Adeòque ipsam sic appretians secundùm se, & propter se: utpote secundùm se falli & fallere nesciam. Ideò to. 1. lib. 8. cap. 44. diximus fidem non esse sine aliquo imperfecto saltem & initiali amore Dei propter se, licèt esse possit absque charitate perfecta, & justificante. Quod & de spe ostendimus ibidem, ac libro sequenti adhuc ostendemus.

12 Enimverò cùm fides ex pio voluntatis erga Dei loquentis authoritatem affectu, atque adeò ex aliquo divinæ authoritatis amore procedat; nec dubium, quin ex amore illius ordinato: amor verò divinæ authoritatis non propter ipsam, sed propter aliquid creatum, ibi sistendo, nequeat esse usquequaque ordinatus (cùm nec Deus, servato amoris ordine, amari possit finaliter propter creaturam, nec creatura finaliter propter se) sed amoris ordo postulet, ut solus Deus ametur finaliter propter se, prout multipliciter probavimus citato lib. 8. ferè per totum, ubi etiam contraria argumenta dissolvimus: consequens est quòd fides procedat ex aliquo Dei propter se amore.

CAPUT III.

Fides interna actualis adultis omnibus, in peccato existentibus, necessitate medii in re, & non solùm in voto, necessaria est ad justificationem.

13 ANdræas Vega lib. 6. in Trid. c. 10. censet, adultos in peccato mortali existentes, qui invincibili laborant ignorantiâ mysteriorum fidei, posse justificari absque ullo actu fidei. Sed oppositum nobiscum tradunt communiter Theologi, signanter è nostris Lezana de fide disput. 3. q. 6. Lumbierus de fide q. 14. a. 2. n. 806. Bonæ-Spei disp. 7. de fide dub. 1. resol. 1.

14 Sed ante probationem, observo, necessarium necessitate medii (quod à S. Thoma vocatur necessarium necessitate finis) ab omnibus passim Theologis dici illud sine quo, etiam inculpabiliter omisso, non potest obtineri finis, ad quem est necessarium. Sic gratia sanctificans est medium necessarium ad salutem. Quia quisquis sine illa moritur, à salute excidit, tametsi nullâ culpâ suâ personali eâ privatus fuisset. Et in hoc necessarium necessitate medii differt à necessario necessitate præcepti, quod à Theologis definiri solet illud sine quo, culpabiliter omisso, finis obtineri non potest, tametsi sine eo, inculpabiliter omisso, obtineri queat.

15 Necessarium necessitate medii, aliud est simpliciter tale, aliud secundùm quid. Simpliciter tale, est illud, quod taliter necessarium est in re, nec proinde admittit substitutum, per quod suppleri queat, ut gratia dicta. Secundùm quid tale, est illud, quod necessitate medii non est necessarium in re, sed in re, vel in voto, adeòque admittit substitutum, per quod suppleri queat, ut baptismus aquæ, qui siquando nequeat obtineri, suppleri potest per contritionem, cum voto baptismi. Et idem est de Sacramento pœnitentiæ, respectu eorum, qui post baptismum peccaverunt.

16 Fidem ergo internam actualem, adultis omnibus, in statu peccati mortalis existentibus, necessitate medii, in re, atque adeò simpliciter necessariam esse ad justificationem, probatur 1°. ex Scriptura Habacuc 2. *Qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: justus autem in fide sua vivet*, vitâ scilicet gratiæ, seu justitiæ. Hunc locum ad statuendam necessitatem fidei, ad vivendum vitâ gratiæ, allegat Apostolus Roman. 1. Galat. 3. Hebr. 10. Sensus verò illius est: quicumque vult esse justus, seu vivere vitâ gratiæ, id habiturus est ex fide, & non ex operibus legis, ut Apostolus interpretatur, multisque probat loco citato ad Galat.

17 2°. Idipsum probatur ex Apostolo ad He-

br. 11. ubi dicit, quòd *fide Henoch translatus est, ne videret mortem. Ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo: sine fide autem impossibile est placere Deo.* Ecce hanc conclusionem, ergo Henoch habuit fidem actualem, Apostolus, & per ipsum Spiritus sanctus probat ex eo quòd ante translationem habuit gratiam justificantem, quâ placuit Deo, cui sine fide impossibile est placere. Dixi, *fidem actualem*: de ea quippe loqui Apostolum, constat ex eo quòd de ea fide loquatur, de qua immediatè subjungit, *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit.* Credere autem, maximè cum speciali illa expressione, *quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit*, apertè sonat actum credendi duo illa mysteria; non autem fidem habitualem, quæ ad duo illa mysteria se specialiter non extendit, sed indifferenter ad omnia.

18 Verùm enimverò consequentiam illam Apostolus, & per eum Spiritus sanctus benè non probaret, si posset quis sine fide actuali esse justus, Deoque placere, licèt non in casu communi, & ut in pluribus accidente, sed in casu raro & extraordinario dumtaxat. Si enim, secundùm præsentem divinæ providentiæ ordinem, non oportet semper, & in omni casu (absque ulla exceptione) credere, sed aliquis adultus peccator, saltem in casu aliquo raro, & extraordinario justificari posset, Deoque placere, absque ulla fide actuali, etiam de existentia Dei, &c. Apostolica illa probatio, petita ex eo quòd sine fide impossibile sit placere Deo: accedentem enim ad Deum credere oportet, quia est, &c. petita non est ex propositione universaliter vera, sed particulariter, & cum exceptione dumtaxat. Hoc ipso verò, quòd propositio in qua fundatur probatio illa, non est universaliter vera, sed particulariter, & cum exceptione, non est probatio bona, & efficax (quod sine blasphemia dici non potest: cùm probatio illa Apostoli, sit ipsiusmet Spiritûs sancti) quandoquidem à particularibus ad universale (secundùm Dialecticæ leges) non benè sequatur; nec à particularibus ad particularia (neque enim bonus est syllogismus constans puris particularibus) sed ab universalibus ad particularia argumentandum sit, ut argumentatio bona sit. Enimverò si aliquo casu, licèt extraordinario, sine fide actuali peccator adultus justificari queat, Deoque placere, Apostolo ut suprà discurrenti replicari potest, discursum ipsius non concludere: cùm enim fundamentum discursûs non sit universim verum, sed exceptionem in casu extraordinario admittat, Apostolus aliunde probare debet exceptionem illam, casumque extraordinarium in Henoch non accidisse.

19 3°. assertio nostra probatur ex Tridentino sess. 6. ubi postquam c. 6. dixit homines disponi ad justitiam, *dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata sunt*, de ea c. 7. subjungit quòd *sine ea nulli unquam contigit justificatio.* Siquidem enumeratis causâ finali, efficiente & meritoriâ nostræ justificationis, addit illius causam instrumentalem esse Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio. Porrò ibi Concilium non loquitur de fide habituali, sed de actuali antè descripta: cùm manifestè agat de fide, cujus Sacramentum est Baptismus, qui non ideò dicitur Sacramentum fidei, quia per ipsum infunditur fidei habitus (hac enim ratione, non magis est Sacramentum fidei, quàm spei, charitatis, aliarumque virtutum, quarum habitus, unà cum gratia, infunduntur in Baptismo) sed quia est solemnis quædam fidei professio, seu protestatio, quam per se, vel per patrinos suos faciunt, quicumque baptizantur. Illa verò fidei professio non fit per habitum, sed per actum. Nec certè fidei habitus infunditur, nisi unà cum gratia justificante, quæ cùm sit effectus Baptismi, tanquam causæ instrumentalis, fides (cujus Sacramentum est Baptismus) secundùm Tridentinum est causa instrumentalis ejusdem gratiæ justificantis, habituumque fidei, spei charitatis, & aliarum virtutum, unà cum gratia illa infusarum; atque adeò illis omnibus est naturâ prior. Non igitur est fides habitualis, sed actualis. Cùm de habituali Tridentinum ibi non loquatur, nisi posteà, dum loquitur de causa formali nostræ justificationis, quæ est infusio gratiæ justificantis, & habituum dictorum.

4°. rursum probatur ex eodem Concilio 20
ibidem cap. 8. *Cùm verò Apostolus dicit, justificari hominem per fidem* (ac per consequens cùm ad id probandum allegat illud Prophetæ, *justus ex fide vivit*) ..... *ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ sensus tenuit ..... scilicet ..... quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis; sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* Sic itaque fides se habet ad justificationem, sicut fundamentum ad ædificium, quod sine fundamento esse non potest; ideòque subjungit ex Apostolo, quòd sine fide impossibile sit placere Deo. Subjungit item ex Augustino, quòd sine fide impossibile sit ad filiorum Dei consortium pervenire. Et hinc manifestum est, quòd sicut Apostolus ex dictis n. 17. loquitur de fide actuali, & similiter Augustinus; ita & Tridentinum: utpote cujus verba ex Augustini serm. 38. de tempore (qui est 30. in appendice ad tom. 10.) sive potiùs ex Alcuini libro de Trinitate desumpta sunt; ibi enim sic habet: *Ad veram beatitudinem pervenire volentibus prima omnium fides*

necessaria est, sicut Apostolica docet authoritas, dicens, sine fide impossibile est placere Deo. *Constat ergo, neminem ad veram posse pervenire beatitudinem, nisi Deo placeat, & Deo neminem posse placere, nisi per fidem. Fides namque est bonorum omnium fundamentum; fides est humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum ejus consortium potest pervenire. Quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis gratiam consequitur, neque in futuro vitam possidebit æternam.* De eadem proinde fide, eademque fidei necessitate Augustinus, sive Alcuinus loquitur, de qua Apostolus suprà num. 17. utpote in cujus testimonio se fundat.

21 5°. denique à fortiori probatur omnibus argumentis, & testimoniis, quibus infrà probabimus, fidem actualem omnibus ratione utentibus, etiam in infantia baptizatis & justificatis, necessitate medii simpliciter necessariam esse ad salutem: ergo multò magis peccatoribus, quibus si fides actualis necessitate medii simpliciter necessaria sit ad salutem, consequenter necessaria est ad justificationem, sine qua nullus salvari potest.

22 Objicies 1°. cum Estrix & Ripalda, allata testimonia Scripturæ & Tridentini, commodè explicari possunt de necessitate fidei, non simpliciter, sed secundùm quid, in re scilicet, vel in voto; sicut explicantur Scripturæ & Concilia inculcantia necessitatem Sacramentorum Baptismi, vel Pœnitentiæ.

Respondeo negando antecedens. 1°. Quia sic Paulus non benè probasset intentum suum, Henoch utique habuisse veram fidem in re; sed in re, vel in voto dumtaxat.

23 2°. Fides in voto verè & propriè non est vera fides, magis quàm Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ in voto, verè & propriè sit Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ. Verba autem Scripturæ & Conciliorum, inculcantia necessitatem alicujus actûs, ex dictis to. 1. Prolegom. 1. cap.... privatâ authoritate detorquere non licet ad sensum improprium; sed ad hoc requiritur authoritas vel Scripturæ, vel Conciliorum, vel SS. Pontificum, vel SS. Patrum: quæ habetur quidem pro taliter explicandis Scripturis & Conciliis inculcantibus necessitatem Sacramentorum Baptismi, vel Pœnitentiæ; non pro inculcantibus necessitatem fidei.

24 3°. Fides in voto, non est fides strictè dicta, quæ pro motivo habet authoritatem Dei loquentis; sed latè dicta, quæ nihil aliud est nisi cognitio Dei, elicita quidem cum auxilio gratiæ, non fundata tamen in testimonio Dei, sed in testimonio creaturarum, quæ (tamquam Dei præcones) ipsum nuntiant nobis ut summè bonum summèque amabilem. Sed fides ista, latè dicta, non sufficit ad justificationem. Propositio namque ista: *Fides latè dicta, ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit*, ab Innocentio XI. damnata est, ut minimùm tanquam scandalosa, & in praxi pernicioſa.

4°. Fides disponens ad justificationem, 25
juxta Tridentinum n. 19. citatum, est fides ex auditu (quod & Apostolus docet in epistola ad Rom. postquam enim cap. 3. dixit, *justificari hominem per fidem*, & cap. 10. *corde creditur ad justitiam*, ibidem explicat de qua fide, sive de quo actu credendi loquatur: *Quomodò credent ei, quem non audierunt? quomodò autem audient sine prædicante? quomodò verò prædicabunt, nisi mittantur?..... ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*) fides autem ex auditu, quam ibi Apostolus describit, certissimè est fides propriè & strictè, non impropriè & latè dicta, nec fides dumtaxat in voto, sed in re.

Objicies 2°. cum Vega, si fides necessi- 26
tate medii foret simpliciter necessaria ad justificationem, justificatio esset impossibilis iis, qui invincibili laborant ignorantiâ Dei (cùm iis impossibile sit habere fidem.) Sed justificatio non est ipsis impossibilis. Qui enim tali ignorantiâ laborant, possunt facere quod in se est, ut justificentur; possunt enim dolere de admissis contra rectam rationem, & facere propositum vivendi secundùm illam. Quod si faciant, justificabuntur.

Doctissimus Magister meus Bonæ-Spei 27
loco citato n. 10. respondet, certum esse, ex Bulla Innocentii X. damnantis hanc propositionem: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque gratia, quâ possibilia fiant*, Deum dare adultis omnibus auxilia supernaturalia ad salutem consequendam, remotè saltem sufficientia, quibus si cooperentur, majora & proximiora ad fidem, Deique cognitionem dabit. Si verò non cooperentur, illis majoribus indigni fiunt, suâque culpâ, seu ex culpabili defectu fidei pereunt; non verò ex defectu illius inculpabili, seu invincibili. Cum illis enim agit Deus, prout magister cum discipulis, qui negligunt discere prima, quæ ipsis proponit rudimenta: sicut enim in pœnam istius negligentiæ subtrahit ipsis ostensionem altiorum, & ad consummatam scientiam proximiorum principiorum (nec eorum proinde inculpabili laborant ignorantiâ) sic Deus primis auxiliis cooperari negligentibus subtrahit majora, & ad salutem consequendam proximiora auxilia.

Sed contrà 1°. quomodò certum est, ex 28
damnatione illius propositionis, Deum adultis omnibus dare auxilia supernaturalia, ut suprà: cùm propositio illa, seu damnatio illius, non loquatur de adultis omnibus, sed solùm de justis; nec de justis omnibus, sed volentibus & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires: adeòque volen-

tibus & conantibus fideliter, & quantùm possunt ? Quod non faciunt omnes justi, sed plerique ex ipsis vel nullam adhibent voluntatem & conatum, ad cooperandum gratiæ præsenti ; vel certè nonnisi conatum parvum, imbecillem, & tepidum, seu nonnisi semiconatum & semivoluntatem, quæ potiùs est velleitas, quàm voluntas. Unde nec fideliter, sed infideliter ac tepidè volunt & conantur ; ipsorumque teporem comitatur 1°. negligentia, & secundùm vocationem suam vivendi incuria. 2°. frequenter etiam comitatur superbia, vanaque præsumptio, quâ imaginantur Dei gratias sibi ad libitum dari, nec subtractionem timent doni tam pretiosi, quod Apostolus Ephes. 1. vocat *sacramentum voluntatis Dei*. 3°. ingratitudo, quâ de gratiis acceptis Deo gratias agere aliquando non sunt solliciti. Istas, aliasque ob causas Deus justis subinde ad tempus subtrahit pias cogitationes, sanctasque affectiones, tametsi non ideò prorsus destituti sint gratiâ sufficienti, quamdiù in justitia perseverant. Quia scilicet ratione gratiæ sanctificantis, virtutumque infusarum ipsam semper concomitantium, sacrorum denique motuum, dictis virtutibus sæpè correspondentium, sufficientem habent benè vivendi, mandataque servandi facultatem, nec à Deo deseruntur, nisi Deum ipsi priùs deserant.

29 Contrà 2°. si Deus adultis omnibus, etiam infidelibus, daret auxilia, saltem remotè sufficientia ad salutem, ut suprà, per consequens daret omnibus, etiam infidelibus, auxilia, saltem remotè sufficientia ad fidem saltem necessariam necessitate medii, quibus infideles cooperando, majora & proximiora ad fidem acciperent ; non cooperando verò suâ culpâ fide carerent ; sicut dicti discipuli suâ culpâ carent offensione altiorum principiorum, &c.

30 Sed hoc dici non posse, patet in infidelibus negativè, quibus mysteria illa prædicata non sunt, quæque proinde credere non possunt (ut enim Apostolus Rom. 10. *quomodò credent ei, quem non audierunt ? quomodò autem audient sine prædicante ? quomodò verò prædicabunt, nisi mittantur ?*) nec tamen infidelitas purè negativa ipsorum culpabilis est, neque peccatum : cùm propositio ista, *Infidelitas purè negativa, in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*, damnata sit à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII.

31 Contrà 3°. non apparet, quomodò Deus iis det supernaturale auxilium, remotè saltem sufficiens ad salutem, quibus citra culpam ipsorum (uti objectio prætendit) usque adeò negat omnem sui cognitionem, ut inculpabili laborent ignorantiâ Dei. Neque enim supernaturale habent auxilium remotè sufficiens ad salutem, qui non habent supernaturale auxilium remotè sufficiens ad fidem. Cùm fides, juxta Tridentinum sess. 6. c. 8. sit *humanæ salutis initium*, adeòque homo non incipiat habere supernaturale auxilium remotè sufficiens ad salutem, nisi dum accipit supernaturale auxilium remotè sufficiens ad fidem ; sicut non incipit suam operari salutem, nisi dum incipit credere. Sed nullum est supernaturale auxilium, seu proximè, seu remotè sufficiens ad fidem, in eo qui nullam omninò habet Dei cognitionem, nec vincere potest ipsius ignorantiam. Tum quia si auxilium haberet sufficiens ad fidem, haberet auxilium sufficiens ad Dei cognitionem : eam proinde vincere posset. Nec proinde laboraret invincibili ignorantiâ illius. Tum quia (secundùm Augustinum lib. 1. ad Simplicianum q. 2.) *incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit credere* (saltem imperfectè & inchoatè) *vel internâ, vel externâ admonitione motus ad fidem*. Sed non incipit credere, qui non incipit Deum cognoscere. Nec incipit Deum cognoscere, qui invincibiliter destitutus est omni Dei cognitione. Ergo non incipit percipere gratiam, nec proinde ullum habet supernaturale gratiæ auxilium. Et quam (amabo !) gratiam haberet, qui omni omninò Dei cognitione, omni omninò gratiâ fidei invincibiliter caret ?

Si dicas, quòd habeat gratiam sufficientem ad abstinendum à peccatis, à quibus si abstineret, Dei notitiam acciperet. Contrà : sicut fides (juxta Tridentinum) est humanæ salutis initium, non verò abstinentia illa ; sic prima gratia sufficiens ad salutem, est gratia sufficiens ad fidem, supernamque Dei cognitionem, non verò gratia sufficiens ad abstinentiam illam. Ad abstinendum proinde à peccatis, gratiam non habet sufficientem, qui gratiam non habet sufficientem ad fidem, Deique cognitionem. Cùm ista prima sit, initiumque gratiarum omnium, sicut fides (saltem inchoata) est prima operationum omnium salutarium (secundùm laudatum Concilium) igitur prius est habere gratiam sufficientem ad fidem, quàm gratiam sufficientem ad abstinendum à peccatis. 32

Aliter proinde ad objectionem respondeo negando suppositum, dari scilicet invincibilem ignorantiam Dei. Eam quippe non dari pluribus argumentis monstravi to. 1. de Deo dist. 2. q. 2. a. 4. Quòd si eadem objectio fiat, non de ignorantibus invincibiliter, seu inculpabiliter Deum, sed alia fidei mysteria, utique de purè negativè infidelibus, qui nihil omninò de fide audierunt ; fateor dari talem infidelitatem, secundùm se inculpatam, etiam eorum, quæ necessariò credenda sunt necessitate medii. Cùm id evincat damnatio hujus propositionis : *Infidelitas purè negativa, in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Sed cum invicto gratiæ Augustiniano-Thomisticæ vindice Thoma de Lemos in Panopl. grat. to. 4. l. 4. p. 2. tr. 8. c. 12. 13. 14. 33

14. 15. & Contenſono in Theologia mentis & cordis to. 5. diſſert. 2. c. 2. q. 1. nego tales negativè infideles habere auxilium ſufficiens ad credendum. Aliàs (inquit) infidelitas ipſorum non eſſet negativa & innoxia, ſed culpabilis & privativa. Siquidem habenti gratiam ſufficientem, cui fideliter cooperando Deus infallibiliter tribueret proximè ſufficientem, & efficacem, ſi Deus eam ſubtrahat ob incuriam vel infidelitatem ipſius, ac per conſequens ſubtrahat fidem; infidelitas imputatur, nec jam purè negativa eſt, ſed privativa. Nec ad hoc ut imputetur, neceſſe eſt quòd præceſſerit actualis advertentia ſubtrahendæ ſibi gratiæ dictæ, ob ſuam in cooperando infidelitatem. Cùm enim effectus iſte per ſe ſequatur ad iſtam infidelitatem, non debet eſſe actu præcogitatus ad hoc ut imputetur, prout ex S. Thoma vidimus, ubi de voluntario indirecto egimus. Et ideò de multis Deo rationem reddemus, quæ actu non præcogitavimus: utique de multis gratiis, ideò non acceptis, quia infideles fuimus in cooperando acceptis. Quo ſenſu vox de cælo facta eſt Beato Fratri Ægidio, D. Franciſci ſocio: *Præparare ad reddendam rationem, non ſolùm eorum quæ accepiſti, ſed quæ non accepiſti.*

34 Nec ob defectum dictæ gratiæ ſufficientis, fides & ſalus negativè infidelibus eſt impoſſibilis. Vidit enim S. Thomas hoc objici poſſe, ſimilemque objectionem ſibi frequenter propoſuit, ſignanter 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. his verbis: *Nullus tenetur ad id quod in ejus poteſtate non eſt: ſed credere aliquid explicitè non eſt in hominis poteſtate. Quia ad id indiget divinæ gratiæ auxilio, quod in ſua poteſtate non habet.* Nunquam tamen pro ſolutione recurrit ad hoc, quòd gratia, ſeu proximè, ſeu remotè ſufficiens ad credendum, omnibus detur; ſed loco citato ad primum reſpondet, *quòd ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia reparante, ſicut ad diligendum Deum, & proximum* (quod eſt de lege naturali) *& ſimiliter ad credendum articulos fidei* (quod eſt de lege ſupernaturali) *ſed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ. Quòd quidem auxilium quibuſcumque divinitùs datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis peccati, ut Auguſtinus dicit in lib. de corrept. & grat.* Ut ergo homo dicatur poſſe credere, & ſalvari, juxta S. Doctorem, neceſſe non eſt, quòd ad id de facto habeat gratiam ſufficientem (de qua haud dubiè loquitur, cùm de ea loquatur, cum qua credere poteſt, & ſine qua non poteſt) ſed ſufficit, quòd eam habere poſſit, & Deus dare, eamque ob merita, & virtutem paſſionis Chriſti, det omnibus, in quibus non invenit obſtaculum peccati, vel actualis, vel ſaltem originalis.

35 Ob virtutem, inquam, paſſionis Chriſti, utpote ſufficientiſſimam ad perducendum omnes homines ad fidem & ſalutem. Unde 3. p. q. 8. a. 3. ad 1. cùm dixiſſet, quòd infideles ſunt de Eccleſia in potentia, hanc potentiam ſic explicat: *Quæ quidem potentia in duobus fundatur. Primo quidem & principaliter in virtute Chriſti, quæ eſt ſufficiens ad ſalutem totius humani generis* (ob quam proinde Deus ſufficienter movetur ad dandam gratiam fidei & baptiſmi omnibus, in quibus non invenit obſtaculum peccati.) *Secundariò in arbitrii libertate*, quâ gratiam illam à Deo poteſt recipere.

Enimverò, ut idem S. Doctor obſervat 36
q. 6. verit. a. 3. ad 7. *aliquid poteſt dici poſſe dupliciter. Uno modo conſiderando potentiam, quæ in ipſo eſt; ſicut dicimus quòd lapis poteſt moveri deorſum. Alio modo conſiderando id quod ex parte alterius eſt; ſicut ſi dicerem, quòd lapis poteſt moveri ſurſum.* Sic ergo dicendum (inquit Lemos ubi ſuprà c. 10. n. 145.) quòd qui actualiter habent auxilium ſufficiens, dicuntur poſſe ſalvari per potentiam quæ in ipſis eſt. Qui autem nullo modo auxilium habent ſufficiens gratiæ, dicuntur poſſe ſalvari per potentiam, quæ in Deo eſt (qui poteſt eis tribuere auxilium quo ſalventur) & per potentiam remotam liberi arbitrii, quæ illud auxilium recipere à Deo poteſt. Nec hæc negare poſſunt, qui conſiderant, quòd ad Deum converti, ſalvari, credere, &c. opus ſit divinum, licèt per hominem fiat, ut Auguſtinus docet l. 2. de peccat. merit. c. 3. ideòque quòd opus illud rectè dicitur poſſibile homini, dante Deo, cui omnia poſſibilia ſunt. Poſſibile verò homini, dante Deo, tunc etiam verè dicitur, dum homo gratiâ ad id ſufficienti nondum donatur.

Hoc etiam negare non poſſunt, qui do- 37
cent, gratiam ſufficientem omnibus dari. Sic enim docent eam omnibus dari, ut tamen fateantur, eam non dari pro omni inſtanti, ſed pro certis temporibus. Unde ſic argumentor. De fide eſt, quòd nullum ſit inſtans, quo peccator, ratione utens, dum eſt in vita, non poſſit ad Deum converti, & ſalvari, cap. *majores* de Baptiſmo, & cap. *firmiter* de ſumma Trinit. & fid. Cathol. Nec tamen magni peccatores, ſaltem inveterati, excæcati, & indurati, gratiam ſufficientem habent pro omni inſtanti. Ergo pro aliquo inſtanti converti, ſalvarique poſſunt, pro quo gratiam ſufficientem de facto non habent. Ergo poſſibilitas converſionis & ſalutis, ac per conſequens fidei, aliquando ſalvari poteſt ſine gratia ſufficienti de facto habita.

Ad idem ampliùs oſtendendum, rurſus 38
argumentor à ſimili: peccatum imputabile ad damnationem ſine gratia vitari non poteſt, ut communiter dicunt Sancti: nec tamen ad poſſe vitare ejuſmodi peccatum, neceſſaria eſt gratia ſufficiens de facto habi-

ta. Ergo nec ad posse converti, salvari, credere, &c. Consequentia bona est à paritate rationis. Antecedens ostenditur, quia aliàs gratia sufficiens, de facto habita, ad peccandum damnabiliter foret necessaria (cùm nullus possit damnabiliter peccare, nisi qui potest peccatum vitare) & sic tria sequerentur absurda. Primum, quòd pro omni instanti, quo peccator vellet damnabiliter peccare, Deus teneretur ipsi gratiam sufficientem dare. Secundum, quòd gratia sufficiens misericorditer non detur, quibuscumque datur, sed peccatoribus illis ex debito. Quo dato, gratia illa jam non esset gratia. Tertium, quòd Christus passus & mortuus sit, ut peccatoribus illis promereretur gratiam, quâ possent, & sine qua non possent damnabiliter peccare. Quod piæ aures non sustinent. Esse tamen consequens, probatur ex eo quòd nulla gratia, nullumque supernaturale donum, nobis in statu naturæ lapsæ conferatur, nisi per Christum, qui passionem, mortemque suam Patri obtulit, ut nobis impetraret gratias, & dona supernaturalia, quæcumque nobis conferuntur. Sed de his plura habes to. 1. l. 9.

CAPUT IV.

Fides actualis interna omnibus ratione utentibus, etiam in infantia baptizatis, necessitate medii simpliciter necessaria est ad salutem.

39 Esse taliter necessariam omnibus ratione utentibus, in infantia non baptizatis, constat ex dictis cap. præcedenti. Sunt enim peccatores: sine illa proinde justificari non possunt, nec salvari. Ratione verò utentes, qui per baptismum in infantia justificati fuerunt, sine fide actuali salvari posse docent Altisiodorensis in 4. tr. 4. q. 3. Meratius disput. 19. de fide sect. 1. assert. 2. Bordonus tom. 1. c. 8. de fid. Eccles. Rom. n. 138. Suarez disput. 12. de necess. fid. sect. 2. n. 10. Cardinalis de Lugo disput. 12. de fid. sect. 1. num. 3. Platelius de fid. c. 1. §. 6. n. 219. Comptonus de fid. disput. 15. sect. 1. Oxea disput. 12. de fid. sect. 1. n. 12.

40 Sed pro assertione nostra communis est Ecclesiæ sensus, communis doctrina SS. Patrum, communis sententia Theologorum, cui tantam certitudinem conciliant documenta sacra, & Ecclesiæ decreta, ut eam non elidat authoritas Doctorum citatorum in contrarium: utpote nullius ideò ponderis, quia solâ humanâ ratione contradicunt Oraculis Scripturarum, documentisque Ecclesiæ & Sanctorum. Quod profectò non licet, præsertim hac in re, quæ decidenda non est ratione purè humanâ: cùm pendeat à voluntate Dei, quam nobis manifestant sacra illa Oracula, & documenta, non ratio purè humana. Divinarum itaque Scripturarum Oracula, SS. Patrum documenta, & Ecclesiæ decreta consulamus.

§. 1.

Asserta necessitas probatur ex sacris Oraculis, sive ex divinis Scripturis.

Et primò ex Apostolo, hanc fidei actualis necessitatem variis locis perspicuè docente, signanter in epistola ad Galat. c. 3. & seqq. ubi ferè totus est, ut ostendat, neminem in veteri lege justificari, vel salvari potuisse sine fide; quòdque illi soli, qui ex fide sunt, hi filii Abrahæ; cæteri verò sub maledicto sunt, & pereunt. 41

Secundò ex eodem Apostolo Hebr. 11. ubi, ab Abela exorsus, factâ inductione justorum, qui ante Christum fuerunt, demonstrat, nullum eorum sinè fide Deo placuisse, nec salvatum fuisse. Cùmque de fide Henoch nihil scriptum extaret, probat nihilominùs, quòd *fide Henoch translatus est, quia ante translationem testimonium habuit placuisse Deo*, nec Deo placere potuit absque fide: *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*, &c. Quam argumentationem n. 18. demonstravimus inefficacem fore, si vel unus adultus, etiam in casu extraordinario, sine fide actuali salvari potuerit. Quantò ergo magis inefficax erit, si plures adulti, in infantia per baptismum justificati, sine ea possint salvari? Quidni enim Henoch, sine ea ante translationem Deo placere, atque adeò sine ea transferri potuerit? cùm credibile sit, ipsum (utpote ex piissimis parentibus natum) per aliquod legis naturæ sacramentum, vel sacrificium, aliumve modum, ad id pro illo tempore à Deo institutum, in infantia justificatum fuisse, nec posteà mortaliter peccasse. Teste namque Scripturâ, cum Deo ambulavit, & tam sanctè vixit, ut ad Paradisum transferri meruerit, reservatus (unà cum Elia Patriarcha nostro) ad Dei causam in fine mundi contra Antichristum sustinendam. 42

Tertiò ex definitione fidei (actualis utique, ut patet ex contextu) quam idem Apostolus profert ibidem: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ibi namque *substantia* idem est quod basis & fundamentum, prout Interpretes passim exponunt. Sicut ergo fundamentum necessitate medii simpliciter necessaria est ad ædificium; sic fides actualis, adultis (de quibus ibi sermo est) necessitate medii simpliciter necessaria est ad consecutionem rerum sperandarum. 43

Quartò ex Marci ultimo: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni crea-* 44

creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Quibus verbis non solùm exprimitur necessitas fidei actualis (quam apertè significat ly *qui crediderit*) sed & illius fidei, quâ creditur Evangelio, quoad ea scilicet, quæ sunt fundamenta Christianæ Religionis, cujusmodi sunt mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis: clausula enim, *qui crediderit, qui non crediderit*, &c. immediatè subjuncta clausulæ, *prædicate Evangelium*, significat ibi agi de eo qui crediderit, vel non crediderit Evangelio, post illud ab Apostolis promulgatum; ac per consequens Christus generaliter, & sine exceptione dicendo, *qui non crediderit, condemnabitur*, significare voluit, ad consequendam salutem, evitandamque damnationem, post promulgatum Hierosolymis ab Apostolis Evangelium, fidem fundamentalium Evangelicæ Religionis dogmatum, necessitate medii, omnibus ratione utentibus, simpliciter necessariam esse ad salutem. Generalis quippe illa Christi sententia (sicut Evangelium ipsum) vim habere cœpit, statim atque Evangelium Hierosolymis per Apostolos promulgatum fuit. Tametsi enim statim atque Evangelium Hierosolymis prædicatum fuit, per universum mundum prædicatum non fuerit; imò multæ superfuerint, & aliquæ etiamnum supersint Gentes, quibus necdum prædicatum fuit; eo non obstante, sicut baptismi, sic dictæ fidei ad salutem necessitas, per universum mundum vim habere cœpit: cum ea tamen differentia, quòd baptismus ex tunc ad salutem necessitate medii solùm necessarius esse cœperit secundùm quid, in re scilicet, vel in voto; fides verò dicta necessitate medii necessaria esse cœperit simpliciter & in se. Ad quod significandum Christus (ut Bernardus observat epist. 77.) sic baptismum unà cum fide expressit, dicendo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, ut tamen in repetitione, *qui verò non crediderit*, non similiter expresserit, *& baptizatus non fuerit*, condemnabitur. Cautè igitur, & vigilanter non repetivit, qui verò baptizatus non fuerit (ait Mellifluus Doctor) sed tantùm, qui verò non crediderit, condemnabitur; innuens, solam interdum sufficere (sine baptismo in re) fidem ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil, atque adeò fidem necessitate medii simpliciter necessariam esse ad salutem, etiam respectu eorum qui nihil audierunt de Evangelio, licèt baptismus, respectu eorundem, necessitate medii solùm necessarius sit secundùm quid, ut suprà: utpote cujus defectus supplebilis est per fidem, spem & charitatem (quam à Deo accipere possunt) ubi defectus fidei, per nihil aliud supplebilis est; eò quòd fides sit fundamentum salutis, & primum supernaturalium donorum.

45 Quintò probatur ex Scripturis, quibus capite 6. probabitur necessitas fidei actualis in Deum hominem, quæ esse non potest sine fide in Deum.

Accedant ad divinas illas Scripturas con- 46
trarii Authores, illisque sensum suum, & humanam rationem; non verò Scripturas divinas anticipato sensui suo, humanæque rationi à se excogitatæ accommodent: memores præclaræ regulæ, quam Hilarius tradit l. 1. de Trin. *Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis, potius quàm imponat, & retulerit, magis quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.* Quam etiam Hieronymus inculcat ad cap. 10. Matthæi: *Prudens lector, cave, ne tuo sensui attemperes Scripturam; sed Scripturæ jungas sensum tuum.* Siquidem to. 1. Prolegom. 1. c. 5. & Prolegom. 3. c. 12. demonstravimus, verissimum esse, quod laudatus S. Hilarius l. 7. de Trin. dicit, *ex vitio malæ intelligentiæ, fidei extitisse dissidium, dum quod legitur, sensui potiùs coaptatur, quàm lectioni sensus obtemperet.* Ibidem quoque demonstravimus, ex eodem vitio profluxisse damnatas de moribus propositiones.

Per consequens memores etiam sint, non 47
licere sibi, ab earundem Scripturarum generalitate pro visa sibi ratione excipere, neque eas ex ingenio suo glossare, absque ullo in Scripturis & Patribus fundamento. Sine quo proinde dum adultos, in infantia baptizatos, excipiunt, hæc ipsorum exceptio, absque majori inquisitione, operosiorique argumentatione, eo ipso rejicienda est tamquam illegitima, prout demonstravimus loco citato cap.....

Enimverò si à generalitate Scripturarum, 48
inculcantium necessitatem fidei actualis ad salutem, adultos aliquos excipere liceret; à generalitate Scripturarum, inculcantium necessitatem fidei actualis ad peccatorum ratione utentium justificationem, aliquos peccatores, ratione utentes, pariter excipere liceret, v. g. negativè infideles, vel invincibiliter Deum ignorantes, secundùm eos qui ejusmodi ignorantiam admittunt. Cur enim minùs? & quodnam in Scripturis & Patribus fundamentum potiùs excipiendi à generalitate illarum, quàm istarum, à qua nullam exceptionem contrarii Authores admittunt?

Denique iidem Authores meminerint, er- 49
rores ab Ecclesia in hac ipsa materia condemnatos (v. g. quòd *nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non verò explicita remuneratoris.* Quòd *fides latè dicta ex testimonio creaturarum ad justificationem sufficit*, &c.) ex simili exceptione, vel glossatione divinarum Scripturarum, seu earum accommodatione ad humanam rationem prodiisse. Assertores quippe, tam istius, quàm illius erroris, ad sic censendum movit hæc ratio purè humana: quia sine fide explicita

Dei remuneratoris, vel cum sola fide latè dicta divinæ bonitatis, exurgere quis potest in amorem ipsius super omnia, sicque justificari, vel etiam salvari. Cui deinde rationi Scripturas in contrarium allegari solitas accommodarunt, glossarunt, limitarunt, &c. Sed sicut hoc illegitimè fecerunt, ut constat ex Ecclesiæ declaratione; sic Authores, assertioni nostræ contrarii, similiter illegitimè faciunt, ut ex eadem declaratione à simili colligitur. Proinde quisquis in explicandis mediis supernaturalibus, ad salutem necessariis, cespitare non vult, de iis philosophari non debet ex ingenio suo, sed ex sacrorum documentorum præscripto.

§ 2.

Eadem necessitas probatur ex communi doctrina Sanctorum.

50 ETenim Sancti uno ore, absque ulla exceptione, contestantur assertam fidei actualis in adultis necessitatem, & non solùm fidei in Deum, sed & in Jesum Christum, sive in Deum hominem. Et ad hoc quidem sufficient testimonia Irenæi, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Gregorii, Bernardi, Francisci Xaverii, & Thomæ Villanovani cap. 6. exhibenda pro necessitate fidei in Christum: cùm enim Christus sit Deus, Deique Filius, hoc ipso quòd necessariam asserunt fidem in Christum, necessariam asserunt fidem in Deum.

51 Sed & fidem aliquam actualem necessitate medii ad salutem esse necessariam, doctrina est Ambrosii, Augustini, Fulgentii, Alcuini, &c. Siquidem Ambrosius enarrat. in Psal. 37. *Fides* (inquit) *est salutis nostræ pretium, sine quo non emitur regnum cælorum.* Augustinus 13. Trin. 7. *Præcipuè fides est necessaria, quâ in Deum creditur*, ad hoc utique ut beatitudinem consequamur. Præcipua verò necessitas, est necessitas medii, de qua sicut loquitur in testimoniis citato loco referendis pro necessitate fidei in Christum; ita & in præsenti testimonio, pro necessitate fidei in Deum. Serm. 14. de verb. Apostoli, *Christus nihil prodest non credentibus.* Prodesset autem, siqui eorum sine fide actuali salvarentur: cùm nullus salvetur, nisi per Christum. Fulgentius in Prologo libri de fide ad Petrum: *Fides est bonorum omnium fundamentum, humanæ salutis initium: sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest pervenire; quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis gratiam, nec in futuro vitam consequetur æternam.* Similia verba proferri solent ex Augustino serm. 38. de tempore; sed sermo iste totus est Alcuini lib. de Trin. ut observant Authores novissimæ edit. Operum S. Augustini: ibi itaque Augustinus, seu potiùs Alcuinus sic habet: *Ad veram beatitudinem pervenire volentibus prima omnium fides necessaria est, sicut Apostolica docet authoritas, dicens:* " Sine fide impossibile est placere Deo. " *Constat ergo, neminem ad veram posse pervenire beatitudinem, nisi Deo placeat, & Deo neminem posse placere, nisi per fidem. Fides namque est bonorum omnium fundamentum; fides est humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum ejus consortium potest pervenire. Quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis gratiam consequitur, neque in futuro vitam possidebit æternam.* Quo loco sermonem esse de necessitate fidei actualis, constat ex testimonio Apostoli Hebr. 11. ex quo Alcuinus probat necessitatem fidei. Sermonem quoque esse de necessitate medii simpliciter, patet ex eo quòd eodem modo dicat, neminem Deo placere posse, nisi credat, quo dicit neminem ad veram posse pervenire beatitudinem, nisi Deo placeat. Quod ad consequendam beatitudinem necessitate medii simpliciter necessarium esse, nemo est qui dubitet.

§. 3.

Eadem necessitas probatur ex decretis Ecclesiæ.

TUm scilicet ex Tridentino sess. 6. cap. 8. ubi fidem actualem vocat *humanæ salutis initium ..... sine qua impossibile est Deo placere, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* Quæ verba cùm deprompta sint vel ex laudato Fulgentio, vel ex sermone 38. Augustini de tempore, seu potiùs ex Alcuino, eumdem sensum habent in Tridentino, quem habent in Fulgentio, vel Alcuino. 52

Tum ex Decreto, quo Innocentius XI. damnando hanc propositionem 22^am^. *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris*, apertè declaravit, fidem actualem (de qua patenter agit, dum de fide agit explicita; de qua etiam Assertores damnatæ propositionis egisse certum est: cùm de habituali nullus unquam dubitaverit) non solùm unius Dei, sed explicitam remuneratoris, necessitate medii, necessariam esse. Nec solùm fidem latè, sed strictè dictam, ut constat ex eo quòd idem Pontifex etiam damnaverit hanc propositionem 23^am^. *Fides latè dicta*, &c. Vide suprà n. 24. 53

Porrò si secundùm Ecclesiæ doctrinam, damnatæ illi propositioni contrariam, fides explicita unius Dei non sufficit (sufficientiâ medii) ad salutem, non video quomodò, post illam Ecclesiæ declarationem, nonnulli adhuc dicere audeant, adultum ratione utentem, sine ulla Dei notitia, aliquo casu salvari posse, v. g. adultum ab infantia baptizatum, ac deinde inter bestias, vel atheos educatum, &c. cùm doctrina Ecclesiæ, utpote indefinita, in hac re dog- 54

matica, sit æquivalenter universalis, & sine dubio fundata in generalibus Scripturæ sententiis §. 1. relatis, quæ neminem excipiunt. Nec proinde magis licet ab Ecclesiæ doctrina excipere adultos, Deum invincibiliter ignorantes, quàm à generalibus illis sententiis, quæ illos non excipiunt; quin exceptionem illam Scriptura expressè excludit, dum ait: *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Si enim vani, non igitur ad salutem consequendam idonei.

55 Nec magis licet propositionem 22.am ab Innocentio XI. damnatam, quàm generales Scripturas (in quibus damnatio fundatur) restringere ad solos adultos impios. Ob ea quæ num. 44. 45. & 46. dixi. Et quia Authores damnatæ illius propositionis, in ea asserenda, secuti sunt communem definitionem necessarii necessitate medii, quâ necessarium necessitate medii definitur: *illud sine quo, etiam inculpabiliter omisso, non potest obtineri salus*; non autem definitionem, ipsis incognitam, cujusdam Recentioris, communem illam definitionem, singulariter, & sine duce restringentis ad impios, & dicentis, necessarium necessitate medii esse *illud, quo, etiam inculpabiliter omisso, salus obtineri non potest ab impiis*: ideò secundùm communem definitionem, à Theologis passim omnibus traditam, damnatio procedit; non secundùm istam singularem, non aliâ ratione adinventam, nisi ad sustinendum contra Scripturas, Concilia, Patres, allatamque Ecclesiæ doctrinam, aliquos adultos, ratione utentes, sine ulla fide actuali, imò sine ulla Dei notitia, salvari posse, & sine fide, non solùm explicita, sed etiam implicita Christi, sicut & Dei, sive ut existentis, sive ut remuneratoris, &c.

§ 4.

Eadem necessitas probatur ex doctrina S. Thomæ.

56 UTpotè qui 1. 2. a. 3. q. 4. 5. 7. & 8. pluribus inculcat assertam à nobis fidei necessitatem ad salutem, probatque ex Apostolo Hebr. 17. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Item, *accedentem ad Deum credere oportet, quia est*, &c. Agit proinde de necessitate sine qua impossibile est salvari. Et a. 7. eodem modo necessariam asserit fidem in Christum. Et ad 3. ait, quòd *multis Gentibus* (in veteri lege) *facta fuit revelatio de Christo .... Siqui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris. Quia etiamsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum, secundùm modos sibi placitos.* Et q. 14. verit. a. 11. sibi primo loco objicit, solvitque palmare, imò unicum fundamentum opinionis contradicentis assertæ à nobis necessitati, inde scilicet petitum, quòd si fides actualis omnibus adultis taliter necessaria sit, sequitur quòd aliquis de necessitate damnabitur: possibile est enim aliquem nutriri in sylvis, vel inter lupos, & talis non potest explicitè aliquid de fide cognoscere. Ergo erit aliquis homo, qui de necessitate damnabitur. Solvit (inquam) ad 1.am dicendo, *quòd non sequitur istud inconveniens. Hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodò ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis .... taliter* (utpote in sylvis vel inter lupos) *nutritus ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè tenendum est* (audiant illi, quibus incredibile videtur quod Angelicus Doctor pronuntiat *certissimè tenendum*) quòd Deus ei *per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Ecce S. Thomas non dicit, talem hominem, sub invincibili ignorantia fidei, posse sine actu fidei interno salvari, sed certissimè tenendum esse, quòd si Deus in ipso non reperiat impedimentum, ipsum vel per internam inspirationem, vel per missum prædicatorem docebit ea quæ sunt ad credendum necessaria. Non autem S. Doctor tantâ certitudine doceret illud à Deo providendum, si existimaret, fidem actualem homini taliter enutrito non esse medium indispensabiliter necessarium ad salutem, quandoquidem homo taliter enutritus sine illo medio salvari posset sub invincibili ignorantia, & sine ulla notitia Dei, & Christi. Et tamen in 3. dist. 25. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. in tantum adhuc inculcat necessitatem fidei explicitæ, etiam in Christum (post Evangelium promulgatum) ut si aliquis, obstaculum non habens, illius mysterii instructionem non haberet, Deus ei revelaret, vel instructorem ad eum mitteret, sicut misit ad Cornelium, qui, ut idem S. Doctor ait 2. 2. q. 10. a. 4. ad 3. habebat fidem implicitam Christi, & cum ea justificatus fuit ante manifestatam veritatem Evangelii; quia tamen post illius promulgationem necessitate medii ad salutem necessaria fuit fides Christi explicita, ut explicitè instrueretur de fide Christi, per Angelum missus est ad eum Petrus. Quod necesse non fuisset, si fides explicita Christi solùm necessitate præcepti necessaria fuisset: utpote sine qua, deficiente instructore, salvari potuisset, eo modo quo plurimi salvantur sine observantia aliorum præceptorum invincibiliter ignoratorum, ad quos Deus instructores extraordinariè non mittit, ad hoc ut salventur cum observantia istorum præceptorum.

Unde patet 1°. facto argumento non sa- 57
tisfieri, dicendo cum Lumbiero nostro q.

15. de fide n. 929. quòd etiamsi fides non sit medium indispensabiliter necessarium, Deus adhuc extraordinario illo modo uteretur, & certissimè uteretur (prout S. Doctor ait) non pro substantia salvationis, sed ut ea fieret cum observantia præceptorum.

58 Patet 2°. fidem explicitam Christi, post Evangelium promulgatum, juxta S. Doctorem, nedum esse medium ad salutem indispensabiliter necessarium adultis peccatoribus, sed & justificatis, sicut fuit in Cornelio. Qua de re plura infrà.

§. 5.

Eadem necessitas probatur rationibus Theologicis.

59 PRima ratio: fides actualis necessitate medii indispensabiliter necessaria est ad justificationem adultorum, ob divinas Scripturas id generaliter asserentes, prout constat ex dictis cap. 1. ergo & ad eorum salutem, ob divinas etiam Scripturas id asserentes generaliter. Nec enim magis licet, privato sensu, rationeque purè humanâ excipere à generalitate istarum quàm illarum, ut vidimus num. 46.

60 Secunda ratio: nullus ratione utens, quàmlibet in infantia baptizatus, ullo casu salvari potest, nisi propriæ cooperetur saluti. Sed principium cooperandi saluti, est per fidem. Ergo. Minor constat ex eo quòd fides à Conciliis & Patribus dicatur *humanæ salutis initium*. Major probatur, quia ordo divinæ providentiæ, nobis per Scripturas, Patres, & Ecclesiæ decreta manifestatus, exigit, ut omnis ratione utens, qui salutem consequitur, eam consequatur ut præmium, mercedem & coronam justitiæ, à justo Judice reddendam, & non solùm ut hæreditatem, sicut infantes: igitur exigit, ut omnis ratione utens, qui salutem consequitur, eam promereatur, solvatque salutis pretium benè operando, bonisque operibus tantum præmium, tantamque mercedem ac justitiæ coronam promerendo. Propterea namque *regnum cælorum*, Evangelio teste, *vim patitur*. Propterea Matth. 19. Christus ait: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Propterea fatuis virginibus Matth. 20. clausa est janua regni cælestis, quia, vocante sponso, non habuerunt oleum in lampadibus suis, id est, non habuerunt bona opera. Propterea Apostolus ait, quòd *non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*. Propterea nihil usitatius, quàm vulgatum istud (quod Augustino tribui solet) *qui creavit te sine te, non salvabit te sine te*. Adultis itaque ratione utentibus necessarium est benè operari, ad salutem consequendam. Et quia necessaria est proportio mediorum ad finem, ad hoc necesse est supernaturaliter operari. Ad hoc igitur indispensabiliter necessaria est fides actualis: utpote fundamentum & radix omnis operationis supernaturalis, juxta Tridentinum & Patres n. 19. citatos. Ista proinde causa est, propter quam fides ab Ambrosio enarrat. in Psal. 37. vocatur *salutis nostræ pretium, sine quo non emitur regnum cælorum*.

Tertia ratio sumitur ex multis & magnis 61
inconvenientibus ex contraria sententia oriundis. Sequitur enim 1°. aliquos adultos, post baptismum in infantia susceptum, ex ignorantia invincibili totâ vitâ atheos, idololatras, Mahometanos, &c. salvari posse. Sed hoc communis fidelium sensus improbat, nec ipsi probare audent Adversarii. Ergo. Probatur sequela, quia si dabilis est inculpabilis ignorantia Dei negativa, & sub illa salus, absque ulla fide actuali (prout contrarii Authores prætendunt) dabilis est & inculpabilis ignorantia Dei positiva, id est positiva existimatio, quòd non sit Deus, vel quòd sint plures dii, &c. saltem in eo qui (post baptismum in infantia susceptum) adepto rationis usu, pravâ athei Doctoris, vel atheorum, aut polytheorum parentum, est instructione præventus, prout expressè admittit cum Caramuele in Apologem. num. 123. Bonæ-spei disput. 1. de Deo uno num. 39. & 41. & esse consequens nos ostendimus to. 1. de Deo distinct. 2. n. 108. Ergo dabilis est inculpabilis atheus, polytheus, & consequenter inculpabilis idololatra, inculpabilis Mahometanus, &c. Tam ergo iste, quàm ille, Deum ignorantiâ inculpabili negativè ignorans, sine ulla fide actuali salvari poterit. Cur enim iste minùs, quàm ille, æquè inculpabiliter Deum ignorans? Quæcumque ad id Scripturarum, Conciliorum, Patrum, vel SS. Pontificum testimonia protuleris, vel probant adultum sine fide actuali salvari posse, vel non probant absolutam fidei necessitatem in uno magis, quàm in altero. Neque enim alia proferes, vel certè non proferes expressiora iis, quæ protulimus, quæ vel utrumque à salute excludunt, vel neutrum. Universim namque contestantur fidei actualis necessitatem. A qua universitate si tibi liceat excipere laborantes inculpabili ignorantiâ Dei negativâ; aliis pariter licebit excipere laborantes inculpabili ignorantiâ Dei positivâ, saltem in casu dictæ prævention is.

Sequitur 2°. salutem esse aliquibus possi- 62
bilem in qualibet religione, & secta, ut patet ex dictis in Corollario præcedenti. Id autem Catholicæ aures non ferunt, estque contra omnes Patres, dicentes (cum Augustino epist. 49. ad Deo gratias) quòd per solam veram religionem, salus vera, veraciterque promittitur. Et (cum Irenæo lib. 5. cap. 20.) extra Ecclesiam non esse viam salutis, quia extra eam non est vera fides; huic enim creditum est lumen Dei ..... &..... sapientia Dei, per quam salvat homines.

Sequitur 3°. aliquos adultos impios, sine

ulla fide actuali, justificari, ac per consequens salvari posse, nec contrarium ex Scriptura, Patribus, & Ecclesiæ decretis convinci posse: utpote quorum generales sententias simili ratione restringere, glossareque licebit, sicut in præsenti restringunt, glossantque Adversarii. Sicut enim, in præsenti casu, dicunt adultum, in infantia baptizatum, paulò post usum rationis morientem, sub invincibili ignorantia fidei, sine ea salvari, eò quòd sic physicè sit adultus, ut moraliter quoad eliciendum fidei actum censeri non debeat adultus, sed habeat se ut infans; eodem proinde modo, ac medio salvandus, quo salvantur infantes: cùm de credendo, vel credendi necessitate non magis cogitaverit, nec credendi actum minùs inculpabiliter omiserit, quàm infans. Sicut (inquam) sic ipsi discurrunt; ita licebit discurrere de adulto, qui paulò post rationis usum, cum solo originali mortali baptizatus moritur, sub invincibili ignorantia fidei, antequam scilicet de credendo, vel credendi necessitate quidquam cogitaverit. Si adultus, de quo ipsi, sub invincibili ignorantia fidei, sine ea salvetur, eò quòd physicè quidem sit adultus, sed quoad eliciendum fidei actum, se moraliter non habeat ut adultus, sed ut infans, eodemque proinde modo ac medio salvetur, quo salvantur infantes. Similiter ergo adultus impius, de quo jam agimus, paulò post usum rationis, cum solo originali, sub invincibili ignorantia fidei, sine ea baptizatus, sine ea justificatur, eò quòd physicè quidem fit adultus, sed quoad eliciendum fidei actum, se moraliter non habeat ut adultus, sed ut infans; eodem proinde modo ac medio justificetur, quo justificantur infantes, per baptismum utique. Quo dato, fides actualis huic non magis necessaria erit ad justificationem, quàm illi ad salutem. Et quæ in contrarium objiciuntur ex Scriptura & Tridentino, vocante Sacramentum Baptismi, *Sacramentum fidei, sine quo nulli unquam contigit justificatio*, restringere licebit ad moraliter adultos, quoad actum credendi, sive ad eos quibus fides sufficienter proposita est, simili licentiâ, quâ Adversarii restringunt sacra testimonia §. 1. 2. & 3. exhibita. Sed hoc ne ipsi quidem Adversarii concedere audent, nec à quoquam concedi potest. Ergo nec illud potest concedi.

64 Sequitur 4°. adhuc aliâ ratione, adultos impios, etiam illos qui baptismi gratiam per mortale proprium amiserunt, sine fide actuali, saltem strictè dicta, & cum sola fide latè dicta justificari posse. Sed hoc dici non potest. Ergo. Minor constat ex dictis c. 3. ex eo utique quòd Innocentius XI. hanc propositionem damnaverit, *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.* Et meritò damnavit: quia fides, sine qua *impossibile est placere Deo*, fides quâ *accedentem ad Deum credere oportet quia est*, fides quâ *corde creditur ad justitiam*, est fides ex auditu, secundùm Apostolum Rom. 10. Item est fides quæ ab Apostolo definitur: *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Proinde fides est strictè, non latè dicta. Hæc enim non est fides propriè, sed impropriè. Scriptura autem propriè intelligenda est, quamdiù in sensu proprio nullum continet absurdum. Enimverò si fides latè dicta sufficeret, facilè convinci non posset Erasmus, in eo quòd Socratem, & Platonem, aliosque ejusmodi viros, in gentilitate egregios, cælo donavit. Sustineri enim posset opinio illa Erasmi, eo modo, quo plerique post ipsum sustinuerunt, in America, priusquàm Evangelium illic prædicatum esset, plures per fidem latè dictam salvatos fuisse, idque generalitatem gratiæ Christi, divinamque misericordiam ac bonitatem commendare.

Sequela verò probatur, tum quia vel id 65
probant argumenta, quibus Adversarii prætendunt, adultum sine ulla fide salvari posse; vel nihil probant, ut infrà videbitur. Tum quia non est cur dicti impii minùs justificari possint cum sola fide latè dicta (in casu quo fides stricta ipsis non est sufficienter proposita, sive in casu invincibilis ignorantiæ illius) quàm adulti, sine ulla omninò fide, salvari possint, in casu invincibilis ignorantiæ illius. Si enim Scripturas, Patres, Conciliorumque & SS. Pontificum declarationes pro necessitate fidei actualis ad salutem, glossare liceat, ut solùm procedant in casu quo fides est sufficienter proposita; pari ratione & jure sic glossare licebit Scripturas, Patres, Conciliorumque & Pontificum declarationes pro necessitate fidei strictæ ad justificationem, ut solùm procedant in casu sufficientis propositionis fidei strictæ. Tum denique quia Authores, qui docent adultos, ab infantia baptizatos, sine ulla fide actuali, sub invincibili ignorantia illius salvari posse, suam illam doctrinam non fundant in Scripturis, Patribus, Conciliis, vel Ecclesiæ declaratione; sed in ratione purè humana. Si verò ratione purè humanâ liceat de mediis supernaturalibus ad justificationem, vel salutem, indispensabiliter necessariis, vel non necessariis, sententiam ferre; certè siqua ratio purè humana suadeat aliquos adultos sine ulla fide actuali, sub invincibili ignorantia illius salvari posse; aliqua etiam ratio purè humana suadet, aliquos adultos impios, etiam illos qui baptismi gratiam per mortale actuale perdiderunt, sine fide actuali stricta justificari posse. Hæc utique ratio, quòd amore Dei super omnia, & contritione inde procedente, peccator, qui baptismi gratiam per mortale actuale perdidit, justificari possit. Amor verò Dei super omnia, & contritio inde procedens, attentâ ratione purè humanâ, elici potest cum sola fide la-

tè dicta, id est supernaturali cognitione divinæ bonitatis, Dei testimonio non innixâ, sed testimonio creaturarum, aliove simili motivo, per divinæ tamen gratiæ auxilium elicitâ. Siquidem amor Dei super omnia, cum sola ejusmodi fide latè dicta, sine fide stricta, attentâ ratione purè humanâ, non minùs elici potest, quàm cum sola fide Dei existentis & remuneratoris, sine explicita fide Christi, secundùm plures Authores, assertæ à nobis necessitati contrarios. Hoc autem posito, adultus impius, de quo agimus, non minùs justificari poterit sine fide stricta, sub invincibili ignorantia illius, quàm sine fide explicita Christi, sine qua invincibiliter ignorata justificari posse docent.

66 Sequitur 6°. adultos impios justificari & salvari posse sine fide explicita remuneratoris, sub invincibili ignorantia illius. Sed hoc Innocentius XI. damnavit propos. 22. Ergo probatur sequela (quam contra Ecclesiæ doctrinam concedit Arriaga disput. 12. de fide sect. 5. simili argumento quo proximè usi sumus) quia qui docent adultum sine ulla fide actuali, sub invincibili ignorantia illius salvari posse, hoc non fundant in Scriptura divina, sed in ratione purè humana. Si verò liceat ratione purè humanâ statuere de mediis ad salutem necessariis, vel non necessariis; æquali, vel majori ratione dicere licebit, adultos justificari & salvari posse sine fide explicita remuneratoris, sub invincibili ignorantia illius, quàm liceat dicere adultum salvari posse sine ulla omninò fide actuali, sub invincibili ignorantia illius. Hac utique ratione, quòd Deus proponi possit ut infinitè bonus, absque eo quòd proponatur ut remunerator; ac per consequens explicitè credi possit infinitè bonus, absque eo quòd explicitè credatur remunerator. Deus autem taliter propositus & creditus amari potest, etiam amore perfecto; quem quisquis habet, justificatur. Fortiorem profectò rationem non habent; imò nec æquè fortem, qui docent adultum sine ulla omninò fide actuali salvari posse. Huc faciunt cætera quæ dixi num. præcedenti.

§. 6.

Authorum contrariorum argumenta solvuntur.

67 OBjicies 1°. Potest quis, in infantia baptizatus, Deum in adulta ætate invincibiliter ignorare, & sub illa ignorantia, post breve tempus usûs rationis, mori priusquàm mortaliter peccet. Sed nihil divinæ bonitati & rectæ rationi conformius, quàm talem hominem salvare: cùm eo ipso moriatur justus, quo moritur priusquàm Baptismi gratiam per mortale peccatum amittat. Est autem contra divinam bonitatem, rectamque rationem, justum in accepta justitia morientem damnare.

Confirmatur, quia si talis non moreretur justus, foret ob defectum actûs fidei, cujus omissione mortaliter peccasset. Sed fieri potest quòd moriatur priusquàm actum illum elicere teneatur, atque adeò priusquàm illius omissione peccet. Quia vel actum illum elicere non tenetur primo instanti usûs rationis: vel si teneatur, primum illud instans accipiendum non est metaphysicè, & indivisibiliter, sed moraliter, & cum aliqua latitudine, ut sit locus deliberationi necessariæ ad liberum fidei actum. Ad eam quippe tempus requiritur. Supponamus ergo tempus ad id necessarium, seu primum illud instans moraliter sumptum, comprehendere medium horæ quadrantem, in cujus tertia, vel quarta particula ille (de quo agimus) moriatur: profectò moritur antequam mortaliter peccet, omissione actûs fidei: quia moritur antequam teneatur illum elicere. Ergo moritur justus.

Respondeo negando majorem, pro utra- 68
que parte. Quòd enim adultus ratione utens, invincibiliter Deum ignorare non possit, tom. 1. de Deo distinct. 2. q. 2. a. 4. ostendimus, & suprà cap. 3. num. 31. confirmavimus. Quòd verò adultus ratione utens, sine ulla Dei notitia & fide actuali in gratia moriatur, potentiâ quidem antecedenti absolutè possibile est, abstrahendo à decretis divinæ providentiæ in contrarium; sicut absolutè possibile est, prædestinatum mori, dum est in peccato mortali, vel reprobum, dum est in gratia: sed sicut hoc possibile non est potentiâ consequenti, supposito præsenti ordine divinæ providentiæ; ita nec illud. Sicut enim divina providentia nunquam istud permittit, ne suus ordo violetur; ita nec illud, ob eandem rationem. Cùm ex una parte decreverit, omnem in gratia morientem salvare: ex alia parte decreverit, nullum ratione utentem, sine sui cognitione & fide salvare, ut constat ex Scripturis, Patribus, Ecclesiæ decretis, Theologicisque rationibus suprà allegatis. Secundùm præsentem itaque divinæ providentiæ ordinem, nullus in infantia baptizatus, post rationis usum, in gratia moritur, absque Dei cognitione & fide. Quia nullus in gratia moritur, nisi qui, ex speciali Dei misericordia & gratia, accipit magnum perseverantiæ donum (teste Tridentino sess. 6. cap. 13. & can. 22. ubi sic: *Si quis dixerit justificatum, sine speciali auxilio Dei, in acceptâ justitia perseverare posse, anathema sit*) illud verò perseverantiæ donum, Deus nec dat, nec dare tenetur omnibus justis; sed iis solis dat, quos ex speciali sua misericordia, secundùm gratuitum propositum suæ voluntatis, electos, ac prædestinatos, efficaciter salvare decrevit. Nullos autem adultos, ratione utentes, taliter salvare decrevit, nisi

mo-

mediante sui cognitione, & fide, uti vidimus. Omnis proinde adultus, qui post rationis usum, sine Dei cognitione & fide moritur, moritur absque perseverantiæ dono. Nullus ergo eorum perseverat. Nullus ergo in gratia moritur: sed omnis adultus talis moritur in peccato. Quod tamen non necessariò est peccatum contra præceptum eliciendi actum fidei, sed sive contra præceptum istud (quo casu Deus ipsi tribuit tempus necessarium ad deliberandum) sive contra aliquod aliud præceptum. Unde patet ad confirmationem.

69 Objicies 2°. Gratis fingitur talis divinæ providentiæ ordo.

Respondeo gratis non fingi, quod tam perspicuis nititur divinarum Scripturarum, Ecclesiasticorum decretorum, Sanctorum testimoniis, Theologicarumque rationum momentis.

70 Objicies 3°. Dato, non concesso, quòd fides actualis necessitate medii necessaria foret adulto, de quo agimus, non proinde excludendus foret à salute. Quia necessarium necessitate medii à Theologis communiter non benè definitur: *illud sine quo, etiam inculpabiliter omisso, nullus salvari potest*; sed definiri debet: *illud sine quo, etiam inculpabiliter omisso, nullus impius salvari potest* (aliàs justus, ob inculpabilem omissionem actûs fidei, sibi moraliter impossibilis, gratiâ privaretur, vel in gratia moriens, à salute excluderetur) adultus verò de quo agimus, non est impius, sed justus.

Respondeo negando antecedens. Ad ejus probationem dico, optimam esse communem definitionem, neque objectæ sequelæ obnoxiam, ut constat ex dictis in responsione ad objectionem primam.

71 Objicies 4°. Adhuc dato, non concesso, quòd definitio illa bona sit, quòdque fides actualis necessitate medii ad salutem necessaria sit; non tamen necessaria est fides in re, sed sufficit in voto, sive in gratia baptismi, ait ingeniosus Recentior disp. 1. de Deo uno n. 52.

Respondeo negando antecedens 1°. quia probavimus fidem actualem adultis ratione utentibus esse necessariam in re. 2°. quia in eo qui Deum & fidem prorsus ignorat, nullum esse potest fidei votum. Siquidem votum seu desiderium fidei est actus, non habitus (sicut votum seu desiderium Sacramenti baptismi vel pœnitentiæ) ante fidem verò actualem, nullus est actus, in quo ipsa contineatur, sicut in voto: cùm fides illa sit humanæ salutis initium, adeòque primus actus supernaturalis. Et siquis actus, ante fidem actualem strictè dictam, foret ipsius votum, foret fides latè dicta ex auxilio gratiæ elicita; hanc verò non sufficere declaravit Ecclesia. 4°. aliqua fides necessitate medii ad salutem necessaria est adultis, quæ necessaria non est parvulis (teste Bernardo, qui epist. 77. fidem adultis magis necessariam asserit, quàm baptismum) sed gratia baptismalis non minùs necessaria est parvulis, quàm adultis. Igitur gratia baptismalis, non est illa fides, quæ magis necessaria est adultis, quàm parvulis. 5°. fides necessaria adultis, supernaturaliter illuminat intellectum. Sed votum, seu desiderium luminis, non illuminat, ut patet in eo qui in tenebris desiderat lumen. 6°. gratia baptismalis non magis est votum actûs fidei, quàm spei, charitatis, aliarumque virtutum; quorum actuum si gratia illa esset votum, infantes baptizati dici possent habere actum fidei, spei, charitatis, aliarumque virtutum in voto. Quod prorsus est inauditum, & Recentior ille negat disp. 2. de Eucharist. n. 54. hac ratione, quia carent usu rationis, quem votum præsupponit. Quâ ipsius ratione conficitur, gratiam baptismi non esse votum actûs fidei, spei, charitatis, &c. Aliàs votum istud non magis præsupponeret usum rationis, quàm gratia baptismalis.

Objicies 5°. Non est cur fides actualis 72
adulto per baptismum justificato, in re magis necessaria sit necessitate medii ad salutem, quàm baptismus aquæ taliter necessarius sit adulto, per contritionem perfectam justificato. Cui ideò non est in re taliter necessarius, quia antecedenter ad illum jam est justificatus: quæ ratio etiam verificatur in adulto nostro. Quemadmodùm ergo baptismum in re adultis jam justificatis Deus noluit esse in re taliter necessarium, ne multi amici Dei pereant defectu baptismi sibi moraliter impossibilis: sic fidem actualem in re noluit ipsis esse taliter necessariam, ne multi amici Dei pereant defectu fidei actualis, sibi moraliter impossibilis.

Respondeo 1°. retorquendo argumentum: non est cur fides actualis adulto impio in re magis necessaria sit necessitate medii ad justificationem, quàm baptismus aquæ in re, &c. Cui licèt baptismus in re taliter necessarius non sit, fidem tamen actualem in re ipsi ad justificationem necessitate medii necessariam esse fatetur idem Recentior disput. 7. de fide dub. 1. resol. 1.

Respondeo 2°. negando antecedens. Ratio enim majoris quoad hoc necessitatis fidei actualis in re, quàm baptismi in re, est institutio Dei, qui sicut voluit fidem actualem in re adulto magis necessariam esse ad justificationem, quàm baptismum in re; ita & ad salutem, uti demonstrant fundamenta nostræ assertionis. Quòd itaque baptismus in re non sit taliter ad salutem necessarius adulto, per contritionem perfectam justificato, non est ideò quia antecedenter ad baptismum est justificatus (potuit enim Deus illam in adultis justificatis non obstante antecedenti justificatione in re indispensabiliter ad salutem exigere) sed quia ex 73

Scripturis, & Ecclesiæ traditione habemus, Deum voluisse, ut baptismus in re tam ad salutem, quàm ad justificationem adultorum, per aliud suppleri posset; ex Scripturis verò & Ecclesiæ traditione econtrà habemus Deum noluisse, ut fides actualis in re, sive ad salutem, sive ad justificationem adultorum, per aliud suppleri posset. Et certè major est ratio cur baptismus per aliud suppleri possit, quàm fides, vel scilicet quia ante baptismum datur actus, in quo baptismus continetur sicut in voto; actus utique charitatis, vel contritionis: ante fidem verò actualem non datur actus, in quo ipsa contineatur, sicut in voto, prout ostendimus n. 71. & 72. vel potiùs quia baptismus non est nisi medium externum ad salutem & justificationem; fides verò, spes, charitas actualis sunt media interna, in quibus, non in mediis externis, consistit interna perfectio & reformatio hominis, quam Deus potissimùm intendit. Unde cùm interna perfectio & reformatio adultorum, sine mediis externis reipsà applicatis haberi queat, non verò sine internis; optimâ ratione Deus voluit defectum mediorum externorum per media interna suppleri posse; non defectum internorum per externa, in iis qui per rationis usum capaces sunt internorum. Unde idem rursus Recentior disput. 7. de fide n. 8. in responsione ad similem objectionem ait, quòd ex Scriptura habemus aquæ baptismum per aliud suppleri posse, videlicet ex Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Fidem econtrà actualem per aliud suppleri non posse, habemus ex Apostolo: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere oportet accedentem ad Deum. Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit; quomodò autem invocabunt, in quem non crediderunt? Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ex quo loco Bernardus majorem in adultis colligit necessitatem fidei actualis, quàm baptismi, ut suprà vidimus. Porrò allata loca, aliaque §. 1. allegata, de adultis generaliter loquuntur, nec excipiunt adultos per baptismum antecedenter justificatos. Et ideò ipsos excipere non licet.

75 Nec excipere cogit ratio, quæ in objectione tangitur, quòd si fides actualis per aliud (per gratiam utique baptismi) suppleri non possit, ad salutemque proinde adultorum indispensabiliter necessaria sit, multi amici Dei peribunt, defectu fidei actualis, sibi moraliter impossibilis. Cùm enim amicis suis Deus in necessariis non desit, nisi ipsi Deo desint, nec ipsos deserat, nisi priùs ab ipsis deseratur: amicis suis providet media necessaria, quibus pervenire possint ad fidem. Nullus proinde ipsorum perit ob defectum fidei sibi impossibilis, sed vel ob alia peccata, vel ob culpabilem defectum fidei sibi possibilis, cujus dono se reddiderunt indignos, juxta illud Augustini epist. 49. *Salus religionis hujus, per quam solam vera salus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit; & cui defuit, indignus fuit.*

Objicies 6°. Fidem actualem necessitate 76
medii necessariam facere adultis, per baptismum justificatis, pro eo tempore, quo Deum invincibiliter seu inculpabiliter ignorant, est adultum illum, jam justificatum, & filium Dei adoptivum, pro illo tempore, ad impossibile, sub pœna æternæ damnationis obligare. Quo nihil crudelius, nihil à paterno Dei in filium adoptivum affectu magis alienum.

Respondeo negando antecedens: utpote in quo falsò supponitur, adultis per baptismum justificatis, fidem actualem esse impossibilem pro tempore quo illius eliciendæ præceptum urget. Quod falsum esse constat tum ex dictis num. 75. tum ex damnatione hujus propositionis: *Aliqua Dei præcepta, hominibus justis, volentibus & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque gratia, quâ possibilia fiant.* Per consequens falsò supponitur, eundem adultum pro illo tempore Deum invincibiliter, & inculpabiliter ignorare, vel Deum omnibus adultis justificatis, ratione utentibus, non providere sui cognitionem, si faciant quod in se est, nec voluntariam sibi ignorantiam suâ culpâ adsciscant. Id enim à veritate alienum esse constat ex dictis num. 75. citato, mirumque est, id ut verum supponi ab iis, qui certissimum esse dicunt, Deum adultis omnibus dare gratiam sufficientem. Quomodò enim Deus adultis omnibus gratiam dat sufficientem, qui (secundùm ipsos) ne justis quidem omnibus dat fidem, imò nec sui cognitionem: cùm à supernaturali Dei cognitione & fide incipiat gratia sufficiens, ut vidimus num. 31. & (ut ibidem ostendimus) intelligibile non sit, quâ gratiâ sufficienti donatus sit, cui ne quidem donatum est, suum cognoscere Authorem, ad quem in necessitatibus confugere debeat. Nullus itaque adultus justificatus, Deum ignorat, vel certè vincibiliter ignorat. Nullus etiam adultus justificatus, nisi culpabiliter, caret fide credendorum necessitate medii, saltem usque ad mortem, ut patet ex dictis num. 75. Nullus denique adultus, per baptismum justificatus, sub mortali tenetur ad actum fidei sibi impossibilem, sed sibi possibilem per gratiam, sibi non negandam, nisi se eâ indignum suâ culpâ reddiderit.

Objicies 7°. Hæc propositio est vera: *Adultus, in infantia baptizatus, sub invincibili Dei ignorantia decedens, potest salvari.* Ergo fides 77
actualis ipsi necessaria non est ad salutem ne-

cessi-

ceſſitate medii. Probatur antecedens; ſi enim ſalvari non poſſet, neceſſariò damnaretur, adeòque veræ eſſent ſequentes propoſitiones à SS. Pontificibus damnatæ. 1ª. *Ad rationem & definitionem peccati, non pertinet voluntarium.* 2ª. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſariò facit.* 3ª. *Infidelitas negativa, in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.* 4ª. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia.*

77 Prima quidem propoſitio vera eſſet, quia ſi talis neceſſariò damnaretur, neceſſariò peccaret mortaliter: cùm nullus damnetur, niſi ob mortale peccatum. Sed in dicto adulto per baptiſmum juſtificato, invincibiliter Deum ignorante (qui poſt breve tempus uſûs rationis ſupponitur mori, nec tantillo tempore peccaſſe mortaliter contra legem naturalem, nec contra legem divinam diſtinctam à lege credendi) nullum aliud mortale peccatum eſſe poteſt, niſi omiſſionis actûs fidei. Ergo neceſſariò peccaret mortaliter omiſſione actûs fidei, ſibi ſub ejuſmodi ignorantia impoſſibilis. Quod ſi verum eſſet, ergo ad rationem peccati non pertineret voluntarium, & ſic vera eſſet 1ª. propoſitio. Vera quoque eſſet 2ª. quia neceſſariò peccaret damnabiliter, omiſſione actûs fidei, quem non poſſet non omittere, ſub eadem ignorantia invincibili. Similiter vera eſſet 3ª. quia omiſſio illa actûs fidei eſſet infidelitas negativa. Sed omiſſio illa peccatum eſſet. Ergo infidelitas negativa peccatum eſſet. Denique vera eſſet 4ª. quia adultis juſtificatis, de quibus agimus, præceptum de credendo Deum eſſe, eſſet obſervatu impoſſibile: cùm ipſis impoſſibile foret credere exiſtentiam Dei, quem invincibiliter ignorare ſupponuntur. Ergo Dei præceptum ipſis, tametſi juſtis, nec negligentibus facere quod poſſunt, in illo ſtatu foret impoſſibile.

78 Hæc eſt tota ſubſtantia argumenti, quod fuſiſſimè deducunt, & in quo tamquam Achille ſuo mirè confidunt ſequaces laudati Recentioris. Fruſtrà tamen, cùm ſolidum non ſit, ſed ſophiſticum. Falſum enim ſupponit, dari utique in adultis illis, per baptiſmum juſtificatis, ignorantiam Dei invincibilem uſque ad mortem, ſub qua ignorantia, ante mortem, non incurrant aliud mortale peccatum, quàm omiſſionis actûs fidei. Cujus tamen oppoſitum illud ipſum argumentum probat, ſiquid probat, & ſic ſeipſum deſtruit. Datâ quippe invincibili Dei ignorantiâ uſque ad mortem, ſequerentur illæ propoſitiones damnatæ. Cùm ex una parte ſub illa non poſſet quis credere; ex alia parte adultus ſalvari non poſſit, niſi credat, atque adeò ſine ulla Dei notitia & fide moriens, ſecundùm demonſtratum ordinem divinæ providentiæ, neceſſariò damnetur, neceſſariò proinde moriatur in peccato mortali. Quo poſito, quatuor illæ propoſitiones conſectariæ ſunt, vel certè argumentum nihil probat.

Ad illud itaque in forma reſpondeo 1°. 79
quòd admiſsâ ejuſmodi ignorantiâ uſque ad mortem, adultus taliter ignorans poſſet, & non poſſet ſalvari. Poſſet, ut Adverſarii ſuo illo argumento prætendunt. Non poſſet, ob ſacra teſtimonia, Patres, Theologicas rationes, & Eccleſiæ decreta paragraphis ſuperioribus deducta. Si ergo quatuor illæ damnatæ propoſitiones, ſuppoſitâ ignorantiâ Dei invincibili, legitimè deducantur ex aſſerta fidei actualis neceſſitate, ob earum damnationem neganda non eſt neceſſitas fidei actualis, in apertis divinæ Scripturæ, Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum documentis fundata: ſed neganda potiùs eſt poſſibilitas ejuſmodi ignorantiæ (ſaltem uſque ad mortem) ſecundùm præſentem divinæ providentiæ ordinem, utpote in nullo horum fundata; ſed ad ſummum in ratione purè humana, ob quam recedendum non eſt à ſacris illis documentis, ſed ab humana potiùs ratione recedendum, ob ſacra illa documenta, quibus ſubjicienda eſt ratio purè humana, non contrà.

Reſpondeo 2°. negando ſuppoſitum totius 80
argumenti, ſub præſenti utique ordine divinæ providentiæ dabilem eſſe in adultis, per baptiſmum juſtificatis, invincibilem Dei ignorantiam uſque ad mortem, ſub qua adulti illi, ante mortem, mortaliter non peccent alio peccato, quàm omiſſionis actûs fidei, ſub ejuſmodi ignorantia ſibi impoſſibilis. Admiſsâ quippe tali ſuppoſitione, damnatæ illæ propoſitiones liquidò conſequuntur. Sed negatâ ſuppoſitione, totum argumentum ad nihilum redigitur. Adulti itaque, de quibus agimus, ſi uſque ad mortem, Deum ignorarent, vincibiliter & culpabiliter ignorarent, nec proinde fidei actum ſibi impoſſibilem, ſed poſſibilem omitterent. Ob ea quæ dixi num. 75. & 76. Dato verò, non conceſſo, quòd Deum uſque ad mortem invincibiliter ignorarent, nec proinde fidei actum elicere poſſent, negativa infidelitas ipſorum non foret peccatum, nec ob iſtud peccatum damnarentur, ſed ob aliud contra legem naturalem commiſſum, in quod infallibiliter cadere, in eoque mori permittuntur, quotquot adulti ſine fide, adeòque ſine perſeverantiæ dono moriuntur. Vel damnantur ob plura ejuſmodi peccata, ante mortem non remiſſa, defectu remedii ad eorum remiſſionem indiſpenſabiliter neceſſarii. Difficultas quidem eſt in concipiendo quomodò mortaliter contra Deum peccare poſſit, qui Deum invincibiliter ignorat. Sed iſtis ſe difficultatibus implicant, qui ejuſmodi ignorantiam admittunt. Nos eam non admittimus.

CAPUT V.

Post promulgationem Evangelii, omnibus ratione utentibus, necessitate medii simpliciter necessaria est fides explicita Dei existentis, & remuneratoris.

81 PRior pars constat ex duobus capitibus præcedentibus. Primum enim credendorum omnium est Deum esse. Cùm igitur ad justificationem & salutem, adultis omnibus aliquid necessariò credendum sit necessitate medi, primò & maximè credendum est Deum esse, idque explicitè. Quod enim solùm implicitè creditur, in alio explicitè credito creditur. Quod autem primò credendum est, in seipso, non in alio credendum est. Unde Apost. Hebr. 11. *Accedentem* (inquit) *ad Deum credere oportet quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit.*

82 Posterior pars ex eodem Apostoli testimonio conficitur; eodem quippe loquendi modo Apostolus requirit fidem Dei remuneratoris, ac Dei existentis. Sed Dei existentis fidem requirit explicitam. Ergo & Dei remuneratoris. Sicque Apostolum Ecclesia, & Patres semper intellexerunt. Ideòque Innocentius XI. damnavit hanc propositionem 22. *Nonnisi fides unius Dei necessaria est, non autem explicita remuneratoris.* Quam propositionem contra omnes Theologos esse testatur P. Oxea disput. 13. de fid. n. 14.

83 Notat autem Ribera ad citatum Apostoli locum, Apostolum ibi loqui de Deo remuneratore, remuneratione supernaturali, quam versu 39. vocat *repromissionem*, quamque Matth. 25. Christus explicat, dicens: *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

84 Objicit quidem Arriaga, adultum justificari, salvarique posse cum actu perfectæ contritionis, vel charitatis, ad quem necessaria non est nisi fides & notitia divinæ bonitatis. Quæ cùm sit attributum distinctum ab attributo remuneratoris, unum sine alio explicitè cognosci credique potest. Potest ergo quis, Deum ut infinitè bonum explicitè cognoscens, & credens, non ut remuneratorem, Deum taliter cognitum super omnia perfectè amare, ex eoque amore de peccatis dolere, & sic justificari & salvari. Aliàs salvari non posset, qui in sylvis natus, & inter bestias educatus, summam Dei bonitatem agnosceret, & propter ipsam de peccatis doleret, nullâ Dei quà punientis, vel quà præmiantis habitâ notitiâ, saltem explicitâ.

85 Sed respondeo, quòd licèt (absolutè loquendo) impossibile non sit actum perfectæ contritionis, & charitatis, elici cum sola cognitione, & fide explicita divinæ bonitatis, sicut (absolutè loquendo) elici posset ex sola fide latè dicta divinæ bonitatis: secundùm præsentem tamen ordinem divinæ providentiæ, nobis manifestatum per Scripturam, & Ecclesiæ declarationem, prius non magis fieri possit, quàm posterius. Nec mirum: quia fide certum est actum perfectæ charitatis & contritionis elici non posse sine gratia Dei, qui nemini eam concessurus est, nisi fide strictâ explicitè credenti, quòd Deus remunerator sit, ne suæ providentiæ ordo violetur. Nec propterea salus est impossibilis homini inter bestias nato, & educato, de quo suprà, partim ob ea, quæ dixi à num. 34. ad 39. partim quia certissimè tenendum est, quòd Deus ipsi necessariam cognitionem, & fidem ante mortem procurabit, si ductum rationis naturalis sequatur in appetitu boni, fuga mali, uti docet S. Thomas num. 56. relatus, & variis exemplis ostendetur num..... Denique salus homini illi eodem modo possibilis est, quo justificatio non habenti fidem strictam, sed latam dumtaxat. Cui sicut Deus providebit, si ductum istius fidei sequatur, &c. ita similiter, &c.

CAPUT VI.

Omnibus ratione utentibus, eâdem necessitate (post Evangelium promulgatum) ad justificationem, & salutem, necessaria est fides explicita Christi, seu incarnationis, & SS. Trinitatis.

HAnc sententiam communiorem vocant Mastrius Th. Mor. disput. 10. n. 3. & noster Lumbierus de fide q. 15. n. 900. Addens, quòd ita docent communiter Thomistæ, utique cum S. Thoma 2. 2. q. 3. a. 7. & 8. necnon in 3. dist. 25. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. & S. Bonaventura ibid. a. 1. q. 3. Magister sentent. Durandus, Scotus, Carthusianus, Lovanienses contra Lutherum, & alii. 86

§. I.

Probatur asserta necessitas fidei explicitæ Christi.

1°. EX Joan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quibus? sequitur, & dicit: *qui credunt in nomine ejus*, scilicet Christi. Hæc igitur est conditio necessaria ad hoc ut adulti fiant filii Dei. Et cap. 3. ad inculcandum assertam necessitatem fidei explicitæ de Christo, versu 14. inducitur comparatio fidei Christi cum aspectu serpentis æneï tempore Moysi. Sicut enim filiis Israël, vulneratis à serpentibus, tunc necessarius fuit aspectus explicitus in serpentem æneum, ut sanarentur; sic modò (post Evangelium promulgatum) necessaria est adultis fides explicita in Christum, ut justificentur, & salventur: *Sicut Moyses exal-* 87

tavit serpentem in deserto ; ita exaltari oportet Filium hominis , ut omnis qui credit in ipsum , non pereat , sed habeat vitam æternam. Ubi licèt expresè non dicatur , ut omnis qui non credit in ipsum , pereat ; satis tamen innuitur , dum pro conditione salutis , Christi fides exigitur. Versu 16. *Sic Deus dilexit mundum , ut Filium suum unigenitum daret , ut omnis qui credit in ipsum , non pereat , sed habeat vitam æternam.* Quam profectò conditionem esse de necessitate salutis versu 18. exprimitur : *Qui credit in eum , non judicatur. Qui autem non credit , jam judicatus est : quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Et versu 36. *Qui credit in Filium , habet vitam æternam ; qui autem incredulus est Filio , non videbit vitam , sed ira Dei manet super illum.* Quo utroque versu perire dicitur quisquis in ipsum non credit. Videri potest Augustinus serm. 14. de verbis Apost. ubi exponit verba allata ex versu 14. *Sic exaltari oportet Filium hominis , ut omnis qui credit in ipsum , non pereat* (inquit.) *Unde ? credendo in eum ... Unde non pereat ? attendendo exaltatum : alioqui periisset. Hoc est enim : omnis qui credit in ipsum , non pereat , sed habeat vitam æternam.*

88 2°. probatur ex Joan. 14. *Creditis in Deum , & in me credite* ; quasi dicat , sic debetis in me credere , sicut creditis in Deum. Sed de necessitate salutis est credere in Deum explicitè : ergo & credere in Christum.

89 3°. ex Joan. 17. *Hæc est vita æterna , ut cognoscant te solum Deum verum , & quem misisti Jesum Christum.* Quorum *ordo verborum est* (inquit Augustinus tract. 105. in cap. 17. Joan.) *ut te , & quem misisti Jesum Christum , cognoscant solum verum Deum.* Cognoscant utique *per fidem* , inquit noster Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Joan. 16. Sensus proinde est , *hæc est vita æterna* , id est hoc medium necessarium ad vitam æternam , sive hæc conditio sine qua non pervenitur ad ipsam , ut te , & quem misisti Jesum Christum , per fidem cognoscant esse solum verum Deum. Eodem itaque modo , fides in Christum necessaria dicitur , quo fides in Deum , quæ sine dubio explicita esse debet.

90 4°. ex Marci ultimo : *Prædicate Evangelium .... Qui crediderit , salvus erit. Qui autem non crediderit , condemnabitur.* Sed incarnatio Verbi fundamentum est totius Evangelii. Si ergo de necessitate salutis est credere Evangelio , de necessitate salutis est fides explicita incarnationis. Non enim apparet quomodò credat Evangelio , qui explicitè non credit fundamentum totius Evangelii.

91 5°. ex Actor. 4. *Hic lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus , qui factus est in caput anguli , & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus , in quo* invocato , id est per cujus invocationem , *oporteat nos salvos fieri.* At verò quomodò invocabunt , in quem non crediderunt ? ait Apostolus Rom. 10.

6°. ex Actorum 26. ubi Paulus dicit se 92
à Christo missum ad gentes , *aperire oculos eorum , ut convertantur à tenebris ad lucem ... , ut accipiant remissionem peccatorum , per fidem quæ est in eum.*

7°. ex Rom. 3. *Justitia Dei per fidem* 93
Jesu Christi in omnes & super omnes , qui credunt in eum ..... quem Deus proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius. Et Galat. 2. *Non justificatur homo .... nisi per fidem Jesu Christi.* Et c. 3. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato , ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.*

8°. ex 1. Joan. 5. *Qui habet Filium* per 94
fidem in ipsum , *habet vitam. Qui non habet Filium , vitam non habet.* Dixi per fidem in ipsum ; quia , ut Augustinus ait tr. 49. in cap. 11. Joan. *si fides in nobis , Christus in nobis. Quid enim aliud , ait Apostolus , habitare Christum per fidem in cordibus vestris ? Ergo fides tua de Christo , Christus est in corde tuo.* Omitto plura alia testimonia sacra : cùm testimonia adducta , simul sumpta , atque ad invicem collata , efficaciter probent intentum ; nec necessitas fidei explicitæ remuneratoris , expressioribus probetur Scripturis ; Scripturæque à nobis allatæ sic à SS. Patribus passim intelligantur , quæ cùm sint Scripturæ novi Testamenti , specialiter procedunt pro tempore illius. Cùmque fides incarnationis verbis tam perspicuis & claris requiratur in novo Testamento , de qua vix nisi sub velamine figurarum mentio fiebat in veteri Testamento , major est ratio fidem illius explicitam requirendi in novo , quàm in veteri , de eaque Scripturas allatas intelligendi ; maximè cùm speciale distinctivum Christiani à non Christiano sit expressa fides , & protestatio Trinitatis , & Christi , ut Dei-hominis.

9°. Eadem necessitas probatur ex SS. Pa- 95
tribus passim omnibus. Siquidem Irenæus lib. 3. c. 21. dicit quòd *ignorantes eum qui ex Virgine est , Emmanuel , privantur munere ejus , quod est vita æterna.* Athanasius in Symbolo : *Necessarium est ad æternam salutem , ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.*

Chrysostomus hom. 17. in Matth. *Tum* 96
(in veteri lege) *sufficiebat Deum explicitè nosse ; nunc autem non ita est , sed necessaria est ad salutem Christi cognitio* ; qualis utique necessaria non erat in veteri Testamento , quia sufficiebat Deum ut existentem & remuneratorem explicitè nosse : atque adeò nunc explicita Christi cognitio ad salutem necessaria est.

Hieronymus in cap. 1. ad Ephes. *Non ante* 97
filii esse possumus , nisi filii etiam Jesu Christi fidem & intelligentiam consequamur. Et in cap. 3. *Accessus ad Deum principium & origo fides in Christum.*

98 Augustinus lib. de correpт. & grat. c. 7. *Sicut veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi; & tamen ab hac damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere non se audivisse Evangelium Christi.* Ad salutem ergo medium necessarium asserit Christi fidem, non solùm respectu eorum, quibus Evangelium est prædicatum, & cognitum, verùm etiam respectu eorum, qui de Evangelio nihil audierunt. De prædest. Sanct. c. 7. *Si Cornelius posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus.* Ubi haud dubiè loquitur de fide Christi explicita: implicitam enim antè habuit, utpote justificatus, priusquàm ad eum mitteretur Petrus, ut docet lib. 1. ad Simplic. q. 2. & frequenter alibi. Nullus autem potuit unquam justificari sine fide implicita Christi: *sine ista* quippe *fide, id est, sine fide unius Mediatoris Dei & hominum hominis Christi Jesu; sine fide (inquam) resurrectionis ejus, quam Deus omnibus definivit ..... sine fide ergo incarnationis, & mortis, & resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justi essent, à peccatis potuisse mundari .... veritas christiana non dubitat .... vel ante diluvium, vel inde usque ad datam legem, vel ipsius legis tempore, non solùm in filiis Israël ..... sed etiam extra eundem populum.* Et enarrat. in Psalm. 104. *Nemo quisquam præter istam fidem, quæ est in Christo Jesu, sive ante ejus incarnationem, sive postea, reconciliatus est Deo.* Ne quidem illi, qui de Christo nihil audierunt. Siquidem in lib. de nat. & grat. c. 2. sic habet: *Quid faciet humana natura, vel quid fecit, quæ vel ante non audierat hoc futurum, vel adhuc non comperit factum, nisi credendo in Deum, qui fecit cælum & terram, à quo & se factam naturaliter sentit, ut rectè vivendo ejus impleat voluntatem, nulla fide passionis Christi, & resurrectionis imbuta? Quod si fieri potuit, aut potest, hoc & ego dico, quod de lege dixit Apostolus:* „ Ergo gratis Christus mortuus est. „ *Si autem non gratis Christus mortuus est: ergo omnis humana natura justificari & redimi ab ira Dei justissima, hoc est à vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi.* Aliud Augustini pro assertione nostra testimonium habes suprà num. 87. in fine, ficut & to. 1. l. 9. n. 704. & 705.

Sunt quidem nonnulli, quibus allatum testimonium ex l. de nat. & grat. cap. 2. non videtur efficax pro assertione nostra. Quia tam cap. illo 2. quàm 44. S. Augustinus non tantùm agit de tempore novæ legis, sed etiam de vetere Testamento: dicit enim c. 44. quòd *ea fides justos sanavit antiquos, qua sanat & nos, id est Mediatoris Dei & hominum hominis Jesu Christi, fides sanguinis ejus, fides crucis ejus, fides resurrectionis ejus.* Sub vetere tamen Testamento necessariam Augustinus non censuit fidem explicitam incarnationis, passionis & resurrectionis Christi (quidquid dixerit Neesen tr. 1. de necessit. fid. dub. 4.) quia mysteria illa in vetere Testamento non adeò clarè fuerunt proposita, ut eorum necessaria foret fides explicita, sed *occultiùs*, seu *latenter*, ut loquitur enarrat. in Psal. 104. Epistolâ quoque 157. aliàs 89. *Hæc* (inquit) *fides, etiam antiquorum justorum fuit.* Quia .... *non diceret* Apostolus, " habentes autem eundem spiritum fidei, " *nisi admonens, etiam antiquos justos habuisse ipsum spiritum fidei, id est incarnationis Christi. Sed quia istis futura prænuntiabatur, quæ jam facta à nobis annuntiatur, & tempore veteris Testamenti velabatur, quæ tempore novi Testamenti revelatur.* Ergo nonnisi velatè & implicitè incarnatio olim credi debuit. Idque epist. 177. aliàs 95. ampliùs declarat, dicens, *fidem Christi olim in occulto fuisse, & modò in revelationem venisse.* Olim proinde vulgò sufficiebat credere venturum aliquem Messiam, seu Salvatorem; nec necesse erat explicitè credere, quòd Messias ille futurus esset Filius Dei, homo-Deus, &c. Hoc autem modò necesse est explicitè credere: quia hoc modò explicitè & apertè, non velatè & latenter est revelatum. Unde licèt Cornelius Centurio per fidem implicitam incarnationis, ante Evangelii prædicationem, foret justificatus (ut idem Augustinus docet l. 4. contra Donatist. c. 21. & 22.) promulgato tamen Evangelio, sine explicita fide Christi non potuit esse salvus, uti docet l. de prædest. Sanct. c. 7.

Bernardus serm. 1. in octava Paschæ, 99
Quis est (inquit) *qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei? Certum id quidem, Fratres, eum qui non credit in Filium Dei, ex hoc ipso non modò victum esse, sed etiam judicatum.*

S. Thomas, uti n. 56. vidimus, fidem Chri- 100
sti explicitam ita vult esse necessariam, ut siquis non haberet prædicatorem, Deus ipsi foret revelaturus, nisi in ipso foret impedimentum culpæ. Quod profectò non diceret, si fides explicita Christi solùm necessaria foret necessitate præcepti. Videri etiam potest S. Doctor q. 28. verit. a. 4. ad 7. ubi sic: *Quia post lapsum humanæ naturæ, homo non potest reparari, nisi per Mediatorem Dei & hominum, Jesum Christum .... ideò ad justificandum impium non sufficit cognitio naturalis, sed requiritur fides Jesu Christi vel explicitè, vel implicitè, secundùm diversa tempora, scilicet novæ vel veteris legis. Quia in veteri sufficiebat fides implicita Christi, nunc non sufficit.*

S. Franciscus Xaverius l. 3. postquam Ep. 101
4. dixit: *Quid* enim *boni potest nosse, qui Deum, Christumque ejus Filium ignorat?* Epist. 7. addit: *ideò se missum in Japoniam, divinæ legis prædicandæ gratiâ; quippe cùm nemo, quin*

Deum, ejusque Filium Jesum Christum, omnium gentium vindicem, ac Salvatorem, castè, piègue coleret, salvus .... esse posset. Omitto S. Catharinam, in cujus festo hæc scribo, in cujus Officio legimus, quòd coram Imperatore Maximino, sapientissimis rationibus Christi fidem ad salutem necessariam esse affirmavit.

102 10°. probatur ex Tridentino sess. 6. c. 4. ubi explicans verba Apostoli Rom. 3. *justificati gratis per gratiam ipsius ..... per fidem in sanguine ipsius* (quo loco aperta est mentio fidei (Christi) dicit ea verba intelligenda *in eo sensu, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expressit, ut scilicet per fidem* (Christi utique) *ideò justificari dicamur, quia fides* (dicta) *est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis.* Ideòque c. 6. fidem illam posuit inter prima credibilia, ad justificationem requirens, ut credatur *imprimis à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Teste verò S. Thoma 2. 2. q. 2. a. 5. *prima credibilia ..... tenetur homo explicitè credere.*

103 11°. probatur ex propositione 60. ab Innocentio XI. damnata: *Absolutionis est capax homo, quantumvis laboret ignorantiâ mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis, & incarnationis Domini nostri Jesu Christi.* Ista namque propositio consectaria videtur ex sententia negante, mysteria illa necessitate medii explicitè credenda. Quisquis enim docuit, absolutionis capacem esse, qui Trinitatis, & incarnationis mysterium per negligentiam culpabilem ignorat, haud dubiè id intellexit in circumstantiis, in quibus de mysteriis illis hîc & nunc explicitè instrui non potest, & dummodò de præterita negligentia verè doleat, emendationemque firmiter proponat (neque enim aliter in mentem viri docti cadere potuit.) Supposito verò ejusmodi dolore, firmoque proposito, quidni (in dictis circumstantiis) bis aut ter absolvi posset, si fides explicita mysteriorum illorum, ad justificationem necessitate medii necessaria non foret, sed solùm necessitate præcepti? Quidni (inquam) bis aut ter absolvi posset, sicut culpabiliter nesciens alios fidei articulos, solâ præcepti necessitate credendos, &c.? Certè non appareret, cur bis aut ter absolvi nequeat, cùm nihil necessarium necessitate medii ipsi desit ad justificationem, nec proinde ad absolutionem.

104 Noster quidem Lumbierus observat. 17. circa propositiones 64. & 65. ab Innocentio XI. damnatas dicit 1°. non esse capacem absolutionis, quia videt Confessarius indispositum, utpote stantem in evidenti periculo relapsûs. Sed hoc non est universim verum, nec præsumendum, si vehementer à Confessario reprehensi, valdè doleant de præterita negligentia, cum magna protestatione emendationis, nec post talem protestationem adhuc relapsi fuerint.

Dicit 2°. duos esse modos justificationis. 105
Unum per contritionem supernaturalem; & ad hanc sufficere fidem de Deo existente, & remuneratore. Alterum per confessionem; & hoc modo, necessitate Sacramenti, necessariam esse fidem explicitam (actualem, vel virtualem) cum habituali notitia mysteriorum Trinitatis, & incarnationis. Sed hoc dicit absque ullo fundamento in Scriptura, Conciliis, Patribus, indistinctè asserentibus necessitatem fidei incarnationis ad justificationem, nec quoad hoc ullibi distinguentibus duos illos justificationis modos, ad quorum unum fides necessitate medii necessaria sit, non ad alterum. Hoc itaque est de fidei ad justificationem necessitate philosophari ex seipso, ratione purè humanâ. Quâ solâ non licet statuere de iis, quæ merè pendent ab institutione divina.

12°. tandem ratione probatur. Tum 106
quia aliàs Judæus hodie salvari posset in lege Mosaïca, sub invincibili Evangelicæ legis ignorantia. Tum quia justum est, ut ab hominibus ad altiorem statum provectis, quibus veritas mysteriorum incarnationis, & Trinitatis per Jesum Christum, & Apostolos manifestata est, explicatior fides illorum requiratur: cùmque fides implicita eorumdem mysteriorum, necessitate medii necessaria fuerit in veteri lege, in qua eorum veritas sub umbris & figuris istius legis occultata fuit; dignum & justum est, perfectiorem fidem, adeòque explicitam, taliter necessariam asserere in nova lege, in qua, dissipatis umbris illis, mysteriorum illorum veritas tam perspicuè revelata est: maximè cùm mysteria illa sint principalia fundamenta nostræ salutis, Christianæque Religionis. Christianæ verò, seu Evangelicæ Religionis fundamenta in Evangelica lege explicitè credenda sunt. Ob rationem num. 119. proferendam.

Duo alia sunt, propter quæ nostram hanc 107
assertionem oppositæ præferendam censeo. Primum est, quòd asserta necessitas magis redundet in gloriam Christi, utpote quæ magis splendescit ex hoc, quòd nullus hodie justificari, salvarique possit, absque expressâ invocatione & fide ipsius. Quâ certè gloriâ dignissimus est, ob stupendas humiliationes suas, propter quas Deus usque adeò exaltavit illum, ut non sit in alio aliquo salus, nec sit aliud nomen, in quo oporteat nos salvos fieri.

Alterum est, quòd tutius ac securius sit, 108
assertam à nobis necessitatem tradere, quàm oppositum; imò in praxi tutum non est, oppositæ assertioni se conformare. Si enim assertio nostra vera sit, opposita non justificabit, nec salvabit, defectu necessarii ne-

ceſſitate medii, quo ſive per ignorantiam, ſive per impotentiam, quàmlibet inculpabilem, ſive per bonam fidem (etiam probabilem) omiſſo, nec juſtificatio, nec ſalus obtineri poteſt. Nulla quippe probabilitas juſtificare, vel ſalvare poteſt, niſi reipsà ponantur ea, quæ neceſſitate medii ad juſtificationem vel ſalutem requiruntur.

109 Scio quòd Authores ſpeciminum doctrinæ Theol. per Belgium manantis p. 4. c. 5. §. 2. exiſtimant aſſertionem noſtram nihil ad praxim facere. Quia ſoli illi poſſunt explicitè in Chriſtum credere, quibus Chriſtus eſt prædicatus, & illis (ad tollendum omne ſalutis periculum) neceſſitas præcepti ſufficit. Vel ergo homini Chriſtus eſt prædicatus, vel non; ſi prius, gravi obligatione tenetur in ipſum explicitè credere, aliàs non ſalvandus. Si poſterius, nihil mutabitur in praxi, ſeu falſa ſit aſſertio noſtræ oppoſita, ſeu vera. Cùm enim de præſenti controverſia nihil innoteſcat homini, qui de Chriſto nihil ſcit, ſeu vera ſit aſſertio noſtra, ſeu falſa, non aliter in praxi ſe geret.

110 Sed licèt illi, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, explicitè in Chriſtum credere non poſſint; illi tamen quibus incumbit eos inſtruere, Sacramentaque ipſis adminiſtrare, longè arctiùs tenentur ad inſtructionem, circa neceſſaria neceſſitate medii, quàm circa neceſſaria ſolâ neceſſitate præcepti. Ob rationem num..... allatam. Longè etiam aliter ſe gerere debent in adminiſtratione Sacramentorum, dum ſupponitur neceſſitas medii, quàm dum ſolùm ſupponitur neceſſitas præcepti. Quàmlibet enim inculpabilis quis fuerit in omiſſione alicujus neceſſarii neceſſitate medii, Sacramentum nullum eſt. Nec ulla unquam cauſa ſupplet defectum ipſius. Subinde verò juſta aliqua cauſa ſupplet defectum neceſſarii neceſſitate præcepti. Igitur aſſertio noſtra multum facit ad praxim.

Quod ampliùs oſtenditur, ex eo quòd confeſſiones ſuas (tamquam invalidas) repetere debeant, qui hactenùs confeſſi ſunt abſque explicita fide Chriſti (ſi hæc neceſſaria ſit neceſſitate medii) vel ſine explicita fide aliorum myſteriorum, eâdem neceſſitate explicitè credendorum, tametſi ea explicitè non crediderint, defectu inſtructionis; nec defectus iſte proceſſerit ex culpabili negligentia ipſorum. Igitur aſſertio noſtra facit ad praxim. Probatur antecedens: quia qui confitetur cum defectu alicujus neceſſarii neceſſitate medii ad juſtificationem, incapax eſt abſolutionis. Aliàs capaces illius eſſent illi, de quibus num. 108.

§. II.

Probatur aſſerta neceſſitas fidei explicitæ SS. Trinitatis.

NAm ſicut in lege veteri, cùm myſterium incarnationis & SS. Trinitatis mundo ſolùm implicitè & obſcurè propoſitum fuit, fides implicita Chriſti, & SS. Trinitatis, neceſſitate medii neceſſaria fuit ad juſtificationem & ſalutem: ſic in nova lege, cùm utrumque iſtud myſterium explicitè & manifeſtè mundo proponitur, ſicut fides explicita Chriſti, ſic fides explicita SS. Trinitatis neceſſitate medii neceſſaria eſt ad juſtificationem & ſalutem. Sanctiſſima quippe Trinitas eſt principale objectum fidei Chriſtianæ, ſicut eſt principale objectum viſionis beatificæ. Et ideò Chriſtus voluit baptizari ſub expreſſa invocatione SS. Trinitatis, tamquam neceſſitate medii neceſſariâ ad baptiſmum. Ex quo ſequitur, quòd etiam neceſſitate medii neceſſaria ſit ad ſalutem, etiam tunc, quando ob impotentiam recipiendi baptiſmum, ad ſalutem ſufficit baptiſmi votum: utpote quod proportionatum eſſe debet baptiſmo, cujus defectum ſupplet, eandemque proinde invocationem, ſeu fidem expreſſam continere. Ad quod ampliùs ſignificandum, Chriſtus, dum diſtrictè præcepit Apoſtolis prædicationem expreſſam Trinitatis, ſubjunxit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Qui non crediderit, condemnabitur.* 111

Addit S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 8. quòd myſterium incarnationis Chriſti explicitè credi non poteſt ſine fide Trinitatis. Quia *in myſterio incarnationis Chriſti hoc continetur, quòd Filius Dei carnem aſſumpſerit.... & .... de Spiritu Sancto conceptus fuerit.* 112

Denique neceſſitas illa ſequitur ex damnatione propoſ. 65. uti vidimus num. 108. traditurque à S. Athanaſio in Symbolo: *Quicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat Catholicam fidem.... Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur.* Et à S. Cyrillo lib. 11. in Joan. cap. 16. dicente, *non ſufficere cognitionem* (explicitam) *Dei, abſque cognitione* (pariter explicita) *Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* Et à S. Thoma Villanovano, his verbis: *Fides de myſterio Trinitatis neceſſaria eſt ad ſalutem; & ſine hac notitia, poſt promulgatum Evangelium, nullus ſalvabitur.* Utique ſine notitia explicita. Sine implicita quippe, etiam ante promulgatum Evangelium, nullus ſalvabatur. Fruſtrà proinde addidiſſet, *poſt promulgatum Evangelium*, ſi de ſola implicita loqueretur. 113

§. III.

§. III.

Solvuntur objectiones.

114 OBjicies 1°. Fides explicita incarnationis non magis necessaria est necessitate medii, quàm fides explicita passionis, & resurrectionis Christi, quam (teste Card. de Lugo disput. 12. de fid. n. 101.) nullus Theologus taliter necessariam affirmat.

Respondeo, fidem explicitam passionis, & resurrectionis, post promulgatum Evangelium, esse etiam necessitate medii necessariam, sicut fides implicita eorumdem mysteriorum in veteri lege taliter necessaria fuit, juxta Augustinum n. 62. relatum. Christianis itaque ad justificationem & salutem non sufficit explicita fides Christi, quantùm ad incarnationem præcisè, sed etiam quantùm ad passionem, & resurrectionem, quibus homo liberatur à peccato, & morte, ut loquitur S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 7. Ad quod significandum Joan. 3. luculenter instituitur à Christo ipso comparatio inter ipsum, & serpentem à Moyse exaltatum: sicut enim tempore Moysi, omnes qui in deserto à serpentibus morsi, expresè non attendebant ad serpentem illum, moriebantur; sic tempore legis Evangelicæ, omnes qui morsi à serpente infernali, expresè non credunt in Christum in cruce exaltatum, pereunt. Ad idem significandum Apostolus suprà n. 93. medium necessarium ad justificationem dicit esse fidem in sanguine ipsius. Quæ verba Tridentinum explicans sess. 6. can. 8. fidem (de qua Apostolus ibi) vocat *humanæ salutis initium, fundamentum, & radicem omnis justificationis.* Quemadmodùm ergo fundamentum in se, non in alio subsistit; sic quod oportet credi ut fundamentum justificationis & salutis, oportet credi in se, non in alio, atque adeò credi oportet explicitè. In ædificio quippe nihil est fundamento prius, in quo fundamentum implicitè contineatur. Quatuor itaque ista, SS. Trinitas, incarnatio, passio, & resurrectio Christi, necessitate medii explicitè credenda sunt, tamquam fundamenta adeò principalia Christianæ Religionis, ut de mysterio resurrectionis Tertullianus dicat, quòd in illud tota fides Christiana committitur, & saltem de iis mysteriis Christus loquatur, cùm ait Marci ult. *Qui non crediderit, condemnabitur.*

115 Nec verum est quod additur, talem necessitatem à nullo Theologo affirmari. Eam quippe cum laudatis Patribus tradunt Bannes, Malderus, Turrianus, Reginaldus, Arragonius, Bonacina, Mastrius, sicut & Facultas Theologica Lovanienſis, in doctrina sua, per deputatos suos S. D. N. Innocentio XI. ad examen oblata; postquam enim dixit: *Ad justitiam & salutem, necessaria fides expresè debet tendere in unam divinæ Majestatis essentiam, ac in tres Personas. Item in Deum remuneratorem. Etiam in Christum Mediatorem: noviſſe debet ejus incarnationem, passionem, mortem, resurrectionem.* Addit: *Horum omnium expressa fides est necessarium justificationis medium*, &c.

Objicies 2°. Non est cur illa potiùs mysteria necessitate medii explicitè credenda sint, quàm cætera in Symbolo contenta, atque ab Ecclesia solemnizata. 116

Respondeo negando antecedens: cætera quippe non sunt fundamentalia, sicut illa, nec in cæteris tota fides Christiana committitur, sed ad fundamentalia illa consecutivè se habent.

Objicies 3°. Non est unde tanta necessitas in lege Evangelica proveniat, cùm non fuerit in veteri lege; nec justificatio, salusque nostra modò arctior & impeditior sit, quàm in veteri. 117

Respondeo cum Contensono de fid. dissert. 2. c. 2. specul. 3. hanc necessitatem ex sacris novi Testamenti documentis suprà allatis, & perenni traditione, & communibus Christianismi notionibus peti. Quamquam enim sacra illa documenta variis tergiversationibus, & appositis pro arbitrio exceptionibus contrarii Authores elidere conentur, non ideò deserenda veritas est, cùm Scripturarum sensus, non ex humani ingenii argutiis, sed ex traditione petendus sit. Enimverò cùm nihil tam apertum, tam præcisum, tam definitum sit, quod Dialecticæ coloribus & sophismatibus eludi non possit; ut huic malo Deus occurreret, sicut sacras litteras, sic earum intellectum bonum ad nos traditione propagatum derivavit. Traditione (inquam) sanctorum Doctorum, quos assertæ à nobis necessitati favere demonstravimus.

Nec propterea salus Christianorum, spectatis omnibus, impeditior est quàm Judæorum (licèt majorem perfectionem interiorem requirat) spectatâ utique majori gratiarum abundantiâ, quæ Christianis confertur per Christum, spectatisque aliis, propter quæ lex Christi, respectivè ad Mosaicam, in Evangelio vocatur *jugum suave*, & *onus leve*. Tametsi negari non possit, viam salutis in lege Evangelica secundùm quid esse arctiorem: utpote in qua Christus exigit ut peccata confiteamur, inimicis benefaciamus, crucem jugiter feramus, & alia ejusmodi, quæ non ideò expungenda sunt, quia viam salutis angustiorem efficiunt. 118

Objicies 4°. Deficiente eo quod necessarium est necessitate medii, non obstante quâcumque ignorantiâ, vel etiam impotentiâ, justificatio & salus obtineri non possunt. Sed justificatio & salus obtineri possunt ab ignorantibus invincibiliter Christum, & Trinitatem, sine fide explicita Christi & Trinitatis. Per fidem quippe explicitam Dei existentis & remuneratoris, Deum super omnia diligere possunt, sicque justificari, & salvari. 119

Reſpondeo negando minorem. Ad ejus probationem, aio, dilectionem Dei ſuper omnia, ſufficientem ad juſtificationem, ſine fide explicita Chriſti & SS. Trinitatis, ſecundùm præſentem divinæ providentiæ ordinem, haud magis elici poſſe, quàm ſine fide explicita remuneratoris, cum ſola fide explicita Dei exiſtentis; vel haud magis, quàm elici poſſit ex fide latè dicta ſupernaturali, ſine fide ſtricta. Neque enim hîc attendendum, quid ratio purè humana ſuadeat, ſed quid Scriptura doceat, quid Patres, quid Eccleſia: ex quibus eruitur, dilectionem ejuſmodi, ſine explicita fide Chriſti, &c. non magis elici poſſe, quàm ſine fide ſtricta, vel ſine fide explicita remuneratoris, &c. Vide quæ dixi n. 64. 65. & 85

120 Objicies 5°. Durum valdè eſt fidem explicitam Chriſti & Trinitatis ad ſalutem taliter neceſſariam facere baptizatis in infantia, qui toto tempore uſûs rationis ſint ſurdi, muti, & cæci, vel etiam enutriti in ſylvis, ubi de Chriſto & Trinitate nihil audierunt, vel inter Chriſtianos quidem enutriti, ſed ita ſtupidi, & obtuſi, ut cardinalia fidei Chriſtianæ myſteria apprehendere, ſubindeque explicitè credere non poſſint.

Reſpondeo 1°. durius eſſe neceſſitatem illam negari à pleriſque Doctoribus Chriſtianis, in Evangelica lege inſtructis, in qua tam urgentia ſunt pro illa neceſſitate teſtimonia, tamque perſpicua SS. Patrum, & Eccleſiæ traditio, quibus omnibus rationem purè humanam præferre, vel illa omnia ſecundùm eam gloſſare, eique accommodare durum nimis eſt.

121 Reſpondeo 2°. Sicut durum non fuit illis omnibus in veteri lege neceſſitate medii neceſſariam facere fidem implicitam Chriſti & Trinitatis; ſicut etiam durum non eſt cæcis illis, ſurdis, & mutis, inter beſtias enutritis, &c. neceſſariam facere fidem explicitam Dei remuneratoris ſupernaturalis; ita nec Chriſti & SS. Trinitatis.

122 Reſpondeo 3°. Si muti illi, ſurdi, & cæci (& idem eſt de enutritis in ſylvis) ab infantia ſint baptizati, nec baptiſmi gratiam amiſerint per propriam culpam, Deus ipſis (juxta S. Thomam) providebit neceſſariam cognitionem Chriſti & SS. Trinitatis, vel per internam inſpirationem, vel per Angelum, vel per fidei prædicatorem. Ob ea quæ dixi num. 75. & 85. Nullus quippe ratione utens, cognitione ad ſalutem neceſſariâ neceſſitate medii deſtituitur, niſi in pœnam peccati, vel actualis, vel ſaltem originalis, ut ex S. Thoma vidimus n. 34. & ex S. Auguſtino n. 75. Omni itaque ratione utenti, in quo Deus non invenit obicem peccati actualis, vel originalis, Deus ante mortem providet cognitionem neceſſariam ad ſalutem, prout factum eſt in Cornelio, Lidia, & Eunucho, de quibus in Actis Apoſtolorum. Idem in Clemente Romano factum, Clemens ipſe l. 1. recognit. teſtatur. Idipſum quoque factum in Juſtino, Stilano, &c. in eorum vitis legitur.

Nec Deo difficile eſt, cæcis, mutis, & 123
ſurdis, per ſe, vel per Angelum, cæteris autem ratione utentibus, etiam inter barbaros, vel beſtias degentibus, per miſſum prædicatorem, etiam citra miraculum providere, immiſſo hominibus conſilio pacis, belli, negotiationis, vel etiam immiſsâ ipſis ſervitute, tempeſtate, &c. ita ut temporalia multoties negotia, ipſamque avaritiam hominum non rarò convertat in ſalutem plurimorum. Subinde tamen extraordinariâ aliquâ providentiâ ad hoc utitur, ut bonitatis ſuæ divitias, & ſuam de ſalute hominum curam demonſtret.

Objicies 6°. Apoſtolus Hebr. 11. ſolùm requirit fidem Dei exiſtentis & remuneratoris.

Reſpondeo 1°. Apoſtolum ibi non agere 124
de neceſſitate fidei explicitæ, reſpectivè ad ſtatum ſolius legis Evangelicæ, ſed reſpectivè ad ſtatum ſive naturæ, ſive legis Moſaicæ, ſive Evangelicæ, ut patet ex contextu. Fateor autem, pro omni illo ſtatu, neceſſitate medii neceſſariam non eſſe fidem explicitam, niſi Dei exiſtentis, & remuneratoris.

Reſpondeo 2°. ſub fide Dei remunerato- 125
ris (ſi Apoſtolus loquatur pro ſtatu Evangelicæ legis) comprehendi fidem Chriſti: loquitur enim de fide remuneratoris, remuneratione ſupernaturali, quæ non eſt niſi per Chriſtum. Neque enim Deus eſt remunerator ſalutis, niſi inquirentibus ſe per Chriſtum, ut Auguſtinus dicit in Pſalmum ſeptimum.

Objicies 7°. Cornelius juſtificatus fuit 126
abſque fide explicita Chriſti.

Reſpondeo id factum, Evangelio nondum promulgato, ſive nondum manifeſtatâ Evangelii luce, inquit S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 4. ad 3.

Objicies 8°. Scripturæ & Patres, neceſſitate medii neceſſariam aſſerentes fidem explicitam Chriſti & Trinitatis, gloſſari poſſunt de fide explicita Chriſti & Trinitatis, non in re, ſed vel in re, vel in voto.

Reſpondeo negando antecedens; ſicut enim Scripturæ & Patres, requirentes fidem actualem ſtrictam, vel requirentes fidem explicitam Dei ut remuneratoris, ſic gloſſari nequeunt; ita nec Scripturæ & Patres, requirentes fidem explicitam Chriſti & SS. Trinitatis. Neque enim gloſſa iſta majus habet fundamentum in Scripturis & Patribus, quàm illa, ſed fundatur in ſola ratione purè humana, quâ ſi liceret ſacra gloſſare & reſtringere teſtimonia, nullum eſſet teſtimonium tam perſpicuum, cujus vim & emphaſim ſic effugere non liceret: quia nullum eſt, cui gloſſam & reſtrictionem excogitare non poſſit humana ratio, amatrix libertatis, & refuga neceſſitatis.

Vide

127 Vide dicta n. 46. & 47. & adde quòd dum Scriptura generaliter exigit aliquid tamquam absolutè necessarium ad justificationem & salutem, tunc solùm liceat id glossare de necessitate ipsius in re, vel in voto, quando traditio, vel Ecclesiæ declaratio, vel Scriptura ipsa sic suadet. Nihil verò tale suadet pro fide, nec pro ullo alio medio interno ad justificationem vel salutem in sacris Litteris absolutè requisito, sed pro mediis externis dumtaxat, nimirùm pro Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ; quæ licèt suppleri queant per actum charitatis, vel contritionis, cum voto Sacramenti, media tamen interna taliter suppleri nequeunt, ut patet in fide stricta, & fide remuneratoris, &c.

CAPUT VII.

Necessitas actûs fidei in accedentibus ad Sacramentum Pœnitentiæ.

128 QUotiescumque peccator justificandus accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ, explicitum fidei actum elicere debere, docent Gaspar Hurtadus, & Turrianus apud Leandrum à SS. Sacram. tr. 5. de pœnit. disput. 1. q. 48. & tamquam indubitatum tradit noster Lumbierus observat. 17. ad propos. 64. & 65. ab Innocentio XI. damnatas §. 2. quia (inquit) quoties facienda est confessio, facienda est cum contritione, vel attritione, ad quam prærequiritur supernaturalis cognitio; nec quæcumque cognitio supernaturalis sufficit, sed esse debet actus fidei: quia *sine fide impossibile est placere Deo.* Quod nonnulli confirmant ex Tridentino sess. 6. c. 6. ad justificationem exigente fidem, quâ credantur vera esse quæ divinitùs revelata & promissa sunt, atque illud imprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. Confirmari etiam posset ex decreto Innocentii XI. qui postquam damnavit hanc propositionem 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis*, &c. damnat etiam hanc 65. *Sufficit illa mysteria semel credidisse.* Quæ cùm desumpta videantur ex Tamburino exped. confess. l. 3. c. 5. §. 1. & l. 2. Decal. c. 1. §. 1. n. 3. dicente, *in benè moratis, vel confiteri solitis, supponi posse, semel hæc mysteria credidisse: semel* (inquam) *nam ex necessitate medii semel sufficit:* dicendum videtur necessitate medii, non esse satis, semel ea mysteria explicitè credidisse.

129 Hæc tamen sententia, intellecta de necessitate medii, non videtur efficaciter probari per allata fundamenta. Non per decretum Innocentii XI. cujus enim Authoris, & quo sensu propositio illa damnata sit, nescimus. Hoc unum scimus, errare, multùmque errare ignaros illos, qui, interrogati de mysteriis Trinitatis & Incarnationis, respondent se illa sciviſse in juventute, suosque filios etiamnùm scire: se verò modò oblitos, nec sibi suppetere tempus ista recolendi. Ex damnatione (inquam) allatæ propositionis scimus errare illos, nec sufficere, quòd hæc mysteria quis in juventute sciverit, & crediderit, sed opus esse totâ vitâ vivere ex illa fide, actusque illius frequenter iterare, juxta dicenda num. 136.

Nec sententia illa probatur efficaciter per Tridentinum: utpote ibi loquens de prima justificatione per baptismum, nec ad justificationem per pœnitentiæ Sacramentum magis exigens fidem explicitam, quàm votum explicitum, dum sess. 14. c. 14. exigit contritionis motum cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua.

Nec denique efficaciter probatur per rationem à doctissimo Lumbiero nostro adductam. Sicut enim, ut justus ex fide vivat, necessarium non est, quòd tota vita ipsius procedat ex fide explicita, & actuali; sic, ut peccator ex fide conteratur, necesse non est quòd contritio ipsius procedat ex fide explicita & actuali. Sufficit enim quòd procedat ex ea fide, ex qua justus vivit. Sufficit (inquam) ad hoc fides implicita, vel virtualis, ut communis sententia docet apud Leandrum loco citato, ubi nominatim refert Azorium, Valentiam, Bonacinam, & alios, quos ipse etiam sequitur, sicut & novissimè Boudartius Manual. Theol. to. 4. tr. 4. §. 3. q. 11. Qui Authores similiter aiunt, verum contritionis actum elici posse absque explicito actu spei, nec proinde ad repetendas confessiones urgendum, siquis explicitum seu fidei, seu spei actum ex oblivione omiserit. Quæ certè omissio rara est, cùm utplurimùm imperceptibiliter eliciatur, actuique contritionis intermisceatur, ob quam imperceptibilitatem omissio ipsius facilè cognosci nequit.

CAPUT VIII.

Christianæ fidei ac doctrinæ capita credenda, & scienda necessitate præcepti.

IMprimis Christiani omnes ratione utentes, ob materiæ gravitatem, sub mortali 130
scire, & credere tenentur (saltem crasso modo, & quoad substantiam) omnes fidei articulos in Symbolo Apostolorum contentos, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, modum formandæ crucis, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, necessariaque omnibus Sacramenta, scilicet Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, necessariasque ad ea convenienter recipienda dispositiones: reliqua verò Sacramenta, necessariasque ad illa dispositiones, quando illa

ſuſcipere voluerint, vel etiam (quoad Confirmationem, & extremam Unctionem) debuerint: ſic tamen ut ſeptenarium Sacramentorum numerum ab initio addiſcere teneantur. Ita Doctores communiter. Quos inter Sylvius 1. 2. q. 76. a. 2. explicans verba illa S. Thomæ ibidem: *Omnes tenentur ſcire communiter ea quæ ſunt fidei, & univerſalia ejus præcepta; ſinguli autem ea quæ ad eorum ſtatum vel officium ſpectant.* Sic ait: „ Ea quæ „ ſcire tenemur, ſunt triplicis generis. Primi „ generis ſunt illa quæ pertinent ad fidem Ca„ tholicam, ut ſunt myſteria quæ celebrantur „ in Eccleſia, & ſeptem Sacramenta: nec „ poſſunt ab errore propter aliquam ſimpli„ citatem excuſari, quantùm ad ea de quibus „ Eccleſia ſolemnizat, & communiter verſan„ tur in ore fidelium, ſicut myſterium Tri„ nitatis, Nativitatis Chriſti, & alia hujuſmo„ di, ut ait S. Thomas ſect. 4. in cap. pri„ mæ ad Corinth.

„ Secundi generis ſunt quæcumque ad mo„ res communiter & rectè informandos perti„ nent. Tertii generis ſunt quæ ad ſingulo„ rum ſtatum ritè & chriſtianè dirigendum „ requiruntur. Ea igitur omnia Chriſtiani a„ dulti diſtinctè & explicitè cognoſcere & „ credere tenentur, juxta illud Auguſtini de „ fid. & oper. c. 1. *Unuſquiſque ſcire tenetur legem & ſtatum, quem profitetur.* Quòd ſi graviter contrà deliquerint, ipſos non excuſabit ignorantia, utpote craſſa & culpabilis. Negligentia proinde ea addiſcendi non poteſt non eſſe peccatum, & quidem grave, pro gravitate materiæ. Unde in Actis Eccleſ. Mediolan. p. 4. S. Carolus ſic ait: *Quoniam Chriſtianus omnis, ſi adultus eſt, ſub pœna peccati mortalis ſcire debet articulos omnes Symboli Apoſtolorum* (ſaltem quoad ſubſtantiam, ita videlicet ut de quolibet articulo interrogatus, rectè reſpondere poſſit, quantum ex verbis Symboli datur intelligi) *inſuper & præcepta Dei ſanctaque Matris Eccleſiæ univerſa quæ ſub mortali obligant, & docentur communiter in ſcholis doctrinæ Chriſtianæ* (hiſce S. Carolus in Concilio Mediolano V. addit *orationem dominicam, angelicam ſalutationem*; priorem pro orando Deo ſecundùm modum à Chriſto determinatum; poſteriorem pro veneranda Dei Matre, implorandaque ipſius interceſſione, utpote quâ mediante accipimus quidquid boni à Deo accipimus: & utriuſque addiſcendæ obligationem eſſe gravem, graves Authores docent, & S. Carolus innuit ibidem) *ſi Confeſſarius pœnitentem reperiat omnium iſtorum ignarum, non abſolvat, quin primo quoque tempore in addiſcendis operam daturum ſe promittat. Quamquam ſi aut à Confeſſario ſuo eodem, vel diverſo, vel ſuâ ipſe privatim conſcientiâ jam aliàs monitus (quod diligentiſſimè exquiretur) eam adhibere diligentiam neglexerit, quæ pro illius ingenii captu ad ea diſcenda ſufficiens ſit, non priùs abſolvatur, quàm huic obligationi, aliqua ſaltem ex parte fecerit ſatis. Si verò ea de re nuſquam anteà monitus fuerit, poterit tum ei gratiam abſolutionis impertiri, eâ tamen præmiſſâ ſemper inſtructione, quam pœnitenti ſufficere cenſuerit, ut tanto beneficio non ſit indignus.*

Ideò patres, ac matres-familias tenentur 131
iſta docere liberos ſuos, ſicut & domini ſervos & ancillas. Cùmque tot ſint ruſtici & rudes in pagis & oppidis, non ſolùm tenuibus, ſed etiam populoſis, ſtrictiſſimâ obligatione Curati tenentur ſuos inſtruere in parochiis ſuis, & væ ipſis, væ etiam parentibus & dominis, ſi id neglexerint, & eis quos in famulatu habent, tantum diebus Feſtis vacui temporis non conceſſerint, quo in Eccleſias, aliave loca pia, ubi ea doctrina traditur, ad illam percipiendam convenire poſſint. Quibus graviſſimam pœnam à Confeſſariis imponendam, divinamque ultionem à Concionatoribus denuntiandam, ſtatuit idem S. Carolus in Concilio Mediol. V. idipſum ad Ludimagiſtros extendens. Et in Concilio Mediolan. II. decreto 1°. *Ea* (inquit) *ſit cura Parochis, ut quos compatres ita imperitos noverint, ut Symbolum fidei, ſive ea quæ in Symbolo continentur, ignorent, illos officio ſuſcipiendi de baptiſmo infantes fungi non patiantur.* Siquidem officii ſuſceptorum, ſeu patrinorum eſt, ſi id parentum opera minùs præſtare poſſit, puerum, qui Chriſto per baptiſmum gignitur, cùm primum rationis uſum habere cœperit, tam baptiſmi ſuſcepti, quàm profeſſæ in baptiſmo fidei admonere, ſimulque providere, ut in ejuſdem fidei elementis, verique Dei cognitione, & cultu catholicè inſtruatur, & moribus chriſtianis informetur, ut ait Concilium Burdigalenſe anno 1582. celebratum.

Videri poteſt Jacobus Marchantius, can- 132
del. myſt. tr. 9. c. 2. ubi deplorat magnam circa hæc in ruſticis, aliiſque rudibus ignorantiam, ortam partim ex incuria parentum, patrinorum, & dominorum in ſupradictis, partim ex eo (inquit) quòd Confeſſarii Regulares ſupponunt iſta edoceri à Paſtoribus. Paſtores verò, cùm hæc aliquoties in ſuggeſtu, vel in catechiſmo dixerunt, ſupponunt ſuos non ignorare. Sed falſa eſt (inquit) ſuppoſitio: tum quia ad publicas inſtructiones non omnes accedunt. Tum quia frequentiſſimè accidit, ea quæ publicè in genere dicuntur, non apprehendi à rudioribus in particulari. Unde neceſſarium eſt tales non ſolùm compellere, ut publicas inſtructiones accedant, verùm etiam particulariter interrogare, ipſiſque eadem ſæpiùs repetere, & inculcare.

Non multùm tamen vexandi, ſed benignè 133
tractandi ſunt, qui adeò ſimplices ſunt, vel rudes, vel memoriâ deficientes, ut vel Symbolum, vel præcepta Decalogi, vel Sacramenta memoriter ſuo ordine verbo tenus ad-

discere, vel memoriâ retinere nequeant, neque ab ipsis exigenda notitia adeò clara & subtilis. Sufficit enim quòd ea quoad substantiam sciant, modo suo rustico & simplici, ut patet in Sanctulo, de quo D. Gregorius lib. 3. Dialog. c. 37. sic habet : *Scimus certè, quia venerabilis vir Sanctulus, Provinciæ Narciæ Presbyter, ipsa quoque elementa litterarum benè non noverat, legis præcepta nesciebat; sed quia plenitudo legis est charitas, legem totam in Dei ac proximi dilectione servavit, & quod foris in cognitione non noverat, ei intùs vivebat in amore.*

CAPUT IX.

De fidei actu datur speciale præceptum, ratione sui obligans, non semel dumtaxat in vita, sed frequenter.

134 DUplex est præceptum fidei. Affirmativum unum, præcipiens fidei actum, seu assensum. Negativum alterum, prohibens dissentiri mysteriis fidei, vel de eorum veritate dubitare. Dari negativum fidei præceptum, illudque semper & pro semper obligare, nullus unquam dubitavit. Dari etiam speciale præceptum affirmativum per se obligans ad eliciendum fidei actum, Scriptura clamat, *qui non crediderit, condemnabitur.* Clamat quoque Ecclesia, quæ per Alexandrum VII. anno 1665. damnavit hanc propositionem : *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.* Et anno 1679. per Innocentium XI. damnavit istam : *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.*

135 Sed difficultas est in determinando tempore, quo speciale fidei præceptum obligat ad eliciendum fidei actum? Certum quippe est non obligare ad illum semper actu eliciendum : cùm ob varias hujus vitæ distractiones, hoc nobis impossibile sit.

136 Satis esse actum fidei semel in vita elicere, nonnulli docuerunt. Sed hoc Innocentius XI. damnavit propositione 17. Et meritò damnavit : cùm, juxta utriusque Testamenti Scripturam, justus ex fide vivere debeat. Semel autem fidei actum elicuisse, reliquum autem vitæ tempus aliis cogitationibus dare, non est ex fide vivere; sed ad hoc necesse est fidei actum frequenter elicere, frequentique illius exercitio, secundùm fidei veritates, vitam suam componere. Idipsum ratio suadet : quia fidelis hominis vita christiana potissimùm consistit in actibus fidei, spei, & charitatis.

137 Frequenter itaque fidei actus eliciendus est. Sed quando? 1°. cùm primùm adepto rationis usu, vel posteà, fides sufficienter proponitur. Fides namque initium, & fundamentum est totius vitæ christianæ, quam baptizatus quisque incipere tenetur, cùm primum rationis usum adipiscitur.

2°. in fine vitæ, seu præsenti mortis periculo : sicut enim tunc per se vigent præcepta spei & charitatis; ita & fidei : & sicut vir justus & fidelis vivere; sic mori debet ex fide.

3°. quoties gravis contra fidem urget tentatio, à qua seipsum non potest quis aliter expedire.

4°. quoties lapsus est quis in hæresim, vel aliam infidelitatem. Tenetur quippe injuriam primæ Veritati illatam, per contrarium actum resarcire.

5°. non est dubium, quin aliàs frequen- 138
ter obliget præceptum, etiam sub mortali. Sub veniali verò, sicut debemus virtualiter perpetuò adhærere Deo per charitatem (generaliter dictam) saltem imperfectam; ita & per fidem, saltem imperfectam. Primò, quia Habacuc indistinctè & doctrinaliter, adeòque universaliter pronuntiat, & ex ipso Apostolus frequenter inculcat, *justus in fide* (Apostolus Rom. 1. dicit *ex fide*) *vivet*, ex fide utique actuali vel virtuali : cùm enim vivere in actu secundo sit agere; vivere ex fide, est agere ex fide. Secundò, quia ibidem Apostolus Rom. 14. docet *omne quod non est ex fide, peccatum esse.* Quem locum licèt Patres uno modo explicent de fide, prout idem est quod dictamen conscientiæ : non unico tamen, nec solo illo sensu sic explicant; verùm etiam de fide supernaturali, & Christiana, saltem inchoata, prout ostendimus to. 1. Prolegom. 6. cap. ult. Tertiò, quia sicut Christianus semper vivere debet christianè & benè; sic morali quodam modo (virtualiter utique) semper vivere debet ex fide. Teste namque Augustino de fid. & oper. c. 23. adeò inseparabilis est bona vita à fide, quæ per dilectionem operatur, ut sine ea bona vita non sit. Et sine fide opera undequaque bona à nullo fiunt homine. Quia (ut ait in præfat. Psal. 31.) *bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit.* Quartò, tota vita hominis, præsertim Christiani, perpetuus debet esse cultus Dei : sine hoc enim nihil est omnis homo, teste Bernardo. *Fide* verò, *spe, & charitate Deum esse colendum* docet Augustinus Enchirid. cap. 3. Quintò, tota vita Christiani esse nequit christiana sine fide, modo dicto virtualiter perpetua. Ut enim tota sit christiana, tota esse debet evangelica, id est tota dirigi per maximas Evangelii. Nequit autem dirigi per maximas Evangelii, nisi creditas. Deinde vita verè christiana, est quâ quis vivit Christo, ex Christo, & secundùm Christum. *Christo* quidem, sive propter Christum : quia 2. Cor. 5. dicitur : *Pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Et Joan. 6. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me. Ex Christo* verò : quia sunt membra, & palmites Christi. Membra au-

tem vivere debent ex capite, & palmites ex vite. *Secundùm Christum* denique, intuendo scilicet, & imitando ipsum, sicut vitæ nostræ exemplar, juxta illud: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Atqui totâ vitâ suâ Christianus nequit vivere Christo, ex Christo, secundùm Christum, modo dicto, nisi totâ vitâ vivat ex fide. Sextò *oportet semper orare*, Luc. 18. & 1. Thessalon. 5. oportet ergo semper credere, cùm oratio esse nequeat absque fide. Nullus quippe ab eo petit salutem, quem non credit Salvatorem, nec ab eo bona postulat, à quo non credit bona illa procedere. Deinde orandum in nomine Christi, prout ipse jussit Joan. 16. & Ecclesia observat in fine Collectarum omnium, addendo *per Dominum nostrum Jesum Christum.* Nec hoc etiam fit absque fide Christi. Et ideò Augustinus epist. 121. ad Probam, *in ipsa* (inquit) *fide, spe, & charitate, continuato desiderio, semper oramus.*

139 Septimò *militia*, id est continua pugna, *est vita hominis super terram.* Ideò Christiani jubentur in omnibus sumere *scutum fidei, in quo possint omnia tela nequissimi ignea extinguere*, Ephes. 6. eidemque nequissimo adversario resistere *fortes in fide*, 1. Pet. 5. Denique tenemur semper benè vivere. Atqui *inseparabilis est bona vita à fide, quæ per dilectionem operatur*; imò verò ea ipsa est bona vita. Augustinus de fid. & oper. c. 23. Hæc sunt argumenta, propter quæ Facultas Theologica Lovaniensis in doctrina sua Innocentio XI. repræsentata, postquam de charitate dixit: *Continua virtualis dilectio versari debet circa Deum*, &c. subjunxit: *Par nobis obligatio est fidei, & spei: etiam per has obligamur divinæ Majestati continuò, saltem virtualiter, adhærere.* Continua verò fides ista virtualis explicanda est ad modum, quo continua dilectio virtualis. De qua, ubi de charitate.

CAPUT X.

Sufficiens fidei propositio requiritur ad obligationem credendi, utpote necessaria ad prudentem assensum.

140 NUm. 137. diximus fidei actum esse sub obligatione, cùm primùm adepto rationis usu, vel posteà, fides est sufficienter proposita. Et ratio est, quia nullus tenetur credere, nisi prudenter possit. Prudenter autem credere nemo potest, quamdiù fides ipsi non proponitur, nisi leviter & insufficienter. Quisquis enim credit absque sufficienti propositione credendorum, citò & leviter credit, per consequens est levis corde, juxta illud Eccli. 19. *Qui citò credit, levis est corde.*

141 Ideò antequam definiamus momentosam quæstionem, quando fides censenda sit sufficienter proposita, necesse est ut explicemus ea quæ generatim requiruntur ad prudentem assensum, qui præbetur propter authoritatem, sive hominis, sive Dei.

§. I.

Explicantur generatim requisita ad prudentem assensum, qui præbetur propter authoritatem hominis.

REquisita illa sunt quinque. Primum 142
est ut homo, cui assensum præbemus, sit verax, ideòque fide dignus. Taliter utique verax, ut ob sinceritatem fallere nolit eos, quibus aliquid asserit; nec facilè sinat se falli ab aliis: ne deceptus ipse, alios facilè decipiat. Neque enim fides prudenter adhibetur illis hominibus, qui vel facilè mentiuntur, vel nimis facilè credendo, facilè decipiuntur, deceptique alios facilè decipiunt. Quòd si propter defectus istos, defectum utique sinceritatis, & mentiendi facilitatem, prudenter non creditur homini: multò minùs dæmoni, in tentationibus aliqua suggerenti, vel etiam tempore exorcismorum in energumenis loquenti. Cùm enim dæmon sit mendacii pater, & capitalis hostis hominum, non quærit nisi hominibus nocere. Periculosum proinde est ipsi credere: cùm veris sæpè falsa misceat, vel nociva, ut falsa cum veris, malaque simul cum bonis facilè admittantur.

Secundum requisitum est, ut sufficiens 143
habeatur certitudo, quòd id quod credendum proponitur, absolutè assertum fuerit ab homine illo, quem cognoscimus esse veracem: neque enim sufficit, quòd asseruerit tamquam sibi ab aliis narratum. Cùm hoc non sufficiat ad credendum illud esse verum, sed solùm ad credendum tali homini veraci fuisse narratum.

Tertium est, ut secundùm meritum æ- 144
stimentur motiva, quæ probant hominem, qui asserit, esse veracem, ipsumque verè asseruisse id quod credendum proponitur, nec habeatur authoritas, seu aliud argumentum, evincens falsitatem talis asserti, vel saltem pro parte enervans authoritatem asserentis, ut intelligatur in quo firmitatis gradu præberi queat assensus.

Quartum est integritas, seu bona dispo- 145
sitio voluntatis in credente, per quam excludatur omnis affectio vel inducens nimis præcipitanter intellectum ad assensum, vel ab eo nimis retrahens. Quia experientia docet passim contingere, ut nimis facilè, & sine debita discussione credatur narrationibus hominum qui diliguntur, & tantò faciliùs, quantò ampliùs diliguntur. Et contrà nimis facilè rejiciatur tamquam falsum, vel tamquam malè fundatum, id quod narratum cognoscitur ab iis quos non diligimus, sed aversamur.

146 Quintum est, ut causa assensûs, saltem virtualiter, sit veracitas asserentis, & reliqua proximè requisita; & non quòd loquatur placentia: aliàs assensus facilè præbetur ex aliqua levitate, vel præcipitantia.

147 Hæc quisquis exactè servaverit, per ea facilè occludet & excludet tres fontes errorum omnium; omnes utique errores provenientes ex parte personæ asserentis; errores provenientes ex parte assertionis; errores provenientes ex parte personæ assensum præbentis.

§. II.

Ostenditur, quinque illa requisita longè excellentiùs reperiri in assensu fidei Catholicæ, quàm in quocumque assensu propter authoritatem humanam; assensum proinde fidei Catholicæ esse prudentissimum, eòque prudentiorem, quò firmiorem.

148 PRimum namque requisitum est veracitas asserentis. Atqui veracitas Dei asserentis veritatem eorum quæ fide Catholicâ credimus, est infinita, fallique & fallere nescia. Et quia Deus est infinitè sincerus, infinitè bonus, infinitè perfectus, ab omni mendacio, seu voluntate fallendi est infinitè remotus. Deo proinde aliquid asserenti, non solùm firmus debetur assensus, sed & infinitè firmus, si in nostra foret potestate. Eò igitur prudentior est noster assensus, quò magis accedit ad firmitatem debitam infinitæ veracitati; adeòque quò firmior.

149 Secundum requisitum est sufficiens notitia, quòd assertio, de qua agitur, reverà facta sit à persona, quam scimus esse veracem. Atqui Deum asseruisse ea quæ credimus, certissimè cognoscimus per Ecclesiæ testimonium, quæ (teste Spiritu sancto) *columna est ac firmamentum veritatis*, adversum quam portæ inferi nunquam prævalebunt; per consequens infallibilis est in iis quæ credenda proponit. Et hinc summè obstricti sumus Deo, quòd per Ecclesiam nobis notificare dignetur ea quæ credere tenemur. Si enim canalem tam palpabilem, tamque infallibilem non elegisset, ad ea nobis notificanda, frequenter expositi essemus deceptioni. Quem enim alium canalem infallibilem elegisset, nisi vel seipsum immediatè, vel Angelum, vel privatum cujusque spiritum? At quàm frequenter Satanas fingit se Deum esse qui loquitur homini? quam frequenter transfigurat se in Angelum lucis? quàm multos decipit per privatum cujusque spiritum, ipsis falsum pro vero persuadendo, prout infrà pluribus apparebit? Propterea Apostolus ad Galat. 1. ad cavendum deceptionis periculum, *licèt* (inquit) *nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Evangelium quippe suum, seu doctrinam cum Apostolis contulerat, ne deciperetur per falsas revelationes, dæmoniisque illusiones; & ideò non suam, sed Ecclesiæ doctrinam Galatis proposuerat.

Tertium requisitum est benè videre, 150
examinatis duobus præcedentibus, examinatis quoque argumentis in contrarium, quousque præbendus, quousque limitandus sit assensus, ut attemperetur authoritati asserentis, sicut & authoritati testantis assertionem istam esse factam. Atqui examinatis duobus proximè præcedentibus, infinita scilicet veracitate Dei, infallibilitateque Ecclesiæ testificantis assertionem à Deo factam esse, examinatis denique quibuscumque in contrarium argumentis, evidens est, assensum quàm fieri potest firmissimum, esse præstandum. Cùm nulla ratio vel authoritas auferre vel debilitare valeat robur infallibilis authoritatis Dei; imò spectatis omnibus evidens sit, tantò prudentiorem assensum esse, quantò firmiorem, quantumcumque intellectui nostro videretur, rem, quæ credenda proponitur, esse impossibilem: cùm finitam & imperfectam intellectûs nostri capacitatem infinitè superent divina mysteria. Ideòque nostri temporis hæretici turpiter sæpè hallucinantur, dum admittere recusant fidei articulum, v. g. de reali præsentia Christi in Eucharistia, eò quòd ipsis præsentia ista incredibilis ideò videatur, quia impossibilis: quasi impossibile foret apud Deum omne verbum, nostroque intellectui, tam parvo, tamque imperfecto, cedere deberet infallibilis authoritas Dei, totum Christum in Eucharistia realiter præsentem attestantis; quasi etiam ipsimet hæretici, non obstante reclamatione intellectûs nostri, nobiscum non crederent sanctissimæ Trinitatis mysterium, Conceptionemque & Nativitatem Christi ex Virgine, sicut & S. Joannis Baptistæ in utero sterili, ad generationemque naturaliter inhabili, propter ætatem.

Quartum requisitum est credentis inte- 151
gritas, quâ nec ex nimio affectu erga asserentem vel testificantem, assensum excessivum præbeat ultra vim motivorum, nec ex aversione impediatur à credendo quod sibi propositum est: manifestum verò est amorem nostrum erga Deum, vel Ecclesiam, causare non posse excessivum assensum: cùm infallibilis sint authoritatis. Nec eadem ratio sit de nostro erga Deum & Ecclesiam amore, seu charitate, quæ est de amore naturali, quo homo hominem diligit: quia amor naturalis potest esse nimius; dumque nimius est, excæcans & præcipitans est; nostra econtrà erga Deum charitas luminosa sit, nec ad Ecclesiam amandam moveat, nisi conformiter ad rationem & veritatem æternam; nunquam proinde contingat, quòd excæcando vel præcipitando moveat ad assensum excessivè firmum; econtrà frequenter contingat quòd defectus amoris, vel

amor nimis modicus divinæ veracitatis, efficiat ut humana mens minùs consideret motiva probantia credibilitatem, quàm retrahentia ab assensu præstando. At verò dum noster erga Deum & ea quæ Dei sunt affectus talis est, qualis esse debet, efficit ut mens intendat iis quæ articulum propositum reddunt credibilem, uti factum legimus in muliere nomine Lydia, *cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ à Paulo dicebantur*, uti Spiritus sanctus testatur Act. c. 16. Experientia quoque docet divini amoris defectum, propriique amoris excessum, non rarò in causa esse, quòd homo, licèt convictus, captivare renuat intellectum in fidei obsequium, sive quia apprehendit sibi nimis molesta & dura esse, quæ secundùm doctrinam fidei circa mores præcepta sunt; sive quia captivatio illa ad credendum mysteria humanam rationem superantia, molesta videtur iis, qui affectum rectè dispositum non habent erga Deum illa revelantem.

152 Quintum denique requisitum (ut scilicet assensus præbeatur formaliter vel virtualiter propter motiva & requisita antè dicta) reperiri constat in assensu fidei: utpote in quo Deus (ut proximè dictum est) illuminat mentem, voluntatemque movet ad assensum illum per amorem erga Deum, tamquam supremam veracitatem, conformiter ad rectissimam rationem, prudentiæque dictamen. In quo assensu Ecclesiæ authoritas intervenit quidem, tamquam notificans, ac certificans, Deum revelasse nobis tales vel tales articulos per Scripturam vel traditionem, sed solus Deus, seu veracitas ipsius, propriè habet rationem motivi. Ecclesia verò solùm intervenit ut nuntia, vel depositaria rerum divinitùs revelatarum. Unde credimus quia verax est qui asseruit, non quia fidelis est nuntius, qui asseruisse nuntiavit; etiamsi hoc ultimum ad fidem præsupponatur per modum convictionis, conditionisque assertionem illam nobis applicantis, quemadmodùm applicatio ligni ad ignem requiritur ad combustionem ligni. Posteaquam verò per Ecclesiæ authoritatem nobis applicata est assertio Dei summè veracis, de eaque convicti sumus, fidei lumine illustramur, ac certificamur de veritate articulorum fidei, sive quòd fides nostra, non hæreticorum, sit vera: quemadmodùm Samaritani, auditâ muliere, Joannis 4. dicente: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: nunquid ipse est Christus?* propter testimonium ipsius exierunt ad Christum, ac tandem, post instructiones ab ipso acceptas, dixerunt: *Jam non propter loquelam tuam credimus: ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est verè Salvator mundi.* Mulier illa (inquiunt Scholastici) repræsentat Ecclesiam, cujus loquela seu testimonium antecedit assensum nostrum. Sed quemadmodùm Samaritani, ab ipsa edocti, Christum ipsum posteà in sua civitate docentem audierunt; sic fideles, ab Ecclesia edocti, Christum per gratiæ illustrationem, piamque affectionem erga credenda interiùs docentem audiunt, ipsique tandem præbent assensum, non jam propter Ecclesiæ authoritatem, sed propter authoritatem Dei, tamquam motivum, ita ut Ecclesiæ dicere possint: *Jam non propter loquelam tuam credimus: ipsi enim* ipsum intra nos loquentem audivimus, & scimus, quia ipse est infinitè verax.

CAPUT XI.

Explicatur quænam sit sufficiens fidei propositio.

DIcendum 1°. censeri sufficienter propositam pueris piæ vitæ, tamquam à Deo revelatam, quando ut talis, & ut miraculis, atque innumerabilium Sanctorum & Sanctarum professione illustrata, proposita est à suo Parocho, seu alio viro, quem prudenter existimant ita doctum & pium, ut sine formidine judicent verum esse quod dicit, scilicet veritatem illam à Deo revelatam esse. Tunc enim superveniente cælesti lumine, pioque motu interno Spiritûs sancti, prudenter & firmiter credere possunt, adeòque debent. 153

Dicendum 2°. fidem infidelibus censeri sufficienter propositam, quando vel rationibus, vel miraculis, vel aliis signis credibilitatis, moraliter certificati sunt, eam à Deo revelatam esse, ut de eo nulla ipsis supersit rationabilis formido. Neque enim major certitudo divinæ revelationis requiritur in pueris de quibus antè. Neque requiritur, quòd pondus rationum, quibus divina revelatio redditur ipsis credibilis, sit tam firmum, quàm est assensus ipse fidei: cùm assensus iste non nitatur rationibus illis, tamquam motivo (aliàs fides naturalis esset, humana esset, divina non esset, argumentoque generaretur, seu dialectico ratiocinio, non captivitate intellectûs in obsequium divini testimonii) sed solo Dei testimonio, omnibus rationibus nostris firmiore; firmitas proinde ac certitudo rationum illarum (utpote ad fidem se habentium, ut præambula, non ut motiva) mensura non sit firmitatis ac certitudinis ejusdem assensûs, sed verbum Dei, acceptum, sicut est verè, ut verbum Dei, non ut verbum hominum. Unde meritò ab Innocentio XI. damnata est hæc propositio: *Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Si propositio hæc vera esset, fides non esset assensus firmior omni demonstratione, prout esse docet post Apostolum 154

Pe-

Petrum Clemens Alexandrinus.

Dicendum 3°. ad assensum fidei, verè, seu entitativè divinæ, & supernaturalis, non sufficere notitiam solùm probabilem divinæ revelationis, cum formidine quâ quis formidet, ne non sit locutus Deus; sed oportet moraliter certùm esse conscientiæ dictamen de eo quòd fidei veritas à Deo revelata sit: ita ut de eo non possit quis prudenter, & rationabiliter dubitare, multò minùs assensum verè supernaturalem, tali veritati ut à Deo revelatæ præstitum, prudenter repudiare.

155 Probatur, quia licèt ad assensum fidei, verè, seu entitativè divinæ, necesse non sit, divinam revelationem nobis applicari, seu innotescere per signa, seu motiva credibilitatis, æquè infallibilia atque est ipsamet divina revelatio; sed sufficiat, quòd nobis applicetur, & innotescat per signa, seu motiva credibilitatis, physicè quidem, aut metaphysicè fallibilia, sed moraliter infallibilia (ut patet, tum in motivis credibilitatis, sive inductivis extrinsecis, quibus movemur ad fidem, non innitentem illis, tamquam motivo, sed authoritati Dei revelantis, quæ sine dubio majoris est infallibilitatis, quàm illa sint. Tum in motivis credibilitatis, quibus movemur ad credendum, quòd hostia sit consecrata, quorum moralis certitudo sufficit ad absolutè credendum, fide verè divinâ, Christum in ea realiter esse) necesse est tamen ea nobis applicari, & innotescere per signa, seu motiva credibilitatis, moralem omnem formidinem excludentia, adeòque moraliter plusquàm probabilia: quia formido de divina revelatione, sive ne hoc non dixerit Deus, pugnat cum fide divina, & supernaturali, saltem absoluta. Quia actus fidei debet esse certus & infallibilis, suamque certitudinem, & infallibilitatem sumere ex motivo, cui innititur, ex divina utique revelatione. Si igitur de divina revelatione non constet, sed vel dubia sit, vel de ea rationabilis sit formido, non apparet quomodò actus fidei illi innitens, certus & infallibilis esse possit.

156 Deinde si actus fidei supernaturalis staret cum notitia solùm probabili divinæ revelationis, & cum probabili formidine in contrarium, ut aliqua propositio fide divinâ, & infallibili absolutè credi posset, sufficeret eam solùm probabiliter esse contentam in universali de fide; adeòque hæc propositio, nullus utiliter ad salutem operatur sine physica prædeterminatione, fide divinâ & infallibili credi posset, & pro ipsa posset quis mortem oppetere. Sed hoc dici nequit. Qui enim hoc assereret, assereret physicam prædeterminationem esse de fide; quod si quis assereret, corriperetur ab Inquisitione, tamquam impingens in Bullas Pontificias. Probatur sequela majoris: quia propositio illa probabiliter continetur in universali de fide, hac videlicet: *Nullus operatur utiliter ad salutem sine auxilio efficaci*: sub ea namque probabiliter subsumi potest. Sed auxilium efficax est physicè prædeterminans. Ergo nullus utiliter ad salutem operatur sine auxilio physicè prædeterminante, ac proinde fide divinâ credi posset existentia physicæ prædeterminationis.

Nec solum istud inconveniens sequere- 157
tur, sed & duo contradictoria fide divinâ credi posse, dari scilicet, & non dari physicam prædeterminationem. Quia probabile est eam dari, probabile item non dari, tamque existentia, quàm non existentia illius probabiliter contenta est in universali de fide. Existentia quidem, ut jam ostendimus. Non existentia verò probabiliter continetur in hac universali propositione de fide: *Nullus operatur utiliter ad salutem, seu meritorie, nisi liber à necessitate*: utpote sub qua subsumi potest. Sed sub physica prædeterminatione non est liber à necessitate, uti probare conantur Authores omnes scientiæ mediæ. Ergo nullus operatur utiliter ad salutem sub physica prædeterminatione.

Et hinc tertium sequeretur inconveniens, 158
quòd utique actus supernaturalis, & fidei divinæ, posset esse falsus. Alteruter quippe ex actibus illis, sibi invicem contradicentibus, est falsus, quamvis uterque credibilis sit fide divinâ & supernaturali; nisi vera sit assertio nostra.

Ob hæc & alia Innocentius XI. meritò 159
damnavit sequentem propositionem, damnandoque, nostram stabilivit assertionem: *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solùm probabili revelationis, imò cum formidine quâ quis formidet, ne non sit locutus Deus.* Eo tamen non obstante

Respondeo 4°. infidelem, qui post serium 160
examen, maturè judicat fidem nostram esse credibiliorem, seu probabiliorem, licèt sectam suam censeat adhuc probabilem, teneri ad sectam suam deserendam, & fidem nostram amplectendam. Ita determinavit Ecclesia, per Innocentium XI. damnando hanc propositionem (quam noster Lumbierus observat. 6. ad propos. ab Innoc. XI. damnatas n. 117. dicit inter Moderniores fuisse communem) *Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens, ductus opinione minùs probabili.* Et ratio est, tum quia à peccato non magis excusatur qui in credendo sequitur opinionem minùs probabilem, quàm qui in agendo. Tum quia lumine naturæ evidens est, illam fidem, seu religionem præ cæteris amplectendam, quam vel certò constat esse veram, vel (si de nullius adhuc veritate certò constet) constat tamen hanc præ cæteris esse verisimiliorem, seu veritati proximiorem, maximè si cæteræ sectæ per eam omninò damnentur, ac reprobentur. Cùm in re tanti momenti, unde pen-

det æterna salus, naturæ lumen apertè dictet, veritati appropinquandum, falsitatisque periculum fugiendum, quantum fieri potest. Tum denique, quia infidelis (de quo in casu) nequit bonâ fide persistere in probabili sua infidelitate: cùm possit, ulteriùs investigando notas veræ Religionis, & Ecclesiæ, veritatem certò deprehendere. Probabilem verò opinionem nullus prudenter sequitur in re, in qua veritatem certò potest attingere; sed tenetur tunc veritatem sequi, quam certò potest. Ideòque quòd in materia fidei, ab Ecclesia Romana propositæ, non liceat sequi opinionem probabilem, contra probabiliorem, tenent omnes, teste Ledesmâ 2. 2. tr. 1. c. 5. concluſ. 5. & 6.

161 Objicies 1°. Infideles non tenentur credere, seu amplecti fidem nostram, nisi sufficienter propositam: sed in casu præsenti non est sufficienter proposita. Quia illa non est sufficiens propositio fidei, ad quam sequi non potest assensus fidei supernaturalis. Sed assensus iste non stat cum notitia solùm probabili, quòd res à Deo sit revelata, neque cum morali formidine in contrarium, ut constat ex dictis num. 146. & Ecclesia declaravit suprà n. 150.

Respondeo concessâ majore, distinguendo minorem: non est sufficienter proposita ad credendum fide in re absolutè divinâ & supernaturali, concedo: non est sufficienter proposita ad credendum fide conativè, &, quantùm in se est, divinâ, id est ad conandum (quantùm in se est) elicere fidem divinam, & supernaturalem, nego. Talis itaque assentiri tenetur fidei nostræ, ob divinam revelationem, faciendo quod in se est ad expellendam omnem formidinem, cæleste lumen implorando, Doctores Catholicos consulendo, sibique majorem instructionem procurando. Quibus præstitis, si formidinem ex toto expellere non possit, eliciet actum fidei objectivè divinæ (qualem eliciunt Hæretici circa mysteria, quæ nobiscum credunt, ob divinam revelationem, uti & simplices Catholici, ob idem motivum credentes B. Virginem immaculatè conceptam, quia credunt id ab Alexandro VII. jam esse fide definitum) tametsi non entitativè divinæ. Si autem divinâ gratiâ adjutus, in suo conatu indubitanter, & sine ulla oppositi formidine procedat (stante, uti reverà stat, coram Deo rei veritate) tunc eliciet actum fidei entitativè divinæ. Quæ tunc non conjungetur cum notitia solùm probabili divinæ revelationis, sed cum notitia
162 moraliter certa, utpote moralem omnem formidinem excludente.

Objicies 2°. Nullus tenetur mutare religionem, in qua hactenùs fuit, quamque cum lacte suxit, quamdiù de illius errore ipsi non constat. Sed de errore ipsi non constat, quamdiù sua illa religio apparet ipsi probabilis. Ergo. Minor patet. Probatur major, tum quia periculum est non assequendi veram religionem, quando de vera non constat. Tum quia talis mutatio, si foret necessaria, obligaret hominem ad magnam inconstantiam in materia religionis: quia obligaret ipsum ad eam frequenter mutandam; dum frequenter fit, cras videri minùs probabile, quod hodie probabilius videtur.

Respondeo negando majorem, quando post serium examen judicatur falsa, tametsi judicio non omninò certo, sed probabiliore. Ad primam ejus probationem, aio, majus esse periculum non assequendi veram religionem, manendo in ea, quæ post maturum examen creditur probabiliùs falsa. Quando verò periculum omni ex parte caveri non potest, prudentia dictat majus periculum cavendum, quantùm fieri potest, eamque proinde religionem eligendam, in qua minus est periculum. Ad secundam probationem, nego antecedens, si cum Dei gratia faciat quod in se est: quia scilicet fundamenta quæ religionem nostram probabiliorem reddunt, adeò solida sunt, ut non possint, nisi vitio ipsius, postmodùm ipsi 163
apparere minùs probabilia.

Objicies 3°. Ex doctrina nostra sequeretur, Catholicum teneri ad mutandam religionem, quoties Hæreticus, vel Philosophus ethnicus talia ipsi proponeret argumenta contra mysterium Trinitatis, vel Incarnationis, vel Eucharistiæ, &c. ut iis seductus, probabiliorem judicaret sectam, mysteria illa negantem.

Respondeo negando sequelam. Vel enim Catholicus est vir doctus, vel indoctus. Si est doctus, non est isti periculo locus. Si indoctus, debet judicare se incapacem ad ferendum de argumentis illis judicium; adeòque tempus sumere, ut cæleste lumen imploret, remque cum doctis Catholicis conferat. Quod si faciat, detegetur ipsi fallacia illorum argumentorum. Neque enim ipsi, facienti quod in se est, divina gratia deerit ad conservationem veræ suæ religionis (sicut infidelibus deest ad conservationem falsæ sectæ suæ) imò Catholicis, facientibus quod in se est, nec se gratiâ divinâ indignos reddentibus, Deus infundit supernaturalem quamdam fidei certitudinem, excludentem formidinem ad instar certitudinis experimentalis. Inde enim, in ipsis etiam feminis, & pueris, tantam fidei experimur firmitatem; quòd siqui in errorem inducantur, vitio, & culpâ ipsorum id accidit, nec proinde error ipsorum est invincibilis, sed vinci- 164
bilis & crassus.

Objicies 4°. Saltem infideles non tenentur credere, quamdiù sua secta videtur ipsis æquè probabilis ac nostra.

Respondeo teneri suam deserere, nostramque amplecti, si sic utraque videatur ipsi tene-

æquè probabilis, ut noſtra tutior videatur. Quia in dubio tanti momenti viam eligere tenetur tutiorem. Si utraque appareat æquè probabilis, & ſimul æquè tuta; ne in tali dubio ſalutem ſuam in diſcrimen adducat, tenetur veritatem tali modo & tantùm inquirere, quomodò & quantùm veritas tam momentoſa quærenda eſt, à Deo cæleſte lumen frequenter & perſeveranter petendo, divinæ gratiæ obſtacula removendo, conſcientiam ſuam purificando, veritatem ſincero corde deſiderando, viros notæ probitatis & doctrinæ conſulendo, &c. Quæ omnia ſi ſedulò perfecerit, Deus tenebras ipſius illuminabit. Conſtat namque ex ſacris Litteris, ſapientiam, in neceſſariis ad ſalutem, non deeſſe toto corde exoptantibus, & debitè invocantibus eam. Ideòque per ipſum ſtat, culpæque ipſius tribuendum, ſi in dictis neceſſariis non illuminetur, vitioque proinde ſuo manebit in errore, ſi maneat. Cùm enim Deus velit omnes ſalvos fieri, adhibitâ debitâ diligentiâ, omnes invenire poſſunt veram religionem, & Eccleſiam, extra quam non eſt ſalus. Quòd ſi in non neceſſariis neceſſitate medii ad ſalutem, Deus non illuminet, factâque debitâ diligentiâ, nec fidei noſtræ veritatem, nec credibilitatem, ſeu probabilioritatem, nec majorem ſecuritatem infidelis aſſequi potuerit, videtur tunc manere in terminis infidelitatis purè negativæ. Sed ejuſmodi caſum vix, imò nec vix contingere puto. Ideòque arbitror vix ullos, ſi ullos, eſſe infideles, qui non ſint formaliter infideles, ſi poſt conſcientiæ remorſum, & dubium de veritate, ſecuritateque ſectæ ſuæ, in ea permanſerint. Vix enim ulli ſunt, ſiqui ſunt, qui, in tali dubio ac remorſu, vel tantam adhibeant ſollicitudinem, orationem, conſcientiæ purificandæ curam, virorum doctorum, omnique exceptione majorum conſultationem, &c. quantam res tanta exigit; vel qui, eâ adhibitâ, ſaltem non videant noſtram eſſe probabiliorem, vel ſecuriorem. Quo viſo, ſi in ſecta ſua permaneant, peccant lethaliter peccato infidelitatis.

165 Moveor ad iſtam ſententiam: quia licèt dabilis ſit in infidelibus ignorantia purè negativa (adeòque inculpata) myſteriorum fidei (uti Eccleſia declaravit, docentque Theologi communiter cum S. Thoma 2. 2. q. 10. a. 1.) hoc tamen S. Doctor intelligit de infidelibus, qui de myſteriis fidei nihil audierunt, non de iis quibus myſteria illa ſaltem eouſque propoſita ſunt, ut ſentiant internum remorſum de ſectæ ſuæ falſitate, dubitentque, an fidei noſtræ myſteria vera non ſint & credenda. Semel autem inducto dubio iſto & remorſu, ſi motiva credibilitatis fidei noſtræ debitè conſiderentur, divinique luminis obſtacula removeantur, Deuſque ut oportet invocetur, motivorum illorum ſoliditas, & contrariorum ſoliditas apparebit: cùm motiva fidei noſtræ debitè conſiderantibus, obſtacula removentibus, veritatem ſincerè quærentibus, Deumque ut oportet invocantibus, *credibilia facta ſint nimis.* Dicta verò ignorantia purè negativa, ſeu inculpata, myſteriorum fidei, licèt poſſit etiam inter fideles reperiri, difficulter admittenda eſt, utpote rariſſimè contingens, uti docent S. Thomas, Bonaventura, Durandus apud Sanchez l. 2. in Decal. c. 3. n. 20. aliique graves Authores, quos refert, ſequiturque Tapia to. 2. lib. 1. de fide q. 2. a. 9.

Et ratio eſt, quia cùm in Eccleſia tanta 166
ſit abundantia doctrinæ, tanta copia Magiſtrorum, & Catechiſtarum, præcipua etiam fidei myſteria quotannis ſolemniter in Eccleſia celebrentur, valdè incurii ſunt ſuæ ſalutis, qui myſteria illa ignorant, difficulterque ignorantia ipſorum cenſeri poteſt negativa, & inculpata: cùm ipſis facile ſit, in tanta copia Catechiſtarum, aliquem ipſorum accedere, ad audiendam explicationem Doctrinæ Chriſtianæ. Quod ſi facere negligant, ipſis imputatur quòd ignorent; ſicut ſitientibus imputatur quòd ſitiant, ſi ſitiant ex eo quòd non accedant ad bibendum, vel hauriendum ex copioſo flumine ad quod facilè poſſent, ſi vellent, accedere. In talibus namque cum Petro Oxea tract. mor. de virtut. theol. diſput. 2. ſect. 2. ignorantiam admittere invincibilem, intolerabilis opinio eſt.

Præcones tamen fidei & Catechiſtæ, ma- 167
gis ſolliciti eſſe debent de inſtruendis infidelibus extra Eccleſiam exiſtentibus, quàm de fidelibus intra Eccleſiam errantibus. Quia extra Eccleſiam non eſt ſalus. Quamvis enim infideles extra Eccleſiam à formali peccato in caſu raro excuſari poſſint per ignorantiam purè negativam, & inculpatam; extra Eccleſiam tamen juſtificatio & ſalus eſſe non poteſt, niſi fortè illis qui in re ſic ſunt extra Eccleſiam, ut intra eam ſint in voto, per veram contritionem, cum voto baptiſmi.

CAPUT XII.

Ultra præceptum fidei internæ, duplex datur præceptum illius, certis in circumſtantiis, exteriùs confitendæ.

DAtur quippe præceptum negativum, 168
quo prohibemur fidem negare: *qui enim negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Et iſtud obligat pro ſemper. Datur & affirmativum, ſolùm obligans pro certis circumſtantiis, quo præcipimur fidem poſitivè confiteri. Nam Chriſtus non ſolùm dixit Matth. 10. *qui negaverit me*; verùm addidit Luc. 9. *qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate.* Chriſtum

verò erubescit, non solùm qui palàm negat, sed & qui non confitetur quando oportet; *quando scilicet* (verba sunt S. Thomæ 2. 2. q. 3. a. 2.) *per omissionem confessionis subtrahitur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda, puta si aliquis, interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide. In hujusmodi proinde casibus confessio fidei est de necessitate salutis*, conformiter ad illud Apostoli Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Quæ verba de confessione fidei, non de sola confessione laudis intelligenda esse contextus manifestat. Immediatè enim præcedit, *quòd si confitearis in ore tuo Dominum Jesum Christum, & corde credideris, quia Deus suscitavit eum à mortuis, salvus eris.* Proinde ex Apostolicis illis verbis fidei confessionem necessariam esse ad salutem sancti Martyres semper intellexerunt, sicut & SS. Patres. Augustinus namque l. 1. de fid. & Symb. c. 1. *Quoniam* (inquit) *scriptum est, & Apostolicæ doctrinæ robustissimâ authoritate firmatum,* „ justus ex fide vivit, „ *eaque fides à nobis exigit officium & cordis, & linguæ, juxta illud Apostoli*: „ Corde creditur ad justitiam; „ ore autem confessio fit ad salutem: „ *oportet nos justitiæ esse memores & salutis.* Fulgentius l. 1. ad Trasim. c. 1. *Compertum esse non ambigo, apud eos qui christianæ gratiæ participatione redempti sunt, penè idem esse, fidem nolle asserere, quod negare. Nec immeritò talis servus abjicitur, & punitur: quoniam uno eodemque silentio firmat errorem, qui terrore seu torpore depressus, silendo non adstruit veritatem. Dominicam quoque gloriam, qui non firmarit, evacuat, & divinam contumeliam, qui non refutarit, accumulat ..... miles ignavus regia castra, somnolento torpore depressus, oppugnantibus tradit, dum competentibus excubiis non defendit ..... cùm de Deo res agitur, non levis reatus est, si quod ad salutem pertinet, taceat. Ita namque nos oportet corde ad justitiam credere, ut oris confessio fiat pariter ad salutem: quoniam verbum Dei non est vinctum.* Anselmus, vel quisquis ipsius nomine circumfertur ad citatum Apostoli locum: *Parum est in corde habere Christum, & nolle confiteri, dum timetur opprobrium: qui enim salutem cupit habere, debet fidem suam ore proferre.*

169 Ad salutem itaque non sufficit corde credere, sed duo insuper requiruntur. Primum, pro nullo malo vitando, pro nullo etiam bono consequendo, fidem (tametsi interiùs retentam) exteriùs negare, sive explicitè, sive implicitè. Contrarium quidem putarunt Helcesæitæ hæretici, dicentes, non esse peccatum, in persecutione, fidem exteriùs negare, dummodo retineatur in corde. Sed contrarium istius erroris definitum est in Concilio Romano, sub Cornelio Papa, ut videre est apud Baronium ad annum 254. & 255. Et meritò; nam quòd id ne quidem liceat ad vitandam mortem, Christus satis declaravit Matth. 10. cùm dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui & animam & corpus perdere potest in gehennam.* Et hinc concludit: *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo ..... qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum.* Ex quo sermonis contextu communis SS. Martyrum, & SS. Doctorum sensus semper fuit, Christum loqui, in casu etiam gravissimæ persecutionis, & acerbissimæ mortis, ita ut ne tunc quidem liceat Christum negare, oppositaque sententia (ut Augustinus dicit in lib. contra mendacium c. 21.) *sanctos Martyres exhonorat, imò verò aufert sancta omninò martyria. Sed non sic intellexerunt Martyres veri, Martyres sancti. Viderunt quippe, tenueruntque quod scriptum est:* "Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem." "

Deinde mendacium est detestabile, Dei- 170
que valdè inhonorativum, fidem corde retentam ore negare. Propter quod Augustinus ibidem addit: *Non est mentiendum in doctrina pietatis. Magnum enim scelus est, & primum genus detestabilis mendacii.* Quod ideò conjunctum est cum magna inhonoratione Dei, quia qui à persecutoribus fidei interrogatur, an sit Christianus, perinde est ac si interrogetur an fidem Christi putet esse veram, & ipsum Christum, qui eam docuit, & dixit se esse Deum, putet esse veracem? Ergo qui tunc negat se esse Christianum, idem facit, ac si dicat Christum, qui se Deum esse dixit, ea in re fuisse mentitum. Et ad minimum dicit sic: nolo ego cum tanto periculo meo veracitatem Christi defendere. Quod est dicere: veracitas Christi non est talis ac tanta, ut pro defensione ejus, ego mori debeam. Quod est gravissimè inhonorare veracitatem Christi, & Patris qui misit illum.

Denique in eo situm fuit peccatum sancti Petri Apostoli, & sancti Marcellini Pontificis, quorum neuter fidem corde, sed ore dumtaxat negavit timore mortis. Quorum prior scelus illud amaris lachrymis deflevit; posterior in Concilio Sinvessano, sacco indutus, peccatum suum palàm confessus est, suique ad martyrium oblatione, publicâque fidei confessione reparavit.

Et nonne *penè omnes, qui Christum coram* 171
persecutoribus negaverunt, quod de illo credebant, corde tenuerunt? (inquit Augustinus tract. 13. in Joan.) *quis ita evanescat, ut credat Apostolum Petrum hoc habuisse in corde, quod in ore, quando Christum negavit? Cur ergo lachrymis diluit, quod ore negaverat, si saluti sufficiebat, quod corde credebat?* Et cap. 6. *In ipsa negatione Petri debemus advertere, non solum ab eo negari Christum, qui dicit eum*

non esse Christum ; sed ab illo etiam , qui cùm sit , negat se esse Christianum. Dominus enim non ait Petro : *discipulum meum te negabis ; sed , me negabis. Negavit ergo ipsum , cum se negavit ejus discipulum.*

172 Secundum , necessarium ad salutem, est externa fidei confessio; cujus tamen præceptum, utpote affirmativum , nec complectens universitatem humanorum actuum , non obligat ad semper : quia , ut scholæ Angelus dicit 2. 2. q. 3. a. 2. *præcepta affirmativa non obligant ad semper , etsi semper obligent. Obligant autem pro loco & tempore , secundum aliquas circumstantias debitas , secundùm quas oportet actum humanum limitari , ad hoc quòd sit actus virtutis. Sic ergo confiteri fidem , non semper , neque in quolibet loco , est de necessitate salutis , sed in aliquo loco & tempore.*

CAPUT XIII.

Circumstantiæ , seu casus , in quibus obligat præceptum confessionis fidei.

173 TRes casus assignat S. Thomas suprà n. 168. Primus est, *quando per dimissionem*, id est omissionem *hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo.* Ratio est, quia confessio fidei tunc est sub præcepto, quando finis hujus præcepti, Dei scilicet & religionis honor, eam exigit : tunc enim oportet Dei & religionis honorem tueri & promovere , reddendo testimonium veracitati Dei.

174 Et ideò dum in tribunalibus agitur causa Dei & religionis , de fide publicâ authoritate interrogatus , fidem ingenuè confiteri tenetur , etiamsi acerbissimos cruciatus, & mortem atrocissimam propterea subiturus sit. Quia sic exigit Dei & religionis honor, propriæ vitæ & incolumitati præferendus. Tùmque tacere , esset Christum , si non negare, certè erubescere. Istaque semper fuit Ecclesiæ traditio , iste unanimis SS. Martyrum sensus , qui dum steterunt ante Reges & Præsides , de fide ab ipsis interrogati , ad positivam illius confessionem se semper obligatos crediderunt , Christoque testimonium intrepidè reddiderunt , Christumque & Christianam Religionem multùm per hoc honoraverunt, & exinde Martyres , id est fidei, seu Dei testes appellati sunt. Nec permiserunt se decipi hoc sophismate : Reges & Præsides non habent jus sub pœna mortis interrogandi de fide. Quidquid enim de hoc sit, non dubitaverunt Christum habere jus, ut ipsi ante Reges & Præsides testimonium de ipso redderent. Unde meritò Innocentius XI. damnavit hanc propositionem Ægidii Coninck, Tanneri , utriusque Hurtadi, Granadi , Oviedi , & Castropalai apud Leandr. p. 2. Decal. tr. 2. disput. 2. q. 8. *Si à potestate publica quis interrogetur , fidem ingenuè confiteri , ut Deo & fidei gloriosum consulo ; tacere , ut peccaminosum per se non damno.*

Si tamen interrogans sit persona privata, interrogatus, regulariter loquendo , non tenetur ei directè respondere ; sed ei dicere potest , quid ad te? quis te Judicem constituit , &c. ? Neque enim confessionis præceptum tunc urget , sicut in priori casu , ut communis semper fuit fidelium sensus & praxis.

Dixi *regulariter loquendo* ; vir enim admo- 175
dùm gravis , privatâ authoritate coram multitudine interrogatus , confiteri tenetur , in casu quo tacendo , vel responsum declinando , grave scandalum causaret in populo ; sicut & in casu , quo ingens utilitas, vel necessitas proximorum positivam exigeret confessionem , juxta proximè dicenda.

Secundus casus , à S. Doctore assignatus, 176
est quando per omissionem confessionis *subtraheretur utilitas proximis impendenda* : quod contingit quoties confessio necessaria est ad fidem in aliis promovendam , vel confirmandam. Quando ergo alii ex tua confessione veram fidem amplexuri sunt , aliàs in falsa permansuri ; vel in vera fide confirmandi sunt , aliàs vacillaturi , vel defecturi ; quando item non confitendo fores in causa quòd alii in falsa sua religione confirmarentur , teneris confiteri. Quia sic exigit utilitas proximis impendenda..... Ita S. Doctor loco citato , tam in corpore , quàm ad secundum. Ubi sic : *In casu necessitatis , ubi fides periclitatur , quilibet tenetur fidem suam propalare , vel ad instructionem aliorum fidelium , sive confirmationem , vel ad reprimendam infidelium insultationem.*

Ex quibus postremis verbis S. Doctoris 177
colligitur , quòd quandocumque vides fidem ab infidelibus contemni , vel sacra conculcari , teneris te opponere , etiam cum vitæ periculo , si spes profectûs affulgeat. Tunc enim Dei honor, & sacrorum reverentia id exigit , ut cum communi tradit Bonacina. Si ergo videas sacras imagines conspurcari , Dei nomen blasphemari , sacras virgines & templa profanari , &c. teneris id impedire , si possis , etiam cum vitæ periculo. Secùs si non possis , & credas oppositionem tuam magis obfuturam , quàm profuturam.

Tertius casus , juxta eumdem S. Docto- 178
rem , est dum confessionis omissio censetur implicita fidei negatio , puta (ait S. Doctor) *si aliquis interrogatus de fide , taceret , & ex hoc crederetur , vel quòd non haberet fidem , vel quòd fides non esset vera* , ut si Eleazarus à Regiis Ministris ad id sollicitatus , simulasset porcinas se comedisse carnes , tametsi licitas carnes reverà manducasset , simulatio ista reputata fuisset Judaïcæ religionis abnegatio. Ideòque eam sibi illicitam Eleazarus meritò censuit *Non enim ætati nostræ dignum est (inquit) fingere : ut multi adolescentium , arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum , & ipsi propter meam simulationem , & propter modicum corruptibilis*

vitæ tempus decipiantur. Nam, etsi in præsenti tempore supplicüs hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam. Sic etiam si, dum multi simul à Tyranno interrogati, an sint Christiani, aliis affirmantibus, alii taceant, istisque abire permissis, alii occidantur, quilibet judicabit dimissos negasse fidem. Sicut & in casu quo, dum multi simul interrogantur, quibusdam negantibus se Christianos, alii tacent, & unà cum negantibus dimittuntur. Necnon in casu quo, interrogante Tyranno, an sis Christianus, tacente te, alter respondet te non esse Christianum, si ei non contradicas, censeberis approbare dictum alterius, adeòque fidem negare.

179 Extra tres illos casus, cavenda est confessio imprudens. Quæ censetur talis 1°. dum sine ulla necessitate divini honoris, vel utilitate proximorum, temerè quis se exponit periculo tormentorum, quæ fortassis tolerare non poterit; sicque exponit se periculo abjurationis fidei. Est enim temeritas periculosa, eam in se præsumere animi fortitudinem, quæ necessaria est ad christianè tolerandam Tyrannorum persecutionem. Et ideò Christus minimè præcepit ut traderemus nos in manus persecutorum; sed contrà præcepit ut eos fugeremus: *Cùm vos* (inquiens) *persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam. Hoc cùm scirent* sancti (ait D. Athanasius in Apol. de fuga sua) *ad eam normam vitam suam temperaverunt. Nam quod Deus injunxerit, faciendum est. Ideòque & ipsum Verbum, propter nos homo factum, voluit quemadmodùm & nos, cùm quæreretur, & cùm persecutionem pateretur, fugere, & insidias declinare.*

180 Scio quòd Tertullianus, in peculiari libro hac de re edito, damnet hanc fugam, tum quia persecutio, utpote à Deo immissa, ad probationem bonorum, & reprobationem malorum est bona. Ergo fuga ejus mala est: quippe contraria voluntati Dei; qui dum persecutionem immittit, vult ut eam sustineamus.

Tum quia stultum est velle fugere quod à Deo venit: cùm omne, quod à Deo venit, inevitabile sit. Tum quia fuga illa honestari nequit ex diffidentia propriæ infirmitatis. Cùm magis fidendum sit de potenti auxilio Dei; quàm de sua fragilitate diffidendum. Tum denique quia locus allegatus ex Matthæo jam non habet locum, sed solùm habuit locum in Apostolis, quos Christus voluit fugere; ne, si in prima persecutione occisi fuissent, Evangelii disseminatio impedita fuisset.

181 Sed in hoc, sicut & in aliis, Tertullianus erravit, privatum sensum suum opponendo sensui totius Ecclesiæ, quæ allata Christi verba sic semper intellexit, ut ad fideles omnes, non ad solos Apostolos extenderentur. Et idem semper fuit sensus unanimis Sanctorum, qui *pro formula accepta* (ut D. Athanas. prosequitur) *utpote à Domino eruditi, & priscis olim, & sequentibus temporibus, in certamine, quod illis erat cum persecutoribus, & fugâ se instantibus eripiebant, & quærentibus sese per latebras subducebant. Quippe qui, ut homines, ignari erant temporis sibi à divina providentia constituti..... donec aut mortis definitum tempus supervenire, aut quousque definitor temporis Deus ipsis hoc ipsum indicaret, vel persecutores inhibens, vel persecutoribus eos tradens.*

Nec 1ª. ratio Tertulliani solida est. Quia 182
persecutio (præterquàm quòd non sit à Deo positivè inferente, sed tantùm permittente) sic est bona patienter tolerantibus, ut tamen humanæ fragilitatis conscii, licitè, imò laudabiliter eam fugiamus, velut causam gravissimæ tentationis contra fidem, vel ut humanæ naturæ disconvenientem. Quomodò licitè fugimus pestem, famem, & alia corporalia mala, licèt à Deo sint etiam positivè inferente. Nec in hoc facimus contra voluntatem Dei, imò facimus quod nobis præcipit Deus, qui solùm vult ut persecutionem sustineamus, dum eam fugere non possumus, id est dum ipse nos tortoribus tradit.

Nec 2ª. ratio ipsius solidior est. Quòd 183
enim persecutio fidei non sit inevitabilis, manifestum est experientiâ plurimorum, qui eam evitarunt.

Nec 3ª. ratio majoris est soliditatis. Quia 184
fuga persecutionis non est diffidentia divini auxilii, sed propriæ fragilitatis; nec provenit ex hoc quòd Deum credamus, aut gratiæ suæ avarum, aut inopem; sed ex eo quòd eum credamus suæ gratiæ Dominum, nec velle dare gratiam vincendi fortissimam tentationem, nisi iis, qui propriæ fragilitatis conscii, pro posse fugiunt ejus occasionem.

Et ideò Nicolaus I. cap. *sciscitarii* 7. q. 1. 185
definivit esse licitum, exemplo Prophetarum, & Apostolorum, fugere fidei persecutores. Nec hoc est contra honorem Deo & religioni debitum: utpote qui non exigit ut omni tempore & loco pro fide tormenta mortemque patiamur; sed in circumstantiis supradictis dumtaxat; imò hoc potiùs est cavere ne religioni ignominiæ notam inuramus, eam negando, si nos temerè tormentis offeramus. Quippe non fugere, est exponere se periculo fidem negandi, juxta illud Cypriani lib. de lapsis, *forte qui non fecessit, negaturus remansit.*

2°. Confessio fidei imprudens est, dum 186
per eam sine necessitate persecutoribus causa datur Deum offendendi, fidemque persequendi. Quia, ut sapienter observat Clemens Alexandrinus lib. 4. Strom. *qui se capiendum præbet per audaciam, is, quantùm in se est, adjuvat improbitatem ejus qui persequitur.*

3°. Imprudens est, dum absque necessitate divini honoris, sine utilitate etiam fidei,

vel fidelium, perturbationem in infidelibus causat. Nam, ut S. Thomas loco citato ad 3. ait, *si turbatio infidelium oriatur de confessione fidei manifesta, absque aliqua utilitate fidei, & fidelium, non est laudabile, in tali casu, fidem publicè confiteri. Unde Dominus dicit Matth. 7.* „ Nolite sanctum dare ca-
„ nibus, neque margaritas vestras spargite
„ ante porcos, ne.... conversi dirumpant vos. *Sed si utilitas fidei aliqua speretur, aut necessitas adsit, contemptâ perturbatione infidelium, debet homo publicè fidem confiteri.*

CAPUT XIV.

Confessio fidei, in casibus antedictis, fieri debet absque ulla æquivocatione, contrariæve religionis simulatione.

188 PRobatur, quòd absque æquivocatione, quia fidem verbis æquivocis confitens, si fidem non abneget, eò quòd verba æquivoca sensum verum admittant, saltem Christum erubescit, debitumque Deo & religioni honorem subtrahit; dum nonnisi tectè, & sub involucris verborum confessionis suæ sensum ac veritatem manifestare audet. Unde Ambrosius lib. 10. in Luc. 22. *Non satis est involuta responsio confitentis Jesum, sed aperta confessio. Quid prodest verba involvere, si videri vis denegasse?*

189 Probatur etiam quòd absque simulatione. 1°. quia falsam religionem simulare, est Christum erubescere. 2°. quia est veram religionem coram hominibus negare. 3°. quia simulatio illa, utpote facto aliud significans, quàm sit in corde, detestabile est mendacium, Dei & religionis valdè inhonorativum, & proximis valdè perniciosum. Denique est exteriori facto ac verbo negare fidem, interiùs retentam. Et si aliquo facto excusabiles essent, qui æquivocatione vel simulatione negant exteriùs fidem, à SS. Patribus, & ab universa Ecclesia tamquam inexcusabiles damnati non fuissent, quotquot in antiquis persecutionibus tormentorum metu fidem exteriùs negarunt; quandoquidem plures ex ipsis id licitè facere potuissent, simulatione aliquâ utendo, vel cum æquivocatione respondendo.

190 Dices cum Adriano in 4. q. 1. de bapt. a. 1. ad 5. argum. istis quidem argumentis evinci, quòd illicita sit falsæ religionis simulatio, si fiat cum scandalo, vel dum urget præceptum fidem positivè confitendi: cæterùm si facto quis idololatriam simulet, eo modo quo David insaniam coram Rege Achis, non peccat (inquit) dummodò non interrogetur, cujus sit religionis, dummodò etiam facto suo non sit aliis futurus occasio, ut avertantur à fide.

191 Respondeo opinionem illam Adriani ab omnibus aliis Theologis (apud Suarez disp. 14. de fid. sect. 4.) merito rejici. Quia licèt in dictis circumstantiis licitum sit fidem occultare, nunquam tamen licet eam exteriùs negare. Falsæ verò religionis simulatio, est externa quædam illius professio. Igitur est externa veræ religionis negatio.

Nec refert, quòd simulans non habeat animum fidem exteriùs negandi. Quia ad peccandum contra præceptum fidei exteriùs non negandæ, non requiritur animus eam exteriùs negandi; sed sufficit factum ex hominum institutione significans professionem religionis falsæ, & consequenter negationem fidei veræ.

Objicies 1°. factum Naaman Syri 4. Re- 192
gum 5. qui ab idololatria ad fidem conversus à S. Patre nostro Eliseo, ab eo tamen permissionem obtinuit, ut, adorante Rege Syriæ in templo Remnon, & ipse adoraret: non quidem verè (dixit enim Eliseo, se ultrà non adoraturum nisi Deum verum) sed fictè. Ad istud argumentum quidam Neotericus aliquando respondit, Naaman petiisse, & obtinuisse à Deo dispensationem, ut licitè idolum Remnon adoraret. Sed hoc dici non potest. Absit enim ut Deus (gloriæ suæ tantus zelotes, ut dicat: *Gloriam meam alteri non dabo*) cuiquam unquam permiserit deo alieno divinitatis honorem deferri. Absit (inquam) ut idololatriam Naamano permiserit: sola quippe hujus cogitatio horrorem incutit.

Respondeo ergo negando antecedens: 193
siquidem Eliseus, dicendo, *vade in pace*, non permisit Naaman, ut genuflecteret idolo Remnon, sed ut genuflecteret Regi suo, adoranti in templo Remnon; sive ut Regi suo, idolum adoranti, sic exhiberet politicum ministerium (etiam extrà templum reddi solitum) ut tamen à circumstantibus intelligeretur non genuflectere idolo Remnon, sed Regi suo dumtaxat: eò quòd utique Naaman palàm profiteretur, se non idolorum, sed solius veri Dei cultorem, servareque protestationem suam, coram toto comitatu suo factam Eliseo: *Non faciet ultrà servus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis, nisi Domino.*

Objicies 2°. factum Jehu 4. Regum 10. 194
qui, ut simul occidere posset omnes Prophetas Baal, finxit se velle colere Baal; eâque simulatione illos omnes ad se congregatos interfecit. Nec tamen in eo fuit à Deo reprehensus, sed laudatus: *Studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis.*

Respondeo cum S. Augustino lib. 2. contra mendacium, & S. Thoma 2. 2. q. 111. a.... ad 2. simulationem Jehu non esse necesse excusari à peccato, quia malus fuit: utpote ab idololatria Jeroboam non recedens. Commendatur autem, & remuneratur à Domino, non pro simulatione, sed pro zelo quo destruxit cultum Baal.

195 Objicies 3°. S. Hieronymus ad Galat. 2. & epist. 89. ad Augustinum, docet, cerimonias legis veteris à tempore mortis Christi nedum mortuas, sed & mortiferas fuisse, id est, non solùm desiisse obligare, sed & illicitas evasisse; ab Apostolis tamen interdum observatas fuisse, non intentione per illas colendi Deum, sed prudenti quadam simulatione, quâ simularunt se legem Moysi servare, ut Judæos lucrifacerent.

Respondeo Hieronymum in ea quidem sententia fuisse, sed Augustinum ipsi (sicut & in mendacio officioso) contradixisse, & prævaluisse. Cum quo proinde dicendum, legem Mosaïcam à tempore mortis Christi, vel à promulgatione Evangelii, statim quidem mortuam, sed non statim mortiferam fuisse, sed aliquanto adhuc tempore Judæis permissam, tum ad sepeliendam Synagogam cum honore (quo significaretur, legem illam à Deo datam fuisse) tum ad faciliorem Judæorum conversionem. Propterea (inquam) Judæis permissam fuisse, usquedum scilicet lex Evangelica foret sufficienter prædicata, & per orbem diffusa. Quod proinde antequam factum esset, lex Moysi, justas ob causas, absque ulla simulatione ab Apostolis, utpote Judæis, licitè servari potuit, non ut jam ampliùs significans Christi mortem ut futuram, sed ut præteritam.

196 Instabis: Petrus peccavit, Antiochiæ subtrahendo se à conversatione Gentilium, ad vitandum scandalum Judæorum (ideò namque à Paulo publicè reprehensus fuit.) Sed subtractio illa pertinebat ad cerimonias legis veteris. Igitur cerimoniæ post mortem Christi, & promulgationem Evangelii, non solùm mortuæ, sed & mortiferæ, id est peccaminosæ fuerunt.

Respondeo cum S. Thoma 1. 2. q. 103. a. 4. ad 2. quòd *secundùm Hieronymum Petrus simulatoriè se à Gentilibus subtrahebat, ut vitaret Judæorum scandalum, quorum erat Apostolus. Unde in hoc nullo modo peccavit. Sed Paulus eum similiter simulatoriè reprehendit, ut vitaret scandalum Gentilium, quorum erat Apostolus. Sed Augustinus epist. 19. hoc improbat, quia Paulus in canonica Scriptura, scilicet ad Galat. 2. (in qua nefas est credere aliquid falsum esse) dicit quòd Petrus reprehensibilis erat. Unde verum est quòd Petrus peccavit, & Paulus verè eum, non simulatoriè reprehendit. Non autem peccavit Petrus in hoc quòd ad tempus legalia observabat: quia hoc sibi licebat, tamquam ex Judæis converso; sed peccavit in hoc quòd circa legalium observantiam nimiam diligentiam adhibebat, ne scandalizaret Judæos, ita quòd ex hoc sequebatur Gentilium scandalum.* Debuit enim tantâ in eo circumspectione uti, ut tam istorum, quàm illorum scandalum vitaret.

197 Objicies 4°. Plerique Martyres videntur simulatione usi in causa fidei. Sanctus quippe Julianus (apud Surium ad diem 9. Januarii) à Præside invitatus, ut diis in templo (eum in finem solemniter ornato) sacrificaret, ut templi destructione ingentem Gentilium numerum posset opprimere, respondit: *Quandoquidem hortaris, ut, omnibus in unum convenientibus, diis vestris immolemus, id quidem facere non piget: nam ideò semper distulimus, ut in hoc templo mirabili, magnum sacrificium, cunctis cernentibus, immolaremus.* Septem quoque sanctæ mulieres (apud eundem in actis S. Blasii ad 3. Februarii) Præsidi similiter imperanti dixerunt: *Si vis, ut diis tuis sacrificemus, eamus prope lacum: nos autem cùm abluerimus vultus nostros in lacu, accedemus, & eis sacrificabimus.* Quò cùm ventum esset, idola omnia in lacum projecerunt. Sanctus quoque Eusebius (teste D. Ambrosio serm. 69.) simulavit se velle subscribere Arianismo, ut expungere posset signaturam, quâ eidem subscripserat suus in Christo filius Dionysius.

Respondeo ex circumstantiis, sive ex eventu patuisse, sanctos illos Martyres id non simulatoriè, sed ironicè dixisse, quemadmodùm Deus Genes. 3. dixit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis.* Et Michææ 3. Regum 22. dixit Achab: *Ascende, & vade prosperè contra Ramoth Galaad, & tradet eam Dominus in manus Regis.* Contrarium tamen accidit. Aliàs enim nullus bonus prætextus, nulla intentio bona ipsos excusare potuit. Quia, ut S. Augustinus libro citato contra mendacium c. 6. ait: simulatio *si liceret, aut expediret, etiam causâ salutis, potuit Christus præcipere ovibus suis, ut lupinis amictæ pellibus, ad lupos venirent, & illos hujus artis fallaciis invenirent; quod eis non dixit, nec quando eas in medium luporum se missurum esse prædixit.* Sed *absit ut blasphemias ignorantium* Christum, *scienter blasphemando vincamus.* Et cap. 7. *Si aliter omninò non posset educi de cavernis suis hæretica impietas, tolerabiliùs in suis foveis delitescerent vulpes, quàm, propter eas capiendas, in blasphemiæ foveam caderent venatores. Nam si propterea justa sunt.... mendacia, quia hoc animo fiunt, ut hæretici occulti detegantur, poterunt isto modo, si eodem animo fiunt, casta esse adulteria.* Ex Augustino proinde manifestum est graviter peccasse notos in Belgio Duacensis fraudis, ac simulationis Authores.

Ad id quod additur de Eusebio, respon- 198
deo cum Baronio ad annum 355. nec Dionysium subscripsisse Arianismo, nec Eusebium simulasse se velle ei subscribere; sed Dionysium subscripsisse condemnationi Athanasii, & Eusebium primâ facie sic se composuisse, quasi vellet eidem condemnationi subscribere, ut tamen ex tota serie actionis ipsius apparuerit, stratagema fuisse, non simulationem. Nec contrarium benè probatur ex prætenso illo sermone Ambrosii: utpote qui Ambrosii non est;

ut Bellarminus observat in lib. de Scriptorib. Eccles. cum Possevino, aliisque criticis librorum Censoribus.

199 Siquis proinde compelleretur coram idolo genuflectere, vel thurificare, gravissimum peccatum foret id facere, tametsi externa illa genuflexio & thurificatio non ad idolum, sed ad Deum verum, vel ad latentem Crucifixum dirigeretur. Sicque S. Congregatio de propaganda fide, Innocentio X. approbante, declaravit 12. Septembris 1645. ut videre licet apud Thomam Hurtadum, ad calcem suarum resolutionum moralium de martyrio fidei.

200 Omnis itaque simulatio in materia religionis detestanda est, summâque libertate, erectoque animo fidei veritas prædicanda: quia *nihil veritas erubescit, nisi solummodò abscondi*, ait Tertullianus lib. 7. adversus Valent. c. 1. Verùm, proh dolor! innumeri hodie Christiani Christum confiteri erubescunt in moribus, dum eos pudet christianam sectari modestiam, humilitatem, &c. vitâque suâ se mundi potiùs servos confitentur, quàm Christi. Innumeri etiam Christiani prædicare, & practicare erubescunt sermones Christi (adversantes laxitatibus sæculi) ne hominibus videantur Rigoristæ, seu nimis rigidi. Ait verò Christus, quòd coram Patre suo non eos solùm erubescet, qui ipsum, sed & qui sermones ipsius erubuerint. Qua de re plura infrà c. seq.

CAPUT XV.

Casus, in quibus censetur, vel non censetur quis fidem negare.

201 PRimò fidem negasse censentur Libellatici illi, de quibus Cyprianus epist. 15. 31. 52. & in tract. de lapsis, qui scilicet ne pro fide cruciarentur, vel ad Magistratus traherentur, pecuniâ libellum à Magistratibus obtinebant, testificantem quòd sacrificassent, seu Imperatorum edictis satisfecissent, prohibentemque ne fidei causâ comprehenderentur. Quia accipere testimonium idololatriæ, quasi per te commissæ, etsi non commiseris, est velle reputari pro idololatra.

202 Teste tamen Ludovico de la Cerda in adversariis sacris c. 139. fuerunt alii Libellatici, qui, ne humanâ fragilitate in tormentis deficerent, datâ Magistratui pecuniâ, ab eo libellum obtinebant, in quo Magistratus, sine ulla testificatione hujusmodi, nihil aliud faciebat, nisi ministris suis, & satellitibus præcipere ne latorem libelli Christianæ religionis causâ comprehenderent. Et isti nihil illicitum committebant. Cùm licitum sit pecuniâ redimere iniquam vexationem, seu persecutionem, à qua sicut elongare se licet fugiendo, sic & eam à se elongare, pecuniam dando. Cùm hoc nihil aliud sit, nisi pecuniam dare, ne tormentis urgearis fidem negare, vel idolis sacrificare. Quòdque liceat iniquam vexationem pecuniâ redimere, suo nos exemplo Act. 17. docuerunt Jason, & alii discipuli Pauli, qui datâ pecuniæ summâ sese redemerunt à vexatione Gentilium, & Judæorum Thessalonicensium.

Et hinc incarcerati, vel cruciati propter 203
fidem, possent è carcere, vel tormentis fugere, etiam datâ custodibus vel tortoribus pecuniâ, ut abire permitterentur, si hoc absque scandalo fieri posset. Quòd si socius quadraginta Martyrum, è stagno gelido in balneum tepefactum fugiens, reputatus fuit fidei desertor: hoc non ideò præcisè, quia è stagno gelido exivit, sed quia ingressus in balneum tepefactum, à Tyranno præfixus fuerat in signum negationis fidei.

2°. Fidem negare censentur, qui negant 204
se Christianos, in iis circumstantiis, in quibus negatio ista significat, ut sonat, Christianæ religionis negationem, & non solùm negationem politici hostis certæ nationis, adversus quam Christiani bellum gerunt. In his quippe circumstantiis, negare se Christianum, perinde est ac negare se Hispanum, Italum, &c.

3°. Qui interrogati ab hæreticis, an sint 205
Romano-Catholici, Papistæ, &c., id negant. Cùm enim apud hæreticos *Papista* idem valeat, ac sectator fidei seu Ecclesiæ Romanæ; qui negat se Papistam, negat se fidei Romanæ sectatorem. Secùs dicendum de eo qui interrogatus, an sit Sacerdos, Monachus, &c. id negat: cùm enim multi Catholici sint non Sacerdotes, non Monachi, &c. negatio Sacerdotii, Monachismi, &c. non cenietur negatio Catholicismi.

4°. Qui interrogati, cujus sint religio- 206
nis, respondent se esse Mahometanos, Calvinistas, &c. Eâ quippe responsione non solùm negant Catholicismum (nullus quippe Mahometanus, Calvinista, &c. Catholicus est), verùm etiam profitentur sectam Catholicismo contrariam.

5°. Quicumque usurpant ceremonias, & 207
ritus, ex natura sua, vel ex usu, seu institutione hominum, significantes cultum, vel professionem falsæ religionis, cujusmodi sunt thurificare, vel genuflectere coram idolo; cœnam Calvinisticam cum solemnitate solita sumere; cum hæreticis Psalmos canere; coram hæretico Ministro, in templis ipsorum, matrimonia celebrare; vel in hæreticorum Communitate profiteri se conjungi cum Communitate sancta Dei, &c. Hoc est enim, vel verbo, vel facto profiteri se idololatram, Calvinistam, &c.

A nonnullis tamen Authoribus non par- 208
vi nominis, Catholici permittuntur hæreticorum matrimoniis, vel funeribus, ritu hæretico peractis, assistere, non ut religiosum honorem deferant matrimonio, vel funeri taliter peracto, sed ut civilem honorem amicis deferant, purè spectando ea, quæ agun-

tur, nec in precibus, aut ceremoniis ipsorum communicando. Hoc enim fundamentum habet in facto Naaman assistentis sacrificio idololatrico Regis sui, eidemque Regi obsequium purè humanum, Regibus præstari solitum, tunc exhibentis. Ex quo facto Lyranus in cap. 5. lib. 4. Reg. concludit, captivæ Christianæ esse licitum, in æde Mahumetica, eadem dominæ suæ obsequia præstare, quæ domi vel alibi præstare consuevit. Ideò Tertullianus lib. de idololatria c. 16. *Causa* (inquit) *sunt considerandæ, quibus præstatur officium. Nam si propter sacrificium vocatus assistam, ero particeps idololatriæ; si me alia causa conjungit sacrificanti, ero tantùm spectator sacrificii.*

209 Quòd si Catholicis liceat modo dicto assistere matrimoniis hæreticorum, consequens videtur quòd conviviis etiam nuptialibus eodem modo assistere liceat, tametsi nefarias nuptias honorare non liceat, nec de iis gaudere, in iisve communicare. Ita Malderus, Coninck, Castro Palao, & alii, tametsi secùs censeat Lessius in Auctario ad 1. 2. casu 26.

210 Et quia aliquæ sunt ceremoniæ, seu actiones, quæ, in certis quidem circumstantiis, lege, vel consuetudine significant cultum falsæ religionis, in aliis tamen circumstantiis alium habent usum, ab ista significatione separatum, ut siquis de medicorum consilio, sanitatis causâ circumcideretur: licèt in prioribus circumstantiis usurpari non possint; secùs in posterioribus, dummodò circumstantes cognoscant eas non usurpari, tamquam ceremonias sectæ illius, nec tamquam ceremonias pertinentes ad rationem cultûs religiosi (cùm fides & religio non permittant Deum colere ceremoniis propriis falsæ sectæ) sed tamquam aliquid purè humanum, ad naturalem utilitatem, vel necessitatem.

211 Si dicas hinc consectarium esse, quòd, secluso scandalo, licitum sit in extrema necessitate scienter comedere idolothyta, id est carnes idolis immolatas, non ut talia, sed ut communes cibos ad sedandam famem, subveniendumque necessitati.

Respondeo Vasquez 1. 2. disput. 162. cap. 5. A Lapide in cap. 10. epist. 1. ad Cor. Cardinalem de Lugo disput. 14. de fid. sect. 5. & noviores passim id concedere, secluso scandalo, fundantes se partim in Apostolo 1. Cor. 10. dicente: *Si quis vocat vos infidelium* (ad prandium vel cœnam) *& vultis ire: omne quod vobis apponitur* (etiam idolothytum, ut patet ex contextu) *manducate, nihil interrogantes, propter conscientiam... Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis: nolite manducare, propter illum qui indicavit* (ne putet te idololatriæ participem) *& propter conscientiam .... non tuam, sed fratris tui*, ne scilicet tuo exemplo, & ipse contra conscientiam suam comedat. Partim in ratione, quæ dictat in necessitate licitum esse vesci cibo de se indifferenti, ad finem necessitatis sublevandæ. Idolothytum verò est cibus secundùm se indifferens: cùm enim idola, quibus immolatum est, sint dii ficti, adeòque nihil secundùm se, immundas reddere nequeunt escas sibi immolatas. Apostoli quidem Actor. 15. prohibuerunt esum idolothytorum, non tamen universis fidelibus, sed solis fidelibus Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ, ad declinandam offensionem Judæorum conversorum, ibi commorantium, prout Baronius observat, patetque ex inscriptione epistolæ, quam hac de re scripserunt: *Apostoli & seniores Fratres, his qui sunt Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ Fratribus ex Gentilibus.* Et quamvis fidelibus omnibus prohibuissent, ipsorum prohibitio non obligasset in extremo illo vitæ periculo, secluso aliunde scandalo.

Video tamen hac in re difficultatem: 212
quia Augustinus epist 47. aliàs 154. & lib. de bono conjug. c. 16. & lib. 32. contra Faustum c. 13. consultus, an Christianus extremâ fame pressus, si nihil inveniat, nisi cibum in idolio positum, & nemo adsit qui scandalizari possit, debeat mori, potiùs quàm eum comedere? Respondet, si certum est esse idolothytum, meliùs christianâ virtute respuitur. Si autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis assumatur. Similiter S. Leo I. epist. 70. ad Nicetam c. 5. rogatus de captivis Christianis, qui vel metu dominorum, vel fame adacti, manducaverunt idolothyta, respondit, quòd agere deberent pœnitentiam.

A Lapide locò citato putat quidem Au- 213
gustinum, dicendo, meliùs christianâ virtute respuitur, insinuare, quòd licitum sit eo vesci, tametsi melius sit abstinere, & fame mori. Sed Augustinus potiùs insinuare videtur, quòd debeat mori, & non possit vesci; tum quia aliàs exactè non responderet propositæ sibi quæstioni, an scilicet debeat mori, aut exinde cibari? tum quia in secunda demùm parte responsionis dicit, sine ullo conscientiæ scrupulo, id est tutâ conscientiâ, vesci posse. Quia tamen Augustinus in epistola illa 47. dicit, *de escis idolorum nihil amplius nos debere observare, quàm quod præcepit Apostolus*; Apostolus verò loco citato non prohibet absolutè esum idolothytorum, dummodò non fiat cum infirma conscientia, vel cum scandalo aliorum: Augustinus omninò videtur intelligendus, pro iis circumstantiis, in quibus idolothytorum manducatio, secundùm infirmam conscientiam manducantis, creditur consensus quidam in cultum idolorum, prout esse vulgò credebatur Augustini tempore. Pro quibus proinde circumstantiis optima est ipsius responsio. Eadem explicatio applicanda est Conciliis, & Patribus, simili modo dicentibus, moriendum potiùs quàm idolothytis

ves-

vescendum. Sanctus Leo verò de iis captivis loquitur, qui idolothyta comederant, ad id adacti à dominis, ad promovendum cultum deorum suorum; quique eum in finem ipsis alios cibos subtraxerant, licèt captivi illi eum ob finem non comedissent, nec deos illos pro diis in corde suo habuissent. Qua de causa S. Leo ibidem statuit, mitiùs cum ipsis agendum.

214 Alia difficultas, præcedenti affinis, hìc proponi solet, an Catholicis inter hæreticos versantibus, licitus sit esus carnium diebus ab Ecclesia vetitis, ne agnoscantur ab hæreticis? Certum est quòd non, si ex hoc non immineat ipsis grave malum, sed aliqua dumtaxat hæreticorum derisio.

Sed quid si Catholici ex hoc meritò timeant periculum vitæ, vel gravis vexationis? Carnium esum diebus ab Ecclesia vetitis tunc ipsis licitum asserit Card. de Lugo disp. 14. sect. 9. n. 104. referens Azorium, Becanum, Hurtadum, Thomam Sanchez, & Coninck. Neque enim peccant contra legem ecclesiasticam, utpote non obligantem in tali necessitate: neque contra legem divinam de non neganda fide vera, nec profitenda falsa. Quia carnium esus die interdicto non censetur talis negatio, nec professio: cùm neque ex natura sua, neque ex hæreticorum lege sit signum illius; Catholicique multi, vel ex dispensatione, vel ex gula carnes edant diebus interdictis. Igitur ob esum illum judicari non possunt hæretici, nisi temerariè, & absque sufficienti fundamento.

215 Nihilominùs esum illum Catholicis illicitum censent Valentia tom. 2. disp. 2. q. 5. p. 6. §. 4. Sylvius 2. 2. q. 3. a. 2. concluf. 3. §. *sequitur* 5. videturque sententia ista probabilior. Quia licèt carnium esus, diebus illis, non sit ex natura sua, neque ex lege, signum falsæ religionis; istis tamen in locis, ex consuetudine utentium, accipitur ut signum religionis novitiæ, dum non constat de contrario: quia ab hæreticis frequentari solet, in contemptum legis Ecclesiasticæ, vel certè in protestationem libertatis conscientiæ; cui contemptui, vel protestationi nunquam consentire licet, ne quidem metu mortis, uti facto suo Eleazarus ostendit 2. Machab. 6. & SS. Machabæi ibidem cap. 7. Et quamvis esus ille non sit signum unicè significans contemptum illum, vel protestationem (cùm aliunde procedere possit, v. g. ex gula, vel necessitate, vel voluntate occultandi fidem) est tamen signum æquivocè contemptum illum, vel protestationem significans, postquam hæretici communiter illud usurpant, ad ostendendum, quòd veram Ecclesiam non agnoscant, nec subjici velint legibus illius. Signum autem æquivocum falsæ sectæ usurpare, est contra fidem, quando infideles illud intelligunt in significatione sectæ suæ, & fideles prævident in ea significatione ab ipsis intelligendum. Quia tale signum in illis circumstantiis usurpare, est, quoad exteriorem apparentiam, cum hæreticis quoad hoc consentire, hæreticæque libertati ipsorum participare. Nisi ex aliis circumstantiis aliud appareat, ut apparet in Oratoribus Catholicorum Principum, in Anglia, vel Hollandia degentium, qui, si diebus ab Ecclesia vetitis carnes edere conspiciantur, non ideò cum hæreticis consentire, nec prætensæ libertati ipsorum communicare censentur: cùm subjectionem erga Romanam Ecclesiam publicè profiteantur.

6°. Fidem implicitè negare, falsamque sectam profiteri censentur, qui utuntur vestibus, vel signis per legem, vel consuetudinem institutis ad designandum Ministrum, & professorem falsæ sectæ. Ideòque Christiani, propter nullum vitæ periculum evitandum, uti possunt hujusmodi veste, vel signo, ad fidem suam occultandam, saltem si advertant circumstantes accepturos ejusmodi vestem, vel signum tamquam sinificativum professionis falsæ fidei. Ita D. Antoninus, Cajetanus, Sylvester, Valentia, Toletus & alii communiter contra Sanchez, Azorium, Turrianum, Granadum, Amicum, Card. de Lugo, Coninck, Castro Palaum, &c. Quia ejusmodi vestibus uti, est veste, tamquam signo, significare se esse professorem falsæ sectæ, cum animadversione, quòd circumstantes accipient usum talis vestis, tamquam signum istius professionis, tametsi naturaliter assumi possit ad latendum sub tali veste, vel ad corpus tegendum. Non licet autem Christianis uti ejusmodi signis, ne quidem æquivocis, saltem in dictis circumstantiis. Cùm hoc sit veram religionem dedecore afficere in æstimatione hominum. Quam ob causam sicut proferre non licet, etiam ad bonum sensum, voces æquivocas, significantes negationem fidei, & aliquid aliud, animadvertendo, quòd ab audientibus accipientur in sensu negationis fidei; ita similiter, &c. Eandem ob causam olim non licebat Christianis jurare per fortunam Cæsaris: quia signum erat infidelitatis, teste Eusebio l. 4. sicut nec sacros Codices tradere: ob eandem rationem. De ista traditione videri potest Augustinus l. 7. de baptismo c. 2. 216

Si tamen infidelium vestis, ex lege vel consuetudine regionis ubi sumus, non sit signum distinctivum religionis à religione, sed nationis à natione; Christianus ejusmodi veste rationabili de causa uti potest, dummodò scandalum absit; prout sæcularis uti potest veste Monachi, ut è Prætoris manibus elabatur, & Monachus uti potest veste hominis sæcularis, ut per terras hæreticorum incolumis transeat. Sic enim subinde prudentia dictat, ut aliis prodesse possimus. Et hoc modo vestibus Anglicanis in Anglia prudenter utuntur Religiosi, & Sacerdotes absconditi. Nec illicitè tobaliæ 217

turcicâ, vulgò *turbante*, noſtri mercatores Conſtantinopoli utuntur, morem gentis imitantes, juxta illud, *dum fueris Romæ*, &c. Neque per hoc mentiuntur. Quia per uſum illum nec mercator ſignificat ſe Turcam, nec Monachus ſæcularem, nec ſæcularis Monachum: cùm juſta de cauſa præſcindere poſſit, de factoque præſcindat rationem tegumenti à ratione talis ſigni; ſicut æquivocâ voce, rationabili de cauſa, quis uti poteſt, & plerùmque utitur in ſenſu vero, præſcindendo à ſenſu falſo, eâque taliter utendo, utitur abſque mendacio.

218 Nec ſimiliter dici poteſt in caſu antedicto, utpote in quo Dei & religionis honor non permittit, ut ratio ſigni præſcindatur à ratione tegumenti, in uſu talis veſtis: cùm enim inſtituta ſupponatur in ſignum profeſſionis falſæ ſectæ, ex uſu talis veſtis Chriſtianus exiſtimandus eſt tenere illam ſectam falſam, profiterique falſam religionem; adeòque negare veram. Quod eſt veram religionem apud infideles dedecore afficere. Quod ſemper illicitum eſt. Religioſus verò dedecore non afficit ſtatum religioſum, deponendo religioſam veſtem, dum tranſit per hæreticam regionem; imò eam honorat: id enim facit, ne eam exponat ludibriis hæreticorum.

219 7°. Fidem implicitè negare cenſentur frequentantes templa hæreticorum, aſſiſtenteſque publicis precibus, ac concionibus ipſorum, dum ex circumſtantiis apparet frequentationem & aſſiſtentiam illam publicâ poteſtate præſcriptam, ad promovendam & honorandam falſam ſectam, ut ſi Rex hæreticus publico edicto, ſub graviſſimis pœnis, injungat omnibus ſubditis ſuis, tempore publicarum precum, vel concionum, frequentare templa hæreticorum, eorumque precibus, cœtibus, & concionibus intereſſe, prout tempore Pauli V. injunxit Rex Angliæ. Super quo interrogatus Paulus V. re cum doctiſſimis Theologis communicatâ, ſcripſit ad Catholicos Angliæ 10. calendas Octobris 1606. in hæc verba: *Accepimus compelli vos, graviſſimis pœnis propoſitis, templa hæreticorum adire, cœtus eorum frequentare, concionibus illorum intereſſe. Profectò credimus procul dubio eos qui tantâ conſtantiâ atrociſſimas perſecutiones, infinitas propemodùm miſerias hactenùs perpeſſi ſunt, ut immaculate ambularent in domo Domini, numquam commiſſuros eſſe, ut coinquinentur communione deſertorum divinæ Legis. Nihilominùs zelo paſtoralis officii noſtri impulſi, & pro paterna ſollicitudine, quâ de ſalute animarum veſtrarum aſſiduè laboramus, cogimur monere vos, atque obteſtari, ut nullo pacto ad templa hæreticorum accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel eum ipſis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere, ſine detrimento divini cultûs, ac veſtræ ſalutis.* Quia ſcilicet omnibus ritè penſatis, ſatis apparebat, edictum iſtud non eſſe purè politicum, ſed tendere in promotionem falſæ ſectæ, perniciemque fidei Catholicæ.

Sicut & aliud edictum ejuſdem Regis, 220
quo Catholicos Anglos obligare voluit ad jurandum, quòd neque Papa, neque Sedes, vel Eccleſia Romana poteſtatem haberet Regem deponendi, vel alicui Principi extraneo authoritatem concedendi, terras ipſius invadendi, vel ullos ſubditorum ſuorum exonerandi ab obedientia ſuæ Majeſtatis, non obſtante quâcumque excommunicatione, &c. Quòdque nec Papa, nec alius quicumque poteſtatem haberet ipſos abſolvendi ab hoc juramento. De quo juramento idem Pontifex, à Catholicis Anglis pariter interrogatus, reſpondit, quòd hujuſmodi juramentum, ſalvâ fide Catholicâ, & ſalute animarum ſuarum, præſtare non poſſent, cùm multa contineret, quæ fidei & ſaluti apertè adverſantur.

Siquis tamen, extra circumſtantias ſupra- 221
dictas, hæreticorum templa ingrediatur, ibique eorum conciones audiat, non ut cum hæreticis communicet, ſed ut obſervet quid ibi agatur, vel prædicetur, excuſari poteſt, dummodò nullum ſit ſcandalum, nec propriæ ſubverſionis periculum.

CAPUT XVI.

Non ſolùm graviter, & valdè graviter peccatur, coram infidelibus Chriſtum erubeſcendo in materia fidei; ſed & coram Catholicis ipſum erubeſcendo in materia morum.

VAldè frequens hodie eſt peccatum iſtud, 222
& ideò multi ſunt, qui non ſatis reflectunt ad gravitatem ipſius: quia, ut Auguſtinus Enchirid. c. 80. obſervat, peccata quantumvis magna & horrenda, cùm in conſuetudinem venerint, aut parva, aut nulla eſſe creduntur. Sed adeò noxius eſt error iſte, ut Auguſtinus exclamet: *Væ peccatis hominum, quæ ſola inuſitata perhorreſcimus.* Et reverà peccatum iſtud eſſe graviſſimum, probatur ex terribilibus verbis Chriſti 223
Luc. 9. *Qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua.* Verba iſta *terribilia* jure voco: quid enim magis timendum, quàm in tremendo judicii die habere Chriſtum nobis adeò offenſum, ut recuſet nos inter ſuos agnoſcere?

Porrò verba iſta dici non poſſunt proce- 224
dere adverſus eos ſolos, qui Chriſtum erubeſcunt apud Idololatras, vel Paganos, ſeu alios infideles, dum agitur de fide confitenda. Imò procedunt etiam adverſus eos qui moralem doctrinam ipſius erubeſcunt apud ipſoſmet Catholicos; quandoquidem Chriſtus addat: *& ſermones meos*, id eſt doctrinam meam. Enimverò Chriſtum erubeſcimus, non ſolùm quando ipſum erubeſcimus, ut Magiſtrum fidei, ſed & quando ipſum

erubescimus ut Magistrum morum ; neque enim minùs nos oportet confiteri & profiteri Christum ut morum, quàm ut fidei Doctorem & Magistrum. Et si obligatio non erubescendi fidem Christi, sive coram Paganis, sive coram hæreticis, tanta est, ut obliget etiam cum jactura facultatum, dignitatum & ipsius vitæ ; idem cum proportione dicendum de obligatione non erubescendi moralem Christi doctrinam.

225 Non potest ergo non esse grave peccatum, erubescere doctrinam moralem Christi, & tantò quidem magis vel minùs grave (cæteris paribus) quantò magis vel minùs erubescitur. Ut enim vidimus, terribilis est Evangelica circa hoc expressio, & omnes passim Theologi gravis accusarent peccati eum qui, ad effugiendum mortis periculum, negaret se credere aliquem fidei articulum. Cùm igitur ostenderimus, minorem non esse obligationem confitendi doctrinam Evangelii, quoad agenda, quàm quoad credenda, manifestè conficitur, grande peccatum esse erubescere Christum in doctrina agendorum, tantò utique grandius, quantò magis erubescitur.

226 Ad cujus intelligentiam observandi sunt diversi modi seu gradus erubescentiæ Christi. Cæteris enim paribus, tantò magis culpabilis est erubescentia, quantò magis concurrunt quatuor sequentia. Primò, quò magis convicti sumus, Evangelii doctrinam esse, quam erubescimus. Secundò, quò erubescentia est de pluribus Evangelii documentis. Tertiò, quò apertiùs & directiùs ostendimus nos erubescere, sive non admittere, sic nos externè gerendo, ac si in corde non crederemus. Quartò, quò ista erubescentia fit coram pluribus hominibus, & magis facilibus, ut exemplo nostro Moralem Evangelii non admittant.

227 Quatuor ista nostro adhuc tempore locum habere, sequentia manifestabunt. Imprimis Theologiam in scholis docentes, Parochi, Concionatores, aliique Ecclesiastici, quibus incumbit Evangelicam populo dare doctrinam, erubescunt ipsam (ipsumque proinde Christum, Authorem ipsius) quando convicti de arcta cæli via, seu alia Evangelica doctrina, eam docere non audent, imò negant se sentire quod sentiunt, ne pinguia, honorificaque beneficia non assequantur, vel à mundanis hominibus irrideantur, vel saltem ne ipsis displiceant. Nec solùm ipsi peccant per erubescentiam doctrinæ Evangelicæ ; sed & per influxum, quo influunt in obfirmationem hominum mundanorum in aversione ab illa doctrina.

228 Erubescentia illa majus adhuc peccatum est, dum non ore dumtaxat, sed & opere committitur, non solùm negando se sentire de Morali Evangelica quod sentiunt, verùm & in praxi, id est in confessionali, vel in resolutionibus, quas mundanis dant hominibus, non procedunt secundùm doctrinam Evangelicam sibi cognitam, sed secundùm oppositam, mundo placentem. Cùm evidens sit, turpissimam erubescentiam esse aliter se gerere in confessionali, vel in resolutionibus, salutem proximi concernentibus, quàm sciamus Evangelium exigere.

Graviùs adhuc peccant illi, quibus non 229
sufficit modis proximè descriptis Evangelicam erubescere doctrinam ; sed insuper, ut remotiores videantur ab omni suspicione doctrinæ nimis arctæ, mundanisque hominibus gratiores reddantur, in eorum conversatione dictis & irrisionibus aggrediuntur Moralem Evangelicam profitentes, non propter vitam, aut mores, sed propter doctrinam, quam ipsimet in corde approbant. Quia directiùs, & fortiùs Christi doctrinam persequuntur, ipsiusque profectui magis obsunt, quàm alii, qui eousque adhuc non progrediuntur. Quemadmodùm enim longè graviùs olim delinquere censebantur, qui non solùm erubescebant Christum, profitendo eundem cum Paganis cultum ; sed ipsos quoque Paganos directè vel indirectè animabant ad persecutionem Christianorum ; sic illi, ex simili capite, longè graviùs delinquere censendi sunt. Et eò quidem graviùs, quò potentiores, vel plures sunt ii, apud quos delinquunt. Maximè cùm ejusmodi dicteriis & irrisionibus mundani homines longè fortiùs retrahi soleant ab amplectenda Evangelica doctrina, sibi ad salutem necessaria, quàm multis retrahi soleant argumentis.

Istos omnes optimè describit Salvator 230
hisce verbis : *Vos estis sal terræ ; quòd si sal evanuerit, in quo salietur ? ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quippe verè *sunt sal infatuatum, qui* (ut Augustinus ait) *temporalium bonorum vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes, omittunt æterna, quæ nec dari possunt ab hominibus, nec auferri.* Ipsaque ratio christiana, imò experientia quoque demonstrat, quòd vili illo & indigno modo mundanis se hominibus subjiciunt, mundanum sensum ipsorum, pedissequorum instar, sequentes, quibus prælucere, ac præesse deberent fortitudinis, & vigoris sacerdotalis exemplo.

Attendant igitur & seriò perpendant isti 231
sequentia divinæ Scripturæ oracula : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum, tamquam malum, propter Filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate : ecce enim merces vestra multa est in cælo.* Luc. 6.

Nec putandum, hactenùs dicta solùm habere locum in Ecclesiasticis, imò ex iis plura procedere etiam in Laïcis, qui verita-

tem cognoscentes, erubescunt ipsam confiteri & profiteri apud eos, quibus non est grata, dum ab ipsis aliquid expectant, vel metuunt, & generatim dum eam confiteri non audent, iis in circumstantiis, in quibus vel præsentibus displicerent, vel absentibus, quibus narrari metuunt ea quæ dixerint. Audiant igitur ipsi Spiritum sanctum, ejusmodi politicos, & Christi doctrinam erubescentes hisce verbis deterrentem: *Ex Principibus multi crediderunt in eum* (Christum;) *sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum, magis quàm gloriam Dei.* Ubi non dicit Spiritus sanctus, quòd Principes isti Christum, vel Christi doctrinam persequerentur, vel illius sectatores irriderent; sed solùm quòd non confiterentur Christum, ne extra Synagogam fierent; ignominiam proinde, & fortè alia nocumenta à Judæis paterentur. Quo pacto declarat, ipsos gloriam hominum dilexisse, magis quàm gloriam Dei.

233 Et hinc perspicuè intelligimus, posse nos erubescere Christum, vel doctrinam ipsius, per hoc solum quòd vel Christum, vel doctrinam ipsius non confiteamur, iis in circumstantiis, in quibus eam confiteri debemus; tametsi, cæteris paribus, id minùs peccaminosum sit, quàm negare Christum cognitum, vel scienter profiteri doctrinam Morali Evangelicæ contrariam, vel doctrinam illam cum mundanis hominibus irridere, &c. Cùm evidens sit quòd eam profitentes propterea irridere, sit doctrinam ipsam Evangelicam, ipsumque adeò Christum irridere. Quibus irrisoribus soli illi applaudunt, vel consentiunt, qui gloriam hominum, vel divitias, aut honores magis diligunt, quàm gloriam Dei.

234 Eos etiam redarguunt sancti Patres, qui similium irrisionum, vel exprobrationum metu, Evangelii doctrinam in praxim reducere verecundantur. Quia censent ipsos erubescere Christum. Verùm quàm multi hodie hoc faciunt! Quàm multi ex mundano illo timore choreis, vel aliis conventibus periculosis intersunt, vanavè ornamenta, interdum etiam christiano pudori parum convenientia assumunt! Quàm multi verba liberiora, vel æquivoca in materia castitatis proferunt, vel proferentibus arridents, conscientiâ reclamante, & monente, Christum exigere, ut ostendant similia sibi displicere! Quàm multi ex eodem timore de rebus piis & spiritualibus loqui non audent, dum cum mundanis conversantur! Quàm multi ea agere erubescunt, quæ sciunt à Christo in Evangelio exigi, à solisque generosis Christianis practicari, ne cum ipsis explodantur. His adde quod Gregorius Magnus ait homil. 32. in Evang. *Si nomen Christi in tanta hodie gloria non esset, tot professores Christi Ecclesia non haberet.... de eo se quisque interroget, & in confessione Christi se veraciter probet, si non jam nomen ejus erubescit, si plenâ virtute mentis humanum pudorem subdidit. Cerè enim persecutionis tempore erubescere poterant fideles, substantiis nudari, de dignitatibus dejici, verberibus affligi; pacis autem tempore, quia hæc à nostris persecutionibus desunt, est aliud unde ostendamur nobis. Veremur sæpè à proximis despici, dedignamur injurias verbi tolerare. Si contingat jurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere: cor quippe carnale, dum hujus vitæ gloriam quærit, humilitatem respuit.... Pensemus facta veritatis, & videamus quò jaceant nostræ pravitatis actiones.*

Contra eundem mundanum timorem, 235
quo Christum sequi propter mundanos erubescimus, pluribus invehitur S. Augustinus, variis locis admonens, meminisse nos debere, quòd in fronte signum crucis acceperimus in Confirmatione, ut Christi crucem non erubescaremus, signanter dum explicat verba illa Psal. 30. *Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* Posteaquam enim dixit, quòd exprobrationes & irrisiones generosè pati debeant pii à malis, id est à Christianis, sed nomine, non vitâ, non moribus, sic prosequitur: *Non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit, tamquam in sede pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat.* Sermone quoque 161. explicans verba ista: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi: Noli* (inquit) *erubescere de cruce Christi; ideò in fronte, tamquam in sede pudoris, signum ipsum accepisti. Recole frontem tuam, ne linguam expaveseas alienam.*

CAPUT XVII.

Infidelitas, tresque ejus species explicantur.

INfidelitas tripliciter accipitur, negativè, 236
privativè, & positivè, seu contrariè. Infidelitas purè negativa, est nuda fidei carentia, in eo cui fides non est annuntiata, vel certè non sufficienter. Et ista non est peccatum, sed pœna peccati, uti docet S. Thomas 2. 2. q. 20. a. 1. post August. tract. 89. & 91. in Joan. & q. 52. in Deuteron. Ubi dicit, quòd *si Christus neque venisset, neque locutus esset Judæis, ipsi non haberent peccatum illud, quo non crediderunt in eum.* Enimverò Joan. 15. Christus ipse dicit: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*; meritò proinde propositionem hanc Ecclesia condemnavit: *Infidelitas purè negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

Infidelitas privativa, est carentia fidei in 237
eo, qui vel fidem non vult audire, vel auditæ, sufficienterque propositæ, omittit assensum præstare, seu omittit credere, cùm debet, tametsi nec positivè dissentiat, nec errorem fidei contrarium asserat. Et hæc

ſine dubio peccatum eſt. Qui enim voluntariè omittit credere, dum poteſt, & debet, ſine dubio peccat; ſicut & ille qui voluntariè negligit, vel non vult audire myſteria fidei, quæ ſcire, & credere debet.

238 Infidelitas poſitiva, ſeu contraria, eſt carentia fidei, in eo qui fidei ſibi ſufficienter propoſitæ diſſentit, poſitivè utique negando aliquid ad fidem pertinens, vel errorem fidei contrarium aſſerendo. Et *in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis*, ait S. Thomas loco citato. Talis enim fidem ſibi ſufficienter propoſitam contemnit, nolens intellectum ſubmittere in obſequium illius. Unde eſt peccatum in genere ſuo, majus omnibus peccatis, quæ opponuntur virtutibus moralibus (tametſi non majus iis quæ aliis virtutibus Theologicis opponuntur) quia homo per infidelitatem magis elongatur à Deo, quàm per alia illa peccata, per quæ non tollitur fundamentum omnium bonorum, radixque omnis juſtificationis, ac totius vitæ chriſtianæ, ſicut tollitur per infidelitatem. Unde 2. 2. q. 162. a. 7. ad 3. addit, quòd *ſicut fides eſt prima virtutum; ita infidelitas eſt ultimum peccatorum, ad quod homo quandoque per alia peccata perducitur. Unde ſuper illud Pſalmi* 136. „ Exi- „ nanite, exinanite uſque ad fundamentum in „ ea, „ *dicit Gloſſa quòd concervatione vitiorum ſurrepit diffidentia. Et Apoſtolus dicit* 1. *Timoth.* 1. *quod* „ quidam repellentes conſcien- „ tiam bonam, circa fidem naufragaverunt.

239 Poſitivæ infidelitatis ſpecies tres aſſignat S. Doctor q. 10. a. 5. ſcilicet Paganiſmum, Judaiſmum, & hæreſim, ad quam apoſtaſia reducitur, ſicut atheiſmus, & Mahometiſmus ad Paganiſmum. Rationem verò trium illarum ſpecierum S. Doctor aſſignat, quia infidelis *aut renititur fidei nondum ſuſceptæ, & talis infidelitas eſt Paganorum ſive Gentilium; aut renititur fidei chriſtianæ ſuſceptæ, vel in figura, & ſic eſt infidelitas Judæorum; vel in ipſa manifeſtatione veritatis, & ſic eſt infidelitas hæreticorum.* Ubi cùm S. Doctor dicit, Judæum, & hæreticum reniti fidei ſuſceptæ, per hoc non requirit, quòd Judæus, vel hæreticus aliquando veram fidem habuerit (cùm fieri poſſit, quòd nunquam habuerit) ſed quòd profeſſus ſit ſe eam recipere, vel in figura, vel in veritate.

240 Angelicæ iſti doctrinæ, ſeu trium illarum ſpecierum deſcriptioni tria opponunt Recentiores. 1°. quia priùs ſuſcepiſſe, vel non ſuſcepiſſe fidem, impertinenter ſe habet ad enarratas infidelitatis ſpecies: ſicut priùs fuiſſe, vel non fuiſſe Paganum, Judæum, hæreticum, impertinenter ſe habet ad Catholiciſmum. 2°. quia poſt fidem ſuſceptam alii tranſeunt ad Paganiſmum, alii ad Judaiſmum, alii ad hæreſim. 3°. quia filii hæreticorum, ab infantia nutriti in hæreſi, tametſi numquam ſuſceperint fidem chriſtianam, verè ſunt hæretici hoc ipſo quòd diſcredunt, non omnibus, ſed aliquibus fidei chriſtianæ articulis, ſufficienter propoſitis.

Sed iſtis argumentis non expugnatur an- 241
gelica doctrina. Non primo argumento: quia Eccleſia in Paganos & Judæos poteſtatem non habet, habet autem in hæreticos. Non aliâ ratione, niſi quia fidem chriſtianam ſe recipere profeſſi ſunt, ſaltem in baptiſmo. Ergo id profeſſum eſſe, vel non eſſe, non habet ſe impertinenter ad hæreſim.

Nec ſecundo argumento: quia qui poſt ſuſ- 242
ceptum Chriſtianiſmum, tranſeunt ad Paganiſmum, vel Judaiſmum, ſunt quidem Pagani, vel Judæi ex parte termini ad quem; non ex parte termini à quo. Qua ex parte ſunt hæretici, & ut tales correctioni Eccleſiæ ſubjecti.

Nec tertio argumento: quia filii illi hæ- 243
reticorum ideò hæretici ſunt, quia fidem chriſtianam in baptiſmo confeſſi ſunt.

Ideò exceſſit Loria 2. 2. q. 10. a. 5. cùm 244
non ſolùm dixit, S. Thomam intelligi non poſſe in ſenſu, quem verba ipſius præ ſe ferunt; ſed & hunc ſenſum indignum eſſe S. Thomâ. Commodè enim S. Doctor ſpecies illas ſic diſtinxit ex parte termini à quo. Tametſi ex parte termini ad quem, non malè etiam dicatur, Paganiſmum eſſe; quando quis à fide chriſtiana totaliter deficit, ita ut nullum illius articulum recipiat, tamquam à Deo revelatum, nec Chriſtum agnoſcat. Judaiſmum, quando ſic recipit promiſſiones de Chriſto venturo, tamquam à Deo revelatas, ut non credat ipſum per Mariam Virginem jam advenisſe. Hæreſim, quando tenet, tamquam à Deo revelatum, jam veniſſe Chriſtum; ſed aliquibus fidei chriſtianæ articulis ſufficienter propoſitis diſcredit.

Varii etiam Recentiores S. Doctori con- 245
tradicunt, in eo quòd Paganiſmum, Judaiſmum & hæreſim aſſignet tamquam infidelitates ſpecie diverſas; cùm tamen ipſi putent ſolùm diſtingui penes magis & minùs, quatenùs opponuntur fidei; tametſi non diffiteantur ſpecie diſtingui, quatenùs opponuntur religioni: quia ſcilicet quælibet ex dictis infidelitatibus vel involvit blaſphemias ſpecie diverſas, vel ritus & ceremonias in genere moris ſpecie diverſas; Paganiſmus utique idololatriam; Judaiſmus Circumciſionem, hodie ſuperſtitioſam; hæreſis Calviniana v. g. uſum Sacramenti invalidi, &c.

Sed valdè probabilis eſt doctrina S. Tho- 246
mæ, nimirùm tres illas infidelitates ſpecie diſtingui, etiam quatenùs opponuntur fidei, ob ſpeciales modos renitendi fidei. Siquidem Paganus renititur fidei, quam nunquam profeſſus eſt; Judæus renititur fidei, quam profeſſus eſt ſe recipere in figuris veteris Teſtamenti; hæreticus renititur fidei, quam profeſſus eſt ſe recipere in veritate Evangelii. Quemadmodùm ergo alia eſt ſpecie fornicatio ejus qui caſtitatem eſt profeſſus, alia ejus qui eam profeſſus non eſt; ſic alia

est species infidelitatis ejus qui renititur fidei, quam professus est se recipere; alia ejus qui nullo modo professus est se illam recipere.

Neque enim sola oppositio ad diversas specie virtutes, sed & diversi modi oppositionis ad unam eamdemque virtutem inducunt malitias specie diversas, ut patet ex specifica diversitate plurium peccatorum eidem virtuti charitatis oppositorum; sicut & oppositorum eidem virtuti religionis: non solùm quando unum virtuti religionis opponitur per excessum, aliud per defectum; verùm etiam quando utrumque ipsi opponitur vel per excessum, vel per defectum.

247 Quidquid tamen sit de specifica trium illarum infidelitatum diversitate, dum infidelis ad Sacramentum pœnitentiæ accedit; confiteri debet qualitatem infidelitatis, in qua fuit, videlicet an secutus fuerit Paganismum, an Judaismum, an hæresim. Et rursum, an hæresim Lutheranam, an Calvinianam, &c. Imò confiteri debet qualitatem errorum suorum in particulari, sicut & blasphemiarum, falsorumque rituum, &c. Tum quia in blasphemiis, & ritibus illis reperiuntur malitiæ contra religionem specie diversæ, ut Adversarii fatentur. Tum quia in ipsismet infidelitatibus & erroribus continentur malitiæ aliæ aliis notabiliter graviores, si non specie differentes. Gravius namque contra fidem peccat hæreticus, quàm Judæus, & Paganus, ob majora signa credibilitatis, ob quæ major quoque est infidelitas Judæi, quàm Pagani.

CAPUT XVIII.

Definitio hæreseos, gravitas malitiæ ipsius, & requisita ad formalem hæresim.

248 HÆresis, suprà num. 213. à S. Thoma descripta, est duplex, materialis, & formalis. Neque enim S. Doctor ibi descripsit hæresim formalem, sed abstrahentem à materiali & formali.

Hæresis materialis, est error contra fidem sine pertinacia in eo qui se Christianum profitetur. Hæresis formalis est error voluntarius & pertinax contra fidem, in eo qui se Christianum profitetur. Ita communiter Theologi, inde ad formalem hæresim quatuor meritò requirentes.

249 Primum est error in intellectu contra fidem. Cùm hæresis, utpote species infidelitatis positivæ, sit actus contrarius fidei; quæ cùm sit actus intellectûs certò verus, actus illi contrarius nequit non esse actus intellectûs certò falsus, adeòque erroneus. Itaque verba, & quælibet signa hæresim significantia, si in intellectu non sit error per illa significatus, coram Deo non faciunt hæreticum; nec consummatè hæreticus esset, qui crederet aliquid reverà credendum, putans Ecclesiam tenere contrarium, nisi crederet Ecclesiam in ea re falli; adeòque nisi errorem de Ecclesiæ fallibilitate haberet in intellectu. Nec dubius in fide foret hæreticus, nisi formaliter, vel virtualiter negaret, fidei veritates esse certissimas.

Secundum ad hæresim requisitum est, 250
quòd error qui est in intellectu, sit voluntarius. Quia voluntarium est de ratione peccati.

Tertium est, quòd error ille sit in eo qui se Christianum profitetur. Ut enim D. Ambrosius lib. 7. in Luc. ait, *nemo hæreticorum Christi nomen negat.* Augustinus lib. 8. Trin. 31. *Hæretici sunt qui sub vocabulo christiano doctrinæ resistunt christianæ.* Gregorius Magnus 20. Moral. 9. *Hæretici sub nomine Christi, contra Christum militant.* Potest tamen aliquis esse formaliter hæreticus, qui non sit baptizatus (tametsi talis hæreticus non sit ab Ecclesia punibilis, eò quòd Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. Trid. sess. 14. c. 2.) cùm sine baptismo possit reperiri voluntarius, & pertinax error contra fidem, in eo qui se Christianum profitetur, id est in eo qui credit Christum pro hominum salute & redemptione venisse.

Quartum requisitum est pertinacia, quam 251
hæresi adeò essentialem esse censet S. Thomas q. 8. de malo a. 1. ad 2. ut de ea dicat, quòd *sola facit hæreticum.* Quòdque necessaria sit ad hæresim, ex ipsis etiam sacris Canonibus eruitur, nimirùm ex can. *qui in Ecclesia* 24. q. 3. ubi sic: *Qui in Ecclesia morbidum aliquid, pravumque quid sapiunt, si correpti, ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persistunt, hæretici sunt.* Et can. *dixit Apostolus* 24. q. 3. *Qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam, nullâ pertinaci animositate defendunt .... corrigi parati, cùm invenerint veritatem, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Uterque canon desumptus est ex Augustino, qui epist. 16. addit, quòd *sine pertinacia errare quidem potero, sed hæreticus non ero.* Nullus proinde paratus errorem relinquere, propositâ sibi veritate, seu doctrinâ Ecclesiæ, est formaliter hæreticus. Quia, ut S. Thomas ait 2. 2. q. 11. a. 2. ad 3. *non habet electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ.* Formalis ergo hæreticus non fuit D. Cyprianus, dum erravit circa valorem baptismi ab hæreticis collati. Quia non erravit cum pertinacia, sed cum animi præparatione ad suscipiendam veritatem, si sciviset errorem suum esse contra Ecclesiæ traditionem.

Pertinacia verò illa non consistit in eo, 252
quòd errorem suum quis acriter, & mordicùs defendat; sed in eo quòd sciens & volens repugnet Catholicæ fidei, sibi sufficienter propositæ, juxta illud Augustini lib. 4. de

de baptismo cap. 16. *Nondum illum hæreticum dico, nisi manifestatâ sibi doctrinâ Catholicæ fidei, resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.* Sufficienter autem Catholicæ fidei veritas proponitur ei, qui scit se sentire contra id quod Ecclesia Romana tenet, & proponit ut fide certum, non vult tamen isti veritati sensum suum submittere, sed in suo errore persistit, tametsi signis credibilitatis moraliter certis ipsi manifestatum sit eam esse veram Ecclesiam. Cùm enim vera Ecclesia à Spiritu sancto gubernetur, sitque organum ipsius, & fidei adeò infallibilis, ut Dominus ei pollicitus fuerit, quòd *portæ inferi adversus eam non prævalebunt*: nolle ei subjici, virtualiter est nolle Spiritui sancto subjici; velleque ei contradicere, est velle Deo contradicere. Quam ob causam scriptum est: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus & publicanus.* Et si pertinax dicitur aliquis, qui est imprudenter tenax, S. Thomas 2. 2. q. 138. a. 2. imprudenter profectò tenax est judicii sui, qui illud præfert judicio veræ Ecclesiæ. Ideòque S. Doctor ibidem q. 11. a. 2. ad 3. pertinaciam hæreticalem constituit in eo quòd quis habeat electionem opinionis contradicentem Ecclesiæ doctrinæ. Unde concludit, quòd *postquam* aliqua sunt determinata *authoritate universalis Ecclesiæ, siquis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur.*

253 Collige 1°. hæresim esse peccatum adeò grave, ut S. Thomas in 4. dist. 13. q. 2. a. 2. dicat quòd plus *noceat, quàm aliquod aliud peccatum: quia subvertit fundamentum omnium bonorum, sine quo nihil boni remanet. Ideò hæresis est ex genere suo maximum peccatum*; maximum utique in genere infidelitatis, & maximum ex genere, respectivè ad peccata, moralibus virtutibus adversa.

254 Collige 2°. neminem esse formaliter hæreticum, quamdiù paratus est judicium suum submittere judicio Ecclesiæ; quamdiù etiam nescit se sentire contra id quod Ecclesia tenet.

255 Collige 3°. errantes in fide ex ignorantia, etiam mortaliter culpabili, animo tamen parato ad credendum quod credit Ecclesia, si eis ut dogma Ecclesiæ proponeretur, non esse formaliter hæreticos, tametsi mortaliter peccent. Est communis sententia Theologorum, & S. Thomæ lect. 2. super cap. 2. ad Galat. Et ratio est, quia licèt voluntariè errent (voluntario saltem indirecto) non errant cum pertinacia: cùm S. Doctor, loco citato, errantes ex ignorantia, contraponat errantibus ex pertinacia, quæ solùm est, quando aliquis sciens & volens repugnat veritati sibi sufficienter propositæ. Et hujusmodi pertinacia ideò necessaria est ad formalem hæresim, quia hoc hæresis habet, præ cæteris peccatis, quòd cætera peccata non dicuntur ab electione, sed sola hæresis; ad cujus proinde perfectam rationem non sufficit voluntas quomodocumque inordinata, sed necessaria est electio fidei directè repugnans, inquit Sylvius q. 11. a. 1., id est requiritur electio, quâ quis sciens Ecclesiam tenere aliquid ut fide credendum, voluntariè de illo dubitat, vel contrarium deliberatè eligit. Et hinc

Colligitur 4°. plerosque rusticos habere 256
unum, vel plures errores contra fidem, nec tamen esse formaliter hæreticos, ob defectum pertinaciæ, licèt mortaliter peccent, ob culpabilem negligentiam addiscendæ veritatis, quam possunt, & debent scire.

Sed quid de errantibus contra fidem ex 257
ignorantia affectata? Suntne formaliter hæretici? Aliqui absolutè affirmant. Alii negant. Sed distinguendum videtur, & negantibus subscribendum, si ignorantiam affectent ex solo addiscendi tædio: quia cum tali voluntate stare potest voluntas obediendi Ecclesiæ, seu credendi quæ credenda proponit, cùm ipsis sufficienter propositæ fuerint; & licèt tales fortè sint pertinaces in ignorando, ipsorum tamen ignorantia, quàmlibet pertinax & affectata, non est hæresis, nec malitiam hæresis participat; licèt sit contra præceptum fidei de adhibenda diligentia pro sciendis veritatibus à Deo revelatis. Subscribendum verò affirmantibus (eos utique esse formaliter hæreticos) si ignorantiam affectent ex contemptu Ecclesiæ, sive ex voluntate, quam habent non credendi, quamvis scirent ea, quæ Ecclesia proponit credenda, ideòque non curant; sed spernunt quærere, quid ea de re Ecclesia credendum proponat. Talibus enim nihil deest ad pertinaciam, cùm habeant electionem contradicentem propositioni Ecclesiæ, quam licèt non cognoscant in speciali (quia cognoscere nolunt) cognoscunt tamen in communi, per eam opinionem, quâ opinantur parvi momenti esse illa quæ ab Ecclesia proponuntur, nec talia esse, in quorum obsequium debeant intellectum suum captivare.

Eandem aliqui rationem esse censent de 258
iis, qui existimant aliquid esse ab Ecclesia definitum, quod non est definitum, & interim pertinaciter tenent contrarium: quia Ecclesiæ definitionem parvipendunt, vel Ecclesiam fallibilem credunt. Et reverà sunt formaliter, consummatèque hæretici, in eo quòd Ecclesiam fallibilem credunt, vel in eo quòd censent se non debere credere ea, quæ Ecclesia proponit credenda: tametsi in particulari articulo, quem tenent (putantes esse contra Ecclesiæ definitionem, cùm non sit) sint quidem Ecclesiæ contumaces, & affectu hæretici; non tamen effectu, & consummatè: cùm non habeant errorem in intellectu circa particularem illum articulum, sed solùm contumaciam in voluntate.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

259 Collige 5°. non esse hæreticos, qui negant propositionem aliquam, quæ à variis Doctoribus Catholicis asseritur, ab aliis verò negatur esse ab Ecclesia definita, quamque ipsi ex solido aliquo fundamento judicant non esse talem. Quia definitio Ecclesiæ, si quæ sit, non est ipsis sufficienter proposita. Multò minùs hæretici sunt, qui impugnant aliquam veritatem, quæ à variis Doctoribus dicitur esse fidei, sed nondum est per Ecclesiam definita, corrigi parati, cùm definita fuerit. *Sic* (ait S. Thomas q. 11. a. 2. ad 3.) *aliqui Doctores videntur dissensisse ..... in quibusdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Ecclesiam determinata*, ut Abbas Joachim, qui ante definitionem Concilii Lateranensis, asserta quædam tenuit per istud Concilium damnata cap. *damnamus* de hæret. Ipse verò damnatus non fuit ut hæreticus: quia non restitit Ecclesiæ definitioni, utpote cui omnia asserta sua, seu scripta approbanda, vel corrigenda subjecit, ut in eodem capite dicitur. *Postquam autem* (pergit S. Thomas) ejusmodi asserta *essent authoritate universalis Ecclesia determinata, siquis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur*. Quam quidem authoritatem universalis Ecclesiæ S. Doctor ibidem docet principaliter residere in Summo Pontifice, ad quem omnes fidei quæstiones sunt referendæ; & contra cujus authoritatem *nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit*. Et, si resisteret, se non Catholicum comprobaret, ut Hieronymus apud ipsum dicit.

260 Collige 6°. probabiliter verum esse, quod nonnulli dicunt, in partibus hæreticis, ubi nullum est publicum Catholicæ religionis exercitium, deesse formalem, & solùm esse materialem hæresim in nonnullis, qui hæresim profitentur, quam à parentibus cum lacte suxerunt, præsertim in juvenibus & rudibus. Eò quòd res fidei non sint ipsis sufficienter propositæ, sed vel nullo modo, vel ita ridiculè, & mendaciter, ut ab illa tamquam diabolica deterreantur, Pontificem ut dæmonem, vel Antichristum, Religiosos ut diabolos aversentur, adeò ut ipsis melius esset de Catholica fide nihil omninò audivisse, magisque laborent ignorantiâ, quàm pertinaciâ. Tales proinde immunes sunt ab excommunicatione, aliisque pœnis hæresi formali annexis, ut sapienter advertit Cardinalis de Lugo. Nec tamen absolvi possunt, nisi Catholicam fidem amplectantur. Quia non habent veram fidem, cujus motus, juxta Apostolum Hebr. 11. & Tridentinum sess. 6. c. 6. necessarius est ad justificationem. Nec ad eam ipsis sufficit fides habitualis acquisita in baptismo; sed actualis, necessitate medii necessaria est, ut constat ex supradictis. Conversi tamen ad fidem, dolere debent de errore suo, utpote rarò prorsus inculpabili. Absolvi tamen possunt à quocumque Confessario, etiam non habente potestatem in reservata: cùm hæresis ipsorum fuerit materialis, non formalis, quæ sola reservatur. Non omnes tamen in partibus illis commorantes, qui errorem cum lacte suxerunt, ab hæresi formali excusantur; sed multi ex ipsis, sine dubio, sunt formales hæretici, ut notat Platelius in Synopsi p. 3. c. 1. §. 7. n. 285. quia certum est inter ipsos inveniri plurimos, quibus vera fides, & Ecclesiæ authoritas sufficienter est proposita, non solùm ad inquirendum, sed & ad credendum; quam proinde rejicere nequeunt sine pertinacia, quæ forma est formalis hæreseos constitutiva.

Collige 7°. illos esse formaliter hæreti- 261
cos, qui Ecclesiæ definitioni judicium suum submittere nolunt; nisi priùs argumentis convincantur. Sunt enim pertinaces, nec submittere judicium suum volunt Ecclesiæ judicio, sed rationibus & argumentis; nec credere Deo, sed cerebro suo.

Collige 8°. positivè dubitantes de veri- 262
tate fidei, quam sciunt ab Ecclesia definitam, esse formaliter hæreticos. Ita S. Thomas q. 10. a. 7. & Doctores communiter, id colligentes ex cap. 1. de hæreticis, ubi Stephanus Papa dicit, quòd *dubius in fide est infidelis*. Necnon ex Augustino 8. Trin. 8. aiente, quòd salvâ fide Christianâ dici non possit, *fortè de Virgine natus est Christus*. Et ratio est, quia tales virtualiter & æquivalenter negant Ecclesiam esse infallibilem fidei regulam. Positivè namque dubiam censent veritatem, quæ scitur definita ab Ecclesia.

De negativè dubitantibus, id est judicium 263
suspendentibus, aliud est, si propterea judicium suspendant, quia Ecclesiæ definitio non est ipsis sufficienter proposita. Quia non sunt pertinaces, nec peccant contra fidem, nisi dum defectus sufficientis propositionis provenit ex culpabili negligentia ipsorum. De negativè tamen dubitantibus, qui circa mysterium sufficienter propositum, ut à Deo revelatum, ex imperio voluntatis suspendunt judicium, propter motiva trahentia in contrarium, idem asserò quod de positivè dubitantibus, esse scilicet formaliter hæreticos. Quia interpretativè, & æquivalenter judicant mysterium revelatum, seu ab Ecclesia definitum, non esse certum. Judicii quippe suspensionem eligendo ex metu errandi, incusso per motiva trahentia in contrarium, perinde se habent, ac si dicerent, motiva ista esse tanti ponderis, ut mysterii revelati veritatem reddant dubiam. Ita Cardinalis de Lugo, Valentia, & alii contra Sanchez, Malderum, Dianam, &c.

Certum tamen est hæreticos non esse, 264
qui vel scrupulis, vel tentationibus velut obruti, sic negativè dubitant, seu judicium suspendunt, ut tamen tentationibus illis non con-

consentiant, sed mori mallent, quàm Ecclesiæ judicio voluntariè contradicere, vel Ecclesiæ definitionem voluntariè in dubium revocare. Isti proinde non agunt, sed patiuntur quamdam veluti dubitationem, seu potiùs tentationem contra fidem. Nec importunas ejusmodi tentationes, contra eas disputando, refellere debent, vel contrariis actibus repellere; sed contemnere, ne tentatio (ex adverso impugnata) menti ampliùs figatur, quæ contemptu & neglectu citiùs evanescit.

265 Si tamen tentatio, animum pulsans, fidem etiam concutiat, & dubitationes veluti semivoluntarias, ob infirmi animi debilitatem, extorqueat; imitari debent eum qui Marci 9. dicebat: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Exoratoque divino auxilio, remedium illud ipsis opportunum erit, quod Patres spirituales suggerunt, & cum illis Contensonus to. 4. dissert. 2. c. 2. coroll. 3. Vel enim de Catholica religione, in generali, dubium obrepit, vel de articulo aliquo in speciali. Si in generali, revocanda est in mentem præclara motivorum credibilitatis harmonia, & protinùs nubilum omne diffugiet. Tam enim credibilia sunt, ut nihil humanâ fide tàm credibile sit, quàm motiva illa, omnisque alia religio, nostræ contraria, omnibus credibilitatis motivis destituta, ridicula, fabulosaque meritò censeatur. Si dubium obrepat de aliquo articulo in speciali, hac ratiocinatione exsufflandum est: Si Ecclesiæ Catholicæ credo ob tam præclara signa credibilitatis, quæ mihi persuadent ipsam esse veram Ecclesiam: illum ergo articulum in dubium revocare non possum: cùm frustrà veræ Ecclesiæ credat, qui aliquem articulum ab ipsa propositum in dubium revocat. Si enim Ecclesia vera est, infallibilis est, dicente Domino, quòd portæ inferi adversus eam prævalere non possunt. Dicente etiam Apostolo, quòd Ecclesia vera *columna est & firmamentum veritatis.* Quod ergo ipsa proponit credendum, revocare non licet in dubium.

CAPUT XIX.

Pœnæ hæreticorum.

266 Duplices sunt, temporales scilicet & spirituales. Utrasque breviter recensebo. Temporales sunt, 1ª. pœna mortis. 2ª. confiscatio bonorum. 3ª. incapacitas ad publica officia obtinenda. 4ª. privatio jurisdictionis temporalis, & absolutio subditorum à debito fidelitatis ipsis promissæ. Sic enim quoad pœnam mortis, & confiscationis declaratur per varias leges Imperiales, & per varios Canones quoad reliquas.

267 Pœnæ spirituales sunt, 1ª. excommunicatio major, Suæ Sanctitati per Bullam Cœnæ reservata. 2ª. privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. 3ª. irregularitas. 4ª. privatio omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ. 5ª. inhabilitas ad omnia beneficia. 6ª. privatio omnium dignitatum, honorum, beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum. 7ª. infamia juris. Omnes etiam pœnæ istæ statuuntur in variis Canonibus, quos causâ brevitatis omitto. Sicut ab hæresi, sic à censuris & pœnis istis solus Pontifex, & quibus ipse facultatem ad id concessit, absolvere possunt.

Facultatem quidem illam Gregorius XIII. 268
ad instantiam Philippi II. Regis Catholici, anno 1576. Episcopis Belgii concessit, etiam absolvendi ab hæresi manifestata, etiam post relapsum, sicut & facultatem absolvendi ab omnibus aliis casibus Papæ reservatis, etiam in Bulla Cœnæ; ipsis quoque concessit, quòd eamdem facultatem cuicumque idòneo Sacerdoti delegare possent, donec (inquit Pontifex) ac quousque Germania inferior in pristina Regis Philippi obedientia plenariè restituta esset, uti videre est in Bulla *nuper subinde.*

Sed quæritur nùm facultas illa etiamnùm 269
duret, cùm Rex Catholicus cesserit juri quod habebat in provincias hæreticas? Affirmant nonnulli, tum quia clausula illa *donec*, &c. necdum impleta est, cùm Germania inferior necdum plenariè sit sub potestate Regis Catholici. Tum quia ratio dictæ concessionis adhuc perseverat: siquidem facultas illa concessa fuit, ob frequentiam vicinorum hæreticorum in Belgio Catholico, quæ tantò hodie major est, quantò major, & liberior communicatio hæreticorum cum Catholicis, à quibus plerique in dies ad fidem reducuntur.

Alii tamen non sine fundamento negant. 270
Cùm cessare videatur finis istius concessionis. Et ideò ad tollendum omne dubium, Episcopi Belgii in litteris suæ confirmationis, dictam facultatem à Sede Apostolica accipere solent, vel etiam specialiter obtinere. Quæ ipsis etiam, ex rationabiliter præsumpta Pontificis voluntate, per accidens competit, in casu moralis impossibilitatis adeundi Pontificem, ratione sexûs, paupertatis, infirmitatis, &c.

CAPUT XX.

Hæreticorum libri prohibiti.

Sed & in pœnam, confusionemque hæreti- 271
corum, sicut & ad impediendum nocumentum fidelium, libri hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes, legi, imprimi, retineri prohibentur sub pœna excommunicationis, Pontifici reservatæ in Bulla Cœnæ. Libri (inquam) hæreticorum. Neque enim prohibiti sunt libri Ethnicorum, Mahumetanorum, Judæorum, &c. Possuntque Episcopi Belgii, prohibi-

tione illâ non obstante, libros hæreticorum legere, utpote hæreticæ pravitatis Inquisitores ex officio, ubi Inquisitionis officium non est institutum, prout in Belgio.

272 Sixtus quoque V. in Bulla *cœli & terræ* 7. sub excommunicatione latæ sententiæ, Papæ reservatâ, prohibet libros Astrologiæ judiciariæ, id est divinationis futurorum, ab humana libertate dependentium, præcipiens ut contra scienter legentes, aut retinentes libros & scripta hujusmodi, Inquisitores procedant.

273 Præterea Clemens VIII. in Indice librorum prohibitorum, sub eadem excommunicatione, non tamen reservatâ, prohibet legere, vel retinere quoscumque libros Hæresiarcharum, licèt de religione non tractent. Aliorum verò hæreticorum libros, qui de religione non tractant, regula 2ª. Indicis permittit legi, & retineri à Theologis, dummodò jussu Episcoporum, vel Inquisitorum examinati, & probati fuerint; prohibentur tamen usquedum taliter examinati fuerint, & approbati. Contra quam prohibitionem faciens, incidit in excommunicationem non reservatam, latam in regula 10ª. Indicis; ubi etiam excommunicantur legentes, vel retinentes scripta cujuscumque Authoris, prohibita ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem. Legens verò libros prohibitos aliam ob causam, quàm ob hæresim, vel suspicionem falsi dogmatis, peccat quidem mortaliter; sed non est excommunicatus, ut ex eadem regula 10ª. ostendit Sylvius.

274 Cæterùm licèt Clemens VIII. sub excommunicatione non reservata, prohibuerit libros Authorum de hæresi suspectorum, Magorum, & Catholicorum expurgatione indigentes, ob admixtionem falsorum dogmatum, donec authoritate Episcoporum, vel Inquisitorum expurgentur. Hos tamen libros Layman dicit non esse prohibitos, antequam in Indicem specialiter relati sint. Et addit, Romanum Indicem, quoad prohibitionem librorum secundæ classis, in Germania receptum non esse. Quare attendi debet, quousque prohibitiones illæ usu receptæ sint in Provinciis. Libros certè Caroli Molinæi, de jure & justitia tractantes, tametsi usque adeò prohibitos in Bulla Cœnæ, ut à Romanis Pontificibus specialiter excipi soleant, dum libros prohibitos legendi facultatem concedunt; nihilominùs omnes passim Juristæ in Belgio retinent ac legunt. An licitè? Bertrandus Loth in tractatu suo de casibus Belgicis affirmat. Ego aliis judicium relinquo.

275 De antedictis Catholicorum libris prohibitis, donec expurgentur, Marchantius, & Diana p. 11. tr. 8. resol. 62. docuerunt retineri posse, usquedum corrigantur, dummodò non legantur. Hoc tamen nec asseri potest, nec practicari: cùm propositio ista, *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum, adhibitâ diligentiâ corrigantur*, damnata sit ab Alexandro VII.

276 Nec à retentionis pœna excusatur, qui non intelligit librum, quem retinet: quia equidem retinet, cum periculo saltem aliorum. Sylvius 2. 2. q. 11. a. 3. concluf. 6. idem censet de lectione libri scripti eo idiomate, quod legens non intelligit. Quia prohibitio non solùm est ad vitandum periculum, sed & ad hæreseos detestationem. Quia tamen lectio ejusmodi solùm est materialis, non formalis, oppositum probabiliter tenent Suarez, & alii, dummodò non legat coram aliis idioma intelligentibus. Qui tamen auscultando lectionem prohibitam, non incidunt in excommunicationem. Quia auscultare, non est legere. Si quis tamen jubeat famulum sibi librum hæreticum prælegere, censuram incurrit: quia per famulum legit. Et quod per alium facimus, per nos facere censemur, regulâ 72. juris in 6°. Ita Azorius, Reginaldus, Sayrus, contra Tamburinum, Bonacinam, & quosdam alios.

An verò censuram incurrat qui, pro determinato tempore, facultatem habens retinendi, eo elapso, retinet, quia licentiæ prorogationem expectat? Franciscus Verde affirmat. Delbene negat, cumque ipso Lumbierus noster, non sine probabilitate, si dubium non sit prorogationem intra modicum tempus obtinendam. Pro tam modico namque intervallo tacita videtur adesse licentia.

Quæritur etiam, an censuram incurrat 1°. 277
qui legit librum Authoris Catholici, in quo de verbo ad verbum referuntur errores hæreticorum, cum argumentis suis, prout sunt in eorum libris? 2°. qui legit librum Authoris Catholici, in quo addita sunt Scholia Authoris hæretici? 3°. qui legit manuscriptum Authoris hæretici? 4°. qui legit brevem scripturam ejusdem, orationem, concionem, disputationem, vel epistolam typis mandatam de religione tractantem? 5°. qui solum libri procœmium, vel epistolam dedicatoriam legit? 6°. qui solùm aliquot lineas libri hæretici legit?

Ad 1. respondeo negativè cum Navar- 278
ro in Manuali c. 27. n. 56. & Doctoribus communiter. Quia talis liber non est Authoris hæretici.

Ad 2. respondeo affirmativè, si Scholia 279
illa de religione tractent, eaque legantur. Quia totum illud volumen duos continet libros, quorum alter est Authoris hæretici, de religione tractans, adeòque prohibitus per Bullam Cœnæ. Ita P. Oxea disput. 5. de virtutibus Theol. sect. 7. n. 99. contra Navarrum, & Sylvium, aientes, talem non incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ, sed aliam non reservatam; eò quòd ex regula Indicis 4ª. & 8ª. constet, annotationes, seu Scholia ejusmodi debere ex-

pungi, priusquam tales libri permittantur. Sed per hoc non enervatur, quòd talis faciat contra prohibitionem Bullæ Cœnæ, *Excommunicamus quoscumque.... hæreticorum libros..... de religione tractantes..... scienter legentes*, &c.

280 Ad 3. respondeo affirmativè, cum communi, contra Tamburinum. Quia per libros prohibitos intelliguntur tam manuscripti, quàm impressi. Neque enim soli impressi veneunt nomine librorum; & Pontifices in prohibitionibus suis modò utuntur nomine librorum, modò scriptorum, ut videre est in regulis Indicis. Denique ratio prohibitionis, periculum utique lectionis; æquè locum habet in manuscriptis, quàm impressis.

281 Ad 4. respondeo affirmativè cum Suarez disput. 20. de fid. sect. 2. n. 10. contra Sanchez, Bonacinam, & Palaum. Tum quia majus plerùmque periculum continent, quàm liber grandior. Tum quia ipsæ etiam theses, stylo Romanæ Curiæ, hîc veneunt nomine libri, seu libelli, ut constat ex nupera prohibitione quarumdam thesium Lovanienſium, quæ libelli vocantur, id est parvi libri, tametsi usus in Belgio, Germania, Gallia, &c. obtinuerit, quòd libelli isti, seu theses sine approbatione imprimi possint. Sed & usu SS. Patrum epistola subinde vocatur liber. Scriptum namque D. Cypriani de zelo, & livore, Hieronymus librum appellat, & Augustinus epistolam.

282 Ad 5. respondeo affirmativè cum Sanchez l. 2. Decal. c. 10. n. 30. Vgolino, & aliis passim, nisi materiæ levitas excuset. Quia prohibito libro, quælibet pars ipsius prohibita censetur.

283 Ad 6. similiter respondeo affirmativè, nisi materia sit levis. Si enim materiæ levitas non excuset à mortali peccato, nec excusat à censura. An verò detur hîc materiæ levitas excusans à mortali peccato? sententia communior affirmat, quia non apparet peculiaris ratio, cur hîc minùs detur, quàm in aliis materiis. Oxea negat, peculiarem assignans rationem, quia ex una parte, ratio communissima prohibitionis librorum hæreticorum, est ob periculum subversionis, à quo nullus, nisi stultus, & superbus se alienum præsumit in materia tam lubrica, in qua Ecclesia ne ipsis quidem Episcopis, & Cardinalibus fidit, sed eorum lectionem omnibus generaliter prohibet. Ex alia parte, quando aliquis aperit librum ejusmodi ad legendum, per Ecclesiæ prohibitionem admonitus de periculo, ignorat qua in pagina & in qua periodo, respectu sui, lateat istud periculum. Illud ergo in qualibet parte libri rationabiliter timere debet; cùm lectio vel unius lineæ grave periculum generare possit; eò quòd in una linea contineri possit antecedens, plurimas inferens consequentias perniciosissimas, quæ tentationem gravissimam, & inde grave periculum excitare possunt. Justissimè proinde Ecclesia potuit lectionem cujuscumque partis talis libri, sive entitativè magnam, sive parvam, sub eadem censura graviter inhibere; idque feciſſe censenda est, dum lectionem indistinctè prohibuit, ob rationem, quæ lectionem quamcumque graviter prohiberi exegit. Difficulter proinde hîc assignatur pars materialiter levis, quæ non sit formaliter gravis.

284 Difficulter quoque admissâ hîc materiæ levitate, materia illa designabitur, deque differentibus circa eam Authorum sententiis judicium feretur. Dum enim Suarez pro materiæ parvitate designat duas vel tres lineas. Sayrus decem lineas. Azorius unum, vel alterum versiculum. Arriaga unum parvum folium. Sanchez unum magnum folium, seu paginam libri in folio: attentis præmissis, non pro ratione, sed pro arbitrio, sic statuunt: cùm plerùmque in tribus vel quatuor lineis, plures hæreses contineantur; vel certè pernicioſius antecedens aliquod, quàm aliàs in grandiori pagina. Dumque Fagundez dicit, legentem minùs quàm magnum folium, non censeri legere librum hæretici, ratio ista ducit in præcipitium: cùm inde consequens esset, dici posse (cum Chrousers) materiam parvam hîc esse eam libri partem, quæ per se sumpta verè censeri non possit nomine libri. Quam opinionem Doctores meritò rejiciunt, ut nimis laxam.

285 Hæretici verò aliam hîc contentionem excitant, dicentes, Pontificem Romanum justè prohibere non potuisse libros ipsorum. Cùm Ecclesia Deum imitari debeat, qui reliquit hominem in manu consilii sui, ut quod vult, faciat, & quos vult, libros legat. Interna quippe Dei unctio, seu inspiratio unumquemque docebit, qui libri sanam, qui pernicioſam contineant doctrinam, juxta illud 1. Joan. 4. *Probate spiritus si ex Deo sint.* Et 1. Thessal. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete*, sive (ut Augustinus legit l. de nat. & grat. c. 39.) *omnia legite, quæ bona sunt tenete.*

286 Sed imperita est contentio: si enim communicatio cum hæreticis, tamquam pernicioſa, justè prohibetur, juxta illud Tit. 3. *hæreticum hominem.... devita.* 2. Joan. *nolite recipere eum in domum*, &c.: ob eandem rationem justè prohibetur lectio librorum hæreticorum: utpote æquè vel magis pernicioſa, quàm conversatio dicta. Idque fundamentum habet in Apostolica doctrina, secundùm quam libri noxii comburuntur. Actor 19. *Multi ex eis, qui fuerant curioſa sectati, contulerunt libros* (ex Apostolica haud dubiè doctrina) *& combuſſerunt coram omnibus.* Et ideò Concilium Nicenum I. libros Arii jussit comburi, & Constantinus pœnam capitis statuit in eos, qui libros illos occultassent, ut videre est apud Socratem l. 1. c. 6.

& Nicephorum l. 8. c. 18. Deque concremandis Nestorii libris extat Edictum Valentiani & Martiani Imperat. in Concilio Calcedonensi act. 3. sicut & lex Theodosii & Valentiani in Concilio V. Constantinop.

287 Non sic ergo Deus reliquit hominem in manu consilii sui, ut nihil illi prohibeat. Et in hoc Deum imitatur Ecclesia. Probatio verò spirituum (de qua 1. Joan. 4. & 1. Thessal. 5.) non competit omnibus (neque enim Apostolus 1. Cor. 12. tribuit omnibus discretionem spirituum, sed aliquibus dumtaxat.) Probatio proinde illa facienda est ab iis, qui probare possunt (de quibus loquitur Augustinus) & principaliter à Romano Pontifice, cui Christus Dominus tradidit clavem scientiæ rerum fidei, tensuumque S. Scripturæ, & ab iis quibus id commiserit. Deinde probatio, de qua Apostolus, non habet locum in iis quæ ab Ecclesia reprobata sunt. Cùm Ecclesiæ contradicens, secundùm Evangelium, haberi debeat tamquam *ethnicus & publicanus.*

288 Ægerrimè etiam ferunt hæretici, per Constitutionem Pii IV. non permitti omnibus lectionem Bibliorum in lingua vulgari, nisi de licentia Parochi, vel Confessarii. Id tamen Pius IV. prudentissimè statuit, non quòd S. Scriptura aliquid mali contineat, sed quòd in ea sint plurima *difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant..... ad suam ipsorum perditionem.* 2. Petri 3. Unde D. Hieronymus epist. ad Paul. conqueritur de eo, quod apud nostrates hæreticos experimur, quòd utique *ea Scripturarum ars est, quam sibi passim vendicant: hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant.*

In Gallia tamen, & Belgio, juxta Marchantium tribun. Sacr. tom. 2. tract. 2. sect. 4. Illustrissimum D. Herinx Episcopum Iprensem disput. 4. de Script. sacr. q. 3. & Bertrandum Loth resolut. Belg. tract. 13. a. 8. usus invaluit, ut Biblia vulgari idiomate à Laïcis piis legi permittantur. Quod tamen Pastores, & Confessarii permittere non debent in versione corrupta, & nonnisi iis, de quibus moraliter constat, quòd non abutentur.

CAPUT XXI.

Prohibita cum hæreticis communicatio, deque rebus fidei disputatio.

289 OMnis omninò cum hæreticis communicatio olim prohibita fuit. Sed Martinus V. in Concilio Constantiensi statuit, illos dumtaxat vitandos, qui publicè denuntiati sunt hæretici. Periculosa tamen cum ipsis familiaritas jure naturæ cavenda est. Quia sermo hæreticorum ut cancer serpit, & incautos imperceptibiliter inficit, maximè si soleant Catholicorum ritus irridere, doctrinam traducere, &c.

Nec licitum est hæreticos, alioqui infideles ad Missæ sacrificium admittere, juxta cap. *Episcopus* de consecrat. dist. Quin imò ostiariorum ordo ad hoc institutus est, ut ipsos à sacris nostris, præsertim à sacrificio Missæ excludant. Multis tamen in locis consuetudo ipsos admittit, etiam Romæ, ob fructum experientiâ probatum. 290

In sequentibus etiam casibus prohibita est cum Judæis communicatio. 1°. non licet cum ipsis, vel cum Saracenis habitare. 2°. nec Judæum aut Saracenum in medicum advocare. 3°. nec medicinam à Judæo recipere. 4°. nec agere obstetricem aut nutricem infantium Judæorum, in eorum domibus. 5°. nec ipsos ad convivium invitare, nec accedere ad convivium ipsorum. 6°. nec azyma cum ipsis edere. 7°. nec ingredi cum ipsis in balneum. 8°. nec Judæos hæredes, aut legatarios constituere. Omnia hæc in variis Canonibus habentur tit. de Judæis. Et innovata sunt ab Alexandro III. in Concilio Lateranensi. 291

Disputatio denique cum hæreticis ex condicto nemini licita est, nisi ex speciali licentia Sedis Apostolicæ, vel nisi fidei status eam exigeret, periculumque esset in mora. Sic anno 1644. declaravit S. Congregatio de propaganda fide. 292

Alexander quoque IV. cap. *quicumque* de hæreticis in 6°. statuit, ne cuiquam laïcæ personæ liceat publicè, vel privatim, de fide Catholica disputare. Qui verò contrafecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Enimverò testis est experientia, disputationes cum hæreticis, utplurimùm ad nihil valere, nisi ad subversionem audientium, vixque unquam affulgere spem, hæreticos disputatione convertendi. In locis tamen ubi est hæreticorum frequentia, sicut in Germania, & Belgio, inhibitionem Alexandri IV. contrario usu abrogatam censent Coninck, aliique plures apud Becanum p. 2. c. 15. q. 7. Saltem Laïcis doctis disputatio cum ipsis (iisdem in locis) per modum exercitii, consuetudine licita est; imò subinde necessaria ad compescendum hæreticum fidei insultantem, &c. 293

Nec ipsi tamen, imò nec Clerici (quibus disputatio cum hæreticis, non ex condicto, per sacros Canones prohibita non est) consultò hæreticos aggredientur, nisi docti sint, & in controversiis versati; ne fidem cum scandalo pusillorum exponant hæreticorum derisioni. 294

CAPUT XXII.

Unumquemque in sua religione salvari posse, falsissimum est.

ISTud utique (post Mahumetum in Alcorano) suadere conatus est Antonius de 295

Dominis, in infami libro ſuo de Republica, eundemque errorem politici illi ſequuntur, qui omni religioni & ſectæ, datâ occaſione, admiſcentur, mutantes cum aura religionem, atque inter Catholicos Catholiciſmum, inter Lutheranos Lutheraniſmum, inter Calviniſtas Calviniſmum ſectantes.

Sed manifeſtè errant. 1°. quia ad Epheſ. 4. Apoſtolus dicit: *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma*, ad ſignificandum, quòd ſicut non eſt niſi unus Deus, cujus cultu ſalvari poſſumus; nec niſi unum baptiſma, ſine quo non eſt ſalus; ſic non eſt niſi una fides, quam profitendo ſalvari poſſimus. Ergo non magis ſalvari poſſumus qualibet fide, quàm quolibet baptiſmo, vel cultu cujuſlibet Dei. Enimverò uni Deo vero, utpote Deo pacis, & non diſſenſionis, placere non poſſunt diſſenſiones, & ſchiſmata in materia fidei. Ideòque Apoſtolus Hebr. 13. prohibet, dicens: à vera fide *doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Nec Deus in omni, ſed in ſola vera fide, & religione exhibet media neceſſaria ad ſalutem adipiſcendam.

296 2°. Hæretici aliquam fidem, ſeu religionem ſectantur: nec tamen hæreticis eſt ſalus; imò hæreticus (teſte Apoſtolo ad Tit. 3.) *eſt proprio judicio condemnatus.* Et ſi hæretici in Chriſtum credentes, ſalvari poſſent, ſalvari potuiſſent Ariani, Neſtoriani, Macedoniani, Pelagiani, &c. Erraſſet proinde Eccleſia primitiva, contra eos Concilia convocando, eos ab Eccleſia ſeparando, anathematizando, &c.

297 3°. Ad ſalutem neceſſe eſt Catholicam fidem integram, inviolatamque ſervare, prout conſtat ex Athanaſii Symbolo: *Quicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat Catholicam fidem; quam niſi integram, inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit.*

298 4°. Sine vera fide ſalus eſſe non poteſt (quia *ſine fide*, verâ utique & divinâ, *impoſſibile eſt placere Deo.*) Sed quælibet non eſt vera fides: cùm verum vero, vera proinde fides veræ fidei nequeat contradicere. Catholica verò fides contradicit Lutheranæ, Calvinianæ, &c. Lutherana etiam Calvinianæ, Calviniana Lutheranæ contradicit. Et ſic de aliis.

299 5°. In hæreticis, aliiſque infidelibus non eſt fides ſupernaturalis & divina, ſed naturalis & humana dumtaxat (quæ ad ſalutem non ſufficit, Apoſtolo conteſtante, quòd *non ſumus idonei cogitare aliquid* ſalutare *ex nobis quaſi ex nobis*, &c.) neque enim verè captivant intellectum ſuum in obſequium primæ Veritatis, recognoſcentes eam nec falli, nec fallere poſſe. Si enim verè hoc facerent, intellectum ſuum illi captivarent in omnibus quæ revelavit. Cùm æquè ſit prima Veritas falli & fallere neſcia in uno, quàm in altero, & ſi in uno fallat, non ſit prima Veritas. Cui proinde non credunt, in iis quæ credunt, ſed humanæ perſuaſioni. Qui enim primæ Veritati diſcredit in uno, non credit in ullo; ſed contra eam peccans in uno, *factus eſt omnium reus.* Jacobi 2.

Vana proinde eſt cavillatio, quâ hæretici dicunt, religiones Catholicam, Lutheranam, Calvinianam, &c. ſibi invicem non contradicere in ſubſtantialibus (quæ ſola ſalutem impediunt) ſed in accidentalibus dumtaxat. Quia (præterquàm quòd id falſum ſit) veræ & Catholicæ fidei contradicens, ſive in ſubſtantialibus, ſive in accidentalibus, primæ Veritati revelanti contradicit, ſaltemque virtualiter dicit, in iis eam revelaſſe falſum. Quod ſi verum eſt, certè non eſt prima Veritas, nec Deus. Quod quicumque ſeu formaliter, ſeu virtualiter aſſerit, certum eſt, quòd ſalvari non poſſit. 300

Dixi cavillationem illam hæreticorum falſam eſſe: ſi enim fides Catholica, Lutherana, Calviniana, &c. ſibi invicem non contradicant in ſubſtantialibus, & ſalutem impedientibus, cur Lutherani, Calviniſtæ, &c. à Catholicis receſſerunt? cur eos pro membris abſciſſis, & à corpore Chriſti ſeparatis, imò & pro idololatris habent? An fortè idololatris ſubſtantialiter non contradicunt? Et quomodò religiones illæ ſibi invicem non contradicunt in ſubſtantialibus, quæ ſibi invicem contradicunt in doctrina de Sacramentis, deque mediis ad ſalutem neceſſariis? Et quâ (amabo!) ratione probare poſſunt, iſta non eſſe ſubſtantialia? An quia ſolùm articuli in Symbolo Apoſtolorum contenti ſubſtantiales ſunt? Si ſic: ergo, ſalvâ ſalute, liberum eſt negare aſſenſum innumeris fidei articulis, non contentis in Symbolo, contentis tamen in ſacra Scriptura, v. g. quòd prohibendæ non ſint nuptiæ. Quod ſi verum eſt, ut quid ergo Scriptura adeò reprehendit prohibentes nubere, ut de iis dicat, quòd doctrinam ſequantur dæmoniorum, 1. Timoth. 4. Ut quid Apoſtolus Paulus ad Galatas 1. loquens de legalibus, in Symbolo non contentis: *Eiſi* (inquit) *Angelus de cælo evangelizaverit vobis, præterquàm quod accepiſtis, anathema ſit.* Et rurſum: *Ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis non proderit.* Ut quid ſancti Martyres maluerunt millies mori, quàm vel unum fidei articulum, licèt in Symbolo illo non contentum, negare? 301

Enimverò non magis licet, vel unum fidei articulum in Scriptura contentum, ſalvâ ſalute, negare, ſub prætextu quòd ſubſtantialis non ſit, quàm contra vel unum Decalogi præceptum, ſalvâ ſalute, agere, ſub ſimili prætextu, quòd ſubſtantialis non ſit. Cùm non ſit major ratio negandi, quòd fides omnium fidei articulorum in Scriptura contentorum, ſubſtantialis ſit (id eſt ad ſalutem neceſſaria) quàm negandi, quòd ob- 302

servantia omnium Decalogi præceptorum substantialis sit, id est ad salutem necessaria. Hoc autem negari non potest. Quod enim de Decalogi præceptorum observantia Jacobus Apostolus dixit, fidei convenit: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit non mœchaberis, dixit & non occides.* Hoc (inquam) de receptione articulorum fidei, ob eandem rationem, dicendum est: quicumque omnes fidei articulos receperit, offendat autem in uno, ipsi contradicendo, factus est omnium reus. Qui enim dixit, *Deum esse Unum & Trinum, Filium Dei incarnatum*, &c. dixit & *Caro mea verè est cibus*, & cætera quæ in sacris Litteris continentur.

303 His subversa manet doctrina Calvinistarum, art. 20. Confessionis suæ expressa, *solam* utique *fidem in Christum justificare*. Doctrina item Daillæi, Molinei, & Mestrezati (qui Pseudosynodo Charentonensi anni 1631. præsedit) *ad salutem adipiscendam, Christi fidem, & quorumdam articulorum fundamentalium, in Symbolo contentorum, sufficere*. Ex quo pseudoprincipio Calvinistæ, in dicta Synodo, societatem cum Lutheranis Confessionis Augustanæ inierunt, declarantes eos ad Cœnam suam recipiendos, sine prævia Lutheranæ professionis abjuratione, nec à corpore Christi abscissos esse, ex hoc quòd in Eucharistia realem præsentiam corporis Christi nobiscum confiteantur.

304 Quod si ita est, Calvinistas per salutem ipsorum rogo, & in visceribus Christi obtestor 1°. ut deponant tantisper præjudicia. Si enim nec à sua societate, nec à Christi corpore separatos habeant Augustanæ Confessionis Lutheranos, qui realem illam Christi præsentiam confitentur, Missam cum ceremoniis non multùm dissimilibus à nostris celebrant, confessionem auricularem retinent, aras erigunt, sacras imagines exhibent, &c. Quid est quòd ista in Lutheranis dissimulant, in nobis anathematizant? Quid est quòd propterea à nobis recesserunt? An quia Christum in Eucharistia adoramus, non sic Lutherani? At Calvinus ipse in opusc. ad Wesphalum, & contra Heshusium, fatetur, absurdum esse, Christum in Eucharistia realiter præsentem credere, & ibi eum non adorare.

305 2°. eosdem obtestor, ut non sint similes iis, qui oculos habent, & non vident; sed præ oculis habentes suum illud pseudoprincipium, *ad salutem* utique *sufficere fidem Christi, & quorumdam articulorum fundamentalium Symboli*, videant ex eo manifestè consequi, à se negari non posse securitatem religionis nostræ: utpote cui fides illa non deest. Sine necessitate ergo ab ea recesserunt; sine necessitate dissensionibus, & schismatibus Christi Ecclesiam laceraverunt. Nec eos ad id Dei spiritus impulit: quia non est Deus Author dissensionis, sed pacis.

3°. denique eosdem obtestor, ut considerent, se non posse, nisi per summam imprudentiam, in religione sua persistere, sed ad nostram reverti debere, si salutem suam in tuto velint ponere. Neque enim negare possunt, in negotio salutis, negotiorum omnium momentosissimo, illam viam, de cujus securitate omnes conveniunt, præferendam ei, de cujus securitate non conveniunt omnes. Atqui de securitate viæ, seu religionis nostræ omnes conveniunt, tam nos scilicet, quàm Calvinistæ Adversarii nostri, quibuscum Protestantes Angli ingenuè agnoscunt, Ecclesiæ Romanæ sectatores in ea salvari posse. De securitate verò religionis Lutheranæ, Calvinianæ, &c. non conveniunt omnes; sed eam ad certissimam perditionem ducere, tota Catholica religio, in eaque innumerabiles Viri doctissimi, pariterque sanctissimi, non solùm contestantur, sed validissimis insuper probant argumentis. Igitur negare non possunt, Catholicam religionem Lutheranæ, Calvinianæ, &c. præferendam. 306

CAPUT XXIII.

Extra Catholicam, seu Romanam Ecclesiam, non est salus.

PRobatur, quia sola Ecclesia Catholica, seu Romana, est Ecclesia vera, uti demonstrabitur infrà. Atqui extra veram Ecclesiam, sicut non est vera fides, sic non est vera salus, uti probat multipliciter D. Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ: *Quisquis* (inquit) *ab Ecclesia segregatus, adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienatus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* 307

Et probat 1°. quia qui societatem non habet cum Ecclesia, societatem non habet cum Christo; sed est adversarius ipsius, juxta illud Matth. 12. *Qui non est mecum, adversus me est; & qui non colligit mecum, dispergit.* Non regnabit autem cum Christo adversarius Christi. 308

Probat 2°. quia non salvatur, nisi qui Christum induit. Sed Christum non induit, qui Ecclesiam Christi scindit, seque ab ea dividit. Talis enim tunicam Christi inconsutilem, & indivisibilem scindit, & se ab eadem dividit, pejor crucifixoribus Christi, qui dixerunt Joan. 19. *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit.* Ideò ergo possidere non potest indumentum Christi, qui scindit & dividit Ecclesiam Christi. 309

Probat 3°. quia qui non habent hîc Christum Pastorem, non habebunt ipsum in altera vita Salvatorem. Sed qui sunt extra Ecclesiam 310

clesiam, non habent hîc Christum Pastorem. Quia Pastor non est, nisi gregis unius (qui est Ecclesia) juxta illud Joan. 10. *Fiet unum ovile, & unus Pastor.* Quisquis ergo non est de grege illo, non est de ovibus Christi. Ergo ab ipso non ducetur in pascua felicitatis æternæ.

311 Probat 4°. variis similitudinibus, seu figuris, ex S. Scriptura petitis. Prima petitur ex arca Noë, quæ figura fuit Ecclesiæ: sicut ex toto genere humano nullus salvatus fuit, nisi qui fuit in arca Noë, extra quam nullus mortem evadere potuit; sic ex toto genere humano nullus salvatur, nisi qui est in Ecclesia, extra quam nullus mortem æternam evadere potest.

312 Secunda petitur ex domo Raab meretricis, per quam Ecclesia pariter figurata fuit. Sicut enim domus Raab multorum virorum prostibulum fuit; sic Ecclesia gentium, prostibulum fuit multorum dæmoniorum, & idolorum. Et sicut Raab ex impudica & infideli, per receptionem exploratorum fidelium, facta est fidelis & casta; sic gentilitas, per receptionem Apostolorum, aliorumque fidei prædicatorum, facta fuit fidelis & sancta. Quod ergo Josue 2. dictum est ad Raab, *patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui, colliges ad teipsam in domum tuam; omnis qui exierit ostium domûs tuæ foras, reus sibi erit mortis suæ*: significat quòd sicut nullus de Hierico mortem evasit, nisi qui in domo Raab inventus fuit, extra quam omnes perierunt; sic nullus hodie mortem æternam evadit, nisi qui invenitur in Ecclesia, extra quam omnes pereunt.

313 Tertia petitur ex veteri ritu comedendi agnum Paschalem: totum namque comedere oportebat in una domo, nihilque illius extrà comedi poterat: *In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus foras.* Exodi 12. Omnia illa, *quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* ..... Per illam ergo figuram allegoricè significatur, quòd sicut ad participationem agni nullus admittebatur extra unam illam domum; sic ad participationem veri agni, id est Christi, per quem est salus nostra, nullus admittitur extra unam Ecclesiam.

314 Aliis figuris Evangelicis idipsum ampliùs potest roborari: utique adolescentis, qui è paterna domo egressus, in extremas calamitates incidit, à quibus liberari non potuit, nisi in paternam domum revertendo. Luc. 16. Item operariorum illórum, quorum nullus denarii mercedem accepit, nisi qui in vinea laboravit. Matth. 20. Item mulieris, quæ drachmam perditam non quærit in agro; non in foro; non in plateis, non in domo aliena; sed in sua. Luc. 15. Quia drachma gratiæ perdita non recuperatur extra Ecclesiam, nec in cœtu Judæorum, nec in Conciliabulis Lutheranorum, Calviniſtarum, &c. sed in sola vera Ecclesia.

Meritò proinde S. Augustinus in Psal. 54. 315
explicans verba illa, *inter multos erant mecum*, ostendit, quòd licèt hæretici & schismatici in multis conveniant nobiscum, quia tamen extra Ecclesiam sunt, salvari nequeunt ..... *In multis* (inquit) *erant mecum: Baptismum habebamus utique, in eo erant mecum. Evangelium utique legebamus, erant in eo mecum. Festa Martyrum celebrabamus, erant ibi mecum. Paschæ solemnitatem frequentabamus, erant ibi mecum. Sed non omnino mecum: in schismate non mecum, in hæresi non mecum. In multis mecum, in paucis non mecum. Sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis prosunt multa in quibus mecum. Etenim, Fratres, videte quàm multa enarravit Apostolus Paulus: unum dixit, si defuerit, frustrà sunt illa. Si linguis hominum loquar & Angelorum (ait) si habeam omnem prophetiam, & omnem fidem, & omnem scientiam, si montes transferam, si distribuam omnia pauperibus, si tradam corpus meum, ita ut ardeat. Quam multa enumeravit? His omnibus multis defuit una charitas, omnia illa nihil prosunt, cum omnibus illis nihil se esse Apostolus contestatur.*

Sed quid, si quis credat fundamentalia, 316
quæ sunt in Symbolo, numquid hoc ad salutem sufficit, sicut dicunt Calviniſtæ num. 276. relati? Sufficere negat Augustinus epist. ad Catholicos de testimonio contra Donatistas: *Quicumque* (inquit) *credunt quidem, quòd Jesus Christus, ita ut dictum est, in carne venerit, & in eadem carne, in qua natus, & passus est, resurrexerit, & ipse sit Filius Dei, apud Deum, & cum Patre unum, & incommutabile, vivum Patris Verbum, per quod facta sunt omnia; sed tamen ab ejus corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, ut eorum communio non sit cum toto corpore, quacumque diffunditur, sed in aliena parte separata inveniantur; manifestum est eos non esse in Catholica Ecclesia, nec in salutis via.* Nam, ut addit epist. 162. ad populum factionis Donatianæ: *quisquis ab hac Ecclesia Catholica fuerit separatus, quantùmlibet se laudabiliter vivere existimet, hoc solo scelere, quòd à Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

CAPUT XXIV.

Modus quo Athei, qui nullam fidem & religionem agnoscunt, ad fidem perducendi sunt.

IPsis ante omnia inculcanda est necessitas 317
religionem aliquam amplectendi, hoc modo: Extremæ dementiæ est, se evidenter exponere periculo periculorum omnium periculosissimo, periculo utique horrendorum suppliciorum, per totam æternitatem, si periculum istud vitari queat. Hoc vos facitis. Ergo. Major per se evidens est: si quid enim prudentia, si quid sapientia di-

ctet, illud maximè, quòd homo non debeat sibùpsi esse usque adeò inimicus, ut nolit se à tantis malis securum reddere, si possit. Minor sic ostendenda est: vos nullum Deum agnoscitis, nullum colitis, nec ulli vos subjicere vultis, nec tamen habetis certum & evidens argumentum, quòd Deus non sit: sunt autem talia argumenta quòd Deus sit, ut iis innumeri sapientissimi homines convicti, imò & omnes nationes universæ terræ, id pro certo & indubitato habeant, & semper habuerint. Sine manifesta verò stultitia asserere non potestis, certum & indubitatum esse id, cujus oppositum certum & indubitatùm habent, semperque habuerunt innumeri sapientissimi homines, & omnes mundi nationes, nisi saltem, ad id asserendum, certum & evidens argumentum habeatis. Tale verò non habetis; sed ea omnia, quæ profertis, majori facilitate solvuntur, quàm ea quæ contra vos proferuntur. Igitur ut minùs dubitare debetis, an Deus sit. Non dubitare enim, ubi tanta est dubitandi ratio, non est hominis sequentis naturale lumen, sed cervicosam suam voluntatem. Quod profectò facere in re tam periculosa non est ratione utentis, sed abutentis in suam perniciem. Hoc ipso verò quòd dubitare debetis, an Deus sit: lumen rationis evidenter dictat, Deum à vobis agnoscendum, & aliquâ religione colendum. Si enim hoc feceritis, sive Deus sit, sive non sit, ab omni periculo tuti eritis. Si autem non feceritis, & Deus sit, manifesto periculo expositi eritis incurrendi vindictam ipsius, æternaque supplicia, quæ iis minatur, & infligit, qui ipsum nec colunt, nec recognoscunt. Si enim Deus sit, justus est. Unicuique proinde retribuit secundùm quod meretur. Quid autem aliud meretur homo, qui Deo subjici non vult, nec ipsum colere, & recognoscere, nisi reprobationem ipsius, æternamque maledictionem, suppositâ aliunde immortalitate animæ, quam ab ipsis practicè recognoscendam esse, simili ferè argumento pariter ostendendum est. Atqui è duobus extremis hujusmodi, quorum unum ab omni periculo securum est, alterum ejusmodi periculo manifestè est expositum, lumine naturæ evidens est illud eligendum, quod à tanto periculo tutum est ac securum. Cùm nihil evidentius sit, quàm dementem esse, suique amore destitutum, qui periculum tantum declinare non vult, cùm possit.

318 Sic inculcatâ ipsis necessitate recognoscendi Deum, ipsumque religione aliquâ colendi, ostendendum est, quamlibet non sufficere (per ea quæ dixi cap. 22.) solamque Christianam esse veram (per ea quæ dicam capite sequenti,) solam proinde per quam Deus est colendus, & per quam potest obtineri salus.

CAPUT XXV.

Modus quo prædicti, simulque Pagani, & Judæi perducendi sunt ad Religionem Christianam.

AD eam amplectendam partim argu- 319
mentis inducendi sunt, quibus capite 27. probabitur falsitas religionis Paganicæ & Judaïcæ. Partim iis, quibus ostenditur Christianam esse veram; argumentis (inquam) petitis à Christianæ religionis Authore; ab excellentia doctrinæ quam prædicavit; à modo propagationis illius; ab effectibus quos religio Christiana causavit in mundo; à diuturna, nec unquam interrupta continuatione illius, à septemdecim & amplius sæculis, inter horrendas persecutiones; ab innumerabili multitudine Sanctorum utriusque sexûs, qui veritatem illius sanguine suo testati sunt; à miraculis editis in confirmationem illius; à vaticiniis quibus eadem religio pluribus antè sæculis prædicta fuit. Quæ omnia, saltem collectim sumpta, sufficiunt, & plusquàm sufficiunt ad cordatum quemque convincendum de veritate Christianæ religionis. Quæ profectò si vera sit, sola vera est: cùm alias omnes reprobet ut falsas, iisque contradicat, nec plura sibi invicem contradicentia possint simul esse vera.

Primum itaque argumentum pro veritate 320
Christianæ religionis petitur ab Authore, seu Fundatore illius, qui fuit Christus Jesus. Fieri enim non potest quòd ea religio falsa sit, quæ Authorem habet tantæ sanctitatis, ut nullus unquam potuerit ipsum verè arguere de peccato; cui ipsimet adversarii testimonium reddiderunt, quòd viam Dei in veritate doceret; qui se Deum (adeòque Veritatem falli & fallere nesciam, Deique Filium probavit, non solùm admirabili vitæ sanctimoniâ, sed & stupendis miraculis, factis in confirmationem veritatis, quam docebat; qui etiam multis Prophetarum, & Sybillarum vaticiniis, pluribus antè sæculis prænuntiatus fuit tamquam verus Messias, & Legislator à Deo missus, prout videre est Genes. 48. Danielis 9. & in prophetia Isaïæ, ferè per totam, & perspicuum est ex oraculis Sybillarum, quibus omnia vitæ Christi mysteria tantâ certitudine prædicuntur futura, ut narrentur tamquam præterita; ipsius videlicet incarnatio, baptismus, miracula, quinque panum multiplicatio, prædicatio, passio, resurrectio, & in cælum ascensio, prout in Evangelio recensentur. Audiantur Sybillæ, Delphica & Phrygia.

Impingent illi colaphos, & sputa scelestis
Israël à labiis, neque non & fellis amari

Ap-

Apponent escam, potumque immitis aceti;
Scindetur Templi velum, mediumque diei
Nox tenebrosa tribus premet admirabilis horis:
Et tridui somno peragens insignia facta.
Sed postquam triduo lucem repetiverit, atque
Monstrarit somnum mortalibus, atque docendo
Cuncta illustrarit, cælestia tecta subibit
Nubibus invectus.

321 Nec ista magicis artibus tribui possunt: quia *nondum erat homo Christus, quando misit Prophetas* (inquit Augustinus serm. 27. de verb. Apost. c. 4) *Si ergo magicis artibus fecit, ut coleretur mortuus, nunquid erat magus antequam natus?* Ideò etiam Christus Joan. 5. Judæos remittebat ad prophetias, quæ de ipso erant: *Scrutamini Scripturas, quoniam illæ testimonium perhibent de me. Si crederetis Moysi, credaretis utique & mihi: quoniam de me ille scripsit.*

322 Secundum argumentum petitur ab excellentia, puritate & sanctitate doctrinæ, quam Christus, & Christiana religio cum ipso tradit. Tradit enim doctrinam excellentissimam, purissimam, sanctissimam. Excellentissimam, quia nihil de Deo docet, quod sublime non sit, Deoque dignum. Purissimam, doctrinæ namque puritas ex duobus petitur, videlicet ex veritate dogmatum, & rectitudine legum; utrumque mirificè relucet in doctrina christiana. In ea nihil est quod non sit consonum veritati, nihil quòd non sit consonum honestati, rectæque rationi. Nam licèt aliqua doceat rationem humanam superantia, aliqua, quæ ratio ipsa assequitur, in utrisque summè rationabilis est. Siquidem in his quæ ratio humana assequi potest, nulla est religio, quæ tam magnificè de Deo sentiat, quæque de ultimo fine tam verè, de mediis ad illius consecutionem tam consentaneè rationi ac virtuti, de virtutibus tam honestè, de vitiis tam purè, de operandi regulis tam rectè, deque præmiis bonorum, & vindicta scelerum tam copiosè disserat.

323 In his etiam quæ rationem superant rationabilissima est: cùm nihil tam rationabile sit, quàm fateri, quòd cùm Dei essentia, & potentia infinita sit, plura conveniant Dei essentiæ & potentiæ, quàm finita hominis ratio possit comprehendere, ipsique de se & operibus infinitæ sapientiæ, potentiæque suæ testimonium perhibenti fidem adhibere. Ut enim sapienter Hilarius: *ab ipso Deo discendum est, quod de Deo intelligenaum sit: quia nonnisi se Authore cognoscitur. Ipsi Deo de se credendum est, & iis quæ cognitioni nostræ tribuit, obtemperandum.*

324 Christiana denique doctrina sanctissima est, non solùm quia nihil docet nisi honestum, sed & quia ab omni malo, etiam leviſsimo, declinare jubet, nihilque omittit, quo sectatores suos ad vitam immaculatam, sanctam, rectamque perducat, ut constat ex evangelicis præceptis, & consiliis, quibus si Christiani omnes vitam suam, & omnes actus suos conformarent, Respublica Christiana non tam humana foret, quàm angelica, nec tam præ se ferens speciem Reipublicæ terrestris, quàm cælestis.

Tertium argumentum petitur à modo 325
propagationis Christianæ religionis & doctrinæ. Modus quippe ille divinissimus est. Neque enim sine divina virtute fieri potuit, quòd duodecim piscatores rudes & imperiti, nullâ humanâ eruditione, nec eloquentiâ instructi, nullâ vi, aut potentiâ armati, nullo freti favore Principum; imò summè adversantibus, omnemque excogitabilem carnificinam in eos exercentibus Imperatoribus, Regibus ac Tyrannis, orbem universum, in eoque ipsos Imperatores & Reges, Philosophos acutissimos, obstinatissimosque Judæos, ac Gentiles brevi tempore Christi jugo tam efficaciter subjicerent, ut non solùm idololatriæ pestem tam antiquam, tam diffusam, tamque animis hominum invisceratam, legibusque & usu firmatam, virtute Crucifixi ex toto penè mundo non solùm eliminarint; sed & toti penè humano generi persuaserint eam amplecti religionem, cujus mysteria usque adeò transcendunt captum humani intellectûs, ut sunt mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, Dei in cruce mortui, &c. cujus etiam præcepta adeò repugnantia sunt inclinationibus & concupiscentiis, ut sunt crucem jugiter ferre, inimicos diligere, benefacere his qui oderunt nos, inferentibus damna referre beneficia, non vinci à malo, sed vincere in bono malum, nihil eorum quæ in mundo sunt diligere, possessionibus renuntiare, patrem & matrem, imò & animam suam odisse, &c.

Quartum argumentum petitur ab admi- 326
randis effectibus, subsecutis promulgationem, & receptionem Christianæ religionis, Authoris ipsius sanctitatem ac perfectionem rursum evidenter demonstrantibus. Statim namque per universum mundum subsecuta est tanta morum in melius commutatio, ut innumerabiles homines, utriusque sexûs, & omnis conditionis, ducere cœperint vitam in terris angelicam, potiùs quàm humanam, ita ut Christiana religio protulerit Choros innumerabilium sanctorum, quorum heroïcas virtutes, prodigiosam austeritatem, pœnitentiam stupendam, vitamque cælestem, potiùs quàm terrestrem, ipsorum Acta, & Ecclesiæ Annales testantur. Nec hodie, inter multas spinas vitiorum, similia lilia desunt. Testeque experientiâ, illi qui etiamnùm ab Atheismo, Paganismo, vel Judaismo ad Christianismum, vel ab hæresi ad Catholicismum convertuntur, id communiter faciunt ex vitæ melioris desiderio.

Qui verò inde deficiunt, id faciunt ex desiderio vitæ liberioris.

327 Quintum argumentum petitur ab invicta constantia, nec umquam interrupta perseverantia ejusdem religionis tot inter procellas, atrocissimasque persecutiones, quibus agitata fuit. Nam licèt à mille & septingentis annis supra modum vexata, & impugnata fuerit ab ethnicis & hæreticis, inter atrocissimas persecutiones semper inconcussa, semper invicta, semper firma permansit; & licèt portæ inferi adversus ipsam furias omnes suscitaverint, prævalere non potuerunt. Denique tametsi tot sectæ, totque hæreses adversus eandem insurrexerint, nullum in ea errorem solidè probare potuerunt; ipsa econtrà omnium aliarum sectarum errores detexit, & plusquàm sexcentas hæreses debellavit.

328 Sextum argumentum petitur ab infinita propè multitudine sanctissimorum Martyrum cujusvis ordinis, sexûs, ætatis, & conditionis, qui veritatem ejusdem religionis sanguine suo testati sunt, pro eaque inaudita tormenta, mortemque durissimam, tantâ fortitudine, tantaque cum lætitia & alacritate sustinuerunt, ut irrisis Tyrannis, fatigatisque tortoribus, etiam tenerrimæ puellæ non defecerint tormenta patiendo, dum carnifices defecerunt ea inferendo. Tantus verò fuit sanctorum illorum Confessorum, seu Martyrum numerus, ut eorum undecies mille millia ex diversis Authoribus Granadus collegerit. Quorum martyria immensis prodigiis & miraculis ante, & post mortem ipsorum Deus illustravit. Et in his omnibus mira vis veritatis, palpabileque ar-
329 gumentum divinæ virtutis emicuit. Neque enim per tot & tam immanes cædes diminutus fuit Christianorum numerus; sed tantò ampliùs multiplicatus, quantò plus sanguinis Christianorum fuit effusus, ipsis etiam persecutoribus, & tortoribus divinam in eo virtutem agnoscentibus, eidemque religioni sese aggregantibus, ita ut verissimè Tertullianus Apolog. cap. ult. dicat, *sanguinem Martyrum fuisse semen Christianorum.* Et Justinus Dialog. in Triphone, *Ecclesiam crevisse persecutionibus, sicut vineæ crescunt putatione.*

330 Septimum argumentum à miraculis, multitudine innumeris, arduitate stupendis, certitudine indubitatis, perennitate perpetuis, quæ in ejusdem veritatis, seu religionis confirmationem, omnibus temporibus & locis à Christianis viris sanctissimis irreprehensibilibusque facta sunt, & quotidie fiunt; miraculis (inquam) talibus ac tantis, ut Deo Christiani cum Richardo de S. Victore l. 1. de Trin. c. 2. dicere possint: *Domine si error est, à teipso decepti sumus. Nam ista in nobis tantis signis & prodigiis sunt confirmata, & talibus quæ nonnisi per te fieri possunt.* Primò namque miracula Christi tam multa fuerunt, ut, teste Joanne Evangelistâ cap. 20. & 21. vix enarrari queant, & Evangelistæ, vitandæ prolixitatis gratiâ, sub compendio ea retulerint, dicentes quòd ex omni parte afferebantur infirmi, & curabantur, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Fuerunt etiam tam prodigiosa, ut mortuum quatriduanum suscitarit, &, tempore passionis ipsius, sol in plenilunio obscuratus fuerit, & tribus horis, toto orbe mirante, defecerit. Nec de eorum veritate dubitari potest: si enim falsa miracula Evangelistæ narrassent, ea narrassent, quæ manifestæ mendacitatis damnare Judæi, scribentibus Evangelistis adhuc superstites, non omisissent.

Miracula verò Christi discipulorum & nu- 331
merosissima, & prodigiosissima. Neque (attentis circumstantiis) impostura, vel diabolicæ illusioni tribui possunt. Nec proinde in falsæ doctrinæ, seu religionis confirmationem patrari potuerunt. Maximè cùm miraculis omnibus miraculum majus fuisset, mundum absque miraculis ad fidem tam arduam conversum fuisse. *Quid enim dici potest mirabilius* (inquit Augustinus) *quàm Romanum Imperium, totamque Gentilitatem, religionem, quam anteà impugnabant, desertis paternis ritibus, nullis visis signis, mirandisque operibus, sponte suscepisse, & in ea retinenda constantes fuisse?* Positâ autem miraculorum veritate, constat veritas religionis Christianæ: cùm Deus (cujus virtute fiunt) testimonium præbere non possit religioni falsæ.

Denique perennitatem eorumdem mira- 332
culorum testantur acta canonizationis Sanctorum, qui in Sanctorum cathalogum non referuntur, nisi de miraculis ipsorum fides certissima ex certissimis testimoniis habeatur.

A Simone quidem Mago prodigia facta, 333
& ab Antichristo facienda leguntur, sed tam parvæ durationis, & à personis tam vitiosis, & adjunctis aliis circumstantiis talibus, ut ex iis, atque ex Christi præmonitione (quoad prodigia Antichristi) facilè colligi queat, illusoria, & diabolica fuisse, & fore. Non sic miracula Christianorum, quorum pleraque solâ divinâ virtute fieri possunt, & omnia fiunt, & facta sunt ad destruendum Satanæ cultum & imperium. Si enim Christus, & discipuli ejus ea in virtute diaboli patrassent, per ea Satanæ cultum & imperium non destruxissent, nec templa etiam subvertissent, nec idola (dæmoniorum habitacula) confregissent, &c. Neque enim Satanas contra seipsum divisus est. Sed & sanctitas Christianorum illorum, qui miracula illa patrarunt, ostendit quàm alieni fuerint à societate dæmoniorum. Quod & manifestum faciunt prælia continua ipsorum contra magos, & diabolos; quos invitos, & supra modum repugnantes, Christi virtute, toties coëgerunt, & quotidie cogunt ab obsessis abire corporibus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

334 Octavum argumentum petitur ex supradictis vaticiniis tam Prophetarum sanctissimorum, quàm Sybillarum, in Gentilitate famosissimarum, à quibus non solùm Christus Christique mysteria, ut suprà, sed & Ecclesia ipsius, florentissimusque Ecclesiæ status pluribus antè sæculis prædicta, atque deinde ad litteram impleta sunt. Quæ cùm nec humano, nec diabolico spiritu prævidere potuerint; solo ergo divino spiritu, seu prophetiæ dono, ea præviderunt, juxta illud, *Annuntiate quæ ventura sunt, & sciemus quia dii estis vos.* Deus ergo per vaticinia illa testimonium reddidit veritati Christianæ religionis, uti pluribus ostendit D. Augustinus 17. Civit. 15.

335 Alia ad idem argumenta proferri possunt; sed allata sufficiunt ad sincerum veritatis amatorem convincendum. Simul enim sumpta, tam efficacia sunt, ut Christianam religionem evidenter credibilem reddant, nec divina providentia, de gloria sua, deque hominum salute curam habens, permittere possit falsam religionem tot & tam credibilibus argumentis, tantisque signis & virtutibus confirmari, quibus si homines forent decepti, deceptionem suam meritò tribuere possent Deo decipienti. Absit autem quòd tantus gloriæ suæ zelotes patiatur se jure deceptorem dici: cùm sit veritas falli, & fallere nescia. Denique, per argumenta hactenùs deducta, Christiana religio præ cæteris longè credibilissima apparebit, si illius Author, excellentia, sanctitas, propagationis modus, effectus, &c. cum aliarum sectarum Authoribus, qualitate doctrinæ ipsorum, propagationis modo, effectibus, &c. conferantur. Pro nulla enim alia secta concurrunt tam credibilia argumenta, nec ulla alia religio tam sanctam tradit doctrinam, nec talem habuit propagationis modum, tam mirabiles effectus, tantam confirmationem per miracula, vaticinia, &c.

336 Nostri quidem hæretici, Lutherus, Calvinus, &c. suos errores miraculis confirmare conati sunt; sed per impostúram, prout manifestè apparuit, & divina providentia detexit. Dum enim impostoriè voluerunt de mortuis facere vivos, de cæcis videntes, &c. de vivis econtrà fecerunt mortuos, & de videntibus cæcos. Cùmque dæmones à corporibus obsessis expellere tentaverunt, ab ipsis verbera, & subsannationes reportaverunt, uti verissimæ Historiæ testantur. Unde ipsos irridens Erasmus diatrib. de lib. arb. *Non credebatur* (inquit) *Apostolis, nisi miraculis adstruxissent fidem doctrinæ: nunc quilibet sibi postulat credi, se habere spiritum Evangelicum, licèt, ut addit, nullus vestrùm adhuc extiterit, qui vel equum claudum sanare potuerit.*

CAPUT XXVI.

Modus quo hæretici convertendi sunt ad religionem Catholicam, seu Romanam.

337 SIcut Pagani & Judæi ad Christianam religionem perducendi sunt, ipsis ostendendo, solam Christianam inter omnes religiones esse veram; sic hæretici ad religionem Catholicam, seu Romanam convertendi sunt, ipsis ostendendo solam Catholicam, seu Romano Pontifici obedientem, inter omnes religiones, quæ Christiano nomine recensentur, esse veram. Id verò ostendendum est duplici genere argumentorum, ex quibus priora demonstrant veritatem Romanæ religionis; posteriora omnium aliarum falsitatem.

CAPUT XXVII.

Romana religionis, seu Ecclesiæ veritas ostenditur, ex eo quod habeat notas veræ religionis, manifestaque signa credibilitatis.

338 DIxi religionis, seu Ecclesiæ: cùm enim Ecclesia sit Congregatio fidelium, ut S. Thomas ait 3. p. q. 8. a. 4. ad 2. ibi vera est religio, ubi vera est Ecclesia, ubi scilicet Congregatio est verè fidelium, id est hominum veram fidem, cultumque veri Dei profitentium. Si ergo Romana Ecclesia est Ecclesia vera, religio ipsius est vera.

339 Si quæras 1°. quid sit Ecclesia Romana? Respondeo esse Congregationem fidelium, veram fidem Christianam profitentium, iisdem Sacramentis participantium, unique visibili Christi in terris Vicario, Romano Pontifici obedientium. Ex qua definitione patet, quòd nec Pagani, nec Turcæ, nec Judæi sunt de Ecclesia Romana; quia fidem Christianam non profitentur; nec hæretici; quia non profitentur veram; nec schismatici, quia non obediunt Romano Pontifici.

340 Si quæras 2°. quænam sint notæ veræ religionis, seu Ecclesiæ?

Respondent quidam hæretici, veræ Ecclesiæ notam aliam non esse nisi veritatem. Sed contrà, 1°. notæ veræ religionis notiores esse debent verâ religione, id est cognitu faciliores. Veritas autem religionis notior, seu cognitu facilior non est verâ religione, ut per se patet.

341 2°. Veritas religionis est de essentia veræ religionis. Essentia autem veræ religionis per suas proprietates, seu proprias dotes discernenda est. Cùm enim essentiæ rerum per seipsas non discernantur, aliunde meliùs discerni non possunt, quàm ex earum proprie-

tatibus. Vera proinde religio ex veræ religionis proprietatibus discernenda est, dum inter partes sibi invicem contradicentes quæritur, an illa, an ista religio sit vera: si quis enim tunc respondeat, mea est vera, quia veritas ipsi competit, idem, per id quod in quæstione est, respondet. Cùm hoc ipso quo controvertitur, istane, an illa sit vera, controvertatur, istine, an illi competat veritas.

342 3°. Omnes sectæ sibi veritatem arrogant; nec tamen omnes sunt veræ, sed falsæ omnes, unâ solâ exceptâ. Igitur ex veritate, tamquam notâ, cognoscere non possumus quæ Ecclesia sit vera.

343 Et hinc rejicitur alia hæreticorum responsio, veræ Ecclesiæ notam esse veram prædicationem Evangelii, legitimam administrationem Baptismi, legitimum usum Eucharistiæ, &c. Tam enim obscurum est, ubi sit vera prædicatio Evangelii, quàm ubi sit vera Ecclesia, notamque istam sibi usurpant sectæ omnes. Nec magis notum, ubi sit legitima administratio, vel legitimus usus Sacramentorum, quàm ubi sit legitima, seu vera Ecclesia; nec ulla est secta, quæ sibi non tribuat legitimam administrationem, legitimumque usum Sacramentorum.

344 His itaque responsionibus confutatis, ad propositam quæstionem dicendum, alias fuisse notas Ecclesiæ nascentis, & nondum propagatæ, visibilem nempe Spiritûs sancti descensum, concursumque miraculorum, & prodigiorum, quibus Ecclesia nascens indigitanda fuit. Alias esse notas Ecclesiæ jam formatæ, perque terrarum orbem propagatæ. Et istæ sunt quatuor illæ, quas Concilium Constantinopolitanum primum, celebratum circa annum 380. (quo tempore veram Ecclesiam adhuc subsistisse non negant nostri temporis hæretici) assignat in Symbolo suo, dicens: *Credo unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Illæ enim sunt notæ veræ Ecclesiæ, per quas vera Ecclesia discernitur à non vera. Sed quatuor illis notis Ecclesia vera discernitur à non vera. Quia Ecclesia vera à non vera discernitur iis notis, quæ conveniunt veræ Ecclesiæ & soli. Sed quatuor illæ notæ conveniunt veræ Ecclesiæ & soli. Nulla quippe Ecclesia falsa, est una, sancta, Catholica, & Apostolica. Sola igitur vera Ecclesia est talis. Proinde scisciranti, quænam Ecclesia sit vera, quæ falsa? respondendum, Ecclesiam illam esse veram, quæ & una est, & sancta, & Catholica, & Apostolica; falsam, quæ talis non est.

345 Quòd enim vera Ecclesia sit *una*, Scriptura testatur Cant. 6. ubi Christus de Ecclesia Sponsa sua dicit: *Una est columba mea.* Joan. 6. *Fiet unum ovile, & unus Pastor.* 1. Cor. 10. *Unum corpus multi sumus.* Ephes. 4. *Unum corpus, & unus spiritus, unum baptisma, unus Deus, & Pater omnium.* Unitas autem illa est unitas fidei, & unitas Capitis, tam visibilis, quàm invisibilis, ita ut omnia membra ipsius conspirent in unam fidem, juxta illud 1. Cor. 4. *Habentes eundem spiritum fidei.* Omnia etiam uni, eidemque Capiti & Pastori unita constituant unum corpus, & unum ovile, prout audivimus ex 1. Cor. 10. & Joan. 6.

Quòd etiam vera Ecclesia sit *sancta*, constat tum ex 1. Petri 2. *vos autem gens sancta.* 346
Tum ex Symbolo Apostolorum, *sanctam Ecclesiam Catholicam*, non sanctitate membrorum omnium, eorumvè immunitate à peccato (*regnum* enim *cælorum*, id est Ecclesia præsens, virginibus fatuis & prudentibus simile esse in Evangelio perhibetur; & 1. Cor. 1. Apostolus Corinthios reprehendit, quòd in ipsis essent jurgia & contentiones, imò & peccata talia, *qualia nec inter gentes*; eorum tamen societatem, seu Ecclesiam ibidem vocat sanctam) sed sanctitate doctrinæ, pro quanto nihil docet nisi sanctum, & sanctificans animas; sanctitate etiam Sacramentorum, sacrificii & ceremoniarum, quibus Deum colit.

Quòd insuper vera Ecclesia sit *Catholica*, 347
id est universalis, & per totum terrarum orbem diffusa, audivimus in laudato Symbolo, & olim prophetatum est Psalmo 2. 18. 46. 65. 71. Isaiæ 60. & 61. Et in Apocalypsi scriptum est: *Ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, fecisti nos Deo nostro regnum.* Ecclesia proinde vera est, quæ profitetur fidem extensam, & propagatam per totum mundum, & non in aliquibus regionibus, vel regnis dumtaxat.

Denique quòd sit *Apostolica*, id est ab 348
Apostolis, sub summo angulari lapide Christo Jesu fundata, patet ex Ephes. 2. *Superædificati fundamentum Apostolorum.* Et Apoc. 21. *Murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim, nomina duodecim Apostolorum*, triplici scilicet ratione. 1°. ratione doctrinæ ab Apostolis acceptæ, quam integram & inviolatam retinet. 2°. ratione etiam continuatæ, & nunquam interruptæ successionis Sacerdotum, Episcoporum, & Pastorum suorum ab Apostolis. 3°. ratione Sedis Apostolicæ, seu Cathedræ S. Petri, cui indivulsè unitur. Siquidem Spiritus sanctus Apostolorum successores *possint Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Actor. 20.

Probatur, quòd Ecclesia Romana sit una.

JAm quòd Ecclesia Romana una sit, & 349
sancta, & Catholica, & Apostolica, probatur imprimis de unitate: quia omnes sectatores ipsius, Hispani, Galli, Itali, Germani, Europæi, Asiani, Africani, Americani habent eundem spiritum fidei, & in materia fidei conspirant, ita ut *in diversitate linguarum carnis, una sit lingua in fide cordis*, inquit Augustinus in Psal. 74. Cur ità? quia

omnes agnoſcunt unum viſibile Caput in terris, cujus judicio ac ſententiæ, in fidei quæſtionibus ſeſe ſubmittunt. Propterea Cathedra Petri, à SS. Patribus Cathedra unitatis appellatur. Ut enim Hieronymus l. 1. contra Jovinianum, *unus eligitur, ut Capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Siquidem *non aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt ſchiſmata* (ait D. Cyprianus lib. 4. epiſt. 10.) *quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur.* Igitur *qui volunt unam linguam* (proſequitur Auguſtinus loco citato) *veniant ad Eccleſiam uni viſibili Capiti ſubjectam, & coadunatam.*

350 Voluit quippe Deus reperiri in Eccleſia ſua unitatem per colligationem membrorum ſub uno ſupremo inviſibili Capite Chriſto, unoque viſibili Vicario ipſius, totum corpus regente; ne aliàs in plures partes Eccleſia ſcinderetur, fideleſque, tamquam parvuli fluctuantes, circumferrentur omni vento doctrinæ, neſcientes cui potiùs (exurgente concertatione) foret adhærendum. Unde S. Hieronymus l. 1. contra Jovinianum dicit, Pontificem Romanum Eccleſiæ Caput eſſe conſtitutum, ut ſchiſmatis tollatur occaſio.

351 Eſtque viſibile, notam hanc Eccleſiæ Romanæ competere; utpote quam quiſque videt unum tantummodò corpus componere ex multis Parochiis coalescens, ſub eodem Epiſcopatu; ex multis Epiſcopatibus, ſub eodem Archiepiſcopatu; ex multis Archiepiſcopatibus, ſub eodem Patriarchatu; ex pluribus denique Patriarchatibus, & omnibus fidelibus, ſub uno Pontifice Romano, tamquam totius Eccleſiæ Capite, à quo incipit unio membrorum totius corporis Chriſti.

Probatur, quòd Eccleſia Romana ſit ſancta.

352 VEram Eccleſiam ſanctam eſſe, ne ipſi quidem negant hæretici. Eccleſiæ verò Romanæ ſanctitas ex tribus potiſſimùm capitibus eluceſcit. Primò ex ſanctitate doctrinæ, quam profitetur; ſecundò ex ſanctitate perſonarum, quæ in ea ſemper fuerunt; tertiò ex ſanctitate Sacramentorum ipſius, rituumque ac ceremoniarum, quibus verum colit Deum.

353 Jam verò quid ſanctius doctrinâ Eccleſiæ Romanæ, tot in Conciliis Generalibus contentâ? Quid ſanctius tot definitionibus Pontificum Romanorum, circa fidem & mores? Quid ſanctius doctrinâ tot ſanctorum Patrum, qui Romana in Eccleſia floruerunt, etiam poſt tempus illud quo hæretici prætendunt veram fidem in Eccleſia Romana defeciſſe? Quòd ſi particularium aliquorum Scholaſticorum & Caſuiſtarum doctrina in aliquibus non ſit ſancta, nihil hoc derogat ſanctitati Eccleſiæ, quæ eorum opiniones non ſanctas minimè probat; ſed quotidie condemnat.

Cæterùm dum Eccleſiam Romanam ſanctam dicimus ſanctitate perſonarum, non volumus ipſam eſſe ſanctam ſanctitate omnium perſonarum in Eccleſia Romana exiſtentium (ſimile eſt enim regnum cælorum decem virginibus, quinque prudentibus, & quinque fatuis; ſimile quoque ſagenæ miſſæ in mare, ex omni genere piſcium congreganti, bonos & malos) ſed ſolùm ſanctitate plurium. Eſtque hoc certiſſimum: quia Eccleſia Romana multos protulit, & quotidie profert Sanctos, qui velut Angeli humana in carne hoſpitantes, non unâ vel alterâ virtute dumtaxat, ſed omni virtutum genere, omnique morum honeſtate Romanam Eccleſiam illuſtrant, ſemperque illuſtrarunt, velut ſidera cælum; mundo mortui, orationibus inſtantes, in vigiliis pernoctantes, corpus macerantes, crucem jugiter ferentes, in aſſidua rigidiſſimæ pœnitentiæ afflictione perſeverantes, ſupra naturæ fragilitatem, ſupra ſexûs teneritudinem, ſupra humanam conſuetudinem; ut etiamnùm videre eſt in omni ſtatu & conditione, ſed ſpecialiter in Religionibus reformatis utriuſque ſexûs, teſtanturque Acta canonizationis ipſorum, in quibus ad ultimas uſque fibras peniriſſimè examinandis, nulli parcitur diligentiæ, nihil ſine certis teſtibus admittitur. Et ne quiſquam poſſit eximiam ipſorum ſanctitatem, ſeu negare, ſeu etiam in dubium revocare; Deus illi teſtis accedit, innumeris miraculis Sanctos ſuos glorificando. Quæ miracula, ſicut & heroïca ipſorum facta, cùm non minùs certis teſtibus argumentiſque probentur, quàm ulla probetur hiſtoria humana: fides ipſis rationabiliter negari non poteſt, magis quàm omnibus humanis hiſtoriis. 354

Nec iſtis tantùm argumentis Romanæ Eccleſiæ doctrina probatur eſſe ſancta, & convertens animas; verùm inſuper ex eo quòd tot barbaras nationes ad fidem, & vitæ innocentiam convertat, uti nuper Indos, Japones, Sinenſes, &c. 355

Nec ſolùm ſancta eſt ſanctitate doctrinæ, Sanctorumque productione, ſed & ſanctitate Sacramentorum ſuorum, ſanctitate inſtrumentorum, ſanctitate etiam ſacrificii incruenti, quod in ea quotidie offertur; eſtque illa oblatio munda, quam in omni Eccleſiæ loco offerendam Michæas prophetavit cap. 1. Sanctitate denique rituum, ac ceremoniarum, quibus Deum colit: utpote quorum & quarum majeſtate nihil auguſtius, nihil ad excitandam pietatem, & profundiſſimam in Deum reverentiam accommodatius, prout experiuntur, qui vel impietatis, vel hæreticæ pravitatis præjudiciis præoccupati non ſunt, ſed dono intellectûs ac pietatis præditi. 356

Noverint igitur Lutherani & Calviniſtæ, 357

in ea nos Ecclesia esse, in qua fuerunt tot sancti Patres, tot sancti Ecclesiæ Doctores, tot sancti Martyres, tot sancti Anachoretæ, tot sancti Religiosi, etiam postremorum sæculorum, à sæculo utique XII. usque in præsens, v. g. S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Theresia, &c. qui tot & tam stupendis miraculis claruerunt, tot etiam discipulos sanctitate illustres post se habuerunt. Et veram quidem Bernardi, Dominici, & Francisci sanctitatem fatentur Lutherus l. de captiv. Babilon. c. 2. Melancton in sua Apolog. a. 5. & 27. aliique hæretici plures; nec id rationabiliter de pluribus aliis negant: quia nihil ex historiis proferunt quo solidè refellant historias, virtutes heroïcas ipsorum enarrantes, ac præsertim acta Canonizationis ipsorum, quibus nulla ipsorum miracula narrantur, quæ vera non sint, & certissimis testimoniis comprobata.

Probatur, quòd Ecclesia Romana sit Catholica.

358 ECclesiæ Catholicismus nihil aliud importat, nisi quòd ipsa vero morali sensu per universum sit orbem diffusa, juxta promissionem Christo factam à Patre: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, Psal. 2. Et hinc de hæreticorum Ecclesiis Augustinus serm. 131. de temp. dicit, quòd *ideo Catholica non dicuntur, eò quòd per loca, & per suas quæque provincias continentur.*

359 Romanam verò Ecclesiam per universum orbem vero morali sensu esse diffusam inde manifestum est, quòd in omnibus mundi partibus, Europa, Asia, Africa, America, Romanæ Ecclesiæ fides à pluribus teneatur non solùm personis particularibus, vel negotiatoribus alienigenis, sed à pluribus regionum illarum nationibus, pluribus quoque Ecclesiis, & Episcopatibus, Ecclesiæ Romanæ adhærentibus: ita ut verissimè Augustinus l. de unit. Eccles. c. 3. dicat, quòd *singulæ hæreses in multis gentibus ubi Ecclesia Catholica est, non inveniuntur; hæc autem, quæ ubique est, etiam ubi illæ sunt, invenitur*: non solùm utique in quatuor illis mundi partibus, sed & in omnibus ferè earum Regnis & Imperiis, ad quæ fidei suæ Prædicatores, & Episcopos per Romanos Pontifices mittit, usque ad ultimas ejusdem mundi oras, ad Indos Orientales & Occidentales, ad Brasilienses, ad Peruanos, ad Sinenses, ad Japones, ad Calecutanos, Mogollenses, Canadenses, Iroquenses, Æthiopes, &c. quorum plerosque Christo quotidie lucrifacit. Meritò proinde Ecclesiæ Catholicæ nomen, non solùm hodie, sed omnibus retrò sæculis obtinuit, apud ipsosmet hæreticos: ita ut verè Augustinus contra epist. Manich. c. 4. dicat, quòd *Catholicæ nomen, non sine causa, inter tam multas hæreses, sic ipsa sola* (omnium confessione) *obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Simile quid legere est apud S. Cyrillum Catechesi 18.

Denique alio adhuc titulo Ecclesia Romana est Catholica, non solùm utique à loco, verùm etiam à tempore; eò quòd utique teneat fidem, quæ & ubique creditur, & quæ à tempore Christianæ religionis semper credita fuit, uti proximè demonstrabitur. 360

Probatur, quòd Ecclesia Romana verè sit Apostolica.

PRobatur id tripliciter. Primò à continua, nec unquam interrupta successione Episcoporum, Pastorumque suorum, Romanorum utique Pontificum, à S. Petro usque ad Clementem XI. qui feliciter hodie Ecclesiam regit. Petro namque successit Linus, Lino Cletus, Cleto Clemens, & ita successivè usque ad Clementem XI. Secundò à successione doctrinæ, quam ab Apostolis accepit, acceptamque sine defectione retinuit. Semper enim secuta est doctrinam sibi à Romanis Pontificibus traditam. Eandem verò tradidit Linus, quam tradiderat Petrus; eandem Cletus, quam Linus; eandem Clemens, quam Cletus; & sic consequenter descendendo usque ad Clementem XI. qui similiter eandem tradit, quam immediatus prædecessor suus, Innocentius XII.; eandem Innocentius XII. quam Innocentius XI.; eandem Innocentius XI. quam Clemens X. & ita ascendendo usque ad S. Petrum. Nec demonstrari potest Romanus Pontifex, qui toti Ecclesiæ fidem proposuerit aliam à fide prædecessorum suorum, uti nec demonstrari potest vel unus hodiernæ Ecclesiæ Romanæ fidei articulus, quem secuti non fuerint Patres priscorum, etiam quatuor primorum sæculorum, sive qui temporibus illis vixerunt, quibus hæretici nostri fatentur, veram fidem in Ecclesia Romana subsistisse. Et priscos quidem Patres, etiam quatuor primorum illorum sæculorum, eandem secutos fidem, quam Romana hodie Ecclesia sequitur, ostendunt Gualterus in Chronico, Coccius in Thesauro, Bellarminus, & Canisius in controversiis suis, & ipsimet Centuriatores Magdeburgenses, utpote qui in singulis Centuriis cap. 4. sub finem annotant, quinam ex priscis illis Patribus nostra tenuerint dogmata, propter quæ nævos quosdam ipsis Novatores illi tribuant. 361

Tertiò, idipsum probatur à successione miraculorum Apostolicorum, quæ huc usque à viris Apostolicæ sanctitatis æmulatoribus in Ecclesia Romana visibiliter fiunt. De quibus cap. 25. pluribus agemus. 362

Non

Non mirum proinde, quòd nullos unquam alios fidei suæ authores & fundatores agnoscat, nec unquam agnoverit Ecclesia Romana, quàm Christum, & Apostolos post Christum. Nec alios assignare possunt, nec unquam potuerunt adversarii ipsius. Ipsi verò, seu alii Religionarii omnes, alios habent notos Authores, à quibus cognominantur: Simonem utique Simoniani; Marcionem Marcionistæ; Basilidem Basilidiani; Saturninum Saturniani; Valentinum Valentiniani; Sabellium Sabelliani; Arium Ariani; Nestorium Nestoriani; Eunomium Eunomiani; Macedonium Macedoniani; Eutichem Eutichiani; Wicleffum Wicleffistæ; Lutherum Lutherani; Calvinum Calvinistæ, &c. Nos à nullo homine particulari denominamur, nisi à Christo Christiani: quia alium non habemus fidei nostræ Authorem. Catholici quidem cognominamur, cumque S. Paciano in epist. ad Sempronian. dicere possumus: *Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen; sed Catholicum istud* (prosequitur Pacianus) *nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum* (addimus nos, nec Lutherum, nec Calvinum) *sonat, nec hæreticos sumit Authores.* Quòd si à Lutheranis & Calvinistis Papistæ, vel Romani, seu Romanenses vocitemur, nomina equidem ista non sunt nomina derivata ab homine aliquo particulari, velut novo Authore fidei nostræ, à quo denominemur (quemadmodùm denominantur hæretici) econtrà nomina ista testimonium perhibent antiquitati, & veritati fidei nostræ. Ideò namque Romanenses nos vocant, quia Romano Pontifici, Vicario utique Christi obedimus. Ideò verò Papistæ (qualiter tamen non cognominamur, nisi in paucis regionibus, in quibus Lutherani, Calvinistæ, & similes grassantur; non enim in Græcia, Asia, Africa, America) quia Papæ adhæremus tamquam visibili post Christum Ecclesiæ Capiti; qualis etiam fuit S. Petrus, ac deinde ipsius Romana in Cathedra successores.

363 Valdè fortia sunt ad convincendos hæreticos argumenta, ex quatuor prædictis veræ Ecclesiæ propriis dotibus, seu notis petita; sed cæteris fortius est, quod ex ipsius Apostolicismo petitur, sive ab Ecclesiæ Romanæ descensu ab Apostolis per continuam successionem. Ideò vim illius multis subtilitatibus hæretici conantur eludere, sed ad id nihil solidi adferunt. Quia illud nos eo modo, eodemque sensu contra modernos hæreticos urgemus, quo prisci Patres, etiam priorum quatuor sæculorum, contra sui temporis hæreticos illud urserunt; eodem (inquam) modo Romanam Ecclesiam hodiernam demonstramus esse Apostolicam, adeòque legitimam & veram, quo sui temporis Ecclesiam Romanam Apostolicam esse, ipsi demonstrarunt; nec istius Apostolicismi argumentum adferri potest certius eo, quo prisci illi Patres usi sunt ad eundem Apostolicismum demonstrandum.

Porrò ad demonstrandum veræ Ecclesiæ 364
Apostolicismum, Romanos enumeraverunt Pontifices, qui à S. Petro usque ad sua tempora in Cathedra S. Petri sederunt, & inde concluserunt, in ea se Ecclesia esse, quæ à Christo, & post Christum ab Apostolis fundata fuit, cùm in illa essent Ecclesia, cujus Caput per continuam successionem à S. Petro (primo Christi Vicario) descendebat. Sic argumentatus est S. Irenæus (qui floruit circa annum 180.) l. 3. contra hæreses c. 3. ubi enumerat undecim Romanos Pontifices, qui successivè præcesserant Eleutherum Papam, qui tunc in Petri Cathedra sedebat; tantique facit argumentum istud, ut dicat, per illud *confundi omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquàm quod oportet colligunt.* Idem argumentum paucis post annis, circa annum utique 200. ursit Tertullianus l. de præscript. c. 32. sicut & S. Hieronymus epist. 57. necnon Dialogo contra Luciferian. Epiphanius hæresi 27. Augustinus l. 28. contra Faust. c. 2. & 4. Optatus Milevitanus (qui floruit circa annum 365.) lib. 2. contra Parmen. Ubi & ipse omnes recenset Pontifices Romanos à S. Petro, usque ad Syricium, qui tempore ipsius Romæ sedebat, concluditque, Donatistas in vera Ecclesia esse non posse; quippe qui à Catholica Ecclesia excluſi, talem successionem proferre non poterant: *Vestræ* (inquit) *Cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* Quid verò Tertullianus? *Edant* (inquit) *hæretici origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordines Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis Viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, Authorem habuerit, vel antecessorem.* Quicumque enim hoc ostendere non possunt, ostendere non possunt se legitimè à Deo vocatos & missos; se proinde legitimos esse veræ Ecclesiæ Ministros. Soli verò veræ Ecclesiæ Ministri, per continuam successionem ordinis & Jurisdictionis ab Apostolis descendentes, vel à descendentibus delegati, sunt legitimi veræ Ecclesiæ Ministri. Alii omnes intrusi sunt, spurii & falsi Ministri, de numero eorum, de quibus Hieremiæ 13. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant.* Et Joan. 10. *Qui non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Omnes quotquot venerunt,* sine dicta utique missione, *fures sunt & latrones.* Quos ut ad veram Ecclesiam suaviter revocaret Augustinus in Psalmo contra partem Donati sic loquitur: *Venite fratres, si vultis ut inseramini in vite. Dolor est cùm vos videmus præcisos jacere. Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, & in illo ordine Pa-*

trum quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.

365 Pro solutione argumenti, ex continua Romanorum Pontificum successione petiti, quod, cum priscis Patribus, eâdem quâ ipsi vi, & eodem modo proposuimus, vim proinde tam habet contra modernos, quàm contra priscos hæreticos, unum ipsi reponunt, quod licèt Ecclesia Romana descendat ab Apostolis per continuam successionem Romanorum Pontificum, non perseveraverit in fide ab Apostolis accepta, sed ab ea defecerit; ideòque Apostolica dici non possit.

Sed solutio prorsus est nulla. Tum quia nemo non videt per eam argumentum nostrum non enervari, vel enervari argumentum illud Patrum antiquissimorum, cui illud ipsum antiqui hæretici reponere potuissent, quod Calvinistæ reponunt & Lutherani. Tum quia Ecclesia vera deficere non potest, ut proximè demonstrabitur. Si ergo Romana Ecclesia, quæ ab Apostolis per continuam Romanorum Pontificum successionem, usque ad quintum sæculum v. g. vera fuit, verèque Apostolica; idque prisci illi Patres argumento ex illa successione petito benè probaverint; eodem & nos benè probamus, eandem Romanam Ecclesiam usque ad præsens sæculum Apostolicam perseverare, veramque proinde esse, nec defeciisse.

CAPUT XXVIII.

Romanæ Ecclesiæ, seu religionis veritatem amplius demonstrant antiquitas ipsius, indefectibilitas, seu duratio indeficiens, & gloria miraculorum.

366 Miraculorum gloriam pro certo & indubitato veræ Ecclesiæ signo Veritas ipsa proposuit Matth. 11. *Cæci vident, claudi ambulant*, &c. Et Marci 16. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient*, &c. Eandem esse necessariam ad probandam Ecclesiæ, seu religionis, vel etiam extraordinariæ missionis veritatem, ex sacris habemus testimoniis. Siquidem Exodi 4. ad probandam missionem Moysis ad Israëlitas, cùm Moyses Deo dixisset: *Non credent mihi, neque audient vocem meam*; Deus ipsi dedit miraculorum potestatem, *ut credant* (inquit) *quòd apparuerit tibi Dominus.* Cùmque Matth. 10. Salvator misisset Apostolos ad prædicandum, potestatem miraculorum ipsis pariter concessit: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite, ut sint inexcusabiles, qui non crediderint.* Quia, ut Joan. 15. ait: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

367 Ad demonstrandam ergo veritatem fidei ab Apostolis, & Apostolicis viris prædicatæ initio Ecclesiæ, miracula ab ipsis tam crebra facta sunt, tamquam veritatis illius signa. Cùm enim solâ Dei virtute miracula vera fieri queant, fides miraculorum signo demonstrata, ipsomet Dei (qui Veritas est) testimonio demonstratur.

Et hinc Romanam Ecclesiam esse veram, 368
veræque fidei depositariam, hoc syllogismo demonstratur. Ecclesia illa vera est, veræque fidei depositaria, in qua est gloria miraculorum. Hæc autem est, semperque fuit in Ecclesia Romana, uti constat ex dictis num. 330. & seqq. Igitur Ecclesia Romana est vera, veræque fidei depositaria.

Nec refert quòd pleraque miracula, quæ 369
in ea fiunt, directè fiant ad demonstrandam sanctitatem, & gloriam Sanctorum: cùm eo ipso indirectè fiant ad demonstrandam veritatem fidei & Ecclesiæ, in qua vivunt, vel vixerunt Sancti illi: utpote quos Deus ideò per miracula illa glorificat, quia per ea verè Sanctos esse demonstrat. Non essent autem verè Sancti, amicique Dei, sine vera fide. Quia *justus ex fide vivit.* Et, *sine fide impossibile est placere Deo.*

Eandem veritatem insuper demonstrat 370
Ecclesiæ Romanæ antiquitas: siquidem (Augustino teste) *antiqua est veritas, novitium, & temporale mendacium.* Atque, ut Nazianzenus ait orat. 10. *veritas non tantùm persuadetur ratione, sed etiam amplificatur antiquitate, à qua præscribendi quasi vim habet.* Atqui Ecclesia Romana tam antiqua est, ut à Christo, & Apostolis sit fundata (uti demonstratum est capite præcedenti) ipsis proinde coæva. Igitur est Ecclesia vera, omnique Ecclesiæ seu religioni postmodùm natæ reponere potest cum Tertulliano l. 5. de præscript. *Qui estis vos? unde, & quando venistis? ubi tamdiu latuistis?* Cumque Hieronymo epist. ad Pammach. & Ocean. *Quisquis assertor es novorum dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore prædicata est. Cur post 400. annos* (Lutheranis, & Calvinianis jam dicere possumus post 1700.) *docere nos niteris quod antè nescivimus? usque in hanc diem sine vestra ista doctrina mundus Christianus fuit.* Lutherani proinde, & Calviniani (prout idem Hieronymus ait in l. contra Luciferian.) *ex hoc ipso quòd posteriùs instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiavit: In novissimis diebus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris.* 1. Timoth. 4. De quibus etiam Salvator Matth. 24. *Surgent pseudoprophetæ*, non custodientes utique depositum, de quo idem Apostolus 1. Timoth. 6. *O Timothee depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates.* Depositum illud Romana custodit Ecclesia, utpote eam fidem, doctrinamque tradens, quam à Christo & Apostolis accepit, uti antè probavimus, ex eo quòd fidem suam à Petro primo Episcopo suo acceperit.

rit. Quam Romanæ Ecclesiæ fidem idem rursum Apostolus Rom. 1. commendat dicens: *Gratias agò Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.*

371 Hanc porrò fidem Ecclesia Romana inviolatam, absque ulla defectione, usque in præsens servavit. Atque hinc novum sumitur argumentum veritatis ipsius. Vera quippe Christi Ecclesia nunquam deficit. A Christo namque, & Apostolis constituta, usque ad finem mundi indeficiens permanebit. Ad id namque significandum Danielis 9. vocatur regnum *quod in æternum non dissipabitur.* Et Christus ipse Marci 16. dixit: *portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et Gamaliel Act. 5. *Si est ex hominibus consilium istud, dissolvetur; si verò ex Deo est* (uti reverà est) *non poteritis dissolvere illud.* De hæreticis Apostolus econtrà dicit, quòd *ultrà non proficient.* 2. Timoth. 3. Et D. Cyprianus lib. 4. epist. 2. ait schismaticos *semper inter initia fervere, incrementa verò habere non posse, sed statim cum prava sua æmulatione deficere.* Et idipsum comprobat experientia in tot hæresibus, quæ ante Lutheri tempora fuerunt, jamque defecerunt. Ex iis 200. numerantur, ex quibus non supersunt nisi exiguæ reliquiæ Nestorianorum, Eutychianorum in Oriente, Arianorum in Transylvania, & Hussitarum in Bohemia. Reliquæ perierunt.

372 Romana verò Ecclesia à tempore Christi usque ad hanc diem indeficiens perseverat. A Judæis primò impugnata; deinde à Paganis; postremò ab hæreticis; non solùm non defecit, sed ex persecutionibus crevit. Et quamvis nostrates hæretici cavillentur Ecclesiam Romanam, quæ modò est, non esse illam, quæ à Christo & Apostolo Petro fundata est; quia tamen ipsimet fatentur, Ecclesiam Romanam olim fuisse veram Christi Ecclesiam, ab Apostolo Roman. 1. ob fidei integritatem eximiè laudatam: quin etiam pro ipsa habemus testimonia sanctorum Patrum, primorum sæculorum, qui ipsam eximiè commendant, tamquam fidei magistram, tamquam salutis portum, tamquam discernendorum errorum lapidem Lydium: si ea quæ modò est, illa non sit quæ olim fuit, jure quærimus ab ipsis, quis eam primus corruperit? & quo sæculo, quo anno fidem, quæ Paulo attestante in universo mundo annuntiabatur, Roma perdiderit? Quo (inquam) sæculo, quo anno tenere & docere cœperit dogma aliquod novum, pristinæ fidei contrarium? Quis isti innovationi, seu mutationi primitùs sese opposuerit?

373 Si enim Romana Ecclesia, cæterarum Mater & Caput, de fideli infidelis, & de magistra veritatis facta est discipula erroris, mutatio ista insignis fuit, & valdè visibilis. In omni verò insigni, & valdè visibili mutatione, sex sequentia demonstrari possunt, ut optimè ostendit Bellarminus to. 1. p. 2. l. 4. c. 5. nempe 1°. Author ejus. 2°. dogma aliquod novum. 3°. tempus quo cœpit. 4°. locus ubi cœpit. 5°. quis dogma illud, seu innovationem impugnaverit. 6°. separatio ab Ecclesia majore. Hæc quippe omnia non solùm demonstrantur de qualibet hæresi, v. g. Ariana, Nestoriana, Lutherana, Calviniana, &c. (prout apud eundem Bellarminum videre est) sed & de ipsa Christi Ecclesia (licèt non omninò nova, & solùm mutata quoad statum ab ipsismet Prophetis veteris Ecclesiæ prædictum) siquidem 1°. scimus Authorem ipsius esse Christum. 2°. ab ipso prædicatum Evangelium, & instituta nova Sacramenta. 3°. prædicationem ipsius cœpisse anno 15. imperii Tiberii Cæsaris. 4°. cœpisse in Judæa. 5°. hanc religionem mox oppugnatam fuisse à Scribis & Pharisæis, ac deinde à Gentilibus. 6°. Christi Ecclesiam separatam fuisse à Synagoga Judæorum, qui in principio longè numerosiores erant discipulis Christi.

At nihil horum demonstrari potest de illa Romanæ Ecclesiæ mutatione ab hæreticis conficta. Non 1°. Author, utpote quem nunquam designare potuerunt. Non 2°. novum dogma ipsius: quodcumque enim hæretici assignaverint, ostendemus non esse novum, sed traditum à priscis Patribus, qui primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, quorum authoritate probamus quæcumque Romana Ecclesia modò docet, semperque docuit; idque Centuriatores Magdeburgenses fatentur, dum in singulis Centuriis cap. 4. aliquos ex dictis Patribus annotant, qui eadem dogmata tenuerunt. Non 3°. certum tempus, & locum Romanæ defectionis. Nam licèt hæretici clament, eam cœpisse post primos quingentos annos, nunquam designare potuerunt certum tempus illius, totique mundo notissimum est, post illud tempus Gregorium Magnum floruisse, cum eoque totum Orientem & Occidentem communicasse, sicut & cum sequentibus Romanis Pontificibus, quorum Legati præsederunt in Conciliis, etiam Orientis, scilicet in VI. VII. & VIII. Synodo Generali. 374

Denique nullo modo ostendi potest, quòd Ecclesia Romana post primos quingentos annos separaverit se ab alia Ecclesia majore, nec demonstrari quòd aliquis SS. Patrum oppugnaverit aliquod dogma ipsius tamquam aliquid innovans in materia fidei, vel quòd contra innovationem ipsius fuerit aliquod legitimum Concilium congregatum. Incredibile verò est, quòd si nova dogmata Roma cuderit, novaque Sacramenta instituerit, innovationem istam factam nullo SS. Patrum opponente, nullo legitimo Concilio contradicente, sed toto terrarum orbe velut in profundo lethargo obmutescente: cùm adversus omnem aliam fidei 375

mutationem SS. Patres ſtatim inſurrexerint, Concilia coacta fuerint, Catholicique tandem omnes naſcentem hæreſim rejecerint. Contra defectionem verò Eccleſiæ Romanæ nullus Sanctorum inſurrexit, nullum Concilium legitimum coactum fuit. Nam Conſtantinopolitanum ſub Copronymo damnans cultum imaginum, nec legitimum Concilium fuit, nec legitimum Patriarcham habuit, nec damnavit cultum novum, ſed antiquum, & in tota Eccleſia, etiam primis quinque ſæculis receptum, ut videre eſt apud Bellarminum ibidem controv. 5. l. 2. c. 12. Quapropter Concilium iſtud à tota Eccleſia rejectum fuit, eoque non obſtante uſus antiquus tam in Oriente, quàm in Occidente permanſit Decreto VII. Synodi Generalis anno 783. confirmatus. In ea quippe Synodo palàm lectæ ſunt ſanctorum Eccleſiæ Doctorum graviſſimæ ſententiæ, & exempla, quibus religioſa imaginum veneratio aſſeritur tamquam à ſanctiſſimis Patribus tradita, jam inde ab exordio Eccleſiæ, continuoque Chriſtianorum ſæculorum uſu recepta, plurimiſque confirmata miraculis. Quapropter 350. Patrum ſuffragiis ſancitum eſt, ut in Eccleſiis, aliiſque honeſtis locis, Chriſti, Sanctorumque imagines collocentur, ut in ſuis imaginibus Sancti debitâ ſibi veneratione colantur: illaque Copronymi pſeudo-ſynodus omnium conſenſu damnata fuit, ejuſque vanæ rationes veriſſimis aliis everſæ.

CAPUT XXIX.

Nulla religio, niſi Romana, manifeſta habet indicia credibilitatis; imò omnis alia religio manifeſta habet incredibilitatis argumenta. Quod imprimis oſtenditur de Paganiſmo, Mahometiſmo, & Judaiſmo.

375 PRobatur 1°. de Paganiſmo plures deos colente, quia polytheiſmus evidenter repugnat rationi, prout demonſtravi tom. 1. de Deo. Eos etiam pro diis Pagani colunt, quos conſtat fuiſſe homines ſceleratiſſimos, ut Jovem, Venerem, Martem, &c. quorum patriam, parentes ſceleratos, mortem hiſtoriæ produnt. Unde Paganiſmi abſurditatem ac turpitudinem oſtendunt D. Cyprianus in tract. *quòd idola non ſint.* D. Auguſtinus l. 7. de Civit. Dei per totum. Arnobius l. 4. 5. 6. & 7. contra Gentes. Minutius Fœlix in octavio. Ipſimet etiam Philoſophi Paganorum ex dictis tom. 1. hujus Theologiæ Sanctorum craſſiſſimè errarunt circa Dei providentiam, finem ultimum hominis, &c. ſicut & Legiſlatores ipſorum infandiſſima permiſerunt, ut videre eſt apud Theodoretum in lib. de legibus.

376 2°. idipſum probatur de Mahometiſmo: utpote qui aliud non eſt, niſi colluvies errorum, & ſpurcitiarum, ut videre eſt in Alcorano. Ubi c. 2. Mahometes docet Judæos, Chriſtianos, Turcas ſalvari in ſuis legibus, ſi eas ſervent. Cap. 5. 28. 47. 48. futuræ vitæ beatitudinem ponit in cibo, potu, & uxorum multitudine. Nullâ unquam factâ mentione divini amoris, vel aliarum actionum ſpiritualium, cap. 45. ſtultiſſimè dicit, Deum orare pro Mahometo, & aliis ejuſmodi abſurditatibus implevit Alcoranum ſuum homo ſpurciſſimus, qui ad colorandas ſpurcitias ſuas, finxit ſe à Deo privilegium accepiſſe coëundi cum omnibus feminis, quas dilexiſſet, tametſi conſanguineis. Denique ſectam ſuam nebulo ille non vitæ ſanctimoniâ, non doctrinæ ſplendore, non ſignis & virtutibus, imò nec ratione quidem (cùm ideò litterarum ſtudia prohibeat, ſoliſque gladiis religionem ſuam velit defendi: quia ſcivit ratione defendi non poſſe) ſed laſciviis, & armorum violentiâ, Tyrannorum more propagavit. Nec mirum, quòd tam multos homines ad ſe traxit: homini enim laſcivias permittenti, legemque brutalem promulganti, pronum eſt à carnalibus hominibus obediri, Deo id totum permittente, tum ad ipſorum, tum ad malorum Chriſtianorum caſtigationem.

3°. idipſum de Judaiſmo evincunt cla- 377
riſſimæ prophetiæ ab ipſis receptæ, quas Theologi noſtri in materia de Incarnatione demonſtrant in Chriſto adimpletas eſſe, atque adeò Meſſiam veniſſe, quem tamen adhuc venturum Judæi expectant. Sed & Talmud ipſorum, poſt Chriſti adventum conſcriptus, quem habent pro verbo Dei non ſcripto, innumeris ſcatet erroribus, ut videre eſt apud Sixtum Senenſem l. 2. Biblioth. ſanctæ.

CAPUT XXX.

Idem oſtenditur de Lutheraniſmo, Calviniſmo, &c.

1°. QUia ſectæ illæ nullum habent ſi- 378
gnum ſeu notam veræ Eccleſiæ. Neque ſecta Lutherana v. g. vel Calviniana eſt una, neque ſancta, neque Catholica, neque Apoſtolica. Neque clarificata eſt gloriâ miraculorum, &c.

Imprimis non eſt una: quia nec Lutherani omnes inter ſe, nec Calviniani conſpirant in unam fidei doctrinam, ſicut conſpirant Catholici; ſed tanta inter ipſos eſt diſcordia, atque in materia fidei contradictio, ut Lutheraniſmus, ſicut & Calviniſmus, in infinitas propemodùm ſectas ſubdiviſus ſit, adeò ut veriſſimè Becanus lib. 1. controv. cap. 1. q. 2. dicat, Catholicos, & adverſarios repræſentare duas familias, in quarum altera (nempe Catholicorum) pater & mater, filii & filiæ, ſervi & ancillæ, eodem loquuntur idiomate, & ſin-

guli singulos probè intelligunt. In altera verò (nempe hæreticorum) tot idiomata sunt quot capita, ubi pater Gallicè, mater Hispanicè, filii Latinè, filiæ Belgicè, servi Italicè, ancillæ Polonicè loquuntur, ubi nulla concordia, sed perpetuum jurgium & contentio est. Imò vix est, aut fuit hæreticus, qui totâ vitâ idem planè crediderit. Lutherus, Calvinus, &c. eadem asseruerunt, & negarunt, ut eorum scripta demonstrant. Augustana confessio duodecies mutata fuit ab anno 1530. ad 1557. quæ, ut principio defectionis suæ tempori deserviens, multa concessit Papæ, quæ postmodùm pro blasphemiis & abominationibus habuit, ut ipsemet Lutherus fatetur to. 1. Wittembergensi anni 1582. præfat. ad lector. Ministri quoque Argentinenses libro edito anno 1553. ingenuè fatentur, Lutherum, pro ratione temporis, variè locutum, neque semper sibi præsentem fuisse: neque enim impostor ille veritati serviebat, aut conscientiæ, sed tempori, politicæque rationi. Unde in epistola ad Bohemos, ipsos, tametsi Sacramentarios, pro amicis & fratribus habet; quos tamen alias ut hæreticos damnavit to. 2. German. fol. 174. & to. 7. Wittemberg. fol. 382. ubi sic: *Maledicta sit charitas & concordia Sacramentariorum in æternum.*

379 Similiter Zuinglius, Sacramentariorum Princeps, Calvinique præceptor, in materia fidei, quod antè tenuit, postmodùm retractavit, ut ipsemet fatetur in tract. de ver. & falsi religione cap. de Eucharist. ubi sic: *Retractamus hic quæ illic dedimus, tali lege, ut quæ hîc damus anno ætatis nostræ 42. præponderent iis quæ 40. dederamus.* De quo etiam Joan. Faber in libro de retractatione Baltazaris Pacimontani, testatur, quòd suam de verbis Christi, *hoc est Corpus meum*, expositionem spatio trium annorum quadragesies mutarit.

380 Calvinus, initio Zuinglii præceptoris sui placitum secutus, in sacro illo mysterio nihil nisi figuram agnovit. Posteà tamen excogitatâ opinione novâ, duo conjunxit sibi invicem contradicentia: negatâ quippe reali præsentiâ Christi sub sacris symbolis, nihilominùs asseruit Christum, quatenùs in cælo dumtaxat residentem, verè, realiter, & substantialiter à nobis in cœna manducari, manducatumque verè & realiter nobis uniri. Quam ob causam, cùm inter ipsum & Tigurinos dissensio foret exorta, librum scripsit de suo cum Tigurinis hac de re consensu.

381 Beza quoque, primarius Calvini discipulus, de Calvinistis suis epist. 1. ad Andream Duditium, conqueritur, ipsos *palantes omni doctrinæ vento ..... modò ad hanc, modò ad illam partem deferri. Horum quæ sit hodie de religione sententia, scire fortasse possis; sed quæ cras de eadem futura sit opinio, ne-*

que tu certò affirmare queas. A capite ad calcem si percurras, nihil propemodùm reperias ab uno affirmari, quod alter statim non impium esse clamitet. In quo tandem religionis capite congruunt inter se Ecclesiæ, quæ Romano Pontifici bellum indixerunt? Idem de discipulis suis Lutherus affirmat in epist. ad Antuerpienses: *Tot inter nos religiones sunt, quot homines, nec asinorum quisquam est tam hebes, & vecors, qui insomnia proprii capitis, & propriam opinionem pro instinctu Spiritus sancti, & seipsum Prophetam haberi nolit.* Quid mirum? à Cathedra Unitatis segregati, nec aliam sequentes fidei regulam, quàm privatum spiritum suum, qui varius est, pro varietate hominum, constituere non possunt Hierusalem civitatem consensionis & pacis, sed Babylonem confusionis.

2°. Nec Lutherana, nec Calviniana sec- 382
ta sancta est, ne quidem sanctitate doctrinæ; imò in multis prorsus est impia, blasphema, atque in Deum, & Christum ejus, necnon in Dei majestatem adeò contumeliosa, ut horrorem injiciat Christiano cuicumque, animum à Deo non prorsus aversum habenti. Nam utriusque sectæ parentes Lutherus & Calvinus, Deum scelerum omnium quæ in mundo fiunt, primum motorem, impulsorem, authorem faciunt, ut ex ipsorum dogmatibus demonstrat Franciscus le Roy exercitat. Theologic. adversus hæreses ævi præsentis p. 2. c. 1. Qui & cap. 4. demonstrat, Calvinum docere, Deum nudo suæ voluntatis arbitrio, magnam hominum partem ad æternam mortem prædestinasse, & creasse; eumque in finem eos ad peccandum impellere, atque cogere. Cap. 8. Lutheri pronuntiatum esse, quòd Deus indignos coronat, immeritos damnat. Cap. 9. Calvinum non rectè sentire de Filio Dei, & ex consequenti SS. Trinitatis mysterium subruere. Cap. 10. eundem Arianæ perfidiæ favere. Cap. 11. Lutherum, & assecias perversè de mysterio SS. Trinitatis sensisse. Cap. 12. & 13. tantam fuisse Lutheri impietatem, ut dixerit, oportere Deum supra modum odisse, aliumque ab eo diversum pro Deo suo agnoverit; & usque adeò insanierit, ut in colloq. mensalib. edit. Isleb. fol. 35. dicere non erubuerit: *Non semel Domino Deo nostro aliquot egregios articulos porrexi, & exhibui, eumque docere volui; sed optimus ille, ac bona frugis Deus bellè mihi cultum suum obvertit conspiciendum.* Cap. 16. Lutheri, & Calvini dogma fuisse, quòd præcepta Dei observatu impossibilia sint. Cap. 19. Lutheri quoque & Andreæ Musculi dogma fuisse, quòd divinitas in Christo passa, eique commortua fuerit. Cap. 20. Lutherum hanc impudentem orandi formulam tradidisse: *Domine Deus rogo, utque annuas volo: alioqui neque te oro, neque oratum volo.* Satanam verò ab eodem Luthero sic exoratum fuisse: *San-*

cle ſatan, ora pro nobis. *Minimè contra te peccavimus, clementiſſime diabole.* Cap. 22. Lutherum docuiſſe, quòd *Chriſtus Dominus homo vilis, nec magni pretii Salvator fuerit, imò ipſe quoque Salvatore opus habuerit.* Item, *non eſſe hominibus opera Chriſti inculcanda, Chriſti enim opera minimam, & viliſſimam particulam in Chriſto; eaque in re Chriſtum cæteris Sanctis parem eſſe.* Cap. 23. item docuiſſe, *Chriſtum Dominum verè peccatorem, immò præ cæteris ſummè peccatorem extitiſſe.* Cap. 24. ex communi Sectariorum ſenſu, Chriſtum, non tantùm in infantia, ſed & in perfecta ætate, multiplici ignorantiâ laboraſſe. Cap. 26. Chriſtum Dominum in monte Oliveti adhuc neſciviſſe quid eſſet Evangelium, ideòque neceſſe habuiſſe, ut Angelus de cælo Evangelium ipſum doceret. Cap. 25. Calvinum uſque adeò inſolentem fuiſſe in Salvatoris dicta & geſta in Evangelio expreſſa, ut tamquam abſurda reprehendere auſus fuerit, & dicere, quòd Chriſtus, quantùm in ſe erat, Mediatoris officio defungi renuerit. Cap. 31. & 32. alteram ejuſdem blaſphemiam demonſtrat, quâ dixit, Chriſtum in cruce deſperaſſe, in ſuoque ad inferos deſcenſu damnati aut perditi hominis cruciatus pertuliſſe. Siquidem, ut Beza apud eundem eodem capite 32. addit, flammis inferni addictus fuit, & (ut Joannes Andreas Lutheranus ſuperaddit) ipſam etiam mortem æternam expertus eſt, & deguſtavit. Cap. 33. Lutherum appellaſſe Chriſtum diabolum ſuum. Cap. 34. in ipſam quoque Dei Matrem adeò blaſphemum extitiſſe, ut ſe ipſi parem fecerit in honore & dignitate, imò & in ſanctitate; ipſam verò uſque adeò peccatricem, ut in Evangelium Dominicæ 1. poſt Epiphan. impiiſſimè quærat: *Quis inter homines major peccator, quàm hæc ipſa Mater Dei?* Similiter Calvinus harmon. in cap. 1. Lucæ Deiparam accuſat, quòd Dei potentiam malignè reſtringere viſa ſit, dum Angelo dixit: *Quomodò fiet iſtud*, &c. addens, non eſſe magnoperè laborandum, ut eam purgemus ab omni vitio. Similiter ipſam peccati arguit ad illa verba Luc. 2. *Fili quid feciſti nobis ſic?* Et ad illa verba Joan. 2. *Vinum non habent.* Nec his contenti diſcipuli ipſius, Petrus Martyr, Molinæus, &c. veriti non ſunt cum Joviniano dicere, Deiparam in partu Redemptoris virginitatem amiſiſſe, contra illud Iſa. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.*

383 Si Lutheranæ, Calvinianæ, &c. ſectæ Authores, ac Principes tam impiè ſenſerunt de Deo, Chriſto, & Chriſtipara; non mirum ſi & ipſorum de moribus doctrina adeò perverſa ſit, adeò contraria doctrinæ Chriſti, adeò morum noſtrorum ſanctitati adverſa. Nam dum uterque docet, hominem non habere liberum arbitrium; Dei præcepta eſſe obſervatu impoſſibilia; ſolam fidem ſufficere ad ſalutem; ſuperſtitioſum eſſe membra ſua mortificare ſuper terram: viam pronam & latam aperiunt ad omnem vitæ licentiam, improbitatem, & ad omnia ſcelera perpetranda, ac deinde excuſanda, tamquam Deo Authore, & neceſſitante, commiſſa. Nec ad ſcelera omnia patranda dumtaxat viam aperiunt, ſed & ea inculcant, & ad ea provocant, utpote non impeditiva ſalutis; & à bonis operibus avertunt, tamquam ſuperſtitioſis & vanis, dum ſolam fidem uſque adeò volunt ſufficere ad ſalutem, ut fidelis quiſque, licèt omnes excogitabiles abominationes committat, in iiſque impœnitens moriatur, ab ipſo jubeatur de ſalute ſua æquè certus eſſe, ac Chriſtus ipſe, vel ſanctiſſima Mater ipſius.

Hinc Lutherus ſerm. de novo Teſtamento, ſive de Miſſa, auſus eſt dicere, ampliùs cavendum ab operibus bonis, quàm à peccatis: *Caveamus à peccatis, ſed maximè ab operibus bonis, & legibus, ſolamque promiſſionem Dei attendamus, & fidem: ipſa enim brevis eſt perfectio, nec aliqua lex requiritur, aut opus, imò legem proſcindit & opus.* Serm. de piſcatura Petri: *Quantò ſceleratior es, tantò citiùs Deus ſuam gratiam infundit.* Epiſt. 238. ad Melanchthon. *Eſto peccator, & pecca fortiter. Sufficit enim quòd agnovimus per divitias gloriæ Dei Agnum qui tollit peccata mundi: ab hoc enim nos non avellit peccatum, etiamſi millies uno die fornicemur, aut occidamus.* Commentario in cap. 17. Joan. to. 4. Germ. Wittemb. *Nos dicimus, quòd veri & germani Sancti debeant eſſe fortibus, & gravibus peccatis obnoxii, & tales etiam manere*, &c.

Hinc etiam tantâ impietate legem vete- 384
rem, ejuſque latorem Moyſen damnavit, ipſaque Dei præcepta, ſeu Decalogum abolere conatus, ſerm. de Moyſe dixit, *præcepta Decalogi ad Chriſtianos non pertinere.* Et in colloquiis Iſlebienſibus, tit. de fanaticis: *Tollantur de medio præcepta Dei, & ceſſabunt omnes hæreſes: nam præcepta ſunt fons, ex quo, velut ex ſcaturigine, hæreſes omnes emanant.* In colloquiis menſalibus German. cap. de lege, & Evangelio: *Moyſen cum ſua lege nolo ego habere. Eſt enim Chriſti Domini hoſtis.* Item: *Suſpectus tibi ſit Moyſes, tamquam peſſimus hæreticus, pejor ipſo Papâ, & diabolo, &c.* Nec mirum quòd tam contumelioſus fuerit Moyſi, qui ex præmiſſis non pepercit ipſimet Salvatori; nec contentus legem Moſaïcam, quantùm in ſe eſt, abrogare, Evangelicam etiam Chriſti legem abrogare conatus eſt, libro de votis Monaſticis, ubi ait, Catholicos ignorare quid ſit Evangelium, dum præcepta, & conſilia ex ipſo faciunt. Unde in argumento epiſt. ad Galat. *Summa ars* (inquit) *& ſapientia Chriſtiana eſt neſcire legem, ignorare opera, & totam juſtitiam activam.* Et cap. 2. ejuſdem epiſt. *Sola fides Chriſti neceſſaria eſt, ut juſti*

simus; cætera omnia liberrima sunt, neque præcepta, neque prohibita. Item: *Quando sic docetur, fides justificat quidem, sed simul oportet servare mandata Dei; quia scriptum est:* „ Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: *ibi statim Christus negatus est.* Et to. 3. Latino Wittemberg. fol. 171. *Hæc tibi norma & regula esto, quam in Scripturis sacris intelligendis sequaris: ubicumque jubet Scriptura bona opera facere; tu sic intellige, quòd Scriptura prohibeat bona opera facere.*

385 Quid de his Calvinus cum asseclis suis? magisne parcit Evangelio? reipsà non magis. Ille quippe ipse, qui Evangelium, Evangeliique puritatem tam frequenter buccinat, necessitatem bonorum operum, & observantiæ mandatorum contra Evangelium, in ironiam vertit, dum ad verba Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, respondet id à Christo ironicè dictum, quasi deridente adolescentem ab ipso quærentem, quid facere deberet ad consequendam vitam æternam. Quod si ita est, sequentia ergo Christi ad eundem verba, *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me*, fuerint ironicè à Christo prolata. Et idem est de toties iterata Salvatoris in Evangelio ad sui sequelam, abdicatis omnibus, invitatione, cæterisque proinde consiliis ac præceptis evangelicis. Cùm ergo ironia à Rhetoribus definiatur *allegoria, non solùm aliud verbis, aliud sensu, sed contrarium ostendens*; ubicumque Evangelium aliquod opus à nobis exigit, sive per modum præcepti, sive per modum consilii, intelligendum erit in sensu contrario, quòd utique illud prohibeat vel dissuadeat; quod est ipsissimum Lutheri antievangelium, quo eandem Evangelio contradicendi licentiam usque adeò extendit, ut etiam polygamiam Christianis licitam asserat in propositionibus de polygamia Episcoporum, his verbis: *Polygamia non magis nunc abrogata est, quàm reliquum legis Mosis, sed indifferens, utpote nec præcepta, nec prohibita.* Et to. 4. Jenensi in cap. 16. Geneseos: *Prohibitum non est, ut vir habeat plures uxores. Itaque hoc vetare non possum.* Sed & licitum inter Christianos repudii libellum tradit to. 5. Wittemberg. serm. de matrim. ita videlicet, ut si alter conjugum ab altero quacumque ex causa discedat, vel ei cohabitare nolit, alter conjux aliud matrimonium inire possit: quia (inquit) *frater, vel soror à matrimonii jugo liberatur, si alteruter ab altero discedat, vel cohabitare nolit*; cùm tamen Matth. 19. matrimonii conditiones ad primævam ejus institutionem Christus revocet, & addat: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Et Apostolus 1. Cor. 7. *Iis autem qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Istos tamen blasphematores, Decalo- 386
gique & Evangelii irrisores, spurcissimos, homines à religione Apostatas, castitatis & bonorum operum hostes, sanctorum Patrum contemptores, secta Lutherana & Calviniana pro Apostolis & Evangelistis habet, & pro Sanctis à Deo missis ad totum orbem illuminandum, per quos, velut os & organum suum, Deus nobis locutus sit; & ipsimet pro talibus se venditarunt. *Certò novi* (ait Lutherus in lib. contra Regem Angliæ) *doctrinam meam non esse aliud, quàm sacrosanctum, verumque Evangelium; audacter id assero, ego Doctor Martinus Lutherus, Domini nostri Jesu Christi indignus Evangelista.* Tract. adversus falsò nominatum Statum Ecclesiasticum: *En appello me Ecclesiastem Dei gratiâ ..... Et si Evangelistam, Dei gratiâ nominarem, verum dicerem. Certus sum enim sic Christum me nominare, eumque testem non dubito esse futurum in die illo magno judicii, hanc doctrinam non esse meam, sed Spiritûs Domini, purique sancti Evangelii.* De Luthero etiam Calvinus l. 1. de lib. arb. advers. Pigh. dicit: *Res ipsa clamat, non Lutherum ab initio locutum, sed Deum per os ejus fulminasse.* Et iterùm: *Testamur Lutherum nos habere pro insigni Christi Apostolo.* Et de seipso ibidem l. 2. *Res ipsa clamat, neque nos hodie loqui, sed Deum è cælo virtutem suam exercere.*

Doctrinam tamen ipsorum non esse Chri- 387
sti, sed dæmoniorum; non è cælo, sed ex orco profectam; non evangelicam, sed antievangelicam, & antichristianam esse, ipsamet exhibitio illius, horrendæque in Deum & Christum ejus blasphemiæ manifestant: ampliùsque ex fructibus ipsius colligitur, nimirùm ex inducta per eam magna vitæ licentia, tantaque morum improbitate, ut ipsemet Lutherus in Postilla Dominic. 1. Adventûs pronuntiet, quòd *mundus ex hac doctrina in dies deterior evadit ..... Enimverò videmus, quòd hoc tempore homines sint magis avari, immisericordes, impudici, procaces, adeòque deteriores quàm anteà in Papatu fuerunt.* Et Andreas Musculus (Lutheranus) lib. de prophetia Christi: *Cogor dicere, quia verum est, contumaciores homines, in quorum animis omnis virtutis, & honestatis scintillæ sunt extinctæ, & apud quos nihil jam pro peccato habetur, nusquam, nec apud Ethnicos, Judæos, Turcas, inveniri, quàm inter Evangelicos, apud quos omnino solutus & liber viget diabolus; utque paucis rem omnem eloquar, illud nunc est, eòque nostra Lutheranorum res rediit, ut siquis videre cupiat magnam turbam nebulonum, atheorum, usurariorum, & deceptorum, adeunda sit Civitas aliqua, in qua Evangelium prædicatur. Lutherani* (inquit de fratribus suis Jacobus Andreas Schmidelinus concion. 4. ad cap. 21. Lucæ) *bonorum operum nullum penitùs exercent. Jejunii loco,*

comessationibus & perpotationibus nocte dieque vacant. Ubi pauperibus benignè facere oporteat, eos deglutiunt, & excoriant, precationes vertunt in juramenta, blasphemias, & divini nominis execrationes, idque tam perditè, ut Christus, ne ab ipsis quidem Turcis, hodie tantoperè blasphemetur. Alia ad idem testimonia proferunt Tannerus disput. 1. de fid. q. 3. dub. 4. & Grethserus tract. inscripto : *Erasmi de novi Evangelii, &c. judicium.*

388 Nec melior est vita Calviniſtarum, ipso Calvino teste concione 10ª. Gallicè scriptâ in epist. ad Ephesios, ubi dicit, suæ sectæ homines esse mortalium omnium sceleratissimos, & facinorosissimos ; cùmque verba exprimendis illorum sceleribus satis congruentia invenire non posset, illos tandem pronuntiavit *terræ monstra, & malos genios humanam formam indutos.* Unde & de Geneva (præcipua Calviniſmi sede) vulgare est hoc distichon :

Furum & latronum, atque impostorum, & nebulonum,
Natura hîc posuit quidquid ubique fuit.

389 De ipsismet Ecclesiæ Genevensis Ministris Calvinianis in libro Gallico de scandalis dicit, eos esse *nequitiæ, vel aliorum vitiorum exempla* ; & addit, *mirari se vulgi patientiam, quòd non eos luto, & stercoribus appeteret.*

390 Sed quid de Anglia ? de ea Barlaous, Calviniſta, in concione habita Septemb. 1606. *Religio* (inquit) *in Anglia ab annis multis conversa in Statismum, brevi transibit in Atheismum.* Richardus Gefflius in concione habita Londini 7. Octobris 1604. *Liberè eloqui possum, quod manifestè vidi in meis itineribus : nunquam in Belgio majorem ebrietatem, in Italia majorem luxuriam, in Judæa majorem hypocrisim, in Turcia majorem impietatem, in Tartaria majorem iniquitatem, quàm in Anglia generaliter, speciatim verò Londini, esse in usu.* Kingus Londinensis Episcopus (apud Fitzimon Britannomach. l. 1. c. 12.) *Ita vivimus, ut potiùs convincamur perfecti athei.* Whitgiftus Cantuariensis (apud eundem ibidem) *Ecclesia nostra plena est atheistis.*

391 In Hollandia quoque atheismum maximè radices egisse, ab ipsis Hollandiæ Doctoribus se accepisse testatur Maximilianus Sandeus Hydri Holland. p. 1. l. 1. c. 2.

392 Nec mirum : quia dum sive Lutherani, sive Calviniſtæ continuis se invicem dissensionibus, & pugnis lacerare non cessant, summâque inconstantiâ jam hoc, jam illud credunt, nec inveniunt ubi pedem figant, tandem fit, ut nihil penitùs credant. Dumque Mosaïcam, & Evangelicam legem à Patriarchis suis contemni vident, libertini fiunt, & sine lege. Dum denique de Deo, & Christo eosdem Patriarchas suos tam indignè sensisse conspiciunt, malunt nullum, quàm talem Deum agnoscere : verissimè proinde dicitur, hæresim Lutheranam, Calvinianam, &c. non esse Catholicam, nec Apostolicam, sed expeditissimam esse ad atheismum viam.

En quos fructus protulit novum Luthe- 393
ri, & Calvini Evangelium, non utique Christum habens Authorem, sed cacodæmonem, uti Lutherus ipse fatetur to. 7. operum suorum edit. Wittemberg. fol. 220. dicens, instructionem se à dæmone accepisse circa Missas privatas. Et fol. 228. apud Fitzimon : *Quando diabolum collo non habemus affixum, nihil nisi speculativi Theologi sumus.* Et to. 3. Germanico Jenensi in epist. de libro adversus rusticos, de se, suisque dicit : *nos à diabolo captivos teneri, velut à Principe & Deo nostro, ut cogamur facere quidquid nobis inspirat.* Et in colloq. Isleb. de verbo Dei fol. 23. *Diabolum esse, qui sacras Litteras benè docere solet.* Et in l. de Missa angulari, &c. fatetur habuisse se familiarem, & assiduum ex orco convictorem, cum quo plus uno salis modo comederit. Et in colloq. mensal. German. fol. 281. illum secum in lecto, etiam crebriùs quàm suam Catharinam comdormivisse ; eumdemque sibi, post longam disputationem, Authorem fuisse, ut Missam impugnaret, eamque in rem argumenta sibi suppeditasse. Citato tamen fol. 220. edit. Wittemberg. fatetur periculosam esse hujusmodi cum dæmone disputationem : quippe *sentire se, ac probè experium esse, quam ob causam illud evenire soleat, ut sub auroram quidam mortui in suis stratis inveniantur.* Nec eorum nomina dissimulat, subjungens : *Ego planè persuasus sum, Empserum, & Oecolampadium* (quem Calviniſtæ miris extollunt laudibus, velut unum è Coriphæis & Patriarchis suis) *& similes, his dæmonum ictibus, horribilibus quassationibus subitò extinctos fuisse : nec enim humanum cor horrendum hunc, & ineffabilem impetum, nisi Deus adsit, perferre potest.*

Non ergo mirum quòd fructus tam ma- 394
los proferat arbor, eo ipso mala, quo authore diabolo plantata. De quibus præter Lutherum ipsum, aliosque suprà relatos, Desiderius Erasmus, Lutheranis non suspectus, qui primos ipsorum Doctores seu Ministros optimè novit, in epistola adversus pseudo-evangelicos sic loquitur : *Vos strenuè clamatis in luxum Sacerdotum, in ambitionem Episcoporum, in tyrannidem Romani Pontificis, in garrulitatem Sophistarum, in preces, jejunia, & Missas ; nec ista purgari* (id est corrigi abusus, qui in istis irrepserunt) *vultis, sed tolli* (id est ista omnia aboleri) *nec omninò quidquam in receptis placet, sed zizaniam evellitis cum tritico, aut, ut meliùs dicam, triticum evellitis per zizania. At quid interim nobis profertis melius, & Evangelio dignius, ut ab assuetis recedamus ? Circumspice populum istum Evangelicum, & observa, num minùs illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quàm faciunt hi quos detestamini ? Profer mihi, quem istud Evangelium ex comessatore sobrium,*

brium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores. Et infrà: nunquam eorum Ecclesias sum ingressus, sed aliquando vidi redeuntes à concione, veluti malo spiritu afflatos, vultibus omnium iracundiam ac ferociam miram præ se ferentibus. Sic, opinor, discedunt milites à concione ducis, ad prælium exhortati. Quis unquam vidit in eorum concionibus quemquam fundentem lachrymas..... Circumspice mihi sodalitatem istam Evangelicam, quot homines adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot aliis vitiis infames? Et hos habent etiam in deliciis, tantùm abest ut vitent. Apostoli, quò magis vacarent Evangelio, aut abstinebant ab uxoribus, quas ducere licebat, aut legitimè ductas vertebant in sorores. Nunc floret Evangelium, quo Sacerdotes & Monachi, contra certè leges humanas, contra professionem suam, ducunt uxores. Similia contra eosdem habet in epist. ad quemdam Carthusianum, relata à Surio in sua Historia alterius sæculi, & in altera epistola ad fratres inferioris Germaniæ.

CAPUT XXXI.

Uberiùs ostenditur doctrinam Lutheranam & Calvinianam esse antievangelicam, nec esse unam, sanctam, Catholicam & Apostolicam.

396 ESt ergo plusquàm certum, doctrinam Lutheranam & Calvinianam evangelicam non esse; imò antievangelicam & diabolicam. Per consequens non esse sanctam. Et quomodò evangelica esset, quæ Evangelio diametraliter adversatur? Tria certa sunt in doctrina Evangelica. Primò, adulteros, & generatim peccata gravia committentes, dum illa committunt, in via cæli non esse, nec salutem consecuturos, si usque ad finem vitæ sic perseverent. Cùm Apostolus expressè doceat, quòd qui *talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Secundò, doctrinam Evangelicam à vitiis adeò nos retrahere, ut ipsius expressiones ab omni etiam quod mali speciem habet nos retrahant. Tertiò, doctrinam Evangelicam esse, quòd *cum timore & tremore salutem nostram operari* nos oporteat. Hoc enim Apostolus expressè tradit. Atqui tribus istis Evangelicæ doctrinæ punctis diametraliter adversatur doctrina Lutherana, sicut & Calviniana. Utpote secundùm quam homo ad finem usque vitæ in adulteriis, aliisque gravioribus peccatis perseverans, salutem consequi potest. Nec à vitiis per eam retrahitur, sed in ea potiùs inducitur. Nec habet quòd timeat eum, qui potest & corpus & animam mittere in gehennam: cùm lapsus à justitia, juxta Lutheranos & Calvinistas, timeri non debeat; imò nec possit sine gravi offensa Dei. Igitur doctrina Lutheranorum & Calvinistarum, evangelica non est, sed ipsi diametraliter adversa.

Incipiamus id ostendere de doctrina Calvinistarum, nobis viciniorum, acturi posteà de Lutheranorum. Tria velut certa docent Calvinus & Calviniani, tribus Evangelicis illis punctis apertè contraria. Primum est, quòd justitia à fide dependeat, quâ non solùm credantur fidei mysteria, sed & insuper certò quis credat sibi peccata sua per Christi merita remitti. A qua fide volunt usque adeò inseparabilem esse justitiam, ut ne per horrendissima quidem crimina amittatur, eò quòd hæc justis non imputentur, quamdiù in ista fide manent. Secundum est, non dari purgatorium: per consequens in illa fide morientes, per nulla peccata, quàmlibet horrenda, retardari ab ingressu paradisi. Tertium est, justitiam semel habitam nunquam posse amitti. Quamvis tria ista dogmata adeò impia sint, tamque abominandis consequentiis obnoxia, ut horrorem piis auribus incutiant; ea tamen velut totidem fidei suæ articulos Calvinistæ definierunt in Synodo sua Dordrectana, seu Dordraci in Hollandia celebrata, istiusque pseudo-synodi doctrinam omnem Calvinistæ Galli receperunt in Synodo sua nationali Aletensi, solemniter protestati, se eam ad extremum usque vitæ spiritum propugnaturos, uti videre est in aureo Arnaldi libro gallico, cui titulus: *Le renversement de la Morale Jesus-Christ, par les erreurs des Calvinistes*: ubi utriusque istius Synodi verba, variaque alia Calvinistarum opera edita referuntur, quibus dogmata illa firmantur; fusèque ac præclarè Arnaldus ostendit, Calvinistas semper illa tenuisse, velut puncta capitalia, propter quæ à fide Romano-Catholica defecerunt. Ostendit insuper, quòd quamvis profiteantur, justitiam semel habitam, amitti non posse, non negent tamen, justos labi posse in crimina; eò quòd putent, ea non sic ipsis imputari ad culpam, ut per ea justitiam amittant; ideòque dicere non solent, crimina à fidelibus non committi (uti dicebant primi Christiani) sed fidelibus crimina non imputari. Unde justos omnes electos esse volunt, quos licèt contingat labi in crimina, Deus, qui dives est in misericordia, ex immutabili electionis proposito, Spiritum sanctum, etiam in tristibus lapsibus, à suis non prorsus aufert, ut loquitur pseudo-synodus illa Dordrectana. 397

Jam si dogmata illa vera sint, manifestè consequitur, semel justificatum per fidem illam Calvinianam, quâ firmiter credit peccata sua per merita Christi sibi non imputari, per nulla crimina excidere à salute, & licèt in illis ad mortem usque perseveret (prout in externis saltem idololatriæ actibus, & inordinatis amoribus Salomon, quem ab initio amicum Dei fuisse, divina Scriptura manifestè insinuat, juxta SS. Pa- 398

tres, verisimiliùs perseveravit) criminibus illis non obstantibus, statim post mortem ingredi paradisum. Quis autem non videat doctrinam istam favere vitiis, & à sanctitate morum retrahere, prorsusque remotam esse à sanctitate Moralis Evangelicæ? utique nos deterrentis à peccatis committendis, æternaque committentibus supplicia, exclusionemque à cælesti regno comminantis. Quis item non videat, juxta doctrinam illam, exulare debere timorem illum, cum quo operari jubemur salutem nostram. Cùm timor ille diametraliter opponatur fidei, quâ (juxta ipsos) quilibet firmiter credere debet sibi per Christum remitti, vel remissa esse peccata, ut justus fiat; credere item, securusque esse, justitiam semel habitam, per nulla crimina amitti posse? Quid (obsecro) habet timere, qui securus, & fide certus est de salute? An purgatorium? At etiam purgatorii timorem exulare faciunt Calvinistæ, dum purgatorium negant.

399 Jam videamus, an Evangelicæ doctrinæ minùs adversetur doctrina Lutheranorum? Justitiam à fide illa Calviniana dependentem & ipsi faciunt, criminaque fidem illam habentibus docent non imputari, nec purgatorium dari. Fidem quidem semel habitam, ac per consequens justitiam perdi posse fatentur, in eoque cum Calvinistis non conveniunt; sed timorem tamen inferni damnant: utpote quem dicunt facere hominem hypocritam, & magis peccatorem. Et non solùm non retrahunt homines à peccatis, sed ad illa facienda exhortantur: *Esto peccator* (ait Lutherus epist. 238.) *& pecca fortiter. Sufficit enim quòd agnovimus per divitias gloriæ Dei, Agnum qui tollit peccatum mundi: ab hoc enim nos non avellit peccatum, etiamsi millies uno die fornicemur, aut occidamus.* Et serm. de piscatura Petri: *Quò quis sceleratior est, huic Deum citiùs infundere gratiam suam.* In locis commun. classe 5. c. 17. *Nihil præter infidelitatem peccatum est.* Et in 2. p. Postill. German. edit. Argentin. 1537. *Nullum peccatum tantum est, ut possit hominem damnare: sola enim infidelitas, quotquot damnandi sunt, damnat.* Et l. de captiv. Babil. tit. de bapt. *Christianus, etiam volens, non potest perdere salutem suam, nisi nolit credere.* Bona verò opera sæpè dicit magis impedire salutem, quàm ad eam conducere. [illegible] serm. de novo Testamento, sive de Missa, ausus est dicere, *amplius cavendum ab operibus bonis, quàm à peccatis.* Tom. etiam 3. Latino Wittemberg. fol. 171. *Hæc tibi norma & regula esto, quam in Scripturis sacris intelligendis sequaris: ubicumque jubet Scriptura bona opera facere; tu sic intellige, quòd Scriptura prohibeat bona opera facere.*

400 Ecclesia itaque Lutheranorum, Calvinistarum, &c. sicut non est una, uti probant divisiones utriusque in infinitas propemodùm sectas; ita nec sancta. Sed neque Catholica est, neque Apostolica. Non Catholica. Neque enim Catholica est à loco: cùm non sit ubique diffusa, sed per pauca regna, vel provincias. Neque à tempore: cùm novitia sit, & vix 180. annis major, imò circa annum 1520. nata, modicissimo tempore integra permansit.

Ante Lutherum quippe & Calvinum, ne unus quidem nominari potest, qui religionem Lutheranam, Calvinianam, &c. ex integro tradiderit, prout Lutherus, & Calvinus tradiderunt, vel prout Lutherani, Calviniani, &c. hodie tradunt. Nec moderni Lutherani, & Calvinistæ eandem ex integro tradunt, quam Lutherus, & Calvinus tradiderunt.

Et hinc patet, Ecclesiam, & religionem 401
ipsorum Apostolicam non esse. Neque enim Lutherani, Calviniani, &c. habent doctrinæ suæ continuatam ab Apostolis successionem. A quo enim doctrinam suam accepit Lutherus? A quo Calvinus? Quinam ante ipsos eam ut ipsi tradiderunt? Per quos ab Apostolis ad ipsos derivata est? Id nullo modo ostendere possunt. Nonnulli quidem hæretici (per Ecclesiam damnati) in aliquo, vel aliquibus punctis, eis præluserunt, ut Arius, Wiclef, & similes homines pestilentes; sed in omnibus ne unus quidem. Ex confessione quoque ipsorum constat, doctrinam ipsorum Apostolicam non esse: neque enim eadem est cum ea, quam antiqua Ecclesia primis quingentis annis tenuit, quam fatentur veram Ecclesiam fuisse, Apostolicamque proinde doctrinam retinuisse. Siquidem in antiqua illa Ecclesia nullus SS. Patrum liberum negavit arbitrium. Nullus dixit, solâ fide hominem justificari; sed omnes contrarium docuerunt, liberumque arbitrium, & bonorum operum necessitatem asseruerunt, & contrarium sentientes pro hæreticis habuerunt, uti videre est apud Bellarminum to. 1. p. 2. tr. 4. cap. 9.

Nec ab Apostolis magis habent succes- 402
sionem Episcopatûs, & missionis, quàm doctrinæ. Non successionem Episcopatûs: neque enim Lutherus Episcopus fuit, neque Calvinus, &c. defectu ordinationis, &c. successionis. Nullus quippe in Ecclesia unquam habitus fuit verus Episcopus, nisi qui per legitimam ordinationem successit alicui Apostolo, vel alicui quem aliquis Apostolus, vel Apostolicam authoritatem habens fecisset Episcopum. Per legitimam (inquam) ordinationem ab uno saltem Episcopo, imò à tribus Episcopis, nisi Apostolica intervenerit dispensatio. Constat id ex can. 1. Apostolorum, & can. 4. Concilii Nicæni, & can. 2. Concilii Cartag. IV. At neque Lutherus, neque Calvinus taliter ordinatus fuit, nec taliter ordinato legitimè successit.

Neque etiam exhibere possunt authenti- 403
cum testimonium extraordinariæ suæ à Deo mis-

missionis ad reformandam Ecclesiam collapsam, uti prætendunt. Quia nullus unquam à Deo extraordinariè missus fuit, ad Ecclesiam, seu innovandam, seu reformandam, nisi missionem suam probaverit per operationem miraculorum cum sanctitate conjunctam. Sic enim Moyses Exodi 4. Elias 3. Regum 18. extraordinariæ missionis suæ testimonium authenticum exhibuerunt. Sicut & ipse Salvator, de quo Joan. 3. *Scimus quia à Deo venisti Magister; nemo enim potest ea signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Et cap. 5. *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Apostolorum denique missionem Deus testatam voluit virtutibus & signis, juxta illud Marci ultimo: *Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Et Hebr. 1. *contestante Deo signis & virtutibus.* Nostri verò prætensi Reformatores, nec vitæ sanctitate, nec miraculorum operatione, missionem suam, novamque doctrinam probare unquam potuerunt: cùm fuerint homines spurcissimi, pariterque superbissimi, bonorum operum hostes. Nec unus quidem eorum extiterit, qui vel equum claudum sanare potuerit. Et de Calvinistis quidem Lutherus l. 1. contra Goldastum c. 12. *Calvinistæ* (inquit) *sunt fanatici, progenies viperarum, animicidæ, impii, blasphemi, deceptores, sanguinarii, germani Turcæ, à Satana missi, & obsessi, perdiabolati, transdiabolati, superdiabolati.* De Lutheranis Calvinus, admonit. ult. ad Wesphalum: *Lutherani homines sunt vertiginosi, Cyclopes superbi, factio gigantum, phrenetici, prodigiosè cæci, desperatè impudentes, falsarii & impii, calumniatores, protervi*, &c.

Confirmatur 1°. Religio Lutherana, Calviniana, &c. non est præ Romana credibilis, nisi in ea videatur aliquid præponderans unitati, sanctitati, Catholicismo, & Apostolicismo religionis Romanæ. Sed in ea nihil videtur, nec hactenùs visum est præponderans, &c. quin econtrà in religione Romana omnia præponderant, scilicet unitas, sanctitas, antiquitas, operatio miraculorum, extensio per universum orbem, continua ab Apostolis successio, &c. prout ex præmissis patet. Igitur religio Lutherana, Calviniana, &c. non est credibilis præ Romana, imò in comparatione illius non est credibilis.

Confirmatur 2°. Ut Catholicus, dimissâ religione Romanâ (quæ sola vigebat ante novos illos Reformatores) prudenter ipsis credat, debet in illis aliqua extraordinaria sanctitas refulgere, vel saltem aliqua extraordinaria operatio divina, qualis in Apostolis refulsit. Si enim nihil insolitum refulgeat, ultimæ dementiæ est, renuntiatâ antiquâ fide majorum, novellæ fidei annuntiatoribus fidem adhibere. Nihil verò insolitum refulget in Reformatoribus antedictis; nec scilicet insolita sanctitas, nec insolita operatio divina. Nec alia ipsi suæ extraordinariæ missionis signa exhibuerunt, nisi illa quibus Alcoranum suum Mahometes propagavit, videlicet occisorum hominum stragem, templorum profanationem, Sacerdotum mactationem, Virginum constuprationem; in legitimos Principes rebellionem, Monasteriorum direptionem, &c. Ipsemet Lutherus, modernorum hæreticorum Protopatriarcha, fatetur, missionem suam non fuisse de cælo, sed ex orco, uti vidimus num. 393. Ipsius proinde sectatores, sectatores sunt Evangelii, non Christi, sed diaboli; nec Evangelii secundùm Matthæum, vel Lucam, sed secundùm Lutherum, qui à diabolo fundamenta illius accepit, cum tanto bonorum operum odio, ut non nostra dumtaxat, sed & ipsa Christi opera nihil aut parum ad salutem nobis profuisse blasphemaverit præfat. in novum Testamentum latinum, ubi sic: *Non enim multùm Christi opera mihi prosunt, sed verba ejus dant vitam*; eaque adeò vilificaverit, ut noluerit in exemplum proponi to. 3. German. in admonit. ad Argentinens. *non esse hominibus opera Christi inculcanda, & cujusmodi exemplum nobis Christus præbuerit. Christi enim opera esse minimam, & vilissimam portiunculam in Christo.* Nec his contentus addere ausus fuit commentario in epist. ad Galat. *Omnes* (inquit) *Prophetæ viderunt hoc in spiritu, quòd Christus futurus esset omnium maximus latro, homicida, adulter, fur, sacrilegus, blasphemus.* Et homil. 1. de baptismo, *Christus* (inquit) *fuit gravissimus, & longè omnium maximus, & unicus in terris peccator, ut alius præter ipsum, nullus sit peccator.* Ideòque subdit eum opus habuisse baptismo, in remissionem peccatorum. Calvinus quoque in epistolam ad Galatas scribere non erubuit, quòd *Christus peccator* fuerit, & *maledictionis reus.* Ecce quorum Prophetarum. Ecce quorum Apostolorum, & Evangelistarum Lutherani, & Calvinistæ sunt sectatores: Prophetarum utique, Apostolorum, & Evangelistarum Antichristi, seu diaboli. Qui quia est rex super universos filios superbiæ, in schola ipsius eruditus Lutherus in libro de servo arbitrio contra Erasmum edit. 1. ad supremum arrogantiæ & superbiæ culmen ascendens: *Deponite* (inquit) *quidquid armaturæ suppeditabunt veteres Orthodoxi, Theologia schola, authoritas Conciliorum, & Pontificum, consensus tot sæculorum, & totius populi Christiani; nihil recipimus, nisi Scripturas; sed sic, ut penes nos solos sit certa authoritas interpretandi. Quod nos interpretamur, hoc sensit Spiritus sanctus: quod adferunt alii, quamvis magni, quamvis multi, à spiritu satanæ, & alienata mente profectum est.* Qui se præ omnibus priscis Patribus, Conciliis, Pontificibus, Theologis, totoque populo Christiano extulit, putasne Apostolis pepercit? *Petrus* (ait in cap.

1. epist. ad Galat.) *primus Apostolorum extra verbum Dei docuit & vixit.* Et rursus: *Esto Ecclesia, Augustinus, & alii Doctores, item Petrus Apollo, imò Angelus diversum doceant; tamen mea doctrina est ejusmodi quæ solius Dei gloriam illustrat.* Quas impias voces confirmans discipulus ipsius J. Brentius in Apolog. confessionis, cap. de Conciliis, dicit, quòd *S. Petrus Apostolorum primus, & Barnabas, etiam post acceptum Spiritum sanctum, unà cum tota Ecclesia Hierosolymitana, erraverunt.* Pari temeritate Calvinus in cap. 2. epist. ad Galat. *Petrus in gratiam Judæorum discessionem fecerat à Gentibus, ita ut ab Ecclesia eas arceret, nisi abdicatâ Evangelii libertate, legis jugum subirent.* Quod quàm falsum sit, constat ex Actor. 15. sive ex sententia Petri in Concilio Hierosolymitano prolata. An fortè dicet, Lucam in Actis errasse, sententiam illam Petri referendo? Nam licèt hæretici assiduè ingeminent *Scriptura, Scriptura*, seseque Evangelicos vocitent (quia prætendunt se purum Dei Evangelium habere pro credendorum regula) ipsis tamen familiare est S. Scripturam fallibilem facere, & ipsimet Evangelio detrahere. Nam & Calvinus pleraque dicta Salvatoris in Evangelio expressa carpit, & Lutherus totam Evangelicam legem operum, ut suprà vidimus, Scripturasque omnes, quæ vel necessitatem, vel studium bonorum operum inculcant, falsitatis arguit. Quod profectò facit, dum Christi sententiam, fideique doctrinam, tamquam Scripturis illis contrariam opponit, & in commentario fusiore in cap. 3. ad Galat. *Potiùs* (inquit) *honorem habere, & credere velim uni Christo, quàm permoveri omnibus locis, quæ contra fidei doctrinam pro justitia operum statuenda producere possent. Quare simpliciter eis respondendum est: hic Christus, illic Scripturæ testimonia de lege, & operibus. Christus autem Dominus est Scripturæ, & omnium operum..... Nihil moror Scripturæ locos, si etiam sexcentos producas pro justitia operum.... Ego Authorem & Dominum Scripturæ habeo, à parte cujus volo potiùs stare, quàm tibi credere. Tu urges servum, hoc est Scripturam.... Hunc servum tibi relinquo: ego urgeo Dominum.* Quasi Dominus sibiipsi contrarius sit, sive verbo suo in Scripturis expresso, vel quasi non omnis Scriptura sit verbum Dei.

CAPUT XXXII.

Incredibilitas sectæ Lutheranæ, Calvinianæ, &c. copiosiùs demonstratur ex eo quòd Lutherani, Calviniani, &c. nullam habeant fixam fidei suæ regulam.

405 UNica quippe regula fidei (secundùm ipsos) est verbum Dei scriptum, & ita quidem, ut nihil credendum sit, nisi quod continetur expresè in sacra Scriptura. Principium istud, velut unicam, atque perfectam fidei regulam hæretici semper tradiderunt, Ariani, Eutichiani, Pelagiani, &c. Id de Arianis testatur Hilarius lib. contra Constantium. De Pelagianis Augustinus lib. de nat. & grat. c. 39. Eutiches in Concilio Chalcedonensi act. 1. interrogabat Patres: *In qua Scriptura jacent duæ naturæ?* Hos secutus Lutherus in cap. 1. epist. ad Galat. aiebat, *neque aliam doctrinam in Ecclesia tradi, & audiri debere, quàm verbum Dei, hoc est Scripturam sacram.* Et in lib. de servo arbit. contra Erasmum edit. 1. *Deponite quidquid armaturæ suppeditabunt veteres Orthodoxi.... authoritas Conciliorum, & Pontificum, consensus tot saculorum, ac totius populi Christiani, nihil recipimus nisi Scripturas.* Similiter Calvinus epist. contra Præcentorem Lugdunensem: *Nihil credendum est, quod non expressum sit.* Unde in sua fidei confessione, totius sectæ nomine Regi Christianissimo oblata, art. 4. & 5. Galli Calvinistæ profitentur, se *pro fidei regula certissima nihil nisi verbum Dei, quod Scripturis sacris continetur, admittere.* Et art. 5. suæ confessionis, *verbum Dei contentum in Scripturis sanctis, esse regulam omnis veritatis.* Et in ejusdem confessionis ratificatione contestantur, quòd *omnes in Gallia Ecclesiæ approbant & ratificant suprascriptam confessionem in omnibus suis capitibus & articulis, ut qui integrè fundati sint in puro & expresso verbo Dei.* Puritani quoque Angli (apud Fitzimon Britannomach. l. 1. c. 5.) aiunt, *nihil esse credendum, nisi quod in Scriptura totidem verbis expressum sit.*

406 Verùm imprimis Scripturam sacram, velut unicam credendorum regulam absurdè prætendunt, qui eam in aliquibus fallibilem, & Christo, seu fidei contrariam faciunt, uti facit Lutherus suprà n. 404. in fine. Qui etiam in prologo novi Testamenti seriò admonet Lectores suos, ut non credant quatuor esse Evangelia: *Siquidem Evangelium* (inquit) *Joannis est unicum, pulchrum, verum, ac principale Evangelium, aliisque tribus longè, ac longè anteponendum; adeò ut Pauli, & Petri Epistolæ longè præcedant tria illa Evangelia Matthæi, Marci & Lucæ.* Quibus verbis non solùm adeò deprimit tria ista Evangelia, ut eorum authoritatem suspectam & dubiam reddat, sed ut etiam vera Evangelia non esse affirmet, dum solum Evangelium Joannis verum dicit. Et in defensione verborum Cœnæ de Æcolampadio, suo quondam discipulo, scribit, quòd sic habet sua hypothesis: *Ego Æcolampadius dico quòd Scriptura in hac re sibi adversetur.* Similiter Bucerus (apud Sanderum l. 2. de schismate Anglicano) Duci Northambriæ professus est, *sibi non omnia quæ in novo Testamento de Christo scripta sunt, certa & indubitata videri.* Et Zuinglius to. 3. contra Catabaptistas: *Quasi verò* (inquit) *Paulus epi-*

ſtolis ſuis, tantum, cùm illas ſcriberet, tribuerit, ut quidquid in eis contineretur, ſacroſanctum eſſet: quod eſſet Apoſtolis imputare immoderatam arrogantiam. Quaſi verò Paulus arrogans fuiſſet ad Galat. 1. dicendo: *Evangelium quod evangelizatum eſt à me, non eſt ſecundùm hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, ſed per revelationem Jeſu Chriſti.* Et 1. Cor. 2. *Nos non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis: quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritûs.* Quomodò Calvinus evangelica Chriſti dicta deprimat habes ſuprà num. 385. 397. &c. Interim Evangelici, & purum Dei verbum ſequentes haberi volunt, qui Dei verbum in ſacris Litteris expreſſum, ipſumque Evangelium, dum ſuis erroribus adverſatur, contemptu ſacrilego deprimunt, falſitatique obnoxium faciunt. Quo ſacrilegio ſuo quid aliud faciunt, niſi totius planè Evangelii, omniſque omninò Scripturæ ſacræ infallibilem authoritatem è medio tollere? Cùm enim omnis Scriptura ſacra ſit verbum Dei, ſi aliqua pars Scripturæ ſacræ fallibilis ſit, nulla ipſius pars infallibilis eſt: cùm una præ alia non ſit verbum Dei, & ſi verbum Dei in uno fallibile ſit, Deus falli & fallere poſſit. Omnis proinde è medio tollitur Scripturarum authoritas, rectèque Auguſtinus epiſt. 8. ad Hieronymum: *Admiſſo* (inquit) *in tantum authoritatis faſtigium aliquo mendacio, nulla pars horum librorum manebit, quæ non poſſit in dubium revocari.* Nullam ergo hæretici illi fixam habent fidei regulam infallibilem.

407 Secundò, ſi ſecta Lutherana, Calviniana, &c. fixam haberet fidei ſuæ regulam, haberet & fixam infallibilemque fidei ſuæ confeſſionem, in qua omnes illius ſectæ profeſſores convenirent, ſicut nos Catholici habemus (fidei quippe confeſſio, eſt formula complectens articulos ab omnibus certam religionem profitentibus certâ fide credendos, per quos & ipſi ab aliarum religionum profeſſoribus ſecernuntur.) Non habet autem, uti demonſtrat perpetua ipſorum de fide diſſenſio num. 378. enarrata. Neque certè habere poſſunt illi ſectarii, qui pro regula unica & integra fidei ſuæ habent principium iſtud, nihil credendum, niſi quod in ſacris Litteris expreſsè continetur: cùm manifeſtum ſit, nullos articulos, Romano-Catholicæ doctrinæ contrarios, in ſacris Litteris expreſsè contineri. Ubi enim quæſo Scriptura ſacra expreſsè dicit, ſolâ fide nos juſtificari? non eſſe in homine liberum arbitrium? mandata Dei eſſe obſervatu impoſſibilia? Miſſam non eſſe ſacrificium propitiatorium? orandum non eſſe pro mortuis? Sanctos, qui exceſſerunt è vivis, non orare pro nobis? purgatorium, vota Monaſtica, peregrinationes ad loca ſancta, confeſſionem auricularem, &c. illuſiones eſſe ex Satanæ officina profectas? eſſe tantùm duo vel tria Sacramenta, &c. Iſti tamen articuli continentur in confeſſione fidei ipſorum.

Nec Lutherani, vel Calviniſtæ illi fixam 408
& infallibilem fidei ſuæ confeſſionem habere poſſunt, qui pro fidei regula, aiunt nihil credendum, niſi quod vel in ſacra Scriptura expreſsè continetur, vel quod ex ea per neceſſariam, ſeu evidentem conſequentiam deducitur. Cùm nec articuli proximè relati (quos tamen ponunt in ſua confeſſione fidei) ex ſacra Scriptura per neceſſariam evidentemque conſequentiam deducantur; multò minùs, duo iſti articuli Calviniſtarum (Chriſti corpus non eſſe realiter, & ſubſtantialiter in Euchariſtia; Papam eſſe Antichriſtum) cùm Catholici Authores oſtendant, illos nec evidenter, nec probabiliter ex ſacris Litteris erui. Et quomodò ipſi dicunt purum putumque verbum Dei ſcriptum eſſe regulam fidei ſuæ, cùm velint illud fidei regulam eſſe, quod ex verbo Dei ſcripto per neceſſariam conſequentiam deducitur? Si enim ita ſit, jam non purum verbum Dei ſcriptum, ſed & verbum Dei humanâ ratiocinatione ex verbo Dei ſcripto deductum, eſt regula fidei ipſorum. Et ea quidem nec fixa, nec infallibilis: cùm varii articuli, qui aliquibus Lutheranis, vel Calviniſtis videntur ex verbo Dei ſcripto per neceſſariam conſequentiam deduci, aliis videantur non deduci; adeòque tot inter ipſos de fidei articulis ſint pugnæ.

Nec denique fixam infallibilemque fidei 409
ſuæ regulam habent, qui pro fidei ſuæ regula aſſignant ſuam fidei confeſſionem: cùm nec omnes Lutherani, nec omnes Calviniſtæ conveniant in una eademque fidei confeſſione; ſed unaquæque ſectariorum natio propriam ſibi confeſſionem habeat. Et aliam quidem Germani, aliam Galli, aliam Angli, aliam Batavi, &c. Siquidem Angli Calviniſtæ Gallorum fidem non probant, fideſque Germanorum in multis diſconvenit à fide Anglorum & Gallorum. Denique quiſquis ſeriâ mente perpenderit, à quibus fabricatæ ſint confeſſiones illæ, perſpicuè videbit, infallibiles fidei regulas eſſe non poſſe. Quotquot enim ſunt, vel fabricatæ ſunt à Luthero, vel Calvino, vel ſimilibus, cum paucis ab initio diſcipulis ſuis, vel à Nationali aliqua Synodo. Si verò nulla Oecumenica Synodus eſt regula infallibilis, ut ipſi profitentur; quantò minùs Nationalis, vel paucorum Lutheranorum, vel Calviniſtarum cum Luthero, vel Calvino Conventiculus? Quòd autem ne Oecumenica quidem Synodus, ſecundùm Lutherum, & Calvinum, infallibilis ſit, de Luthero patet ex dictis n. 353. De Calvino idipſum patet ex verbis ipſius l. 4. Inſtit. c. 9. §. 12. *Nulla Conciliorum, Paſtorum, Epiſcoporum nomina nos impediant, quominùs è verborum, & rerum do-*

cumentis moniti, omnes omnium spiritus ad divini verbi regulam exigamus, ut probemus, num ex Deo sint. Unde præcedenti capite §. 10. Catholicos irridet, *quòd pro certo habeant, Concilium Generale, legitimè congregatum .... errare non posse. Hoc* (inquit) *perpetuum esse nego, ut vera sit, & certa interpretatio, quæ Concilii suffragiis fuerit recepta.* Quod si ita est de Generalibus Synodis, multò magis de Nationalibus. Neque hoc Calviniſtæ negant, imò Synodus Dordrectana, ex Miniſtris Gallis, Germanis, Anglis, Batavis, &c. conflata, expreſsè confitetur, dum, poſt omnem ſuam diſcuſſionem, & definitionem, conquerentibus Remonſtrantibus, quòd ipſorum opinio damnata eſſet, & credendorum conſcientia coarctata, Synodi Præſides reſponderunt: *Veſtris conſcientiis non imperamus: relinquitur vobis liberum judicium privatum; non verò publicum, verbo, aut calamo expreſſum*, prout videre eſt in Actis illius Synodi ſeſſ. 30.

410 Tertiò, Lutherani, Calviniſtæ, &c. per ſuum illud pſeudo-principium, nihil credendum, niſi quod in ſacris Litteris expreſsè, vel (ut alii) clarè continetur, evertunt omnem fixam & infallibilem fidei regulam: ergo non habent fixam & infallibilem fidei regulam. Probatur antecedens: quia ſi nihil credendum, niſi quod expreſsè, vel clarè in ſacris Litteris continetur; ergo credendum non eſt, Geneſim, Exodum, &c. Evangelium ſecundùm Matthæum, Lucam, Marcum, Joannem, &c. eſſe Scripturam ſacram, ſeu infallibile Dei verbum (hoc enim nullibi Scriptura ſacra expreſsè, vel clarè dicit) nec credendum eſt, eos omnes libros, quos ſive Lutherani, ſive Calviniſtæ pro canonicis habent, eſſe reipsà libros divinos. In qua enim Scripturæ parte id expreſsè, vel clarè dicitur: de eorum pleriſque nulla Scriptura reflexè loquitur. Nec ipſi ſacri libri ſeſe teſtantur eſſe divinos. Et ut id teſtarentur, id non ſufficeret; cùm ex Ezech. 13. conſtet, non defuiſſe pſeudo-prophetas, qui dicerent: *Ait Dominus, ait Dominus, cùm Dominus non eſſet locutus.* Et quamvis epiſtolas Pauli Petrus commendet in ſecunda ſua c. 3. hoc tamen rarum & ſingulare eſt, iſtamque ſecundam Petri epiſtolam eſſe canonicam, & divinam, nec ipſa, nec alia Scriptura dicit. Denique licèt id Scriptura diceret, quæſtio equidem ſupereſſet, an codex ille Paulinarum epiſtolarum, quem modò habemus, reverà ſit ille idem, quem Petrus in ſua illa epiſtola commendat. Hoc certè Petrus non dicit, uti nec ulla Scriptura declarat, libros Moyſi, Prophetarum, Evangeliſtarum, Apoſtolorum, quos modò habemus, eſſe illos ipſos, quos Moyſes, Prophetæ, Evangeliſtæ, & Apoſtoli conſcripſerunt; illos ipſos (inquam) non ſuppoſititios, nec depravatos, per tot ſæculorum revolutiones, Eccleſiarum direptiones, &c. Neque enim Moyſes, neque Prophetæ, neque Evangeliſtæ, neque Apoſtoli ullibi expreſſerunt, libros à ſe conſcriptos nunquam impoſterùm depravandos, nec alios in locum ipſorum ſupponendos.

Ecce ergo Lutherani, Calviniani, &c. ſecundùm ſuum illud pſeudo-principium, infallibiliter ſcire non poſſunt, illam, quam modò habent, Scripturam eſſe ſacram & divinam. Ergo nullam habent infallibilem fidei ſuæ regulam: cùm nullam aliam agnoſcant, niſi Scripturam, quam modò habent.

Nullum etiam habent certum & infalli- 411
bilem ſacrorum librorum Canonem, utpote quem Scriptura ſacra nullibi exprimit. Illum tamen vera religio habere debet; nec vera eſt, quæ non habet. Ubi enim non eſt certus & infallibilis Canon ſacrorum librorum, pro Dei verbo quiſque quod vult accipit, quod vult rejicit. Ex quo rurſum fit, quòd certam non habeat, ſed vacillantem credendorum regulam. Ut enim certam regulam habeat, certum habere debet Canonem librorum continentium Dei verbum. Vacillante verò regulâ fidei, ipſorum fidem vacillare neceſſe eſt; & ubi fides vacillat, vera fides, vera religio, vera Eccleſia non eſt.

CAPUT XXXIII.

Reſponſiones ſectariorum confutantur, ſignanter privatus Calviniſtarum ſpiritus.

HUjus rationis evidentiâ convicti plures 412
ſectarii, fatentur ex ſola nos Eccleſiæ traditione, & teſtificatione habere ſacrorum librorum Canonem, ſolâque Eccleſiæ authoritate canonicas Scripturas à non canonicis diſcerni. Sed quæro, an iſtam Eccleſiæ traditionem teſtificationemque infallibilis eſſe credant authoritatis, an fallibilis? Si fallibilis, per eam infallibiliter ipſis conſtare non poteſt, quinam libri canonici ſint, quæ Scriptura ſacra, divinaque? Sicque necdum habent infallibilem fidei regulam. Si infallibilis, tria conſequuntur ipſorum confeſſioni diametraliter adverſa. Primò, falſum eſſe quod contendunt, nihil eſſe certâ fide credendum, niſi quod verbo Dei ſcripto continetur. Secundò, traditiones non ſcriptas eſſe regulam fidei. Tertiò, omnes libros, quos Eccleſia Catholica pro canonicis habet, pro canonicis habendos: utpote pro quibus omnibus & ſingulis par eſt Eccleſiæ Catholicæ traditio, ac teſtificatio, infallibili authoritate ſuffulta.

Propterea Calvinus ad ſpiritum cujuſque 413
privatum recurrit, dicens neque ex ipſa Scriptura, neque ex Eccleſiæ authoritate, libros canonicos, à non canonicis diſcerni, ſed id per privatam Spiritûs ſancti teſtificationem, perſuaſionemque interiorem unicui-

que credentium innotescere. Sed contrà 1°. vel spiritus ille privatus ipsis persuadet id solum credendum, quod verbo Dei scripto continetur, vel insuper credendum aliquid aliud? Si primum, ergo spiritus ille privatus ipsis non persuadet, hanc quâ utuntur Bibliam, veram esse Scripturam. Hoc enim nullo verbo Dei scripto continetur. Si secundum, ergo spiritus ille privatus ostendit, ipsos esse mendaces, falsumque esse fundamentale principium, cui secta ipsorum innititur: utpote ipsis dictans, quòd credere debeant has vel illas quas habent Scripturas, non esse suppositas, nec adulteratas, &c. tametsi hoc verbo Dei scripto non contineatur.

414 Contrà 2°. vel spiritus ille privatus est regula infallibilis, vel fallibilis pro discernendis Scripturis, &c. ? Si fallibilis, per spiritum illum privatum non discernitur infallibiliter verbum Dei verum ab adulterino. Si infallibilis, nullibi certè Scriptura cuilibet privato infallibilem promittit Spiritûs sancti assistentiam, sed Ecclesiæ dumtaxat, quam solam Apostolus 1. Timoth. 3. vocat *columnam & firmamentum veritatis*, non singula membra illius.

415 3°. recursus ille ad spiritum privatum, ex natura rei minimè idoneus est ad manifestandam primam & generalem credendorum regulam, qualis est Scriptura sacra. Neque enim convenienti rerum ordini, neque consuetæ Dei providentiæ congruit, communem, & publicam credendorum legem, quæ directè, & per se universam respicit Ecclesiam, aliter quàm publicâ, & solemni voce ei denuntiare, ex quo notitia illius deinde dimanet ad singulos; ei verò non congruit notitiam illius ad Ecclesiæ universitatem, nonnisi per singulos seorsim derivare. Hæc, inquam, non est conveniens promulgatio communis & publicæ legis, nec sic Decalogi legem Deus promulgavit, sed publicè, & solemniter per Moysen in monte Sinaï.

416 4°. spiritus privatus Lutheranorum, Calvinistarum, &c. ambiguus est & fallax, imò & sibi contrarius, ut experientia demonstrat. Ex illo namque spiritu Calvinistæ nonnullos libros canonicos admittunt (v. g. epistolam Jacobi) quos Lutherani rejiciunt, & contrà: utrisque jactantibus se persuasos esse à Spiritu sancto. Nec omnes Calvini discipuli conveniunt in iisdem libris canonicis: cùm Sebastianus Castellio, Genevensis Ludimagister, Canticum Canticorum censerit non esse canonicum. Et in sensibus, versionibusque Scripturæ, Calvinistæ Calvinistis frequenter adversentur; in ipso quoque Calvino, sicut & Luthero, spiritus privatus vario tempore varius fuerit. Tam enim iste, quàm ille, modò hoc, modò oppositum privato spiritu suo docuit. Nec tamen Spiritus sanctus sibiipsi contrarius esse potest. Igitur spiritus privatus ipsorum nec est Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus adest spiritui privato ipsorum. Et unde Lutherus probare potest, Spiritum sanctum sibi potiùs adesse, quàm Calvino, vel quàm mihi Catholico? Certè non ex illis (quas allegant) Scripturis, *Unctio docet vos de omnibus. Ipse Spiritus testimonium reddit*, &c. utpote quæ determinatè non loquuntur de Luthero, vel Calvino, nec de eorum sectatoribus, potiùs quàm de me.

5°. privatus ille spiritus ad alios docen- 417
dos, & refellendos accommodatus non est, nec ad reddendam aliis fidei suæ rationem (cùm de eo aliis constare non possit) Scriptura tamen 1. Petri 3. monet fideles, ut sint *parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quæ in vobis est spe.*

6°. nimis absurdum est Ecclesiæ negare 418
infallibilem in discernendis Scripturis, legitimisque versionibus, ac sensibus earum authoritatem; eam verò singulis fidelibus, seu privato eorum spiritui concedere. Cùm ex ipsa Scriptura constet, non singulos fideles, sed Ecclesiam Dei vivi esse *columnam & firmamentum veritatis.* Non hoc sensu tantùm, quòd fida sit Custos & Depositaria sacrorum librorum; verùm hoc etiam sensu, quòd legitima sit Judex legitimarum versionum, legitima quoque interpres sensuum, quos continent. Ad hoc quippe significandum Petrus in secunda sua canonica c. 1. negat Scripturam esse privatæ interpretationis: *Omnis prophetia Scriptura propriâ interpretatione non fit.* Et à Christo promissus est Ecclesiæ, non verò privato cuique fideli, Spiritus sanctus, qui doceat eam omnem veritatem, adeò infallibiliter, quòd portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Quæ cùm ita sint, nimis fatuum est, in fidei controversiis, discernendisque Scripturis, & legitimo earum sensu, privatum spiritum suum opponere publico, & universali Ecclesiæ spiritui; quasi infallibilis assistentia Spiritûs sancti magis promissa sit singulis fidelibus seorsim, quàm Ecclesiæ universali, seu Capiti illius, vel Oecumenico, legitimoque Concilio. Si enim singulis fidelibus adsit Spiritus sanctus; quantò magis omnibus in Christi nomine congregatis? Cùm nonnisi delirus dicere possit, eo ipso fideles Spiritu sancto destitui, quo in Christi nomine congregantur; Christo econtrà attestante, sese specialiter astiturum pluribus in nomine suo congregatis: scriptum est enim Matth. 18. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* At verò si adesse dignatur, ubi duo vel tres in nomine ipsius congregati fuerint; *quantò magis non deerit, ubi plures convenerint Sacerdotes*, ait Gregorius Magnus l. 7. epist. c. 110. sive (ut Ambrosius dicit epist. 25.) *quantò magis, ubi plena est in nomine Domini congregatio?* Hinc à prima Ecclesiæ fundatione usus semper obtinuit, ut cùm de fidei ar-

ticulo aliquo, vel Scripturæ ſenſu gravior ſuborta foret controverſia, deciſio illius non privato cujuſque ſpiritui permitteretur, ſed Eccleſiæ Catholicæ ſenſus requireretur, eumque in finem vel conſuleretur Pontifex Romanus, vel Concilium Generale cogeretur, cujus definitioni, à S. Pontifice confirmatæ, fideles omnes ſe ſubmittere tenerentur. Sic enim ortâ hæreſi Arianâ, cùm de legitimo ſenſu verborum iſtorum, *Ego & Pater unum ſumus*, gravior mota eſſet diſceptatio, per Concilium Nicænum deciſa fuit. Sic etiam contra Neſtorium, privato ſuo ſpiritu Scripturas de divini Verbi Incarnatione explicantem, coactum fuit Concilium Epheſinum, in eoque Scripturæ illæ explicatæ. Sic denique ipſimet Apoſtoli ſubortam de obſervatione legalium quæſtionem, congregato Hieroſolymis Concilio, non ſpiritu privato reſolverunt, taliterque congregati dixerunt: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.*

419 7°. recurſus ad privatum ſpiritum, relicto communi Eccleſiæ ſpiritu, ſeu ſenſu, fons eſt & origo hæreſeon omnium, omniſque licentiæ, ac libertinitatis, in materia religionis. Inde enim enata hæreſis Ariana, inde Neſtoriana, inde Macedoniana, inde Pelagiana, inde reliquæ hæreſes omnes. Propriuſque hæreſis genius ſemper fuit, in fidei controverſiis, adverſus publicum Eccleſiæ ſenſum privatas Spiritûs ſancti illuminationes prætendere; & ſicut pſeudo-Prophetæ dicebant, *ait Dominus*, *ait Dominus*, *cum Dominus non eſſet locutus*; ſic etiam hæretici dicere ſolent, hoc mihi dictat Spiritus Veritatis, cùm non dictet niſi ſpiritus erroris. Unde Auguſtinus tract. 45. in Joan. *Sunt qui Chriſti nomine glorientur, qui ſe videntes non ſolùm jactant, ſed etiam a Chriſto illuminatos videri volunt. Sunt autem hæretici.* De quibus Gregorius Magnus l. 5. Moral. c. 18. *Sæpè* (inquit) *hæretici Deum ſibi imaginabiliter fingunt ..... ejuſque vocem, quaſi auræ lenis, audire ſe perhibent: quia ad ſecreta illius cognoſcenda, quaſi eſſe ſe cæteris familiariores gaudent. Non enim ea docent quæ Deus publicè* (per Eccleſiam) *loquitur, ſed quæ eorum auri* (uti jactant) *quaſi latenter inſpirantur.* Enimverò, ut ante Gregorium Vincentius Lirinenſis commonit. cap. 5. obſervavit, *audent polliceri & dicere, quòd in Eccleſia ſua, id eſt in communionis ſuæ conventiculo, magna & ſpecialis, & prorſus perſonalis quædam ſit Dei gratia, adeò ut ſine labore, ſine ullo ſtudio, ſine ulla induſtria, etiamſi nec quærant, nec petant, nec pulſent, quicumque illi ad numerum ſuum pertinent, tamen ita divinitùs diſpenſentur, ut ..... numquam poſſint offendere pedem ſuum, id eſt numquam ſcandalizari.* Sic impiiſſimus etiam Mahometes ſpecialiùs ſibi Archangeli Gabrielis revelationem finxit. Et Fauſtus Manichæus perſuadere conatus eſt Spiritum ſanctum plenariâ authoritate ſibi adeſſe, ut teſtis eſt Auguſtinus 6. Confeſſ.

8°. nullus Calviniſta (& idem eſt de Lutheranis) certus eſſe poteſt privatum ſpiritum ſuum dirigi & agitari à Spiritu ſancto: nullus ergo Calviniſta per eum certò diſcernere poteſt canonicam Scripturam à non canonica, legitimamque Scripturæ verſionem atque intelligentiam à ſpuria. Conſequentia optima eſt. Probatur antecedens: quia non omnis Calviniſta, in omnibus, quæ ſibi dictat privatus ſpiritus, dirigitur & agitatur à Spiritu ſancto. Aliàs omnes agitarentur uno eodemque Spiritu, nec proinde tot inter ipſos forent diſſenſiones, & ſciſſuræ. Si ergo non omnes ſectatores Calvini præditi ſint Spiritu ſancto, quæro quinam ex ipſis præ aliis eo præditi ſint? Nullâ profectò certâ regulâ quæſtionem hanc reſolvere poſſunt. Quiſquis enim aſſeruerit ſe præ aliis eo præditum, ex nulla id Scriptura certa, nullo indicio certo probare poterit. Cur enim Arminianus præ Gommariſta, vel contrà? In celebri certè controverſia inter Arminianos, & Gommariſtas, pro cujus terminatione ſynodaliter congregati ſunt totius ſectæ Calvinianæ Proceres ac Miniſtri Germani, Galli, Angli, Batavi, &c. patuit quàm inaniter illi jactent adeſſe ſibi Spiritum ſanctum: cùm poſt omnem diſcuſſionem, Synodus illa nihil eâ certitudine definire potuerit, cui Arminiani, per eam Synodum condemnati, in conſcientia ſe ſubmittere tenerentur, uti num. 409. vidimus. 420

9°. nullus Calviniſta certus eſſe poteſt ſe veram habere fidem: ergo nec ullus eorum certus eſſe poteſt, ſe habere Spiritum ſanctum, quem non habent, qui veram fidem non habent. Probatur antecedens ex duobus Calvini dogmatibus, quorum primum eſt, veram fidem infundi ſolis electis, & prædeſtinatis. Alterum eſt, veram fidem ſemel ſuſceptam numquam amitti. Primum his verbis tradit Calvinus l. 3. Inſtit. c. 11. §. 11. *In fidem non illuminantur, nec Evangelii efficaciam verè ſentiunt, niſi qui prædeſtinati ſunt ad ſalutem.* Quod paulò poſt confirmat dicens, *reprobos non recipere verum fidei lumen.* Secundum tradit in Harmonia ad Matth. cap. 13. verſu 20. *Cordibus fidelium ſemel inſixa Dei veritas, numquam effluit, ſed uſque in finem viget.* Item, *ut nunquam extinguitur Spiritus ille; ita & fidem, quam ſemel inſculpſit, piorum cordibus evaneſcere & perire, impoſſibile eſt.* 421

Hinc ſic argumentor: Spiritum ſanctum non habet, niſi qui veram habet fidem. Sed nullus ex vobis certus eſſe poteſt ſe habere veram fidem: ergo nullus ex vobis certus eſſe poteſt ſe habere Spiritum ſanctum. Probatur minor: quia nullus ex vobis certus eſſe poteſt quòd non excidet à fide, ipſomet Calvino epiſt. 68. dicente: *Aſſi-* 422

duè

dubè ad mentem veniat illud Pauli, quosdam à fide excidisse, quòd alienati fuissent à bona conscientia, ne ipsi quoque tam horrendi naufragii simus exempla aliis. Nullus autem certus esse potest se habere veram fidem, nisi certus quòd non excidet ab ea, juxta dogma secundum. Sed nec certus esse potest se habere veram fidem, nisi certus se esse de numero prædestinatorum, juxta dogma primum. Atqui juxta Scripturam nemo (regulariter loquendo) certus esse potest se esse de numero prædestinatorum: cùm certum de eo fundamentum nullus habeat ex Scriptura, imò oppositum Scriptura contestetur dicens: *Nemo scit an amore, an odio dignus sit.* Nec interior persuasio de eo certitudinem afferre potest. Fatente quippe Calvino l. 3. Instit. c. 2. *tot vanitatis recessus habet, tot mendacii latebris scatet cor humanum, tam fraudulenta hypocrisi tectum, ut seipsum sæpè fallat.* Et *experientia ostendit reprobos interdum simili fere sensu atque electos affici, ut ne suo quidem judicio quidquam ab electis differant.*

422 Ex his patet, à Calvinistis certò discerni non posse, quinam ex ipsis Dei Spiritu præditi sint (atque adeò incertum esse quidquid ab ipsis in fidei controversiis occurrentibus definitur, prout Synodus ipsorum Dordracena palàm declaravit) neque id certò de seipsis dijudicare possunt, nisi Calvinum suum, in verbis proximè relatis, ipsam quoque experientiam mendacem faciendo. Multò minùs id certò dijudicare possunt de aliis: utpote de quibus multò minùs certò cognoscere possunt, an sint prædestinati? an non à vera fide defecturi, &c.?

423 10°. Non habet sanctum Dei Spiritum, neque ex eo docet, qui in doctrina fidei sibi & Scripturæ contradicit, convinciturque multipliciter blasphemus adversus Dominum, & adversus Christum ejus, impudenter mendax Scripturarum depravator, &c. Tales sunt Lutherus, Calvinus, &c. Ergo. Et multiplices quidem utriusque contradictiones apud Franciscum le Roy in suo Labyrintho, & Arsdekinum in Theol. tripart. p. 1. tract. 3. a. 2. videri possunt. Ipsos Scripturæ evidenter contradicere, tum in aliis, tum in dogmate de sufficientia solius fidei sine operibus ad salutem, manifestum est partim ex dictis num. 385. partim ex eo quòd necessitatem operum Scriptura passim inculcet. In quo etiam puncto veriti non sunt Scripturam depravare. Nam ubi in epist. 2. Petri c. 1. editio vulgata & antiquissima habet: *Satagite, ut per bona opera certam vocationem vestram, & electionem faciatis*: Lutherus in scripturis suis, authoritate suâ, delevit ly *per bona opera*. Et ubi in epist. ad Rom. c. 3. v. 28. Apostolus dicit hominem justificari per fidem: Lutherus adjunxit, *per solam fidem*. Similiter ubi Joan. 6. v. 50. Biblia antiquissima habent: *Ego sum panis vivus*: Calvinus loco ly *vivus*, ponit *vivificans*. Utriusque in Deum & Christum blasphemias vidimus num. 382. & 404. Lutheri denique mendacia & impostura constant imprimis ex eo quòd ad Evangelium, in festo Annuntiationis, impudenter dicat, *Papistas Virginem Matrem, Deum constituere*, & lib. contra Ambros. Catharinum, eosdem animæ immortalitatem non credere. Et lib. de Conciliis aperto mendacio imponit Hieronymo, quòd in Litteris ad Damasum voluerit expungi vocem *Homoousion*, de qua Hieronymus nunquam dubitavit. Et colloq. Latin. cap. de damnat. & inferno, negat Augustinum quidquam habere de purgatorio; quod tamen cæteris frequentiùs astruit Augustinus, ut videre est l. 2. de Genes. contra Manich. c. 21. in Psal. 37. l. 21. Civit. 16. &c. Deinde in lib. contra Regem Angliæ: *Certus sum* (inquit) *quòd doctrinam meam de cœlo habeam.* In eo tamen seipsum mendacem facit to. 7. Wittemberg. fol. 133. dum suam de eo incertitudinem fatetur: *Cor meum ita affectum est, ut sperem me in Dei nomine hoc opus aggressum esse; non sum tamen ejus audaciæ, ut de eo judicium feram, & publicè prædicem, pro certo aliter non esse. Nollem libenter divinum judicium super hac re sustinere.* Et in colloq. Islebiens. de Christo fol. 96. *Sæpè sic mecum cogito: propemodùm nescio, quo loco sim, & utrùm veritatem doceam.* Et apud Fitzimon l. 1. c. 11. aliquando ingenuè testatus est, *se non posse credere, quæ aliis prædicaret.* Nec superioribus imposturis contentus to. 2. Jenensi German. fol. 19. anno 1522. vaticinatus est, quòd si per duos adhuc annos à se, suisque pseudo-evangelium suum prædicaretur, *tamquam fumus evanescerent Papæ, Episcopi, Cardinales, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Campanæ, Patres, Missæ*, &c. Hæc tamen omnia perseverant, tametsi annis 24. supervixerit, per seque & suos prædicare perrexerit. In libro etiam contra Regem Angliæ: *Dogmata* (inquit) *mea stabunt, & Papa cadet, invitis omnibus portis inferni, & potestatibus terræ & maris. Instat enim mors Papatûs*, &c. Imposturam tamen ipsius contrarius manifestat eventus, sicut & ea quæ ipsemet alibi in contrarium dixit, ut in locis communibus classe 3. pag. 40. *Timeo quòd ista doctrina, nobis extinctis, iterùm obscurabitur.* Et iterùm: *Si nostra Ecclesia.... sic subverteretur, ut me ampliùs Doctorem suum agnoscere non vellet: id quod aliquando fiet, si non viventibus nobis, tamen sublatis.* Et in colloq. tit. de bonis Ecclesiasticis: *Conamur Papam, & Episcopos extirpare, sed frustrà, nihil proficimus.* Quæ cùm non consistant cum superiori assertione tam asseveranter ab ipso jactitata: *Dogmata mea stabunt, & Papa cadet, invitis omnibus portis inferni*; recognoscat ergo Lutherus dictum suum in as-

sertionibus Teutonicis artic. 25. *Qui semel mentitur, hic certissimè ex Deo non est, & suspectus in omnibus habetur.* Et lib. contra Emserum : *Si semel deprehenderer ita mentitus, falsus, & crassè stolidus ; jam tota doctrina, & fidelitas finem pentùs haberet, & unusquisque me pro nequam, & infami nebulone (ut æquum est) habiturus esset.*

424 Perspicua Calvini mendacia & impostura videri possunt lib. 4. Institut. ipsius cap. 7. §. 27. ubi impudentissimè sic imponit : *Quasi verò dubium sit, qualem religionem sint jam pridem professi Pontifices, cum toto Cardinalium Collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcanæ illius Theologiæ, quæ inter eos regnat, caput est, nullum esse Deum. Alterum, quæcumque de Christo scripta sunt, & docentur, mendacia esse, & impostura. Tertium, doctrinam de vita futura, & ultima resurrectione, meras esse fabulas. Jam pridem hæc ordinaria cœpit esse Pontificum religio.* Magistrum discipuli sequuntur in Batavia Ministri, quibus (teste Illustrissimo Castoriensi) nihil magis familiare est, quàm passim & publicè vociferari, *sacras Scripturas apud Catholicos summo haberi contemptui, & in prima librorum prohibitorum classe collocari.* Quid mirum ista ab iis impudenter effutiri, qui Papam esse Antichristum habent pro articulo fidei. Quod mendacium Scriptura sacra perspicuè refellit : utpote secundùm quam Antichristus venturus est in fine temporum, & solùm regnaturus tribus annis cum dimidio. Daniel. 7. & 12. Romani autem Pontifices plusquàm à mille septingentis annis tenent Ecclesiæ Principatum. Antichristus dicet se esse Christum, seu Messiam. Matth. 24. Romanus verò Pontifex, se Christi Vicarium dicit. Antichristus se palàm opponet cruci Christi. Danielis 11. & 2. Thessal. 2. Romanus Pontifex Christi crucem adorat. Antichristus juge tollet sacrificium. Daniel. 8. Romanus Pontifex tuetur illud, docet quotidie peragendum, & sæpè ipse peragit. Antichristus sedebit Hierosolymis in Templo, ostendens se tanquam sit Deus, imò extollet se supra omne quod dicitur Deus. 2. Thessal. 2. Interficiet Eliam & Enoch. Apoc. 11. Christianos toto orbe persequetur. Matth. 24. Nihil verò horum quadrat in Romanum Pontificem. Quod enim hæretici dicunt, ipsum sinere se adorari, ut Deum, calumnia est : cùm non adoretur cultu latriæ, ut Deus ; sed duliæ, ut homo Christi Vicarius, eo modo quo Elias 3. Reg. 18. & Elizeus 4. Reg. 2. Ecce qui se pro Apostolis, & Evangelistis, & pro ore Dei venditant, mendaces inventi sunt. Eant ergo ipsi, eant sectatores Lutheri & Calvini, teque à Spiritu sancto afflatos prædicent, nulla in ipsis agnoscimus indicia Spiritûs Dei, sed spiritûs diaboli : quo insuper Calvinus non erubuit Deum peccati authorem facere. Cujus hac in re sententiam Olandus Doctor Oxoniensis Primarius, tametsi sectarius, in solemni actu Academiæ Oxoniensis, ex alta Cathedra, in mille hominum præsentia, apud Petrum Cudsemium, ex Calvinista Catholicum, in *causa Calvini desperata* dixit, *nec defendi, nec excusari posse, Calvinumque fuisse quidem virum doctum, sed non scripsisse in omnibus catholicè.* Si verò Calvinus in re omnium gravissima tam fœdè prolapsus est, quâ fide dignus est in cæteris ? Sanè (ut benè Becanus) verisimile non est, Spiritum sanctum per illud Calvini os, quod tam tetrum errorem contra divinam bonitatem exhalavit, sanam, & reformatam doctrinam proseminasse. Verius in ipsum quadrat censura Lutheri in Zuinglium to. 2. German. Wittemb. fol. 190. de Cœna Domini : *eum pro hæretico habendum, fugiendumque cum omni doctrina sua, qui negare ausit publicum fidei articulum.* Et *propterea à Zuinglio nullum caput Christianæ religionis rectè doceri.*

Denique non sunt afflati Spiritu Dei, sed 425
spiritu diaboli, qui docent hæreses in primitiva Ecclesia damnatas (ipsis etiam Lutheranis & Calvinianis, cum Luthero & Calvino fatentibus, primitivam Ecclesiam, quæ hæreses illas damnavit, ab omni errore immunem fuisse, veramque Christi Ecclesiam fuisse.) Sed Lutherus & Calvinus cum sectariis suis docent hæreses in primitiva Ecclesia damnatas. Ut 1°. bona opera non esse ad salutem necessaria, quæ fuit hæresis Simonis Magi, teste Irenæo l. 2. c. 20. Et Eunomianorum circa annum 360. ab Ecclesia damnatorum, teste Augustino, hæresi 54.

2°. traditiones esse rejiciendas, solam 426
Scripturam recipiendam. Quod in Ario, Nestorio, Eutychete, & Dioscoro primæva Ecclesia damnavit, ut constat ex VII. Synodo act. 1. & Augustino l. 1. contra Maximum c. 2.

3°. negant Sacramentum Confirmationis 427
& Pœnitentiæ. Quod in Novatianis olim damnatum esse testis est Cyprianus l. 4. epist. 2.

4°. negant orandum pro defunctis, je- 428
junandum per Quadragesimam, &c. Quæ est vetustissima hæresis Aëtianorum, teste Epiphanio, & Augustino de hæres. c. 33.

5°. cum Vigilantio (apud Hieronymum) 429
& Iconomachis ab Ecclesia damnatis (teste Cedreno, & Nicephoro) improbant venerationem Reliquiarum, imaginumque Christi & Sanctorum, tamquam idololatricam. Et alia ejusmodi, in quibus cum hæreticis primorum sæculorum contra veram Ecclesiam conspirant. Nihil verò istorum Ecclesia Romana recipit, sed Ecclesiæ primitivæ, seu Christi & Apostolorum depositum fideliter custodit, malens extrema quæque pati supplicia, mortem, exilia, rapinas bonorum, quàm vel unicum articulum ab Ecclesia primitiva damnatum admittere. Sola proinde

vera

vera est Christi Ecclesia, non verò illæ, quæ cum inimicis Christi olim damnatis conspirant.

CAPUT XXXIV.

Sola Ecclesia Romana habet infallibilem fidei regulam: sola proinde vera.

430 COnsecutio probatur: quia vera Christi Ecclesia infallibilem habere debet fidei suæ regulam, quâ controversias subnascentes dirimere possit. In vera quippe Christi Ecclesia omnia esse non possunt incerta, litibusque interminatis plena. At sine infallibili regula fidei, omnia sunt incerta, & plena litibus interminatis.

431 Sola verò Ecclesia Romana, non verò Lutherana, Calviniana, talem fidei suæ regulam exhibere possunt. Quod quidem de Lutherana, & Calviniana constat ex dictis cap. 32. Romana verò pro infallibili regula fidei habet tum Scripturam sacram, tum Christi & Apostolorum traditiones non scriptas, sicque pro regula fidei habet verbum Dei scriptum & non scriptum, verum ab adulterino discernens, per infallibile visibilis Ecclesiæ, vel Capitis illius judicium, ut infrà.

CAPUT XXXV.

S. Scriptura, licèt non sola, est infallibilis fidei regula.

§. I.

Scripturæ sacræ definitio.

432 SCriptura sacra est verbum Dei scriptum. Verbum (inquam) Dei, non latè sumptum (quomodò conciones, seu pias instructiones vocamus verbum Dei, licèt S. Scripturæ verbis non exprimantur) sed strictè sumptum pro sermone à Spiritu sancto inspirato & dictato, non quoad substantiam dumtaxat, sed & quoad expressiones & verba; non quòd ista individua verba, quæ jam habemus, dictata fuerint isto idiomate, latino scilicet, gallico, flandrico, &c. (aliàs Biblia latina, quam habemus, dici non deberet Scriptura sacra, uti nec in gallicam, vel flandricam linguam translata: nec enim isto idiomate dictavit eam Spiritus sanctus, sed pro magna parte idiomate hebraico; pro altera parte græco) sed quòd textus originalis, eo modo scriptus fuerit à Scriptoribus sacris, quo dictatus fuit à Spiritu sancto. Undè sive Scriptura latinè scripta sit, sive gallicè, &c. dici debet Scriptura sacra, dummodò verba & expressiones ipsius correspondeant, quoad significationem, verbis in textu originali expressis, ita ut per translationem in aliud idioma non solùm expressus fuerit sensus primarius, seu primò obvius, sed & vis seu energia verborum expressionumque idiomatis, in quo primitùs scripta fuit, quantùm fieri potuit in idiomate, in quod facta est translatio. Neque enim vis est in sono vocis, sed in significatione & energia expressionum, quâ servatâ, Scriptura in aliud idioma translata, dicitur quidem Scriptura sacra; dependenter tamen ab idiomate, in quo fuit à Spiritu sancto dictata: ita ut, difficultate occurrente, ad textum originalem recurri possit & debeat, ut videatur, nùm translatio per omnia correspondeat expressioni originali. Magna proinde differentia est inter verba S. Scripturæ, & verba Conciliorum: tametsi enim Spiritus sanctus sic assistat Conciliis Generalibus, ut infallibiles sint definitiones ipsorum, saluberrimaque decreta ad morum reformationem, & disciplinam ecclesiasticam spectantia; omnia tamen verba, quibus exprimuntur, dictata non censentur à Spiritu sancto.

Et hinc longè majorem reverentiam (ob 433
majorem excellentiam) debemus verbis & expressionibus S. Scripturæ, quàm Conciliorum (licèt Conciliorum definitiones non minùs infallibiles sint, ut dixi) quòd enim Scripturæ sacræ expressiones dictatæ fuerint à Spiritu sancto, Scriptura ista testatur 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est*, &c. Et 2. Petr. 1. *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Testantur & Patres. Scripturam quippe à Spiritu sancto prolatam esse, expressio est Chrysostomi homil. 40. in Joan. *à Spiritu sancto dictatam*, expressio Augustini in Psalm. 59. Testantur etiam Patres, sacros Scriptores fuisse velut calamos Spiritûs sancti, juxta illud: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Ita S. Augustinus in Psal. 44. & Theodoretus Præfat. in Psalmos. S. Irenæus l. 2. contra hæreses c. 47. probat, Scripturas esse profectas, ex eo quòd *à Verbo Dei, & à Spiritu ejus sint dictæ.* S. Gregorius Præfat. ad libros Moralium, agens de Authore libri Job 1. cap. 1. sic loquitur: *Quis hæc scripserit, valdè supervacuè quæritur; cùm tamen Author libri Spiritus sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit; ille scripsit, qui & illius operis inspirator extitit, & per scribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit.* Quod istâ declarat similitudine: *Si magni cujusdam viri epistolis susceptis, legeremus verba, eaque quo calamo scripta fuissent quæreremus; ridiculum profectò esset, si non epistolarum & Authorem scire, sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba expressa fuerint, indagare studeremus. Cùm ergo rem cognoscimus, ejusque rei Spiritum sanctum Authorem tenemus, quando Scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras de calamo perscrutari?*

Quòd si Scriptura sacra sit à Spiritu san-

cto dictata, verbatim est suggesta: quod enim dictatur, non quomodocumque, sed verbatim exprimendum scribenti suggeritur. Meritò proinde SS. Patres Basilius homil. 7. in Hexaëm. Chrysostomus homil. 8. 28. & 42. in Genes. &c. docent, ne verbum quidem, imò nec syllabam, nec apicem in sacris Scripturis otiosam, aut superfluam inveniri; ideòque tam ipsi, quàm alii Patres, in excutiendis singulis Scripturæ verbis occupasse se inveniuntur, mysteria in illis latere non dubitantes, ex eo quòd ea præ aliis Spiritus sanctus elegisset. S. Chrysostomus homil. 18. & 21. in Genes. dicit, *nec syllabam, nec apicem esse in Litteris sacris, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus.* S. Basilius homil. 10. in Hexaëm. *intolerandam prorsus, & grandem blasphemiam esse* dicit, *siquis vel verbum asserat in Scripturis sacris inveniri otiosum.* S. Hieronymus in cap. 4. epist. ad Ephes. ait, *singulos sermones, syllabas, apices, puncta in divinis Scripturis plena esse sensibus.* Et in Psal. 9. addit, *singula verba Scripturarum singula esse sacramenta.*

§. II.

Corollaria duo momentosa ex proximè dictis.

434 PRimum Corollarium est, quòd Scripturæ sacræ maxima debeatur reverentia, Deoque valdè displiceat implicitus contemptus ipsius, consistens in neglectu & fastidio ipsam legendi. Quia qui in eo culpabiles sunt, illo suo agendi modo innuere videntur, parum utilem, vel necessariam esse lectionem illam; adeòque Spiritum sanctum parum utilis, vel necessariæ Scripturæ Authorem esse. Quod alienum est à fide, sicut & ab infinita sapientia, bonitate, & charitate Spiritûs sancti: dicit enim Apostolus 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

435 Quid verò SS. Patres? Hieronymus in Psal. 147. ad illa verba: *Et adipe frumenti satiat te: Pinguissimus* (inquit) *sermo divinus est, omnes in se habens delicias: quidquid volueris, ex sermone divino nascitur, sicut tradunt Judæi, quoniam manna, quod comedebant, secundum voluntatem uniuscujusque, sic sapiebat in ore.* Unde alibi cum aliis Patribus dicit, Scripturam sacram eò reddi sapidiorem, & eò plures in ea veritates ac sensus reperiri, quò melior est voluntas, id est quò magis pia & humilis est anima ipsam legentis.

436 Rursus idem Hieronymus in Prolegomeno super Isaïam: *Si juxta Apostolum Paulum Christus Dei virtus est, & Dei sapientia; qui nescit Scripturas, nescit Dei virtutem, eque sapientiam. Ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est.* Necessitatem lectionis Scripturæ fortioribus non posset terminis exprimere; non solùm respectivè ad Clericos (quibus major incumbit obligatio eam legendi) sed & respectivè ad omnes. Generaliter namque loquitur. Unde in epist. ad Demetriad. ipsismet mulieribus S. Scripturæ lectionem injungit: *Unum illud tibi repetam, & prædicans iterum iterumque monebo, ut animum tuum sacræ lectionis amore occupes.* Et circa finem: *Finem jungo principio, nec semel admonuisse contentus. Ama Scripturas sanctas, & amabit te sapientia. Dilige eam, & servabit te. Honora illam, & amplexabitur te.* Ad alias quoque virgines scribens, ipsis mandat, ut etiam sæpiùs in die lectioni se applicent sacræ Scripturæ.

S. Ambrosius in Psal. 118. alloquens ge- 437
neratim Christianos: *Arguit Christus eos qui utuntur lucernâ* (S. Scripturam intelligens) *si non semper utantur. Nunquam negligamus verbum Dei, ex quo nobis omnium origo virtutum est, universorumque operum quidam processus. Hæc lucerna accensa sit in omni verbo, & in omni opere.* Et rursùm: *Habet verbum Dei epulas suas; alias fortiores, ut est lex, & Evangelium; alias suaviores, ut sunt Psalmi, & Cantica Canticorum.* Item: *Ede Scripturarum cælestium cibos; ede quotidie, ut non esurias .... Non perfunctoriè transeamus quæ legimus, sed etiam cum abest Codex, tamquam animantia munda, & ruminantia, de interioribus nostris ruminandum nobis pabulum spirituale promamus.*

Chrysostomus homil. 2. in Matth. forti- 438
ter incultat lectionem S. Scripturæ, ad solos non pertinere Monachos, sed ad fideles omnes, etiam uxoratos: utpote quibus magis necessaria est, quàm Monachis: *Qui enim* (inquit) *versantur in medio, & vulnera quotidie accipiunt, magis indigent medicamine .... Non audis Paulum loquentem, quoniam ad correptionem nostram hæc omnia scripta sunt? Tu verò Evangelium, etiamsi illotis* (ut aiunt) *manibus contrectare daretur, ne attingere quidem cupias? .... Non contemnamus Scripturas audire divinas: hæc enim diabolicæ inspirationis sunt, non sustinentis nos aspicere thesaurum, ne divitias acquiramus.* Concione verò 3. de Lazaro: *Etiamsi* (inquit) *non intelligas illic recondita, tamen ex ipsâ lectione multa nascitur sanctimonia. Quamquam fieri non potest, ut omnia ex æquo ignores: propterea Spiritus gratia dispensavit illa, temperavitque, quo publicani, piscatores, tabernaculorum opifices, pastores, & Apostoli, idiotæ & illiterati, per hos libros salvi fierent, ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere posset excusationem.*

Pariformiter de lectione S. Scripturæ lo- 439
quuntur reliqui Patres. Qui si tanto zelo S. Scripturæ lectionem commendant fidelibus omnibus; quantò magis Clericis, præ-

sertim Sacerdotibus, & maximè saluti proximorum incumbentibus ? Qui proinde majorem cæteris scientiam habere tenentur sacrarum Litterarum, spectantium ad salutem, & ad ea quæ officii sui sunt. Legunt ipsi quotidie in Horis suis sacros versiculos istos : *Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti. Quomodò dilexi legem tuam Domine? totâ die meditatio mea est. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.* Sed quàm pauci psallunt ista sapienter, id est cum sapida scientia, uti explicat S. Thomas ? Et quomodò cum sapida scientia legunt, qui intelligere non sagunt ea quæ psallunt ?

440 Secundum Corollarium est, quòd à doctrina Spiritûs sancti, & SS. Patrum remotissima sit assertio ista : *Ut liber aliquis sit Scriptura sacra, sufficit quòd testimonio divino constet, nihil falsi in eo contineri.* Aliud est enim quòd liber aliquis certissimè, etiam certitudine divinæ revelationis, nihil contineat falsi ; aliud quòd liber ille dictatus fuerit à Spiritu sancto, ita ut hoc titulo specialem reverentiam mereatur, mysteriaque contineant omnes apices & apiculi ipsius. Certissimè, certitudine fidei, adeòque certitudine divinæ revelationis, nihil falsi continent definitiones Conciliorum Generalium, in materia fidei & morum : non sunt tamen Scriptura sacra, ut suprà vidimus.

§. III.

Duplex S. Scripturæ sensus.

441 SEnsus S. Scripturæ est ille quem S. Scripturæ verba immediatè, vel mediatè significant, ex intentione Spiritûs sancti eam dictantis. Duplex est, litteralis, & spiritualis, seu mysticus. *Litteralis* est ille, quem verba S. Scripturæ immediatè significant, ex intentione Spiritûs sancti. Mysticus, quem ex eadem intentione solùm mediatè significant. Nam, ut alibi dixi, hoc proprium habet Scriptura sacra, quòd non solùm verba ipsius immediatè significant aliquid, sed etiam, mediantibus rebus immediatè per ea significatis, ex intentione Spiritûs sancti, res aliæ significantur. Siquidem *uno eodemque sermone, dum Scriptura narrat gestum, prodit mysterium*, ait D. Gregorius 20. Moral. 21.

442 Quod & constat ex 1. Cor. 10. ubi post narrationem nonnullorum, quæ ad litteram facta sunt in veteri Testamento, subditur : *Hæc autem in figura contingebant illis.* Et ad Galat. 4. narratâ historiâ duorum filiorum Abrahæ, subjungitur : *Quæ sunt per allegoriam dicta : hæc enim sunt duo Testamenta.* Denique Christus in Evangelio sæpiùs explicavit sensum mysticum parabolarum suarum.

Porrò sensus litteralis exprimi potest ver- 443
bis, tum propriè, tum impropriè, sive figuratè acceptis. Cùm ad ipsum sufficiat quòd immediatè intentus sit à Spiritu sancto. Unde in verbis istis : *Vicit leo de tribu Juda*, &c. victoria Christi litteraliter exprimitur, etiamsi vox *leo* solùm impropriè, seu figuratè significet Christum. Similiter expressio ista : *Ego sum vitis, vos palmites*, litteraliter (etsi figuratè tantùm) significat, quòd Christus similem habeat connexionem nobiscum, quam vitis cum palmitibus ; sicque nos à Christo dependeamus, ut spirituale charitatis vinum proferamus, sicut palmes à vite, ut naturale vinum proferat. Litterali etiam sensu exprimitur scientia Dei respectu existentium, dum ipsi in Scriptura tribuuntur oculi ; sicut & potentia, dum ipsi brachium tribuitur, tametsi vox *oculus* & *brachium* Deo propriè non conveniat.

Eo tamen non obstante Augustinus l. 3. 444
de doctr. Christ. c. 10. & l. 9. de Genes. ad litt. c. 7. rectè monet, divinas Scripturas in sensu proprio accipiendas, dum nihil cogit eas figuratè accipere. Hoc enim ratio ipsa exigit ; & aliàs vix unquam sciri posset sensus sacræ Scripturæ. Nam si verba sacra in sensu figurato accipi possent, excluso sensu naturali & obvio, dum nihil cogit ea ad improprium deflectere, nihil probari posset ex ipsismet evidentissimis divinæ Scripturæ expressionibus : utpote à quarum naturali & obvia significatione ad aliam planè diversam & impropriam semper vel ferè semper deflectere fas esset.

Sensus mysticus, uti dixi to. 1. de Deo 445
dist. 1. q. 4. triplex distingui solet, allegoricus, anagogicus & moralis. *Allegoricus*, per ea quæ gesta sunt in veteri Testamento, significat ea quæ spectant ad Christum, vel Ecclesiam novi Testamenti. *Anagogicus*, per ea quæ litteraliter significantur, exprimit ea, quæ spectant ad vitam æternam, seu Ecclesiam triumphantem. Moralis, per ea quæ significantur in sensu litterali, exprimit ea quæ pertinent ad mores. Unde quadruplex S. Scripturæ sensus hisce versibus pulchrè declaratur.

Littera gesta docet : quid credas allegoria :
Moralis quid agas : quò tendas Anagogia.

Ultra sensus istos datur alius, qui dici- 446
tur *accommodatitius*, juxta quem alteri personæ, vel rei accommodamus ea, quæ Scriptura de aliqua re vel persona dicit, v. g. accommodamus Deiparæ Virgini, quæ Scriptura dicit de sapientia æterna, vel multis Sanctis accommodamus, ea quæ Eccli. 44. dicuntur de Patriarcha Noe : *Inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Sed iste non est sensus S. Scripturæ, propriè loquendo : quia non est intentus à Spiritu sancto. Unde ab isto sensu ef-

ficaciter non arguitur ; uti nec à solo sensu mystico, nisi à Spiritu sancto intentum esse constet ex alio sacro textu, vel Ecclesiæ declaratione, vel Sanctorum traditione, prout Theologi monent cum S. Thoma. Ex solo ergo sensu litterali ordinariè efficaciter arguitur ; quem sensum, etiam proprium, in una littera posse esse multiplicem, loco proximè relato a. 2. demonstravimus.

§ 4.

Rationes, cur Deus voluerit S. Scripturam diversis in locis esse obscuram.

447 OBscuritatem illam negant hæretici ; sed proprio convincuntur experimento, dum urgentur ut sensum asserant v. g. istius loci, *melior est iniquitas viri, quàm mulier benè faciens.* Et unde inter Lutheranos & Calvinianos tanta in explicandis Bibliis diversitas, si Biblia in omnibus tam lucida sint ? Et quid est quòd ipsimet summi viri, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, cum omni diligentia sua, tantam in iis intelligendis difficultatem experti sunt, ut Augustinus epist. 119. fateatur, in Scripturis sacris se multò plura nescire quàm scire ? Et S. Hieronymus in c. 7. Eccles. dicit quòd *vir, qui eruditus fuerit in Scriptura, quantò plura scire cœperit, tantò ei in his quotidie oritur major obscuritas.* Epistolâ quoque ad Algasiam q. 8. *omnis epistola ad Romanos nimiis obscuritatibus involuta est.* Et nunquid Petrus Apostolorum Princeps de Pauli epistolis agens 2. Pet. 3. dicit, in iis *contineri quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant* (id est detorquent, ut est in Græco) *ad suam ipsorum perditionem ?*

448 Rationes plurimæ à sanctis Doctoribus afferuntur, propter quas Spiritus sanctus non voluit in sacris Litteris omnia esse aperta, omnesque sensus illius omnibus innotescere. Prima est quòd sicut genus humanum, ob peccatum primi hominis, condemnatum est secundùm corpus, ut cum sudore vultûs corporali pane vesceretur ; ita & secundùm animam, ut pane spirituali non vesceretur sine difficultate ; quæ cæteris paribus tantò major est, quantò magis divinam condemnationem provocat reiteratio & multiplicatio peccatorum. Et hinc est quòd magni peccatores non percipiant ea quæ Dei sunt ; econtrà justi & humiles, qui se in tenebris jacentes, justissimèque damnatos recognoscunt, mirabilem divinæ Scripturæ profunditatem tantò magis intelligant, quantò justiores & humiliores sunt, juxta illud Psal. 18. *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Et Matth. 11. *Confiteor tibi Pater .... quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.*

Secunda ratio est, ut lectionis fructus, 449
per istam obscuritatem correspondeat orationi, & rectitudini cordis : si enim omnia clara essent, & omnibus obvia, ab omnibus, bonis & malis, diligentibus & desidiosis, æqualiter perciperentur. Ubi econtrà obscuritas facit, ut cæteris paribus, illi plus in Scripturis sacris intelligant, qui piè viventes, magis piè ipsam legunt, & pro ipsius intelligentia magis orant. Quia Deus, qui per Scripturam loquitur, *illuminat rectos corde.* Et *beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt*, & quæ Dei sunt intelligent. Et pulsantibus per orationem datur sapientia & intelligentia Scripturarum.

Tertia ratio est, quia per istam obscuri- 450
tatem fit ut divina mysteria salubriter occultentur infidelibus ea alioqui irrisuris, & sanctum non detur canibus.

Quarta ratio est, ut reprimatur superbia hominis, omnia statim comprehendere volentis, fastidiumque impediatur, quod de obviorum & facilium lectione facilè concipitur. Unde Augustinus l. 2. de doctr. Christ. c. 6. de Scripturæ obscuritate dicit : *Hoc totum provisum divinitùs esse non dubito ad edomandam superbiam, & intellectum à fastidio revocandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt .... Qui prorsus non inveniunt quod quærunt, fame laborant : qui autem non quærunt, qui in promptu habent, fastidio sæpè marcescunt. In utroque autem languor cavendus est. Magnificè igitur & salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret.*

Quinta ratio est, ut obscuriorum intelli- 451
gentia, multo labore comparata, magis dulcescat. Quia dulciora bona, quæ difficilè, quàm quæ facilè comparata : cùmque difficilium intelligentiam sine multa investigatione non assequimur, desideramus ardentiùs, ut assequamur, & desideratam assequimur jucundiùs, ut Augustinus dicit in l. contra mendac. c. 10.

§. V.

Regulæ sexdecim pro lectione & intelligentia sacræ Scripturæ.

REgula I. est ista : *Nemo prudentiæ suæ* 452
innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, S. Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit & tenet S. Mater Ecclesia ..... aut contra unanimem consensum Patrum, ipsam interpretari audeat. Verba sunt Concilii Tridentini sess. 4. non solùm contra hæreticos, qui Ecclesiæ definitiones, & sanctorum Patrum interpretationes parvipendunt, sed & contra plures alios, qui Scripturam sacram ad sensum liberioribus opinionibus suis faventem interpretari au-

dent, parùm attendentes consensum sanctorum Patrum in contrarium.

453 Regula II. S. Scriptura legenda est mundo & humili corde, cumque spiritu orationis, ad obtinendam ipsius intelligentiam: non quòd lectio illius prohibita sit existentibus in statu peccati: cùm & ipsis ad conversionem utilis esse queat lectio, piè & humiliter facta; sed quòd (ut Augustinus ait l. de oper. Monach. c. 17.) certum sit *tantò citiùs quemquam proficere, cùm bona legit, quantò citiùs facit quod legit.* Et quia scriptum est: *Qui diligunt Dominum, replebuntur lege ipsius.* Eccli. 2.

454 Regula III. Legens Scripturam, esse non debet de numero eorum, qui in ea non tam discere amant veritatem, quàm invenire aliquid favens præconceptæ opinioni suæ; sed considerare, quòd in Scriptura S. Deum audiat loquentem; cui dignum & justum est, ut subjiciat intellectum, & omnem sensum suum.

Regula IV. Legere eam debet animo proficiendi ex sacra lectione illa, & non solo animo excellendi, captando ex ea quæ utilia videntur ad disputandum, vel aliis concionandum.

455 Regula V. Scriptura accipienda est in sensu proprio & obvio, nisi aliquid cogat accipere in improprio & figurato, prout ex Augustino diximus n. 444. Hanc regulam si secuti fuissent Calvinistæ, non erassent in capitali puncto fidei, figuratè accipiendo verba ista: *Hoc est corpus meum.*

456 Regula VI. Sententiæ obscuriores exponendæ sunt per clariores. Hanc si servassent Pelagiani, non erassent circa intelligentiam istius oraculi sacri: *Hominis est præparare animam; Dei autem est gubernare linguam*: libero arbitrio, non gratiæ tribuendo animæ præparationem, quam aliæ clariores sententiæ Scripturæ, verbis perspicuis gratiæ tribuunt: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; Deus operatur in nobis velle & perficere. Quis te discernit? quid habes quod non accepisti? Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi à nobis; sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.*

457 Regula VII. Est illa Augustini serm. 18. de verb. Dom. in Evang. secundùm Matth. c. 20. *Attendite ad facta Sanctorum* (quæ scilicet ab ipsis passim frequentata leguntur; non autem ad facta miranda potiùs quàm imitanda) *ne fortè nostra videatur interpretatio. Quomodò hæc verba intellexerunt Sancti, sic utique intelligenda sunt.* Quia facta ipsorum in moralibus sunt optimus sacrorum verborum interpres.

458 Regula VIII. Pro intelligentia sacrorum textuum, concernentium veritates fidei contra hæreticos, præcipuè recurrendum ad explicationes datas à Patribus, qui pro Ecclesia, contra hæreses illas suo tempore natas, certaverunt, v. g. ad explicationes S. Athanasii contra Arianos; S. Cyrilli Alexandrini contra Nestorianos; S. Augustini contra Pelagianos: consulendo potissimùm libros, quos contra hæreses illas ex professo scripserunt, v. g. Athanasius ad probandam divinitatem Filii Dei; Cyrillus ad probandam unitatem personæ in Christo; Augustinus ad probandam necessitatem, & efficaciam gratiæ, &c. Quia Deus est, qui ipsos specialiter suscitavit pro defensione veritatum illarum; specialiter proinde eum in finem illuminavit. Aliunde etiam adversantium contradictio ipsos magis sedulos, attentos, & cautos reddidit ad investigandas, & contra hæreticos defendendas S. Scripturæ veritates.

Regula IX. Scriptura sacra, referens aliquid ab aliquo dictum, non semper illud refert verbatim, prout dictum est, sed aliquando quoad substantiam dumtaxat. Patet ex verbis S. Joannis Baptistæ, Christo se humiliter postponentis, quæ à S. Matthæo c. 3. 11. & à S. Marco c. 1. 7. referuntur. Isti namque duo Evangelistæ in iis referendis conveniunt quoad substantiam, non quoad expressiones. 459

Regula X. Spiritus sanctus in sacris Scripturis spiritualia docet per corporalia, sicut & invisibilia per visibilia. Ita S. Hilarius, & S. Gregorius variis in locis. Contra regulam istam peccantes, imitatores sunt Judæorum, qui Messiæ sibi promissi magnificentiam & regnum intellexerunt de regno & magnificentia hujus mundi. Et ideò Jesum, tot signis & portentis demonstrantem se verum illorum Messiam, non cognoverunt, nec receperunt. 460

Regula XI. Nonnulla Deus in Scripturis sacris facere dicitur, non quia in se facit, sed quia in nobis facit ut faciamus. Est regula S. Augustini l. 4. de Genes. ad litt. c. 9. dicentis: *Rectè dicitur Deus facere, quidquid ipso in nobis operante facimus..... sicut dicitur Deus cognoscere, cùm efficit ut cognoscamus.* Neque enim *Deus temporaliter cognoscit, quod antea non noverat; & tamen dicit ad Abraham*: " Nunc cognovi quòd " times Deum: " *ubi quid aliud accipimus, nisi nunc feci ut cognosceretur? His locutionum modis, cùm ea quæ non accidunt Deo, tamquam illi accidant, loquimur, eum facere agnoscimus ut nobis accidant.... Et hoc locutionis genere modò arbitror dictum illud ab Apostolo*: " Nolite contristare Spiritum san- " ctum. " *Item*: " Spiritus sanctus inter- " pellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. " Quia scilicet Sanctos facit interpellare. 461

Regula XII. Dum Scriptura dubitanter loquitur, vel Deum ut interrogantem inducit, non hoc ex Dei ignorantia vel dubitatione, sed ex aliqua significatione descendit. Ita S. Augustinus l. contra mendac. c. 14. & S. Gregorius homil. 9. super Ezech. Duæ verò potissimùm significationes im- 462

portari solent, dum agitur de dubitatione. Prima est libertas arbitrii (inquit Hieronymus) per istam dubitationem indicata, v. g. dum Genes. 2. Deus narratur exprimere causam expulsionis Adam è Paradiso terrestri, *ne forte mittat manum suam*, &c. Sciebat quippe certissimè Deus quid facturus esset Adam, si in Paradiso mansisset. Secunda, est difficultas in re obtinenda, exempli gratiâ, dum 2. Reg. 16. David fugiens Ablalonem, jussit ut parceretur Semei ipsi maledicenti, his verbis: *Dimitte eum ut maledicat, juxta præceptum Domini: si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna.*

463 Interrogat autem aliquando Deus, ut instruat, vel ut confessionem eliciat; ut Gen. 2. *Adam ubi es?* aliquando, ut significet se ea, de quibus interrogat, nescire scientiâ approbationis, vel alios ob fines, qui ex circumstantiis colligi possunt.

464 Regula XIII. *Passim Deus in Scripturis tantùm nosse dicitur quem pro suo agnoscit.* Verba sunt Augustini in Psalm. 2. & serm. 70. de temp. Et hoc sensu virginibus fatuis dicit: *nescio vos*, scientiâ utique, seu notitiâ approbationis.

465 Regula XIV. *Solet Scriptura, sub eadem personâ, loqui de Christo, & etiam de Ecclesia, quæ est corpus ejus*, (verba sunt ejusdem l. 3. de doctr. Christ. c. 3.) *uti & de diabolo & membris ejus.*

466 Regula XV. Per recapitulationem multa in S. Litteris posteriùs narrantur, quæ priùs facta sunt (quod Græci fieri dicunt per histeron proteron) S. Augustinus l. de doctr. Christ. c....

467 Regula XVI. *Sancti Prophetæ, qui optare videntur alicui mala, potiùs prævisa solùm prædicunt.* Augustinus in Psal. 78. Sic in Psalmis, & Prophetiis primâ fronte videntur ex zelo vindictæ his vel illis optare mala; cùm tamen reverà solùm ea futura prophetico spiritu prædicant. Aliquando tamen nihil vetat, quin aliquibus locis dicantur etiam temporalia quædam mala optare, ob finem bonum, malis illis præponderantem.

§. VI.

Ex dictis ostenditur S. Scripturam infallibilem esse fidei regulam.

468 MAnifestè (inquam) id ostenditur ex definitione ipsius: *Scriptura sacra est verbum Dei scriptum*, ita ut quod Scriptura sacra dicit, Deus per eam dicat. Atqui Deum, in omnibus quæ dicit, infallibilem esse, fides demonstrat, & ratio clamat.

CAPUT XXXVI.

Ostenditur, solam Scripturam sacram non esse infallibilem fidei regulam; sed etiam traditionem esse talem.

HÆretici, ut cap. 33. vidimus, credere 469
nolunt nisi verbo Dei scripto. Sed ex dictis ibidem constat, ipsos credere debere etiam verbo Dei non scripto, sed solâ traditione ad nos derivato.

Primò, quia verbo scripto credere non possunt, nisi credant, hanc vel illam Scripturam esse verè divinam, adeòque verum, & non suppositum verbum Dei. Hoc autem nullibi Scriptura dicit. Et quamvis Scriptura assereret, se esse divinam, sine Ecclesiæ traditione certò non constaret esse talem; sicut etiamsi in Alcorano Mahometi sæpè asseratur, Alcoranum cælitùs à Deo missum, non ideò ut talem recipimus.

2°. Nec Scriptura exprimit Canonem sa- 470
crorum librorum. Quem tamen credere debent, sive hos libros, non illos esse divinos, ut certam habeant fidei suæ regulam.

3°. Plurima alia nobiscum, tamquam fidei articulos credunt, de quibus nihil Scriptura decernit; ut quòd baptismus parvulorum valeat; quòd baptizati ab hæreticis non sint rebaptizandi; quòd Spiritus sanctus à Patre, Filioque procedat; quòd rectè colamus diem Dominicam loco Sabbathi, &c.

4°. Traditiones ultra Scripturam reci- 471
piendas Scriptura tettatur 2. Thessal. 2. *Itaque, fratres, tenete traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam. His patet* (inquit Chrysostomus ad eum Apostoli locum) *quòd non omnia per epistolas Apostoli tradiderunt, sed multa etiam sine litteris.* Eâdem verò fide digna sunt, tam ista, quàm illa.

5°. Eadem cum Chrysostomo unanimis 472
est, de traditionibus ultra Scripturam recipiendis, sententia reliquorum Patrum. Siquidem Dionysius Areopagita Eccles. Hierarch. c. 1. *Primi* (inquit) *illi sacerdotalis muneris Duces, summa illa, & substantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus nobis tradiderunt.* Basilius Magnus lib. de Spir. sanc. c. 29. *Dogmata quæ in Ecclesia servantur ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habentur, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata. Quæ utraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem jurium Ecclesiasticorum experientiam habet.* Cyprianus lib. 2. epist. 3. *Admonitos nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, nempe ut mixtus aquâ offeratur.* Qua de re nihil Scriptura dicit. Hieronymus epist. ad Marcellam: *Nos unam Quadragesimam ex Apostolica traditione, tempore nobis congruo jejunamus.* Augustinus epist. 118. *Il-*

lo

la quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata, atque statuta retineri, sicut quòd Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cælum, & adventus de cælo Spiritûs sancti, anniversariâ solemnitate celebrantur, & siquid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa, quàcumque se diffundit Ecclesia. Alia verò quæ per loca terrarum, regionesque variantur, sicut est quòd alii jejunant sabbatho, alii non, &c. totum hoc genus liberas habet observationes: nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam fortè devenerit. Quâ antithesi particularium, universaliumque traditionum, ostendit istas esse necessariò servandas, quamvis illæ sint quodam modo liberæ.

473 6°. Celeberrima primitivæ Ecclesiæ Concilia (quorum priora quatuor, ut Nicænum, &c. Calvinus l. 4. Instit. c. 9. §. 8. profitetur se libenter amplecti, revererique ut sacrosancta, quantùm attinet ad fidei dogmata) in definiendis fidei dogmatibus, pro fundamento decretorum suorum, solas non habuerunt Scripturas, per se spectatas, sed intellectas prout recepta Ecclesiæ traditio intelligebat. Sic enim de Nicæno Concilio primo, Arii errorem damnante, D. Athanasius testatur lib. de decret. Nicenæ Synodi contra Eusebium his verbis: *Ecce nos quidem à Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstravimus.* Sicut & Theodoretus lib. 1. Histor. c. 8. dicens, *Arium damnatum traditione non scriptâ.* Idem de Synodo Nicæna II. seu VII. generali videre est act. 2. ubi Patres protestantur, decretum de cultu sacrarum imaginum à se maximè recipi propter veterem traditionem. Testeque Vincentio Lyrinensi cap. 32. *hoc semper..... Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia, ut quod priùs à majoribus solâ traditione susceperat, hoc deinde posteris, etiam per Scripturæ chirographum consignaret.*

474 7°. Sicut teste Joanne Evangelii sui cap. ult. *non omnia scripta sunt, quæ fecit Jesus*; ita nec omnia, quæ dixit. Sed omne quod Christus dixit, est verbum Dei. Credere verò debemus omni verbo Dei, si nobis sufficienter constet esse verbum Dei. Ut autem nobis sufficienter constet aliquid esse verbum Dei, Scriptura non requiritur. Quemadmodùm enim de vero verbo Dei scripto nobis sufficienter constat per Ecclesiæ declarationem, testificationemque; ita & de verbo Dei non scripto, sed verbaliter tradito dumtaxat, prout constat ex eo quòd de verbis Christi fidelibus sufficienter constiterit primis septem annis qui fluxerunt ab Ascensione Christi, ab anno scilicet Christi 34. ad 41. licèt intermedio illo tempore nondum conscripta fuissent Evangelia, nec Apostolorum epistolæ, sed & ab Adamo usque ad Moysen verbum Dei absque Scriptura sufficienter propositum fuit. Ecclesia namque toto tempore aliquid sine dubio ut verbum Dei credidit. Ergo, &c.

Objiciunt quidem hæretici 1°. illud Isa. 475
1. *In vanum colunt me, docentes mandata & doctrinas hominum.* Et Matth. 15. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Et 1. Petri 1. *Redempti estis de vana conversatione vestra paterna traditionis.*

Sed frustrà; quia ista de Christianis traditionibus non dicuntur, sed de Judaicis, legi divinæ contrariis, cujusmodi non sunt traditiones Christi, Apostolorum, & Ecclesiæ, quas Apostolus teneri vult suprà num. 385.

Objiciunt 2°. illud Deuteron. 4. *Non* 476
addetis ad verbum, quod vobis loquor. Ad Galat. 1. *Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Apocal. ult. *Contestor omni audienti verba prophetiæ hujus, siquis apposuerit ad hæc, apponet Deus super eum plagas scriptas in libro isto.*

Sed iterùm frustrà; tum quia imprimis Moyses in primo loco non dicit, *non addetis ad verbum quod vobis scribo*, sed *quod vobis loquor.* Nec Apostolus in secundo loco dicit, *præterquàm quod scripto evangelizavimus vobis.* Tum quia sicut Moyses (& idem est proportionaliter de Paulo) non prohibuit Deuteronomio addi aliud verbum Dei scriptum (scilicet libros Josue, Regum &c.) ita nec aliud verbum Dei non scriptum. Utroque ergo illo loco solùm prohibetur addi, vel evangelizari aliquid contrarium. Unde ly *præterquàm* apud Apostolum ibi idem est quod *contraquàm*, ut probat Augustinus tract. 98. in Joan. Aliàs Paulus anathema dixisset Joanni, & Lucæ. Tertio verò loco Joannes minatur iis, qui Apocalypsim corruperint, ei aliquid addendo, quasi à Joanne scriptum, quod ipse non scripsit. Aliàs Joannes sibiipsi minaretur, cùm Evangelium suum post Apocalypsim conscripserit, Hieronymo teste in lib. de Scriptoribus Eccles.

Objiciunt 3°. Sacra Scriptura est perfe- 477
cta fidei regula: ergo sine adjectis traditionibus est regula fidei sufficiens.

Respondeo negando consequentiam. Quia licèt eatenùs sit regula perfecta, quatenùs nihil ei deest debitum inesse. Non sic tamen, ut specificè contineat credenda omnia. Tametsi dici possit ea genericè continere, sive in genericis quibusdam principiis, quatenùs v. g. docet, traditiones, etiam non scriptas, esse tenendas, Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, &c. Quo sensu dici potest continere omnia quæ ad fidem spectant.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAPUT XXXVII.

Ad terminandas fidei controversias, ultra Scripturam & traditiones, necessaria est regula animata, seu animatus Judex controversiarum illarum.

478 PRobatur 1°. quia Scriptura quidem, & traditio, norma est judicii, uti sunt aliæ leges scriptæ, vel consuetudine non scriptâ introductæ. Sed aliud est norma judicii, sive regula secundùm quam sententia proferri potest; aliud Judex, qui proferre debet sententiam: quemadmodùm aliud est lex, aliud Legislator.

479 2°. Materia litigii nequit esse Judex, nec sententia Judicis. Oportet enim sententiam Judicis adeò perspicuam esse, ut altera pars litigantium clarè intelligat, se causam evicisse; altera, se causâ cecidisse (aliàs de sensu interpretationeque sententiæ, lites interminabiles moverentur.) Atqui & Scriptura & traditio plerùmque est materia litigii. Traditio quidem, ut patet in controversia, quæ olim fuit inter Stephanum Papam, & D. Cyprianum, an baptizati ab hæreticis forent rebaptizandi, qua de re cùm Scriptura nihil dicat, de sola traditione controversia fuit. Scriptura verò, tum quia controversia aliquando est, vel fuit, quinam illius libri canonici sint, quæ versio legitima, quis sensus verus, &c.

480 Sacra quippe Scriptura, per se præcisè sumpta, etiam adhibitâ locorum inter se collatione, subinde non adeò clara est, quin sensus varios, saltem apud morosa & difficilia quorumdam ingenia admittere possit. Enimverò in sacris libris varia esse intellectu difficilia Scriptura ipsa testatur, ut vidimus num. 447. Et certè innumeros ipsa continet tropos, qui difficiles esse solent; multos etiam hebraismos, & loquendi modos hodie obsoletos, plurimaque obscura Prophetarum vaticinia. Apocalypsis quoque nonnisi sub figuris & ænigmatibus explicatur. Denique (prout loco citato observavimus) idipsum demonstrat confessio & experientia virorum summi ingenii, doctrinæ & virtutis, ut Augustini, Hieronymi, &c. Quibus licèt Lutherus & Calvinus alibi præsumptuosè contradicant, Lutherus tamen Præfatione in Psalmos: *Multa* (inquit) *circa Psalmorum intelligentiam sibi reservavit Spiritus, quo nos semper discipulos habeat; multa solùm ostendit, ut alliciat; multa tradit, ut afficiat.* Et Calvinus l. 3. Instit. c. 2. §. 4. *Quotidie legendo* (Scripturam) *in multos locos incidimus, qui nos ignorantia coarguunt. At hoc fræno in modestia nos Deus retinet, ut optimus etiam quisque Doctor ad discendum paratus sit.*

481 Nec in solis rebus minutioribus, sed in præcipuis etiam fidei nostræ mysteriis, Scriptura non semper adeò perspicua est, quin sit controversiæ locus. Cùm & Arianis (tametsi viris doctis) obscuræ visæ sint Scripturæ de Filii divinitate, deque mysterii SS. Trinitatis veritate; sicut & Nestorianis Scripturæ de Verbi incarnatione; & Judæis de adventu Messiæ. *Judæi* quippe *legunt* (inquit Augustinus) *& non intelligunt, habentes velamen positum super cor suum. Quod à suis spiritualibus auferri rogabat Propheta, cùm diceret:* "Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. " *Item*: " Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. " Deinde in epist. ad Rom. traduntur præcipua quædam fidei mysteria de prædestinatione, justificatione, fide, & operibus. Epistola tamen illa, teste Hieronymo, *nimiis obscuritatibus involuta est.* Et si Scriptura circa fidei mysteria adeò perspicua sit, ut Sectarii dicunt, cur igitur tot circa illa, Scripturæque de illis loquentis sensum, tot inter Lutheranos & Calvinistas controversiæ sunt? Cur verba ista, *Hoc est Corpus meum*, Catholicis clarissima, Sacramentariis adeò videntur obscura, ut ea ad sensus improprios, & inter se distinctissimos detorqueant? Cur inter Sectarios, circa Scripturæ sensum, tot, & tam graves subinde contentiones excitantur, ut pro iis sopiendis, determinandoque Scripturæ sensu, Synodos congregent? Frustrà enim hoc fit, si Scriptura per seipsam clarissima, atque intellectu facillima sit, ut dicunt.

Non semper etiam obscuritas evanescit, 482
factâ locorum collatione. Cùm non semper suppetat alia Scriptura, aliam ita clarè interpretans, ut cesset controversiæ locus, uti constat, tum ex eo quòd primarii Ecclesiæ Doctores, qui assiduâ manu Biblia sacra versarunt, maximâque diligentiâ, & optimâ fide, locos contulerunt, ejus sensum non semper adeò clarè perceperint, quin de eo inter se disconvenerint. Tum ex eo quòd locus per se clarissimus, factâ collatione, subinde appareat obscurissimus, ut patet in allatis verbis, *Hoc est Corpus meum*, quæ factâ collatione, cum eo quod Christus Joan. 6. dicit: *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam*, &c. Sacramentariis obscurissima videntur. Tum denique ex eo quòd, factâ collatione locorum, non semper evidens sit, uter ex altero tamquam clariore, explicandus sit: cùm qui uni clarior apparet, alteri videatur obscurior, ut rursum constat ex allatis locis, ad invicem collatis.

Inaniter proinde hæretici pro erroribus 483
suis Scripturas proferunt; utpote quas perversè intelligunt. Et verò, etiam ab Ecclesia primitiva, damnatorum mos semper fuit, pro suis hæresibus Scripturas proferre, testante id de sui ævi hæreticis Tertulliano l. de præscript. c. 15. *Sed ipsi* (inquit) *& de Scripturis agunt, & de Scripturis suadent. Aliunde scilicet loqui possent de rebus fidei, nisi ex litteris fidei?* Idem testatur Hilarius l. 2.

ad

ad Constantium Augustum: *Memento, neminem hæreticum esse, qui se non secundùm Scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur.* Et S. Augustinus epist. 222. *Omnes hæretici, qui Scripturas in authoritate requirunt, ipsas sibi videntur sectari, cùm suos potiùs sectentur errores; ac per hoc, non quòd eas contemnant, sed quòd non intelligant, hæretici sunt.*

484 Quam ob causam non intelligunt? Quia privatum spiritum, & judicium suum sequuntur, non communem Ecclesiæ sensum, nec traditionem. Ista utique de causa, deque perversa ista radice, omnes hactenùs hæreses pullularunt, atque etiamnùm pullulant.

485 Fingunt quidem Scripturam per omnia claram esse prædestinatis; solis reprobis obscuram. Sed inaniter. Tum quia in contrarium sunt Scripturæ testimonia suprà relata, ipsisque contradicunt Hieronymus, Augustinus, &c. quos reprobos asserere non possunt; Scripturas tamen sibi obscuras attestantur. Tum quia si solis prædestinatis claræ sunt, omnibus hominibus obscuræ sunt. Cùm omnibus incertum sit & obscurum, quinam in particulari sint prædestinati.

486 Objiciunt quidem sequentia testimonia Psalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine.* Psal. 18. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.*

Sed frustrà: neque enim ista de tota Scriptura dicuntur. Nec ampliùs significant, nisi quòd Scriptura, ritè intellecta, lucerna sit, quâ viæ, & operationes hominis rectè diriguntur.

CAPUT XXXVIII.

Sicut Ecclesia, sic Judex controversiarum fidei, visibilis esse debet.

487 VEram Christi Ecclesiam visibilem esse debere, hoc sensu quòd ex signis notisque externis à nobis cognoscibilis sit, Scriptura ipsa testatur, quæ ipsam comparat monti, areæ, soli, lucernæ in candelabro positæ, civitati supra montem positæ, &c. *Non potest autem abscondi civitas supra montem posita.* Matth. 3. Unde Chrysostomus homil. 4. in cap. 6. Isa. *Facilius est solem extingui, quàm Ecclesiam obscurari.* Et Augustinus de unit. Eccles. c. 16. *Non est operta Ecclesia, quia non est sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Et de illa dictum est:* „ Non potest civitas abscondi supra montem posita. „ *Sed Donatistis* (Lutheranis, Calvinistis) *velut operta est; qui audiunt tam lucida testimonia, quæ illam toto Orbe demonstrant; & malunt clausis oculis offendere in montem, quàm eum ascendere.* Et tract. 2. in epist. Joan. *Quid amplius dicturus sum, quàm cæcos esse, qui tam magnum montem non viderint, qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudunt.*

Et ratio prima est, quia Ecclesia est so- 488
cietas hominum, qui nonnisi externis visibilibusque signis colligantur, secundùm illud Augustini l. 19. contra Faust. c. 11. *In nullum nomen religionis coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Secunda: quia omnes homines tenentur veram Christi Ecclesiam intrare. Eam verò intrare minimè possunt, nisi cognoscant. Veram ergo Ecclesiam oportet hoc sensu cognoscibilem esse, ut ex visibilibus signis ab hominibus certò cognosci possit. Tertia: homines tenentur Ecclesiam audire, eique denuntiare non audientes fraternam correptionem, Matth. 18. Ad hoc autem necesse est Ecclesiam cognoscere.

Objiciunt quidem hæretici 1°. *Non venit* 489
regnum Dei (id est Ecclesia) *cum observatione, neque dicent: ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est*, Luc. 17. 2°. Ecclesia 1. Petri 2. vocatur *domus spiritualis.* Non ergo visibilis. 3°. Ecclesiam esse, est articulus fidei. Igitur Ecclesia non videtur, sed creditur.

Sed ad primum respondeo per regnum 490
Dei ibi non intelligi Ecclesiam, sed regnum quo Christus in gloria venturus est judicare vivos & mortuos; quod non venit cum prænotione temporis, quo futurum est. Quia de die illo, vel horâ nemo scit. Vel per regnum Dei illud intelligitur, quo Christus post finale judicium regnaturus est cum omnibus Sanctis. De cujus tempore Christus, ab Apostolis interrogatus, respondit: *Non est vestrûm nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quod tamen regnum eatenùs intra nos est, quatenùs in nobis Christus interim regnat per gratiam suam, per quam illud gloriæ regnum promereri possumus. Vel denique Pharisæis interrogantibus Salvator respondet, *regnum Dei*, seu Regem cæli Messiam non venire cum illa observatione, cum qua ipsum Pharisæi expectabant, qui utique existimabant Messiam venturum in regio splendore & apparatu, quo sensu Christus dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo. Ecce enim* (inquit) *regnum Dei*, id est Messias, *intra vos est*, id est in medio vestri, id est in regione vestra, absque regia pompa & fastu.

Ad secundum respondeo, Ecclesiam esse 491
domum spiritualem, non entitativè, sed quatenùs ad spiritualia ordinatur, & interior forma ipsius (fides, spes, charitas) est spiritualis.

Ad tertium respondeo in Ecclesia esse ali- 492
quid quod videtur, cœtum utique fidelium, fideique confessionem, ac professionem, Sacramenta denique, quibus cœtus ille colligatur: esse etiam aliquid quod creditur, interiorem utique Ecclesiæ fidem, quæ non videtur.

CAPUT XXXIX.

Ecclesia quoque Caput visibile esse debet.

493 SI enim vera Christi Ecclesia visibilis esse debet, Caput habere debet sibi proportionatum; adeòque visibile, visibilemque controversiarum Judicem. Quia omnis Reipublicæ visibilis Caput visibile est. In omni etiam Republica benè ordinata, præter leges scriptas, vel consuetudine receptas, necessarius est Judex visibilis, qui leges illas authoritativè interpretetur, sententiamque sensibiliter proferat, siquando circa eas controversia suboriatur. Unde quia sententia Spiritûs sancti, utpote invisibilis, non est omnibus nota & manifesta, nec sufficienter innotescit per Scripturam, traditionemque; ubi de sensu ipsius controversia est, nobis innotescere debet per aliquod visibile organum, Judicemque visibilem, cujus sententia, sententia sit Spiritûs sancti, quam audiens, vel spernens, Deum audire, vel spernere censeatur. Luc. 10. Quod Apostolos taliter intellexisse constat ex Actor. 15. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.*

494 Nec certè est, cur Christus minùs provideri Ecclesiæ suæ, quàm olim provisum erat Synagogæ. In qua visibilem fuisse controversiarum Judicem, constat ex Deuteron. 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & Judicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore: quaresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequêrisque sententiam eorum; nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël.*

CAPUT XL.

Concilium Generale, simul cum Romano Pontifice spectatum, vel ab ipso confirmatum, est visibilis, infallibilisque Judex controversiarum fidei & morum.

495 QUemadmodùm enim Comitia generalia regni repræsentant regnum, & quidquid statuunt, statui censetur à toto regno; sic Comitia, seu Concilia generalia Ecclesiæ repræsentant Ecclesiam, & quidquid statuunt, vel definiunt, statui, ac definiri censetur à tota Ecclesia. Atqui Ecclesia *columna est & firmamentum veritatis*, 1. Timoth. 3. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, Marci 16. Ipsi namque Salvator promisit Spiritum veritatis, ut cum ipsa *maneat in æternum*, Joan. 14. Et Veritas ipsa Matth. 28. *Ecce* (inquit) *ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Proinde quod Ecclesia judicat, Veritas, & Spiritus veritatis per Ecclesiam judicat, secundùm illud Actor. 15. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.*

Ex his manifestum est, Generale Concilium, cum Capite suo, Romano Pontifice, in definitionibus fidei & morum, errare non posse. Aliàs in iis Ecclesia tota errare posset; nec proinde columna esset, firmamentumque veritatis; ipsâque errante, Spiritus veritatis, & Veritas cum ipsa non permaneret, & adversus eam portæ inferi prævalerent. Quod est contra Evangelium proximè laudatum. 496

Cujus Evangelii testimoniis permoti plurimi sancti Martyres, pro fide in Concilio Generali definita mortem subierunt, ut Victor Africanus testatur in lib. de persecut. Wandal. Et S. Ambrosius epist. 13. dicere non dubitavit: *Sequor tractatum Concilii Nicæni, à quo me nec mors, nec gladius poterunt separare.* Et Leo Papa epist. 53. *Nicænos Canones per Spiritum sanctum* asserit ordinatos. Et epist. 54. *Spiritu sancto instruente conditos.* Et epist. 78. ad Leonem Augustum, docet, inter Catholicos dubitari non posse, eos qui resistunt Nicæno, vel Calcedonensi Concilio, esse hæreticos. 497

Aiunt quidem hæretici, non alio opus Judice, nisi verbo Dei. Sed contrà, cùm de verbo Dei, sensuvè ipsius controvertitur, sine Ecclesiæ, vel Capitis ipsius judicio nobis constare non potest, quodnam verè sit verbum Dei, vel quis verus sensus ipsius, ut constat ex variis canonicis libris, v. g. epistolâ ad Hebr. secundâ Petri, Jacobi, Judæ, & Apocalypsi, de quibus tamdiù dubitatum fuit, donec à Generali Concilio res ista decisa fuit. Et idcò Tertullianus de præscript. c. 19. *Non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum tuta.* 498

CAPUT XLI.

Romanus etiam Pontifex, cum Ecclesia Romana, absque Generali Concilio, & antequam ipsi Ecclesiæ universalis consensus accedat, visibilis, infallibilisque, & irreformabilis est Judex controversiarum fidei & morum.

§. I.

Totius penè Catholici Orbis hac de re consensu.

SUperiori capite lis nobis cum hæreticis fuit, impræsentiarum etiam cum Catholicis quibusdam, sed paucis, comparatione 499

facta cum iis qui assertioni nostræ suffragantur. Ei namque suffragatur Catholicus Orbis penè universus. Suffragantur (inquam) Catholici Doctores Itali, Hispani, Germani, Poloni, Hungari, Angli penè omnes. Suffragatur & Gallorum pars longè potior, omnes utique Sancti Gallicanæ Ecclesiæ, plurimæ etiam Nationales Galliæ Synodi, Aurelianensis secunda, Turonensis secunda & quarta, Trecensis, Lemovicensis, Remensis, Carnotensis (apud Mauclerum lib. 8. p. 4. c. 2.) Triburiensis anni 895. in præfat. Melodunensis anni 1579. Senonensis, & Aquensis anni 1711. Testeque Duvallio de suprem. Rom. Pontif. potest. p. 2. q. 2. *liquidò constat, veteres Ecclesiæ Gallicanæ Proceres, hanc in Summis Pontificibus, & Petri successoribus infallibilitatem semper agnovisse, Christique Domini orationem in Petro non stetisse, sed ad ejus successores certissimè transiisse, eosque qui veritatem hanc impugnare conati sunt, à ducentis aut circiter annis* (jam ab annis plusquàm ducentis septuaginta) *quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, cœpisse.*

500 Quòd autem Romani Pontificis infallibilitati in definiendis quæstionibus fidei ac morum, suffragentur Sancti omnes Gallicanæ Ecclesiæ, constat ex sequentibus, qui sunt Irenæus l. 3. adversus hæreses, Exuperius epist. ad Innocentium I. Prosper Aquitanus, & Hilarius Arelatensis, ad eundem. Avitus, Archiepiscopus Viennensis, suo & omnium Galliæ Episcoporum nomine, anno 517. scribens S. Pontifici Hormisdæ. Ravennius, aliique Episcopi Gallicani in epist. synodica ad S. Leon. Magn. Ceretius, Salonius, & Veranus, Episcopi Gallicani, epist. ad eundem. Verrantius, Arelatensis Archiepiscopus, epist. ad eundem. Fulbertus epist. 2. ad Joannem XIX. Ivo Carnotensis epist. 8. ad Richerium Archiepiscop. Senonensem, necnon epist. 183. Goffridus Vindocinensis epist. 30. Jacobus Cardinalis de Vitriaco in Histor. Orient. c. 75. Alcuinus Caroli Magni præceptor l. 1. de divin. offic. c. 19. S. Bernardus epist. 190. ad Innocent. II. Petrus Cellensis epist. 1. ad Alexandrum Papam. Petrus Cluniacensis l. 6. epist. ad Eugenium. Arnulfus Lexovienſis epist. ad eundem. Albertus Magnus ad cap. 16. Matth. S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 10. q. 10. de potentia a. 4. ad 13. & l. 1. contra errores Græcorum c. 32. S. Bonaventura Breviloq. p. 6. c. 3. & in cap. 22. Luc. B. Augustinus Triumphus de potest. Eccles. q. 10.

501 Denique eidem infallibilitati è Gallis suffragantur Hincmarus, Archiepiscopus Remensis, in præfat. opusc. de divort. Lotharii Regis & Gerbergæ. Stephanus Episcopus Parisiensis, Ecclesiæ Parisiensis sensum anno 1324. declarans in Litteris pro D. Thomæ Aquinatis doctrina editis, quæ extant in Histor. Univers. Paris. to. 4. ad dictum annum 1324. Ægidius, Archiepiscopus Bituricensis in expositione cap. *cùm Marthæ* de celebr. Miss. Hervæus Natalis, apud S. Antoninum in Sum. 3. p. tit. 22. c. 2. §. 3. Joannes à Celaja in 3. dist. 25. q. 4. Bernardus de Rossergio, Archiepiscopus Tholosanus, & Guilielmus de Montjoye, Episcopus Bitterensis, apud Spondanum, ad annum 1438. Helias Burdelius, Archiepiscopus Turonensis, post obitum miraculis clarus, in tract. contra Pragmaticam. Petrus Lizetus, Christianissimi Regis Advocatus Generalis, deinde primus Præses Parlamenti Paris. tract. de supremi Ecclesiæ verticis, suorumque Decretorum Authoritate. Boetius Epo in Opusc. de Hierarch. Eccles. Et de provocat. ad Concilium. Joannes Puteanus in 2. 2. q. 1. a. 6. dub. 2. Leonardus Coquæus in Antimornæo to. 1. pag. 83. Cardinalis Peronius, & Cardinalis Richelius infrà referendi. Petrus de Marca, Archiepiscopus Paris. in manuscripto paulò ante mortem suam confecto, quod refert Stephanus Baluzius in commend. vitæ ipsius lib. de Concordia præfixo. Gabriel Abbaspineus, Episcopus Aurelianensis, in hæc verba Tertulliani, *Episcopus Episcoporum.* Franciscus, Archiepiscopus Rotomagensis, in Apolog. Evang. pro Catholicis ad Jacobum Angliæ Regem l. 2. c. 2. Nicolaus Coeffeteus, Episcopus Massilienſis, in lib. adversus ....Rempublic. Marci Antonii de Dominis p. 5. discuss. lib. 1. c. 12. Henricus Spondanus, Episcopus Mauleosolensis, variis locis historiæ suæ. Franciscus de Raconis, Episcopus Vaurensis, l. de primat. & suprem. potest. S. Petri sect. 1. c. 5. §. 6. Ludovicus Abelli, Episcopus Ruthenensis Medull. Theol. 1. p. edit. 7. c. 4. sect.... §. 4. Andræas Duvallius, & Michaël Mauclerus, ubi suprà. Ludovicus Baillius in Apparatu ad Concilia q. 43. & seqq. Franciscus Macedo, Regum Christianissimorum Concionator, & Consiliarius q. 5. a. 1. Noster Mathias à Corona, Doctor Sorbonicus, lib. de potest. Sedis Apostol. tr. 2. c. 16.

Ipsamet Facultas Theologica Parisiensis, 50
uti videre est in Historia Universitatis ad annum 1387. per Cancellarium suum Petrum de Alliaco, postea Cardinalem, & Episcopum Cameracensem, Clementi VII. quem sequebatur, tamquam legitimum Papam, eodem anno 1387. hanc fecit declarationem: *Pro vestris humillimis filiis Universitatis prædictæ, & pro nobis eorum Nuntiis, qui suis in hac parte obsequimur mandatis, & documentis innitimur, corde & ore unanimiter protestamur, quòd quidquid hactenùs in hac causa actum est, & quidquid nunc vel aliàs acturi, aut dicturi sumus, correctioni & judicio Sedis Apostolicæ, & sedentis in ea S. Pontificis, humiliter submittimus, dicentes cum B.*

Hieronymo : hæc est fides , Pater beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, in qua si minùs peritè , aut minùs cautè, aliquid positum est , emendari cupimus à Te , qui Petri fidem & Sedem tenes. Non ignoramus enim , sed firmiter tenemus , & nullatenùs dubitamus , quòd S. Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri , super quam fundata est Ecclesia , eodem Hieronymo teste , & sicut dixit Cyprianus (dist. 93. can. qui Cathedram) *de qua Sede in persona Petri Apostoli, in ea sedentis , dictum est* : „ Petre , rogavi pro te , ut non deficiat fides tua. „ Et in generali Sorbonæ Conventu Malesoni errores proscribens anno 1612. in prima censura edixit : *Ad S. Sedem Apostolicam pertinet , authoritate judiciali supremâ , circa ea quæ sunt fidei, judicialiter definire , ex eo quòd fides ipsius numquam ex vi promissionis Christi , Petro factæ , possit deficere.* Sic refert Duvallius l. de Eccles. potest. anno 1612. pag. 74. & 75. viderique potest in lib. cui titulus : *Decreta , seu Conclusiones Facult. Theol. Paris.* Cùmque anno 1644. quidam Theophylus Brachet aliquot propositionibus negavisset, in fidei controversiis recurrendum ad Apostolicam Sedem , extra generalem Synodum, de iis Sorbona censuit sic : *Hæ propositiones , in quantum infallibilitatem Ecclesiæ universali in nullo alio statu , quàm in solo Oecumenico Concilio congregatæ , tribuunt , temerariæ sunt , & ipsi Ecclesiæ injuriosæ , & hæreticæ.* Et anno 1659. unanimi consensu decretum istud eadem Faculas solemniter edidit : *Omnes & singuli Magistri nostri palàm apertoque ore professi sunt , nihil se in SS. Pontificum authoritatem decernere , aut moliri , aut etiam cogitare velle. Immò verò omnes & singuli , ut obedientiæ filii , ipsum Romanum Pontificem , ut summum Jesu Christi Vicarium , & universalem Ecclesiæ Pastorem , cui plenitudo potestatis à Christo data sit , cui omnes utriusque sexûs obedire , cujus decreta venerari , & pro se quisque tueri , & observare teneatur , ut semper agnoverunt , & confessi sunt , ita nunc quoque fideliter & libenter agnoscunt , & confitentur.* Et anno 1663. die 9. Februarii *censuit Facultas, necessarium non esse absolutè Concilium universale ad extirpanda qualibet schismata , & quæstibet hæreses , v. g. Pelagianam , & Jansenianam, quas constat sufficienter extinctas per SS. Pontifices , absque Concilio Generali.*

503 Tanta etiam fuit olim Cleri Gallicani in Apostolicam B. Petri Sedem devotio , ut præcipua ipsius gloria fuerit Romanæ Ecclesiæ Matris suæ jura , dignitatemque , devotissimo pietatis affectu , præ cæteris Ecclesiis tueri , teste Guilielmo , Electo Ecclesiæ Carnotensis, qui Alexandro III. scripsit , *quòd non esset Ecclesia , quæ Romanæ Ecclesiæ fuerit utilior in omnibus angustiis suis, quàm Gallicana.* Quæ (præter antiqua suæ in Apostolicam Sedem devotionis argumenta) suum pro tuendis prærogativis ipsius zelum opere comprobavit , dum anno 1612. in Conciliis Senonensi & Aquensi Richerii librum Pontificiæ infallibilitati , supremæque in Ecclesiam universam potestati adversantem damnavit , propositionesque utrique contradicentes , *falsas , erroneas , schismaticas , & ut sonant hæreticas declaravit* ; Concilium quidem Senonense sub præsidentia Cardinalis Peronii ; Aquense verò sub præsidentia Archiepiscopi sui. Unde factum est, ut Richerius tam Regis , quàm Sorbonicæ Facultatis decreto , Syndicatu spoliatus fuerit, donec tandem , hortatu Cardinalis Richelii Sorbonæ Provisoris , errorem suum recognoscens , die 7. Decembris 1629. declarationem hanc in manus ejusdem Cardinalis consignavit : *Hic protestor , & declaro , me semper voluisse , atque etiamnùm velle , & meipsum , & libellum præfatum , & quascumque ejus propositiones , earumque interpretationem , omnemque meam doctrinam , Ecclesiæ Catholicæ Romanæ , & S. Sedis Apostolicæ judicio submittere , quam Matrem & Magistram Ecclesiarum , & infallibilem veritatis Judicem agnosco.* Videri potest Spondanus ad annum 1629. ubi subdit , quòd ab eo tempore *decretum factum est in Sorbona , ut deinceps renovaretur mos antiquus , & laudabilis , à quibusdam omitti cœptus , ut quicumque Baccalaureus, in Theologiæ actibus respondens , juraret in decreta SS. Pontificum.*

Aliud ejusdem zeli pro tuendis juribus 504
Apostolicæ Sedis exemplum Clerus Gallicanus anno 1614. in Comitiis Generalibus trium Ordinum Regni Franciæ solemniter præstitit : cùm enim tertius Ordo ad Clerum misisset propositiones , in quarum unam tertius ipse Ordo unanimi voto consenserat, & pro fundamentali lege Regni habendam censuerat , hanc videlicet : *nullis Sedis Apostolicæ interdictis subjacere imperia Regum , subditosque numquam sacramento fidei exsolvi posse.* Isti propositioni viriliter obstitit Clerus Gallicanus , ut videre licet to. 5. Actor. Cleri Gallic. & apud Gramondum , Regium Senatorem , Tholosani Parlamenti Præsidem , l. 1. Histor. Gall. ab Henrici IV. Regis obitu. Ubi extat oratio elegantissima numquam satis laudati Cardinalis Peronii , in qua tam pro Ecclesiastico , quàm pro Nobilium Ordine differens , vindicat indirectam S. Pontificis in temporalia Regum , à fide Catholica deficientium, certis in casibus potestatem ; nempe *si in hæresim , aut idolorum cultum prolapsi , subditorum animis nova insinuant dogmata ; seu* (*quod pejus est*) *si reluctantes adigant , ut fidem abdicent.* Probatque, *potestati Romanæ Sedis in Reges , hæreticâ labe infectos , subscripsisse quotquot* (*Calvinum ante*) *Theologica tractavere. Contrariam opinionem novam esse , Luthero , Calvino fautoribus , nuper natam , sacramento vinciri Reges Galliæ, ubi inaugurantur , pellendis regno suo hæreticis. Si pejeraverint , in hæresim ipsi degenares , si fautores hæresiarcharum , si novi dogma-*

tis assertores, deberi ultionem Vicario Dei, ad quem unum ex lege spectat perjurii pœna. In eam sententiam exactis sæculis tum: tri & hodie passim toto Orbe Catholico, si Galliam demis.... Exemplis plena esse Historiarum volumina, quibus confirmatur summa Sedis potestas, quæ in Reges, à fide degeneres, exempla protulit, in eamdemque sententiam laudavit D. Thomam, Joannem Parisiensem, Jacobum Almainum, Gersonem, & passim reliquos, qui de utraque jurisdictione scripsere. Laudavit & *Jurisconsultos, Joannem Selvam (Præsidem Lutetianum) Joannem Fabrum, Stephanum Aufrerium (Tholosani Parlamenti Præsidem) Prælium, libellorum supplicum in Regia Magistrum, Gregorium Tholosanum.* Monuit eos omnes Gallos esse. Gallis proinde minimè suspectos. *Illis, quotquot sunt, unam esse, pro Pontifice summo, in id sententiam, ut lapsis in hæresim Regibus, maximè si fidem orthodoxam infectantur, communione interdicere possit, & regno. Absurdam esse Thesim, quæ contrarium velut de fide promulgat, cui veterum subscripsit nemo, Recentiores pauci. Tamquam dogma politicum defendi posse ad summam. Eo errore primam fuisse Henrico VIII. Angliæ Regi viam in hæresim; ex injusto repudio juste condemnatum, rebellasse contra Judicem suum, per lubrica quassatam fidem, procacique licentiâ iyrannice usurpata jura Sedis Apostolicæ à Rege, nullo deinde fulminum Ecclesiæ metu grassante. Facilem esse in schisma lapsum; ast resurgere, opus esse arduum, Deique unius beneficium. Non aliud præcinere Thesim, quàm apertam rebellionem in solum Petri.... Non eam Regi Christianissimo mentem esse, ut Sedi Apostolicæ obluctari velit: neque sub tanto Rege, timenda interdicta, qui nedum Ecclesiæ filius primogenitus, sed protector & liberator est, &c.* Ab illa tamen quæstione de indirecta Romani Pontificis in temporalia Regum potestate, nobis hic propositum est abstinere.

505 Illustre rursum ejusdem zeli ac pietatis argumentum Ecclesia Gallicana præbuit in Comitiis generalibus anni 1626. ut videri potest in Instrumento typis edito per Typographum regium, cum Regis Christianissimi privilegio, sub hoc titulo: *Advis de l'Assemblée generale du Clergé de France à Messieurs les Archevêques & Evêques de ce Royaume.* Cujus hæc sunt verba latinè reddita: *Nullum majus argumentum veri erga Deum amoris exhiberi à nobis potest, quàm si debitâ veneratione eos prosequamur, quos ipse ad necessitates, animasque nostras curandas, Vicarios Legatosque suos constituit. Id verò cum præcipuè, atque ante omnes Episcopos, Romano Pontifici conveniat, æquum omninò est, ut iidem Episcopi, & se Pontifici subjectos agnoscant, & aliis omnibus eximiæ in illum venerationis, ac reverentiæ exemplum præferant. Hortamur igitur Episcopos omnes, ut sacram Apostolicam Sedem, Romanamque Ecclesiam, utpote Dei sponsione infallibili, & Apostolorum, & Martyrum sanguine fundatam, omniumque Ecclesiarum Matrem omni honore, cultuque prosequantur. Ipsa enim, ut cum B. Athanasio loquamur, est sacrum illud Caput, à quo in omnes Ecclesias, velut in totidem membra, omnis Spiritus diffunditur, quo nutriuntur ac conservantur. Sanctissimum quoque Patrem, ac Pontificem nostrum, quippe Ecclesiæ universalis Caput visibile, Deique in terris Vicarium, Episcopum Episcoporum, & Patriarcham Patriarcharum, honore afficient. Is enim successor est Petri, à quo omnis Episcopus initium atque originem duxit, & super quem Christus Jesus Ecclesiam suam fundavit, quando illi claves regni cælorum, atque donum infallibilitatis in causis fidei reliquit. Quam fidem, non sine ingenti miraculo, durare in ejus successoribus immobilem, illibatamque videmus: Unde ingens illa in Romanorum Pontificum Decretis Mandatisque amplectendis, apud omnes fideles & orthodoxos observantia profecta est. Hæc verò ut nihil detrimenti capiat, Episcoporum munus erit, curabuntque, eorum improbitatem coerceri, qui obsequii omnis, legumque impatientes, sacram hanc, tot divinis humanisque legibus sancitam authoritatem, revocare in dubium, cassamque reddere conantur.*

Adhuc recentius exemplum anni 1651. 506
videre est in relatione Gallicanorum Episcoporum (ab Episcopis 85. subscripta) ad Innocentium X. in qua sic: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referri, solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri numquam deficiens pro suo jure postulat.* Et anno 1653. iidem Antistites numero triginta, aliis absentibus, Præside Cardinale Mazarino Parisiis congregati, eidem Innocentio X. gratias agentes pro damnatione quinque propositionum, ad Gallicanorum Episcoporum consultationem factâ, sic scribunt: *Perspectum habebat priorum sæculorum Ecclesia, non solùm ex pollicitatione Christi, Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adversus Apollinarem, & Macedonium (nondum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos) à Damaso paulo antè jactis, judicia, pro sanciendâ regulâ fidei, à SS. Pontificibus lata, super Episcoporum consultatione (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant) divinâ æquè ac summâ per universam Ecclesiam authoritate nitì, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur. Eâ nos quoque sententiâ ac fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ præsentem, quæ in summo Pontifice Innocentio X. viget, authoritatem, &c.* Censuerunt ergo necessarium non esse reliquorum Episcoporum (longè majori ex parte absentium) consensum, ut Constitutioni Innocentii X. tamquam inerrabili, ipsius quoque mentis obsequium Christiani omnes præstare tenerentur. Cùm certo certius sit litteras illas tunc ab ipsis scriptas, cùm de totius orbis Antistitum, adeòque totius Ecclesiæ consensu ipsis constare nec-

dum posset. Quam perpetuam fuisse antiquorum Gallorum sententiam, ex præmissis satis constantem, confirmat epistola sex Episcoporum ad Innocentium XI. anno 1140. scripta (inter S. Bernardi epistolas 370.) ubi sic: *Nulli dubium est, quòd ea, quæ Apostolicâ firmantur authoritate, rata semper existunt, nec alicujus possunt deinceps mutari cavillatione* (v. g. quòd ei nondum accesserit Ecclesiæ consensus) *vel invidiâ depravari, &c.* Enimverò ut Abbas Regino scripsit in Chronico ad annum 859. *stultitiæ elogio denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi unquam falli potuit.*

507 Cum laudatis omnibus idem nos asserimus, absitque à nobis aliquid asserere cum præjudicio Romanæ Ecclesiæ, atque adeò cum præjudicio Ecclesiæ universæ. Neque enim ignoramus, quòd *quisquis Romanæ Ecclesiæ authoritatem, vel privilegia evacuare, vel imminuere nititur, non hic unius Ecclesiæ, sed totius Christianitatis subversionem, & interitum machinatur* (ait S. Leo IX. epist. 1. c. 36.) *Cujus enim compassione, vel sustentatione ulterius respirabunt filiæ, unicâ illâ suffossâ Matre? Cujus refugium appellabunt? Ad quam confugium habebunt? Privilegia Sedis Apostolicæ* (ait Nicolaus I. epist. 32.) *regimina sunt totius Ecclesiæ Catholicæ..... Munimina sunt contra omnes impetus pravitatum. Arma sunt* (ait epist. 30.) *contra omnes impetus pravitatum, & munimenta, atque documenta domini Sacerdotum, & omnium prorsus, qui in sublimitate consistunt; immò cunctorum, qui ab eisdem potestatibus diversis afficiuntur incommodis.*

508 Nec contra Romanos Pontifices Ecclesiæ particulares unquam prævalebunt: semper enim ipsis obsistent Summi Pontifices, dicentque cum Nicolao I. (epist. 8. ad Michaëlem Imperatorem) *Quæ ad Ecclesiæ Romanæ injuriam, quæ ad ipsius privilegiorum imminutionem, quæ ad Sedis Apostolicæ Præsulum derogationem scripsistis, quantâ possumus constantiâ retundemus, & nullis.....detractionibus vestris repressi, quantâ possumus virtute destruere, utpote veritatis inimica, studebimus ..... Quòd si ..... contra privilegia Ecclesiæ Romanæ nisus vestros erigitis, cavete, ne super vos convertantur. Durum quippe est vobis contra impetum fluminis reluctari, durumque est contra stimulum calcitrare. Porrò si nos non audieritis* (sub prætextu quòd simus in propria causa Judices, *cùm non tam nostra sit causa, quàm Ecclesiæ, cujus curam gerimus*) *restat ut sitis apud nos necessariò, quales Dominus noster Jesus Christus hos haberi præcepit, qui Ecclesiam Dei audire contempserint. Præsertim cùm Ecclesiæ Romanæ privilegia, Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & à sanctis Universalibus Synodis celebrata.... nullatenùs possint minui, nullatenùs infringi, nullatenùs commutari. Quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus. Et quod Deus statuit, firmum validumque consistit. Illeque potissimùm peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Privilegia* (inquam) *istius Sedis.... perpetua sunt, divinitùs radicata atque plantata sunt. Impingi possunt.... evelli non possunt. Quæ ante imperium vestrum fuerunt, & permanent (Deo gratias) hactenùs illibata, permanebuntque post vos, & quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata.*

Ecclesiæ itaque, totiusque Christianitatis 509
interitum machinatur, qui negat Summorum Pontificum in fidei quæstionibus inerrabilitatem. An etiam qui negat eorumdem indirectam in temporalia Regum, à fide Catholica subditos suos avertere satagentium, potestatem? Sunt qui cum Cardinale Perronio affirmant, & aiunt opinionem eam negantem, in consectariis suis perniciosam esse Regibus ipsis, etiam Christianissimis, regnisque ipsorum, & si Christianissimo Regi moderno, Ludovico Magno periculum non afferat (ob nimiam potentiam, conservandæque Catholicæ Religionis constantiam) saltem successoribus ipsius. Et hoc triplici de causa. Prima est, quia dum Catholicum regnum à Rege (à fide apostata) 510
ad hæresim vel idololatriam minis ac terroribus compelletur, non erit in terra potestas, per quam tantum malum efficaciter poterit impediri, Christianaque & Catholica Religio in eo conservari, per quam etiam talis Rex in viam salutis possit reduci. Secunda, quia si Ecclesiæ Monarcha supra se Concilium habeat Generale, à quo deponi possit, atque puniri, extra causam hæresis, vel schismatis; Christianissimi quoque regni Mo- 511
narcha supra se, à fortiori, habebit Generalia regni Comitia, à quibus puniri, deponique poterit, extra causam hæresis. A fortiori (inquam) quia *omnis res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur.* cap *omnis res* 27. q. 2. Estque prima regula in Decretalibus Gregorii IX. de reg. jur. A Generalibus verò regni Comitiis (sive regno) Christianissimi regni Monarcha suam immediatè habet potestatem, solùmque mediatè à Deo. Quam Ecclesiæ Monarcha immediatè habet à Christo, non ab Ecclesia, nec à Generali Concilio. Si igitur, eo non obstante, Ecclesiæ Monarcha puniri, deponique possit à Concilio, à quo suam non accepit potestatem; quantò magis Rex à regno, à quo regiam potestatem accepit? Tertia ratio est, quia Ecclesiæ, & regno, 512
etiam Christianissimo, valdè noxia ac perniciosa est opinio, quæ tollit medium publicæ tranquillitati, tamque imperii, quàm Ecclesiæ utilitati necessarium. Atqui publicæ tranquillitati, tamque imperii, quàm Ecclesiæ utilitati necessarium est, ut unus

in

in Ecclesia sit universalis Ecclesiæ Pastor, supremusque in spiritualibus Monarcha, cujus vocem definitivam, tamquam inerrabilem in rebus fidei, reliqua Ecclesia universa audire teneatur; cuique (tamquam vice Christi constituto super omnes gentes, & super regna, ut dum ad finem spiritualem necesse est, evellat, destruat, dissipet, ædificet, & plantet) ipsi etiam Reges eousque subjecti sint, ut tamquam oves Christi, ab ipso, tamquam Supremo (vice Christi) Pastore, ipsiusque Vicario Generali, dirigi, corrigique possint, ac debeant, secundùm quod necesse fuerit ad ipsorum, vel regni totius salutem. Quod à nullo profectò sapiente censeri potest Regibus ac regnis grave & odiosum, sed maximus favor ac beneficium, unde pendet salus Regum & regnorum, prout sapienter agnovit Kenulphus, Rex Murciorum, dum in epist. ad Leonem III. scripsit: *Vestra illa sublimitas, nostra salus est.* Nec verò Ecclesiastica ista potestas Statum politicum destruit, nec regiam potestatem minuit, sed juvat, & perficit, dum Regem à via cæli aberrantem, subjectosque sibi populos secum errare facientem, corrigit, & in viam rectam reducit. Quæ enim ad malum est, potestas non est, sed potestatis defectus, imperfectioque, quam solam dum adimit Ecclesiæ potestas, regiam potestatem non destruit, sed perficit. Verùm-enimverò de indirecta illa Romanorum Pontificum in temporalia Regum potestate agere hîc non intendimus. Sunt enim causæ justæ, quæ id non permittunt.

§. II.

Discutiuntur rationes P. Natalis Alexandri Histor. Eccles. to. 19. dissert. 9. contra propositam assertionem.

513 ETsi quibusdam in capitibus (ait Scriptor ille) Gallicani Doctores à plerisque cæterarum gentium Theologis, circa Romani Pontificis dissentiant authoritatem, nimirùm asserentes, Concilium Oecumenicum esse Romano Pontifice superius, ipsumque in definiendis fidei controversiis infallibilem non esse, nullo accedente Ecclesiæ consensu, nec ipsi competere potestatem ullam, vel indirectam in temporalia Regum: nihil propterea de observantia erga Sedem Apostolicam, & S. Petri in ea successores, remittere censendi sunt, aut ejusdem S. Sedis imminuere Majestatem. Cùm enim certum sit, ejusmodi quæstiones ad fidem non pertinere, ipso Cardinale Bellarmino teste; nec etiam in his locum habeant demonstrationes: supereſt ut ad humanas opiniones revocentur.

514 Nihil verò summæ potestati, Romanis Pontificibus à Christo collatæ, accedit, vel decedit, ex eo quòd hæ vel illæ opiniones propugnentur à Catholicis Theologis. Cùm sacer ille Pontificiæ potestatis apex, ejusque jura, non humanis opinionibus nitantur, sed Scripturæ sacræ; & Traditionis oraculis comprobentur. Et sicut divinæ Omnipotentiæ non præjudicant opiniones, quòd istud vel illud non possit, dummodò absit contentio, de eoque modestè, & absque scissura & scandalo disceptetur. Ita similiter, &c.

Sed contrà 1°. ejusmodi quæstiones ad fidem pertinere, vel saltem affirmativam de inerrabilitate Romani Pontificis sententiam plusquàm probabilem opinionem esse, nedum cæterarum gentium Theologis, sed & Gallis certum fuit, ante Concilium Constantiense, prout hisce verbis testantur sex Gallicani Episcopi; qui anno 1140. Innocentio II. epist. 370. inter Bernardinas scripserunt: *Nulli dubium est* (omnibus ergo indubitatum) *quòd ea quæ Apostolicâ firmantur authoritate, rata semper existunt, nec alicujus possunt deinceps mutilari cavillatione, vel invidia depravari.* Et usque adeò indubitata, ut Abbas Regino in Chron. ad annum 859. *stultitiæ elogio denotandos* dicere non dubitet, *qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi umquam falli potuit.*

515 2°. doctrina, quæ asserit, Romanum Pontificem, in proponendo toti Ecclesiæ fidei judicio, errare non posse (adeòque Concilio non subesse; ut enim fatetur vel ipse Launojus to. 4. epist. 5. pag. 29. ratio, cur subest Concilio, ex eo tota repetitur, quòd in fide & moribus errare possit) etiamnum adeò certa videtur, ut eam tamquam Apostolicam traditionem esse tenendam doceat Bannez 2. 2. q. 1. a. 10. conclus. 4. *Et quidem* (inquit) *ut talis haberetur ab omnibus fidelibus, nisi, à tempore Concilii Constantiensis, in agro Domini, inimicus homo, id est diabolus, zizaniam superseminasset. Etenim usque ad illa tempora soli Græci Schismatici errabant in hac parte. Atque ita D. Thomas in Opusculo citato* (contra errores Græcorum) *hunc errorem tamquam Græcorum singularem narrat. Et procul dubio, si quæstio hæc ad Concilium deferretur, non dubito quin prædicta conclusio definiretur, tamquam vera fides.* S. Antoninus Sum. tit. 12. c. 8. §. 2. *dicere* (inquit) *quòd in pertinentibus ad fidem Papa erraret, esset hæreticum.* Lovanienſis Facultas anno 1544. *certâ fide tenenda declaravit, quæ definita sunt, super fidei & morum negotiis, per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia, legitimè congregata.* Quòd, *post Papæ determinationem, hæreticum esset contrarium pertinaciter asserere*, B. Augustinus Triumphus tradit q. 10 de potest. Eccl. a. 3. Et ante ipsum S. Thomas Cantuariensis epist. 122. ad Gilbert. Episcop. Londin. *Solus infidelis, aut, qui eum errore superat, hæreticus, aut schismaticus, Apostolicis, in fidei definitio-*

nibus, obtrectat obedire mandatis. Denique doctrinam de S. Pontificis inerrabilitate Bellarminus censet *fidei proximam.* Suarez de fid. disp. 5. sect. 8. n. 4. Valentia to. 3. disp. 1. p. 7. ante §. 1. Sylvius l. 4. de præcip. fid. controv. q. 2. a. 8. *fide certam.* Duvallius de suprem. Rom. Pontif. in Eccles. potest. p. 2. q. 1. & 2. *absolutè certam.* Stapletonus relect. Scholast. princip. fid. doctrin. controv. 3. q. 4. a. un. *apud Catholicos certam.* Wigers 2. 2. tr. de Pontif. Rom. dub. 5. *adeò certam, ut opposita habeatur improbabilis.* Franciscus Macedo, loco n. 415. relato, contrariam opinionem esse *hæreticam, pestemque Ecclesiæ ac perniciem inferre.* Tametsi à censuris istis abstinendum censeam, quamdiù contrariam illam opinionem Ecclesia non damnat.

516 Pontificiæ itaque infallibilitatis Assertores suam hanc assertionem velut probabilem dumtaxat opinionem non tradunt, sed velut certam, certisque è divina Scriptura & traditione argumentis demonstratam. Eamque ut indubitatam Facultas Parisiensis secuta est anno 1387. in oratione ad Clementem VII. tempore magni schismatis, in sua obedientia dictum, prout videre est suprà num. 502.

517 3°. Tametsi humanis opinionibus, seu erroribus, coram Deo nihil accedat, vel decedat Pontificiæ Majestati; secùs coram hominibus, quibus humanæ opiniones, vel errores sæpè causa sunt rebellionis, schismatis, hæresis, prout Orbis universus in Conciliabulo vidit Basilienſi, & etiamnùm videre est quibusdam in locis, in quibus tot in punctis Romani Pontificis diplomatibus obstinatè resistitur, sub opinione (plerùmque infundata) contrarietatis ad prætensas suas libertates, adversus quas prætenditur, Romanum Pontificem nihil posse.

518 4°. Exemplum quæstionum de potentia Dei, nihil omninò facit ad rem. Siquando enim Christiani Doctores hoc vel illud censeant à Deo fieri non posse, sciunt, & confitentur, hoc non provenire ex defectu potestatis in Deo, sed ex defectu possibilitatis in objecto. Si verò ea Romanus Pontifex non possit, quæ P. Natalis Alexander non posse credit, hoc est ex defectu potestatis in ipso. Ipsius ergo opinio Pontificiæ potestatis, quantùm ex se, est diminutiva.

§. III.

Commentitius, ac prorsus à veritate devius est pratextus, quo opinionem de Romani Pontificis fallibilitate justificare nititur Maimburgus.

519 AUthor iste, qui in concione habita hebdom. 2. Quadrag. anno 1671. typis edita, hanc tradiderat doctrinam: *Obligamur sub pœna æternæ damnationis nos submittere decisionibus Cathedræ S. Petri, tuncque naufragium fidei patimur, cùm doctrinas amplectimur ab hac Cathedra damnatas, rejectasque. Frustrà verò qui hanc submissionem non habent, protestantur se Cathedram Petri pro prima præcipuaque habere; ac fidei ab Ecclesia, à Patribus, Conciliisque traditæ adhærere.* Postmodùm in tractatu historico de Institut. & prærogat. Eccles. Rom. opinionem assertioni nostræ contrariam, tantâ animositate, tamque immodesto calamo propugnat, ut contradicentes, Novitatis, contra manifestam totius Antiquitatis traditionem, arguere non vereatur; & comminisci, quod prætensa ista Novitas unum sit è præcipuis obstaculis reunionis Protestantium cum Ecclesia Romana. Sic enim Regi Christianissimo loquitur in epist. dedicat. *Rex, unum è præcipuis obstaculis, quæ hæreticos morantur, ne ad sinum Ecclesiæ Romanæ redeant; est falsa ista opinio, quòd Romani Pontifices supra Ecclesiam universam à nobis attollantur, eaque ipsis prærogativæ tribuantur, quæ soli Ecclesiæ conveniunt, prærogativa utique absolutæ atque illimitatæ potestatis, nedum in spiritualia, sed & in temporalia, diademataque Regum. Ecclesia Gallicana..... nihil à se conducibilius fieri posse credidit, quàm obstaculum istud removere.... per declarationem solemnem.... notum ipsis faciendo, quòd ista non sit fides, nec sententia nostra, sed particularis opinio novorum quorumdam Theologorum contra totius Antiquitatis sensum, omninò manifestum.*

520 Hisce larvis momicam addit adulationem, aiens, *Suam Majestatem, dum Pontificiæ potestatis moderationem, seu restrictionem in nuperis Cleri Gallicani propositionibus contentam, suo corroboravit edicto; Romanæ plus Ecclesiæ contulisse, quàm omnes retrò Galliæ Reges. Istos enim divitiis, honoribus, ac imperio auxisse: Suam verò Majestatem simul effecisse, ut dum doctrinam, & sensa Cleri Gallicani toto regno suo jubet stabiliri..... omnem hæreticis causam abstulit cavillationis, ac tergiversationis, omnemque prætextum ulteriores ab Ecclesia defectionis.*

521 Istis fucis, in tanta gloria sua, non indiget Ludovici Magni Christianissima Majestas (cujus honor judicium diligit) nec adulationibus tam manifestis delectatur. Neque enim veri speciem habent. Cùm notorium sit, hæreticos non ideò à Romana se Ecclesia subduxisse, sed alias ob causas, omnibus notas; non ideò proinde, sed ob istas alias causas, reunionem cum ipsa recusare. Quam ob causam Græci Romana ab Ecclesia defecerint, quis nescit? Lutheri superbia & ambitio causa fuit, ob quam suas antè hæreses disseminavit, quàm Romani Pontificis authoritatem impugnare cœpit. Quod tunc demùm fecit, cùm à Leone X. damnatus fuit. Germaniæ Principes ipsi adhæserunt, non tam Pontificis odio,

odio, quàm libertatis, Eccleſiaſticorumque bonorum occupandorum illicio. Quæ etiam Sueciæ cauſa fuit Lutheri hæreſim inducendi. Eamdem Chriſtiernus III. in Daniam induxit, ut contra Chriſtiernum II. legitimum regni hæredem, auxiliares copias à Lutheranis Principibus impetraret. Ob illicitos erga Annam Bolenam amores, Catharinam legitimam conjugem ſuam Henricus VIII. repudiavit, propter cujus obſtinatam in iſto repudio contumaciam à Romano Pontifice (cujus primatum egregiè anteà defenderat) excommunicatus, ſecum Angliam hæreticam fecit.

522 Natis hæreſibus, nihil quidem hæretici prætermittunt, quo Romani Pontificis, gladio S. Petri naſcentes hæreſes ſuffocare conantis, poteſtatem Regibus & populis odioſam reddant, gladiumque illum vel perfringant, vel coarctent. Sed anne ideò eam ipſi quoque Catholici cum hæreticis coarctare debent? Abſit. Enimverò hæreticis odioſa eſt quæcumque ſuprema poteſtas, ipſorum hæreſibus, rebellionibuſque obſiſtens, etiam Conciliorum Oecumenicorum, etiam Imperatorum & Regum. Quemadmodùm ergo iſta ad facilitandam eorum reunionem nec perfringenda eſt, nec coarctanda; ita nec illa. Regiæ ſanè poteſtatis ſibi obſiſtentis, perinde ut Pontificiæ jugum, ſi poſſent, pariter excuterent. Et ideò tot inteſtina bella Galli Calviniſtæ adverſus Chriſtianiſſimum ſuum Regem, adverſus Imperatorem Lutherani, adverſus Regem Catholicum Hollandi ſuſcitarunt. Vera proinde cauſa, propter quam odioſa eſt ipſis poteſtas Romani Pontificis, non eſt quia ſupra Reges extollitur, & ſupra Oecumenica Concilia (quæ haud minùs averſantur) ſed quia à Romano Pontifice, Conciliis, univerſaque Eccleſia, cum libris ſuis condemnantur.

523 Fucum ergo facit Maimburgus, obſtrepitque veritati, ſuo illo commentitio prætextu: nihil enim nupera declaratio illa ad hæreticorum contulit reunionem. Nihil contulit vel ad unius converſionem. Nec unum ad Eccleſiæ ſinum propterea rediiſſe Maimburgus, ſeu alius quiſquam poteſt demonſtrare. Aliis mediis, omnibus notis, ad fidem Catholicam profitendam compulſi fuêre, qui nuper in Galliis converſi fuêre.

524 Nihil ergo declarationis illius Authores hæreticis per eam profuerunt, verùm potiùs obfuerunt, dum ipſis animos & vires addiderunt, excuſationiſque prætextum, atque majoris in Romanum Pontificem inſolentiæ cauſam. Ob ea quæ dixi num. 424. & 425. Quod & eventus comprobavit. Quippe cœperunt, occaſione illius, majori cum inſolentia Pontificiis inſultare, & gloriari, quòd ſuorum in Romanum Pontificem argumentorum vim declaratio illa confiteretur, liberque Maimburgi, quantùm Catholicis penè omnibus diſplicuit, tantùm hæreticis placuit.

Fucum fuco Maimburgus adjicit, dum 525
fingit abſolutam illimitatamque Papæ in temporalia & diademata Regum poteſtatem tribui ab iis qui declarationem illam non ſequuntur, quâ de iis, tamquam ſuis, pro libitu poſſit diſponere. Quis enim (amabo!) Romano-Catholicus id aſſerit, vel aſſeruit umquam? Ut quid patientiâ Regis (in epiſt. dedicat.) abutitur narrationibus evidenter falſis? Quomodò Regiæ ſic imponere audet Majeſtati? Si ſic ibi, quid ab ipſo expectandum in corpore libri? Experiremur, ſi de quæſtione iſta propoſitum eſſet agere; ſed eam in præſenti non tractamus, contenti obiter oſtendere, quòd contra indirectam, de qua ſuprà, poteſtatem inefficacia ſint, quæ Maimburgus ex ſacris hilce oraculis profert argumenta: *Regnum meum non eſt de hoc mundo. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas, niſi à Deo. Quæ autem ſunt à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.*

Quia dum Chriſtus dixit, *regnum ſuum* 526
non eſſe de hoc mundo, hoc dixit reſpondendo ad mentem Pilati, interrogantis, an Rex eſſet Judæorum, Rex utique temporalis, Iſraëliticum populum, cum regio apparatu, in politicis regens, uti rexerant Saül, David, Salomon, &c. Hoc ſenſu regnum Chriſti non eſt de hoc mundo; ſive non eſt terrenum, ſed cæleſte; non temporale, ſed ſpirituale, tametſi in ordine ad finem ſpiritualem, omnem humanam ſibi ſubjiciat, & ſubordinet creaturam, etiam regiam, teſte Gregorio Magno l. 2. epiſt. 61. ad Mauritium Imperatorem, dicente, poteſtatem Regibus ſic divinitùs datam, *ut terreſtre regnum cæleſti regno famuletur.*

Secundi oraculi, *reddite quæ ſunt Cæſaris* 527
Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, pars poſterior priorem exponit, reddenda utique quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quamdiù Cæſar non impedit ne reddantur quæ ſunt Dei Deo.

Tertium oraculum optimè exponit Sym- 528
machus Papa epiſt. Apologet. ad Anaſtaſ. Imperat. *Nos quidem* (inquit) *poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus, donec contra Deum ſuas erigunt voluntates. Cæterùm ſi omnis poteſtas à Deo, magis ergo quæ rebus eſt præſtituta divinis. Defer ergo Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te. Cæterùm, ſi tu Deo non deferas, non potes ejus uti privilegio, cujus jura contemnis.* Deinde ſi omnis anima, id eſt inferior creatura, poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſſe debet; igitur omnis poteſtas temporalis Pontificiæ poteſtati, utpote ſpirituali, adeòque ſublimiori, ſubdita eſſe debet. *Non enim ordinatæ eſſent poteſtates, niſi inferior reduceretur per alium in ſuprema. Nam ſecundùm B. Dionyſium, lex divinitatis*

est, infima per media in suprema reduci. Non ergo, secundùm ordinem universi, omnia æquè ac immediatè, sed infima per media, & inferiora per superiora ad ordinem reducuntur. Spiritualem autem & dignitate, & nobilitate terrenam præcellere potestatem, oportet tantò clariùs nos fateri, quantò temporalibus spiritualia antecellunt.

Hæc nihilominùs non ex proposito dicta sint : cùm de puncto isto impræsentiarum agere non sit animus, ut suprà dixi. Quia nec id necesse est ad tuendam Theologiam Moralem Sanctorum contra laxiora opinamenta Recentiorum.

§. IV.

Romanum Pontificem infallibilem irreformabilemque esse (etiam extra Concilium Generale) Judicem controversiarum fidei & morum, etiam antequam ipsius judicio Ecclesiæ consensus accedat, probatur ex Scriptura.

529 CUm dicimus Romanum Pontificem infallibilem esse Judicem controversiarum fidei & morum, ex consequenti dicimus, ipsum esse supra Concilium, etiam Generale : cùm Pontifex sine Concilio infallibilis sit, non Concilium sine Pontifice (à quo suarum definitionum infallibilem accipere debet firmitatem) & fundamenta, sive ex Scriptura, sive ex traditione, sive ex ratione petita, quæ probant unum, probent & alterum, prout ex dicendis apparebit.

530 Romanum itaque Pontificem (ex Petri Cathedra pronuntiantem, id est ex Pontificali authoritate universam Ecclesiam in fide vel moribus definitivè docentem, sive rebus cum suo Cardinalium Concilio maturè perpensis, causam aliquam fidei vel morum sic definientem, ut pro hæreticis haberi velit, quoscumque definitioni suæ contradicentes) infallibilem esse Judicem controversiarum fidei & morum, probatur ex modo, quo de S. Petro, successoribusque ipsius sacra Scriptura loquitur Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum*, &c. Quibus verbis Petrum Christus pronuntiavit esse petram, supra quam ædificare volebat Ecclesiam Novi Testamenti, adeò firmam in fide, ut adversus eam portæ inferi prævalere numquam possent. In fide proinde infallibilem. Si enim Ecclesiæ fundamentum firmum & infallibile non esset, neque Ecclesia ipsa talis foret. Adversum eam proinde portæ inferi possent prævalere. Quod ut non possint, eadem infallibilitas competere debet Petro, seu Sedi Apostolicæ, quæ competit Ecclesiæ : cùm eadem firmitas competere debeat fundamento, quæ competit ædificio : utpote cujus firmitas à fundamenti firmitate dependet.

531 Nec valet effugium eorum, qui dicunt, per *petram*, in verbis illis, *& super hanc petram*, &c. non intelligi Petrum, sed Christum, vel Petri confessionem, quâ confessus fuerat, Christum esse Filium Dei vivi. Tum quia sensus iste naturalis non est, nec obvius. Tum quia in textu Syriaco, quo Christus locutus fuit (quia eo Judæi passim tunc utebantur) non habetur duorum istorum vocabulorum distinctio, *Petrus*, *Petra*, sed eadem vox repetitur, perinde ac si Christus dixisset, *tu es saxum, & super hoc saxum ædificabo Ecclesiam meam.* Testantur namque in lingua Syriaca periti, vocabulum significans *Petrum* non distingui à voce significante petram. Cùm ergo in textu & verbis Christi, eadem sit vox, bis posita, rationabile dubium esse non potest, eundem appellari nomine *petra*, qui appellatur nomine *Petrus*. Maximè cùm iste unanimis sit sensus SS. Patrum, nec illi qui per *petram* uno sensu minùs naturali intelligunt, vel Christum, vel Petri confessionem, negent alio sensu, naturali & obvio, intelligi Petrum, uti ex dicendis apparebit.

532 Nec magis valet effugium aliorum, qui dicunt, verba illa à Christo pronuntiata esse personaliter de Petro, non de successoribus ipsius. Cùm per ea Christus Ecclesiæ de fundamento provideat, nec proinde ea dixerit solius Petri causâ, nec primariò pro solo bono personali ipsius, sed propter bonum totius Ecclesiæ. Ad quod necesse erat ut firmum haberet fundamentum. Igitur ea non dixit pro solo brevissimo Petri tempore (utpote pro quo solo dici non potest Christum Ecclesiæ suæ de fundamento providisse) sed pro toto tempore durantis Ecclesiæ ; quæ cùm duratura sit usque ad consummationem sæculi (uti promisit, dicens Matth. 18. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*) ea dixit, & pro tempore Petri, & pro tempore omnium successorum ipsius, usque ad consummationem sæculi. Aliàs post Petri mortem sine fundamento fuisset Christi ædificium.

533 Quòd si pro toto Ecclesiæ tempore, & pro omnibus etiam Petri in Cathedra Romana successoribus Christus dixerit, *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.*; per consequens & pro Petro, & pro omnibus successoribus ipsius dixit Luc. 22. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu (aliquando conversus) confirma fratres tuos.* Salvator ergo Petro & successoribus fidem obtinuit indeficientem, id est tam firmam & infallibilem, ut per eam idoneus esset confirmare fratres suos, id est non solùm simplices fideles, sed & fidelium Episcopos, quos Petri successores *Fratres* vocare solent ; & dum à fide deviant, per Petrum Petrique successores ad viam reducuntur ; dumque va-

cillant, per ipsos in ea firmantur. Et sic allata Salvatoris verba Patres passim omnes intellexerunt (ut proximè videbitur) à quorum unanimi sententia recedere non licet.

§. V.

Eadem infallibilitas demonstratur ex eo quòd sic verba Salvatoris Patres passim omnes intellexerint.

534 Sic enim ab initio nascentis Ecclesiæ S. Ignatius Martyr (anno 109. passus) intellexit; dum in sua ad Romanos epistola, de Romanis loquens Pontificibus, Cleto & Clemente: *Qui his* (inquit) *non obedit, atheus prorsus, & impius est, & Christum contemnit, ac constitutionem ejus imminuit, quâ Petrum & successores Ecclesiæ suæ fundamentum & Caput instituit, cum fides indeficientis dono.*

Origenes (anno 254. mortuus) allata Christi verba ex Matth. 16. explicans: *Manifestum est* (inquit) ..... *quod nec adversus Petrum, nec adversus Ecclesiam portæ prævalere poterunt inferorum. Nam si possent prævalere contra petram, in qua Ecclesia fundatur, contra etiam Ecclesiam prævalerent.* Cujus oppositum Salvator promisit. Et si ita esset, ab Apostolo verè non diceretur, *columna & firmamentum veritatis*, 1. Timoth. 3.

535 S. Cyprianus (qui obiit anno 258.) l. 4. ep. 9. *Qui Cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, quomodò in Ecclesia* (id est quomodò Catholicum) *se esse confidit?* Censet igitur fide infallibili credendum quod ipsa definit. Ipsam proinde in definiendo infallibilem esse. Unde l. de unit. Eccles. dicit, quòd Romana *una est Mater & radix omnium Ecclesiarum, unicus totius sacerdotii, ministeriique Christiani* FONS INDEFICIENS. Et epist. 55. *Navigare audent ad Petri Cathedram ..... nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est.* AD QUOS PERFIDIA NON POSSIT HABERE ACCESSUM. Obiit S. Cyprianus anno 258.

536 Optatus Milevitanus, qui obiit anno 368. l. 2. contra Parmenion. dicit, *in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collocatam, in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ut jam schismaticus, & peccator sit, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.* Alludit ad verba Salvatoris: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus & publicanus*; & apertè contradicit iis, qui contra Cathedram Petri, aliam in Concilio, seu alio quocumque Cathedram collocant. Quod fieri posset, si Cathedra Petri fallibilis esset.

537 Anno circiter 381. S. Stephanus, Archiepiscopus in Africa, suo, & trium Africæ Conciliorum nomine, epist. ad Damasum Papam: *Vestra* (inquit) *Sedis Episcoporum judicia, & summorum fidem judiciorum Ecclesiasticorum, in honorem Beatissimi Petri, Patrum decreta omnium* (nota benè) *cunctam reservare sententiam. Antiquis enim regulis constitutum est* (constat igitur de traditione) *ut quidquid horum, quamvis in remotissimis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam Almæ Sedis vestræ fuerit deductum, ut ejus authoritate, juxta quod pronuntiatum fuerit, firmaretur.* Sic igitur tota Antiquitas intellexit verba Christi, *confirma fratres tuos.* Cæteræ ergo Ecclesiæ à Romana accipere debent firmitatem. Eam verò Romana Ecclesia cæteris dare non posset, nisi ipsa haberet; nisi proinde infallibilis esset. Similiter loquitur Innocentius I. infrà n. 540.

538 Anno 420. mortuus est S. Hieronymus, qui epist. 57. ad Damas. *Ego Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram fundatam Ecclesiam scio .... Quicumque tecum non colligit ..... Christi non est, sed Antichristi.* Et in exposit. Symb. *Si hæc nostra Confessio Apostolatûs tui judicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se .... non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.* Et lib. 3. Apol. contra Rufin. *Scito Romanam fidem, Apostolico ore laudatam, hujusmodi præstigias non recipere; etiamsi Angelus aliter annuntiet, quàm semel prædicatum est, Pauli authoritate munitam non posse mutari.* Posset autem, si fallibilis esset.

539 Anno 418. Augustinus epist. 190. ad Optatum, relatis verbis Zozimi Papæ, definientis, *nullum omnium natorum esse, qui peccato originali, antequam baptismo liberetur, non tenetur obnoxius: In his* (inquit) *verbis Apostolicæ Sedis tam antiqua, atque fundata, certa, & clara est Catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano.* Et serm. 2. de verb. Apost. in fine: *De hac causa* (Pelagianorum) *duo Concilia* (Africæ) *missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde rescripta venerunt. Causa finita est.* Finita verò non esset, si Sedis Apostolicæ judicium reformabile foret. Sed reformabile non censuit Augustinus; ideòque nec Synodi Generalis Congregationem necessariam, ad damnandam, exterminandamque hæresim. Unde l. 4. ad Bonifac. c. 12. interrogat: *An verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? Quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit: cùm potius rarissima inventantur, propter quas damnandas necessitas talis exiterit.*

540 Anno 416. Innocentius I. in epist. ad Patres Concilii Carthag. dicit: *Patres olim non humanâ, sed divinâ decrevisse sententiâ, ut quidquid in disjunctis, remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ubi tota hujus authoritate, justa quæ foret pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ sententiæ, velut de naturali suo fonte,* &c.

541 Anno 432. obiit Cœlestinus I. qui in epist. ad Episc. Gall. *sufficere* (inquit) *cre-*

dimus quidquid, secundùm prædictas regulas, Apostolicæ Sedis scripta docuerunt; ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.

542 Anno 461. obiit Leo I. Ipse verò serm. 3. in Anniversario die assumpt. suæ, *Specialis* (inquit) *à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* Non igitur à Concilio Petrus, sed à Petro Concilium accipit firmitatem, uti ampliùs declarat epist. 89. ad Episcop. Viennens. *Id quod ipse erat voluit nominari, dicendo*: „ Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, „ *ut æterni templi ædificatio, mirabili munere gratiæ Dei, Petri soliditate consisteret, hâc Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent.* Ideò ergo serm. 2. de sua assumpt. dicit, quòd *soliditas illius fidei, quæ in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est; & sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit.*

543 Circa annum 484. Fœlix III. epist 1. Papæ inerrabilitatem probat, *quoniam Dominus & Salvator omnium fidem B. Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit.*

Gelasius I. (qui obiit anno 496.) epist. 1. ad Anastas. Imperat. *Hoc est quod Apostolica Sedes summoperè cavet, ut quoniam mundi radix est Apostoli gloriosa confessio, nullâ ruinâ pravitatis, nullâ prorsus contagione maculetur. Nam si .... quod fieri non posse confidimus, tale quid proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori? Confessio ergo Petri .... inerrabilem facit Romanum Antistitem.*

544 Circa annum 514. Possessor, Episcopus Africanus, in relat. ad Hormisdam: *A quo magis est nutantis fidei stabilitas expectanda, quam ab ejus Sedis præside, cujus primus à* „ *Christo Rector audivit:* „ Tu es Petrus, & „ super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. „

545 Anno 517. obiit S. Fulgentius. Ipse in l. de Incarn. verb. & grat. & lib. arb. *Id quod .... Romana, quæ mundi Caput est, tenet & docet Ecclesia, totus cum ea Christianus Orbis, & ad justitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.*

546 Anno 590. obiit Pelagius II. Is epist. 1. ad Episcop. Istriæ, ut ipsos confirmaret, *Nostis* (inquit) *in Evangelio Dominum proclamantem*: „ Simon, Simon, ecce Sata- „ nas expetivit vos, ut cribraret sicut triti- „ cum: ego autem rogavi pro te, ut non de- „ ficiat fides tua, & tu conversus confirma fra- „ tres tuos. „ *Considerate, charissimi, quia Veritas mentiri non potuit, nec fides Petri in æternum quassari poterit, vel mutari. Nam cùm omnes discipulos diabolus ad excribrandum poposcerit, pro solo Petro se Dominus orasse testatur, & ab eo voluit cæteros confirmari. Cui etiam, pro majori dilectione, quam præ cæteris Domino exhibebat, pascendarum ovium sollicitudo commissa est. Cui & claves regni cælorum tradidit, & super quem Ecclesiam suam ædificaturum esse promisit, nec portas inferi adversus eam prævalere testatus est.*

Anno 604. mortuus est Gregorius Magnus. Libro verò 6. epist. 37. ad Eulogium: 547 *Quis nesciat* (inquit) *sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus à petra vocaretur, cui Veritatis voce dicitur ...*“ Aliquando conversus confirma “ fratres tuos. “

Anno 649. in Concilio Lateranensi lecta 548 fuit epistola Sergii Episcopi Cypri ad Theodorum I. ubi sic: *Firmamentum à Deo fixum & immobile, atque formam lucidissimam fidei, vestram Apostolicam Sedem constituit Christus Deus noster. Tu es enim, sicut divinum veraciter pronuntiat Verbum, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt.*

Anno 702. obiit Agatho Papa, qui in epi- 549 stola ad Constantinum Imperatorem, Romanæ Sedis infallibilitatem verbis hisce probavit: *Hæc Apostolica Sedes numquam à via veritatis deflexa est, cujus authoritatem semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnesque venerabiles Patres ejus fidem amplexi .... Hæc Apostolica Christi Ecclesia, per omnipotentis Dei gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probabitur, nec hæreticis dogmatibus depravata succubuit, sed, ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab authoribus suis, Apostolorum Principibus, illibata sine tenus permanet, secundùm ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in sacris Evangeliis fatus est*: “ Petre, Petre, ecce satan expetivit, &c. “

Hac infallibili authoritate fretus Agatho 550 fidei regulam, cum laudata epistola, sextæ Synodi Patribus misit, nec istius Synodi judicio submisit; quin potiùs mandavit Legatis suis, ne quid adderæ præsumerent, ne quid minuere, aut immutare ab ea sententia, & definitione fidei, quam ab Apostolica Sede secum detulerant.

Nec est quòd quispiam dicat, Agathonis, 551 utpote Romani Pontificis, velut in propria causa, idoneum non esse testimonium. Cùm prærogativæ Sedis Apostolicæ non tam sint propria causa Romanorum Pontificum, quàm causa Christi, cujus Vicarii sunt; imò causa communis Ecclesiæ Catholicæ. Apostolicæ quippe Sedis, seu Petri authoritas, Catholicæ Ecclesiæ fundamentum est, Do-

mino testificante: Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c. *Sed & privilegia Sedis Apostolicæ* (ut ait Nicolaus I. epistolâ 30.) *arma sunt contra omnes impetus pravitatum, & munimenta, atque documenta Domini Sacerdotum, & omnium prorsus, qui in sublimitate constituunt; imò cunctorum, qui ab iisdem Potestatibus diversis afficiuntur incommodis.* Epistolâ verò 32. eadem privilegia, *totius Ecclesiæ remedia vocat*, necnon *regimina totius Ecclesiæ Catholicæ*. In causâ verò Christi totiusque Ecclesiæ Catholicæ, Romanos Pontifices æquè idoneos testes esse, quàm Concilia Oecumenica, soli negant hæretici.

552 Propterea sexta Synodus Generalis supradictæ Agathonis epistolæ, velut fidei regulæ, se submisit. Cùm enim perlecta esset laudata ipsius epistola in Concilio, & ab Imperatore Christianissimo rogarentur illic universi, nùm suggestionibus ejus consentirent toto animo? Primus Georgius, Constantinopolitanus Antistes, abjectâ contrariâ (quam antè defenderat) Monothelicâ hæresi, professus est, toto se animo illi consentire, amplectique sententiam Sedis Apostolicæ. Post quem & cæteri Episcopi omnes surgentes, in hæc & similia verba pro se quisque responderunt: *Suggestiones directas à Patre nostro Agathone.... tamquam à Spiritu sancto dictatas per os sanctissimi ac beatissimi Principis Apostolorum Petri, prædico, & digito ter Beatissimi Agathonis scripturæ suscipio, & amplector, & ita credo.* Macharium autem, Antiochenum Patriarcham, dictæ Agathonis sententiæ pertinaciter reluctantem, ut novum Dioscorum, una cùm Stephano ejus discipulo, hæreticos pronuntiarunt, & ab omni Episcopali, sacerdotalique honore alienos, anathemati subjecerunt.

553 Anno 868. obiit prænominatus Nicolaus I. Ipse epist. 9. ad Michaëlem Imperatorem: *Non dicatis, non eguisse vos in causa pietatis Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta Concilia suâ authoritate firmat, suâ moderatione custodit. Unde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt..... Quomodò non egeat quælibet Synodus Romanæ Sedis? quando in Ephesino Latrocinio, cunctis Præsulibus, & ipsis quoque Patriarchis prolabentibus, nisi Magnus Leo* (imitator scilicet illius Leonis de quo scriptum est: *Vicit Leo de tribu Juda*) *divinitùs excitatus, os aperiens, totum orbem, & ipsos quoque Augustos concuteret, & ad pietatem commoneret, religio Catholica penitùs corruisset..... Nos pro Patribus* (Petro & Paulo) .... *constituti* (*licèt indigni....*) *Principes super omnem terram, id est super universam Ecclesiam ..... Proindè .... non Nicæna, non denique ulla Synodus quidquam Romanæ contulit Ecclesiæ privilegii, quæ in Petro noverat eam totius juris potestatis pleniter meruisse, & cunctarum Christi ovium regimen accepisse.*

554 Anno 1050. Leo IX. epist. 1. ad Michaëlem, Patriarcham Constantinopolit. *Dei Filio dicente ad Petrum*: "Simon, ecce "satan expetivit vos..... ego autem rogavi "pro te, ut non deficiat fides tua, &c." *Erit quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne à Sede Principis Apostolorum, Romanâ videlicet Ecclesiâ, tam per eumdem Petrum, quàm per successores reprobata, convicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenùs nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?* Et c. 32. *Romanæ Ecclesiæ fides, per Petrum ædificata, nec hactenùs defecit, nec deficiet in sæcula, Christo ejus Domino rogante pro ea, sicut testatur sub ipsa passione sua:* "Ego rogavi pro te Pe- "tre, &c." *Quo dicto demonstravit fidem fratrum vario defectu periclitandam; sed inconcussâ, & indeficiente fide Petri, velut firmæ anchoræ subsidio figendam.... Quod nec negat, nisi qui evidenter hæc ipsa verba Veritatis impugnat. Quia .... sicut cardo immobilis permanens, ducit & reducit ostium; sic Petrus, & sui successores liberum de omni Ecclesia habent judicium, cùm nemo debeat eorum dimovere statum, quia summa Sedes à nemine judicatur.* Nimirùm ut ait epist. ad Petrum Antiochenum, *solus ille est Petrus, pro quo, ne deficeret ejus fides, Dominus & Salvator asserit, se oràsse, dicens*: "Simon, ecce satan, &c." "*Quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quòd hactenùs fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius in sæculum sæculi, sed confirmabit corda fratrum, variis concutienda fidei periclitationibus.*

555 Anno 1075. vitâ functus Gregorius VII. postquam in Dictatu suo Can. 18. declaravit, quòd sententia Papæ à nullo debet retractari, & ipse sententias omnium solus retractare potest. Quòdque *Romana Ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum* (*Scripturâ testante*) *errabit*: L. 3. epist. 18. *Apostolica* (inquit) *Sedes ..... Deo gubernante, firma permansit ab ipsis primordiis, eoque tuente illabata perpetuò permanebit, testante eodem Domino:* „Ego rogavi pro te Petre, &c.

556 Anno 1085. Bertholdus de Concilio loquens Quintileneburgensi, narrat quòd *cùm* in eo *omnes juxta suum ordinem consedissent, probata sunt in medium decreta SS. Patrum de Primatu Sedis Apostolicæ, quòd nulli unquam liceat ejus judicium retractare* (seu reformare) *quod de totius Synodi professione laudatum & confirmatum est.*

557 Anno 1114. Ivo Carnotensis epist. 8. loquens de judicio quodam prolato ab Urbano II. sic loquitur: *Cujus judiciis & Constitutionibus obviare, est hæreticæ pravitatis notam incurrere.*

558 Eodem circiter anno Adalbertus, Archiepiscopus Moguntinus, epist. 23. ad Ecclesiam Herbipolensem, *Noverit* (inquit) *pro certo Dilectio vestra, nos id ratum habere,*

quod Romana sanxit & determinavit authoritas, cujus terminos nec debemus, nec volumus transire: quia hæreticum esse constat, quisquis Romanæ Ecclesiæ, etiam in tam justo judicio non concordat.

559 Circa annum 1140. S. Bernardus epist. ad Innoc. II. *Oportet ad vestrum Apostolatum referre pericula quæque & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum quippe arbitror, ibi resarciri damna fidei, ubi non possit fides detrimentum pati.*

560 Anno 1216. mortuus Innocentius III. l. 2. epist. 198. ad Patriarcham Constantinop. *Pro Petro* (inquit) *Dominus se oravisse fatetur....* „ Ego rogavi pro te, &c. „ *ex hoc innuens manifestè, quòd successores ipsius à fide Catholica nullo unquam tempore devtarent, sed revocarent magis alios, & confirmarent etiam hæsitantes.*

561 Anno 1274. ad beatam vitam transierunt S. Thomas Aquinas, & S. Bonaventura, quorum ille 2. 2. q. 1. a. 10. dicit quòd *ad authoritatem Summi Pontificis pertinet finaliter* (si *finaliter*: ergo irreformabiliter) *determinare ea quæ sunt fidei.... Unde & Dominus Luc. 22. Petro dixit....* „ Ego pro te „ rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. „ *Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ..... Quod servari non posset, nisi quæstio de fide exorta, determinetur per eum qui toti Ecclesiæ præest; ut sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideò ad solam authoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum Generalem*, &c.

562 S. Bonaventura verò in Breviloquio 6. p. c. 3. Summi Pontificis infallibilitatem firmat hoc argumento: quia *alias Synagoga felicior fuisset, quàm Ecclesia: quia illa habebat unum Summum Pontificem, qui omnes discordias poterat terminare, ut patet ex Deuteron. c. 17.*

563 Circa idem tempus Augustinus Triumphus l. de potest. Eccles. q. 10. *Si aliqua sunt dubia, & obscura in fide, ad Papam pertinet interpretari, & determinare; post cujus determinationem hæreticum esset contrarium pertinaciter asserere.*

564 Anno 1387. Petrus Alliacensis, Cancellarius Parisiensis, Episcopus Cameracensis, & Cardinalis, suo & Universitatis Parisiensis nomine loquens Clementi VII. *Firmiter tenemus..... quòd S. Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, super quam fundata est Ecclesia.... de qua Sede in persona Petri Apostoli in ea sedentis dictum est:* „ Petre, rogavi pro „ te, ut non deficiat fides tua.

565 Anno 1418. Martinus V. in Constitutione edita in Concilio Constant. declaravit, quòd *nulli fas est à supremo Judice, videlicet Apostolicâ Sede, seu Romano Pontifice, Jesu Christi Vicario in terris, appellare* (igitur Superiorem non habet, à quo judicium ipsius reformari queat) *aut illius judicium in causis fidei, quæ tamquam majores ad ipsum, & Sedem Apostolicam deferendæ sunt, declinare.*

Anno 1439. Bessarion Patriarcha Constantinopolit. in epistola encyclica ad omnes Archiepiscopos, & Episcopos sui Patriarchatûs sic loquitur: *Si Doctorum nostrorum libros evolveritis, invenietis Romanam Ecclesiam supra cæteras omnes potestatem habere, & ita universæ præesse Ecclesiæ, ut absque ejus authoritate nulla prorsus Ecclesiastica quæstio solvi, nullum dogma concludi possit. Hæc est quæ fidem Petri tenet, & prædicat: hæc sola est, adversus quam portæ inferi non prævalebunt.*

Circa idem tempus S. Bernardinus Senen- 566
sis (qui obiit anno 1444.) p. 3. serm. 3. sic habet: *Cùm Papa sit Christi Vicarius, & gerat vicem Dei in terris.... ipso approbante aliquid, & nos approbare debemus; imò ipsius sententiæ est magis standum, quàm totius mundi.* Magis ergo quàm Concilii Generalis.

Anno 1519. Theologica Facultas Lova- 567
niensis jussu Caroli V. Imperatoris edidit Confessionem Catholicam, triginta duobus articulis comprehensam, quorum vigesimus secundus habet: *Firmâ fide tenendum est, unam esse in terris veram atque Catholicam Christi Ecclesiam, eamque visibilem, quæ ab Apostolis fundata, in hanc usque nostram ætatem perdurans, retinet, & suscipit quidquid de fide & religione tradidit, tradit, & tradetura est Cathedra Petri, super quam ita à Christo sponso suo est ædificata, ut in his quæ fidei sunt, & religionis, errare non possit:* utique propter istius Cathedræ indefectibilitatem, cui omnes obedire tenentur, uti declarat art. 23. Unde art. 25. addit, quòd *certâ fide tenenda sunt, non solum quæ Scripturis expresè sunt prodita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita sunt per Cathedram Petri, vel per Concilia Generalia legitimè congregata.* Non forent autem certâ fide credenda, quæ definita sunt per Cathedram Petri, si infallibiles non forent definitiones ipsius.

Anno 1626. in Synodo Parisiensi art. 137. 568
sub titulo: *Advis de l'Assemblée du Clergé de France à Messieurs les Archevêques & Evêques de ce Royaume*, extat decretum tenoris sequentis: Hortamur Episcopos omnes, ut sacram Apostolicam Sedem, &c. ut suprà num. 505.

Denique assertio de infallibilitate Summi 569
Pontificis in decidendis fidei controversiis communissimè defenditur à Doctoribus Hispanis, Italis, Germanis, Belgis, &c. eamque disertissimè tradit vel ipse Jansenius Iprensis ad illa verba Christi Luc. 22. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Eam denique omnes penè totius Christianitatis provinciæ docent. Omnes etiam penè Universitates.

Nam

571 Nam *authoritas infallibilem ſententiam in cauſis fidei pronuntiandi, eſt Romanis Pontificibus omnium Univerſitatum conſenſu acquiſita*, inquit anno 1662. Illuſtriſſimus D. Petrus de Marca, nominatus Archiepiſcopus Pariſienſis, in obſervationibus ſupra Theſim 12. Decembris 1660. in Sorbona publicè defenſam, hanc utique: *Romanus Pontifex controverſiarum Eccleſiaſticarum eſt conſtitutus Judex à Chriſto, qui ejus definitionibus indeficientem fidem promiſit.*

§. VI.

Eandem infallibilitatem digito volut oſtendunt prærogativæ, quibus S. Petrus, & quilibet S. Petri in Romano Pontificatu ſucceſſor, juxta S. Scripturam, & traditionem decoratur: quòd utique ſit Generalis Chriſti Vicarius, ab ipſo cum plenitudine poteſtatis inſtitutus. Quòd ſit Supremus, poſt ipſum, Eccleſiæ Monarcha. Quòd ſit Caput, Paſtor, Judex, Pontifex, Rector, & Magiſter Eccleſiæ univerſalis.

572 PRærogativas iſtas Romano Pontifici juxta Scripturam & traditionem competere, ſequentia Capita demonſtrabunt. Si autem Romanus Pontifex ſit Generalis Chriſti Vicarius, ab ipſo cum plenitudine poteſtatis immediatè inſtitutus, ſequitur 1°. quòd nulli ſubſit, niſi ei cujus vices gerit; quemadmodùm Vicarius immediatus Imperatoris, vel Regis, nulli ſubeſt, niſi Imperatori, vel Regi, à quo vicariam poteſtatem accepit.

573 Sequitur 2°. quòd uſus poteſtatis ipſius, à nullo, niſi à Chriſto, præſcribi, vel circumſcribi poſſit, niſi circumſcribendi, vel præſcribendi poteſtatem Chriſtus alicui perſpicuè conceſſerit (cùm ejus ſit præſcribere, vel circumſcribere uſum poteſtatis, qui poteſtatem confert; nec cenſeatur alteri committere præſcribendi, vel circumſcribendi poteſtatem, niſi id clarè exprimat) quodque proindè Apoſtolicæ poteſtatis uſus per Canones humani juris circumſcribi non poſſit, ſive reſtringi, & moderari.

574 Sequitur 3°. Romanum Pontificem à nullius (præterquàm Chriſti) arbitrio & judicio pendere, in uſu poteſtatis à Chriſto acceptæ. Neque enim habet à Chriſto poteſtatis plenitudinem, qui habet poteſtatem in ſuo uſu ab alterius arbitrio vel judicio dependentem.

575 Sequitur 4°. in fidei quæſtionibus irreformabile eſſe Romani Pontificis judicium, independenter ab Eccleſiæ conſenſu. Si enim fidei controverſias irreformabiliter judicare non poſſet, niſi dependenter ab Eccleſiæ conſenſu, in judicando non accepiſſet à Chriſto poteſtatis plenitudinem, ut proximè vidimus.

576 Similiter ex prærogativa ſupremi Eccleſiæ Monarchæ ſequitur 1°. Romanum Pontificem non habere in Eccleſia ſuperiorem, ne ipſum quidem Concilium. Quomodò enim Monarcha ſupremus, ſi ſuperiorem habeat? Si Monarcha ſupremus, ſupremam habet authoritatem. Ergo Concilium non habet majorem (cùm non detur authoritas major ſuprema) ſed nec habet parem (aliàs duplex eſſet ſuprema authoritas in Eccleſia, quod eſſet occaſio ſchiſmatis; nec minùs monſtroſum, & inconveniens, quàm ejuſdem corporis duplex ſupremum Caput) igitur habet minorem; ac proinde eſt infra.

577 Sequitur 2°. Romanum Pontificem eſſe irreformabilem. A nullo quippe reformari poteſt judicium ſupremi Monarchæ. Cùm non habeat ſuperiorem, à quo reformetur.

578 Sequitur 3°. uſum poteſtatis ipſius moderandum non eſſe per Canones Conciliorum ad jus divinum vel naturale non pertinentium: ſiquidem Conciliorum poteſtate ſuperior eſt ſuprema poteſtas ſupremi Eccleſiæ Monarchæ. Conciliorum tamen à ſe, vel Prædeceſſoribus ſuis confirmatorum Canones Romanus Pontifex lege naturali ſervare tenetur: cùm Legislator, etiam ſupremus, legibus à ſe latis quoad vim directivam ſe conformare teneatur, uti probavimus l. 1. c. 23.

579 Quartò, ex eo quòd Romanus Pontifex ſit Caput, Paſtor, Judex, Rector, & Magiſter Eccleſiæ univerſalis, ſequitur ipſum eſſe Caput, Paſtorem, Judicem, Rectorem, & Magiſtrum Concilii Oecumenici, Eccleſiam univerſalem repræſentantis. Ex quo concluditur 1°. ipſum eſſe ſupra, non infra Concilium: cùm Caput ſit ſupra, non infra reliquum corpus; Paſtor ſupra, non infra gregem; Judex & Rector ſupra, non infra Communitatem, quam judicat & regit; Magiſter ſupra, non infra diſcipulum, Evangelio teſte, *non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum.*

580 Concluditur 2°. ipſius judicium reformabile non eſſe per Concilium: cùm judicium ſuperioris reformabile non ſit per Judicem inferiorem.

581 Concluditur 3°. ipſum in fidei definitionibus, toti Eccleſiæ propoſitis, independenter à Concilio generali, ſeu Eccleſiæ univerſalis conſenſu, inerrabilem eſſe. Si enim errare poſſet, tota Eccleſia, quæ ipſius definitiones ſequi tenetur, ipſumque Concilium Oecumenicum poſſet errare. Cùm firmum eſſe nequeat ædificium, cujus caducum eſt fundamentum. Nec fundamentum habeat firmitatem dependenter ab ædificio; ſed ædificium dependenter à fundamento: atque adeò Eccleſia & Concilium Oecumenicum dependenter à Romano Pontifice, non contrà. Unde Petro & ſucceſſoribus Salvator non dixit: *Confirmare à fratribus*; ſed, *confirma fratres tuos,*

582 Concluditur 4°. quòd si Romanus Pontifex sit Judex & Pastor Ecclesiæ universalis, Pastor est & Judex Christianorum omnium, prout Catholici omnes fatentur. Igitur Pastor est & Judex, etiam ipsorum Imperatorum & Regum : utpote qui ex eo quòd Reges sint, non desinunt esse oves Christi, Ecclesiæque filii, ac subditi. Quod nullus negare potest, nisi velit eos hædis, seu reprobis aggregare, quod absit. Si filii sunt, extra disciplinam non sunt, Apostolo ad Hebr. contestante, *quis filius, quem non corripit Pater?* Si oves, subjacent directioni & correctioni Pastoris, cui à Christo dictum est, *pasce oves meas, pasce agnos meos.* Esse namque de grege Christi, & non subjici directioni & correctioni Pastoris, à Christo Domino super ovile suum constituti (citra specialem à Christo exemptionem, quæ nulli concessa legitur) perspicua contradictio est.

583 Concluditur 5°. fieri quidem posse quòd Romanus aliquis Pontifex in fide personaliter erret (fortè enim Honorius & Liberius errarunt) fieri tamen non posse quòd Sedes Apostolica, Ecclesiaque Romana in fide erret, vel universalem Ecclesiam errare faciat, aliquid fidei contrarium, velut fidei articulum proponendo. *Hæc* enim *Apostolica Christi Ecclesia* (Romana scilicet) *per omnipotentis Dei gratiam* (inquit Agatho Papa in fidei suggestione) *à tramite Apostolica traditionis nunquam erravisse probabitur, nec hæreticis pravitatibus depravata succubuit.* Et ut Nicolaus I. epist. 8. ad Michaël. Imperat. *Quod Deus statuit, firmum, validumque consistit .... Privilegia istius Sedis, vel Ecclesiæ, perpetua sunt, divinitùs radicata, atque plantata. Nonne à Sede Principis Apostolorum, Romanâ videlicet Ecclesiâ .... reprobata & convicta atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenùs non defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?* ait Leo IX. epist. 1. ad Michaël. Patriarch. Constantinop.

CAPUT XLII.

Ex Scriptura & traditione demonstratur, S. Petrum, Petrique in Romano Pontificatu successores, esse Generales Christi Vicarios, ab ipso cum plenitudine potestatis immediatè institutos.

584 UNi quippe Petro, qui dixerat : *Tu es Christus Filius Dei vivi*, Christus Matth. 16. immediatè dixit : *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus .... & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Luc. 22. *Confirma fratres tuos.* Joan. 2. *Simon Joannis pasce agnos meos .... pasce oves meas.*

585 Ipsi ergo immediatè commisit vices suas in officio pascendi, & regendi ovile suum, & Ecclesiam; eumque in finem ipsi dedit plenitudinem potestatis ad hoc necessariæ, prout significant verba ista, *quodcumque ligaveris*, &c. Istamque potestatem voluit esse post ipsum supremam, sive regiam, & monarchicam, à quocumque alio independentem, præterquàm ab istius potestatis collatore. Cùm (ad id significandum) supremas regni sui claves ei promiserit, dum absolutè, & illimitatè dixit : *Tibi dabo claves regni cælorum.* Illimitata quippe promissio, & traditio clavium regni, symbolum est supremæ, seu regiæ in regnum cælorum, seu Ecclesiam potestatis : cùm ad eum absolutè & illimitatè spectent claves regni, civitatis, &c. ad quem spectat suprema civitatis, vel regni potestas, sive ad quem spectat summum imperium admittendi, vel inde excludendi quos justa vult de causa : ideòque hujusmodi traditione clavium, optimè designatur traditio dictæ potestatis; sicut traditione clavium civitatis, in manus victoris, humano more designatur deditio civitatis; sicut etiam Isa. 22. promissione clavium domûs David, factâ Eliacim filio Helciæ, promissa intelligitur suprema potestas in domo David, sive in templo Salomonis, cùm dicitur : *Et dabo clavem domûs David super humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Ipsaque suprema Christi potestas in Ecclesiam suam, Apocalypsis 3. designatur his verbis : *Qui habet clavem David, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.*

586 Sicque allata Christi verba communis sanctorum Patrum traditio semper intellexit. Propterea namque Arnobius in Psal. 138. sic ait : *Jesus Christus dicebat : Ego sum Pastor bonus, & sequuntur me oves meæ. Hoc ergo nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem, post resurrectionem suam Petro commisit, & negatori suo, hanc quam solus habuit, tribuit potestatem.* Habuit autem supremam : si ergo hanc tribuit, quam solus habuit, tribuit supremam.

587 Propterea etiam Cyrillus in libro Thesaurorum (apud S. Thomam lib. 1. contra error. Græc. c. 32.) *Apostoli* (inquit) *in Evangeliis & Epistolis affirmaverunt in omni doctrina Petrum esse loco Dei.* Et iterùm ibidem : *Sicut Christus accepit à Patre sceptrum Ecclesiæ Gentium & Israël, & plenissimam potestatem; sic & Petro, & successoribus plerisque commisit, & nulli alii, quam Petro, Christus quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit.* Verba tamen ista hodie non inveniuntur in S. Cyrillo. Chrysostomus (apud eundem S. Thomam ibidem) *Filius quæ Patris est, & ipsius*

ipsius Filii potestatem Petro ubique terrarum concessit. Quam quidem concessionem (alibi exponens verba ista, tu es Petrus) hoc modo exprimit: *Est quoddam hîc Filii donum proprium Petro datum, sicut Patris quoddam donum erat, eidem concessum.*

588 S. Leo serm. 3. in sua assumpt.: *Tu quoque petra es, quia meâ virtute solidaris, ut quæ mihi sunt propria, sint tibi mecum virtute communia.* Et Leo IV. *Petrus cùm intelligeret, principatum etiam magnum esse .... videretque Joannem sequentem..... Hic (inquit) quid? Quod perinde erat, quasi diceret: Mene præfici vis Caput discipulis? Hunc verò à te dilectum.....quid facere jubes? Ne igitur occasionem erroris aliqui conciperent, quòd omnibus discipulis communiter dixisset: quæcumque solveritis in terra, &c. Respondit Dominus: sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere, id est sequere me hoc Baculo Pastorali: & sicut ego, cùm eram vobiscum, servabam vos, ut Pater, Caput, ac Magister..... sic tu esto loco meo, & sequere me principatu & potestate, fratres tuos confirmans. Te enim volo esse loco meo.* Theophylactus in cap. ult. Joan. *Qualis ego Pastor fui, talis & tu sis.*

589 S. Bernardus l. 2. de considerat. ad Eugen. c. 8. *Tu quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum. Tu hæres Apostolorum. Tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses* (cujus suprema post Deum authoritas fuit in populo Dei) *judicatu Samuël, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es cui claves traditæ sunt, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii cæli Janitores, & gregum Pastores; sed tu tanto gloriosiùs, quantò & differentiùs utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos. Tibi universi crediti, uni unus. Nec modò ovium, sed & Pastor tu unus omnium Pastorum. Unde id probem, quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè & indiscretè totæ commissæ sunt oves?* „Si me amas Petre, pasce oves meas.„ *Quas? Illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certè regni? Meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur mihil. Ergo juxta Canones tuos, alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos qui potestatem super alios acceperunt.*

590 Protho Prumiensis l. 1. de statu domûs Dei: *Domus Dei Ecclesia est .... In tota hac domo solus B. Petrus, cum successoribus suis, plenitudinem potestatis accepit.* Et lib. 3. *Ex B. Gelasii dictis, aliorumque SS. Patrum scriptis declaratur, quòd Romanæ Sedis singulari privilegio omnium Ecclesiarum privilegia confirmentur, quòdque illius singulari dispositione, omnium Ordinum, dignitatum ac professionum jura, Institutionumque moderamina gubernentur. Sicut enim Deus Pater omne judicium dedit Filio; sic Filius Dei omne judicium suum Apostolicæ Sedi concessit: quæ videlicet totius Ecclesiæ Caput à Domino constituta ..... totum Ecclesiæ Corpus .... in plenitudine potestatis .... disponit..... Sed solùm id Apostolicæ Sedis dispensationi concessum est, ut, pro temporis necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, aliquid de institutis Patrum commutare possit ..... Ipse namque est, qui tamquam fidelis & prudens dispensator, super familiam Domini constitutus, ut det illis in tempore tritici mensuram, solus totius domûs Dei, quæ est Ecclesia, curam gerit. Hanc ergo dispensationem, quâ mensura Dominici tritici datur, id est facultas temperandorum, sive mutandorum Canonum conceditur, Romano Pontifici potissimùm adjacere non dubitamus, ut SS. Patres docuerunt ..... Ipsi enim sunt Authores Canonum, & illa Sedes semper hoc habuit privilegium, ut ligatum, vel solutum sit, quidquid ipsa ligaverit, vel solverit. Unde juxta attestationem SS. Patrum, omnibus Ecclesiis præeminet, & de omnibus judicare potest.*

S. Thomas Cantuariensis epist. 122. lib. 1. *Non est sub sole, qui de manu summi Pontificis possit eruere. Solus infidelis, aut qui eum superat, hæreticus, aut schismaticus, Apostolicis obtectat obedire mandatis.* Et l. 5. epist. 73. *Nulli hominum licet infirmare, quod Apostolica Sedes decreverit.* 591

Joannes Sarisberiensis, laudati S. Thomæ discipulus, l. 2. c. 60. ad Alexandrum III. sic scribit: *Os meum in cælum ponere non præsumo. Fateor, & verum est, omnia licere Romano Pontifici.... nova jura condere, vetera abrogare: dum tamen illa quæ à Dei verbo, & Evangelio, vel lege perpetuam causam habent, mutare non possit ..... Clamamus ergo ad successorem Petri, Vicarium Crucifixi, &c.* 592

S. Thomas Aquinas sex habet de Pontifice pronuntiata. Et ex iis quinque in opusculo adversus errores Græcorum, scilicet I. *Romanus Pontifex, successor Petri, & Christi Vicarius est, primus & maximus omnium Episcoporum.* II. *Summus Pontifex in totam Ecclesiam Christi, plenitudinem potestatis, & universalem prælationem obtinet.* III. *S. Petrus est Christi Vicarius, & Romanus Pontifex, S. Petri successor, in eadem potestate ei à Christo collata.* IV. *Ad Summum Pontificem pertinet, ea quæ fidei sunt determinare.* V. *Subesse Romano Pontifici, est de necessitate salutis.* Sextum habet in tract. contra impugnantes religionem: *Sancti Patres in Conciliis congregati, nihil statuere potuissent, nisi authoritate Romani Pontificis intervenient: sine qua etiam Concilium congregari non potest.* 593

S. Bonaventura to. 1. ser. 22. in Hexaëmerón tit. de stat. Eccles. milit. *Sola Roma universaliter, sicut sol super planetas, habet plenitudinem potestatis super omnes Ecclesias.* 594

quo immediatè, nisi ab eo qui ipsi immediatè dixit: *Tu es Petrus*, &c.?

595 Concilium Constantiense sess. 43. adversus 37. artic. Joan. Wiclef definit, Romanum Pontificem esse proximum & immediatum Christi Vicarium, dum damnat hunc articulum: *Ecclesia Romana est Synagoga sathanæ, nec Papa est proximus & immediatus Vicarius Christi*: proinde non ab hominibus habet, quòd sit Christi Vicarius. Ut enim Concilium Lugdunense sub Innocentio IV. ait: *Dei Filius Jesus Christus, ne gregem suum pretio sanguinis gloriosi redemptum, ascensurus post resurrectionem ad Patrem, absque Pastore desereret, ipsius curam B. Petro Apostolo commisit.* cap. *pro humani* de homicid. in 6. Cui consonans Concil. Viennense sub Clem. V. *Romana Ecclesia, Mater alma fidelium, Caput est, disponente Domino, Ecclesiarum aliarum, & Magistra. Ad cujus regimen volunt Christi clementia Romanum Pontificem, vice sui, deputare Ministrum.*

596 Concilium Florentinum in definitione fidei post sess. 25. to. ult. Concil. *Definimus, sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Summum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri, Apostolorum Principis, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi a B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.* Ubi gratis non dicitur id in gestis Oecumenicorum Conciliorum contineri: quia (præter dicenda infrà) in Concilio Oecumenico Lugdunensi secundo Patres Græci suæ fidei professionem hisce verbis exhibuerunt: *Ipsa quoque S. Romana Ecclesia, summum & plenum primatum & principatum super universam Ecclesiam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse, veraciter & humiliter recognoscit; & sicut præ cæteris fidei veritatem tenetur defendere; sic siquæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debet judicio definire.*

597 Et hinc Gennadius, Patriarcha Constantinopolitanus, qui Florentino, tamquam Metropolita Gannen. subscripsit, in expos. Concil. Florent. tit. 5. sect. 1. *Decrevimus* (inquit) *Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in universum orbem* (in universam proinde Ecclesiam) *primatum obtinere, eumque esse B. Petri Principis Apostolorum successorem, & ipsius Christi Vicarium, Patrem, & Magistrum omnium Christianorum. Hoc profectò nescio quomodò quis inficiari possit: cum apertissimè Christus, & omnes Doctores, manifestiùs quàm si vel tonitruum personaret, hoc ipsum vociferentur.*

Et anno 1554. Facultas Theologica Parisiensis fecit hanc declarationem: *Omnes & singuli Magistri nostri palam apertoque ore professi sunt, nihil se adversus Summorum Pontificum authoritatem, & potestatem aut decernere, aut moliri, aut etiam cogitare velle; imò verò omnes & singuli ..... ipsum Romanum Pontificem, ut summum, & universalem Christi Vicarium, & universalem Ecclesiæ Pastorem, cui plenitudo potestatis à Christo data sit, cui omnes utriusque sexûs obedire, cujus decreta venerari, & quisque tueri, & observare teneatur, ut semper agnoverunt, & confessi sunt, ita nunc quoque sincerè, fideliter, & libenter agnoscunt, & confitentur.* 598

CAPUT XLIII.

Ex Scriptura, traditione, & ratione demonstratur, S. Petrum, & quemlibet successorem ipsius, esse supremum totius Ecclesiæ Monarcham.

MOnarchicam Petri & successorum in Romano Pontificatu potestatem demonstrant Scripturæ num. 584. relatæ: utpote ex quibus traditio Sanctorum semper intellexit, quòd Petro Christus supremam contulerit potestatem, significatam per traditas ipsi claves regni sui, sicut & per absolutam & illimitatam potestatem pascendi, seu regendi ovile suum; absolutam item & illimitatam potestatem ligandi & solvendi, &c. Quibus verbis & sceptrum regni sui, & eam quam Christus ipse habuit (supremam utique) potestatem, & potestatis plenitudinem Petro commisit, uti sanctos Patres attestantes audivimus. 599

Et idipsum attestatur Concilium Constantiense; sive Martinus V. cum ipso, dum inter articulos fidei, de quibus suspectos de hæresi Wiclef & Joan. Hus, censuit interrogandos, unus est: *Utrùm credat quòd Papa, canonicè electus .... sit successor S. Petri, habens supremam authoritatem in Ecclesia Dei.* Quam quidem supremam authoritatem nedum esse in Ecclesia Dei, sed & in Ecclesiam ipsam, etiam universalem, & non solùm in omnes Ecclesias particulares, demonstrat condemnatio sequentis articuli Wiclef, ab eodem Martino V. in eodem Concilio facta: *Petrus non est, nec fuit Caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ*, id est universalis. 600

Et ratione idipsum ostenditur. Siquidem Ecclesia Christi non est Democratia, nec Aristocratia, sed *regnum*, ut constat ex eo quòd in Evangelio toties appelletur *regnum cælorum* (teste namque Gregorio, *regnum cælorum præsentis temporis Ecclesia dicitur*) de quo etiam Psal. 2. dicitur: *Ego autem constitutus sum Rex super Sion montem sanctum ejus*, id est super Ecclesiam. Et Luc. 1. 601

regni ejus, quod in æternum non dissipabitur.

602 Nec certè dubium, quin Christus, qui fundavit Ecclesiam in sanguine suo, eamque voluit ad finem usque sæculi perdurare, illud in ea regimen instituerit, quod optimum censetur. At verò inter genera regiminum, communi orbis judicio optimum censetur Monarchicum; quo scilicet unius multitudinis unus est Rector supremus, à quo regendi authoritas descendit in medios, & pervenit usque ad infimos. Ita enim communi suffragio censent, tum Sapientes Gentilitatis, Plato, Aristoteles, Seneca, Plutarchus, Isocrates, Herodius, &c. Tum SS. Patres, Justinus, Cyprianus, Athanasius, Hieronymus, &c. (apud Bellarminum l. 1. de Romano Pontifice c. 2.) Tum Theologi communiter cum S. Thoma, & Juristæ omnes, cum Bartolo & Baldo (teste Boer. in tract. de custodia
603 clav. n. 53.) Et ratio est, quia principatus magis naturalis, & magis amicus unitatis & pacis, est unius in plures, ut Augustinus ait l. de nupt. & concupisc. Et *natura principiorum* (ut dicitur cap. *quod autem* 23. q. 7.) *amat singularitatem*; omnisque potestas impatiens consortis erit. Ipsaque plurium irrationalium multitudo principatum unius naturaliter amat. Nam *rex unus apibus* (inquit Cyprianus tract. de idolor. vanit.) *dux unus in gregibus, & in armentis rector unus.* Et *grues unum sequuntur*, ait Hieronymus epist. ad Rusticum.

604 Ipsa etiam forma cælestis regiminis (quod haud dubiè est absolutissimè omnium optimum) sive cælestis Aula nos admonet, regimen Monarchicum esse optimum. Cùm cælestè sit ejusmodi, & terrestre regimen tantò melius sit, quantò cælesti conformius. *Quid Aulâ cælesti pulchrius?* (inquit Pius II. in Bulla retractationis ad Universitatem Colonienſem directa) *quid ordinatius? quid majus, aut durabilius? quid melius aut beatius? quamvis in ea & Angelorum diversi sint ordines, & sanctorum Spirituum innumerabiles chori, unus tamen est*
605 *omnium Rex æternus, Deus.* Atqui unigenitus Dei Filius Ecclesiæ suæ, seu terrestris regni sui regimen instituit ad similitudinem regni cælestis, prout SS. Patres probant ex Apocalypsi 21. *Vidi civitatem sanctam Hierusalem, novam, descendentem de cælo, à Deo paratam sicut Sponsam, &c. Ego enim* (inquit Bernardus l. 1. de consid. c. 4.) *propter similitudinem dictum reor. Quòd sicut illic Seraphim & Cherubim, ac cæteri quique, usque ad Angelos, ordinantur sub uno Capite, & Rege Deo; ita hic quoque, sub uno Pontifice summo, tamquam omnium Capite & Rege, Primates, vel Patriarchæ, Episcopi, Presbyteri, vel Abbates, & reliqui in hunc modum.*

606 Denique idipsum nos docet naturæ humanæ institutio, populique Dei gubernatio ab initio. Nam & unus fuit in regimine Paradisi, scilicet Adam, & ex uno Deus esse voluit omne genus humanum. Neque enim virum & feminam pariter ex humo, sed Adam ex humo, Evam ex viro produxit. Cujus rationem Chrysostomus homil. 34. in epist. 1. ad Cor. c. 13. esse dicit, quia Deus inter homines noluit esse Democratiam, sed regnum, id est significare voluit, sibi magis probare unius in unam multitudinem, quam multorum principatum. Quod & significavit, quando unum præfecit in regimine arcæ (quæ figura fuit Ecclesiæ) scilicet Noe. Unum in ducatu filiorum Israël, scilicet Moysen, & post Moysen, Josue. Unum summum Sacerdotem in tabernaculo, scilicet Aaron. Unum supremum in Judicatu, scilicet Samuelem. Unum David, unum Salomonem in populo suo, &c.

Atqui hæc omnia in figura (Apostolo 607
teste) contigerunt illis, formamque proinde Ecclesiastici regiminis præfigurarunt. His igitur omnibus demonstratur Ecclesiasticum regimen esse Monarchicum, prout SS. Patres constanter hactenùs tradiderunt apud Coccium in Thesauro l. 7. a. 2. Justinus in orat. cohortatoria ad Gentes. Cyprian. de idolor. vanit. Eusebius Cæsariensis de demonstrat. Evangelic. l. 3. c. 9. Athanasius orat. contra idola. Hieronymus epist. 4. Chrysostomus, Augustinus, & Bernardus ubi suprà. Theodoretus l. 3. de Angelis. Leo I. serm. 1. in Natal. Apost. Petr. & Paul. Eucherius Lugdun. epist. ad Valerianum. S. Thomas in 4. dist. 20. a. 4. ad 3. his verbis: *Papa habet plenitudinem Pontificalis potestatis, quasi Rex in regno.* Per consequens tradiderunt unum esse supremum Ecclesiæ Moderatorem, qui eam regit cum plenitudine potestatis, sicut Rex regit regnum suum. Et hunc dicunt esse Papam, seu Romanum Pontificem, Jesu Christi Vicarium, *à quo* (ut Julius II. loco citato prosequitur) *tamquam Capite, omnis in subjecta membra potestas & authoritas derivatur, quæ à Christo Domino nostro, sine medio in ipsum influit. Nec profectò in alium, tamquam sui exercitûs Ducem, supremam authoritatem Christus derivasset, quàm in suum Vicarium, qui primus fuit Petrus, cui commissam novimus Domini gregis curam . . . nec . . . plures instituit Dominus, qui suum locum tamquam Capita tenerent æqualia; sed unum constituit, ut verticem, ac Ducem, & Pastorem universi gregis, Simonem Petrum, dicens:* "Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælo; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælo. Et pasce oves meas." *Quæ nulli alii seorsim dicta leguntur, nisi Petro, ut in Petro unitas, & summa contineretur authoritas. Sicque Ecclesia unitati consuleretur, & schismatis occasio tolle-*

retur. Ideò ergo Christus unum Petrum, suum in terris Vicarium constituit. Ideò uni dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Uni dixit: *Tibi dabo claves regni cælorum.* Uni eorsim dixit: *Quodcumque ligaveris*, &c. Uni dixit: *Confirma fratres tuos.* Uni dixit: *Pasce oves meas.* Uni (inquam) Petro omnia ista singulariter dixit, non alteri, ne ipsi quidem Apostolorum Cœtui, nec per consequens Concilio. Petro proinde supremam totius Ecclesiæ, seu Ovilis sui præfecturam commisit, non Concilio. Unum Petrum suum in supremo regimine Vicarium immediatum constituit, non Concilium. Ideò namque singularis, præ omnibus aliis Apostolis, amoris trinam ab ipso confessionem exegit: *Simon Joannis diligis me plus his?* Ideò solius ipsius nomen, id est Simonis, in Cephæ nomen, ad designandum Ecclesiæ fundamentum, commutavit. Idò singulares, seu individuales nominis ipsius circumstantias expressit: *Simon Joannis, Simon Barjona. Simon* quippe nomen est ipsi inditum in circumcisione. *Joannis*, seu *Barjona*, individualiter exprimit, non quemcumque Simonem, sed Joannis, seu Jonæ filium.

608 Ipsæque Evangelici sermonis circumstantiæ in eamdem significationem concurrunt. Illi quippe Christus supremum Ecclesiæ regimen laudatis verbis commisit, qui dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*: in cujus confessionis mercedem, audire meruit, *& ego dico tibi, quia tu es Petrus*, &c. Illi commisit, à quo Christus petiit, *Simon Joannis diligis me plus his?* Illi commisit, cui (post promissum Ecclesiæ regimen) protinùs dixit, *vade post me Satana.* Illi denique dixit, *tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: cui immediatè prædixerat, *ter me negabis.* Quæ omnia perspicuè designant, tum singularem Petri personam, non Ecclesiam, non Cœtum, non Concilium. Tum singulare privilegium Petro, præ omnibus aliis, etiam Apostolis, & super omnes alios, etiam Apostolos, à Christo concessum.

609 Et iste perpetuus fuit Ecclesiæ sensus. Siquidem, vi supremæ potestatis, à Christo ipsi commissæ, Petrum aliis omnibus, etiam Apostolis, præfectum fuisse, tamquam eorum Ducem, Principem, Magistrum, Episcoporumque omnium Episcopum constitutum fuisse, SS. Patres uno ore contestantur. Basilius serm. de judicio Dei, ubi de Petro dicit quòd *cæteris prælatus discipulis fuit.* Epiphanius hæresi 51. *Petrus.... Dux discipulorum.* Optatus Milevitanus: *omnium Apostolorum Caput.* Cyrillus Alexandrinus l. 12. in cap. Joan. v. 25. *Princeps & Caput cæterorum Apostolorum.* Augustinus epist. 86. nunc 36. ad Casulan. *Apostolorum Caput.* Theophilactus in illud Luc. 22. „ Confirma fratres tuos: „ *planus hujus intellectus is est. Quia te habeo Principem discipulorum ..... confirma fratres tuos.* Oecumenius in cap. 1. Actor. *Surgit Petrus.... cui discipulorum præsidentia commissa erat.* Denique Petrus ab ipsismet Conciliis nuncupatur *Apostolorum Princeps*, ut à Concilio Ephesino p. 2. act. 3. & à Constantinopolitano IV. epist. ad Imperator. act. 3. & à Florentino in decreto fid. Titulum verò Episcopi Episcoporum nisi consuetudo Tertulliani tempore ipsi tribuisset, Tertullianus, malè erga Zepherinum Papam affectus, ipsi non tribuisset, prout tribuit in libro de pudicitia cap. 1. Edictum ipsius pro mœchis ad pœnitentiam recipiendis irridens: *Pontifex* (inquit) *maximus, Episcopus Episcoporum*, &c. Nec in Actis SS. Martyrum Sebastiani & sociorum, Tiburtius, Chromatii filius, Cajum Papam nuncuparet *Episcoporum Episcopum.* Quem etiam titulum Romano Pontifici D. Hieronymus tribuit in cap. 18. Matthæi.

Commissam etiam, singulari Petri per- 610
sonæ, individualiter sumptæ, supremam Ecclesiæ præfecturam, sancti Patres concorditer tradunt, ex hoc quòd aliis quoque Apostolis Matth. 18. & Joan. 20. collata sit ligandi, solvendique potestas, agnoscentes quidem in ipsis aliquam usûs clavium potestatem, non tamen plenam & supremam, sicut in Petro, cui soli claves regni cælorum generaliter & plenè promissæ, curaque pascendi dominicum gregem singulariter commissa legitur. Et ideò Origenes tract. 6. in Matth. *Quoniam* (inquit) *oportebat aliquid majus habere Petrum, ideò illi quidem dicit: & tibi dabo claves regni cælorum.* Optatus Milevitanus l. 1. contra Parmen. *Solus Petrus claves accepit.* Leo I. epist. 89. ad Episcop. Viennens. *Petro præ cæteris est tradita solvendi, atque ligandi potestas.* Et serm. 2. de Natali Apost. Petr. & Pauli: *Dominus dixit B. Petro Apostolo, tibi dabo claves, &c. Transivit quidem in alios Apostolos jus istius potestatis: sed non frustrà uni commendatur, quòd omnibus intimetur. Petro enim singulariter hoc creditum est.* Alexander II. in Concil. Rom. *Cùm omnibus Discipulis parem ligandi atque solvendi potestatem Dominus daret, Petro præ omnibus claves regni cælestis se daturum promisit.* Damasus epist. 2. *Petrus solus, & præ omnibus ..... percipere meruit à Christo claves regni cælorum.* Rupertus in Evang. l. 1. c. 25. *Potestas quidem est communis omnium; sed unum & singulare unius est Petri privilegium, cui prius & singulariter dictum est, & tibi dabo claves.* Bernardus l. 2. de consider. c. 8. ideò vocat istud privilegium Petri *singulare.*

Nec dicas Petrum non accepisse claves re- 611
gni cælorum in persona propria, sed in persona Ecclesiæ, quam repræsentabat, Augustino teste in Psal. 108. *Quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur; neque tamen habent illustrem intellectum, nisi*

cùm referuntur ad Ecclesiam, cujus ille cognoscitur in figura gestasse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit, sicuti est: tibi dabo claves. Tract. 50. in Joan. *Si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus:* „ tibi dabo claves regni cælorum: quæcumque solveris, &c. „ *Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit Ecclesia. Si autem in Ecclesia sit, ut quæ in terra ligantur, in cælo ligentur..... Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.* Tract. 124. *Quando ei dictum est,* „ tibi dabo claves, „ *universam significabat Ecclesiam.*

612 Plana quippe responsio est, per hoc Augustinum non velle, quòd clavium potestatem (præsertim supremam) Christus immediatè contulerit Ecclesiæ, non singulariter Petro, ut Ecclesiæ Capiti; sed solùm quòd Christi verba, *tibi dabo claves*, &c. dicta non sint Petro, ut privatæ personæ, vel pro se solo, sed ut futuro Capiti, Pastorique Ecclesiæ, sic ut eas Petrus acceperit pro Ecclesia, id est Ecclesiæ per ipsum communicandas. Quod enim Petrus accepit, ut Caput Ecclesiæ, & ut Ecclesiæ per ipsum communicandum, accepit ut Ecclesiam repræsentans: cùm Caput Ecclesiæ, quà tale, Ecclesiam repræsentet, sicut Caput regni, sive Rex, quà talis, repræsentat regnum, Dux exercitum, paterfamilias familiam, &c. Et hunc sensum ipsemet Augustinus exprimit in Psal. 108. dum ait, quòd *Petrus Ecclesiæ cognoscitur in figura gestasse personam, propter primatum quem in discipulis habuit.* Et tract. ult. in Joan. *Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatûs sui primatum, gerebat figuratâ generalitate personam.* Nec alio sensu efficax est ratiocinatio, quam facit tract. 50. in Joan. *Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia.* Efficax quippe est ratiocinatio Augustini, hoc sensu intellecta: Si hoc Petro tantùm dictum est, ut privatæ personæ; pro ipso solo, non ut Ecclesiæ per ipsum communicandum: ergo hoc non facit Ecclesia. Prorsus verò inefficax foret ratiocinatio Augustini, si hoc modo intelligeretur: hoc Petro tantùm dictum est, ut Capiti Ecclesiæ; non pro ipso solo, sed ut Ecclesiæ per ipsum communicandum: ergo hoc non facit Ecclesia. Cùm manifestum sit per Ecclesiam fieri, quod fit potestate clavium, Petro, ut Capiti Ecclesiæ, immediatè à Christo concessâ, & per Petrum Ecclesiæ communicatâ. Solùm ergo priorem sensum negat Augustinus, non posteriorem.

613 Optimè proinde sententia Augustini concordat cum sententia reliquorum Patrum, ut Tertulliani in Scorpiaco dicentis: *Memento claves hîc Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.* Optati Milevitani l. 7. contra Parmen. *Bono unitatis B. Petrus..... & præferri omnibus Apostolis meruit, & claves regni cælorum, aliis communicandas, solus accepit.* Gregorii Nysseni tract. in eos qui ægrè ferunt castigat. *Christus .... per Petrum Episcopis dedit claves cælestium bonorum.* Innocentii epist. ad Concil. Carthag. (91. inter epist. Augustini) *A B. Petro ipse Episcopatus, & tota authoritas nominis hujus in alios emersit.* Stephani, Episcopi Larissææ in Thessalia, epist. ad Bonifacium II. apud Labbeum: *Domino dicente tertiò:* " Amas me, pasce oves meas, " *tradidit prius vobis mandatum ostendens, & per vos deinde omnibus per universum mundum sanctis Ecclesiis condonavit.* S. Leonis epist. 89. suprà citatâ: *Petro, præ cæteris, solvendi & ligandi est tradita potestas.* Nec tamen cæteri eâ caruerunt; sed (ut sanctus Pontifex prosequitur) *hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, ut ipso, quasi quodam Capite, dona sua in corpus omne diffunderet. Nam Petrus ab ipso omnium charismatum fonte ita copiosis est irrigationibus inundatus, ut cùm multa solus acceperit, nihil in quemquam, sine ejus participatione, transierit.... Magnum & mirabile huic viro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio, ut siquid cum eo commune cæteris voluerit esse Principibus, numquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.* S. Thomæ l. 4. contra Gent. c. 16. *Christus Petro soli promisit, tibi dabo claves regni cælorum, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiæ unitatem. Quippe non potest dici, quòd etsi Petro Dominus hanc dignitatem dederit, per eum tamen ad alios non derivetur.* S. Bonaventuræ opusc. quare FF. Min. prædic. *Proprius Sacerdos primus & præcipuus, est summus Pontifex, cui tota Ecclesiastici gregis cura singularissimè commissa est; ita quòd omnes inferiores Ecclesiæ Rectores, curam, & totam potestatem, quam habent super subditos, ab ipso accipiunt, mediatè, vel immediatè.*

Et hoc est quod ex communi Sanctorum 614
traditione Pius II. suprà num. 607. dicit, quòd utique à Romano Pontifice, tamquam Capite, *omnis in subjecta membra potestas & authoritas derivatur, quæ à Christo Domino nostro, sine medio in ipsum influit.*

Hoc proinde est quod sibi vult Augusti- 615
nus, in locis objectis, quòd utique claves Petrus acceperit, ut Ecclesiam repræsentans, id est ut Caput Ecclesiæ, à quo deinde subjecta membra acciperent claves cælestium honorum, sicut membra corporis physici à capite accipiunt influxum. Quod ipsemet Augustinus declarat in Psal. 44. ad versum, *pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Quid est* (inquit) *pro patribus tuis nati sunt tibi filii? Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia*

Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in Sedibus Patrum ..... constituit eos prò Patribus Principes super omnem terram. His namque verbis Augustinus ostendit, quorum vices in Ecclesia habeant Episcopi, & quis eis hanc dignitatem dare debeat: Ecclesia utique, seu Romanus Pontifex, Ecclesiam repræsentans, ut Caput ipsius.

616 Liquet igitur (ait Pius II. ibidem) *unum in Ecclesia Caput esse, & unum Principem. Quia pax populi ex uno Rectore dependet, & pluralitas Principum discordiam parit. Christus in ultimo Testamento pacem reliquit, & pacem multis verbis commendavit. Dedit ergo & regimen pacis amicum, id est Monarchicum, sub B. Petro & successoribus ejus administrari cuncta præcipiens, clavibus illi commissis, & curâ gregis demandatâ..... Qui etsi filius est propter regenerationem, propter dignitatem tamen Pater habetur; & sicut filiationis causâ venerari debet Ecclesiam, tamquam Matrem; ita & prælationis causâ præfertur ei, ut Pastor gregi, Princeps populo, Rector familiæ, Caput corpori. Quia non est corpus Ecclesiæ sine Capite, & omnis ex Capite defluit in membra potestas.*

617 Rectè verò Pius II. Monarchicum Ecclesiæ regimen, non soli Petro, sed & successoribus ejus dicit esse commissum, pro toto tempore durantis Ecclesiæ. Aliàs Ecclesiæ suæ non satis providisset. Allatas proindè Scripturas, de Petro, ejusque in Romano Pontificatu successoribus, usque ad sæculi consummationem, SS. Patrum traditio semper intellexit. Audi Chrysostomum l. 2. de sacerdotio: *Ovium suarum curam, tum Petro, tum Petri successoribus commisit.* Audi S. Ignatium, Patriarcham Constantinopolitanum, in epist. ad Adrian. II. *Cùm Magister Christus dicit Petro .... tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, tales beatas voces non .... Petro solùm circumscripsit, ac definivit, sed ad successores quoque derivari voluit.* Audi Concilium Ephesinum p. 2. act. 3. *Nulli dubium, imò sæculis omnibus notum est, sanctum, beatissimumque Petrum Apostolorum Principem, & Caput, fideique columnam, Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, à Domino Jesu Christo Salvatore nostro .... cælestis regni claves accepisse .... necnon per successores suos huc usque semper vivere.* Audi Bernardum in lib. de consider. sic alloquentem Eugenium III. *Tu es potestate Petrus: tu es cui claves cæli tradita, cui oves credita sunt... Nec modò ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor.* Similia habent alii sancti Doctores.

CAPUT XLIV.

Ex Scriptura & traditione demonstratur, S. Petrum, & quemlibet Petri successorem, esse Caput, Pastorem, Pontificem, Rectorem, Magistrum, & Judicem Ecclesiæ universalis, etiam in Concilio Generali congregatæ.

§. I.

Imprimis demonstratur ex his verbis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, *Matth. 16.*

DEmonstratur 1°. sic: quod petra fundamentalis est in ædificio, hoc Petrus est in Christi Ecclesia: utpote super ipsum, tamquam petram fundamentalem (Christo teste) ædificata. Sed petra fundamentalis est fundamentum totius ædificii, omniumque partium illius, etiam conjunctim sumptarum. Ergo Petrus est fundamentum totius Christi Ecclesiæ; omniumque partium illius, etiam conjunctim seu congregatim sumptarum, atque adeò Ecclesiæ universalis. De qua certissimè Veritas loquitur loco citato, cùm generaliter & illimitatè dicit, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, prout Innocentius III. tradit in epist. ad Patriarcham Constantinop. his verbis: *Est enim una generalis Ecclesia, de qua Veritas inquit ad Petrum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et verò id certissimum est, tum ex generalitate, & illimitatione sermonis, *Ecclesiam meam*, tum ex verbis immediatè sequentibus, *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, quæ nec conveniunt Ecclesiæ particulari, nec particularibus Ecclesiis, vel etiam Episcopis disgregatim sumptis; sed Ecclesiæ dumtaxat universali, quæ non est singuli fideles, vel singulæ Ecclesiæ particulares, vel singuli Episcopi disgregatim, sed congregatim. Cùm Ecclesia propriè dicta sit fidelium congregatio, nomenque Ecclesiæ, non separationem seu disgregationem, sed unitatem, seu congregationem, & collectionem propriè significet, prout Chrysostomus observat ad illa verba 1. & 2. Cor. cap. 1. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi.* 618

Nec minùs certum est, per petram, super quam Veritas generaliter & absolutè dicit se ædificaturum Ecclesiam suam, perspicuè intelligi Petrum, ad ipsumque referri, licèt id Lutherus & Calvinus negent. Tum quia si non referretur ad Petrum, sed ad solum Christum (prout hæretici isti volunt) Christus non dixisset *ædificabo* (utique post resurrectionem) sed *ædifico*. Cùm ante resurrectionem suam Christus super se ædificaverit Ecclesiam suam, tamquam super principale fundamentum. Tum quia sensus planus & clarus Evangelicorum verborum illorum est: *Tu es Petra*, sive *Petrus*, id est, hoc nomen, quod petram significat, tibi impono: *quia super hanc petram* (quam te esse proximè dixi) *tamquam firmissimum lapidem fundamentalem, ædificabo Ecclesiam meam.* 619

meam. Cùm enim pronomen demonſtrativum *hanc* referri poſtulet ad petram proximè dictam, referri poſtulat ad Petrum, utpote ſignificatum nomine petræ. Maximè cùm Chriſtus (ut ſuprà dixiſſe me memini) idiomate Syriaco (tunc Judæis vulgari) dixerit : *Tu es Cepha, & ſuper hoc Cepha ædificabo Eccleſiam meam* , ut videre eſt in Evangelio Syriaco apud Bellarminum to. 1. controv. 3 l. 1. c. 10. Proinde cùm dixit : *Tu es Petrus* , *& ſuper hanc petram*, &c., perinde eſt ac ſi dixiſſet : *Tu es petra, & ſuper hanc petram ædificabo* , &c. Qua in expreſſione, nemini dubium , ly *ſuper hanc petram* , ex communi loquendi modo , Grammaticorumque regula referri ad petram proximè dictam. Atqui Petrus ſignificat petram, ut proximè dixi , patetque tam ex vocabulo Syriaco *Cepha* , quàm ex Græco *Cephas*, quorum utrumque petram ſignificat. Perinde ergo eſt , cùm dixit , *tu es Petrus* , ac ſi dixiſſet , *tu es petra*. Et ratio commutati nominis *Simon* , in nomen *Petrus*, ſeu *Cepha* , vel *Cephas*, id ampliùs demonſtrat. Neque enim abſque myſterio facta eſt iſta commutatio. Rationem verò commutationis Chriſtus ipſe reddidit , dum poſt verba illa, *tu es Petrus* , immediatè ſubjunxit : *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* , idque poſt ſolemnem illam Simonis confeſſionem, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Statim namque poſt illam , dixit : *& ego dico tibi , quia tu es Petrus , & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* , ad ſignificandum , quòd in præmium iſtius confeſſionis, conſtitueret ipſum petram fundamentalem Eccleſiæ ſuæ, quòdque ideò nomen Simonis in nomen *Petrus*, ſeu *Cepha*, vel *Cephas* commutaret.

Et ideò verba iſta, *ſuper hanc petram* , de Petro ſancti Patres , & Concilia unanimiter intellexerunt. Nullus verò Orthodoxus contradicere poteſt ſenſui Scripturæ , quem tenet S. Mater Eccleſia, vel unanimis SS. Patrum conſenſus. Cùm ad coërcenda petulantia ingenia , diſtrictè id prohibeat Tridentinum ſeſſ. 4. in decreto de edit. & uſu
620 librorum ſacror. Quòd autem ſancti Patres & Concilia ſic unanimiter intellexerint, probatur ; ſic enim nominatim intellexerunt ſexcenti triginta Patres in Concilio Calcedon. act. 3. à quibus S. Petrus *petra & crepido Catholicæ Eccleſiæ , & .... rectæ fidei fundamentum appellatur.* Origenes homil. 5. in Exod. *Vide magno illi Eccleſiæ fundamento , & petræ ſolidiſſimæ , ſuper quam Chriſtus fundavit Eccleſiam , quid dicatur à Domino :* „ modicæ fidei , quare dubitaſti ? „ Cyprianus epiſt. ad Quirin. *Petrus , quem Dominus primum elegit , & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam.* Chryſoſtomus hom. in Petr. Apoſt. & Eliam Prophet. *Petrus Apoſtolorum vertex , fundamentum immobile , petra ſtabilis , & quæ concuti non poteſt , Eccleſiæ columna & propugnaculum.* Et hom. 17. ex var. Matth. Luc. *Princeps Apoſtolorum Petrus , ſuper quem Chriſtus fundavit Eccleſiam.* Et homil. 55. in c. 16. Matth. *Ut Eccleſia immobilis maneat ... tibi dico* (inquit) *tu es Petrus , & ego ſuper te ædificabo Eccleſiam meam.* Ambroſius ſerm. 68. de Natal. Petr. & Paul. *Petrus petra eſt ſuper quam ædificatur Eccleſia.* Hieronymus in cap. 16. Matth. *Secundùm metaphoram petræ rectè dicitur ei , ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.* Auguſtinus 1. retract. 21. *Dixi ... de Petro Apoſtolo , quòd in eo , tamquam in petra, fundata ſit Eccleſia.* Epiphanius in Anchorato : *Conſtituit Petrum .... petram firmam , ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt.* Theodoretus l. 3. in Cant. *In Petro Dominus in Evangelio ſuo ſe Eccleſiam ſuam ædificaturum promiſit.* S. Maximus ſerm. de SS. Petr. & Paul. *Per Chriſtum Petrus factus eſt petra , dicente Domino , tu es Petrus , & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* S. Paulinus epiſt. ad Sever. *Petra eſt Chriſtus : ſed etiam diſcipulo ſuo hujus vocabuli gratiam non negavit , cui ait : ſuper hanc petram* , &c. S. Leo Papa ſerm. 2. de anniverſ. aſſumpt. ſuæ : *Petrus ..... petra dicitur ..... fundamentum pronuntiatur .... regni cælorum janitor conſtituitur.* Serm. 3. *Tu quoque (ait Chriſtus ad Petrum) petra es .... & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Gregorius Magnus lib. 6. epiſt. 37. *Quis neſciat ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam? quia .... Petrus à petra vocatur , cui Veritatis voce dicitur* , &c. In Concilio Epheſino anno 431. art. 3. Philippus Presbyter, Apoſtolicæ Sedis Legatus, nemine contradicente, mandatum ſuæ legationis ſic expoſuit : *Nulli dubium , imò ſæculis omnibus notum eſt , quòd ſanctus .... Petrus .... Eccleſiæ Catholicæ fundamentum à Domino ... Jeſu ... claves regni accepit.* Theodorus Studites in epiſt. ad Paſchal. I. *Audi Apoſtolorum Caput .... petra fidei , ſuper quam ædificata eſt Eccleſia Catholica.* Theophylactus in cap. 22. Luc. *Chriſtus ad Petrum : poſt me Eccleſiæ petra es & fundamentum.* Euthymius explicans illud Marci 3. *Impoſuit Simoni nomen Petrus* , Chriſtum ſic Petro loquentem inducit : *Te ponam fundamentum credentium ; ædificabo ſuper te Eccleſiam meam.* Similia habent S. Martialis , Hippolytus , Tertullianus , Athanaſius , Baſilius , Nazianzenus , Cyrillus, aliique plures apud noſtrum Mathiam à Corona tom. 2. de ſanctit. Rom. Eccleſ. tract. 3. c. 6. Valentiam diſput. 1. de fide p. 7. q. 5. Bellarm. tom. 1. l. 1. de Rom. Pontif. c. 10.

Nec propterea ſenſus iſte negari poteſt, quia aliis quoque ſenſibus laudata Chriſti verba ſubinde à quibuſdam Patribus exponuntur. Cùm alii iſti ſenſus contrarii non ſint ſenſui à nobis allato , nec eum proinde deſtruant ; certiſſimaque ſit regula Angelici Doctoris quodlib. 7. a. 14. ad 5. *Spiritus ſanctus in uno verbo S. Scriptura intel-*

lexit multò plura, quàm per Expositores Scripturæ exponantur, vel discernantur. Ideò to. 1. de Deo uno distinct. 1. q. 4. a. 2. cum eodem Doctore 1. p. q. 1. a. 10. & sancto Augustino l. 12. Confess. c. 3. & 31. necnon l. 3. de doctr. Christ. c. 27. & Doctoribus communiter ostendi, quòd in una Scripturæ littera plures sint sensus, etiam litterales, quorum quilibet est verus. Quòdque omnis sensus immediatus, pro vero litterali habendus sit, si ædificativus sit fidei vel morum, nec litterali isti intelligentiæ contextus, aliavè Scripturæ loca adversentur. Quòdque proinde argumentum efficax desumatur ex omni ejusmodi sensu. Denique quòd dum arguitur secundùm unum, argumentum non enervetur, respondendo alium sensum à Patribus adferri. Cùm & iste, & ille verus sit, & à Spiritu sancto intentus.

621 Secundò ex allatis Christi verbis arguitur sic: quod fundamentum est in ædificio, hoc est Caput in corpore, Pastor in grege, Rector in regno vel civitate, Doctor & Magister in schola, Paterfamilias in domo, &c. Cùm corpus dependeat à Capite, grex à Pastore, regnum vel civitas à Rectore, schola à Doctore & Magistro, domus à Patrefamilias, &c. sicut ædificium dependet à fundamento. Cùm igitur Ecclesia universa non solùm sit ædificium, sed & corpus, & grex, & regnum, & schola, & domus, &c. Petrus, qui (secundùm textum illum Evangelicum) est fundamentum universalis Ecclesiæ, est etiam Caput, Pastor, Rector, Magister, & Paterfamilias illius. Manifestum quippe est ex Evangelio, quòd Christus Petrum constituendo fundamentum universalis Ecclesiæ suæ, eumdem quoque constituerit illius Caput, & Pastorem, &c. Cùm hoc quod Matth. 16. promisit, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, adimpleverit Joannis 21. dum ipsum ovilis sui, seu Ecclesiæ Caput & Pastorem constituit, dicens: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Per quod factum demonstravit, se constituere Petrum universalis Ecclesiæ suæ lapidem fundamentalem, ipsum constituendo ejusdem Caput & Pastorem.

§. II.

Secundò demonstratur ex verbis, quæ Christus subjungit ibidem: Et tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.

622 IBi namque (sicut aliàs sæpè) *regnum cælorum præsentis temporis Ecclesia dicitur*, inquit Gregorius Magnus homil. 22. in Matth. Per regnum verò cælorum, generaliter & absolutè dictum, totale, seu universale regnum, atque adeò Ecclesia universalis intelligitur.

Unde sic argumentor. Ibi Christus Petro promisit claves universalis regni sui, sive universalis Ecclesiæ suæ. Sed ipsi promittendo claves universi regni, promisit sceptrum illius, sive Monarchicam potestatem in illam, ut constat ex dictis num. 585. & quod promisit, implevit. Igitur Petrum constituit Regem, seu Monarcham, atque adeò Caput & Rectorem universalis regni, seu universalis Ecclesiæ suæ. Et ideò Petrus per adimpletionem istius promissionis, secundùm communem Patrum sententiam, non solùm constitutus fuit Rector, Caput, Vertex, & Pastor singulorum Apostolorum seorsim, seu disjunctim sumptorum, sed & totius collegii, cœtus, chori, gregis, seu congregationis ipsorum (quomodò Ecclesiam universalem in principio repræsentaverunt) propterea namque à Chrysostomo homil. 55. in Matth. vocatur *omnium Apostolorum os*, VERTEX CONSORTII TOTIUS. Ab Authore qq. ex novo Testamento q. 75. apud Augustinum to. 3. edit novis. Benedictin. *Caput & Pastor Apostolorum, ut sit Pastor gregis Domini*, atque adeò Pastor eorum congregatim: dicit enim quòd ipsum constituit Dominus esse Caput eorum, ut Pastor esset gregis Domini. A Sophronio Patriarcha Hierosol. in opere de laborib. SS. Petr. & Paul. *super Cœtum Apostolorum constitutus.* A Constantino IV. Imperatore, in sacro rescripto ad Leon. II. *Princeps Apostolici Chori.* A Nicolao Cabasila lib. de primat. Rom. Pontif. *sacri Apostolorum Duodenarii Præsul.* Ad quod ampliùs significandum Chrysostomus homil. 3. in Acta, loquens de Petro, comparato ad Apostolos, aliosque Discipulos, congregatos ad finem constituendi aliquem in locum Judæ proditoris, dignitatem & potestatem Petri in ipsos sic congregatos, ostendit dicens: *Quam est fervidus, quàm agnoscit creditum sibi gregem? quàm in hoc choro Princeps est?* deinde addit, quòd licèt solus Mathiam non constituerit in locum Judæ, sed simul cum aliis; tamen habebat *constituendi jus par omnibus*, sic congregatis, quòdque meritò *primus omnium authoritatem usurpavit in negotio, ut qui omnes habuit in manu*, id est in potestate sua.

§. III.

Tertiò demonstratur ex Joannis 21. Pasce oves meas.

CHristus enim verbis illis generaliter & 623
indistinctè Petrum constituit Pastorem ovium suarum. Et sicut generaliter dicendo *oves meas*, absque distinctione harum, vel illarum, constituit ipsum Pastorem generalem

lem omnium, tam harum, quàm illarum : quia tam hæ, quàm illæ sunt oves Christi ; sic generaliter dicendo, *oves meas*, absque distinctione ovium congregatim, vel disgregatim sumptarum, constituit ipsum Pastorem generalem omnium, tam congregatim, quàm disgregatim sumptarum : quia tam congregatim, quàm disgregatim sumptæ, sunt oves Christi.

624 Nec certè generales & illimitatas Evangelii sententias privatâ authoritate limitare licet, ut demonstravi in Prolegomenis tomi 1. Et sicut ubi lex, sic ubi Evangelium non distinguit, nec nos distinguere debemus, sed absque distinctione & exceptione accipere, quod absque distinctione & exceptione Christus dixit. Sed absque distinctione & exceptione Petrum constituit Pastorem ovium suarum, nec distinxit aut excepit oves congregatim acceptas. Nec nos igitur eas excipere debemus, sed dicere cum Bernardo lib. de consider. *Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

625 Accedit quòd Christus loco citato Petrum constituit Pastorem ovilis, de quo Joan. 10. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus pastor :* His namque verbis (juxta communem Sanctorum Doctorum interpretationem, Augustini, Chrysostomi, Gregorii, &c. apud S. Thomam in Catena ad cap. 10. Joan.) significat, ex omnibus ovibus suis, tam illis quas tunc habebat ex filiis Israël, quàm aliis, quæ illis aggregandæ erant ex Gentibus, constituendum unum ovile, id est unam Ecclesiam, quæ quatenùs unum ovile, ex omnibus Christi ovibus constitutum, haud dubiè Ecclesia est universalis : cujus unum ibi Pastorem futurum esse prædicit, quem Joan. 21. constituit, videlicet Petrum, ejusque successorem Romanum Pontificem. Et ideò Concilium Florentinum sess. 25. in decreto fidei declarat, *Romanum Pontificem esse verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput.... & ipsi in B. Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem esse commissam.* Et S. Thomas lib. 4. contra Gent. c. 76. erroris arguit eos, qui *Romanum Pontificem universalis Ecclesiæ Pastorem non recognoscunt.*

§. IV.

Demonstratur 4°. ex traditione Sanctorum, atque imprimis ex traditione Summorum Pontificum.

626 QUòd enim S. Petrus (ac per consequens Petri in Romano Pontificatu successor) sit universalis Ecclesiæ fundamentum, ex citato Matth. loco SS. Patres unanimiter tradunt, uti vidimus §. 1. Nemini verò dubium est, eum qui est universalis Ecclesiæ fundamentum, esse & Caput, & Pastorem, & Pontificem, & Rectorem, & Magistrum, &c. Ob ea quæ dixi num. 621.

Sed & teste Driedone lib. 4. de Eccles. Scriptur. & dogmat. c. 3. p. 3. *Petrum.... esse Episcopum Catholicæ, id est universalis Ecclesiæ, ex Scripturis sacris* (§. 1. 2. & 3. productis) *intellexerunt omnes Ecclesiæ Patres, ab exordio primitivæ Ecclesiæ, ad hæc usque tempora.* Nec proinde id catholicè negari potest, secundùm regulam Tridentini num. 619. relatam. 627

Sic imprimis semper intellexerunt Summi Pontifices. Sic deinde Concilia. Sic denique reliqui Patres. Et de reliquis quidem Patribus, id demonstrabitur §. 6. De Conciliis, §. sequenti. De Summis Pontificibus, §. præsenti. 628

Et tomo quidem 1. Conciliorum referuntur decretales epistolæ Romanorum Pontificum, qui primis Ecclesiæ sæculis sanctitate, doctrinâ, & martyrio Ecclesiam illustrarunt, seque universalis Ecclesiæ Pastores, seu Episcopos intitularunt, videlicet Sixti I. epist. 2. *Sixtus universalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus.* Victoris I. epist. ad Theophylum Episcopum : *Victor Archiepiscopus Ecclesiæ Romanæ, & universalis.* Pontiani epist. 2. *Pontianus sanctæ & universalis Ecclesiæ Episcopus.* Stephani I. epist. ad Episcopos omnes : *Stephanus Sanctæ, Apostolicæ & universalis Romanæ Ecclesiæ Episcopus.* Marci epist. ad D. Athanasium, & Episcopos Ægypti : *Marcus sanctæ Romanæ Apostolicæque Sedis, & universalis Ecclesiæ Episcopus.* 629

Sed quia epistolæ illæ Viris eruditissimis, etiam Eminentissimis Baronio, Bellarmino, & Bona, habentur dubiæ fidei, eas omitto, tametsi à plerisque Summis Pontificibus adoptatas, sicut & à variis Conciliis Gallicanis, & à Regibus Galliæ in suis Capitularibus, & ab omni ferè Scriptorum genere laudatas. 630

Omitto etiam similem inscriptionem, quâ S. Leo I. usus dicitur in epistolis suis ad Martianum & Leonem Augustos. Quamvis enim epistola 54. 62. & 65. ipsius sic habeat ; id tamen non ab ipso Leone, sed ab aliquo posteriori Descriptore inscriptum videtur : cùm Gregorius Magnus l. 7. epist. 30. testetur hunc titulum, licèt à Synodo Calcedonensi oblatum, nec ab illo, nec ab ullo successorum ipsius hactenùs receptum ; non quòd censuerint sibi indebitum, sed partim ex modestia & humilitate. Partim ut suo exemplo confunderent fastum Patriarcharum Constantinopolitanorum, titulum Patriarchæ, vel Archiepiscopi Oecumenici usurpantium. Partim ne alii Episcopi putarent, Romanos Pontifices se universales dicere, quasi ipsi soli, & nulli præter ipsos, veri forent Episcopi. Et propterea idem Gregorius Magnus prohibuit se universalem dici, ut S. Thomas opusc. contra impugnantes religionem c. 4. observat in solutio- 631

nibus objectionum, dicens, quòd *Papa universalem Pontificem se prohibet nominari, non quia ipse non habeat universalem authoritatem immediatam & plenam in qualibet Ecclesia* (vel in ipsam etiam Ecclesiam universalem) *sed quia non præficitur cuilibet particulari Ecclesiæ, ut proprius & specialis illius particularis Ecclesiæ Rector: quia sic cessarent omnium aliorum Pontificum potestates. Et hoc ipsemet Gregorius induxit pro ratione*: epistolâ namque citatâ ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, *si* (inquit) *universalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum.* Propter quod addit: *Recedant verba, quæ vanitatem inflant, & charitatem vulnerant.* Hoc sensu ergo, *omnis Dei amicus* (inquit Leo IX. epist. 6.) *hujusmodi hactenus horruit honorari titulo.*

632 Sic tamen à titulo abstinuerunt, ut rem eo titulo significatam sibi, seu Petro, Petrique successoribus tribuerint, nec proinde legitimum istius tituli sensum abhorruerint. Magnus quippe Gregorius lib. 4. epist. 32. *Cunctis* (inquit) *Evangelium scientibus liquet, quòd voce Dominicâ Sancto & omnium Apostolorum Principi Petro totius* (ac proinde universalis) *Ecclesiæ cura commissa est.* Et Leo Magnus epist. ad Anastasium: *Ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura confluit.* epist. 30. ad Martian. & Faust. *Curam totius Ecclesiæ habemus.* epist. 84. ad Episcopos Mauritaniæ Cæsareensis: *Sollicitudinem universa Ecclesiæ ex divina institutione dependimus.* Serm. 1. de Natali Apost. *Roma per sacram B. Petri Sedem Caput orbis effecta.* Gregorius II. in Concilio Romano, & Eugenius II. pariter in Concilio Romano (apud Baron. ad annum 826.) *Cum simus Dominicæ Plebis* (nota generalem & illimitatam expressionem) *supernâ miseratione Rectores.* Nicolaus I. epist. ad Michaël. Imperatorem: *Petrus universam administrare Ecclesiam perpetuâ successione jubetur.* Et ante Nicolaum I. Gelasius epist. 12. *totius Ovilis curam Christo Domino delegante.* Et ante istos omnes Siricius Papa epist. ad Hunnericum Episcop. Tarracon. *Ad Romanam Ecclesiam, ut ad Caput totius corporis, recurristi.* Et epist 3. ad Faustum Magistrum: *Totam Ecclesiam Papa dijudicat.*

633 Sic etiam Romani olim Pontifices universalis Episcopi titulum sibi adscribere noluerunt, ut tamen ipsum, sibi ab aliis adscriptum, nullus ipsorum (præter Gregorium Magnum ob causas num. 631. enarratas) radi jusserit, aut circumduci. *Adeò id non jussit Magnus Leo* (inquit Christianus Lupus in Scholio ad can. 11. Dictatûs Gregorii VII.) *ut Calcedonenses Synodi, cui istum titulum inseruerat S. Paschasinus, de Dioscoro sententiam, sine ulla rasura, aut circumductione, adnexuerit suis litteris ad Episcopos Gallicanos. Et Hormisdas Pontifex, ab Imperatoris Justini Comite Pompeio, passus est se titulari, Apostolicum Patrem, & Archiepiscopum universalis Ecclesiæ. Et Papa Agapetus, universi Orbis terræ Patriarcham titulari se permisit a Monachis secundæ Syriæ, in Constantinopolitana Mennæ Patriarchæ Synodo. In sua item Romana Synodo Bonifacius II. & Martinus I. in sua Lateranensi Synodo integrè legi permisit litteras Mauri Cesenatis Episcopi, quæ ipsum toto Orbe Apostolicum, & universalem Pontificem titulabant. Item litteras quibus Theodorum Papam ita titularat Sergius, Patriarcha Constantinopolitanus. Obedientiæ etiam libellus, quem in octava Synodo profiteri coacti sunt Photianæ factionis Episcopi, & Clerici, fuit Romæ compositus. Et tamen in ipso Adrianus II. titulatur.... Papa universalis.*

Et hinc Gregorius VII. in Dictatu can. 634
11. jurè definit, *quòd solus Romanus Pontifex jure dicatur universalis.* Quem Dictatum licèt Natalis Alexander tom. 18. Histor. Eccles. differt. 3. *venerando Gregorii nomini suppositum* esse dicat; ab ipso tamen, approbante Romanâ Synodo, indubitanter editum, & ut talem recipiendum; nec solida esse Natalis Alexandri in contrarium argumenta, ostendit eruditissimus P. Franciscus d'Enghien Ord. Prædic. S. Theolog. Licentiatus, in libro cui titulus: *Authoritas Sedis Apostolicæ pro S. Gregorio Papa VII. vindicata*, art. 5. Eundemque Dictatum Christianus Lupus tom. 4. suarum notarum in Concilia, in epist. dedicatoria ad Emin. Card. Rospigliosum, testatur ab orthodoxa Ecclesia constanter recipi, tamquam Spiritu Dei conditum, ideòque totius mundi reverentiâ consecrandum. Denique Emin. Card. Baronius ad annum 1076. post Onuphrium Panuinum l. 4. de var. creat. Rom. Pontif. & multò antiquiorem Mutium German. Chron. l. 15. istius Dictatûs de Papæ potestate, canones in amplissima Synodo Romana, ad reprimendam schismaticorum audaciam, editos commemorat; nec de hoc ullatenùs dubitat, nec dubitavit Natalis Alexander, nisi postquam ab avita Ordinis Prædicatorum in prærogativas Apostolicæ Sedis pietate deflexit, pro qua veterem relinquens traditionem, paucis quibusdam Scriptoribus illi infensis, ut Joanni Launojo, & similibus adhærere maluit, quàm toti penè Orbi Catholico, illis contradicenti. Ipsemet Richerius (tametsi Pontificiæ Majestati plusquàm nimis infensus) Dictatum supradictum Gregorio VII. & Romanæ Synodo ipsius adscribit in Histor. Gener. Concil. to. 1. c. 13. n. 2.

Nec solùm Gregorius VII. sed & plu- 635
res alii Pontifices sanctissimi doctissimique, titulum Episcopi Catholicæ, seu universalis Ecclesiæ, Romano Pontifici competere declararunt, vel etiam assumpserunt. Et primò quidem cum addito, *urbis Romæ.* Deinde simpliciter, & sine addito. Etenim in Romana sua Synodo Hilarius Papa de scip-

so scripsit: *Hilarius Episcopus Catholicæ Ecclesiæ urbis Romæ.* Et in sua Synodo Fœlix III. *Fœlix Episcopus Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ.* Et ipsemet Gregorius Magnus: *Gregorius Episcopus sanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ.* Ejusmodi plura testimonia ipsemet Launojus in epist. ad Joan. Bonum producit. Quòdque eo titulo usi sint etiam mediorum sæculorum Pontifices, Christianus Lupus ostendit in Scholio ad citatum canonem 11. S. Gregorii VII. Etenim (inquit) Romanæ suæ Synodo, quâ Anastasium S. Marcelli Cardinalem Presbyterum damnavit Leo IV. subscripsit in hunc modum: *Leo S. Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ IV. Episcopus.* Et suæ adversus Photium Synodo Adrianus II. *Adrianus Episcopus S. Romanæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ.* Et antiqua Romani Pontificis professio habet: *Episcopus Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ.* Ita per mille annos Romani Pontifices semetipsos titularunt. Non eo sensu quo plures Ecclesiarum particularium Episcopi leguntur sic fuisse titulati, sed in sensu designante Romanum Episcopum, eumque solum esse Episcopum totius Ecclesiæ Catholicæ, seu universalis, prout S. Gregorius VII. citato canone 11. definit, & Innocentius III. exponit in subjicienda epistola ad Patriarcham Constantinop. Ad quem sensum magis exprimendum plerique Romani Pontifices seipsos Episcopos Catholicæ Ecclesiæ sine addito intitularunt. Siquidem *Joannes Monachus Besuensis* (pergit Christianus Lupus) *in sui Cœnobii Chronico refert, Stephano Abbati datum* privilegium, cui Paschalis II. ita subscripsit: *Ego Paschalis Episcopus Catholicæ Ecclesiæ.* Et Bernardus Casaurensis Monachus refert sui Cœnobii privilegium, cum hac inscriptione Calixti II. *Calixius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.* Et aliud cum eadem inscriptione Adriani IV. Similes Eugenii III. & Anastasii IV. subscriptiones habes in diplomatibus, quæ ex Sarlatensis Ecclesiæ Archivo protulit, & ad Petri de Marca opus adjunxit Stephanus Baluzius. Quis ipsarum sit primus Author, & an is sit Gregorio VII. anterior, ignoro. Quidquid sit, eas legitimo jure posse fieri, laudatus Gregorius hîc definit.

636 Et meritò, ac rectè (pergit Christianus Lupus.) *Etenim licèt antiqui Pontifices nunquam disertè voluerint semetipsos titulare universales Episcopos, seu Ecclesiæ universalis simpliciter; frequentissimè tamen sine urbis aut Ecclesiæ addito titularunt se absolutè Episcopos.* Quod quid est aliud, quàm titulari Episcopum totius Ecclesiæ Catholicæ, seu universalis? Fatetur id Marcus Antonius de Dominis l. 4. c. 2. „ Nostri jam Monar-
„ chico spiritu toti inflati, Pontifices Roma-
„ ni in suis inscriptionibus nominari ampliùs
„ noluerunt; sed vel se Catholicæ Ecclesiæ
„ Episcopos inscripserunt, vel demùm poste-
riores .... se tantùm Episcopos vocaverunt, ut jam ordinaria Paparum inscriptio sit: *Paulus Episcopus, servus servorum Dei.* Episcopus nimirùm absolutè totius mundi, & non soli Romanæ Sedi alligatus, cui tamen prisci se alligatos esse, & sciebant, & profitebantur. Romanæ (à qua tamen fuit ex infima populi fæce exaltatus, Ecclesiæ deprimendæ cupiditas hominem excæcavit. Etenim in sexta-decima Calcedonensis Synodi Actione, ubi Latinus S. Leonem *universalis Ecclesiæ Papam*, Græcus textus absolutè titulat *Ecclesiæ Papam.* Et Romano suo Concilio Gregorius Magnus subscripsit: *Gregorius Dei gratiâ Episcopus.* Et Liberii Pontificis pleræque epistolæ habent hanc epigraphen: *Liberius Episcopus.* Eâdem utuntur Damasus, Zozimus, Leo, & varii Antiqui.

Illi etiam Romani Pontifices, qui se Catholicæ Ecclesiæ urbis Romæ Episcopos titularunt, non addiderunt, *urbis Romæ*, ad limitationem, sed ad ampliationem, hoc sensu: Episcopus urbis Romæ, quæ Catholica est, seu universalis, in quantum scilicet Caput Ecclesiæ universalis. Hoc sensu Romanam Ecclesiam jure universalem dici, Innocentius III. declarat in epist. ad Joannem Patriarcham Constantinop. de primatu Romani Pontificis: "Quæsivisti (inquit) dubitans, & addiscere volens, quâ ratione Romanam Ecclesiam unam, & universalem in nostris litteris vocaverimus, velut in quasdam species specialissimas jam divisam: cùm & unus sit Pastor, & unum ovile, & sub uno Pastore Christo plures sint constituti Pastores. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd Ecclesia duabus de causis universalis dicitur: intelligentia namque dictorum ex causis est assumenda dicendi: cùm non res sermoni, sed rei sit sermo subjectus. Dicitur enim universalis Ecclesia, quæ de universis constat Ecclesiis, quæ Græco vocabulo Catholica nominatur. Et secundùm hanc acceptionem vocabuli, Ecclesia Romana non est universalis Ecclesia, sed pars universalis Ecclesiæ prima & præcipua, velut Caput in corpore. Quoniam in ea plenitudo potestatis existit; ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur universalis Ecclesia illa una, quæ sub se continet Ecclesias universas. Et secundùm hanc nominis rationem Romana tantùm Ecclesia universalis nuncupatur: quoniam ipsa sola, singularis privilegio dignitatis cæteris est prælata. Sicut & Deus universalis Dominus appellatur, non quasi jam divisus in species, aut specialissimas, aut etiam subalternas; sed quoniam universa sub ejus dominio continentur. Est enim una generalis Ecclesia, de qua Veritas inquit ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et sunt multæ particulares Ecclesiæ, de quibus Apostolus ait:

„ *Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ec-*
„ *clesiarum.* Ex quibus omnibus una consistit,
„ tamquam ex particularibus generalis.

638 Innocentio III. succinens Gregorius X. Constantinopolim misit seriem professionis fidei à Græcis faciendæ, pro ipsorum reunione, in qua sic habetur: *Ipsa quoque Romana Ecclesia summum & primum primatum & principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet: quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum principe, sive vertice (cujus Romanus Pontifex est successor) cum potestatis plenitudine recepisse veraciter & humiliter recognoscit*, &c. Juxta quam seriem, primatum ejusdem Romanæ Ecclesiæ Græcorum Imperator per litteras, & Episcopi Græci per Legatos in Generali Concilio Lugdunensi II. professi sunt, obedientiamque Summo Pontifici exhibuerunt. Post Gregorium X. Joannes XXII. in Bulla condemnatoria Marsilii de Padua, data Avenione IX. Kalendas Novemb. sui Pontificatûs anno 12. *Quòd autem B. Petrus plusquàm alii Apostoli authoritatem habuit, ex prædictis Scripturis evidenter concluditur. Certum est enim quòd major est authoritas Pastoris, quàm gregis. Petrus totius gregis Dominici generalis constitutus est Pastor.*

639 Martinus V. in Bulla, quam approbante Concilio Constantiensi dedit contra errores Wiclef & Joannis Hus, hunc articulum damnavit: *Petrus non est, nec fuit Caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ.*

640 Post Martinum V. Pius II. in Bulla retractationis, suprà relata, declarat, quòd *Christus unum constituit ut verticem, ac Ducem, ac Pastorem universi gregis Simonem Petrum, dicens*: „ Tu es Petrus, &c. „ Et infrà: *In hanc usque diem servatum est, ut qui Romæ sederit Antistes, riè institutus per legitimum electionis tramitem, tamquam Aaron vocatus à Domino, hunc omnes Christianæ plebes, omnes Clerici, omnes Episcopi, tamquam Jesu Christi Vicarium, & B. Petri successorem, universalis Ecclesiæ Caput ac Rectorem venerati sunt. Inter quos plurimi pro Christi nomine asperrimos perpessi cruciatus, & mulctati, coronam Martyrii susceperunt, plurimi Confessores egregii, vitâ, moribus, & doctrinâ fulgentes..... ad cælestem gloriam pervenere*, &c.

641 Post ipsos Leo X. in Bulla *Pastor æternus*, in Concilio Generali Lateranensi, sacro approbante Concilio edita, Romanum Pontificem, *authoritatem super omnia Concilia habere* declarat, atque adeò super Ecclesiam universam. Quod ex S. Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, & aliorum Pontificum, sacrorumque Canonum decretis ostendit.

Post Leonem X. Paulus III. pleraſque Bullas suas, signanter Bullam facultatis transferendi Concilii, quæ inseritur in fine sess. 7. Concilii Tridentini, sic incipit: *Regimini universalis Ecclesiæ, meritis licèt imparibus, disponente Domino, præsidentes*, &c. Quomodò plures alii Summi Pontifices Bullas suas pariter inchoaverunt, vel verbis æquipollentibus, prout Pius IV. Bullam celebrationis Concilii Tridentini sessioni 16. insertam, inchoat dicens: *Ad Ecclesiæ regimen solâ Dei dignatione vocati*, &c.

Ecce ergo ex Siricio, Leone Magno, Hilario, Fœlice III. Hormisda, Bonifacio II. Agapeto, Martino I. Gregorio II. Gregorio Magno, Eugenio II. Nicolao I. Adriano I. Gregorio VII. Paschali II. Calixto II. Eugenio III. Anastasio IV. Adriano IV. Innocentio III. Gregorio X. Martino V. Pio II. Leone X. Paulo III. &c. habemus, Romanum Pontificem esse Caput, Pastorem & Rectorem Ecclesiæ universalis. Quod & rursum tradunt Leo Magnus, Gregorius Magnus, &c., dum declarant Petrum universalis Ecclesiæ fundamentum. Nam quod est in ædificio fundamentum, illud in corpore Caput, in grege Pastor, in regno Rex, in Communitate Rector, &c. ut suprà dixi.

642 Nec laudatorum Pontificum, licèt in propria causa, seu potiùs Sedis suæ, loquentium, magis rejici potest authoritas, quàm Conciliorum Oecumenicorum, in propria causa pariter loquentium. Præsertim cùm prærogativæ Sedis Apostolicæ, non tam sint propria causa Romanorum Pontificum, quàm causa Christi, cujus Vicarii sunt; imò causa communis Ecclesiæ Catholicæ. Apostolicæ quippe Sedis, seu Petri Authoritas, Catholicæ Ecclesiæ fundamentum est, Domino contestante: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sed & privilegia Sedis Apostolicæ *arma sunt contra omnes impetus pravitatum* (ut suprà dixi ex Nicolao I. epist. 30.) *& munimenta atque documenta Domini Sacerdotum, &c.* Propter quod idem Pontifex epist. 32. *Privilegia* (inquit) *Sedis nostræ usque ad mortem, divinâ annuente gratiâ, vestigia Patrum nostrorum sequentes, defendimus. Sed & vos illa quatenùs illibata, utpote totius Ecclesiæ remedia, custodiantur, toto conatu & omnibus votis operari ac desiderare debetis. Quoniam..... tegmina sunt..... totius Ecclesiæ Catholicæ.*

643 Romanos autem Pontifices, in causa Christi, totiusque Ecclesiæ Catholicæ, non minùs idoneos esse testes, quàm Oecumenica Concilia, soli negant hæretici. Cùmque laudati Pontifices sic intellexerint Scripturas §. 1. 2. & 3. relatas, etiam Sanctissimi illi, qui primis sex sæculis floruerunt; absque errore, & temeritate ipsis contradici non potest, nec credi, quòd propriæ dignitatis augendæ gratiâ, sacras Litteras, cum fidei & religionis periculo, perperàm exposuerint. Neque enim ipsorum dignitas, authoritas, & sanctitas id credere permittit.

Imò nec Scriptura ipſa, quâ teſte, infallibilem ipſis ſacrorum eloquiorum expoſitionem commiſit, qui regni ſui claves, ſcientiæ nimirùm & poteſtatis, ipſis tradidit, ipſiuſque Eccleſiæ ſuper illis ædificatæ infallibilitatem ab ipſis, tamquam lapidibus fundamentalibus, pendere voluit.

§. V.

Demonſtratur 5°. ex traditione Conciliorum.

644 COncilium quippe Epheſinum p. 2. act. 3. *nulli dubium, imò ſæculis omnibus notum eſſe dicit, ſanctum .... Petrum .... Eccleſiæ Catholicæ fundamentum à Domino .... cœleſtis regni claves accepiſſe*; Cyrillumque, in quantum Cæleſtini Papæ ibi Vicarium, *congregatorum Epiſcoporum Caput* appellat.

645 Deinde in magno Concilio Calcedonenſi act. 3. Athanaſius Eccleſiæ Alexandrinæ Presbyter, Theodorus & Iſchyrion ejuſdem Eccleſiæ Diaconi, necnon Sophronius, Civis Alexandrinus, ſuos contra Dioſcorum libellos Synodo obtulerunt, cum hac epigraphe: *Sanctiſſimo, ac Dei amantiſſimo, & univerſali Archiepiſcopo, & Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni, & univerſali Calcedonenſi Synodo.* Iſtos verò libellos probavit, dum ſuis actis inſeri juſſit Synodus. Act. 4. plena Synodus: *Beatiſſimus atque Apoſtolicus Vir univerſalis Eccleſiæ Papa Leo*, ſive (ut S. Thomas opuſc. contra errores Græcorum refert) *Leo Sanctiſſimus, Apoſtolicus, & Oecumenicus*, id eſt univerſalis, *Patriarcha per multos annos vivat.* Et in ſententia condemnatoria Dioſcori, Patriarchæ Alexandrini, quam ex plenæ Synodi conſenſu pronuntiavit S. Paſchaſinus, Lylibeti Epiſcopus in Sicilia, Primarius Apoſtolicæ Sedis Legatus: *Sanctus ac Beatiſſimus Papa Caput univerſalis Eccleſiæ Leo.* Sic habetur in exemplari latino, quod ſuis ad Gallicanos Epiſcopos de ſucceſſu Synodi litteris annexuit S. Leo: tametſi voces iſtæ, *Caput univerſalis Eccleſiæ*, ſublatæ ſint à textu Græco. Et fidei definitioni act. 6. Legati Apoſtolici, omni Synodo approbante, primi ſic ſubſcripſerunt: *Vicarius Domini mei Beatiſſimi, atque Apoſtolici univerſalis Eccleſiæ Papæ urbis Romæ Leonis.* Et in relatione ad S. Leonem tota Synodus, id eſt ſexcenti triginta Patres, ſynodaliter ibi congregati, imprimis dicunt, quòd *Epiſcopo Romano vineæ* (id eſt Eccleſiæ generaliter & ſimpliciter dictæ, adeòque Eccleſiæ univerſalis) *cuſtodia à Salvatore commiſſa eſt.* Deinde eumdem Leonem, tamquam Caput & Patrem ſuum, atque adeò tamquam Caput & Patrem Eccleſiæ univerſalis, Conciliique Oecumenici agnoſcunt: *Quibus tu* (aiunt de ſeipſis ſexcenti illi Patres) *ſicut membris Caput præeras.* Et infrà: *Tuis decretis noſtrum honora judicium; & ſicut nos Capiti in bonis adjecimus conſonantiam, ſic & Summitas tua Filiis quod decet adimpleat.*

Poſtmodùm ſexta Synodus in relatione 646
ad Agathonem: *Tibi, ut primæ Sedis Antiſtiti univerſalis Eccleſiæ, quid gerendum ſit relinquimus.* Infrà: *Romana Sedes eſt petra, ſuper quam Dominus Eccleſiam fundavit.* Et in ſerm. acclamat. ad principem, plena Synodus Agathonem vocat *Patrem ſuum... & Pontificem Pontificaliſſimum.* Et cum eadem Synodo Conſtantinus IV. Auguſtus in litteris ad Leonem II. ſic ſcribit: *Leoni ſanctiſſimo & Beatiſſimo Archiepiſcopo veteris Romæ, & Oecumenico* (id eſt univerſali) *Patriarchæ.*

Poſt ſextam Synodum Concilium Ge- 647
nerale Lugdunenſe I. ſub Innocentio IV. *Dei Filius* (inquit) ... *ne gregem, ſui pretio ſanguinis glorioſi redemptum, aſcenſurus poſt reſurrectionem ad Patrem, abſque Paſtore deſereret, ipſius curam B. Petro Apoſtolo commiſit*, id eſt Paſtorem gregis ſui, ſeu Eccleſiæ ſuæ ipſum conſtituit. cap. *pro humani* de homic. in 6.

Concilium quoque Lugdun. II. ſub Gre- 648
gorio X. tit. de electione & electi poteſt. *Romanus Pontifex eſt ... Rector univerſalis Eccleſiæ, & gregis Dominici Director.* Concilium Conſtantienſe condemnavit ſequentes articulos Joan. Wiclef, Joannis Hus, &c. VII. *Petrus non eſt, nec fuit Caput Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ.* XXVII. *Non eſt ſcintilla apparentiæ quòd oporteat eſſe unum Caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militante Eccleſia conſervetur, & converſetur.*

Et inter articulos, de quibus interro- 649
gari jubet ſuſpectum de hæreſi Wicleff, &c. unus eſt, *Utrùm credat quòd Papa canonicè electus... ſit ſucceſſor B. Petri, habens ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei.* Ex quibus Card. à Turrecremata in Apologia pro Eugenio IV. & Duvallius to. 2. tract. de ſupr. Rom. Pont. poteſt. par. 1. q. 6. inferunt duo eſſe à Concilio Conſtantienſi definita. Primum, *quòd Papa ſit Caput Eccleſiæ Catholicæ.* Secundum, *quòd Papa, canonicè electus, habeat authoritatem ſupremam in Eccleſia Dei:* ita ut Duvallius dicat, jam contrarium citra hæreſim manifeſtam defendi non poſſe.

Sed & Concilium Florentinum ſub Eugenio IV. *Definimus* (inquit)... *Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ... eſſe ... totius Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe; quemadmodum etiam in geſtis Conciliorum Oecumenicorum, & in ſacris Canonibus continetur.* Græci quidem in principio ſubſcribere nolebant iſti definitioni, niſi cum hac limitatione, *juxta tenorem Ca-*

nonum. Sed limitationi Concilium non acquievit, ejusque persuasione tandem consenserunt in finale istud additamentum, *quemadmodùm etiam in gestis Conciliorum* (utique supradictorum) *& in sacris Canonibus continetur.* Nec certè, quoad substantiam, valdè diversa erat declaratio, quam Patribus Latinis ultrò obtulerunt, antequam Concilii definitio utrimque discussa, Ecclesiæ universali proponeretur; sic enim se habebat: *Habeat Papa sua privilegia secundùm Canones, & dicta Sanctorum, S. Scripturam, & Acta Synodorum. Fatemur ipsum Summum Pontificem, & Procuratorem, Locum gerentem, Vicarium Christi, Pastorem & Doctorem omnium Christianorum, regentem & gubernantem Dei Ecclesiam, salvis privilegiis Patriarcharum Orientis,* &c. Omnes quippe prærogativas istas fatentur ipsi competere, tam ex declaratione S. Scripturæ, quàm sanctorum Patrum, & Canonum vetustissimorum, utique Canonum Arabicorum can. 39. *Qui tenet Sedem Romæ, Caput est & Princeps omnium Patriarcharum: quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, ut qui sit Vicarius D. N. Jesu Christi super cunctos populos, & universam Ecclesiam Christianam.* Extrav. *quemadmodùm* oper. de pœnit. & remiss. *Ipsi dispositione superná universi gregis Dominici sollicitudo commissa est.* Cap. *novit ille* de judic. *Ad regimen universalis Ecclesiæ vocatus est.* Cap. *rogamus* 24. *B. Petrus est Caput totius Ecclesiæ.* Innumeros alios canones omittam, ut transeam ad Concilium Lateranense sub Leone X. in quo Romanus Pontifex dicitur *super omnia Concilia authoritatem habere*, atque adeò super Ecclesiam universam.

650 Ipsum denique Tridentinum, inter Generalia ultimum, sessioni suæ 7. inseruit Bullam Pauli III. in qua Romanus Pontifex præsidere dicitur *regimini universalis Ecclesiæ.* Et sessioni 10. Bullam Julii III. in qua in id Papam spectare dicitur, *Concilia Generalia*, ac per consequens universam Ecclesiam *dirigere.* Et sess. 24. c. 1. de reform. Concilium dicit, quòd *Romanus Pontifex sollicitudinem universæ Ecclesiæ, ex muneris sui officio debet*, ex officio utique Pastoris illius. Et in acclamationibus Patrum in fine Concilii, Pius IV. per Cardinalem à Lotharingia proclamatur universalis Ecclesiæ Pontifex: *Beatissimo Pio Papæ, & Domino nostro Sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.*

651 A Conciliis particularibus referendis supersedeo, Magnum Remense Concilium (Præsidente Leone IX. celebratum) referre contentus, in quo, *lectis sententiis, super hac re olim promulgatis ab Orthodoxis Patribus, declaratum est, quòd solus Sanctæ Romanæ Sedis Pontifex universalis Ecclesiæ Primas esset, & Apostolicus.*

§. VI.

Demonstratur 6°. ex traditione Sanctorum.

PRimò namque Cyprianus (teste Lenseo 652
lib. pro una Christi in terris Ecclesia) Romanum Pontificem, Ecclesiæ totius Pastorem dicit, *cui obtemperare debeat fraternitas universa.* Et verò Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ dicit, inde schisma & hæreses provenire, *quòd ad veritatis originem non redatur, nec Caput quæritur, nec Magistri cælestis doctrina servatur. Qui loquitur ad Petrum:* „ Ego dico tibi, quia tu es Petrus, „ & super hanc petram ædificabo Ecclesiam „ meam ..... Et tibi dabo claves regni cælo- „ rum .... „ *Et eidem post resurrectionem suam dicit:* „ Pasce oves meas. „ *Et quamvis Apostolis omnibus ..... parem potestatem tribuat ..... tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ authoritate disposuit .... exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur ..... Ecclesia una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur. Quomodò solis multi radii, sed lumen unum: & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum. Et cum fonte uno rivi plurimi defluunt ... unitas tamen servatur in origine ..... Sic & Ecclesia ..... per totum orbem radios suos porrigit .... ramos suos in universam terram extendit, profluentes largiter rivos latiùs extendit; unum tamen Caput illius est, & origo una*, scilicet Petrus, ut antè dixit. Propter quod & subjungit illud Joan. 10 *Et erit unus grex, & unus Pastor.* De quo rursùm in epist. ad Jubajan. *Nos Ecclesiæ unius Caput & radicem tenemus ..... Nam Petro primùm Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, & unde universitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit*, &c. Et epist. ad Cornelium Papam de reversis ad Ecclesiæ unitatem, ipsos sic pœnitentes inducit: *Nos Cornelium Episcopum sanctissimæ Ecclesiæ Catholicæ electum à Deo .... scimus. Nos errorem nostrum confitemur .... nec enim ignoramus unum Deum esse, unum Christum .... unum Episcopum in Ecclesia Catholica esse debere.* Præterea Cathedram Romanam idem Cyprianus lib. 4. epist. 8. ad Cornel. *Ecclesiæ Catholicæ Matricem & radicem vocat.* Igitur Romanum Pontificem in ea sedentem, Ecclesiæ Catholicæ non solùm fundamentum, originem & radicem, sed etiam Patrem, Pastorem, & Caput esse tradit, prout laudatorum testimoniorum collatio manifestum facit.

Secundò Arnobius in Psalm. 138. *Solus* 653
Dominus Jesus Christus dicebat: Ego sum Pastor bonus, & sequuntur me oves meæ, tam scilicet congregatim, quàm dispersim. *Hoc ergo nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem, post resurrectionem suam Petro commisit pœnitenti.*

tenti, & negatori suo hanc, quam solus habuit in oves, etiam congregatas, sive in gregem universum, *tribuit potestatem.*

654 Tertiò Athanasius in epistola ad Fœlicem cum Synodo sua Alexandrina: *Scimus, vos universalis Ecclesiæ curam gerere.* Et in epist. ad Liberium I. *Universalis Ecclesiæ vobis à Christo est commissa cura.*

655 Quartò Epiphanius in Anchorato, de eodem Petro dicit: *Hic est qui audivit: Pasce oves meas: cui creditum est ovile.*

656 Quintò Chrysostomus homil. 85. super Joan. *Petrum totius orbis ordinat Magistrum & Doctorem.* Sic refert S. Thomas opusc. contra errores Græcorum. Deinde in cap. 16. Matth. *Ecclesiæ Pastorem constituit. Ipsum universo terrarum orbi præposuit.* Lib. 2. de sacerdot. Petro super familiam Christi (quæ est Ecclesia universa) constituto applicat id quod Christus apud Lucam ait: *Quis est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Homil. 1. de pœnit. *Ecclesiæ primatus, gubernatioque per universum mundum ei à Christo concreditus est.*

657 Sextò Ambrosius in Psal. 43. post medium: *Petrus Ecclesiæ præponitur ..... Dominus .... cum Pastorem elegit Dominici gregis.*

658 Septimò Augustinus tr. 123. in Joan. Petrum Ecclesiæ Dominici gregis Pastorem agnoscit, dum ait: *Sit amoris officium, pascere Dominicum gregem, &c.*

659 Octavò Author serm. 124. de temp. apud eundem Augustinum (qui est 79 Appendicis, in novis. edit. Operum ipsius) dicit, quòd Petri lapsum permisit Deus, *ut Ecclesiæ Rectori futuro ignoscendi peccantibus quædam regula poneretur. Credendæ enim erant Petro claves Ecclesiæ .... totius corporis morbum in Capite curat Ecclesiæ.*

560 Nonò Prosper in Carmine de ingratis: *Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris, facta Caput mundo, &c.*

661 Sophronius Hieros. in opere de labor. SS. Petri & Pauli: *Petro mundi procuratio committitur, & traduntur cælestium thesaurorum claves: super cœtum Apostolorum constitutus est.*

62 Decimò Vincentius Lirinensis lib. adversus hæres. Romanum Pontificem vocat *Caput orbis.*

663 Undecimò Ambrosiaster, seu Hilarius, Romanæ Ecclesiæ Diaconus, in illud 1. Timoth. 3. *Ut scias quomodo te oporteat conversari in domo Dei* &c. *Domus Dei Ecclesia dicitur, cujus hodie Rector est Damasus.* Et q. 75. in novum Testam. in Appendic. to. 3. Oper. August. edit. novis. *Salvator cùm pro se & Petro dari jubet, pro omnibus exsolvisse videtur. Quia sicut in Salvatore erant omnes causâ Magisterii: ita & post Salvatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse Caput eorum, ut Pastor esset Dominici gregis.* Et explicans verba Salvatoris: *Rogavi pro te*, sic pergit: *Manifestum est in Petro omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in præposito populus aut corripitur, aut laudatur.*

Duodecimò Ennodius in lib. de Synodis 664
sub Symmacho Papa, quem suum Synodus ipsa fecit: *Illi quidquid fidelium est submittitur, dum totius corporis Caput esse designatur.*

Decimo-tertiò S. Maximus, Episcopus 665
Taurinensis, homil. 3. in Natali BB. Petri & Pauli: *Petro totius Ecclesiæ gubernacula tradita sunt.*

Decimo-quartò Joannes Ravennatensis 666
Episcopus epist. ad Gregorium Magnum: *Sedes Romana universæ Ecclesiæ jura sua transmittit.*

Decimo-quintò Maurus Ravennæ & ipse 667
Episcopus, in litteris contra Monothelitas, lectis in Concilio Lateran. Martinum I. appellat *totius orbis Apostolicum, & universalem Pontificem.*

Decimo-sextò Damascenus in historia 668
Barlaam & Josaphat c. 11. *Petrus totius orbis Magister institutus.*

Decimo-septimò Alcuinus in lib. de div. 669
offic. *Dominus... in Beatissimo Petro... quasi quodam Capite, dona sua voluit in corpus omne, id est Ecclesiam universam, manare.*

Decimo-octavò Patarensis Episcopus a- 670
pud Liberatum Breviar. c. 22. dicit, *unum Papam esse super Ecclesiam totius mundi.*

Decimo-nonò Hincmarus Remensis in 671
litter. ad Adrian. II. ipsum vocat *universalem Ecclesiæ Papam.*

Vigesimò Petrus Damiani, in vita S. Bar- 672
batiani: *Roma absque dubio Caput est... totius Ecclesiæ.* In vita S. Vitalis: *Totius orbis sibi vendicat Principatum.*

Vigesimo-primò Anselmus Cantuar. E- 673
piscop. de Incarn. Verbi cap. 1. *Domino & Patri universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis, Summo Pontifici Urbano. Divina providentia Vestram elegit Sanctitatem, cui ..... Ecclesiam suam regendam committeret*, &c.

Anselmo Cantuariensi succinit Anselmus Havelburgensis lib. 3. Dialog. c. 12. *Certum est, & nulli, qui sit sani capitis, dubium, quòd sicut una est Ecclesia; sic & unius Ecclesiæ unum est Caput, & hic est Romanus Pontifex.*

Vigesimo-secundò Gottofridus Viter- 674
biensis in dedicat. Historiæ suæ universalis: *Summo & universali Papæ Urbano VI.*

Vigesimo-tertiò Hugo Victorinus lib. 675
1. erudit. Theol. de Sacram. cap. 43. *Papa .... universalis dicitur, quia universæ Ecclesiæ præsidet.*

Vigesimo-quartò Petrus Abbas Clunia- 676
censis lib. 1. epist. 1. Innocentium Papam sic affatur: *Habetis cum tota Ecclesia, vobis à Deo commissa, & me in membris Christi ultimum.* Et lib. 4. c. 19. *Summum Pontificem .... totius Ecclesiæ suæ ..... Præsulem mortalibus benignitas divina concessit.*

Vigesimo-quintò Petrus Abbas Cellen- 677

sis l. 8. epist. 11. *Totius Christianitatis onus humeris Apostolicis impositum non ignorat, qui Christum Principi Apostolorum dixisse non dubitat: Tu es Petrus*, &c. Et epist. 16. *Universitas Christianitatis, Pater Sanctissime, vestro regitur moderamine.*

678 Vigesimo-sextò Petrus Blesensis, seu (ipso dictante) Aleonora Angliæ Regina, epist. 145. *Exurgat igitur orbis Episcopus.... Nonne Petro Apostolo, & in eo vobis à Deo omne regnum, omnisque potestas regenda committitur?* Et epist. 165. ad Adrian. IV. *Universæ Ecclesiæ præsidetis.*

679 Vigesimo-septimò Bernardus lib. 2. de considerat. ad Eugen. *Petrus non unam Ecclesiam, ut cæteri quique suam, sed sæculum ipsum* (id est orbem universum) *gubernandum susceperat..... Alii singuli singulas sortiti sunt plebes.... Jacobus unâ contentus est Hierosolymâ, Petro* UNIVERSITATEM *cedens.* Serm. 3. de septem fragment. misericord. *Petro.... totius Ecclesiæ cura Pastoralis commissa est.* Epist. 130. Innocentium Papam vocat *Universitatis Patrem.* Epist. 137. Eugenium sic alloquitur: *Locus in quo stas, locus Petri est.... quem constituit Dominus Dominum domûs suæ, & Principem omnis possessionis suæ. Constitutus es super gentes & regna, ut evellas & destruas, & ædifices & plantes.*

680 Vigesimo-octavò Fulbertus Episcopus Carnotensis epist. 22. *Dilectissime Pater, cui totius Ecclesiæ cura commissa est.*

681 Vigesimo-nonò Albertus Magnus in 4. dist. 24. ad 7. & 2. *Jurisdictio universalis potestatis descendit in Papam à Domino, ex hoc, quòd Petro succedit.*

682 Trigesimò Alexander de Ales 4. p. Summ. memb. 3. *Pontifex est totius universalis Ecclesiæ Sponsus & Rector.*

683 Trigesimo-primò S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 10. *Papa toti Ecclesiæ præest.* Opusc. contra error. Græcor. *In totam Ecclesiam plenitudinem habet potestatis, & universalem Prælationem obtinet.* Et rursus: *Similis est error dicentium..... Romanum Pontificem non habere universalis Ecclesiæ Primatum, errori dicentium Spiritum sanctum à Filio non procedere.* Opusc. contra impugnant. relig. *Papa, qui obtinet vicem Christi in tota Ecclesia, universalis Ecclesiæ Sponsus dicitur.* Si Sponsus, ergo Caput: cùm certum sit Sponsum esse Caput Sponsæ.

684 Trigesimo-secundò S. Bonaventura serm. 12. in Hexaëmeron, tit. de statu Eccles. milit.: *Etsi aliæ quatuor Sedes plenam authoritatem habent super Ecclesiis partialibus; sola tamen Roma universaliter, sicut sol super planetas, habet plenitudinem potestatis super omnes*, etiam congregatim sumptas. Hoc enim designat similitudo solis, qui non solùm rex est planetarum disgregatim, sed etiam congregatim sumptorum.

685 Trigesimo-tertiò Beatus Augustinus Triumphus l. de potest. Eccles. *Error est, pertinaci mente non credere, Romanum Pontificem universalis Ecclesiæ Pastorem, &c.*

Trigesimo-quartò S. Antoninus in Sum. 686
p. 3. pluribus argumentis demonstrat, Papam esse Caput & Pastorem Ecclesiæ universalis, ipso etiam Concilio superiorem. Sicut & B. Joannes Capistranus, de Papæ, & Concilii, seu Ecclesiæ authoritate p. 3. secundæ partis principalis, ubi sic: *Cumitaque Papa sit ministeriale Caput repræsentans ipsum Caput mysteriale, scilicet Christum, patet quòd omnes fideles universaliter subjiciuntur huic Capiti*, & sic universalis Ecclesia. Ergo & ipsum Generale, seu Oecumenicum Concilium, universalem Ecclesiam repræsentans, per argumentum à majori ad minus. Plus est enim repræsentatum, quàm repræsentans. Ergo plus est Universitas Ecclesiæ, quàm Concilium ipsam repræsentans.

Trigesimo-quintò Joannes Roffensis E- 687
piscopus, & Martyr art. 25. contra Lutherum: *Græci & Latini Patres nobiscum sentiunt, Petrum exordium Ecclesiæ fuisse, & ab eodem Christi Ecclesiam profluxisse velut à summo Capite, & supremo post Christum, cujus & successio perpetuabitur, finem nullum habitura, quamdiù sæculum hoc duraverit.*

Nec in eo soli sancti Patres, ac Docto- 688
res inter se, sed & cum ipsis Reges ac Imperatores conveniunt. Siquidem Constantinus IV. Imperator in litteris ad Agathonem (uti §. præcedenti vidimus) sicut & Justinianus II. in litteris ad Joannem Papam, ipsum vocat *Oecumenicum Papam.* Sigismundus, Burgundiorum Rex, in litteris ad Symmachum (per Avitum Viennensem Archiepiscopum scriptis) ipsum vocat *Præsulem Ecclesiæ universalis.* Et Sirmondus to. 2. Conciliorum Galliæ ad annum 817. refert epistolam subscriptam à Ludovico Pio Imperatore, tribusque filiis suis, Carolo Calvo, Ludovico, Lothario, necnon ab Episcopis decem, Abbatibus octo, Comitibus quindecim, & plerisque aliis Principibus, cum hac inscriptione: *Domino Paschali, Summo Pontifici & universali Papæ.* Sanctus quoque Eduardus, Anglorum Rex, apud Aelredum in vita ipsius, Nicolao Papæ sic scribit: *Summo universalis Ecclesiæ Patri Nicolao Eduardus, gratiâ Dei Anglorum Rex*, &c. Hisce omnibus Facultas Parisiensis usque adeò subscribit, ut 1ª. Decembris 1554. omnes & singuli Magistri illius, palàm, apertoque ore idipsum professi sint, ut vidimus in fine capitis..... Et anno 1561. hanc fecit declarationem: *Ecclesia universalis..... habet sub Christo Jesu unum Caput visibile, cui omnes Christiani, si salvi esse velint, obedire tenentur.*

Ipse etiam Gerson, ejusdem Facultatis 689
Cancellarius, lect. 3. de vit. spirit. *Habet* (inquit) *Papa dominium Superioritatis à Christo supra totam Ecclesiam, cum plenitudine potestatis, ita ut universalis Ecclesia Pontifici Romano*

mano subjecta sit, ut ait ibidem lect. 2. Et Petrus Alliacensis in Vesperiar. quæst. resumpta concluſ. 1. de Petro Christi Vicario: *Patet ex dictis in 2°. articulo quæstionis, quam tractavi in Vesperiis, ubi ostendi, quòd Petrus Apostolus, ex Christi institutione, fuit Caput, & habuit Principatum universalis Ecclesiæ.*

Romanum itaque Pontificem universalis Ecclesiæ Caput & Pastorem esse, nedum ipsi Pontifices, sed & Patres omnes tradiderunt, sicque intellexerunt eloquia illa evangelica: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claves regni cælorum. Pasce oves meas. Fiet unum ovile, & unus Pastor*, &c. Omnium verò Pontificum, Patrumque traditio circa sensum sacrorum textuum, certum est argumentum veritatis, juxta Trid. sess. 4.

§. VII.

Idipsum ratio non una demonstrat.

690 PRima ratio est, quia certum est, Petrum, & quemlibet ipsius successorem, esse fundamentum fidelium omnium, etiam congregatorum, seu congregatim sumptorum, atque adeò Ecclesiæ universalis. Igitur certum est, ipsum esse Caput, & Pastorem fidelium omnium, etiam congregatorum, ipsiúsque proinde Ecclesiæ universalis. Quod est enim in domo fundamentum, hoc est in corpore Caput, & in grege Pastor. Nam uti domus pendet à fundamento, non fundamentum à domo; sic corpus pendet à Capite, grex à Pastore; non Pastor à grege, nec Caput à corpore. Et Petrus (sicut & quilibet successor ipsius) per id constitutus est Ecclesiæ Pastor & Caput, per quod constitutus est fundamentum. Quod enim Salvator promisit Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, hoc adimplevit Joan. 21. cùm dixit: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, prout Ecclesia semper intellexit. Quòd autem certum sit, Petrum esse fundamentum fidelium omnium, etiam congregatorum, adeòque ipsius etiam Ecclesiæ universalis, perspicuè declarant verba illa: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: utpote exprimentia, seu expressè declarantia, Ecclesiam ædificandam esse super Petrum, tamquam fundamentum, seu petram fundamentalem; Ecclesiam (inquam) de qua proximè subjungitur, quòd *adversus eam portæ inferi non prævalebunt.* Ecclesia verò (præsertim sic descripta) non est singuli fideles, vel Episcopi divisim, sed omnes conjunctim, seu congregatim. Ecclesia namque nomen collectivum est, propriè significans collectionem, seu congregationem fidelium. Nec de ipsa, aliter sumpta, verificatur illa ipsius firmitas tanta, ut adversus eam infernus nequeat prævalere. Nec hoc negari potest, absque cavillatione. Cùm apertè sit contra rationem, id quod Salvator affirmat de Ecclesia, negare de eo quod propriè est Ecclesia, solùmque concedere de eo quod propriè Ecclesia non est.

Secunda ratio: Ecclesia universalis est 691
unus grex, & unum ovile Christi, de quo Christus ipse: *Fiet unum ovile.* Unum ergo habet Pastorem, sicut idem ibidem subjungit, *& unus Pastor.* Sed alium non habet Pastorem unum (post Christum) nisi Petrum, ac quemlibet Petri successorem. Ergo quilibet Petri successor est unus Pastor Ecclesiæ universalis. In idem recidit hæc ratio: Ecclesia universalis est unum corpus visibile. Igitur habet Caput unum visibile. Non alium nisi Petrum. Igitur Petrus est Caput visibile Ecclesiæ universalis. Omnium proinde fidelium, & Episcoporum, etiam congregatim sumptorum. Ipsius proinde etiam Concilii Generalis.

Tertia ratio: generales, illimitatasque 692
Evangelii sententias, absque Ecclesiæ authoritate, non licet ad privatum sensum restringere, vel limitare, uti demonstravimus to. 1. Prolegomeno 3. c. 12. Adversus certissimam verò regulam istam peccant contrariæ opinionis sectatores. Quod enim Christus illimitatè, & absque distinctione, vel exceptione dixit: *Tibi dabo claves regni cælorum. Quodcumque ligaveris. Pasce oves meas*, &c. limitatè, cumque distinctione, & exceptione accipi volunt, cùm dicunt, non intelligi de toto Christi grege, seu de omnibus congregatim. Nec exceptionem istam, seu distinctionem Ecclesiæ faciunt authoritate, sed suâ, sententias illas illimitatas ad privatos sensus suos restringentes; contra ipsius Ecclesiæ sensum, quæ pro Papa orat, velut pro totius Ecclesiæ Capite, totiusque Dominici ovilis Pastore: *Deus omnium fidelium Pastor & Rector, qui famulum tuum N. Ecclesiæ tuæ* (id est toti fidelium congregationi, totique Dominico ovili) *præesse voluisti.*

Quarta ratio: unus est supremus Eccle- 693
siæ Monarcha, Romanus utique Pontifex, uti probatum est suprà. Quemadmodùm ergo supremus Monarcha Gallorum v. g. præest toti regno, & omnibus Statibus illius, etiam congregatis, id est generali Cœtui ipsorum. Ita similiter, &c.

CAPUT XLV.

Argumenta, quæ adversus hactenùs dicta objiciuntur, invalida esse ostenduntur.

ADversus ea quæ pro Romani Pontificis 694
infallibilitate, & supra ipsum etiam universale Concilium authoritate diximus, varia objiciuntur argumenta, sed dudùm contrita, & quæ (attentis præmissis) nullius

esse videntur soliditatis. Solùm hîc subjiciam præcipua, ex quorum solutione facilis erit solutio cæterorum.

695 Objicitur ergo 1°. Petrus (primus Christi Vicarius) erravit cogendo Gentes legalia observare; ideòque justè reprehensus fuit à Paulo, prout ipse refert Galat. 2. cumque ipso Augustinus lib. 2. de baptism. contra Donatist. c. 1. Ergo Papa fallibilis est, reprehensionique obnoxius.

Respondeo argumentum prorsus non esse ad rem. Neque enim Petrus erravit in doctrina fidei vel morum, quam ut Pontifex à tota Ecclesia voluerit esse sequendam; sed error ipsius conversationis vitium fuit, non prædicationis, ut Tertullianus ait in lib. de præscript. Error namque, seu vitium ipsius in eo fuit, quòd posteaquam cum Gentibus conversis, absentibus Judæis, legalia non servaverat, Judæis præsentibus, ea servabat, suoque isto exemplo Gentilibus esse poterat scandalo: quatenùs ex facto ipsius Gentiles existimare potuissent, ea esse servanda. In hoc proinde facto non ambulabat secundùm veritatem Evangelii: quia Gentes quodammodò cogebat judaïzare, tametsi nihil contra veritatem Evangelii prædicando doceret. Neque enim prædicare poterat necessitatem servandi legalia, qui Act. 10. de eorum cessatione revelationem habuerat, istamque revelationem Act. 11. toti multitudini vulgaverat. Non ergo Petrus in fide erravit, prout Augustinus ipse agnoscit epist. 29. ad Hieronymum, contrariaque propositio Antonii de Dominis ann. 1615. à Facultate Theologicâ Parisiensi meritò declarata fuit *erronea, temeraria, & in B. Petrum contumeliosa.*

Instabis: Augustinus loco in objectione citato, per errorem Petri excusat errorem Cypriani, hæreticos rebaptizantis; sicut & Pelagius II. epist. 2. ad Episcop. Istriæ per eumdem excusat errorem Vigilii, epistolam Ibæ ut orthodoxam in Constituto suo approbantis.

696 Respondeo nec Cyprianum, nec Vigilium errasse in fide; sed Cyprianum errasse in disciplina, seu consuetudine hactenùs observata; falsò existimando consuetudinem Afrorum rebaptizandi baptizatos ab hæreticis, in Ecclesia semper fuisse ab Apostolorum tempore; contrarium asseruit Stephanus Papa; & ideò jussit *nihil innovari:* sed neuter voluit sententiam suam ad fidem pertinere. Et ideò communionem S. Stephani Cyprianus nunquam abrupit, etsi peccaverit, jussioni S. Stephani non acquiescendo, uti non uno loco Augustinus ostendit.

697 Quod ad Vigilium spectat, verum non est ipsum approbasse hæreticam Ibæ epistolam: cùm non approbaverit, nisi ea epistolæ verba, quæ in Concilio Calcedonensi recitata fuerunt, & secundùm quæ ibi declaratus fuit Catholicus, & ad Concilii communionem admissus, prout optimè ostendit Baronius ad annum 553. Unica quippe Vigilio cura fuit per Constitutum suum cavere, ne occasione trium capitulorum derogaretur Concilio Calcedonensi. Vel ergo in fide non erravit Vigilius, vel in ea erravit Concilium Calcedonense. Quod nullus Catholicus dixerit.

Objicitur 2°. factum Liberii Papæ, qui 698
tædio exilii, timoreque comminatæ mortis, condemnationi S. Athanasii consensit, & formulæ fidei, ab Arrianis Episcopis in Conciliabulo Sirmiensi editæ, subscripsit, cumque iisdem Episcopis communicavit.

Respondeo nihil inde adversum assertam à nobis infallibilitatem consequi: neque enim propterea errorem aliquem in fide toti Ecclesiæ credendum proposuit, etiam dato, non concesso, quòd in sua privata persona hæreticus fuisset. Qualis tamen non fuit (licèt subscribendo peccaverit) siquidem in isto Conciliabulo tres fidei formulæ editæ sunt: prima & tertia sanum sensum admittebat, licèt non exprimeret consubstantialitatem Filii; secunda non admittebat: & isti Liberius non subscripsit; sed primæ (uti testatur Sozomenus l. 4. c. 14.) quæ ex se hæretica non erat, uti probat S. Hilarius apud Baronium ad annum 357. licèt in ea lateret fallacia Arriana, in remotione termini consubstantialis, à Symbolo Nicæno; lateret proinde hæretica pravitas, non ex vi ipsius formulæ, sed ex Arrianorum intentione, qui formulam illam ediderant ad hæresim suam manutenendam, & Nicæni Concilii fidem supprimendam.

Objicitur 3°. Innocentius I. interpella- 699
tus à S. Joanne Chrysostomo, injustè à sua Sede deturbato, respondit, oportere conflare Synodum Occidentalium Orientaliumque Sacerdotum; eam quippe solam esse, quæ ejusmodi procellarum impetus retundere posset. Ergo judicium suum absque judicio Synodi non judicavit sufficiens ad restitutionem Chrysostomi.

Nego consequentiam: quia certum est Synodum illam congregatam non fuisse; Innocentium nihilominùs quidquid contra Chrysostomum Constantinopoli actum fuerat, Romæ cassâvisse, seu irritum declarasse, & Chrysostomum absolvisse, uti videre est apud Theodoretum l. 3. Histor. c. 34. Synodi ergo illius congregationem non censuit necessariam ad Chrysostomum restituendum, sed ad sedandam tempestatem (istis in circumstantiis, in quibus adeò turbati erant adversus Chrysostomum Orientalium animi) suaviorique modo silentium adversariis ipsius imponendum.

Objicitur 4°. Honorius Papa, cui tam- 700
quam Monothelitæ anathema dixit sexta, sicut & septima Synodus Oecumenica.

Sed quid inde? Proposuit-ne Honorius Monothelismum toti Ecclesiæ credendum? Nullus hoc asserit, nec ullum istius testi-

gium in epistola ad Sergium, ob quam post mortem damnatus fuit, licèt per errorem facti, ut visum est quibusdam viris doctissimis, ipsis quoque Eminentissimis Baronio, Bellarmino, &c.

701 Objicitur 5°. Joannes XXII. docuit (contra fidem) animas fidelium, in gratia decedentes, plenè purgatas, ad visionem beatificam non admitti ante diem judicii.

Respondeo Joannem quidem XXII. in eam opinionem propendisse, sed ipsummet per suum Breve protestatum fuisse, se de hoc ordinando nunquam cogitasse; dumque morti proximus esset, expressam Constitutionem edidisse, quâ declaravit, suam jam sententiam esse, quòd animæ plenè purgatæ, à suis corporibus egressæ, beatificâ visione fruerentur, ante communem resurrectionem. Ista omnia enarrat, testaturque vel ipse maximus Pontificiæ infallibilitatis æmulus Maimburgus in suo Tract. de occasu Imperii l. 6. pag. 598.

702 Objicitur 6°. Concilium Pisanum, in quo depositi sunt Benedictus XIII. & Gregorius XII.

Respondeo constare ex actis istius Concilii, historiisque illius, depositos fuisse, non authoritate Concilii supra Papam, in hæresim non lapsum; sed prætextu hæresis ipsorum.

703 Objicitur 7°. Concilium Constantiense, in cujus sessione 4. & 5. definita fuit superioritas Concilii, seu subjectio Papæ ad Concilia Oecumenica.

Respondeo 1°. Concilium Constantiense tempore sessionis 4. & 5. Generale non fuisse (uti declaravit Eugenius IV. in Apologia sua contra Basilienses) sed ei à Gregorio XII. & Benedicto XIII., eorumque obedientiis, fuisse contradictum; & ne ipsum quidem Joannem XXIII. tunc temporis ei adfuisse, sed fugâ dilapsum & Scaphucam appulsum, improbasse acta in illis sessionibus, tamquam erronea, de iisque graviter conquestum fuisse, per litteras ad Ladislaum Poloniæ Regem. Plures denique ex obedientia ipsius eidem contradixisse.

704 2°. definitionem illam factam non fuisse Conciliariter, id est prævià discussione, & deliberatione sufficienti, exquisitis singulorum Concilii Patrum suffragiis, adhibitoque tempore sufficienti ad competentem de re tanta deliberationem.

705 3°. Concilium istud tunc demum Generale fuisse, dum concurrentibus obedientiis Gregorii XII. & Benedicti XIII. facta fuit nova Concilii convocatio; tuncque, universâ Ecclesiâ concurrente, plenariæ Synodi rem & nomen accepisse. *Quod ergo ante eum articulum à Patribus ibi congregatis actum est, universæ Ecclesiæ non debet adscribi, sed eis tantùm, qui ibidem consedebant, & unius tantùm obedientiæ Synodum faciebant*, prout Eugenius IV. declaravit ibidem. Et in unione obedientiæ Benedicti XIII. abstinuit, & juxta pacta Narbonensia abstinere debuit à titulo Generalis Concilii. Nec antè tota Christianitas illud recognovit pro Generali Concilio. Non enim pro tali ipsum recognoverunt duæ obedientiæ suprà nominatæ, quæ Christianitatis pars non modica erant; eratque Synodus acephala, tempore sess. 4. & 5. ob fugam Joannis XXIII. Dumque Legati Regis Arragoniæ sess. 22. ad Concilium venerunt, expressè protestati sunt, quòd quidem vellent se unire Concilio, non tamen reputare esse Generale Concilium, neque agi de rebus Concilii Generalis, donec venirent Legati Regis Castellæ. Qui nec ipsum anteà habuit pro Generali Concilio, uti constat ex ipsius & Reginæ litteris, scriptis non ad Constantiense Concilium Generale, sed ad Congregationem quatuor Nationum in Constantia. Sic habent gesta Concilii in 4. Codice manuscripto apud Schelstraete.

4°. Si dicas, in pactis illis, seu Concordatis 706
Narbonensibus, in sessione 20. juratis, conventum quidem fuisse, ut nova convocatio Concilii fieret, sed adjectâ conditione, ut nova convocatio fieret utrimque, tam scilicet ex parte obedientiæ Benedicti XIII. quàm ex parte Concilii, ad quod obedientia Joannis XXIII. & obedientia Gregorii XII. jam convenerant, adjecto quoque fine convocationis, pro reformatione Ecclesiæ in Capite, & in membris, quod est authoritatem Concilii supra Summum Pontificem agnoscere.

Contrà, licèt nova convocatio fieri de- 707
buerit, tam ex parte obedientiæ Benedicti XIII. quàm ex parte Patrum tunc Constantiæ existentium, non tamen ut constituentium Generale Concilium: cùm art. 1. istorum Concordatorum expressè haberetur, quòd in litteris convocatoriis, præfigeretur terminus ad interessendum in Civitate Constantiensi, pro uniendo se, & faciendo Concilium Generale, cum aliis ibidem congregatis. Et art. 3. quòd post adventum eorum, qui fuerunt de obedientia Benedicti XIII., statim fieret unio pro faciendo unum universale Concilium. Unde ante eorum adventum, sessione 22. in forma novæ convocationis, Patres non utuntur titulo Generalis Concilii, sed hisce dumtaxat nominibus: *Miseratione divinâ Episcopi, Presbyteri, Diaconi Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Prælati, & cæteri in Constantia, Provinciæ Maguntinensis, in Christi nomine congregati, Illustri Principi Ferdinando, Dei gratiâ Arragonum & Siciliæ Regi, salutem & ecclesiasticam unionem feliciter tueri*, &c.

Constat igitur novam convocationem or- 708
dinatam & factam fuisse, ad faciendum unum universale Concilium; unum proinde universale Concilium sess. 4. & 5. non fuisse, sed demum sess. 22. in qua trium obedientiarum facta est unio.

709 Nec tamen hinc benè infertur, condemnationem Joannis Wicleff, & Joannis Hus, Concilii Generalis non fuisse, licèt ante unionem proximè dictam facta fuerit. Quia condemnationi ipsorum post unionem illam supervenit Martini V. confirmatio, approbante Concilio facta, & executorialis Bulla, cum inſertione omnium & singulorum articulorum condemnatorum; cui confirmationi solùm addita est confirmatio cæterorum Conciliariter factorum, prout videre est in actis Concilii post ultimam sessionem. Talis verò confirmatio non supervenit iis quæ decreta fuerunt sess. 4. & 5. utpote ob ea quæ diximus n. 700. 701. 702. non Conciliariter factis, ideòque non comprehensis sub terminis confirmationis Martini V.

710 Illud verò quod additum est de fine novæ convocationis, pro reformatione Ecclesiæ, tam in Capite quàm in membris, additum est pro casu qui tunc erat, pro casu utique schismatis, in quo tres contendebant de Papatu. Unde consequens non est, Concilium esse supra Ecclesiæ Caput indubitatum, sed supra Caput taliter dubium & controversum, ut ratione illius schisma sit in Ecclesia, ad quod tollendum necesse sit de indubitato Capite, per Concilium Generale provideri. Et iste fuit finis Concilii Constantiensis ideò convocati, quia tres diversi tunc se gerebant pro legitimo Ecclesiæ Capite, & Benedictus XIII. pro vero Pontifice tunc adhuc haberi volebat.

711 Siquis adhuc instet ex sess. 40. in qua eligendo Pontifici lex præscripta fuit, quòd cum hoc sacro Concilio, vel deputandis per singulas nationes, debeat reformare Ecclesiam; determinati etiam fuerunt reformationis articuli, quorum unus S. Sedis authoritatem concernebat: *propter quæ, & quomodò Papa posset corrigi & deponi.*

Respondeo id sessione illâ non præscriptum per modum humanæ legis, ad cujus observantiam Papa legitimè electus & indubitatus teneretur vi istius legis, tamquam illi subjectus, sed per modum rationabilis suggestionis, quam sequeretur ex discretione sua, imò sequi deberet ex vi legis naturalis, in iis quæ necessaria essent pro bono Ecclesiæ. Et sic, non aliter, præscriptum illud Martinus V. executus est. Quia mox ut electus fuit, facto ostendens, se articulis illis non teneri ex vi legis istius humanæ, ex octodecim articulis determinatis pro reformatione facienda, duodecim tacitus præterivit, ne præjudicium faceret authoritati Sedis Apostolicæ, quam plerique eorum immediatè concernebant; nec eorum observantiam Patres ulteriùs urgere ausi sunt; solùmque sex reliquos (eam non concernentes) ex sua discretione fuit executus, quia utiles, imò necessarios censuit pro bono Ecclesiæ; per solamque eorum resolutionem, seu executionem, Concilii Patres sess. 43. dicto decreto plenè satisfactum declaraverunt.

712 Hinc etiam licèt sess. 39. idem Concilium statuisset, quòd deinceps quilibet in Romanum Pontificem eligendus, antequam sua electio publicaretur, coram suis electoribus publicè confessionem & professionem fidei faceret. Non legitur tamen Martinum V. (nonnisi post unicam intermediam sessionem electum) professionem illam fecisse.

713 Denique, ut isti quæstioni finem faciamus, quid est quòd istius Concilii Patribus curæ non fuit, ut Papa electus juraret in veritatem decretorum sessionis 4. & 5. (in istam proinde, *quòd Papa subest Concilio*) si istam fidei veritatem censuerunt? Summi momenti erat, ut id facerent, & ad id successores quoque obligarent. Sic enim schisma, tam Basileæ, quam posteà Pisis inductum, totque alia ingentia scandala, turbas, & animarum pericula à radice succidissent. Quid est ergo quòd tantum Ecclesiæ bonum, in circumstantiis id tam vehementer exigentibus, non procurarunt, nisi quia satis ipsi cognoverunt, decreta illa sess. 4. & 5. non transisse in rem sufficienter, & authoritate irrefragabili judicatam; imò vim nullam habitura, nisi à Pontifice eligendo, jamque legitimè electo confirmarentur? Quæ profectò à Martino V. confirmata non fuisse, manifestum videtur ex eo quòd in eodem Concilio, nemine refragante, suspectos de Wicleffismo interrogari jusserit: *Utrùm credant, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, sit successor B. Petri, habens supremam potestatem in Ecclesia Dei?* Quomodò enim supremam, si supra habeat superiorem, Concilii scilicet Generalis authoritatem?

714 Pro coronide solùm addo, nos suprà non asseruisse, Concilium Constantiense in primis sessionibus non ideò non fuisse Generale, quia omnes Christiani Orbis Episcopi ei non interfuerunt; sed quia nec unum proferri potest Generale Concilium, quod divisâ Ecclesiâ, & in tres obedientias discissâ, Generale habitum fuerit ex præsentia unius dumtaxat obedientiæ, aliis duabus de Papatu contendentibus, cum suis obedientiis, indictionem Concilii, à solo Capite unius obedientiæ factam, velut illegitimam rejicientibus? Hîc Adversariis hæret aqua.

LIBER TERTIUS.

AMOR SPERANS.

SPes ex amore nascitur. Ideò namque vitam æternam cum fiducia expectamus: quia amamus, & desideramus. Et quidni desiderent omnes? Si amatur vita, quare non quæritur vita? Si amatur vita, talis quæratur, quæ nunquam finiatur. Talis quæratur, de qua Isa. 51. *Gaudium, & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Talis quæratur, per quam omne hominis desiderium satietur. Satiabitur, dum oculo ad oculum videbimus, amabimus, & laudabimus Deum in æternum. In Dei proinde possessione vita æterna consistit, qui replet in bonis desiderium nostrum, & in quo solo requiescere potest cor nostrum. Tanti boni possessionem Christianus fiducialiter expectans, per medias cruces in via mandatorum Dei suaviter currit. Quia fidelem animam spes Christiana nutrit, fovet, lætificat, excitat ad crucem cum Christo perferendam, viamque mandatorum tantò alacriùs decurrendam, quantò ampliora promittit, qui in promittendo nunquam fallit. Ideò *bonum facientes*, in medio tribulationum *non deficiamus: tempore enim suo metemus...* Galat. 6. *Scientes quòd labor noster non est inanis in Domino.* 1. Cor. 15.

CAPUT I.

Spei theologicæ definitio, & objectum.

1 SPes est virtus theologica, per quam certa cum fiducia, nostræ salutis & æternæ vitæ bona per divinum auxilium consequenda expectamus. Nascitur ex desiderio, quo bona illa, seu eorum possessionem nobis desideramus. Ut enim S. Thomas ait 1. 2. q. 40. a. 8. *In quantum spes respicit bonum speratum, spes ex amore causatur. Non enim est spes, nisi de bono desiderato & amato.* Spes proinde formaliter non est amor vitam æternam desiderans, sed amorem istum præsupponit.

2 In objecto spei S. Thomas ibidem a. 1. quatuor conditiones requirit. *Primò, quòd sit bonum. Non enim propriè loquendo est spes, nisi de bono.... Secundò, ut sit futurum*, saltem probabiliter: *non enim est spes de præsenti jam habito. Quia quod videt quis, quid sperat?* Rom. 8. Nec speramus quod ne probabiliter quidem futurum est, sed desperamus. Nihil tamen vetat, bonum speratum certò esse futurum. Intuitivam namque Dei visionem sibi certò futuram sperant animæ in Purgatorio, speraveruntque SS. Patres in Lymbo. *Tertiò requiritur, quòd sit aliquid arduum*, id est *cum difficultate adipiscibile. Non enim quis dicitur aliquid sperare minimum, quod statim est in sua potestate ut habeat*; sicut nemo timere dicitur malum, quod facilè vitare potest. *Quartò, quòd illud arduum sit possibile adipisci.* Quia nemo sperat id quod adipisci nullo modo potest, cùm spes nascatur ex desiderio efficaci rei expectatæ. Desiderium verò efficax non fertur ad impossibile.

Spei itaque theologicæ objectum mate- 3
riale primarium esse beatitudinem æternam, sequitur ex allata spei definitione. Siquidem illud est primarium objectum materiale spei nostræ, quod primariò certa cum fiducia per Dei auxilium expectamus. Primariò verò expectamus beatitudinem æternam. Media verò, per quæ beatitudinem consequi speramus, ad objectum spei secundarium pertinent.

Objectum formale spei theologicæ esse 4
Deum ut summum bonum finemque ultimum nostrum, illi dicunt, qui censent spem esse effectum desiderii, quo Deum nobis ut summum bonum, ultimum finem, æternamque beatitudinem nostram desideramus. Sed cùm ex dictis n. 1. desiderium istud præsupponatur ad spem, in eo proinde spes formaliter non consistat, sed in certa fiducia, quâ Deum ut summum bonum nostrum expectamus: propterea dicendum, illud esse objectum formale spei nostræ, quo movemur, excitamurque ad Deum ut summum bonum, supremamque felicitatem nostram certa cum fiducia expectandam. Istud verò est auxiliatrix Dei omnipotentia, misericordia, in promissis fidelitas, & merita Salvatoris. Quia ideò certa cum fiducia æternam beatitudinem, seu summi boni nostri possessionem expectamus, quia Deus in promissis fidelis, eam promisit servantibus mandata perseveranter usque ad mortem; mandata verò perseveranter servare speramus, innixi auxilio gratiæ Dei, effectum infallibilem habente ex omnipotenti Dei virtute; quod auxilium nos consecuturos speramus per infinitam Dei misericordiam, meritaque Salvatoris. Per consequens tria sunt prima- 5
ria spei christianæ fundamenta. Primum est omnipotentia Dei, quâ fit ut Deo volenti salvum facere, nullum hominis resistat arbitrium: *Cor* enim *Regis in manu Domini, quo-*

cumque voluerit vertet illud. Prov. 21. Secundum est infinita Dei misericordia, secundùm illud Psal. 12. *Ego autem in misericordia tua speravi.* Et Psal. 17. *Deus meus adjutor meus, & sperabo in eum.* Unde Augustinus l. 2. Confess. c. 29. *Tota spes mea, nonnisi magna misericordia tua.* Tertium, sunt merita Christi, per quæ auxilium gratiæ expectamus à divina misericordia : utpote per quam omnis gratia, quæ in hoc statu confertur, propter merita Christi confertur. *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4. Unde nec justificamur, nisi *per redemptionem quæ est in Christo.* Rom. 3. Nihilque à Deo Ecclesia petit, nisi *per Christum Dominum nostrum.* Per Christum proinde petenda sperandaque est vera conversio, peccatorum remissio, perseverantia, beatitudo æterna.

6 Si ista sint tria primaria spei nostræ fundamenta, in solo Deo principaliter ponere nos oportet spem salutis nostræ, non in nobis, juxta illud : *In manibus tuis sortes meæ.* Item : *Perditio tua, Israël, tantummodò in me auxilium tuum.* Et iterùm : *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui cujus vult miseretur, & quem vult indurat,* quem vult salvat & vivificat. Nec ideò oportet nos desperare, quia in solo Deo spem jubemur collocare. Quia, ut Augustinus de prædest. Sanct. cap. 11. ait : *Sapientes non sunt, qui infirmitati suæ malunt se committere, quàm firmitati promissionis Dei. Sed ignota est mihi, inquis, de meipso voluntas Dei. Quid ergo ? Tuane tibi de teipso voluntas certa est, nec times ? Qui videtur stare, videat ne cadat. Cùm igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori quàm infirmiori fidem suam, spem charitatemque committit ?* Et c. 22. *Absit à vobis ideò desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis homo, qui spem habet in homine. Et bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine : quia beati omnes qui confidunt in eum.* Dicat ergo Christianus homo : Si in manibus hominis infirmi, inconstantis & ad malum proni foret salus & sors mea, de salute causa foret desperandi ; sed ex quo *in manibus tuis sortes meæ,* Deus meus, ideò causa est sperandi, quia firmum est spei fundamentum, ut infrà c. 3.

CAPUT II.

Spei à charitate discrimen.

7 Fidem, spem, & charitatem, tres esse virtutes, ab invicem distinctas, scimus ex Apostolo, dicente : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas.* Constatque ex distinctis earum definitionibus ; speique à fide & charitate discrimen manifestum est ex eo quòd nec fides nec charitas sit *fiducia expectans,* &c. Tota difficultas est de amore, ex quo spes nascitur, uti diximus n. 1. De amore (inquam) quo desideramus Deum, quatenùs summum bonum, & ultimum finem nostrum, in quo licèt spes formaliter non consistat, ipsum tamen præsupponit ; unde & à nonnullis *spei amor* dicitur ; in eo tamen adhuc ab amore charitatis distinctus, quòd amoris charitatis objectum esse non debeat absens, uti objectum amoris desiderantis possessionem Dei, propter quod amor iste Deo possesso excidit ; sed *charitas nunquam excidit,* uti rursum Apostolus dicit.

Mystici ergo quidam, & cum ipsis Quie- 8
tistæ, atque Scholastici non pauci, omnem amorem Dei, quatenùs summi boni, & ultimi finis nostri, vocant amorem spei, minùs perfectum (ut ipsi putant) amore Dei, quatenùs in se absolutè summè boni & perfecti, quem solùm vocant amorem charitatis. Quippe existimant, amoris perfectioni obesse, quòd Deus diligatur cum aliquo ad nos respectu, summi utique boni nostri, & finis nostri ultimi. Ideòque perfectionem amoris in eo collocant, quòd eo Deus diligatur præcisè ut in se est summè bonus & perfectus, absque ullo ad nos respectu.

Verùm econtrà dicendum, quòd amor 9
quo Deus sic amatur propter se, velut summum bonum nostrum, finisque noster ultimus, ut felicitatem suam, ultimamque suam perfectionem creatura rationalis non quærat nisi in Deo, Deique cognitione & amore, esse verum amorem charitatis, quatenùs hæc definitur, *virtus, quâ Deus propter se diligitur, & proximus propter Deum* ; verum (inquam) amorem filialem, non mercenarium ; purum, non impurum ; perfectum, non imperfectum ; gratuitum, non interessatum.

Ista est assertio Sanctorum infrà referen- 10
dorum, necessariò tenenda ad Quietismum, & Semiquietismum à fundamentis convellendum, nec parum utilis ad conciliandos Theologos, super divini amoris necessitate ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ : cùm (exceptis paucis rigidis Molinistis) cæteri ferè conveniant, saltem amorem spei, sive Dei, quatenùs summi boni, & ultimi finis nostri, ad eam necessarium esse, qui si gratuitus sit, verusque amor charitatis, saltem generaliter dictæ, in re conveniunt cum Augustini, & Aquinatis discipulis ; sicut & illi qui dolorem de peccatis ex timore inferni ad dictam justificationem sufficere volunt, dummodò inferni timorem accipiant pro timore æternæ amissionis Dei, sive beatificæ cognitionis, amorisque ipsius, tamquam summi boni nostri : cùm timor iste servilis non sit, sed filialis, veræque charitatis effectus. In re proinde (suppositâ assertionis nostræ veritate) non habent minùs rigidi Molinistæ unde turbentur ex requisi-

to

to ab Augustini discipulis ad justificationem amore charitatis generaliter dictæ : utpote necessitatem amoris spei non diffitentes, sed solius charitatis specialiter acceptæ pro amore Dei, ut in se absolutè boni, sine ullo ad nos respectu. Sit itaque

§. I.

Argumenta pro assertione ex Scripturâ.

11 PRobatur ergo assertio 1°. ex verbis, quibus primum, maximumque mandatum exprimitur Matth. 22. v. 37. 38. 39. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Quo mandato, charitatis præcipi dilectionem, extra dubium est; eodemque præcipi dilectionem perfectam, imò perfectissimam, Salvator innuit, dum in isto mandato, & altero de dilectione proximi, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, universam pendere legem & Prophetas asserit; pendere proinde legis plenitudinem atque perfectionem. Dilectio tamen illa Dei non præcipitur absque respectu Dei ad creaturas, imò cum eo respectu : utpote quem significant verba ista, *Dominum Deum tuum*, quasi dicat, *quia ipse est Dominus Deus tuus.* Ideò utique Dominus tuus, quia Creator tuus. Ideò Deus tuus, quia primum principium tuum, & ultimus finis tuus, benefactor tuus, pater tuus, & omne bonum tuum. Unde Augustinus epist. 52. ad Macedonium dicit, præceptum diligendi seipsum, includi in primo illo, maximoque mandato, quo jubemur diligere Deum. Quod non esset verum, si Dei ex charitate dilectio foret absque ullo ad nos respectu. Sic enim ad Deum solum, ut in se est præcisè, nullo modo ad nos terminaretur. Ut enim Dei dilectio, primo mandata præcepto, nostri sit dilectio, necesse est ut sit dilectio Dei, tamquam summi boni nostri, ut eâ diligens Deum, diligere censeatur seipsum. Verè enim seipsum amat, qui summum bonum suum amat, sibique optat, & procurat : cùm se amare, sibi sit bonum velle, & procurare. Et ideò Augustinus de morib. Eccles. c. 26. *Fieri non potest, ut seipsum, qui Deum diligit, non diligat..... Siquidem ille se satis diligit, qui sedulò agit, ut summo & vero perfruatur bono* (ipsum cognoscendo & amando) *quod si nihil aliud est, quàm Deus... quis cunctari potest, quin sese amet, qui amator est Dei?* Et hinc proximum sicut seipsum amare, est proximo, sicut sibiipsi, summi boni possessionem optare, & pro posse procurare. Cùm igitur in dilectione Dei, sui, & proximi, tota legis perfectio & plenitudo consistat, desiderium istud charitatis perfectioni non officit, imò ad eam necessarium est.

12 Secundò probatur ex Matth. 6. *Quærite primùm regnum Dei.* Quod profectò Christus *primùm*, seu principaliter quærere, adeòque amare non juberet, (*amore* namque *quæritur, amore invenitur, amore possidetur*, inquit Augustinus) si amor iste imperfectus esset, seu minùs perfectus amore Dei, secundùm perfectiones suas absolutas considerati : neque enim Magister perfectionis *primùm*, seu principaliter quærere, & amare juberet minùs, sed magis perfectum.

Tertiò in Oratione Dominica rursus à 13
Christo jubemur petere, & orare, *adveniat regnum tuum.* Vel ergo Dominica Oratio ista à perfectioribus fieri non debet (ut impius Molinos dicere est ausus) vel ipsimet perfectiores aspirare debent ad acquisitionem regni cælestis. Siquidem per istam Orationem petimus, ut Deus in nobis perfectè regnet, nosque sibi perfectè subjiciat; quod quia non fiet, nisi in regno cælesti, *desiderium nostrum* (inquit Cyprianus de Orat. Domin.) *ad illud regnum excitamus, ut nobis veniat, atque in eo regnare mereamur. Non sic dicimus* (ait Augustinus serm. 57. de diverf.) *veniat regnum tuum, quasi optemus ut regnet Deus, sed hoc est quod cogitamus, & rogamus ut nobis veniat.*

Quartò, ab exemplis eorum, quos nobis 14
divina Scriptura proponit velut perfectos Dei amatores, Abraham scilicet, Moysis, Davidis, & Apostoli Pauli; quos nihilominùs eadem Scriptura nobis repræsentat velut aspirantes ad beatitudinem. Siquidem perfectâ sine dubio dilectione Abraham dilexit Deum, dum, obediens Deo, exivit de terra sua, & de cognatione sua, & ivit in terram sibi divinitùs monstratam; licèt dilectio ista absque spe non fuerit : *expectabat enim fundamenta habentem civitatem : cujus artifex, & conditor Deus.* Hebr. 11. Similiter Moyses, *dum grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi*; tametsi illa Moysis ad Deum dilectio non fuerit absque ullo ad se respectu : *aspiciebat enim in remunerationem.* Ibidem. In David quoque perfecta fuit Dei dilectio (*de omni* enim *corde suo laudavit Dominum, & dilexit Deum.* Eccli. 47. 10.) ad eam tamen se excitavit ex eo quòd Deum sibi proponeret, velut summum bonum suum. Psalm. 72. *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Et Psalm. 83. *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Psalm. 26. *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Psal. 41. *Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Psalm. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.* De Apostolo quid dicam? *Nos autem*

primitias spiritûs habentes (ait Rom. 8.) *& ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes.* Hebr. 13. *Non habemus hîc civitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* Sed & morti proximus, perfectâque tunc maximè charitate inflammatus, mercedem æternam, velut *coronam justitiæ* intuebatur. 2. Timoth. 4. 8. Primos quoque Christianos, quorum perfecta erat charitas, ad malorum tolerantiam æterni præmii consideratione excitavit in epistolis suis.

15 Quintò, si perfectioni charitatis obesset consideratio regni cælestis, ad octo beatitudines, Christianæ virtutis perfectionem continentes, regni cælestis promissione discipulos suos Christus hortatus non fuisset, utique ad paupertatem spiritûs, & gaudium in tribulationibus persecutionibusque: *quoniam* (inquit) *merces vestra copiosa est in cælis.* Matth. 5.

§. II.

Argumenta ex Patribus.

16 SExtò probatur ex perspicuis Augustini testimoniis to. 1. l. 6. c. 3. n. 29. 30. & 31. exhibitis. Quibus addo quod ait l. 2. de doctr. Christ. c. 22. *Tunc est optimus homo, cùm totâ suâ vitâ pergit ad incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi.* Et tr. 9. in Joan. ad illa verba 1. Joan. 4. *In hoc perfecta est charitas, ut fiduciam habeamus in die judicii. Quid est fiduciam habere in die judicii? Non timere ne veniat, sed desiderare ut veniat dies judicii ..... Qui timet adhuc, nondum habet fiduciam in die judicii, nondum est in illo perfecta charitas ..... Cæterùm timendo corrigat se, vigilet adversus hostes suos, id est adversus peccata sua, incipiet revivescere interiùs, & mortificare membra sua quæ sunt super terram ..... Quantùm mortificat ..... membra sua super terram, tantùm surgunt & corroborantur membra cælestia ..... Surgentibus cælestibus membris, incipit desiderare quod timebat ..... Cùm cœperit desiderare venientem Christum casta anima, qua desiderat amplexus Sponsi, renuntiat adultero, fit virgo interiùs ipsâ fide, spe, & charitate. Habet jam fiduciam in die judicii ..... Et dicit, adveniat regnum tuum ..... Orat cum fiducia charitatis* (perfectæ, ut suprà) *optat jam ut veniat. Hoc desiderio inflammatus David aiebat: Et tu Domine usquequò .... Gemebat se differri .... Et Apostolus .... Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Et rursùm: *Sunt quidam perfecti, qui cum patientia vivunt .... Qui desiderat, sicut dicit Apostolus, dissolvi, & esse cum Christo, patienter vivit, & delectabiliter moritur. Vide Apostolum patienter viventem, id est cum patientia tolerare vitam, non amare: dissolvi, inquit, & esse cum Christo, multò magis optimum .... Ergo, Fratres, date operam, intùs agite vobiscum, ut desideretis diem judicii. Aliter non probatur perfecta charitas, nisi cùm cœperit dies ille desiderari.* Igitur perfecta charitas, secundùm Augustinum (in Apostolis Joanne & Paulo fundatum) desiderat & optat ut nobis veniat dies judicii, dies cælestis regni, &c.

Augustini testimoniis eodem l. 6. c. 2. 17
n. 18 & 19. adjecimus testimonia Bernardi, qui insuper serm. 25. de diverss. *Hæc* (inquit) *sunt toto affectu & omni tempore postulanda; hæc sunt pro quibus incessanter, & quàm obnixè poterunt, ad Deum clament desideria tua, ut habeas gratiam ejus bonam, & placere possis in oculis pietatis ipsius, & in eo vivas, & moriaris in ipso, ut gloriam ejus videre, & ipso frui in perpetuum merearis. Unde & Propheta:* " Exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. " *Et alibi* " Unam petii à Domino, hanc requiram, &c. "

Et n. 33. habes testimonium Hugonis 18
de S. Victore, stultos eos vocantis, qui putant filiali gratuitoque amore non diligi Deum ab iis qui Deum diligunt, ipsique serviunt propter ipsum, tamquam dilectionis servitiique mercedem: *Hoc dicunt* (inquit) *stulti quidam, & tam stulti, ut seipsos non intelligant.* Vide loco citato.

Ibi etiam habes testimonium S. Francisci 19
Salesii l. 2. de amore Dei c. 17. dicentis, amorem spei esse quidem amorem *concupiscentiæ*, sed *sanctæ & benè ordinatæ, per quam non trahimus Deum finaliter ad nos, neque ad nostra commoda, sed ipsi nos jungimus, tamquam finali nostræ felicitati*, ita ut nostri quidem amor, nostraque utilitas in eo interveniat, sed in eo Deus *teneat locum primum & principalem.* Et infrà: *Cùm Deum amamus tamquam supremum bonum nostrum, non referimus Deum ad nos, sed nos ad ipsum; nec finis sumus perfectioque Dei, sed ipse finis noster, perfectioque nostra ..... Sicque Deus suam erga nos affluentiam exercet & bonitatem; nos autem nostram indigentiam exercemus & inopiam.* Denique quòd *sic amare Deum, tamquam summum bonum nostrum, ipsum amare est titulo honorabili & venerando, velut perfectionem nostram, quietem & finem, in cujus possessione felicitas nostra consistit.* Verùm 20
licèt verba ista admodùm favorabilia sint assertioni nostræ; ingenuè tamen fateor, Salesium, sicut in aliis nonnullis, ita & hoc in puncto, Scholasticorum sui temporis principiis (à quibus edoctus fuit) præventum, à S. Augustino aliisque Patribus suprà relatis recessisse, dum post præmissa subjunxit, quòd *iste Dei amor supremus non sit & perfectus.* Sed quomodò non supremus, cùm eo Deus *supremè* ametur, ut fatetur ibidem? Pro ratione quidem dicit, quòd ideò *spei amor imperfectus sit, quòd in bonitatem infinitam non tendat ut in se talis est, sed ut talis est nobis.* Verùm ista Scholasticorum ratio non subsistit, quia quisquis Deum, ut summum

mum bonum ſuum, ſupremamque felicitatem ſuam diligit, Deum ut in ſe ſummè bonus & perfectus eſt reverà diligit, ſaltem implicitè. Neque enim nos beatificare, ultimò perficere, omneque deſiderium noſtrum ſatiare poſſet, niſi in ſe ſummè bonus & perfectus eſſet; nec ultimam nobis felicitatem perfectionemque communicare poſſet, niſi in ſe haberet. Conſideratio proinde Dei, quatenùs ſummi boni noſtri, alterius non eſt ſpeciei vel perfectionis, quàm conſideratio Dei ut ſummè in ſe boni; ſed ejuſdem ſpeciei & perfectionis, utpote ipſam includens. Mira proinde eſſentialiſque eſt relatio convenientiæ, Deum inter & hominem, in ratione communicativi & receptivi, perfectivi perfectibiliſque. Quemadmodùm enim Deus ſummè eſt perfectus, ſummeque perfectivus hominis; ſic homo ſummè eſt imperfectus, & ſummè perfectibilis, nec ſummè perfici poteſt, niſi à Deo, ſeu divina bonitate, cujus ſicut ſumma eſt affluentia, ſummaque inclinatio ad ſe communicandum; ſic hominis infinita eſt indigentia, infinitaque capacitas ad recipiendum, prout Saleſius eleganter oſtendit l. 1. de amore Dei c. 15.

§. III.

Septimum argumentum ex propoſitionibus contra Quietiſtas & Semiquietiſtas ab Innocentio XI. & Innocentio XII. damnatis.

21 QUietiſtis, Semiquietiſtiſque adeò perſuaſum eſt, amorem Dei, tamquam ſummi boni noſtri, imperfectum, impurum, mercenariumque eſſe, ut puritati perfectionique amoris officere putent, quòd etiam partialiter ſit ex motivo utilitatis noſtræ, etiamſi motivum iſtud minùs principale ſit, ſubordinatumque motivo divinæ gloriæ, tamquam principali.

22 Quod abſurdum profectò eſt: cùm utilitas noſtra, ad Dei gloriam relata, eique ſubordinata, perfectè ſit ſecundùm Dei ordinationem. Prorſus enim vult præcipitque Deus, ut nos propter ipſum, & propter gloriam ipſius diligamus. Eſt autem perabſurdum dicere, quòd impurus imperfectuſque ſit amor, qui prorſus eſt ſecundùm ordinationem Dei, & ſecundùm ordinem amoris à Deo inſtitutum & præceptum.

23 Nec tamen illum noſtri amorem, amori Dei propter ſe ſubordinatum, ipſi vocant amorem ſpei, ſed charitatis; non puræ, ſed mixtæ. Quem à ſpei amore in eo quidam diſtinguunt, quòd in ſpei amore proprium intereſſe dominetur ſupra intereſſe Dei. Dicit enim quiſpiam ex ipſis, quòd juſta nondum ſit anima, quamdiù non amat niſi amore ſpei, in quo intereſſe proprium dominatur ſuper intereſſe Dei: *Tandis que nous n'avons encore qu'un amour d'eſperance, où l'interêt propre domine ſur l'interêt de la gloire de Dieu, une ame n'eſt point encore juſte.* Quæ ſanè propoſitio prorſus aliena eſt à veritate, ſicut & à doctrina Saleſii, n. 19. laudata. Enimverò ſi amor proprii intereſſe in amore ſpei dominetur ſupra intereſſe divinæ gloriæ, amans Deum amore ſpei, plus amat intereſſe proprium, quàm intereſſe Dei; plus proinde ſeipſum, & creaturam, quàm Deum. Quod prorſus eſt inordinatum, impium, Deo injurioſum, & contra primum, maximumque mandatum diligendi Deum ex toto corde, &c.

Nec in iſtud dumtaxat præcipitium Quie- 24
tiſtarum ducunt principia, ſed & in iſtud aliud, quòd perfectio divini amoris à nobis exigat tantam indifferentiam, circa beatitudinem damnationemque noſtram, ut oporteat nos animo ſic conſtitutos eſſe, ut nobis perinde ſit, ſive ſalvandi ſimus, ſive damnandi, dummodò adimpleatur voluntas Dei. Quod ſi verum eſſet, conſequens foret, quòd à nobis eam pariter exigeret indifferentiam, ut nobis perinde foret, ſive virtuosè, ſive criminosè, ſive chriſtianè, ſive gentiliter viveremus, dummodò in nobis adimpleretur voluntas Dei, quæ profectò ſemper adimpletur, quidquid nobis acciderit: quia ſemper equidem Deus æquè ſanctus eſt in ſe; & ſi in nobis non glorificetur per miſericordiam, glorificatur per juſtitiam, & in noſtra derelictione, ab aliis, quos elegerit, glorificabitur per ſempiternam eorum gloriam. Conſequens etiam foret, quòd divini amoris perfectio à nobis exigeret, ut etiam indifferentes eſſemus circa beatitudinem damnationemque, ſicut & circa vitam bonam & malam proximi. Quæ omnia prorſus aliena ſunt à divinis eloquiis, quibus ſanctificare jubemur nomen Dei, velleque, & quantum in nobis eſt, procurare, tam noſtram, quàm proximorum ſalutem, & vitam chriſtianam, per quam crimina vitentur, tam in hoc ſæculo, quàm in tota æternitate, in qua Deus à damnatis in æternum odio habebitur, & blaſphemabitur.

Eſtque aliunde periculoſa indifferentia il- 25
la, tum quia homines efficit ſegnes, parumque ſollicitos ad benè vivendum, & ad tolerantiam paſſionum tribulationumque. Tum quia eoſdem efficit præſumptuoſos, dum illi qui eam ſeſe habere putant, facilè ſibi perſuadent, ſe eminenter perfectos eſſe, cùm non ſint. Neque enim in ea perfectionem collocant divinæ Scripturæ, nec SS. Patres, neque indifferentiam illam extra imaginationem reverà habent, qui ſeſe habere putant (cùm omnes neceſſariò velint eſſe beati) & ut eam habeant, nihil propterea laudabile habent: cùm nihil boni ſit in illa indifferentia, nihil non contrarium monitis, præceptis, & exemplis Sanctorum, ut ſuprà vidimus.

26 Meritò proinde Innocentius XI. in Bulla *cæleſtis Paſtor* ſequentes damnavit propoſitiones Michaëlis de Molinos. XI. „ Qui „ ſuum liberum arbitrium Deo donavit, de „ nulla re debet curam habere, nec de infer- „ no, nec de Paradiſo, nec debet deſiderium „ habere propriæ perfectionis, nec virtutum, „ nec propriæ ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, „ cujus ſpem purgare debet.

„ XIII. Reſignato Deo libero arbitrio, ei- „ dem Deo relinquenda eſt cogitatio & cura „ de omni re noſtra, & relinquere ut faciat in „ nobis ſine nobis ſuam divinam voluntatem.

„ XIV. Qui divinæ voluntati reſignatus eſt, „ non convenit, ut à Deo rem aliquam petat: „ quia petere eſt imperfectio: cùm ſit actus „ propriæ voluntatis & electionis, & eſt vel- „ le quòd divina voluntas noſtræ conforme- „ tur, & non quòd noſtra divinæ. Et illud „ Evangelii, *petite, & accipietis*, non eſt dictum „ pro animabus internis, quæ nolunt habere „ voluntatem. Imò hujuſmodi animæ eò per- „ veniunt, ut non poſſint à Deo rem aliquam „ petere.

„ XV. Sicut non debent à Deo rem ali- „ quam petere; ita nec illi ob rem aliquam „ gratias agere debent: quia utrumque eſt „ actus propriæ voluntatis.

„ XVI. Non convenit Indulgentias quæ- „ rere pro pœna propriis peccatis debita: quia „ melius eſt divinæ juſtitiæ ſatisfacere, quàm „ divinam miſericordiam quærere: quoniam „ illud ex puro Dei amore procedit; & iſtud „ ab amore noſtri intereſſato; nec eſt res Deo „ grata, nec meritoria: quia eſt velle crucem „ fugere.

27 Meritò quoque Innocentius XII. in Decreto quod incipit, *cùm alias*, ſequentes damnavit: I. „ Datur habitualis ſtatus amoris „ Dei, qui eſt charitas pura, & ſine ulla admix- „ tione motivi proprii intereſſe. Neque timor „ pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent ampliùs in eo partem. Non „ amatur ampliùs Deus propter meritum, ne- „ que propter perfectionem, neque propter „ felicitatem in eo amando inveniendam.

„ II. In ſtatu vitæ contemplativæ, ſeu uni- „ tivæ, amittitur omne motivum intereſſatum „ timoris & ſpei.

„ IV. In ſtatu ſanctæ indifferentiæ anima „ non habet ampliùs deſideria voluntaria, & „ deliberata, propter ſuum intereſſe, exceptis „ occaſionibus, in quibus toti ſuæ gratiæ fi- „ deliter non cooperatur.

„ V. In eodem ſtatu nihil nobis, omnia „ Deo volumus. Nihil volumus ut ſimus „ perfecti & beati propter intereſſe proprium; „ ſed omnem perfectionem ac beatitudinem „ volumus in quantum Deo placet efficere ut „ velimus res iſtas impreſſione ſuæ gratiæ.

„ VI. In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu no- „ lumus ampliùs ſalutem, ut ſalutem pro- „ priam, ut liberationem æternam, ut mer- „ cedem noſtrorum meritorum, ut noſtrum intereſſe omnium maximum; ſed eam volu- « mus voluntate plenâ ut gloriam & benepla- « citum Dei, ut rem quam ipſe vult, & « quam nos vult velle propter ipſum. «

VII. Abnegatio, ſeu ſuiipſius renuntia- « tio, quam Jeſus Chriſtus à nobis in Evan- « gelio requirit .... non eſt niſi quoad inter- « eſſe proprium ..... extremæ probationes, « in quibus hominis abnegatio ..... exerceri « debet, ſunt tentationes, quibus Deus æmu- « lator vult purgare amorem, nullum ei oſten- « dendo perfugium, neque ullam ſpem quoad « ſuum intereſſe proprium, etiam æternum. «

VIII. Omnia ſacrificia, quæ fieri ſolent « ab animabus quàm maximè diſintereſſatis « circa earum æternam beatitudinem, ſunt « conditionalia ..... Sed hoc ſacrificium non « poteſt eſſe abſolutum in ſtatu ordinario. In « uno extremarum probationum caſu hoc ſa- « crificium fit aliquo modo abſolutum. «

IX. In extremis probationibus poteſt a- « nimæ invincibiliter perſuaſum eſſe, perſua- « ſione reflexâ, & quæ non eſt intimus ani- « mæ fundus, ſe juſtè reprobatam eſſe à Deo. «

X. Tunc anima diviſa à ſemetipſa expi- « rat cum Chriſto in Cruce dicens: *Deus meus*, « *Deus meus, ut quid dereliquiſti me!* In hac « involuntaria impreſſione deſperationis con- « ficit ſacrificium abſolutum ſui intereſſe pro- « prii quoad æternitatem. «

XI. In hoc ſtatu anima amittit omnem « ſpem proprii intereſſe, ſed nunquam amit- « tit in parte ſuperiori, id eſt in ſuis actibus « directis & intimis, ſpem perfectam, quæ eſt « deſiderium diſintereſſatum promiſſionum. «

XII. Director tunc poteſt huic animæ « permittere ut ſimpliciter acquieſcat jacturæ « ſui proprii intereſſe, & juſtæ condemnatio- « ni, quam à Deo ſibi indictam credit. «

XVIII. In ſtatu paſſivo ..... exercentur « omnes virtutes diſtinctæ, non cognoſcendo « quòd ſint virtutes. In quolibet momento « aliud non cogitatur, quàm facere id quod « Deus vult, & amor zelotypus ſimul efficit, « ne quis ampliùs ſibi virtutem velit, nec un- « quam adeò ſit virtute præditus, quàm cùm « virtuti ampliùs affixus non eſt. «

XIX. Poteſt dici in hoc ſenſu quòd ani- « ma paſſiva & diſintereſſata nec ipſum amo- « rem vult ampliùs, quatenùs eſt ſua perfe- « ctio, & ſua felicitas; ſed ſolùm quatenùs « eſt id quod Deus à nobis vult. «

XX. In confitendo debent animæ tranſ- « formatæ ſua peccata deteſtari, & condem- « nare ſe, & deſiderare remiſſionem peccato- « rum ſuorum, non ut propriam purificatio- « nem & liberationem, ſed ut rem, quam « Deus vult, & vult nos velle propter ſuam « gloriam. «

28 Ex propoſitionum illarum damnatione perſpicuè innoteſcit, Quietiſtas & Semiquietiſtas, ſicut & Scholaſticos eorum ſequaces, falſam ſibi idæam præformaſſe de puro, perfecto, & diſintereſſato Dei amore, deque

proprio interesse charitati (quæ non quærit quæ sua sunt) oppositio, quasi divinus amor, ut purus sit, perfectus & disinteressatus, prorsus expers esse debeat desiderii propriæ felicitatis ac perfectionis, solasque perfectiones Dei absolutas, solam Dei ut in se absolutè est gloriam, velut motivum intueri, absque ullo ad felicitatem & perfectionem nostram respectu. Cujusmodi amorem, seu amoris statum non dari, sequitur ex damnatis ab Innocentio XII. propositionibus I. II. IV. V. & VI. necnon XI. XII. XIII. XIV. XV. & XVI. damnatis ab Innocentio XI. Enimverò falsa illa idæa principium est, seu fundamentum super quo Quietistæ & Semiquietistæ præteniam illam indifferentiam superædificarunt, quam, secundùm damnatas illas propositiones, anima habere debet pro omni omninò re, etiam pro actibus virtutum, etiam pro actibus fidei explicitæ, imò pro æterna etiam salute sua & damnatione. Quâ indifferentiâ semel stabilitâ preces omnes, seu postulationes, salutisque & propriæ perfectionis desideria suppressa esse voluerunt, etiam gratiarum actiones pro acceptis beneficiis, aliosque ejusmodi errores non paucos velut veritates tradiderunt. Ex eorum proinde damnatione satis innotescit vera non esse, quæ tradunt de puritate perfectioneque divini amoris, quasi purus perfectusque non sit, si eo Deus non ametur ut in se summè bonus est præcisè, sive secundùm perfectiones suas absolutas, sine ullo ad nos respectu, sed ut summum est bonum, summaque perfectio ac beatitudo nostra.

§. IV.

Argumenta alia, à ratione theologica.

29 NOn multiplici dumtaxat authoritate probatur assertio nostra, sed & multiplici ratione theologicâ. Triplicem hîc subjicio.

Prima est, quia si amor Dei purus & perfectus unicè ferri deberet in Deum, ut in se absolutè bonum & perfectum, absque ullo ad nos respectu, charitas de corde puro & perfecto nullum respectum habere posset ad accepta divinitùs beneficia, sed ad solum Deum, ut in se est præcisè. Verùm aliter Christus docuit, dum ad excitandum in cordibus nostris Dei amorem, divina nobis beneficia proposuit, illud præsertim, quo *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Aliter quoque Apostolus Rom. 5. 8. *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Et 2. Cor. 5. 15. *Pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Aliter denique nos docet Ecclesia, dum juge purissimæ charitatis Eucharisticæ sacrificium incruentum ex Christi præcepto quotidie offert in commemorationem cruenti sacrificii in Cruce semel à Christo oblati, mortemque ipsius per illud jugiter annuntiat.

Secunda ratio: si amor Dei purus ac perfectus unicè ferri deberet in Deum, ut in se absolutè bonum independenter ab omni ad nos respectu, sponsa Dei Ecclesia, Deum sponsum suum non amaret amore puro perfectoque, dum publicis in orationibus suis aliquid à Deo nobis petit, adeòque desiderat, ne quidem dum petit desideratque salutem æternam fidelium, infidelium peccatorumque conversionem, &c. Et ne Christi quidem in nos amor purus perfectusque fuisset, dum *propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & homo factus, & crucifixus est pro nobis*, oravitque pro electorum salute, & pro Petro, ut non deficeret fides ipsius, &c. Atqui hoc asserere impium foret, blasphemum & hæreticum. 30

Tertia ratio: quisquis amat Deum tamquam summum bonum suum, in ipso solo, seu in possessione ipsius felicitatem suam unicè quærens ac desiderans, eò quòd ipse solus sit bonum infinitum, quo plenè ac perfectè beatificari potest, Deum amat perfectè: quia Deum amat super omnia, ipsum omni præferens creaturæ. Cùm amoris istius objectum, & finis ultimus *qui* non sit ipse amans, nec ulla alia creatura; sed bonum illud infinitum, in quo solo perfectam felicitatem suam, non in se, nec in ulla alia creatura quærit, seque inventuram per fidem cognoscit, & in quo solo propterea totam complacentiam suam constituit. Et quamvis Deum sic amans, velut summum bonum suum, Deum amet propter interesse suum, non tamen propter interesse ullum à Deo distinctum (quasi Deum referens, velut medium ad finem *qui*, sive ad objectum à Deo distinctum) sed propter interesse à Deo indistinctum. Igitur Deum amat amore gratuito. Quotiescumque enim interesse aliud non quærit, nisi Deum ipsum, Deum amat, non propter aliud, sed propter Deum ipsum, sive propter perfectiones quas Deus in se habet: utpote in earum cognitione & amore collocans omne interesse suum. Tale proinde interesse non est objectum amoris mercenarii, sed gratuiti; nec amoris imperfecti, sed perfecti: utpote Deum supremè glorificantis. Cùm nihil gloriosius sit, & honorificentius Deo amato, quàm supremè amari, & desiderari, propter eas quas in se habet perfectiones, per quas sit tota felicitas, & omne illud bonum seu interesse, quod amans, ipsum amando quærit, desideratque. 31

Nec per amorem istum amans Dei possessionem refert ad seipsum, velut ad finem *qui*, nec ut ad objectum suum beatificum, sed ut ad subjectum dumtaxat, per illam Dei possessionem unicè beatificabile, cui

propterea possessionem illam (in perfecta Dei cognitione, amoreque consistentem) desiderat, ut Deum plenè perfectèque cognoscendo, & amando, seipsum ad Deum referat, velut ad unicum objectum suum beatificum, unicum finem suum ultimum, bonumque supremum. Sic verò Deum amare, est ipsum perfectè amare. Quia est Deum amare amore perfectè conformi ordini amoris divinitùs instituto; amore faciente perfectam justitiam nostram; amore glorificante Deum modo perfectissimo quo creatura intellectualis ipsum glorificare potest; amore perfectè satisfaciente primo, maximoque mandato; amore denique quo Deum infinitè pluris facimus, quam nosipsos, & plusquàm omnes creaturas: utpote amore quo profitemur, ipsum solum esse posse summum bonum nostrum, ultimum finem nostrum, & objectum unicè potens nos beatificare, omneque desiderium nostrum satiare, ita ut nulla creatura id possit, nec nosipsi.

§. V.

Occurritur contrariis argumentis.

32 OBjiciunt Adversarii 1°. illud Apostoli 1. Cor. 13. *Charitas non quærit quæ sua sunt.*

Respondeo, hoc ideò ab Apostolo verissimè dici: quia charitas excludit spem omnis interesse distincti ab objecto amato, sive à gloria, & possessione ipsius, sicque non solùm excludit spem omnis interesse vitiosi, sed & omnis interesse mercenarii, nec aliud interesse quærit, nisi inseparabile ab amore, atque adeò à possessione Dei; ita ut solus Deus sit objectum, Deique gloria sit finis ipsius, ut suprà explicatum est.

33 Objicies 2°. Clemens Alexandrinus l. 7. Stromat. docet, quòd homo perfectus interrogatus, utrum è duobus eligeret, vel Dei cognitionem & amorem, seu gnosim, vel salutem æternam (in hypothesi impossibili, quòd ista duo separari possent) absque hæsitatione perfectionem eligeret, in Dei cognitione & amore consistentem. Ita etiam Chrysostomus, Theodoretus, S. Franciscus Salesius, &c.

Respondeo nihil inde contra assertionem nostram: quia paulò antè Clemens Alexandrinus dicit, quòd *petitio maximè regia est*, digna proinde homine perfecto, *quæ docet hominum salutem petendam esse sine mercede, ut nos simus hæredes, & possideamus Deum.* Et l. 4. Stromat. *Is ergo qui est cognitione præditus* (eo nomine spiritualem intelligit & perfectum) .... *finem habebit .... positum in eo, quòd sit semper felix, & beatus, & regius Dei amicus.* Chrysostomus quoque in Psal. 41. & alibi mirè commendat amorem, quo Regius Psaltes dicebat: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Vide* (inquit) *ardentem hominem, vide inflammatum..... spiritum ostendit Apostolicum .... Rex est, & tantis fruitur deliciis, tamæque est gloriæ particeps, & est innumerabiles victorias consecutus.* Verùm *hæc omnia irridet, divitias, & gloriam, & omnes delicias; ad futura autem aspirat & inhiat: hoc est magni cujusdam & excelsi animi. Hoc est animæ, quæ tenetur studio sapientiæ, & cælesti amore vere capta est*, &c. Loco itaque objecto sermo non est de salute, prout essentialiter consistit in beatifica Dei cognitione & amore, felicitateque & satisfactione iis essentialiter annexa; sed de salute, prout vulgus eam concipit pro bonis, deliciisque à dicta cognitione & amore, annexaque iis felicitate distinctis, quibus Beati in Paradiso perfruuntur. Per consequens non vult Clemens Alexandrinus, quòd si homini perfecto proponeretur hinc beatifica Dei cognitio & amor, absque omni felicitate, gustu, & satisfactione, ipsis essentialiter annexa, imò cum æterna infelicitate, disgustu, & insatisfactione; inde salus æterna, in distinctis illis bonis consistens, magnamque secum felicitatem, gustum, & satisfactionem afferens; homo perfectus absque hæsitatione eligeret Dei cognitionem, & amorem, ab omni felicitate, gustu, & satisfactione separatum, imò cum æterna infelicitate, disgustu, & insatisfactione conjunctum. In ista namque hypothesi ipsi prorsus impossibile foret Deum amare: quia impossibile foret Deum, ut sibi amabilem, sive ut sibi convenientem, proponere: neque enim aliter sibi Deum proponere posset, nisi ut æternùm miseros, infelicesque reddentem amatores suos: non ergo ut amabilem, sed ut terribilem; quo modo amari non vult, nec potest Deus; nec suppositionibus tam extravagantibus pii fideles turbandi sunt, nec ad amorem hoc sensu purum incitandi; nec tales suppositiones Sancti illi fecerunt; imò summam, essentialiterque inseparabilem in amore Dei felicitatem, gaudium, & satisfactionem collocarunt, prout videre est in Chrysostomo ad cap. 5. ad Rom. ubi sic: *Amemus Christum, ut amare quidem par est: hoc enim magna certè merces, hoc cælorum regnum, & voluptas, & deliciæ, & gloria, & honor, hoc lumen, & beatitudo infinita.* Suppositio ergo quam Sancti illi fecerunt, non illa, sed ista est, quòd si per impossibile cætera omnia bona, deliciæque Paradisi separarentur à cognitione & amore Dei, non tamen felicitas, & satisfactio, essentialiter ex ipsis proveniens in superiori parte animæ, hominique perfecto hinc proponeretur cognitio & amor Dei, inde salus æterna, non essentialis (utpote in illa Dei cognitione & amore, gaudioque essentialiter annexo consistens) sed accidentalis, consistens in bonis deliciisque

Paradisi ab illo Dei amore & cognitione distinctis, immunitateque ab omni pœna, & cruciatu corporis, necnon inferioris partis animæ, homo perfectus mallet in inferni cruciatibus esse cum illa Dei cognitione & amore, quàm in Paradiso cum istis aliis bonis deliciisque, sed sine Dei cognitione & amore.

34 Iste proinde est sensus, quo S. Franciscus Salesius l. 9. de amore Dei c. 4. ait, quòd *labores sunt paradisus, si in eis Dei amor & voluntas inveniatur; è contra paradisus labor, sine cognitione & amore Dei.* Quòdque *si per impossibile Dei amor & voluntas in paradiso non reperirentur, sed in inferno, infernus eligendus foret, renuntiato paradiso.* Quia nempe infernus tunc essentialiter foret paradisus, & paradisus infernus, uti proximè dixit: non enim nomen vel locus, sed Dei amor æternùm duraturus, perfectaque cum voluntate Dei conformitas paradisum essentialem faciunt; essentialem (inquam) id est sumptum pro essentiali beatitudine animæ; sicut & infernum essentialem facit æterna privatio divini amoris.

35 Objicies 3°. Salesius ibidem adeò extendit indifferentiam hominis perfecti, ut dicat, quòd *si per impossibile cognosceret, damnationem suam Deo gratiorem fore suâ salvatione, hâc dimissâ curreret ad damnationem.*

Respondeo ipsum non loqui de salvatione damnationeque essentiali, sive de eo in quo essentialiter, sed in quo accidentaliter consistit; damnationem proinde ab ipso non accipi pro statu æternæ infelicitatis, miseriæ & insatisfactionis: cùm felicitas, complacentia & satisfactio juxta Salesium essentialiter inseparabilis sit ab amore Dei, voluntatisque ipsius. Dicit enim l. 1. c. 7. & 8. omni amori essentiale esse, nasci ex complacentia, quam voluntas percipit ex eo quòd feratur in objectum sibi conveniens, quòdque *sicut apis in melle nascitur, melle nutritur, nec nisi propter mel volat; sic amor ex complacentia nascitur, per complacentiam conservatur, nec nisi ad complacentiam tendit.* Et l. 9. c. 2. *Tribulationes in seipsis horridæ, amores sunt & deliciæ, si considerentur in Dei voluntate.* Item: *laboris asperitatem amor vel tollit, vel sensum ipsius amabilem efficit.* Quo etiam sensu S. Catharina Genuensis, purissimi amoris, & maximè disinteressati, ineffabilem exprimens suavitatem, in raptu quodam dixit: *Amor non solùm nescit quid sit pati, sed nec comprehendere quidem potest, quid pœna sit, vel tormentum, sive inferni jam facti, sive eorum omnium quos Deus facere posset; & tametsi possibile sit, pœnas omnes sentire dæmonum, animarumque omnium damnatarum, non ideò dicere possem eas pœnas esse, ob magnitudinem felicitatis suavitatisque, quam in iis purus amor inveniret: utpote qui omnem auferret modum potentiamque aliud videndi sentiendive, nisi seipsum.* Sic legitur in vita ipsius c. 28.

CAPUT III.

Spei à charitate discrimen explicatur.

EX iis quæ diximus capite præcedenti 36
Adversarii putant consectarium esse nullum fore spei à charitate discrimen, cùm amor quem ipsi vocant spéi amorem, secundùm nos sit verus amor Dei propter se; ad charitatem proinde pertinens.

Sed falluntur: quandoquidem amor, quem ipsi vocant amorem spei, non sit formaliter spes, sive actus proprius spei, sed principium ex quo spes nascitur. Spes proinde penes amorem illum essentialiter non differt à charitate, sed penes actum proprium, objectumque suum formale. Actus verò proprius spei est fiducia generosa, animique elevatio vigorosa, innixa super infinitâ Dei misericordiâ, & auxiliatrice omnipotentiâ, per quam salus æterna, non obstante incomprehensibili ipsius excellentiâ, non obstante etiam difficultate & arduitate mediorum, nonobstante denique nostrâ infirmitate & indignitate, cum conditionata certitudine, & ideò absque omnimoda securitate expectatur. Quæ profectò fiducia non est amor, nec charitas, sed magnanimitas quædam, sanctaque & generosa audacia.

Unde & aliud est spei objectum formale, 37
aliud charitatis. Formale namque charitatis objectum est Deus quatenùs ex se cum omnibus perfectionibus suis, summum bonum nostrum, abstrahendo ab eo an præsens sit, an absens, an possessum, an possidendum. Objectum verò formale spei est possessio Dei quatenùs absens, ardua, obtentu possibilis, & in futurum certa cum fiducia expectata per infinitam Dei misericordiam, & auxiliatricem Dei omnipotentiam, Christique merita.

Quia verò ex duplici amore, velut prin- 38
cipio extrinseco, spes nasci potest, vel scilicet ex amore mercenario & servili, vel ex amore casto & filiali; duplex etiam spes distingui proportionaliter potest; perfecta una, quæ oritur ex amore Dei puro, disinteressato, filiali & casto, de qua diximus cap. 2. Imperfecta altera, quæ oritur ex amore servili, interessato & mercenario. Et ista ordinariè spem perfectam charitatemque præcedit in conversione peccatorum, juxta Tridentinum sess. 6. c. 6. Nec mirum, quia amor imperfectus & mercenarius perfectum filialemque ordinariè præcedit. Spei quoque habitus in Christiano peccatore separatus est ab habitu charitatis: utpote qui per quodcumque mortale peccatum amittitur, non sic habitus spei.

CAPUT IV.

Spei Christianæ certitudo absque salutis securitate.

39 SPes Christiana salutem æternam certa expectat cum fiducia, ut ex ipsius definitione constat; & ideò Apostolus Hebr. 6. ipsam vocat *anchoram animæ tutam & firmam.* Et Rom. 5. dicit quòd *spes non confundit.* Et David Psalm. 21. *In te speraverunt patres nostri: speraverunt, & non sunt confusi.*

40 Fundamentum istius certitudinis est non solùm certitudo soliditasque rei speratæ, sed & misericordia & auxiliatrix Dei omnipotentia, & fidelitas ipsius in promissis servandis, de qua Psalm. 145. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, quibus salutem pollicitus est perseverantibus usque in finem in observantia mandatorum ipsius, Matth. 24.

41 Certitudo tamen ista non præstat omnimodam salutis securitatem. Quia non est absoluta, sed conditionata, si in mandatorum custodia perseveraverimus. Et ideò firma quidem esse debet anchora spei nostræ, sed non absque morsu aliquo timoris; cùm scriptum sit: *Qui stat, videat ne cadat.* Et, *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Propter quod Apostolus, adhuc post raptum suum usque ad tertium cælum: *Castigo* (inquit) *corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte, cùm aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Ut enim Tridentinum sess. 6. cap. 13. Justi *formidare debent, scientes quòd in spem gloriæ, & nondum in gloriam vocati sunt, de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperaverint dicenti: Debitores sumus, non carni, ut secundùm carnem vivamus: si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis (in laboribus, in vigiliis, in eleëmosynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & castitate*, ut antè dixit) *vivetis.*

42 Certitudo itaque spei Christianæ omnimodam non tribuit salutis securitatem (uti comminiscuntur hæretici) nec proinde socordiæ occasionem. Neque enim Christianis Deus absolutè promisit salutem, sed sub dicta conditione. De qua à se adimplenda nemo, citra Dei revelationem, omnimodam habere potest certitudinem. Quia licèt Christianus, saltem justus, diffidere non debeat de auxilio Dei, diffidere debet de seipso, timereque *de defectu liberi arbitrii, ponentis obstaculum peccati*, ait S. Thomas hîc q. 18. a. 4. ad 3.

CAPUT V.

Spes Christiana nec in hæreticis, nec in damnatis, nec in beatis reperitur; benè in animabus Purgatorii, & Catholicis viatoribus, etiam impiis.

43 NOn in hæreticis: quia sine fide, nec spes, nec charitas subsistit. Spes proinde quam sibi hæreticus videtur habere, humana est, & naturalis; non divina, & supernaturalis.

44 Non etiam in damnatis: quia cùm certissimi sint de æternitate suæ damnationis, salutem apprehendere non possunt ut futuram, imò nec ut possibilem, stante irrevocabili decreto æternæ suæ damnationis.

45 Neque in beatis, respectu gloriæ essentialis. Quia non est ipsis futura, sed præsens; & ideò Apostolus Rom. 8. dicit, quòd *spes quæ videtur non est spes.* Nec in beatis spes est respectu accidentalis gloriæ corporis: quia licèt ipsis futura sit, ipsis tamen non est difficulter adipiscibilis, seu ardua. Et ideò sicut fides, sic & spes in patria evacuatur, tam quoad habitum, quàm quoad actum.

46 In animabus verò Purgatorii spes ideò manet, quia non evacuatur per securitatem quam habent de gloria in futurum adipiscenda: eò quòd eam adepturi non sint, nisi cum arduitate, mediante utique satisfactione, quam divinæ debent justitiæ.

47 Spem denique in Catholicis, etiam impiis, reperiri (dummodò eam non amiserint per peccatum desperationis, vel præsumptionis) probatur ex eo, quòd quolibet mortali peccato spes non amittatur: cùm peccatum quodlibet mortale ei non opponatur. Unde spes à Concilio Tridentino sess. 6. c. 6. requiritur tamquam dispositio ad justificationem peccatoris.

CAPUT VI.

Spei præceptum ac necessitas.

48 SPei, uti fidei, & charitatis, saltem imperfectæ, actus necessitate medii necessarius est ad justificationem impii. Quia Tridentinum sess. 6. c. 6. inter actus absolutè necessarios ad justificationem impii, non fidei dumtaxat & charitatis (seu inchoati saltem amoris Dei tamquam fontis omnis justitiæ) sed & spei actum recenset; non proinde sicut divinæ justitiæ timorem, quem solùm recenset velut utilem, *quo utiliter concutiuntur.*

49 Prætereà spei actus quibusvis hominibus ratione utentibus necessarius est necessitate specialis de ea præcepti, de quo constat ex variis Scripturæ testimoniis, quibus in Deo sperare jubemur. Unde Alexander VII. se-

sequentem meritò damnavit propositionem: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actus fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium.*

50 Si quæras tempus, quo spei actus ex speciali præcepto eliciendus est?

Respondeo 1°. Sicut Christianus morali quodam modo semper ex fide vivere debet, non solùm habitualiter, sed aliquo modo virtualiter (quia semper debet esse justus: *Justus autem ex fide vivit*; non profectò ex fide otiosa, sed actuosa, cùm vivere sit agere) ita morali quodam modo semper vivere debet ex spe & charitate; per fidemque, spem & charitatem divinæ Majestati continuò moraliter adhærere, prout Facultas Theologica Lovanienſis tradit in articulis Innocentio XI. per Deputatos suos anno 1677. oblatis, in quibus post maturum examen nihil censurâ dignum Romana Inquisitio invenit. Enimverò Osee 12. dicitur: *Spera in Deo tuo semper.* Cùmque semper vivere debeamus ex Christo, sicut palmes ex vite; semper à nobis sperandus est Christi per gratiam influxus: utpote quo semper, & in omnibus deliberatis actibus nostris indigemus, & pro quo semper orare jubemur. Luc. 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere. Quod enim tempus intervenit* (ait cum Zozimo, Prædecessore suo, Cœlestinus Papa in epist. ad quosdam Galliæ Episcopos c. 9.) *quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causisque, cogitationibus, motibus, adjutor, & protector orandus est*, &c. Oratio verò cum fide & spe fieri debet.

51 Respondeo 2°. spei actum specialiùs exercendum in circumstantiis sequentibus. 1°. dum peccator est justificandus. Quia tunc in spem erigi debet, fidens Deum sibi propitium fore per Christum (ut ait Tridentinum loco citato) utpote *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Rom. 3. Per fidem (inquam) quæ sibi conjunctam habeat spem, seu fiduciam propitiationis per Christum, ut loquitur Tridentinum.

52 2°. in gravioribus tentationibus, in quibus galea salutis capiti imponenda est, ut de solo Salvatore speremus salutem. Similiter in gravioribus tribulationibus, in quibus imbecillitas nostra spe futurorum bonorum adjuvanda est. Maximè cùm utroque illo casu speciali per Christum indigeamus auxilio; de quo adipiscendo in spem erigi nos oportet.

53 3°. specialissimè dum periclitamur in tentationibus de vitiis spei oppositis, præsertim de desperatione & pusillanimitate. Tunc enim erigendus est animus, cum Regio Psalte dicendo: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultûs mei, & Deus meus.*

54 4°. quoties Sacramenta suscipimus: utpote quæ canales sunt promissæ nobis gratiæ, pignoraque salutis nostræ.

55 5°. initio ac fine vitæ nostræ rationalis, & frequentissimè in vita, seu tam frequenter renovanda est spes actualis, ut morali quodam modo dici queat, nos vivere in spe filiorum Dei, sive in fide per spem & dilectionem operante. Semper namque tendere nos oportet in ultimum finem nostrum, illumque desiderare, & expectare, habitando in adjutorio Altissimi, in Deique protectione commorando.

CAPUT VII.

Contra spem peccatur excessu, per præsumptionem; defectu, per desperationem; sed longè frequentiùs per illam, quam per istam.

56 CONtra spem peccatur commissione, per præsumptionem desperationemque, & per ista peccata spes amittitur. Peccatur etiam omissione actûs spei, dum cadit sub præcepto; sed sicut per solam omissionem actûs fidei non amittitur fides; per solam etiam omissionem actûs spei non amittitur spes.

57 *Desperatio* est voluntaria animi dejectio, per quam abjicitur spes obtinendæ veniæ peccatorum, ob nimiam eorum magnitudinem, vel multitudinem, vel existimatam ea vitandi impossibilitatem; vel abjicitur spes adipiscendæ beatitudinis, ob apprehensam nimiam difficultatem vel impossibilitatem mediorum ad id necessariorum; & ideò abjicitur voluntas necessaria illa media adhibendi, sive ad peccatorum remissionem, sive ad salutem.

58 Proinde desperatio *non solùm importat privationem spei, sed importat quemdam recessum à re desiderata, propter existimatam impossibilitatem adipiscendi.* S. Thomas 1. 2. q. 40. a. 4. ad 3. & in corp. Ista tamen existimatio, vel apprehensio aut judicium non est formaliter ipsa desperatio, sed inducit ad desperationem. Quæ licèt non sit peccatorum omnium gravissimum, omnium tamen est periculosissimum, prout idem S. Doctor ostendit 2. 2. q. 20. a. 3. Tametsi enim infidelitas & odium Dei, respectivè ad desperationem, secundùm se, id est secundùm speciem propriam, graviora sint; *si tamen comparetur desperatio ad ista alia duo peccata ex parte nostra, sic desperatio est periculosior. Quia per spem revocamur a malis, & inducimur ad bona prosequenda. Et ideò sublatâ spe, irrefrænatè homines labuntur in vitia, & a bonis operibus retrahentur. Unde super illud Prov. 24.* "Si desperaverit lapsus "in die angustiæ, minuetur fortitudo sua, " „*dicit Glossa*:„ Nihil est execrabilius desperatione, quam qui habet, & in generalibus "hujus vitæ laboribus, & (quod pejus est) "in fidei certamine, constantiam perdit. "

Et Isidorus dicit in lib. de sum. bon.: „ Perpetrare flagitium aliquod, mors animæ est; „ sed desperare, est descendere in infernum. „ Hactenùs S. Thomas.

59 *Præsumptio* est spes inordinata, quâ scilicet confidit quis se beatitudinem, vel gratiam aut virtutes consecuturum, vel per solas naturæ vires (quæ est præsumptio Pelagiana) vel gloriam per solam fidem, absque operibus, aut peccatorum veniam absque pœnitentia (quæ est præsumptio Lutherana) vel sub inani spe misericordiæ Dei peccat, pœnitentiamvè differt in finem vitæ, divitiis bonitatis & patientiæ Dei in ansam & fomentum malitiæ abutendo, temerariæque præsumptionis ictui totius æternitatis aleam committendo. Hæc est *præsumptio* quæ dicitur *de misericordia Dei*, estque peccatum in Spiritum sanctum. A quo immunes non sunt, qui in impœnitentia ad vitæ finem perseverant, sub spe quòd tunc pœnitentiam & veniam impetrabunt, per intercessionem Beatissimæ Virginis, quam sibi pollicentur, fidentes in aliquo aridi cordis obsequiolo, seu quotidiano certæ orationis penso, quo eamdem Beatissimam Virginem sibi demereri conantur. Quemadmodùm enim illi abutuntur Dei misericordiâ; sic isti Deiparæ abutuntur misericordiâ, eâque abutentes, aliis peccatis suis præsumptionis adjiciunt peccatum, seipsos sub ea spe decipiendo, pœnitentiamque & emendationem differendo.

60 At, inquiunt, Deipara est Mater misericordiæ, refugiumque peccatorum, etiam impœnitentium.

At, ut benè reponit Boudartius to. 3. tr. 2. §. 20., quid aliud continet objectio ista, nisi vafritiem antiqui serpentis, cui apertè contradicunt Scripturæ, dicentes: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Eccli. 5. Falsum est ergo, ac deceptorium (pergit Boudartius) quòd Deipara sit refugium peccatorum *impœnitentium*, seu impœnitens cor habentium, quod utique nullo tangitur desiderio resipiscentiæ. Tametsi enim refugium sit peccatorum, etiam illorum, qui nondum obtinuerunt pœnitentiæ donum, sed de eo obtinendo satagunt; non tamen impœnitentium illorum, qui nullum affectum habent ad resipiscentiam. Tametsi (inquam) peccator, de resipiscentia cogitans, rectè (cum Ecclesia) ad Deiparam recurrat, dicens: *Alma Redemptoris Mater, succurre cadenti, surgere qui curat populo*, &c. quâ fronte Deiparæ dicet, *tuo Filio nos reconcilia*, qui nullum ne quidem inchoatum affectum habet, nec habere satagit ad resipiscentiam, quæ est medium ad id absolutè necessarium, sine quo Dei Filio nullus reconciliari potest? De talibus audi quid Scriptura dicat: *Multiplicabitis orationes vestras, & ego non exaudiam.* Isa. 1. Et, *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Prov. 28. 9. Quod sapientissimus Sylvius accipiendum dicit de oratione peccatoris, in peccato perseverare volentis, & legem nolentis vel audire, vel servare. *Talis* (inquit) *oratio fit oranti in peccatum*, Psal. 108. *potiùsque exasperat Deum*, Deiparamque, *quàm ejus misericordiam provocet.* Illi autem qui veram quidem resipiscentiam petunt, sed demùm in fine vitæ, perinde execrabiles sunt: quia Deo injuriosè insultant, divitiis bonitatis ejus abutentes, ad perseverandum in peccatis suis, nec ea deserere volentes, nisi dum ab eis ipsi deserentur. De quibus Eccli. 3. dicitur: *Cor durum*, seu impœnitens, *habebit malè in novissimo: & qui amat periculum, in illo peribit.*

61 Porrò quòd longè frequentiùs homines præsumptione peccent, quàm desperatione, his præsertim novissimis diebus, to. 1. Prolegomeno 2. c. 18. & alibi pluribus argumentis demonstravi. Solùm hîc breviter idipsum ostendo ex eo quòd desperatio hodie non sit peccatum ordinarium, uti est præsumptio, longèque rariores sint Christiani de sua salute desperantes, ob terribiles Evangelii veritates, quàm de Dei misericordia temerè præsumentes: utpote de qua sibi, mediis etiam in criminibus, blandiuntur peccatores passim omnes, illi etiam in quibus crimina usque adeò *transierunt in affectum cordis*, ut affectum istum deponere seriò nunquam cogitent. Et idem est de obduratis, quorum tanta est durities, ut nullo divinæ justitiæ, terribiliumque oraculorum Evangelicorum timore concutiantur. Vixque est peccator, quàmlibet magnus, quàmlibet consuetudinarius, quàmlibet inveteratus, quàmlibet occasionarius, seu proximis peccandi occasionibus implicatus, qui de eadem sibi misericordia non blandiatur, etiam dum absque ullo, vel vix ullo conscientiæ remorsu in scelera quàmlibet grandia ruit. Multò magis de ea sibi blandiuntur, qui peccant cum momentaneo conscientiæ remorsu, sed velut in somno contingente, citòque transeunte; & qui de criminibus suis erubescunt, vitæque melioris propositum identidem concipiunt, sed semisaucium, & ita ut peccatorum affectum plenâ & integrâ voluntate nunquam abjiciant, ideòque sese nunquam emendant. Qui tamen omnes de Dei præsumunt misericordia, quòd ipsis, taliter dispositis, peccata remittet per Sacramenta. Verùm temeraria, & admodùm periculosa est præsumptio ista, & super taliter præsumentes mirum quantùm dilatet infernus os suum. Unde talibus voce tonante cum Apostolo clamandum: *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram, in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet uni-*

unicuique secundùm opera ejus. Et vitam quidem æternam promisit iis qui, *secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt*; non iis qui operarii sunt iniquitatis: quoniam *tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Rom. 2.

62 Præsumptionis species quædam est *tentatio Dei*, cujus malitia consistit in temeraria expectatione insolitæ seu extraordinariæ providentiæ Dei, vel exploratione potentiæ, sapientiæ, veracitatis, aliorumvè attributorum ipsius.

63 Duplex est, explicita & implicita. *Explicitè* Deum tentat, qui à Deo petit miracula, seu extraordinarium providentiæ modum, absque speciali circa hoc divinæ voluntatis signo, v.g. qui sese exponit gravi mortis periculo, confidens quòd ipsum Deus miraculosè liberabit. Quod ne faceret Apostolus, fugit, ut Augustinus dicit 22. contra Faustum: *Paulus fugit, non quasi non credendo in Deum, sed ne Deum tentaret, si fugere noluisset: cum sic fugere*, fugiendoque persecutorem evadere *potuisset*. Beata verò *Agatha* ideò medicinam recusavit, quia *experta erat divinam erga se benevolentiam, ut vel infirmitates non pateretur, pro quibus corporali medicinâ indigeret, vel statim sentiret divinæ sanationis effectum*, ait S. Thomas 2. 2. q. 97. a. 2.

Implicitè seu interpretativè tentat Deum, 64
qui, licèt à Deo miracula formaliter non petat, absque justa tamen necessitate petit, vel facere aggreditur, quod ex se miraculum poscit. S. Thomas ibidem ad 2. exemplificans in eo, *qui ante orationem animam suam non præparat, dimittendo siquid adversus aliquem habet, vel alias ad devotionem se non disponendo. Quia dum non facit quod in se est, ut exaudiatur à Deo, quasi interpretativè tentat Deum.*

Dixi *absque justa necessitate.* Neque enim 65
Apostoli Deum tentarunt, *dum petierunt à Domino, ut in nomine Jesu Christi fierent signa, ut dicitur Act. 4. Hoc enim petierunt, ad hoc quòd virtus Christi infidelibus manifestaretur.* S. Thomas ibidem in c.

LIBER QUARTUS.

AMOR CHARITATIVUS.

DIvinorum donorum divinissimum est charitatis amor, quo nihil in tota domo Dei pretiosius, nihil præstantius, nihil sublimius. Divinorum charismatum charitas optimum est, donum super omne donum. O pretiosam margaritam, quam qui invenit homo, vendit omnia quæ habet, & emit eam! O thesaurum præstantissimum, quem qui possidet, etiamsi aliis omnibus careat, dives est; & quo si careat, etiamsi alia omnia possideat, pauper est! Si enim dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Hic fons proprius, cujus non est particeps alienus. Hæc vestis nuptialis, quam qui in nuptiis non habet, mittitur in tenebras exteriores. Hoc operimentum, quo omnis peccatorum multitudo operitur. Hæc sacra unctio, quæ docet nos de omnibus. Hic ignis, quem Salvator de cælo venit mittere in terram, & quid vult, nisi ut ardeat? Hoc donum non solùm in se pretiosum, sed & aliorum omnium pretium. Hic siclus Sanctuarii, quo omnia ponderantur, de quo in Levitico: *Omnis æstimatio siclo Sanctuarii ponderabitur.* Quid enim scientia, quid eloquentia, quid oratio, quid jejunium, quid eleemosyna, quid aliud quodcumque opus sine charitate? Hoc igitur cura, hoc præ aliis omnibus satage, ut isto siclo non careas, ut hoc dilectionis thesauro abundes, ut hâc margaritâ locupleteris, id est ut Deum charitate ames. Vacuum namque & otiosum tempus omne, quod in hoc non impenditur; vacuum, & absque fructu omne opus, quod ab hoc & ad hoc non dirigitur. Aridum omne cor, quod hoc fonte non irrigatur. Quo nos irrigare dignetur ipse Amor, & amoris Dator & Præceptor, & super omnes ardentissimus Amator noster Jesus Christus, cui cum Patre, & Spiritu sancto amor, honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT I.

Charitatis definitio, objectum, præstantia.

CHaritas est virtus infusa à Deo, quâ 1
Deus propter se diligitur, & proximus propter Deum. Communis est definitio, cum qua coincidit ea quam Augustinus tradit lib. 3. de doctr. Christ. c. 10. *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter seipsum, & proximo propter Deum.*

Objectum itaque materiale charitatis pri- 2
marium est Deus; secundarium proximus. Quo nomine nosipsi comprehendimur: quia *proximus quisque sibi.* Comprehenditur & quicumque nobiscum capax est gratiæ & gloriæ.

Formale charitatis objectum est Deus, 3

quatenùs ſummè in ſe bonus & perfectus, fonſque omnis bonitatis & perfectionis. Et bonitatis quidem nomine quæcumque divina perfectio intelligitur, ſi ſermo ſit de charitate generaliter dicta; ſed ſi ſermo ſit de charitate preſſiùs accepta, prout ab aliis virtutibus theologicis ex parte objecti formalis diſtincta, intelligitur bonitas infinita in omni genere entis & boni, quatenùs ſcilicet omnem in ſe complectitur bonitatem, omnem excellentiam, omnem delectabilitatem, omnem perfectionem, ſecundùm ea quæ dixi to. 1. l. 8. n. 598.

4 Atque hinc perſpicua eſt excellentia charitatis, tanta, ut à ſanctis Doctoribus meritò vocetur *regina virtutum*. A Diſcipulo quem diligebat Jeſus, *plenitudo legis*. A Gregorio Magno l. 6. in Pſal. 60. *mater & cuſtodia omnium bonorum*. A Doctore charitatis Auguſtino ſerm. 42. de temp. *decus ſanguinis Chriſti*. Tr. 2. in epiſt. Joan. *margarita Evangelica*. Lib. 2. contra Julian. c.... *ſupereminentiſſimum donum*.

CAPUT II.

Charitatis ſupernaturalitas.

5 CHaritatem eſſe donum ſupernaturale, conſtat ex ipſius definitione, *virtus infuſa à Deo*, & ex iis quæ dixi to. 1. l. 9. c. 15. & ſeqq.

6 Quia verò de entibus ſupernaturalibus, charitatiſque & aliorum actuum ſupernaturalitate frequentiſſima eſt apud Theologos mentio; in quo verò ſita ſit eorum ſupernaturalitas, adeò obſcurum eſt, ut duos vix Theologos invenias eodem id modo explicantes; ad claram brevemque difficultatis iſtius explanationem ſequentia obſervari poſſunt.

7 Primò, non omne illud ſupernaturale eſſe, quod ſuperat exigentiam iſtius vel illius creaturæ particularis, in genere cauſæ materialis & efficientis. Quandoquidem ens ſupernaturale, ex communi Theologorum Philoſophorumque Chriſtianorum ſenſu, illud ſolum eſt, quod eſt ſupra naturalem facultatem creaturarum omnium, atque hoc ſenſu ſupra totam naturam creatam.

8 Secundò, ſicut dantur quatuor cauſarum genera, ſcilicet efficiens, formalis, materialis, & finalis; ſic conſiderari poteſt quadruplex ſupernaturalitas, videlicet in genere cauſæ efficientis, in genere cauſæ formalis, in genere cauſæ materialis, in genere cauſæ finalis.

9 Tertiò, ſupernaturale eſſe, illud omne, quod excedit totam naturam creatam, ſive omnem facultatem naturalem creaturæ, ſecundùm genus cauſæ, ad quod comparatur. Cùm iſte entis ſupernaturalis conceptus clarè explicet notionem ipſius, communi Theologorum Philoſophorumque ſenſu receptam; nec appareat quomodò meliùs explicari queat hoc quod dici ſolet, *ſupernaturale eſſe, quod ſuperat facultatem totius naturæ creatæ*, niſi faciendo comparationem ad diverſa cauſarum genera, ita ut illud ſupernaturale ſit in genere cauſæ efficientis, quod eo in genere ſuperat vires naturales omnium creaturarum; in genere cauſæ materialis, quod per nullius creaturæ facultatem naturalem recipi poteſt in ſubjecto, reſpectu cujus ſupernaturale dicitur; in genere cauſæ formalis, quod per nullius creaturæ facultatem naturalem informare poteſt tale vel tale ſubjectum; in genere cauſæ finalis, quod reſpicit finem nullius creaturæ viribus naturalibus attingibilem.

Quartò, charitatem habitualem, actualemque ex habituali procedentem, ſupernaturalem eſſe, tam in genere cauſæ efficientis, quàm materialis & formalis: utpote inſeparabiliter conjunctam cum gratia ſanctificante, quæ ſecundùm tria illa cauſarum genera, tam ſuperat vires omnis creaturæ, quàm unio hypoſtatica. Quam Cyrillus noſter Alexandrinus in Concilio Epheſino abſolutè pronuntiat ſupernaturalem. 10

Charitas verò actualis, amplè & generaliter accepta, quæque nec procedit ex habitu charitatis, nec inſeparabiliter conjuncta eſt cum gratia ſanctificante, ſupernaturalis non eſt ſimpliciter & abſolutè, ſed reſpectivè dumtaxat ad ſtatum naturæ corruptæ, in quo donum eſt gratiæ actualis, ſine quo nullus homo, in ſtatu illo, Deum diligere poteſt finaliter propter ſe, ut pluribus demonſtravi to. 1. l. 9. 11

An verò homo, in ſtatu naturæ integræ, vel etiam Angelus, abſque gratia actuali, Deum finaliter propter ſe diligere potuiſſet? Alii affirmant, alii negant, aientes, creaturam omnem rationalem, ſibi relictam, finaliter reflecti ad ſeipſam, ſive ad proprium bonum privatum, velut ad finem ſuum. Quod licèt verum ſit de natura corrupta, rationem non video quæ id demonſtret de natura integra. 12

CAPUT III.

Charitatis actus, ſeu affectus, & non ſolùm effectus, omnibus ratione utentibus neceſſarius eſt neceſſitate medii ad ſalutem.

CHaritatis actum, ſeu affectum, adultis 13
peccatoribus neceſſitate medii neceſſarium eſſe ad juſtificationem, etiam per Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ conſequendam, agendo de Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ, multifariàm multiſque modis probamus. 1°. ex ſacris oraculis. 2°. ex communi traditione Sanctorum veterum ac noviſſimorum. 3°. ex Scholaſticorum Principibus, Magiſtro Sententiarum, Alenſi, S. Thoma, S. Bonaventura, Baconio noſtro,

Scholasticisque omnibus, qui scripserunt usque ad Tridentinum. 4°. ex Concilio Tridentino, majorique parte Theologorum Tridentinorum, eorum quoque qui Tridentini tempore, & proximè post illud scripserunt. 5°. ex sapientissimis Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, & eorum Ritualibus, ac Manualibus. 6°. ex plurium Facultatum Theologicarum resolutionibus. 7°. ex denso agmine Theologorum, etiam modernorum. 8°. ex theologicis rationibus efficacissimis, absurdissimisque ex adversa opinione consectariis.

14 Eamdem omnibus ratione utentibus necessitate medii necessariam esse ad salutem, demonstratur ex hoc quòd ratione utentibus vita æterna non datur, nisi per modum meriti, mercedis, & coronæ; ad hoc quippe significandum, vitam æternam sub ratione mercedis & coronæ nobis Scriptura proponit, Deumque necessariò necessitate medii credendum tamquam remuneratorem. Atqui nullum est opus meritorium, nisi ex charitatis affectu, uti docent S. Thomas, S. Bonaventura, & Theologi passim. Enimverò *si habuero omnem fidem .... & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* ad salutem. 1. Cor. 13. Ubi sermonem esse de charitate operante, sive de charitate in actu, patet tum ex contextu, sequitur enim: *Charitas patiens est, benigna est..... omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*, &c. tum ex Galat. 5. 12. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet* (ad salutem) *neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.*

15 *Coronam* etiam *vitæ* non *repromisit* Deus, nisi *diligentibus se*. Jacobi 1. 12. Et 1. Cor. 2. 8. *quæ præparavit iis qui diligunt illum*. Unde Ecclesia in Collecta Domin. V. post Pentecost. *Deus qui diligentibus te bona invisibilia præparasti.*

16 Nullibi etiam vita æterna promittitur, nisi sub conditione servandi mandata. Joan. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; inter quæ primum maximumque est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Unde Joan. 14. 24. *Qui non diligit me, sermones meos non servat.*

17 Denique *qui non diligit me, manet in morte*. Joan. 3. 15. Et, *siquis non amat D. N. J. C. sit anathema, Maran Atha*. 1. Cor. 16. 22. Quomodò ergo salvus esse potest?

CAPUT IV.

Charitatis actus, seu affectus, iisdem necessarius est necessitate præcepti.

18 COnstat ex primo maximoque mandato quod Deus tradidit Deuteron. 6. & Salvator renovavit Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Quod cùm in sensu proprio sit intelligendum, per consequens intelligendum est de dilectione per internum charitatis affectum. Diligere namque ex toto corde, in sensu proprio & obvio, cordialem internumque dilectionis affectum perspicuè designat, non externum dumtaxat dilectionis opus: utpote quod ad summum dilectio est in sensu figurato, quo effectus pro causa, vel signum pro significato sumitur. Imò siquis diligentiùs attenderit, divinæ dilectionis effectus reverà non est talis, nisi quatenùs ex Dei dilectione procedit (si enim ab alia aliqua dilectione procedat, non est effectus dilectionis Dei, sed alterius, nec per eum Deus effectu diligitur, sed aliud quidpiam, sive res illa ex cujus dilectione effectus ille procedit) igitur eo ipso quo divinæ dilectionis effectus præcipitur ut effectus ipsius, præcipitur & causa, sive affectus divinæ dilectionis.

Dices: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* 19

Respondeo id verum esse, non quia præcepta Dei dilectio in aliorum mandatorum custodia formaliter consistit; sed partim quia inde à posteriori colligitur (*probatio* enim *dilectionis, exhibitio est operis*) partim quia mandata Dei servari non possunt ut oporter, corde arido manus ad opus movendo, sed corde amoroso, opereque proinde exteriori cum interiori dilectione conjuncto, secundùm illud Joan. 14. *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Et Sap. 6. *Dilectio custodia legum illius est.*

Meritò proinde Alexander VII. hanc 20
damnavit propositionem: *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium.* Docuerant eam Tamburinus l. 2. in Decal. c. 1. §. 1. n. 9. & 10. Et c. 3. §. 2. n. 2. Et Joannes Henriquez in qq. practicis q. 9. n. 703. Sed mirum est quòd, post ipsius damnationem, Recentior Casuista veritus non fuerit sequentem docere impietatem, quam acriori censurâ Alexander VIII. velut hæreticam proscripsit: *Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis verò in conformitate actûs cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.*

Neque isti hæresi favet S. Thomas 2. 2. 21
q. 44. a. 6. ad 2. ubi solùm vult non peccare mortaliter, qui primum mandatum in via perfectè non implet, sicut impletur in patria. Imò ei perspicuè contradicit 1. 2. q. 100. a. 10. in corp. *Actus charitatis considerari potest secundùm quod est quidam actus per se, & hoc modo cadit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter datur, scilicet, Diliges Dominum Deum tuum*, &c.

Non favet etiam Bernardus serm. 50. in 22

Cant. dum ait : *Est charitas in actu, est & in affectu. Et de illa quidem quæ operis est, puto datam esse legem ..... Nam in affectu quis ita habeat ut mandatur?* Quia per charitatem in affectu ibi S. Bernardus non intelligit internum quemcumque charitatis affectum, sed pinguem & suavem. Triplicem namque distinguit affectionem. Primam, *quam caro gignit.* Secundam, *quam ratio regit.* Tertiam, *quam condit sapientia. Prima dulcis, sed turpis. Secunda sicca, sed fortis. Ultima pinguis & suavis. Igitur per secundam opera fiunt*; de ea proinde intelligit charitatem in actu : sed non est ista *charitas affectualis* (*quæ sale sapientiæ condita, pinguescens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini*) *sed quadam potius actualis, quæ etsi nondum dulci illo amore suaviter reficit, amore tamen ipsius vehementer accendit.* Igitur est interna affectio charitatis (non sola externa ipsius operatio) tametsi cum suavitate illa non conjuncta. De ea proinde cùm dicit, *datam esse legem hominibus*, firmat, non infirmat assertionem nostram.

CAPUT V.

Exorbitantes sententiæ circa tempus quo divinæ dilectionis præceptum obligat.

23 IN hæresim impiam ab Alexandro VIII. condemnatam, non uno impetu, sed gradatim prolapsi sunt, qui eam tradiderunt. Animadverterunt laborare cum Casuistis Scholasticos quosdam Doctores, in determinando tempore obligationis præcepti divinæ dilectionis, eaque quæ à plurimis determinabantur tempora istius obligationis, seu eliciendæ Dei dilectionis, ab aliis improbari. Inde cùm concludere debuissent, sæpissimè eliciendos actus divinæ dilectionis, ne quis certissimæ (quoad se) obligationi deesset; econtrà concluserunt, nunquam per se eliciendos, eo prætextu (in quo se fundat Tamburinus l. 1. c. 1. n. 9.) quia *nunquam præceptum aliquod obligat, nisi sit determinatum, cùm non possit, ut indeterminatum, exire in executionem.* Eòque tandem processerunt, ut dicerent, præceptum de Deo actu interiori diligendo per se & ratione sui nunquam obligare, nec in principio vitæ moralis, nec in decursu, nec in fine; eique fieri satis per aliorum mandatorum custodiam. Ita Sirmondus in defensione virtutis tr. 2. sect. 1. c. 2. Et in respons. ad libell. famos. Ita etiam ferè Tamburinus c. præcedenti relatus. Postquam enim c. 1. §. 1. n. 9. sic concluisset de præcepto fidei, & c. 2. §. 1. de præcepto spei, c. 3. §. 2. n. 1. pariter philosophatur de præcepto charitatis; cùmque istis locis docuisset, actum fidei, spei, & charitatis necessarium quidem esse necessitate medii, sed *hunc semel in vita elicere, satis esse*; addit, nullum istorum actuum per se & ratione sui necessarium esse, necessitate specialis de eo præcepti, existimans aliorum præceptorum impletione ei satisfieri. Juvabit ipsum verbis 24
suis loquentem audire : *Laborant* (inquit lib. 2. c. 3. §. 2. n. 1.) *Doctores in assignando tempore quo debet fidelis ex obligatione actum positivum amoris elicere circa Deum, variaque tempora, ut varia sunt hominum ingenia, assignant. Primum tempus quod aliqui assignant, est initium usus rationis. Secundum, finis vitæ. Tertium, tota vita indeterminate sumpta, ut saltem semel in ea ametur Deus. Quartum, omnes dies festivi, in quibus debemus specialiter Deo vacare. Quintum, tempus quo adultus suscipit baptismum. Sextum, tempus quo suscipit Eucharistiam. Septimum, quando fortè suscipitur martyrium. Octavum, quando magnum à Deo accipis beneficium. Nonum, quando audis aliquem contra Deum blasphemantem. Decimum, quando gravi urgeris tentatione, præsertim odii Dei, cum periculo consensus, nisi ad Deum per amorem te convertas.* Quid de istis temporibus ipse? Numero sequenti *impugnari ea* dicit per ea quæ dixit c. 1. §. 1. n. 10. Ideòque *sibi placere doctrinam Azorii, qui docet, præceptum charitatis impositum fuisse ob justificationem impii : solum igitur tunc obligare, quando impius, quia Sacramentum Pœnitentiæ non est in promptu, non habet aliam viam quâ se justificet, nisi eliciat actum contritionis, quæ semper aliquo tandem modo actum amoris Dei super omnia dilecti involvit. Consequenter igitur & indirectè, ratione suæ justificationis, ad actum charitatis fideles obligantur.* Et ne indirectè quidem, dum in promptu est Pœnitentiæ Sacramentum, in quo Dei amorem ad justificationem putat haud esse necessarium. Num. 3. id confirmat *ex doctrina non ignobilium Doctorum, qui docent hoc præceptum* : " Diliges Dominum Deum tuum, & c. " *non esse speciale, & specialì tempore implendum, sed generale, imbibitum in omnibus præceptis.* Num. 4. *Probabilis ergo & tutissima sententia est illorum, qui negant, fideles initio usus rationis, & in fine vitæ, obligari ad se convertendum ad Deum illum amando. Ponere enim ejusmodi obligationem, quæ certè solido fundamento non innititur, nihil aliud est nisi scrupulos ingerere, non quidem indoctis* (*quia hi ad eam obligationem non advertunt*) *sed doctioribus*, &c. Hactenùs Tamburinus.

Sirmondus verò in defensione virtutis tr. 25
2. sect. 1. c. 2. sic discurrit : *Diligendi Dei præcepto homines obligari, affirmat S. Thomas statim ab usu rationis. Hui! tam cito? Scotus, singulis Dominicis. Unde petitum? Alii, cum urget tentatio. Rectè, si non esset alia via effugiendæ tentationis. Sotus, post acceptum beneficium. Grati quidem animi istud indicium est. Quidam in articulo mortis. Nimis serum est. Ne quidem quoties recipitur aliquod Sacramentum, eam obligationem urgere existimo.*

Sufficit enim attritio cum confessione, si commode fieri possit. Aliquo tempore teneri, censet Suarez. At quo? Tuo judicio remittit, ipse nescit. At quod ille nescivit, quis sciat nescio. Unde pag. 12. concludit, quòd *Deus non tam præcipit amorem sui, quam odium vetat, sive formale & actuale (quod non humanum, sed diabolicum est) sive materiale, quod in mandatorum transgressione positum est.* Et pag. 16. necnon in respons. ad libell. famos. pag. 24. *Non parùm esset, si semel in vita uno amoris actu fungeremur, atque hoc plus fieret, quam quod in rigore præcipitur.* Et rursus pag. 16. citatâ: *Deus præcipiendo amorem satis habet si sibi in aliis mandatis pareatur.* Ita Sirmondus.

26 In cujus discursu observare licet ludificationes rationis humanæ, sibi relictæ, dum nimis auscultatur. Siquis enim cum scholæ Angelo velit, divini amoris actum in principio usûs rationis eliciendum, nimis festinum esse dicit. Si in fine vitæ, nimis serum. Si tempore intermedio, quod Suarez determinare nesciat; quod ipse determinare nescivit, ab alio determinari non posse concludit. Et sic primum maximumque divinæ dilectionis mandatum eludit. Istiusmodi illusionibus elusionibusque pleni sunt Casuistarum libri, in ratione purè humana, magis quàm in authoritate divina, Sanctorumque doctrina fundati.

27 Istis nimiùm insistens P. Tressus, Author Theseos in Mussipontano Societatis Collegio defensæ 1. Januarii 1689. cum Sculteto Lutherano tandem concluſit, quòd Deum *ultimum finem homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.* Vidit enim magnum divinæ dilectionis mandatum à Sirmondo suo figuratè exponi de dilectione non formali & interna, sed de externa & figurali, quæ sola in rigore præcepta sit. Hanc esse Sirmondi mentem à Wendrockio notâ x. in x. epist. provinc. vidit perspicuè demonstrari, omnesque in oppositum cavillationes manifestè dissipari. Vidit ab altero Socio suo in libro cui titulus: *Reliquiæ Abbatis S. Cyrani*, opinionem illam probabilem asseri: *etsi in scholis valdè probetur illa sententia, quæ tradit præcipi cuique, ut in vita aliquem eliciat charitatis actum, etiam extra periculum mortendi sine confessione, contrarium tamen esse probabile, & certè difficile esset ullum caput proferre, unde ista obligatio desluat.* Vidit ad istam opinionem proximè accedere Tamburinum, Azorium, imò & Magnum Suarezium suum, quoad istius opinionis
28 probabilitatem. Istis ergo animatus Professor ille Mussipontanus, non erubuit impiissimam hæresim illam tradere, quâ unâ totius naturæ vocem, tot divinæ Scripturæ oraculis consecratam, universam quoque legem & Prophetas, totam denique Christianam Religionem funditùs everti. Siquidem primo maximoque dilectionis Dei mandato, ac secundo (huic simili) dilectionis proximi, universa lex & Prophetæ, totaque Christiana religio finaliter continetur. Non alio quippe fine Dei Filius incarnatus & passus est, non alio resurrexit, non alio sanctum misit Spiritum, nisi ut divinæ dilectionis ignem accenderet in fidelium cordibus. Nec aliud (inquit Augustinus) Scriptura præcipit, nisi charitatem. Unâ proinde illâ hæresi universam legem & Prophetas P. Tressus destruxit, Incarnationis consilium exinanivit, Christianæ Religionis cor & animam invasit, primariamque Christiani hominis obligationem extinxit; cùm præcipua Christiani hominis obligatio sit in spiritu & veritate adorare & amare Deum velut Creatorem ac Redemptorem suum, & velut finem suum ultimum, in quem omnes morales actus suos, totamque moralem vitam suam, & omnes partes illius ipsum referre oporteat, nec sibi vel momento vivere, sed Creatori, Redemptori & Glorificatori suo, ita ut Deus esse debeat hominis, & omnis actionis humanæ finis ultimus, uti to. 1. demonstravimus, velut ex sacris Litteris, sanctis Patribus & ratione certissimum.

CAPUT VI.

Designantur tempora, quibus obligat primum mandatum.

NEgari ergo non potest, primum maximumque divinæ dilectionis mandatum obligare nedum in principio & fine vitæ moralis, nec solùm aliquoties intermedio tempore, sed in omni parte illius, prout eodem tomo 1. demonstratum, atque hoc loco breviter repetendum exponendumque est. 29

Recolendum itaque ex ibi dictis, primum mandatum ad duo obligare. Primò, sub mortali, ad hoc ut Deus solus, actu vel virtute, semper sit finis ultimus hominis, sive agentis. Secundò, sub veniali, ad hoc ut Deus sit finis ultimus cujuslibet actionis humanæ, seu deliberatæ. 30

Deum esse finem ultimum hominis, seu (ut alii) agentis, vel vitæ & cordis, est Deum esse finem ultimum simpliciter, cui utique præ cæteris vivitur, in quem vita & cor hominis præcipuè tendit, in quo præcipuè delectatur & requiescit, quique proinde super omnia alia amatur, amoreque cæteris amoribus prædominante diligitur. Deum verò esse finem ultimum cujuslibet humanæ actionis, est quamlibet actionem humanam in Deum propter se dilectum referre, ita ut quælibet hominis actio deliberata ex aliquo Dei propter se amore finaliter proficiscatur. 31

Quoad primum ergo incunctanter asse- 32

rimus 1°. cum S. Thoma 1. 2. q. 89. a. 6. ad 3. & cum S. Francisco Salesio lib. 10. de amore Dei c. 6. hominem à primo momento usûs rationis teneri Deum diligere velut finem suum simpliciter ultimum, & quidem super omnia, amoreque cæteris amoribus prædominante, idque sub mortali.

33 Ad cujus evidentiam, sapienter observat Denuntiator doctrinæ RR. PP. Collegii Anglicani Soc. Jesu denunt. XIII. pag. 8. „ dum hîc sermo est de usu rationis, non „ usum qualemcumque intelligi, sed plenum „ ac perfectum, qui sufficiat ad deliberan- „ dum de rebus magnis, ut de fine vitæ sibi „ constituendo, de eligenda salute vel dam- „ natione æternâ, de diligendo Deo vel mun- „ do.

Quòdque „ usus iste non simul & semel, „ sed sensim acquiritur. Mens enim primùm „ carni & sensibus tota immersa, capere non „ potest nisi carnalia & spiritualia; nec ratio- „ ne regitur, sed sensu: deinde à carne & sen- „ sibus paulatim emergens, nunc se veluti su- „ pra illa attollit, nunc iterùm iis obruta suc- „ cumbit; donec tandem ad perfectum & ple- „ num rationis usum enitatur.

„ Porrò incertum est, quantum ad hoc „ temporis requiratur; an hebdomada, an „ mensis, an trimestre, an annus medius, an „ totus, an ampliùs. Videas enim pueros quin- „ quennes aut sexennes, de quibus dubitare „ non possis, quin aliquando ratione utantur: „ sed an usus rationis adeò plenus & perfec- „ tus sit, ut sufficiat ad peccatum mortale, „ fortè non immeritò dubitabis usque ad sep- „ tennium, vel octennium. Id certum, aliis „ citiùs, aliis tardiùs, plenum istum usum „ contingere: quamquam quo tempore alicui „ contigerit, definire difficillimum.

„ Dum autem plenus iste usus nondum „ contigit, nihil obstare videtur, quominùs „ adsit usus rationis sufficiens ad peccatum ve- „ niale. Si enim juxta omnium Theologorum „ sententiam, actus aliquis ex objecto morta- „ liter malus, fieri possit venialis propter in- „ deliberationem, seu imperfectum rationis „ usum, quo committitur: quidni propter „ similem rationis usum adhuc imperfectum, „ venialiter possint peccare pueri, priusquàm „ usum perfectum acceperint ad peccandum „ mortaliter.

34 Ex his intelligitur, quale tandem sit pri- „ mum istud instans rationis, quo docent „ Theologi teneri hominem amore prædomi- „ nante Deum diligere, eumque sibi ut vitæ „ finem constituere. Neque enim hîc cogi- „ tandum instans physicum, quod ad plenum „ istum ac perfectum rationis usum acqui- „ rendum minimè sufficit; sed instans quod- „ dam morale, quod plures dies, hebdoma- „ das, menses, & fortè annum, aut ampliùs „ complectitur.

„ Nam primum instans morale illud dicitur, „ quod à primo rationis diluculo usque ad usum rationis plenum & perfectum labitur. « Hoc autem ad longum non rarò tempus ex- « tendi, ipsa experientia convincit. «

Sic explicata S. Thomæ doctrina de « præcepto diligendi Deum super omnia pri- « mo instante usûs rationis, nulli mira aut « dura videri poterit. Quis enim miretur præ- « ceptum istud imponi pueris, non mox ut « aliquem rationis usum acceperint, sed tunc « cùm post usum rationis imperfectum, satis « fortè diuturnum, quo incipere potuerunt « imperfectè Deum cognoscere & amare, « tandem perveniunt ad usum rationis plenum « & perfectum, quo possint ipsum amare su- « per omnia? «

Cæterùm quia verosimile est, imperfe- « ctum aliquem rationis usum incipere satis ci- « tò; incertum verò, quo tempore adve- « niat usus rationis plenus & perfectus; debet « in hoc Parentum, Magistrorum, & Tu- « torum cura sollicitè desudare, ut parvulis « ab ipsa infantia Deus tanquam super omnia « amabilis proponatur, ut instilletur amor vir- « tutum, horror vitiorum, &c. Nam post- « quam se per actus amoris Dei imperfectos « diù antè exercuerint, non adeò ipsis, dum « ad perfectum rationis usum venerint, diffi- « cile erit amorem Dei super omnia elicere. « Ubi alioqui, si nonnisi mundum, dum usus « rationis adhuc imperfectus erat, diligere di- « dicerint, difficillimè profectò Deum dili- « gent super omnia, dum venerint ad usum « rationis perfectum. «

Ad id verò ipsos teneri probant rationes 35 sequentes. Prima: rationem ad hoc homo accepit, ut deliberet de fine suo ultimo, ad quem se debeat super omnia convertere, quamprimùm potest. Istud est enim negotium negotiorum, cui per totam vitam rationalem, seu moralem, præ cæteris se debet applicare. Ad hoc quippe rationem accepit, ut verè sapiens & intelligens sit; vera autem sapientia intelligentiaque nulla est, nisi in cognoscenda & amanda beatitudine sua. *Creaturæ autem rationali alia beatitudo non potuit, nec potest esse, nec poterit, nisi ut agnoscens à quo non solum facta, sed etiam à quo rationalis facta est, majorem dilectionem exhibeat bono Creatori, quàm sibi. Neque enim ei inesse posset ullatenùs ratio, nisi ei inesse posset Creatoris dilectio. Quia nec est ulla, quæ vera sit sapientia vel intelligentia creaturæ rationalis, nisi dilectio Creatoris*, inquit Fulgentius l. 1. ad Monim. c. 17.

Secunda ratio: innumeris homo titulis 36 Deo debet primitias suæ libertatis, sui cordis, amorisque in se dominantis: ad hoc quippe significandum Deus olim exigebat primitias frugum, animaliumque primogenita.

Tertia ratio: *cùm quilibet* (ut S. Tho- 37 mas ait q. 28. verit. a. 3. ad 4.) à principio usûs rationis *teneatur peccatum vitare*, & hoc fieri non possit, *nisi præstituto sibi debito fine* ultimo; *tenetur quilibet, cùm primò sua men-*

tù

tis est compos, ad Deum super omnia *se convertere, & in eo finem* simpliciter ultimum *constituere.* Enimverò, uti D. Basilius ait in Psal. 1. ad v. 1. *adhuc in prima ætate existentes homines, neque in vitio sumus, neque in virtute ..... Postquam verò ratio nostra fuerit completa, tunc fit quod scriptum est* Rom. 7. v. 9. *Ubi venit mandatum, peccatum revixit; ego verò moriebar.* Nam *reverà, ubi venit mandatum, id est cognitio bonorum, si non pejori cogitationi dominatus fueris,* eam per amorem Dei prædominantem subjiciendo, *sed rationem ab affectionibus in servitutem redigi concesseris, revixit quidem peccatum; moritur autem mens, per delictum mortua facta.* Quasi dicat, rationem à pravis tunc affectionibus in servitutem redigi, si eas ipsa non subjiciat divinæ legi per amorem Dei prædominantem.

38 Et hinc desumitur ratio quarta, quia, ut ibi Basilius innuit, & Augustinus expressè tradit, si dum ratio completa, seu plena & perfecta fuerit, in corde hominis per amorem pravis affectionibus prædominantem non regnet Dei charitas, regnare ac prædominari incipit carnalis cupiditas, per quam pro fine ultimo bonum habetur creatum, adeòque peccatum incurritur mortale. Siquidem *regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas,* inquit Augustinus Enchiridii 117. Et *duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates.... Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi,* ait S. Leo serm. 5. de jejun. 7. mensis. Quod est dicere, quòd rationalis animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Deum præcipuè diligit, aut creaturam. Semper enim aliquid est, quod præcipuè diligit. Vel ergo Deum, vel creaturam. Cùm medium inter Deum & creaturam non detur. Quòd sine amore rationalis animus esse non possit, similiter asserunt Augustinus præfat. in Psal. 31. & 121. Fulgentius loco citato cap. 18. Gregorius l. 18. Moral. c. 8. Author libri de substantia dilectionis (apud Augustinum) c. 6. Quia (inquit) *vita cordis amor est; & idcircò impossibile est, ut sine amore sit cor, quod vivere cupit.* Et sicut in corde hominis semper est aliquis amor, qui super reliquos affectus tenet principatum (in cor enim *amor cùm advenerit, omnes in se traducit & captivat affectus,* inquit Bernardus serm. 83. in Cant.) sic in corde hominis semper est aliquis amor super reliquos amores principatum tenens, sive qui præ cæteris amoribus possessor & dominator est cordis ipsius. Ideò enim (secundùm Augustinum) *regnat carnalis cupiditas, ubi non est,* sive ubi non dominatur *Dei charitas.*

39 Ideò etiam duos tantùm amantium ordines idem Augustinus agnoscit, quorum alii Deum super omnia amant usque ad contemptum sui; alii seipsos usque ad contemptum Dei: *Fecerunt civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; cælestem verò amor Dei usque ad contemptum sui.* L. 14. Civit. c. ult. Igitur, secundùm ipsum, inter has civitates medium non datur, sed unusquisque vel civis est civitatis terrenæ per amorem sui usque ad contemptum Dei; vel est civis civitatis cælestis, per amorem Dei usque ad contemptum sui. Per consequens unusquisque vel Deum habet pro fine simpliciter ultimo, vel creaturam. Nec medium inter duos hosce fines ultimos Augustinus magis agnoscit, quàm inter duas illas civitates.

Denique istam etiam præcipuè ob cau- 40
sam l. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 18. dicit, quòd *voluntas mirum si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus, & bona est; & si magis diligimus, magis bona; si minùs, minùs bona: aut si omninò non diligimus, non bona est. Quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modò esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?* Neque enim *pessimam* Augustinus esse dicit voluntatem nullo modo justitiam seu Deum diligentem, nisi quia eo ipso Deum non habet pro fine ultimo, sed creaturam.

Quinta proinde ratio est quia eo ipso quo 41
homo post adeptum completum & perfectum rationis usum non convertit se ad Deum, velut finem suum ultimum, convertit se ad creaturam, sive ad mundum, eoque fruitur, ei inhæret, ei vivit, diligitque amore prædominante ea quæ mundi sunt. Alienus proinde est ab amicitia Dei, & ut phrasi utar discipuli, quem diligebat Jesus, *non est charitas Patris in eo.* Neque enim nullâ re fruitur, neque nulli rei vivit & inhæret, velut fini suo ultimo (cùm hoc fieri nequeat.) Vel ergo Deo fruitur & inhæret, vel mundo. Non Deo, ut supponitur. Igitur mundo.

Ultima & præcipua ratio est quia eo 42
ipso quo homo adeptus est perfectum rationis usum, legibus adstringitur naturalibus & divinis. Adstringitur proinde primo maximoque mandato. *Mandatum* verò istud (ut D. Salesius ait loco citato) *amorem inter mille amores electum præscribit, quemadmodùm eo amore dilectus, electus est inter mille, ut dilecta Sulamitis notavit in Cantico. Est amor, quem omnes amores vincere, & omnibus nostris affectibus regnantis in modum dominari necesse est. Et hoc à nobis exigit Deus, ut sui amor, præ reliquis nostris amoribus, altiùs cordi impressus, toti cordi præsit ac imperet, ut ardentiori affectu totam animam nostram obtineat, & majori amplitudine nostras omnes facultates ad opus adhibeat, ut sit sublimior, omnemque nostram mentem impleat, ut denique sit fortior & robustior, omnemque nostram fortitudinem & vigorem exerceat. Et quia, per illum, Deum in supremum nostræ mentis obje-*

Etum eligimus, amor est summa dilectionis, & electio summi amoris. Quia nempe Dei bonitas omnem aliam bonitatem infinitis partibus antecellit..... In summa est amor excellentiæ, vel excellentia amoris, qui omnibus mortalibus in genere & in specie, seu generaliter & particulariter unicuique mandatus est, & hoc à primo momento quo incipiunt uti ratione, amor sufficiens cuilibet, & necessarius singulis ad salutem. In ista primi mandati expositione Augustino Salesius concinit : utpote qui l. de morib. Eccles. c. 11. *summum* (inquit) *bonum, quod etiam optimum dicitur, non modò diligendum esse nemo ambigit ; sed sta diligendum, ut nihil amplius* (imò *nihil æque*, ut dicit epist. 155. ad Macedon.) *diligere debeamus ; idque significatur & exprimitur eo quod dictum est, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Unde concludit : *nihil nobis aliud esse optimum ad quod adipiscendum, postpositis cæteris, festinare oporteat, quàm Deum.* Quòdque *mors animæ sit taliter non diligere Deum*, sed ei diligendo aliquid vel præponere, vel æquare.

44 Asserimus 2°. in fine etiam vitæ rationalis, sive in probabili periculo mortis, hominem sub mortali debere Deum super omnia diligere, velut finem suum simpliciter ultimum. Debet enim Domino mori, sicut debet Domino vivere, secundùm illud Rom. 14. *Sive enim vivimus, Domino vivimus ; sive morimur, Domino morimur : sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Debet etiam tunc maximè ultimo se fini suo per amorem conjungere, quando fini illi maximè appropinquat. Debet item venienti Sponso suo gressu amoris obviàm ire. Debet denique tunc maximè sibi per pœnitentiam consulere (sine qua nullus migrare debet ex vita) *pœnitentiam* autem *certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.* Qui & aliunde tunc maximè necessarius est, ad muniendum cor adversus graviores tentationes tunc maximè insurgentes. Suam proinde salutem graviter censetur negligere, qui Deum tunc super omnia negligit amare.

45 Asserendum 3°. intermedio tempore, amoris Dei super omnia, seu prædominantis actum non posse, sine mortali, notabili tempore intermitti, sed adeò frequenter exercendum esse, ut morali quodam modo Deum super omnia semper actu vel virtute diligere censeamur, amorque ipsius principem in corde nostro locum semper obtinere. Tametsi enim non teneamur ad continuum istius amoris exercitium (utpote possibilitatem nostram in præsenti superans statu) tenemur tamen eo saltem modo Deum semper habere pro fine ultimo, & ut talem amare, quo avarus quamdiù avarus, pecuniam habet & amat pro fine suo ultimo, ambitiosus honorem, libidinosus voluptatem, &c. etiam tunc quando de pecunia, honore, voluptate, &c. actu non cogitat, vel per horam nihil agit ex amore pecuniæ, &c. sed (distractus) de alia re cogitat, eamque amat. Eo quippe non obstante semper in dispositione animi, in actum (oblatâ occasione) frequenter prorumpente, pecuniam amat velut finem suum ultimum, &c.

Dixi *actu vel virtute*, ad significandum 46
quòd non sufficiat Deum velut finem ultimum semper amare in habitu otioso, velut in actum rarò prorumpente. Neque enim divini super omnia amoris habitus esse potest taliter otiosus in iis qui finem suum ultimum verè constituunt in Deo, magis quàm amoris super omnia pecuniæ, honoris, voluptatis habitus esse possit otiosus in iis qui finem suum ultimum verè constituunt in pecunia, honore, voluptate, cùm amor sit vita cordis. Vita verò otiosa esse non potest ; uti nec ignis & flamma, cui amor comparatur. Unde Augustinus in Psal. 31. *Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem.* Et in Psal. 121. *Habet omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis.* Et Gregorius Homil. 30. in Evang. *Nunquam est amor Dei otiosus..... Si operari renuit, amor non est.*

Accedit quòd habitus otiosos solida non 47
admittat Philosophia : utpote quæ docet, quòd habitus, qui generatur ex actibus, per actus conservatur, & per non usum deficit. Quod potissimùm verum est de habitu virtutis, & maximè de habitu charitatis. Quid enim virtus, etiam juxta Philosophum ? Est, inquit, *dispositio perfecti ad optimum*, id est ad actionem, seu operationem, uti S. Thomas exponit. Igitur naturâ suâ iners non est & otiosa, sed actuosa. Virtus (ait S. Thomas 1. 2. q. 55. a. 4.) est *bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, &c.* Rectè autem vivere, agere est. Virtus (ait Gerson) *est bona inclinatio naturæ rationalis ad operationes naturæ suæ congruas laudabiliter exercendum.* Ergo inertia & otiositas est contra naturam virtutis. Idque præcæteris verum est de virtute charitatis, de qua Cantic. 8. *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.* Flamma verò, ut dixi, otiosa esse non potest. Quamdiù extra centrum suum est, inquieta est, perpetuoque in motu versus illud. De amore idem dixit Idiota : *amoris requies, inquietudo. Vide flammam* (ait Bernardus serm. 4. de verb. Isa.) *quasi volantem & stantem simul, nec miraberis jam Seraphim stantes volare, stare volantes.* Sed & actuosam charitatem, non otiosam Apostolus exhibet, dicens : *Charitas Christi urget nos.* Charitas *patiens est, benigna est*, &c.

Neque ergo otiosos virtutum habitus ma- 48
gis admittit, vel permittit Christiana Theologia, quàm Philosophia. Imò si de verbis otiosis rationem reddendam docet, nunquid non de habitibus & talentis otiosis ? Quæ-

rit

rit Propheta Pſ. 23. *Quis aſcendet montem Domini?* Et reſpondet: *Qui non accepit in vano animam ſuam.* Animam verò ſuam in vano accipit, qui ipſam virtutum habitibus inſtructam, otioſam & inertem relinquit. Et de ſervo inerte, qui talentum ſuum otioſum reliquit; *ligatis* (inquit Dominus) *manibus & pedibus projicite eum in tenebras exteriores.* Et quomodò cum virtutum habitibus otiari permittimur, qui ſemper proficere, atque in juſtitia creſcere jubemur? *Veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia.* Epheſ. 4. *Creſcite in gratia, & cognitione Domini noſtri*, &c. 2. Petr. 3. Incrementum verò iſtud in otioſitate non eſt, ſed in frequentiſſimis actibus charitatis, in qua conſiſtit juſtitia chriſtiana, ſecundùm illud Aug. *Charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt*, &c.

49 Quòd itaque modo dicto ſuper omnia Deus ſemper ſit diligendus (præter dicta) probatur ex verbis primi mandati, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima, & ex tota mente*, quibus jubemur Deum ex toto corde, &c. atque adeò ſuper omnia diligere, non aliquâ, ſed omni parte vitæ ſenſu dicto. *Dicendo* quippe *toto corde, totâ animâ, totâ mente, nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut aliâ re* quiſpiam *velit frui*, inquit Auguſtinus l. 1. de doctr. Chriſt. c. 22. Enimverò totam vitam exigit, qui totum cor, totam animam, totam mentem creavit, redemitque, nec permittit vel momento quemquam vivere ſibi, vel mundo. *Nemo enim noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi moritur. Sive enim vivimus, ſive morimur*, ſemper *Domini ſumus*, ſemper proinde Domino vivere debemus. Et quia pro nobis *Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit*, tota vita noſtra ipſi debita eſt. *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur.* Rom. 14. *Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* 2. Cor. 5. Quid eſt autem Deo & Chriſto vivere, niſi ipſum pro fine totius vitæ noſtræ ultimo habere? Denique Matth. 4. ſcriptum eſt: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Nunquam ergo licet creaturæ ſervire, ſive creaturam pro fine ultimo habere. Creaturam verò eo ipſo pro fine ultimo habet, qui quocumque tempore Deum non habet. Quia rationale agens nunquam non habet finem aliquem ultimum. Nunquam proinde non Deum, vel creaturam, ut ſuprà eſt oſtenſum. Creaturam verò pro fine ultimo habere, etiam cum Deo, prohibet Chriſtus, cùm ait Matth. 6. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire.* Porrò creaturæ ſervit, quiſquis eam pro fine ultimo habet, eamque ſuper omnia diligit, contra id quod ſcriptum eſt ibidem cap. 10. *Qui amat patrem aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus.* Denique nunquam in corde noſtro regnare poteſt cupiditas. *Regnat autem carnalis cupiditas, ubi*, & quando *non regnat Dei charitas*, uti etiam ſuprà eſt demonſtratum. Per conſequens, niſi ſemper in corde noſtro regnare debeat Dei charitas, in eo regnare aliquando poterit carnalis cupiditas.

Et confirmatur 1°. quia ex dictis duo tantùm ſunt hominum ordines, quorum alii vel juſti ſunt, Deumque amant uſque ad contemptum ſui; injuſti alii, ſeipſos amantes uſque ad contemptum Dei. Semper ergo homo vel juſtus eſt, Deumque amans uſque ad contemptum ſui; vel injuſtus, ſeipſum amans uſque ad contemptum Dei. Porrò nunquam homini licitum eſt, ſed ſemper ſub mortali illicitum, ſeipſum amare uſque ad contemptum Dei. Semper ergo jubetur Deum amare uſque ad contemptum ſui. 50

2°. paulò aliter ſic: ſemper homo vel juſtus eſt, & pertinens ad civitatem cæleſtem; vel injuſtus, & pertinens ad civitatem terreſtrem. Si primum, in eo regnat charitas, ſive amor Dei, uſque ad contemptum ſui. Si ſecundum, in eo regnat cupiditas, ſive amor ſui uſque ad contemptum Dei. *Interroget ergo ſe quiſque* (ait Proſper ſent. 221.) *quid amet*, amore utique regnante ſeu prædominante, *& inveniet unde ſit civis. Duas quippe in toto mundo civitates faciunt duo* regnantes *amores; Hieruſalem facit amor Dei; Babylonem amor ſæculi.* 51

Cæterùm dum dicitur, in corde juſti regnare charitatem, in corde injuſti cupiditatem, ſenſus non eſt, quòd quidquid facit juſtus, faciat ex regnante ſeu prædominante charitate, & injuſtus ex regnante cupiditate. Neque enim in homine, ſive juſto, ſive injuſto, amor prædominans ſemper eſt in actu; neque ex prædominante amore juſtus vel injuſtus facit quidquid facit (uti manifeſtum eſt in avaro, ambitioſo, voluptuoſo, in quibus prædominatur amor pecuniæ, honoris, voluptatis: qui tamen amor in ipſis non ſemper eſt actualis, nec ex ipſo ipſi faciunt quidquid faciunt) ſed juſtus ſubinde agit ex cupiditate (licèt non prædominante) per manſorios creaturarum amorculos; ſimiliter injuſtus ſubinde agit ex charitate, ſeu Dei propter ſe amore, licèt in ipſo nondum prædominante. Quemadmodùm & avarus, in quo prædominatur amor pecuniæ, ſubinde agit ex alio affectu in ipſo non prædominante. Et idem eſt de ambitioſo & libidinoſo. 52

Hactenùs de prima, quam n. 30. propoſuimus, primi mandati obligatione; nunc de altera dicendum foret, quæ docet, Deum, ſub levi obligatione, eſſe debere finem ultimum cujuſlibet actionis noſtræ deliberatæ. 53

Verùm de ea satis dictum est tomo 1. l. 8. per totum, ubi copiosissimè obligationem istam exposuimus demonstravimusque.

CAPUT VII.

Momentosâ observatione roboratur asserta obligatio primi maximique mandati.

54 EX dictis capite præcedenti manifestum videtur, immanè à veritate, à pietate, à sacris Litteris, à sanctis Patribus, à recta ratione aberrare propositiones n. 23. 24. 25. & 27. enarratas, sicut & istam, quam Socii Anglo-Leodienses, Sanderus & Hyldesiæus, in Thesibus tradiderunt 15. Maii 1684. conclus. 27. *Charitatis præceptum incipit obligare postquam quis fuerit sufficienter instructus de mysteriis fidei*: utpote ex qua sequitur fieri posse, ut præcepto isto totâ vitâ numquam teneatur: cùm (juxta Theologos passim omnes) fieri possit, ut quis absque culpa sua de mysteriis fidei nunquam totâ vitâ sufficienter instructus fuerit, sed totâ vitâ laboraverit infidelitate purè negativâ erga Christum v. g.; prout Christus ipse videtur innuere, cùm dicit: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.*

55 Quod cùm ita sit, mirum quòd adversus propositiones istas zelum suum non demonstrarunt illi, qui pro lemmate habentes, *ad majorem Dei gloriam*, ad Romanæ Inquisitionis Tribunal eas non detulerunt, ne impiam quidem P. Tressi hæresim, sed piissimam, castissimam, sanctissimamque D. Augustini de referendis in Deum operibus doctrinam. Quam dum ab ipsis accusatam vidi, vix oculis meis credidi. Neque enim ad eam accusandam divinæ gloriæ zelus ipsos movere potuit. Cùm eam non accusarint cum ædificatione charitatis, vel pietatis, imò cum scandalo totius Christiani Orbis, ita ut unus ex Qualificatoribus ad examen articulorum accusatorum deputatis, interrogatus, foret-ne periculum censuræ istius propositionis? Responderit: *Si articulus ille censurâ aliquâ perstringeretur, ad minimum scandalosus dici deberet: esset autem scandalosum, dicere articulum illum esse scandalosum.* Cum eo & alium istum articulum accusarunt: *Amor Dei amori creaturarum sub mortali semper prædominari debet: unde ex illo semper vivendum; quod non sit per habitus merè otiosos.* Aliosque ejusmodi articulos detulerunt, velut qui *homines adigerent in desperationem.* Quasi verò primum maximumque mandatum homines in desperationem adigeret, vel hominibus permitteret aliquo tempore vitæ suæ moralis vivere sibi, non Deo, vel finem suum ultimum in aliquo constituere extra Deum, vel amare supra Deum. Quod profectò si aliquo liceat tempore, difficile erit tempus istud determinare, ostendereque, quòd non liceat vivere sibi toto die, totâ hebdomadâ, toto mense, toto anno, toto quinquennio.... Per consequens difficile erit damnatis hisce propositionibus aditum præcludere: *Probabile est ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret? condemnare non audemus*, &c.

56 Difficultatem istam auget, tum ingenua confessio Adversariorum, sibi admodùm difficilem affirmantium determinationem temporis, quo primum obligat præceptum. Tum varietas atque ex varietate profecta exorbitantia circa hoc opinionum ipsorum. Siquidem, præter damnatas istas propositiones, aliasque quas cap. 5. recensuimus: Suarez, aliique plures aiunt, præceptum istud graviter obligare aliquoties in vita; sed quoties? determinare nesciunt. Tametsi enim dicant, illius executionem diù differri non posse, quodnam sit tempus istud diuturnum, determinare non audent. Nisi quòd Escobar Th. Mor. tr. 5. exam. 4. c. 1. cum Henriquez determinet principium & finem vitæ moralis, & tempus vitæ intermedium, saltem singulis quinquenniis. Suarez verò solùm negativè illud determinat, aiendo, dictum præceptum obligare ad non differendum per multos annos, id est (ut Coninck, Comptonus, & Unanoa exemplificant) ad tres vel quatuor annos. Palao ad tres annos. Andræas Meudo in statera dissert. 1. q. 13. n. 141. dicit semel in anno obligare.

57 Verum enimverò quo fundamento annuam ipse obligationem determinat, potiùs quàm alii biennalem, alii triennalem, &c.? Quam affert rationem, vel Scripturæ, aut Sanctorum authoritatem, pro annua obligatione, quæ non probet, obligare semel sexto, quinto, quarto, tertio, secundo, uno quolibet mense; imo unâ quâlibet hebdomadâ, uno quolibet die?

58 Ratio certè, quâ Sanchez l. 2. in Decal. c. 35. n. 8. cum Soto improbat opinionem eorum, quibus placet præceptum hoc solùm obligare semel in vita, *quia* scilicet *lex dilectionis Dei totius vitæ Christianæ fundamentum est*, probat non solùm pro quolibet anno, vel biennio, &c. nec solùm pro quolibet mense, vel hebdomadâ, verùm & pro quolibet die, imò pro omni moraliter tempore. Cùm omni die, omnique tempore ducenda sit vita Christiana; quæ nec esse nec duci potest absque fundamento vitæ Christianæ.

59 Rectiùs proinde Joannes Maldonatus in Summula q. 3. a. 1. (quam sub ipsius se nomine vidisse testatur Marcus Codognatus, ex sacro Minimorum Ordine) docet quòd *charitas plus à nobis exigit, nimirum ut ita Deum super omnia diligamus, ut eum non semel & iterum anteferamus rebus omnibus, sed*

& constanter, & in omni vita illi adhæreamus. Natalis quoque Alexander Theol. Dog. & Mor. l. 4. in explicat. 1. præc. Decal. pag. 268. edit. 1. Et in Paralipom. Theol. Mor. epist. 5. docet, quòd *divini amoris actum non semel tantùm in vita, neque tunc solùm, cùm debet justificari, sed sæpiùs, imò quàm frequentissimè potest, homo exercere tenetur.* Et loco cit. Th. Dogm. pag. 274. *toto moralis hujus vitæ tempore divini amoris actus exercere debemus quam frequentissimè possumus.* Quod probat ex allatis verbis primi mandati, necnon ex eo quòd homo in justitia semel accepta semper crescere debeat. Quod justitiæ incrementum Tridentina Synodus sess. 6. c. 10. explicat per *fidei, spei & charitatis augmentum.*

60 Scio quòd laudatam Maldonati Summulam Southwellus neget esse Maldonati. Verùm audiendus non est Souhtwellus, quia Maldonati nomen præfert Summula à Codognato visa & laudata, atque in pluribus extans Bibliothecis. Nec verisimile est Maldonato suppositam esse. Quam enim ob causam ipsi supposita fuisset? Et quam ob causam eam ipsi Southwellus subducit? An quia fateri erubescit, sententiam ex Summula exhibitam Maldonati esse? vel quia sententia ista Southwello & Sociis passim non placet? At placere debet, nec de ea Socii debent erubescere: cùm in divinis Scripturis, Patribus & ratione fundatissima sit. Neque enim cor homini dedit Deus, ut semel in anno, sed ut semper morali quodam modo Deum amaret, solique Creatori ac Redemptori suo semper viveret; ipsum solum semper pro fine ultimo haberet, ipsoque solo frueretur, cæteris uteretur. Ad quod significandum, posteaquàm Deuteron. 6. Deus dixit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*; ita prosequitur: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine atque ostiis domûs tuæ.* Quasi dicat (ait Natalis Alexander, post Episcopum Castorienſem) *non cessatio sedentis ab hoc amore debet cessare: non quies dormientis ab hoc amore quiescere; non vigilia consurgentis, neglecto hoc amore, aliis intendere; non labor itinerantis ab hoc amore discedere: sive domi, sive foris, sive quocumque loco, quocumque tempore, quocumque in opere, homo Dei amator esse debet*; non in habitu inerti & otioso, sed in actus frequentissimos prorumpente, uti suprà ostensum est. Nec verò de habitibus otiosis dantur præcepta, sed de actibus, uti frequenter ait Doctor Angelicus.

De sententia igitur ex Summula Maldonati deprompta erubescere non debet Southwellus, imò potiùs ingemiscere, quòd (ut Natalis Alexander ait epist. 5. citatâ) grassari pergat in dies prava doctrina, quæ primum & maximum Christianæ legis de diligendo Deo mandatum extenuare, & ad nihil penè redigere conatur. 61

CAPUT VIII.

Infundata non est opinio Theologorum, asserentium divini amoris actum ex debito exercendum, 1°. singulis Dominicis ac Festis. 2°. quando adultus suscipit Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ Sacramentum. 3°. quoties gravis tentatio nobis periculum injicit, ne separemur à charitate Christi. 4°. quoties deponendus est affectus ad mortale peccatum; quoties proinde offerre volumus Missæ sacrificium, vel Missam audire; quoties Deum peculiariter colere debemus aut volumus. 5°. quoties insigne beneficium à Deo accipimus. 6°. quoties Deum blasphemiis impeti, vel grandi aliquo scelere offendi videmus.

PRimum docet Scotus, & probatur, quia dies festi non sanctificantur nisi Deum colendo. *Quis* verò *est cultus ejus, nisi amor ejus?* inquit Augustinus l. 12. de Trinit. c. 14. Et confirmatur ex dicendis circa quartum.

Secundum, de adulto peccatore baptismum & pœnitentiam suscipiente, probatur, quia amor, saltem inchoatus, Dei tamquam fontis omnis justitiæ, necessarius est peccatori ad deponendum affectum peccati, & ad percipiendum effectum utriusque istius Sacramenti, uti probabitur to. 3. dum de Sacramentis istis sermo fiet. Eucharistiæ verò, seu amoris Sacramentum absque amore suscipere, pietas non permittit, uti etiam probabitur, cùm de Eucharistia. 62

Tertium probatur, quia in ejusmodi periculo necessarium nobis est firmum propositum non peccandi, Deique charitatem non abjiciendi: quod profectò sine aliqua charitate non esse probabitur ubi de pœnitentia. Tunc igitur Deo adhærere debemus *in charitate radicati & fundati*, ut similes simus arbori altis radicibus terræ adhærenti, quæ vix loco moveri potest. 63

Quartum probatur ex dictis n. 63. quia scilicet peccati lethalis affectus solâ charitate, saltem inchoatâ, excludi potest, uti sapienter ostendit Natalis Alexander Th. Dog. & Moral. to. 9. c. 5. a. 6. Reg. 9. & in Paralipom. Moral. epist. 11. pag. 49. & seqq. nosque demonstrabimus to. 3. l. 5. Et hinc peccatori necessarius est charitatis affectus, saltem inchoatus, ad festos dies sanctificandos, ad Missam ritè audiendam, ad Deum ut oportet colendum, &c. 64

utpote quem non sufficit exteriùs, verùm oportet & interiùs colere. Consistit verò interior cultus *in hoc quòd anima conjungatur Deo per intellectum & affectum*, inquit S. Thomas 1. 2. q. 101. a. 2. in corp. Ad debitum proinde Dei cultum necesse est per charitatis actum deponere peccati lethalis affectum. Quam ob causam Scotus in 3. dist. 2. docet, peccare mortaliter contra præceptum sanctificandi Festa, qui conscientiam habens peccati lethalis, affectum ipsius non deponit. Natalis quoque Alexander in Paralipom. Moral. pag. 43. & seqq. graviter peccare dicit eos, qui cum peccati lethalis affectu, Missæ sacrificio diebus Dominicis & Festis intersunt, nec à peccato (licèt minùs gravi) immunes, qui ei, dicto cum affectu intersunt diebus non Festis; non quia Missam audiunt, sed quia cum affectu debito non audiunt. Neque doctrina ista jure (inquit) accusatur novitatis. Cùm in Scriptura sacra fundata sit (quæ Deum *in spiritu & veritate adorare* jubet) & à viris eruditis ante nos tradita, scilicet à R^mo D. Joanne Episcopo Castoriensi in Amore suo pœnitente, ab Authore eximii operis (ab erudito & pio Cardinale Bona commendati, atque ab Episcopis quinque, & septem sacræ Facultatis Parisiensis Doctoribus approbati) quod inscribitur, *Morale Chrétienne sur le Pater* c. 3. sect. 3. Hæc etiam (inquit) Rupellensis Ecclesiæ doctrina est in collationibus Diœcesanis tradita & firmata c. 53. & seqq. Hanc denique plurimi Præsules & Doctores, ut saniorem & tutiorem propugnant, ac in suis Diœcesibus doceri jubent ac prædicari. Nec certè minor dispositio ac animi puritas necessaria est ad Missam ritè audiendam, quàm ad Orationis Dominicæ recitationem. At novi peccati fit reus, qui Dominicam Orationem recitat in peccati mortalis affectu, judice Bellarmino l. 1. de bonis operibus c. 6. ubi quærit: *an qui ex animo remittit injurias, & tamen in aliquo alio peccato voluntariè perseverat, possit hac oratione aliquid impetrare?* Respondet: si non capit gratiam conversionis, nec ex animo illam petit, sed vel orat solis labiis ex consuetudine; vel (quod gravius est) ut videatur ab hominibus; non solùm nihil impetrat, sed etiam oratio ejus fiet in.... peccatum: cùm in singulis ferè petitionibus mentiatur. Quomodò enim potest dicere, *Pater noster*, qui non vult esse filius, nec filialem erga Deum habet affectum, sed hostilem? Et *sanctificetur nomen tuum*, per quem nomen Dei assiduè blasphematur, atque etiamnùm per criminosum inhonoratur affectum? Et *adveniat regnum tuum*, qui nihil magis quàm adventum Domini timet, mavultque esse in regno diaboli, quàm Christi? Et *fiat voluntas tua*, qui suam, non Dei voluntatem, semper facit, voluntariéque manet Deo rebellis? Et *dimitte nobis debita nostra*, seu peccata, dum adhuc affectu peccat? *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, odio & vindictâ in proximum exæstuans? *Et ne nos inducas in tentationem*, cedere volens tentationi, occasionemque amans peccandi? Talis ergo non potest in spiritu orare, nec in spiritu & veritate, sed in hypocrisi & simulatione Deum adorare; nec Salvatoris præceptum implere: quod enim de fratre Salvator ait Matth. 5. 23. à fortiori verum est de Deo: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus* (à fortiori Deus) *habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum, & vade priùs reconciliari fratri* (vel Deo tuo) *& tunc veniens offeres munus tuum.*

Ex his Merbesius in Sum. Christ. p. 1. q. 8. concludit, pro certo lethaliter peccare, qui peccati lethalis affectu plenus, Missæ interest sacrificio, orationemque ipsius execrabilem esse, nisi affectu illo depositio, ad Deum quem precari vult, seriò reverti proposuerit. Scriptum est enim: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Proverb. 28. Idque præclaris Gregorii Nysseni, Hieronymi & Augustini sententiis roborat. Et si graviter peccat (inquit) qui inter orandum notabili tempore voluntariè distrahitur, saltem dum oret ex præcepto; à fortiori qui corde avertitur à Deo, per affectum ad mortale peccatum, inter ipsa sacrificii Missæ tempora, quibus interiori cordis affectu Deum orare debet, & adorare? 67

Quòd hanc doctrinam Jansenianam ii vocent, qui in eam puerili more suo declamant, nihil moror (ait Natalis Alexander) præterquàm enim quòd impingunt in Decretum Innocentii XII. *Istud politicæ à Diabolo ad imperium suum firmandum atque propagandum inspiratæ ingenium & consilium est, illos omnes invidioso Jansenianorum nomine sugillare, atque in suspicionem adducere, qui corruptam ac pestilentem Recentiorum quorumdam Casuistarum doctrinam impugnant, & sanam Jesu Christi Moralem pro viribi docent ac tuentur, quamlibet sincerè ejurent propositiones omnes à Sede Apostolica damnatas. Sed confusos illos inimicorum veritatis & saniorismorum doctrinæ clamores & strepitus non curamus. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* 68

Quintum probatur ex vulgata paræmia: *Amor amorem poscit*, necnon ex eo quòd ingrati animi indicium sit, Deum insigni beneficio suum erga nos amorem demonstrantem non redamare. 69

Sextum denique probatur, quia anima justi sponsa est Dei, cujus est zelare honorem divini Sponsi sui, quemadmodùm S. Theresiæ Christus dixit: *Deinceps ut vera Sponsa meum zelabis honorem*, sicque affectam esse, quomodò affectus erat David Psal. 118. dicens: *Tabescere me fecit zelus* 70

meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Zelus autem iste sine amore non est. Zelus namque iste omnes sibi inimicos putat, qui sunt hostes Dei. *Nemo* enim *gravior hostis omnium, quam qui omnium laedit Authorem*, inquit Aug. serm. 29. in Psalmum illum.

CAPUT IX.

Contra primum mandatum est, aliâ re frui velle, praeter Deum.

71 PLurima & perspicua ad id probandum Augustini testimonia to. 1. exhibuimus, ubi etiam fundamentis inconcussis ex divina Scriptura, Patribus, SS. Pontificum decretis, solidissimisque rationibus demonstravimus, solum Deum amabilem esse finaliter propter se; nullam verò creaturam licitè amari finaliter propter seipsam, sed finaliter propter Deum dumtaxat.

72 At cui haec rigorosa & austera non videantur? quaerit quispiam vir doctus è nostris?

Respondeo non Spiritui sancto dicenti: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Dilige Dominum in omni vita tua. Omnia in gloriam Dei facite. Nolite diligere mundum. Qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur, &c.* Non Augustino dicenti: *Quidquid se putaverit homo facere benè, si fiat absque charitate, nullo modo sit benè.* De grat. & lib. arb. c. 18. Et alibi frequenter ingeminanti, solo Deo fruendum (id est, inquit, amore alicui alteri rei inhaerere propter seipsam) solique Deo amore inhaerendum propter seipsum; rebus verò creatis utendum, *non quasi mansoriâ quâdam dilectione .... sed transitoriâ potiùs, tamquam viae, tamquam vehiculorum, vel aliorum quorumlibet instrumentorum ..... ut ea quibus ferimur, propter illud ad quod ferimur, diligamus.* Non aliis majoribus nostris eodem to. 1. productis. Non celebrioribus etiamnùm Doctoribus, qui de moribus philosophantur ex germanis Moralis Christianae fontibus. Non denique caeteris attentâ meditatione pensantibus, quem ob finem Deus dederit cor & esse homini. Quem finem ne ipsi quidem ignorant pueri, qui de eo in Catechismo interrogati, respondent, ad nihil aliud esse hominem, nisi ut Deum amet, eique soli serviat.

73 Quibus ergo rigorosa & austera videntur? Secundùm corruptam rationem, non secundùm documenta sacra, & Sanctorum testimonia philosophantibus, laborantibusque praejudicio opinionum praeconceptarum; quibus austera & rigorosa videntur, quae favent spiritui; benigna & suavia, quae carni & sanguini; austera vel ipsa Ecclesiae doctrina, quòd comedere & bibere non liceat, ob solam delectationem cibi & potûs; nec licitus actus conjugalis ob solam voluptatem ipsi annexam; & adhuc austerior sententia Augustini 4. contra Jul. 14. *Movetur animus ad pietatis affectum divino Cantico audito; tamen etiam illic, si sonum, non sensum libido audiendi desideret, improbatur.*

At (instat ille) dum Augustinus dicit 74
non esse creaturis fruendum, sed utendum, nec ullam creaturam propter se finaliter amandam, fruitionem accipit pro amore rei propter se tamquam finem positivè ultimum, ita ut res illa ametur tamquam finis ultimus simpliciter; Deoque creatura interpretativè praeferatur. Non verò pro amore rei propter se tamquam finem negativè ultimum; pro amore utique rei ad Deum referibilis, quam quis amet absque actuali vel virtuali relatione in Deum; sic tamen ut eam deserere paratus sit ad minimum Dei de illa deserenda grave praeceptum. Idque probare conatur 1°. quia fruitio creaturae, de qua Augustinus, est mortale peccatum, (quod de amore proximè dicto asseri nequit) eam quippe perversitatem seu perversionem Augustinus appellat, dicens: *Omnis humana perversio est, fruendis uti velle, atque utendis frui.* 2°. si omnis amor creaturae propter se tamquam finem negativè, non positivè ultimum, esset fruitio, quam improbat Augustinus, nihil amaretur benè sine charitate; veraè proinde essent damnatae propositiones: *Non est vera legis obedientia sine charitate. Omnis amor creaturae rationalis, aut vitiosa est cupiditas, aut laudabilis charitas.* 3°. vera quoque foret ista: *Liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.* Nullum quippe opus bonum fieri posset, nisi ex charitate supernaturali. Quod si verum esset, peccator se per gratiam ad justificationem disponens per timorem & spem, virtutes à charitate distinctas, à justificationis semita deviaret per novum peccatum quod committeret.

At (inquam ego) solida non est instan- 75
tia: omnem quippe amorem creaturae propter se, etiam tamquam finem negativè, non positivè ultimum, illicitam esse fruitionem, constans est Augustini sententia. Nec obstat primum objectum in contrarium. Dum enim Augustinus dicit, omnem humanam perversionem esse frui utendis, uti fruendis, perversionis nomine inordinationem intelligit, seu vitium, prout abstrahit à mortali & veniali; uti manifestum est ex eo quòd perversionem cum vitio confundat (*omnis humana perversio, quod etiam vitium nominatur*) eandemque ordinationi contraponat, uti constat ex antithesi, quam immediatè subjungit: *ita & omnis ordinatio, fruendis frui, & utendis uti.* Denique dum Augustinus dicit, omnem humanam perversionem esse fruendis uti, &c. eo id sensu dicit, quo lib. 10. de Civit. cap. 10. dicit: *Nec est alia vita hominis vitiosa, atque culpabilis, quàm malè utens, & male fruens.* Ista

namque propositio priori æquipollet, *omnis humana perversio*, &c. cùm malè uti, & malè frui, secundùm Augustinum, sit uti fruendis, & frui utendis. Quemadmodùm ergo in posteriore illa propositione per vitam hominis vitiosam & culpabilem, intelligit tam venialiter, quàm mortaliter talem; sic & in priori, per humanam perversionem, &c. Manifestum proinde est, per fruitionem, creaturarumque propter se amorem ab Augustino non intelligi solum amorem creaturarum propter se, velut finem positivè, seu simpliciter ultimum. Cùm omnis fruitio hujusmodi absque dubio sit mortale peccatum; non sic fruitio de qua Augustinus: utpote qui mille locis docet, justos, in peccatis venialibus, frui, non uti creaturâ: quod sine errore in fide intelligi non potest de fruitione sumpta pro amore creaturæ, tamquam finis positivè ultimi. Mille etiam locis fruitionem cum cupiditate confundit, eodemque modo definit (*tunc enim est cupiditas, cùm propter se amatur creatura; tunc autem corrumpit fruentem.*) Cupiditatem autem non semper esse mortalem, adeò certa est Augustini sententia, ut infinitos Augustino errores imponeret, qui secùs prætenderet.

76 Denique evidentia veritatis illam Adversarii glossam evertit. Cùm meridianâ luce clariora sint Augustini testimonia, quibus disertè culpat fruitionem, quâ creaturas de se in Deum referibiles, justi amant propter se, tamquam finem, non positivè ultimum, sed negativè tantùm, ita scilicet ut eas Christo non præferant. Quandoquidem lib. 1. de Civit. c. 9. peccasse dicit *infirmiores, qui terrenis his bonis, quamvis ea non præponerent Christo, aliquantulâ tamen cupiditate cohærebant.* Lib. 21. de Civit. c. 26. loquens de Christiano uxorem suam carnaliter amante: *Si* (inquit) *ei* (scilicet Christo) *nihil talis affectionis voluptatisque præponat, quamvis superædificet lignum, fœnum, stipulam* (illum scilicet amorem) *Christus est fundamentum.... Erit ei qui ædificavit, ædificatio ista damnosa, quia non habebit quod superædificavit, & eorum amissione cruciabitur, quibus fruendo utique lætabatur; sed per hunc ignem* (de quo Apostolus, *salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, Purgatorii utique) *salvus erit.* Expos. in Psalm. 40. *Omnis anima infirma in hac vita quærit sibi aliquid terrenum, ubi requiescat. Quoniam intentionem laboris & mentis extentæ in Deum difficilè potest perpetuò tolerare, aliquid sibi in terra conquirit ubi requiescat, & quodammodò pausatione quâdam recumbat, velut sunt ista quæ diligunt & innocentes.* Nam innocens *acquiescit in domo sua, in familia sua, in conjuge sua, in filiis..... in prædiolo suo, in novella manibus suis consita.... Acquiescunt innocentes in his. Sed tamen Deus volens nos amorem non habere nisi vitæ æternæ, istis miscet amaritudines, ut ex his patiamur tribulationes.... ne viator, tendens ad patriam, stabulum amet pro domo sua. Ergo quia correctiones istas.... agnoscere debet homo propter peccata sua pati, convertat se, & dicat....sana animam meam, quia peccavi tibi.* Et expos. in Psal. 80. *Sunt qui rebus infirmitati concessis inhærent aliquantulum dilectione... Talibus dicitur: jam quidem omninò delictum est in vobis.... Habent ligna, fœnum, stipulas super fundamentum, sed rerum concessarum* (ad Deum proinde referibilium) *non illicitarum.... Amas possessionem istam, non tamen præponis eam Christo.... salvus eris, quasi per ignem.... Christum habes in fundamento. Sed tamen quia diligis illam, & contristaris si perdas illam, super fundamentum posuisti, non aurum, aut argentum, aut lapides pretiosos, sed ligna, fœnum, stipulam. Salvus ergo eris, cùm ardere cœperit quod adificasti; sic tamen quasi per ignem.... Nam qui ædificat amorem terrenorum super fundamentum regni cælorum, id est super Christum, ardebit amor temporalium, & ipse salvus erit per idoneum fundamentum.* Similibus sententiis plenus est Augustinus, ut videre est lib. 1. Civit. c. 26. Enchirid. c. 68. serm. 121. de diversi. expositi. 2. in Psal. 29. &c. Clarissimè igitur Augustinus culpat frui ionem rei creatæ, non solùm dum præponitur Christo, sed & dum non præponitur, nec res illa amatur velut finis positivè ultimus.

Neque ex illa Augustini doctrina consectariæ sunt damnatæ propositiones: *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate. Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur; aut laudabilis illa charitas*, &c. Contrarium enim tom. 1. non semel à nobis est demonstratum. Aliter enim vox *charitas* in damnatis illis propositionibus sumitur; aliter ab Augustino, & discipulis ipsius. 77

Imò ne quidem sequitur ista: *Liberum arbitrium, sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet*, tametsi nullum opus usquequaque bonum fieri queat sine charitate generaliter accepta, pro quacumque Dei propter se dilectione. Quamvis namque hæc absque gratiæ Dei adjutorio esse nequeat: equidem absque ea effici queunt opera ex officio bona, potestque etiam aliqua Dei propter se dilectio esse sine Dei adjutorio per Spiritum sanctum inhabitantem (de quo damnatam propositionem damnati intelligunt Assertores) etsi non absque Dei adjutorio per Spiritum sanctum moventem. 78

CAPUT X.

Hæresis est, illusioque pessima dæmonis, quòd habens amorem Dei purissimum (qualem habere se jactant Quietistæ) sollicitus esse non debeat de custodia mandatorum Dei & Ecclesiæ; nec de oratione seu precatione; nec de frequentia Sacramentorum; nec de im-

impugnatione tentationum ; nec de exercitio jejuniorum , aliarumque carnis mortificationum ; nec curare usum imaginum & indulgentiarum ; quòdque à cæterarum virtutum exercitio abstinere debeat , qui Deum amat.

79 Ista omnia vel explicitè, vel implicitè tradunt Quietistæ , ut constat partim ex Bulla adversus ipsos ab Innocentio XI. emanata , quæ incipit *Cœlestis Pastor*. Partim ex libello cui titulus : *Breves considerationes in doctrinam Mich. de Molinos*, &c. Sed ipsorum hæresim laudatus Pontifex , toto orbe plaudente , meritò condemnavit , ex eaque damnatione apparuit , authores ipsius , voluptatum amatores esse magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, decipientes mulierculas onustas peccatis , quæ , cùm spiritu cœpissent , carne sunt consummatæ, ut Apostolus loquitur.

80 Itaque hæresis ista contrariatur 1°. divinis oraculis 1. Joan. 2. *Qui dicit se nosse eum , & mandata ejus non custodit , mendax est , & in hoc veritas non est.*

81 Secundò , contrariatur aliis divinis oraculis, de pœnitentia , de carne mortificanda , de confitendis peccatis nostris , de sumenda Eucharistia , &c. quæ cùm humanæ sint infirmitatis remedia , nostræque sanctificationis instrumenta , à Christo instituta, Christi amator non est qui ea negligit.

82 Tertiò, contrariatur aliis rursum oraculis, tam frequenter inculcantibus pugnam , sollicitudinem & vigilantiam adversus tentationes , ne ab iis abstracti , & illecti in peccatum corruamus. In quod ne corrueret Apostolus, castigabat corpus suum, orabat, &c.

83 Quartò , contrariatur divinis oraculis , præcipientibus , ut abundemus in omni opere bono , atque ut exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros , in laboribus, in vigiliis , in jejuniis, in castitate , &c.

84 Quintò, contrariatur Conciliis, legitimum imaginum atque indulgentiarum usum commendantibus , velut christianæ pietatis tesseram. Videri potest Natalis Alexander fusiùs ista deducens to. IX. Theol. Dog. & Mor. c. 3. a. 10. Reg. 6.

85 Sextò denique contrariatur SS. Patribus, verum Dei amorem , non cessantem , sed operantem describentibus. Charitas enim *operatur magna , si est. Si autem non operatur , non est.* Et rursum : *Probatio dilectionis , exhibitio est operis* , &c.

CAPUT XI.

Deus super omnia diligendus est , non solùm objectivè & appretiativè , sed & intensivè , non intensione affectûs sensitivi , sed affectûs rationalis.

86 Conveniunt Theologi , Deum à nobis super omnia diligendum objectivè & appretiativè. Objectivè , ita ut majus bonum Deo velimus , quàm ulli creaturæ. Appretiativè , ita ut Deum affectu præferamus omni creaturæ , parati creaturarum potiùs omnium , quàm Dei jacturam facere.

Sed quæritur , an etiam super omnia intensivè ? Negant enim plerique Recentiores. Et benè quidem , si sermo sit de dilectione affectûs sensitivi. Quia naturæ nostræ sensibilis affectus sensitivus magis movetur objectis sensibilibus , ob oculos nostros continuò positis , quàm insensibilibus & spiritualibus. Quale objectum est Deus. Unde matribus facillimum est oculos suos in lachrymas resolvere , ob jacturam filiorum , vel maritorum ; difficillimum verò , imò vix plerumque possibile , vel lachrymam unam ex oculis elicere , ob jacturam Dei per peccatum. 87

Si autem sermo sit de dilectione affectûs rationalis , vera est sententia gravissimorum Theologorum , maximè veterum , S. Thomæ , S. Bonaventuræ , Richardi , Adriani VI. Petri Soto , Alberti Pighii , &c. Deum à nobis super omnia diligendum , etiam intensivè : non hoc sensu quòd à nobis diligendus sit dilectione intensivè summâ , adeòque intensivè infinitâ (utpote quæ vel dabilis non est , vel in nullo datur , ne quidem in beatissima Virgine , imò nec in Christo quà homine , cujus dilectio in suo esse , seu ex seipsa non fuit infinita , inquit S. Salesius l. 3. de amore Dei c. 1. sed solummodò in æstimatione suæ dignitatis & meriti , quia scilicet est charitas personæ infinitè excellentis) neque hoc sensu quòd Deus præcipiat certum aliquem determinatumque gradum amandi : cùm econtrà velit ut in amore sui semper crescamus. Sed hoc sensu quòd amor , quo Deum amamus , intensivè major sit & vehementior quocumque amore , quo nosmetipsos , vel creaturas alias amamus. 88

Quo sensu intellecta assertio , probatur 1°. ex verbis primi maximique mandati : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & ex tota anima tua , & ex omnibus viribus tuis , & ex tota fortitudine tua.* Quorum verborum sensus unus ex pluribus est , Deum affectu intensiori diligendum quàm creaturas. Quomodò enim Deum *ex toto corde suo , & ex omnibus viribus suis , & ex tota fortitudine sua* diligit , qui fortiùs & intensiùs creaturam diligit quàm Deum ? Quomodò Deum toto corde , atque ex omnibus viribus , &c. diligit , qui modico & languido voluntatis conatu diligit ; creaturas verò conatu magno & forti? Quomodò Adversariis convenit docere , satis esse Deum quocumque diligere conatu : cùm tam perspicua sint in contrarium verba primi mandati ? Quod ergo dicunt non reperiri in Scriptura præceptum de intensione aliqua , Petrus Soto in Instit. Sacerd. lect. 15. non 89

putat, *dici posse sine errore.* Nec certè doctrina ista esse videtur in ædificationem, sed in destructionem. Quomodò enim in ædificationem? quomodò ad majorem Dei gloriam id docere? Profectò satis ex nobis & infirmitate nostra proni sumus ad fugiendum laborem & conatum voluntatis, præcipuè circa divina (prosequitur Soto) nam quia *corpus quod corrumpitur aggravat animam, violentiâ quâdam opus est sibi ipsi illatâ, ut ad divina feramur..... Itaque stimulis opus est, non remissione, ut ad debitam perfectionem dilectionemque perveniamus. Denique quid aliud hac persuasione fit, quàm ut in divinis rebus, & in iis quæ Deo offerenda sunt*, putemus tepidè satisfieri, contra illud Hierem. 48. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter?* Quid aliud, quàm ut, dum creaturis offerimus amorem fortem ac vehementem, Deo non offeramus nisi languidum & debilem? Quod Dominus per Prophetam sub typo sacrificii animalium reprehendit Malach. 1. dicens: *Maledictus dolosus, qui habens in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino.* Et jure optimo: si enim homines jure reprehendunt remissam & languidam amicorum in se dilectionem; quanto meliori jure Deus, infinitè amabilis, & infinito amore dignus? An non oportet nos sic considerare Deum, dum amamus? At quid prodest sic eum considerare, si tepidè & remissiùs quàm alia quæ amamus, illum amare nobis liceat? Quòd verò Adversarii sese excusant, dicentes, à se tradi de amore Theologiam humanæ infirmitati accommodatiorem. Parum eos juvat, quia (ut iterum Soto) tradunt dubiam & periculosam, nec consentientem doctrinæ Patrum, imò nec divinæ Scripturæ, nec rectæ rationi. Unde

90 Secundò probatur assertio nostra ex Matth. 10. & Luc. 14. *Qui amat patrem & matrem plusquàm me, non est me dignus.* Et, *qui non odit patrem, & matrem.... adhuc & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Ergo secundùm Evangelium diligere oportet Deum usque ad odium patris & matris, &c. imò & usque ad odium sui, sive (ut Augustinus ait l. 4. de Civit. c. 28.) *usque ad contemptum sui.* Deum-ne verò usque ad odium & contemptum sui diligit, qui se fortiùs, intensiùs ac vehementiùs diligit, quàm Deum? Et quid minùs significare potest clausula illa *usque ad odium & contemptum sui*, quàm minorem seu minùs fortem, minùsque intensum, ac vehementem amorem sui, quàm Dei? Quid minùs significare possunt Evangelica oracula illa, quàm amorem Dei esse debere in nobis tam fortem, ut affectu efficaci parati simus separari à patre & matre, ab uxore, à fratre & sorore, adhuc & ab anima, seu vita sua, quàm à Deo, ita ut in nobis verificetur illud Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Dei? &c. neque mors, neque vita, &c.* Cui verò dubium esse potest id ad fortitudinem, seu intensionem ac vehementiam divini amoris pertinere?

Tertiò, omnes conveniunt, ex vi primi 91
maximique mandati, & vi Evangelicorum illorum textuum, Deum à nobis diligendum super omnia appretiativè. Hinc autem legitimè infertur, quòd etiam super omnia intensivè. Quia ad hoc quòd homo verè censeatur amare Deum super omnia appretiativè, debet toto corde esse taliter ut omnia potiùs amittere velit, & efficaciter velit, quàm Deum, & omnia potiùs mala incurrere, quàm peccatum seu offensam Dei. Hoc autem fieri nequit sine amoris fortitudine, intensione, & vehementia. Neque enim fit, si amor Dei remissior sit & languidior amore creaturæ. Nam si amor Dei remissior sit & languidior; amor creaturæ, utpote fortior, intensior ac vehementior, prævalebit amori Dei, ipsumque vincet ac superabit, ubi vel Deum vel creaturam amittere oportebit. Per consequens homo toto corde efficacique voluntate paratus non erit amittere creaturam potiùs quàm Deum, sed Deum potiùs quàm creaturam. Quomodò enim toto corde, efficacique voluntate, paratus erit ad amittendum id, quod secundùm affectum rationalem fortiùs, intensiùs & vehementiùs amat, quàm id quod debiliùs, languidiùs, ac remissiùs? Amor nexus est, seu vinculum, quo amans rei amatæ alligatur. Si ergo fortiori amore, adeòque fortiori vinculo creaturæ, quam Deo alligetur, à Deo potiùs quàm à creatura avelletur; sicut homo qui duplici vinculo in diversa trahitur, ab extremo (cui vinculo debiliore alligatur) potiùs avellitur quàm ab opposito, cui fortiùs adstringitur. Experientiâ quippe manifestum est, ipsum eò potiùs trahi, quò vinculum fortius, quàm quò vinculum debilius trahit. Amor verò & pondus est & vinculum. Quò proinde pondus illud seu vinculum me fortius trahit, eò feror quocumque feror, inquit Augustinus.

Quartò, duplex tantùm appretiatio est, 92
intellectûs scilicet & voluntatis: appretiatio intellectûs est judicium quo judicamus Deum, utpote summum bonum, & bonum bonum, id est sine ulla mixtura mali, vel imperfectionis, omni creaturæ esse amore præferendum: appretiatio voluntatis est major amor Dei quàm creaturæ. Est ergo magnus amor, imò maximus respectivè ad amorem creaturæ. Quid (obsecro) est amor magnus & maximus, nisi amor intensus & intensissimus? Si naturam amoris consideremus, amor est qualitas quædam, sive actus, qui (secundùm Peripateticos, communemque apprehendendi modum) vulgò appellatur qualitas. Qualitatum verò, seu eorum quæ vulgò qualitates appellantur,

tur, majoritas & minoritas, perfectioque & imperfectio ex majori vel minori earum intensione desumitur, prout in calore experientia docet. Quemadmodùm ergo calor naturalis eò major & perfectior est, quò intensior, & quò intensior, eò fortior & efficacior; ita & divinus ille calor, de quo Veritas Luc. 12. dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Quemadmodùm etiam calor naturalis eò minor est, languidior & imbecillior, quò remissior; ita & divinus calor, seu Dei amor.

93 Quintò, non est dubium, amorem Dei esse debere fortiorem amore creaturæ: cùm ei debeat prædominari, & per illum Deus regnare in corde nostro, uti docent D. Bonaventura in 4. dist. 16. a. 2. q. 1. dicens, *oportere quòd Dei amor in comparatione ad alios amores habeat prædominium.* Adrianus VI. in 4. de Confess. q. 5. dub. 5. dicens, quòd *affectus, quo homo ad Deum convertitur, esse debeat omnibus aliis prædominans.* Albertus Pighius in controvers. præcip. explic. controvers. 9. dicens oportere *quòd amor Dei primas teneat, & amori nostri præponderet.* Et S. Franciscus Salesius l. 10. de amore Dei c. 6. ubi sic: *Est amor qui omnes amores debet excellere, & regnare super omnes nostras passiones, & hoc est quod à nobis Deus requirit, ut inter omnes amores divinus præcipuum in corde locum obtineat, ut toti nimirum dominetur cordi, ut ille dilectissimus sit, totum videlicet animum possidens, ut latissimè regnet, omnes nimirum facultates sibi mancipans ..... Hic amor omnibus & singulis hominibus generatim præcipitur*, &c. Quia scilicet regnat carnalis cupiditas, ubi non est regnans Dei charitas; vel enim homo peccator est, vel justus? Si justus, regnat in eo charitas, per quam Deum habet pro fine simpliciter ultimo, qui aliter finis ultimus vitæ, finis ultimus agentis, & finis ultimus cordis dicitur; in quo proinde cor ipsius præcipuè requiescit, ipsum amore cæteris amoribus seu affectibus fortiore diligens. Aliàs justus non esset. Si peccator, tenetur è statu illo quantociùs egredi, ad Deumque citò converti: hoc autem non potest sine amore Dei prædominante, seu majore, fortiore, & intensiore, quàm sit cupiditas seu voluntas peccandi: utpote quam alioqui vincere non potest, nec excludere. Quod tamen ad conversionem necessarium est, juxta Tridentinum sess. 14. c. 4. Confer quæ dixi suprà n. 38. 39. 40. 49. 50. & 51. ex ratione quippe proximè deducta lucem accipiunt. Et adde necessitatem divini amoris, in corde nostro regnantis, & super reliquos humani cordis affectus dominantis, probari insuper ex hisce divinis oraculis: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Matth. 4. *Nemo nostrùm sibi vivit, & nemo sibi moritur... sive ergò vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Et ideò ipsi unicè ac præcipuè vivere & mori debemus) *In hoc* enim *Christus mortuus est & resurrexit, ut & vivorum & mortuorum dominetur.* Rom. 14. Per consequens *pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* 2. Cor. 5. Manifestum est ergo, quòd Deus, seu Dei amor sic dominari debeat in corde nostro, ut ipsi vivamus tamquam soli fini nostro simpliciter ultimo, sive tamquam soli fini ultimo & primario vitæ nostræ, cordisque nostri; qui cùm finibus omnibus intermediis & secundariis dominetur (utpote ultimo & primario subordinatis) amor quoque ipsius cæteris amoribus velut eorum rex dominatur. Nequit verò cæterorum amorum rex esse, & dominator, nisi ipsis fortior sit, & valentior; nec fortior valentiorque esse potest, nisi intensior; ut vidimus in calore naturali, qui frigore fortior esse nequit, nisi ipso sit intensior. Et idem vidimus in Petro tentato, cujus amor erga vitam suam, quia intensior fuit quàm amor erga Christum, amore isto fortior fuit; & ideò timore mortis Christum negavit. Quo in exemplo conspicimus, quòd si in homine sit amor alicujus boni creati, intensior amore Christi, ipso fortior sit, ipsumque vincat ac superet: ipsi proinde dominetur, non contrà.

Sextò, innata ratio clamat, Deum, ut- 94
pote bonum longè excellentius quàm creata omnia, longè perfectiùs & intensiùs, quàm creata omnia esse diligendum. Id enim ordinata postulat dilectio, talem utique, cæteris paribus, esse oportere ordinem amoris, quoad ipsius amoris perfectionem intensionemque, qualis est ordo rerum quoad bonitatem & amabilitatem; eò quòd gradus & mensura amoris proportionatus esse debeat rationi amandi: si enim amor illum habeat intensionis gradum, quem in veritate habet ratio amandi (servatâ saltem proportione) amor est ordinatus, quia gradus amoris respondet gradui amabilitatis; adeòque respondet rationi amandi objectum. Et quia servato hoc ordine amamus fortiùs & intensiùs, quod fortiùs & intensiùs est amabile; amamus minùs fortiter & intensè, quod minùs est amabile. Denique amamus æqualiter, seu æquali intensione, quod est æqualiter amabile; sicque sequimur rationem rectam amandi, dum sequimur rationem veram, id est rationem judicantem de rebus amabilibus, prout se habent à parte rei; siquidem revera à parte rei perfectiori intensiorique (cæteris paribus) amore digna sunt, quæ meliora, adeòque amabiliora sunt. Cùm ergo Deus longè amabilior sit omni bono creato, secundùm ordinem amoris longè perfectiùs & intensiùs est diligendus, quàm bonum quodcumque creatum. Unde Augustinus l. 1. de doctr. Christ. c. 27. ad ordinatam dilectionem dicit pertinere, ut non ampliùs vel æquè diligatur,

quod minùs est diligendum; vel minùs diligatur, quod ampliùs est diligendum. Et l. de morib. Eccles. c. 11. *Summum bonum, quod & optimum dicitur, non modo diligendum esse nemo ambigit; sed ita diligendum, ut nihil ampliùs diligere debeamus: idque significatur & exprimitur, quando dictum est ex tota anima, &c.* Ampliùs verò aliquid aliud diligitur, si fortiùs & vehementiùs diligitur.

95 Septimò, S. Thomas 1. P. q. 20. a. 3. explicans quomodò una res plus aliâ diligi possit, duos tantùm assignat modos, scilicet ex parte boni voliti amato, & ex parte intensionis ipsius amoris: *Duplici ratione potest aliquid magis vel minùs amari. Uno modo ex parte ipsius actûs voluntatis, qui est magis vel minùs intensus .... alio modo ex parte ipsius boni, quod aliquis vult amato, &c.* Et q. 60. a. 5. dicit, *simpliciter loquendo plus diligitur quod intensiùs.* Et 2. 2. q. 26. a. 6. in corp. *Oportet.... ut ad eos intensiorem charitatis affectum habeamus, quibus convenit nos magis benèficos esse. Et ideò .... etiam secundùm affectum oportet magis unum proximorum quàm alium diligere.* Et ad 1. *dilectio potest esse inæqualis dupliciter. Uno modo ex parte ejus boni quod amico optamus .... alio modo* ex parte actûs. Et sic *major dicitur dilectio propter intensiorem actum dilectionis, & sic non oportet omnes æqualiter diligere.* Et ibidem a. 7. *diversas* quidem *dilectionis species* esse dicit ex parte objecti, secundùm diversa bona, quæ volumus his quos amamus. Sed *intentio dilectionis* (inquit) *est attendenda per comparationem ad amantem, & secundùm hoc propinquiores intensiori affectu diligimus, sicut intensiori affectu nosipsos diligimus, quàm alios proximos.* Vides ergo quòd S. Thomas ignoret aliam rationem plus diligendi, quàm secundùm objectum, & secundùm intensionem. *Distinctio proinde appretiationis ab intensione, quâ quidpiam magis diligatur appretiativè, non magis intensivè, nova est* (inquit Soto) *& S. Thomæ incognita, nihil aliud habens quàm nomina, nisi quòd interim illâ persuasione ingeneratur hominibus securitas quædam & tepiditas, quod valdè timendum est.* Cùm ergo secundùm D. Thomam eâdem q. 26. a. 2. & 3. & q. 44. a. 8. ad 2. Deus super omnia sit diligendus, & non solùm ex parte boni voliti, sed & ex parte diligentis, sive *secundùm proportionem dilectionis ad diligibile*, ut loquitur a. 8. proximè laudato in corp. perspicuè conficitur, secundùm D. Thomam, Deum esse super omnia diligendum, non solùm objectivè, sed & intensivè. Idque palàm asserit ibidem q. 27. a. 6. ad 2. cùm enim allegasset Augustinum l. de moribus Eccles. c. 8. dicentem: *Audiamus, quem finem bonorum nobis Christe præscribas, nec dubium est, quin is erit finis, quò nos summo amore tendere jubes: Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum. Dic mihi etiam, quæso te, qui sit diligendi modus: vereor enim ne plus minùsve quàm oportet, inflammer desiderio & amore Dei mei. Ex toto, inquit, corde tuo. Non est satis: ex totâ anima tua. Ne id quidem satis est: ex totâ mente tua. Quid vis amplius? Vellem fortasse, si viderem quid posset esse amplius. Quid ad hæc Paulus? .... Dicat etiam ipse dilectionis modum. Quis ergo, inquit* (quàm fortis, quàm proinde intensus ac vehemens esse debeat, exprimens) *quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Audivimus quid diligere, & quantùm diligere debeamus .... Quamobrem* (prosequitur idem Augustinus c. 11.) *paulo post idem Paulus, certus sum, inquit, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, &c.* Quæ Apostoli verba pulcherrimè Augustinus ibidem exponit. Eaque cùm (ut dixi) allegasset S. Thomas, iis subscribit, & dicit, *quòd sicut Augustinus ibidem subjungit, modus diligendi Deum est, ut ex toto corde diligatur, id est ut diligatur quantumcumque potest diligi. Et hoc* (inquit) *pertinet ad modum, qui convenit mensuræ.* Ad quod in argumento *sed contrà* D. Bernardum profert in l. de diligendo dicentem, quòd *modus diligendi Deum est sine modo diligere*, id est sine mensura. Quia, prout in corp. dicit, *appetitus finis .... est absque fine & termino, eorum autem quæ sunt ad finem est aliquis terminus.*

Propterea Apostolus Ephes. 4. monet 96
nos, ut *in charitate crescamus.* Et Philipp. 1. *Oro ut charitas vestra magis ac magis abundet.* Quia Deum nunquam satis diligere possumus, nec primum mandatum in hac vita plenè & perfectè implere. *Plenè & perfectè in patria implebitur hoc præceptum; in via autem impletur, sed imperfectè*, ait S. Thomas 2. 2. q. 44. a. 6. post Augustinum l. de perfect. just. c. 8. Propterea etiam juxta sanctos Patres jubemur quotidie in justitia crescere, & nunquam dicere, satis est: scriptum est enim Prov. 4. *Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* Crescere verò in justitia, est crescere in charitate. Nam, ut Augustinus dicit in l. de nat. & grat. c. 70. *charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas provecta, provecta justitia est: charitas magna, magna justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est.*

Postremò, nulla creatura ordinatè diligi- 97
tur finaliter propter se, sed quidquid extra Deum diligimus, primo mandato diligere jubemur propter Deum, velut omnis amoris nostri finem, uti demonstravimus to. 1. Nulla proinde creatura ordinatè diligitur velut amoris nostri finis, sed velut medium, ordinatum ad Deum ultimum finem, in quo solo sistere potest amor noster ordinatus. Tota itaque finalis ratio ordinati amo-

ris creaturarum quarumcumque est Deus. At ubi tota finalis ratio amandi medium est finis, implicat, medium intensiùs, intensione rationali, amari quàm finem. Si enim intensiùs amaretur, tota finalis ratio ipsum amandi esset finis, & non esset. Esset, ut supponitur. Non esset: quia *propter quod unumquodque tale est, & illud magis.* Est argumentum *sed contrà* D. Thomæ 2. 2. q. 26. a. 3. Et verò dum tota finalis ratio diligendi annulum sponsalitium est sponsus, implicat quòd sponsa intensiùs annulum diligat, quàm sponsum, vel infirmus intensiùs diligat medicinam, quàm sanitatem, dum hæc est tota finalis ratio illam diligendi. Idque est contra experientiam, rectamque rationem, quæ dictat intensiùs ac vehementiùs amandum finem, quàm medium; & id quod propter se, quàm id quod solùm propter aliud; id etiam propter quod cætera diliguntur, magis diligendum quàm cætera, quæ nonnisi propter ipsum diliguntur.

Solvuntur objectiones.

98 OBjicies 1°. Assertio nostra januam aperit multis scrupulis. Quilibet enim semper poterit dubitare, an non intensiùs, intensione rationali, creaturam aliquam diligat, quàm Deum.

Respondeo negando antecedens. Quamvis enim habere non possimus exactam notitiam intensionis actuum nostrorum internorum, sic ut sciamus ad quem præcisè gradum intensionis pervenerunt: scire tamen utcumque possumus, Deum à nobis intensivè magis amari quàm creaturam, sicut utcumque scire possumus, Deum à nobis appretiativè magis amari, &c. Et ideò securi esse possumus, dummodò cor nostrum interrogantes, deprehendamus Deum à nobis appretiativè super omnia amari. Cùm amor Dei appretiativè super omnia, si sit efficaciter talis, (ut esse debere conveniunt Theologi) non sit sine amore Dei intensivè super omnia, ut ex suprà dictis patet. Unde Augustinus tr. 5. in epist. Joan. consolatoriam hanc contra scrupulos regulam tradit: *Redeat unusquisque ad cor suum: si ibi invenerit fraternam charitatem, securus sit.* Et tr. 9. *Interroga viscera tua, si plena sint charitate, habes Spiritum Dei.* Et S. Bernardus epist. 107. *Nemo se amari diffidat, si jam amat, &c.*

99 Instabis: unde sciam quòd Deum efficaciter amem appretiativè super omnia.

Respondeo ex signis amoris prædominantis, quæ videri possunt to. 1. p. 2. l. 6. c. 19.

100 Objicies 2°. Nemo violati primi mandati reus censetur, ex hoc quòd experiatur in se remissiorem languidioremque amorem erga Deum, quàm erga patrem & matrem.

Respondeo reum ideò non esse, si solùm id contingat in parte sensitiva (tametsi motus vehementior ipsius reprimendus sit, ne à parte sensitiva in rationalem, ut sæpè fit, pertrahatur) secùs si in parte rationali.

Objicies 3°. Non ideò mater peccati ar- 101
guitur, quòd fleat amissâ prole; non fleat autem amissâ per peccatum amicitiâ Dei. Atqui fletus ille signum est amoris intensioris erga prolem, quàm erga Deum.

Respondeo non semper esse signum amo- 101
ris intensioris erga prolem in parte rationali; sed in sensitiva. Aliàs mater illa omninò peccati arguenda foret, si intensior erga prolem amor in parte rationali ipsius deliberatus esset.

CAPUT XII.

Dilectione charitatis, etiam formali & internâ, post Deum jubemur diligere proximum.

QUid tibi videtur, amice Lector, peper- 102
ceruntne secundo de dilectione proximi præcepto, qui primo & maximo de dilectione Dei non pepercerunt? Ideò non pepercerunt, quia etiam circa secundum præceptum istud sua ipsos ratio purè humana in tantum ludificavit, ut dicerent 1°. quòd non tenemur proximum diligere actu interno & formali. 2°. quòd præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. Verùm duas hasce propositiones, totâ Ecclesiâ plaudente & probante, Innocentius XI. damnavit propos. X. & XI.

Et revera contrariæ sunt divinæ Scrip- 103
turæ & Traditioni. Primò namque Salvator Matth. 5. *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus vos.* Ubi interna dilectio, per verbum *diligite* significata, præcipitur condistinctè ab externa, sequentibus verbis expressa, *benefacite his qui oderunt vos.* Dum ibi etiam præcipitur oratio pro persequentibus nos, præcipitur internus erga proximi bonum affectus: cùm sine eo, à Deo, ut oportet, petere non possimus, ut ipsi benè sit.

Deinde ibidem c. 22. Salvator addit: *Di-* 104
liges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.... Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Atqui vi primi mandati Deum diligere tenemur affectu formali & interno. Igitur & proximum ex vi secundi mandati: utpote quod est simile primo, quodque ad litteram non impleremus, diligendo proximum sicut nosipsos: cùm nosipsos haud dubiè affectu interno diligamus, & externa dilectio sine interna, vera non sit dilectio.

Tertiò, Joan. 13. Salvator rursum ait 105

mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Quod & repetit c. 15. Salvator autem certissimè dilexit nos affectu formali & interno.

106 Quartò, 1. Petr. 1. Princeps Apostolorum, *in fraternitatis* (inquit) *amore simplici ex corde invicem diligite.* Quod profectò non facit, qui cordiali, sive interno & formali affectu non diligit.

107 Quintò, cætera omnia Scripturæ testimonia, quibus proximi dilectio præcipitur, idipsum evincunt: utpote propriè, non figuratè intelligenda, juxta hanc Augustini Regulam l. 3. de doctr. Christ. c. 15. *Servabitur in locutionibus figuratis* (divinæ Scripturæ) *regula hujusmodi, ut tamdiù versetur diligenti consideratione quod dictum est, donec ad reginam charitatem interpretatio perducatur. Si autem hoc jam propriè sonat, nulla putetur figurata locutio.* Omnia ergo sacra testimonia, quibus Dei vel proximi dilectio præcipitur, in proprio sensu intelligenda sunt, non in figurato. Atqui in proprio sensu verbum *diligo* internum significat dilectionis affectum. Nec enim propriè diligit, qui externa officia absque interno delectionis affectu exhibet. Cùm ne effectivè quidem diligat, propriè loquendo. Externa quippe officia, seorsim à dilectione interna, propriè loquendo, effectus non sunt dilectionis, sed alterius causæ eos imperantis. Et ut diceretur effectivè diligere, effectus dilectionis solùm figuratè *dilectio* dicitur, effectum pro causa sumendo.

108 Sextò, proximum interno affectu diligendum, unanimis SS. Patrum traditio est, Basilii in reg. brevioribus. Chrysostomi homil. 18. in c. 5. Matth. Hieronymi comment. in cap. 5. Matth. verba habes in Breviario fer. 6. post cineres. Gregorii homil. 27. & 30. in Evang. Augustini serm. 5. de luct. Jacob. *Dilige inimicum tuum, dicit Dominus .... Res in corde est .... Deus videt, si diligis.* Ita & frequenter alibi, sed nullibi præclariùs quàm tr. in epist. Joan. ubi ostendere volens, quòd solis actibus externis mandatum de proximi dilectione non impletur, observat actus externos, quibus proximo subvenitur, ab alia causa quàm interna charitate provenire posse, v. g. à superbia, vel humanitate naturali, quam ipsi etiam Judæi, Gentiles, Mahometani habent ad invicem: nam proximum *pascit misericordia, pascit & superbia. Hospitem suscipit misericordia, hospitem suscipit & superbia. Intercedit pro paupere misericordia, intercedit & superbia. Quid est hoc? in operibus non discernimus ... Et tamen ille habet charitatem, ille non habet charitatem .... Ergo Scriptura divina intrò nos revocat .... Redi ad conscientiam tuam: ipsam interroga. Noli attendere quid floret foris, sed quæ radix est interna ..... Radicata est charitas? securus esto, &c.*

109 Denique si non teneremur interno proximum affectu diligere, sed externis dumtaxat officiis, proximos illos diligere non teneremur, qui officiis illis non indigent, v. g. beatos; nec Eremita, procul ab omni hominum conversatione soli Deo vacans, teneretur præcepto dilectionis proximi: cùm nulla externa officia hominibus præstare queat, ne vocaliter quidem pro ipsis orando, si mutus sit.

110 Prorsus ergo indubitatum est præceptum interno affectu proximum diligendi. Non quidem proximum propter proximum, sed propter Deum. Quia, ut Augustinus dicit l. 1. de doctr. Christ. c. 22. *hæc regula dilectionis divinitùs constituta est: Diliges proximum sicut teipsum, Deum verò ex toto corde .... Quisquis ergo proximum rectè diligit, hoc cum eo debet agere, ut & ipse toto corde diligat Deum. Sic enim proximum diligens tamquam seipsum, totam dilectionem sui & illius, refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivalum duci extra se patitur, cujus derivatione ipsa minuatur.* Idque significatur, cùm dicitur: *Diliges proximum sicut teipsum. Nam nec seipsum debet homo propter seipsum diligere, sed propter illum, quo fruendum est*, &c. Itaque *sic diligendus est proximus* (ait Bernardus serm. Dom. in Cœna) *ut in illo semper diligatur Deus. Sic enim debet diligi proximus, ut amoris causa semper sit Deus, non autem proximus. Neque verâ dilectione diligeremus invicem* (ait iterùm Augustinus) *nisi diligentes Deum.* Tr.... in Joan. Unde serm. 335. c. 11. *Ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo.*

111 Si à me quis petat, quoties, & quando teneamur ad actum internum dilectionis proximi?

Respondeo, toties actum illum exercendum, quoties obligat præceptum affirmativum diligendi proximum. Cùm vera proximi dilectio sine interno dilectionis affectu non sit, ut ostendimus. Itaque quoties ex præcepto charitatis proximo succurrere debemus, vel onera ejus portare, toties internum affectum illum elicere nos oportet.

112 Hinc Augustinus tr. 8. in Joan. charitatem in proximum morali quodam modo docet esse debere actu vel virtute continuam, saltem in præparatione animi, ita ut externa quidem fraternæ charitatis officia subinde cessare possint, sed fraterna in corde charitas nunquam: *Nunquid semper panem dare indigenti? nunquid semper nudum vestire*, &c. *modò hoc, modò illud .... Charitas intùs non intermittatur, officia charitatis pro tempore exhibeantur. Charitas igitur, sicut scriptum est, fraterna permaneat.* Et rursus scriptum est 1. Petr. 4. *Vigilate .... in vobismetipsis charitatem continuam habentes. Hospitales invicem*, &c.

113 *Enimverò tot sunt hominum miseria, tam corporales, quàm spirituales* (ait Cardinalis

Bona in princip. vit. Christ. p. 2. §. 43.) *ut vix gressum movere possimus, vel oculos vertere, quin multi occurrant ope nostrâ vel supportatione indigentes.* Quotics verò proximis opem ferre debemus, vel spiritualem, vel corporalem, quoties etiam onera ipsius, seu infirmitates spirituales portare, id nos ex interno charitatis affectu facere oportet. Non solùm ergo dum proximus, in necessitate constitutus spirituali nostro indiget consilio, consolatione, exhortatione, correptione, oratione, &c. quoties item in necessitate corporali nostrâ indiget eleëmosynâ, seu aliâ corporali misericordiâ; sed & quoties nostrâ indiget spiritualium infirmitatum suarum supportatione. Cùm officium dilectionis erga proximum sit illius onera portare, sicut scriptum est: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Galat. 6. Ubi Apostolus *hanc Christi legem dicere intelligitur, quâ ipse Dominus præcepit, ut nos invicem diligamus* (ait Augustinus l. de diverss. qq. 83. q. 71.).... *Id autem fit secundùm diversa tempora, & secundùm diversa genera infirmitatum. Verbi gratiâ, iram fratris nunc portas, cùm adversus eam non iraseeris, ut rursus eo tempore quo te ira præoccupaverit, ille te lenitate & tranquillitate suâ supportet. Loquacitatem tuam ille portat, tu illius pertinaciam charitate portare debes, donec illud in te, & istud in illo vitium sanetur. Neque ulla res officiosum istum laborem ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, nisi cùm cogitamus, quanta pro nobis pertulerit Dominus. Huic cogitationi etiam accedit alia cogitatio, quia ille suscepit hominem; nos autem homines sumus, & considerare debemus, quòd ægritudinem, sive corporis, sive animi, quam in alio homine videmus, etiam nos habere potuimus, aut possumus. Hoc ergo exhibeamus illi, cujus infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis vellemus exhiberi, si fortè nos in ea essemus, & ipse non esset..... Deinde etiam illud cogitandum, nullum esse hominem, qui non possit habere aliquod bonum, quod tu nondum habes, etiamsi lateat, in quo possit te esse superior. Quæ cogitatio ad contundendam edomandamque superbiam valet... Unde Apostolus ait.... in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui....semetipsum exinanivit, &c. Philipp. 2. Istæ cogitationes, deprimentes superbiam, & acuentes charitatem, faciunt onera fraterna invicem, non solùm æquo animo, sed etiam liben-*
114 *tissimè sustineri.* Sicut & alia rursus cogitatio, quam idem Apostolus 1. Cor. 13. suggerit, fraternæ charitatis characteres & officia varia describens: *Charitas* (inquit) *patiens est, benigna est; charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia sustinet, &c.* Primò itaque charitas ut proximi salutem procuret, *patiens est in ferendis defectibus ipsius.* 2°. *benigna est*, id est (ait Dionysius Carthusianus ad illum locum) *clemens & facilis ad condonandum*, ut ipsum Christo lucrifaciat. 3°. *non æmulatur*, id est ejus prosperitati non invidet. 4°. *non agit perperam*, id est, non est ipsi scandalo, ne saluti ipsius ponat impedimentum. 5°. *non inflatur*, ipsum contemnendo, seque illi præferendo, ob proprias dotes, animique vel corporis, aut fortunæ bona. 6°. *non est ambitiosa*, quærendo ipsi præesse vel dominari. 7°. *non quærit quæ sua sunt*, sed charitatem habens omnium quærit salutem, omnibus omnia factus, ut omnibus prosit. Vel, ut rursum Carthusianus, *non quærit quæ sua sunt*, id est, sua non repetit, cum scandalo alterius: non enim amat pecunias, sed animarum salutem. 8°. *non irritatur*, dum injuriis lacessitur, nec quærit vindictam, sed emendationem. 9°. *non cogitat malum*, id est nocumentum ipsi inferre, nec prona est ad malè de ipso judicandum, sed ad benè interpretandum dubia facta ipsius. 10°. *non gaudet super iniquitate*, id est super culpa proximi, imò compatitur. 11°. *congaudet autem veritati* bonorum operum, justitiæ & doctrinæ ipsius. 12°. *omnia sustinet*, id est proximorum defectus piè sustinet. Videri potest Tertullianus hasce fraternæ charitatis dotes & officia pulchrè explicans in l. de patientia his verbis: *Dilectio.... quam totis viribus Apostolus commendat, cujus nisi patientiæ disciplinis eruditur? dilectio* (inquit) *magnanima est; ita patientiam sumit. Benefica est: malum patientia non facit. Non æmulatur: id quidem patientiæ proprium*, &c. Quis ista piè considerans, non videt continuas penè occasiones sese offerre proximo exhibendi officia charitatis?

CAPUT XIII.

Ordo in charitate Dei & proximi servandus.

DE isto ordine videri possunt quæ dixi- 115
mus to. 1. p. 2. l. 5. ubi c. 1. demonstravimus, bonitatem amoris petendam ex ordine amoris, istiusque ordinis custodiam totius vitæ Christianæ esse compendium. Cap. 2. ostendimus amabilitatem istius ordinis. Cap. 4. alium esse ordinem amandi, alium subveniendi. Cap. 5. duplicem in amore ordinem attendi: unum inter diligibilia; alterum inter diligentem & dilectum. Et inter diligibilia servandum ordinem amoris appretiativi, ut sit talis ordo amoris, qualis est ordo rerum quoad bonitatem seu amabilitatem; magis proinde amentur meliora (utpote magis amabilia) & super omnia Deus, qui est summum & summè amabile

bonum. Sed inter diligentem & dilectum, ſervandum eſſe ordinem amoris benefactivi, id eſt quoad ſubventionis effectum, ita ut amore quidem appretiativo magis amemus meliores, ſed amore benefactivo magis amemus nobis conjunctiores, cæteris paribus, ita ut in pari indigentia nobiſipſis primò ſubvenire debeamus quoad ſpiritualia & corporalia; deinde propinquioribus; poſteà per ordinem aliis, pro majori vel minori eorum ad nos conjunctione. Sed ſicut non debemus nos amore appretiativo magis amare quàm alios proximos noſtros (hoc enim ſuperbum eſſet) ita nec propinquos noſtros malos, vel non tam bonos, quàm ſint ii quos extraneos vocamus. Unde S. Leo ſerm. 4. de jejun. 7. menſ. c. 5. *Plus debemus noſtris*, id eſt fratribus in Chriſto, *pro conſortio gratiæ, quàm alienis*, id eſt à Chriſto alienis, *pro communione naturæ*. Et S. Proſper, vel Julianus Pomerius l. 4. de vit. contempl. c. 15. *Si propinquos noſtros, quamvis incompoſitos, turpes, ac malè morigeratos, pluſquàm quoſlibet ſanctos, quos à nobis ſecundùm ſanguinem vocamus extraneos, diligamus, non ſolùm carnaliter diligimus, ſed etiam graviter in tali eorum dilectione peccamus.* Unde in cælo, ubi ceſſat neceſſitas ſubveniendi, *totus ordo dilectionis beatorum obſervabitur per comparationem dilectionis ad Deum* (ait S. Thomas 2. 2. q. 26. a. 14.) *ut ſic ille magis diligatur, & eò propinquior ſibi habeatur ab unoquoque, quò eſt Deo propinquior. Ceſſabit enim tunc proviſio in præſenti vitæ neceſſaria; quâ neceſſe eſt, ut unuſquiſque magis ſibi conjuncto ſecundùm quamcumque neceſſitudinem provideat, magis quàm alieno, ratione cujus in hac vita, ex ipſa inclinatione charitatis, homo plus diligit magis ſibi conjunctum, cui debet magis impendere charitatis effectum.*

116 Itaque quemadmodùm non pervertitur ordo charitatis, quando propinquiores extraneis, licèt melioribus, præferuntur quoad ſubventionis effectum; ita nec dum activa ſeu officioſa charitas ſuperioribus inferiora, tamquam operâ ſuâ magis indigentia, præfert quoad eumdem effectum; modò ſuperiora inferioribus præferantur quoad appretiativæ dilectionis affectum. Quod pulchrè S. Bernardus explicat ſerm. 5. in Cant. cùm dicit: *In benè affecta charitate, non dubium quin dilectioni hominis Dei dilectio præponatur, & in hominibus ipſis perfectiores infirmioribus, cælum terræ, æternitas tempori, anima carni. Attamen in bene ordinata actione ſæpè, aut etiam ſemper ordo oppoſitus invenitur. Nam & circa proximi curam, & plus urgemur, & pluries occupamur; & infirmioribus fratribus diligentiori ſedulitate aſſiſtimus; & paci terræ, magis quàm cæli gloriæ, jure humanitatis, & ipſa neceſſitate intendimus; & temporalium inquietudine curarum vix aliquid ſentire de æternis permittimur; & languoribus noſtri corporis poſtpoſitâ animæ curâ pene continuè inſervimus.... Orantem denique hominem cum Deo loqui quis dubitet? Quoties tamen inde charitate jubente abducimur & avellimur, propter eos qui noſtrâ indigent operâ vel loquelâ? Quoties piè cedit negotiorum tumultibus quies? Quoties bonâ conſcientiâ ponitur codex, ut operi manuum inſudetur? Quoties pro adminiſtrandis terrenis juſtiſſimè ipſis ſuperſedemus celebrandis Miſſarum ſolemniis? Ordo præpoſterus; ſed neceſſitas non habet legem. Agit ergo ſuum actualis charitas ordinem, juxta Patrisfamilias juſſionem, incipiens à noviſſimis. Pia certè & juſta, quæ non ſit acceptrix perſonarum, nec pretia conſideret rerum, ſed hominum neceſſitates. At non ita affectualis: nam à primis ipſa ducit ordinem. Eſt enim ſapientia, per quam utique quæque res ſapiunt prout ſunt, ut v. g. quæ pluris natura habet, pluris quoque ipſa affectio ſentiat, minora minùs, minima minimè. Et illum quidem ordinem charitatis veritas facit, hunc autem veritatis charitas vendicat ſibi. Nam & vera in hoc eſt charitas, ut qui indigent ampliùs, accipiant priùs; & rurſus in eo chara eſt veritas, ſi ordinem tenemus affectu, quem illa actione.*

CAPUT XIV.

Amoris benefactivi ordine tenemur magis diligere noſipſos quoad animam, bona ſpiritualia, vitam corporalem, corporali vitæ proximi comparatam, quàm proximum; ſecùs quoad temporalia bona, ad quorum conſervationem præcepto non tenemur.

PRima pars, quoad animam, ſpiritualiaque bona, conſtat ex Matth. 16. *Quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Necnon ex cap. 22. *Diliges proximum ſicut teipſum*, ubi ly *ſicut* æqualitatem non ſignificat, ſed ſimilitudinem, ita ut eadem bona proximo, ſi fieri poſſit, optare & procurare debeamus, quæ nobis, ſed primò nobis: cùm verbis illis doceamur, quòd dilectio noſtri regula ſit dilectionis proximi. Regula verò prior eſt regulato, ait S. Thomas 2. 2. q. 26. a. 4. Unde axioma eſt, ab ipſamet natura dictatum: *Charitas incipit à ſeipſo.* Et, ut Auguſtinus dicit l. 1. Retract. c. 5. *meipſum magis mihi debeo, quàm proximo.* Eò quòd utique ſibiipſi quàm proximo conjunctior ſit. 117

Et propterea idem Auguſtinus l. 1. de doctr. Chriſt. c. 23. ſuo ordine declarans objecta ex charitate diligenda, primo loco ſtatuit *unum quod ſupra nos eſt, ſcilicet Deum.* Deinde *alterum, quod nos ſumus.* Tertium, *quod juxta nos eſt*, id eſt proximum. Quartum, *quod infra nos eſt*, ſcilicet *corpus proprium.* 118

In ſpiritualibus ergo non debet homo pati detrimentum peccando, ut proximum liberet à 119

pec-

peccato, ait S. Thomas loco citato; nec vel minimum veniale committere, etiamsi per illud procurare posset salutem totius mundi. Quia *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Rom. 3. Ponderent hoc Prædicatores, animarumque Rectores, & Directores (ait pius Contensonus.) Quid enim ipsis prodest si alios lucrentur, ipsi verò animæ suæ detrimentum peccando patiantur? Quod proinde detrimentum si istis in muniis experiantur, fugere illa debent, quantum in se est; nec ad illa reverti, nisi mundo meliùs crucifixi, sibique ipsis sic mortui, ut jam illa, absque proprii dispendii periculo, obire valeant.

120 Nec dicas, Moysen Exodi 32. Deum sic orasse: *Aut dimitte eis hanc noxam* (adorationis vituli) *aut dele me de libro tuo quem scripsisti.* Paulum etiam Rom. 6. optasse esse *anathema à Christo pro fratribus suis.* Quia, ut Augustinus q. 147. super. Exod. ait, Moyses id per magnam in Deum confidentiam dixit, sciens impossibile esse, ut absque peccato suo de libro illo deleretur. Quemadmodùm si filius Regis petat à patre vitam alicujus subditi, qui malè fecit, vel certè, ut ipsum unà cum illo interficiat, sciens Regem id nunquam concessurum. Vel per librum illum Dei, non intellexit librum vitæ, seu prædestinationis, sed Cathalogum virorum illustrium, in quo à Deo descriptus erat, tamquam Dux populi Israëlitici. Apostolus verò id non optavit absolutè, sed sub tacita conditione, si liceret, nihil aliud per hoc demonstrans, nisi sui in fratres amoris flammam immensam, ait Chrysostomus homil. 16. in epist. ad Rom. Quemadmodùm in epist. ad Galat. c. 4. Galatarum in se affectum demonstrat his verbis: *Testimonium perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* Quod ergo hic expressit, *si fieri posset*, ibi subaudivit. Unde in originali hebraico non legitur *optabam*, sed *optarem*, si utique liceret. Sic enim constanter legitur in versione Chrysostomi. Sic etiam legit Erasmus, observatque Estius. Enimverò Apostolus non poterat absolutè optare esse anathema, id est separatus à Christo, pro quacumque causa (ait S. Thomas in hunc locum) est enim hoc contra ordinem charitatis, quo quis tenetur Deum super omnia diligere, & salutem suam plusquàm salutem aliorum.

121 Non videtur tamen contra ordinem, nec contra perfectionem charitatis, imò actus esse heroicæ charitatis, Deo pro animabus purgatorii offerre satisfactiones omnium bonorum operum nostrorum, vel Missarum, etiamsi alioqui fortè nobisipsis in altera vita necessariæ forent: quia nullum reverà spirituale detrimentum ex illa oblatione incurrimus. Cùm æquè impossibile sit, ex spirituali eleëmosyna, de sibi alioqui necessariis factâ propter Deum (qui sibi factum deputat, quod fit uni ex minimis amicis ipsius) à creatura liberalitate vinci. Deus ergo centuplum reddet, eleëmosynamque illam offerenti longè plus prodesse faciet, quàm sibi profuissent satisfactiones illæ pro se oblatæ.

Altera pars assertionis, quoad vitam cor- 122
poralem, corporali vitæ proximi comparatam, probatur ab Augustino l. de mendac. c. 6. quia *siquis pro alterius temporali vita, ipsam suam temporalem perdit, non est jam diligere illum sicut seipsum, sed plus diligere quàm seipsum, quod sana doctrina regulam excedit*, secundùm quam homo, utpote sibiipsi magis conjunctus quàm proximo (sibi enim per identitatem, proximo solùm per propinquitatem, vel societatem) se magis diligere debet, quàm proximum. Magis proinde tenetur vitam suam servare, quàm vitam temporalem proximi, nisi commune bonum aliud exigat, quod privato sit præferendum. Quo titulo privatus vitam suam ponere debet pro conservanda vita Principis sui, seu alterius personæ ad Rempublicam servandam necessariæ; si eam morte suâ servare queat. Debet enim quodlibet membrum periculo exponi, imò abscindi, dum id necesse est pro conservatione totius.

Existimo etiam cum S. Thoma in 3. dist. 123
29. a. 5. ad 3. Estio, Soto, Bannez, Lorino, Azorio, Valentia, Loria, Sylvio 2. 2. q. 26. a. 4. licitum & laudabile esse, propriam vitam corporalem pro corporali vita proximi exponere, ex motivo virtutis Christianæ, non in eo præcisè relucentis, quòd vitam tuam exponendo, vitam proximi privati salvabis (cùm hoc Christianæ charitatis ordo non permittat, ut suprà ostensum est) sed in alio bono, quod prudenter censeri potest præponderare bono vitæ tuæ, v. g. quia sic salvabis proximum, cujus vita ad promovendam Dei gloriam, animarum salutem, &c. longè magis proficua est quàm tua; vel quia sic insigne exhibebis gratitudinis exemplum, salvando vitam patris, vel intimi amici, cui pro beneficiis non potes condignè retribuere.

Ratio est, tum quia isti opinioni favent 124
Scriptura & Patres. Siquidem Joan. 15. Christus dicit, quòd *majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quod Chrysostomus l. 2. de sacerdotio intelligit à Christo non dictum pro sola ipsius salute spirituali, verùm & corporali. Quod & Apostolus Rom. 5. insinuare videtur, cùm dicit: *Vix pro justo quis moritur; nam pro bono forsitan quis audeat mori?* Insinuat namque laudabiliter id fieri, dum necessitas exigit; sed raros esse qui id faciunt. Nec de spirituali loquitur necessitate (cùm in ea non sint justi) sed de corporali.

Favent etiam (cum Chrysostomo) Hie- 125

ronymus in caput 7. Mich. Ambrosius l. 3. offic. c. 12. ubi approbant exemplum duorum Pytagoreorum, qui sese alter pro altero vades Tyranno dederunt, pro vita alter alterius. Chrysostomus quoque loco citato laudat Basilium quemdam, quòd pro alterius periclitantis vita, propriam in discrimen adduxerit. Et Gregorius Magnus l. 3. Dialog. c. 37. laudat factum boni Santuli, qui certissimo vitæ periculo se exposuit pro quodam Diacono. Quid dicam, quòd ipsa etiam divina Scriptura factum Tobiæ commendat, quòd, pro sepeliendis corporibus confratrum Israëlitarum, tam evidenti mortis periculo se exposuit, ut eam vix evaserit. Tob. 2.

127 Tum quia bono corporis præferre licet bonum virtutis, præsertim Christianæ, dum id necessitas postulat. Neque tunc spectatur præcisè vita & vita, sed cum vita spectatur honestas Christianæ virtutis, quæ inclinat ad exponendam vitam pro vita amici, in ordine ad salutem æternam, vel ipsius, vel aliorum, per datum ipsis Christianæ charitatis exemplum. Et ista est ratio S. Thomæ loco citato aientis, quòd *tradere seipsum morti propter amicum, est perfectissimus actus virtutis. Unde hunc actum magis appetit virtuosus, quàm vitam propriam corporalem. Unde quòd aliquis vitam propriam corporalem propter amicum ponit, non contingit ex hoc quòd aliquis plus amicum, quàm seipsum diligat; sed quia in se plus diligit bonum virtutis, quàm bonum corporale.*

128 Si objicias, quòd exponere se certæ morti est se occidere, si non effectu, saltem defectu, certam mortem non fugiendo, cùm possis.

Respondeo, quòd ex justa necessitate certam mortem non fugere, cùm possis, non semper est se occidere, ne quidem defectu; sed frequenter actus est heroicæ virtutis, ut ex plurimis constat exemplis: 1°. Christi, qui seipsum à morte potuit liberare. 2°. SS. Martyrum, qui cùm possent contra mortem sese defendere, elegerunt pro Christo mori, potiùs quàm se tueri. 3°. Tobiæ, de quo suprà. 4°. eorum qui se morti exponunt pro servitio pestiferorum; quod multùm laudat Dionysius Alexandrinus apud Euseb. l. 7. c. 17. Et Ecclesia in Martyrologio Rom. ad diem . . . Februarii. 5°. eorum qui illatam sibi ab injusto aggressore mortem effugere valentes, ipsum occidendo, ex Christiana charitate se potiùs occidi permittunt, ne in mortali ipse occidatur peccato. 6°. eorum qui certæ se morti exponunt ad salutem Reipublicæ, vel salvandam vitam Regis, à qua pendet salus Reipublicæ. Quorum tamen nullus censetur se occidisse, vel occidere defectu.

129 Non ideò tamen justè damnatus ut fame pereat, cibum sibi clàm oblatum potest respuere, ex motivo virtutis obedientiæ: quia nulla id justa necessitas postulat; nec id Judex præcipit, nec præcipere potest: utpote nimis inhumanum; sed solùm præcipit, ne quis ipsi cibum offerat. Id proinde ab ipso non postulat virtus obedientiæ. Non etiam virtus pœnitentiæ pro peccatis, sed solùm ut mortem sibi pro peccatis à Ministris Justitiæ illatam patienter sustineat.

Probanda superest tertia pars assertionis 130
nostræ, quòd utique non teneamur magis nosipsos diligere, quàm proximum, quoad temporalia bona, ad vitæ nostræ nostrorumque conservationem minimè necessaria; ad quæ proinde conservanda nullo tenemur præcepto. Cujus ratio manifesta est, quia si ea nobis, vel nostris, conservare non teneamur, postumus ea contemnere; atque adeò rationabili de causa in proximum erogare. Unde in cælum usque à SS. Patribus extollitur factum S. Paulini, qui pro filio viduæ è captivitate liberando, post omnia sua erogata, seipsum tradidit in captivitatem.

CAPUT XV.

Unusquisque tenetur propriam vitam corporalem exponere pro æterna proximi salute, in extrema necessitate, si alius non adsit qui possit & velit ipsi succurrere.

PRoximus esse potest constitutus in tri- 131
plici necessitate salutis æternæ, vel scilicet in extrema, vel in gravi, vel in communi. *Extrema* illa est, in qua proximus, nisi hìc & nunc juvetur, æternùm est periturus. *Gravis*, in qua salvari potest absque alterius ope, sed valdè difficulter. *Communis*, in qua sine alterius ope salvari potest, absque magna difficultate.

Exemplum extremæ necessitatis est in 132
infante morti proximo, absque baptismate morituro, nisi exponas te periculo, ut ipsi per baptismum subvenias: quia v. g. ob pestem inter infideles est derelictus. Item in adulto per somnum vel ebrietatem, vel aliàs sui non compote, morituro in mortali peccato, nisi vitam tuam pro ipso juvando exponas. Exemplificat etiam Sylvius in peccatore sui compote, extremè laborante, quem prudenter existimas absque contritione etiam imperfecta (ob defectum instructionis) morituram, nisi opem ei præstes.

Exemplum gravis necessitatis est in pesti- 133
feris peccatoribus, Confessarii copiam non habentibus, quibus ob inveteratam peccandi consuetudinem valdè difficile est veram habere contritionem, & ideò sine ea rationabiliter existimantur morituri, nisi ipsis auxilio sis.

Communis necessitatis exemplum est in 134
iis qui constituti sunt in communibus peccandi occasionibus.

Quòd

135 Quòd ergo vitam noſtram corporalem exponere teneamur pro æterna ſalute proximi, in extrema neceſſitate conſtituti, communis eſt ſententia Doctorum, contra Joannem Sancium in ſelect. diſput. 10. n. 9. cum Emmanuele Sa dicentem, neminem, cum vitæ periculo, teneri infantem baptizare. Sed oppoſitum probatur, tum ex Scriptura 1. Joan. 3. docente, quòd *& nos debemus pro fratribus animam ponere.* Cui conformiter Auguſtinus l. de mendacio c. 6. *temporalem vitam pro æterna vita proximi non dubitabit Chriſtianus amittere.* Tum ex charitatis ordine, poſtulante, ut plus diligamus æternam ſalutem proximi, quàm proprium corpus, ſeu vitam corporalem. Nam, ut S. Thomas ait 2. 2. q. 26. a. 5. *illud magis eſt ex charitate diligendum quod habet pleniorem rationem diligibilis ex charitate. Conſociatio autem in plena participatione beatitudinis, quæ eſt ratio diligendi proximum, eſt major ratio diligendi quàm participatio beatitudinis per redundantiam, quæ eſt ratio diligendi proprium corpus. Et ideò proximum, quantùm ad ſalutem animæ, magis debemus diligere, quàm proprium corpus.* Nec de eo dubitare poterit, quiſquis magnum inter caduca mundi, & æterna cæli bona intervallum æquâ lance perpenderit, ſicut & extremam illam proximi indigentiam, in cujus comparatione temporalium omnium, ipſius etiam vitæ noſtræ, indigentia nihili eſt facienda. Quiſquis denique perpenderit animam proximi dignitate incomparabiliter præcedere inferiores creaturas, eò quòd ſit ſubſtantia incorporea, immortalis, inſignita Dei imagine, decorata ſimilitudine, deſponſata in fide, dotata Chriſti ſanguine, deputata cum Angelis, cæleſtis capax beatitudinis, hæres in ſpe divinæ bonitatis. Propter quod Auguſtinus dicit, *quòd anima, etiam peſſima, melior ſit optimo corpore.*

136 Tenetur ergo quilibet infantem, de quo ſuprà n. 132. cum propriæ vitæ periculo baptizare, ſi alius non adſit qui facere poſſit, & velit. Quilibet etiam Sacerdos tenetur adultum peccatorem, de quo ibidem, cum eodem periculo adjuvare & abſolvere.

Sed ad Sacramenta iſta ſubditis & parochianis ſuis cum eodem periculo miniſtranda, præ cæteris tenentur Prælati & Paſtores, & iſti quidem non ſolùm in extrema, ſed & in gravi neceſſitate, ut benè (cum communi) docet Sylvius: utpote ex officio magis obligati ad paſcendum oves ſibi commiſſas neceſſariis Sacramentis, quàm quilibet alii. Qui cùm ad id, cum vitæ ſuæ periculo, in extrema teneantur neceſſitate, conſequens eſt quòd ad id Paſtor, cum eodem vitæ periculo, teneatur etiam in gravi.

137 Attendant proinde Paſtores animarum, ad id quod Paſtorum Paſtor ait Joan. 10. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis; mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, ... videt lupum venientem, & fugit.* Attendant & ad verba Angelici Doctoris opuſc. XVI. poſt Gregorium Magnum homil. 14. in Evang. dicentis, quòd *de neceſſitate paſtoralis officii eſt, ut periculum mortis non effugiat propter gregis ſibi commiſſi ſalutem. Obligatur ergo ex ipſo officio ſibi commiſſo ad hanc perfectionem dilectionis, ut pro fratribus animam ponat.*

An verò mater gravida, in deſperatione 138
partûs naturalis, pati teneatur ſectionem cæſaream, ut proles, quam utero geſtat, baptizetur, aliàs ſine baptiſmo moritura? Magna & difficilis quæſtio eſt, in qua tam Theologi inter ſe, quàm inter ſe etiam Medici diverſa ſentiunt. Inter Theologos S. Thomas 3. p. q. 68. a. 11. ad 2. dicit, quòd *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.* Rom. 3. Et *ideò non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum.* Quæ doctrina haud dubiè veriſſima eſt. Cum D. Thoma proinde dicendum, ſectionem illam eſſe illicitam, ſi per ſe lethalis ſit, ſive occiſiva matris: innocentem quippe occidere non licet, quemcumque ob finem bonum, ut optimè S. Thomas. Et quia lethalem occiſivamque eſſe cenſent Victoria in Summa de Sacram. Comitolus l. 1. Reſponſ. moral. q. 14. Coninck 3. p. q. 66. a. 7. prorſus illicitam eſſe docent.

Sed contrà ſentiunt Alenſis 4. p. q. 14. 139
memb. 4. Pelbartus de Temiſwar Roſar. 4. tr. de bapt. c. 5. Brianſonus in 4. q. 4. Coroll. 2. litt. K. aientes, matrem teneri conſentire in eam ſectionem, cum aliquo damno & periculo ſuo. Cenſent proinde ſectionem illam periculoſam quidem, ſed non ſic periculoſam, ut deſtituta ſit ſpe probabili incolumitatis matris, modò adhibeantur Medici & Chirurgi benè verſati, & circumſpecti, ac minimè præcipites. Quo caſu Theophylus Raynaudus tom. 14. tr. de ortu infant. per ſect. cæſar. c. 5. *Quòd ſectio* (inquit) *matris viventis, in deſperatione partûs naturalis, licita ſit & honeſta, ſi ſpes probabilis boni eventûs* (*incolumi matre*) *affulgeat, habeo perſuaſiſſimum.* Spem verò ejuſmodi non ſolùm in caſu metaphyſico & rariſſimo (uti cenſet Michael Balduinus, ſeu Boudewinus in Ventilabro Medico-Theologico p. 2. q. 20.) ſed ſæpè affulgere, cap. 4. n. 5. & 6. probat ex judicio & teſtimonio multorum recentium Medicorum Gallorum, Hiſpanorum, Italorum, Germanorum. Quos inter profert Franciſcum Rouſſet de part. cæſar. ſect. 1. c. 5. Mauritium Cordæum Comment. 1. ad l. 1. Hypocr. de morb. mulier. textu 11. Bauhinum in Append. ad Rouſſet, Kentmamnum libello de calculo, Paulum Æginetam lib. 6. c. 88. Mathiam de gradib. Comment. ad cap. de exitu & diſpoſ. matric. l. 6. Rhaſim ad Almanſor. Capite verò 5. n. 4. & 55. idipſum probat ex certiſſimis exemplis, certè quampluri-

mis, inter quæ memorabile profert de Patre Jacobo Robino Ord. Minor. Bituricensi, qui ipsi testificatus est, quintum se esse ex fratribus cæso semper matris utero editum, operam matri præstante Bruneto Chirurgo, qui adhibito remedio soporifero, dolores sectionis solerter præcluſit. Istis experimentis duo alia addit Gobat de quadam obstetrice, quæ eandem matrem bis feliciter secuit; duo item alia videre licet in Germanico exemplari Guilielmi Fabricii Medici Bernensis fol. 1178. edit. Hanovienſis, de duabus puerperis, unâ Viennensi in Austria, alterâ Salinensi in Burgund. Comit. quæ saniſſimæ vixerunt, postquam ex earum uteris, in umbilico sectis, extractæ fuerunt proles, jam ante sectionem mortuæ, tetrumque exhalantes odorem. Suprà relatis Medicis adde Bononienses Medicos, qui (ut refert Gobat in Theologia experim. de Sacram. tr. 2. n. 259.) proximis annis judicarunt posse, imò debere secari illuſtriſſimam quamdam matronam, quæ in eam sectionem consenserat; sed visis instrumentis ita cohorruit, ut viâ ordinariâ fœtum feliciter ediderit.

140 Propterea Gobat, mutatâ opinione, quam cum Victoria, Comitolo, & Coninck antè tenuerat, Theophyli Raynaudi opinionem amplexus est. Et quamvis argumentis Raynaudi respondere conetur laudatus Boudewinus, responsiones ipsius non videntur adeò efficaces, ut Raynaudi opinio non sit probabilis. Probabilem certè negare non possum, ob plurima experimenta suprà memorata, judiciumque ac testimonium tot celebrium Medicorum.

141 Opponit quidem Boudewinus tres rationes, quarum primam petit ex intolerabili dolore, quem causat facienda incisio epigastrii, peritonei, & matricis, ad dimidii pedis ad minus longitudinem: putat enim matrem, in extremis constitutam, post tam vehementes labores, nisus, & irritos ad pariendum conatus, tanto dolori, salvâ incolumitate, ferendo non esse parem, tamque certò (moraliter loquendo) morituram, ut casus metaphysicus sit, si quæpiam evadat: cùm è mille vix una evadat, ut videre poterit (inquit) quisquis contulerit siniſtros eventus hujus sectionis cum rarioribus in contrarium exemplis. Secundam rationem petit ex ingenti sanguinis effluvio, qui peritoneo, & epigastrii musculis dissectis, necessariò in cavitatem ventris inferioris influet, ibique putrescens, intestina cum partibus vicinis corrumpet.

Tertiam petit ex omnibus impuritatibus, totaque saburra, per novimestrem uteri clausuram coacervata; quæ non per epicrasim, vel paulatim, sed simul & semel impetu facto, cum plurimis vitalibus spiritibus, quâ datâ portâ ruentes, extremam in circumstantiis illis debilitatem causant.

Ob istas rationes, variasque mali succeſsûs experientias, sectionem illam lethalem censent Jacobus Guillemeus, Ambrosius Paræus, & cum ipsis totum Chirurgorum Parisiense Collegium, postquam quæstio illa duabus ea de re orationibus à Domino Marchand egregiè eventilata fuit, inquit Guillemeus l. 2. de felici partu c. ult.

Verùm, etsi rationes istæ probabiles sint, 142
atque ob eas sectio, de qua agitur, videatur periculosa, non videntur convincere, quòd sectio illa, saltem respectivè ad mulieres robustas, per se lethalis sit, seu adeò periculosa, ut spes probabilis non sit, matrem robustam supervicturam. Cùm spem illam fundent tot experimenta n. 139. allegata, atque à tot fide dignis Medicis testificata; ex iisque satis appareat, rationes Boudewini non esse convincentes: cùm iis non obstantibus sectio cæsarea toties facta fuerit incolumi tam matre, quàm prole; dolorumque intolerabilitas adhibito soporifero remedio præcluſa; sicut & adhibitis aliis convenientibus remediis provisum fuerit, ne nimio sanguinis, impuritatumque illarum effluvio, matrem nimia debilitas è medio tolleret; ne etiam sanguis in cavitate ventris inferioris putrescens, vicinas partes & intestina corrumperet. Atque, ut verum sit ejusmodi sectiones aliquando siniſtrum habere eventum, verùmtamen non videtur quòd ex mille sectis, vix una evadat. Nec id probat Boudewinus; imò contrarium probant non rara experimenta, de quibus suprà.

Quæ cùm ita sint, sectio illa licita vide- 143
tur, dum, omnibus consideratis, judicio peritorum circumspectorumque Medicorum spes probabilis est non fore fatalem matri, non obstante aliquali in contrarium periculo, uti docent Alensis, Pelbartus, Brianſonus, & alii suprà relati. Tunc proinde mater robusta videtur ex charitate debere in eam consentire, periculoque illi se exponere, ne sua proles sine baptiſmo moriens, æternùm pereat, ut benè Raynaudus. Quemadmodùm si infans ex parentibus Christianis natus, ab ethnicis raptus, animam ageret, moriturus sine baptiſmo, nisi ipsum ego baptizarem, ad id tenerer, etiam cum periculo propriæ vitæ, certitudineque graviſſimorum suppliciorum, mihi propterea ab ethnicis inferendorum, uti docent Sylvester, Navarrus, Coninck, Bonacina, Palao. Quisque enim tenetur vitam propriam exponere pro salute æterna proximi, in extrema necessitate, uti docet S. Thomas, constatque ex suprà dictis.

Sed quid de casu sequenti: mulier obste- 144
trix, saga, plurimos infantes, non in nomine Patris, & Filii, &c. sed in nomine dæmonis baptizavit, nec de isto baptiſmo Parochus supplevit, nisi ceremonias accidentales; personæ autem taliter baptizatæ, non uno loco, sed variis in oppidis & regionibus

dispersæ consistunt. Si omnibus consideratis, nullus modus excogitari queat, quo illis baptismi sui defectus significetur, nisi mulier illa Magistratui se prodat, extremum consequenter supplicium subitura, ad idne ipsam Confessarius obligare debet, &, nisi consentiat, absolutionem ei denegare?

145 Respondent Layman l. 2. tr. 3. c. 3. n. 3. & Gobat ubi suprà n. 220. absolvendam esse, si Confessarius excitarit in ipsa firmum propositum emendandi se, faciendique ea quæ Confessarius necessaria judicaverit ejus saluti. Deinde inducendam ad subeundam libenter mortem pro sua aliorumque à se deceptorum salute. Quòd si non sit spes id ab ea impetrandi, esse ipsi dissimulandam obligationem sistendi se Judici: eò quòd eam probabiliter ignoret, ejusque manifestatio paritura sit plus mali, quàm boni.

146 At isti responsioni subscribere non possum. Quia Confessarius prudenter judicare nequit sagam illam dispositam ad absolutionem, nisi prudenter judicet ipsam paratam satisfacere suæ obligationi in re tanti momenti, in qua agitur de tot animarum salute periclitante, ob ignoratum ab ipsis defectum sui baptismi. Quomodò verò prudenter id judicare poterit, nisi de ea ipsam monuerit, ab ipsaque didicerit, an ei satisfacere parata sit? Aliàs namque an ad rem tam difficilem parata sit saga, ad minus dubitare debebit. Eo ipso vero quo de eo dubitat, de ipsius ad absolutionem dispositione dubitat, vel debet dubitare. Nec dubium istud deponere potest, nisi ipsam ea de re interrogando. Quòd si existimet, interrogationem obfuturam magis, quàm profuturam, consequenter existimat, vel existimare debet ipsam taliter affectam, ut monita de sua obligatione, non sit ei satisfactura. Igitur existimat, vel existimare debet ipsam carere dispositione necessariâ ad legitimam absolutionem. Per consequens ipsam absolvere non potest.

147 Nec ad rem præsentem facit quod Gobat allegat ex Augustino dicente (ut ipse putat) *si scirem tibi non prodesse, non te monerem.* Tum quia licèt Canonum Collector can. *siquis autem* de pœnit. dist. 7. illa verba alleget, velut Augustini homil. 41. inter 50. non sunt tamen Augustini: utpote qui non dicit, si scirem tibi non prodesse, non te monerem; imò potiùs, *si scirem tibi prodesse, non te admonerem.* Tum quia de casu nostro Augustinus ibi non agit, sed de moribundo, qui pœnitentiam distulit usque ad proximum vitæ terminum, cujus pœnitentiam ideò dubiam dicit, quia pœnitentia tam sera, rarò vera. Quia tamen non omninò constat, pœnitentiam tunc factam non profuturam, absolutionem dicit ei dandam ista in extremitate. Et pro isto casu dicit, *si scirem*, id est certò cognoscerem, *nihil tibi prodesse absolutionem tunc datam, non tibi darem.* Item, *si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem*, exaggerando pericula pœnitentiæ ad tempus ultimæ infirmitatis dilatæ. Ex quo videt cordatus Lector, nihil prorsus ex Augustino erui posse, ad persuadendum, quòd Confessarius pœnitentem monere non debeat de sua obligatione reparandi, quantùm in se est, tantum damnum tot animabus illatum, per baptismum tam evidenter nullum. Ad quod non solùm tenetur ut Doctor pœnitentis, sed & ut Judex, ut judicare possit, an pœnitens sit vel non sit dispositus ad absolutionem. Sed de ista Confessarii obligatione plura suo loco.

Tenetur ergo Confessarius sagam illam 149
monere de obligatione damnum spirituale tot animarum reparandi. Quòd si aliter reparare non possit, nisi prodendo seipsam Magistratui, ad id tenetur, etiam cum periculo suæ mortis. Quia salutem corporis sui postponere tenetur æternæ saluti tot animarum, à se per summam impietatem & injustitiam deceptarum. Fortasse tamen damnum illud reparare poterit, dando licentiam Confessario accedendi Judicem, seu Principem, ipsique sub secreto confessionis, promissioneque impunitatis, factum revelandi, ad procurandum illius remedium publicâ præconis voce, etiam de eo chartis publicè affixis, in vicinis civitatibus & oppidis, ut ab ipsa taliter baptizati, curent se ritè baptizari. Quâ factâ licentiâ, poterit saga illa ad locum remotum fugere, sicque vitæ suæ securiùs consulere, tametsi Judex teneatur tunc stare promissioni suæ, si sanctè promiserit impunitatem.

CAPUT XVI.

Exponitur præceptum dilectionis inimicorum.

INimici nostri sunt, qui nos, vel conjunctos nostros lædunt in bonis animæ, corporis, honoris, aut fortunæ, tametsi reciprocè non habeamus inimicum erga eos animum. Quòd ipsos tam interiori, quàm exteriori affectu diligere teneamur, manifestè docet Salvator Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus vos.* Quibus verbis contineri præceptum, unanimis est doctrina Patrum. Unius Augustini verba referam serm. 68. de temp. *Dominus in Evangelio, ut inimicos diligere debeamus, non dedit consilium, sed præceptum.* Quod præceptum explicans epist. 18. *Teneatur* (inquit) *in secreto animi patientia cum benevolentia; in manifesto autem id fiat, quod iis videtur prodesse, quibus benè velle debemus.* 150

Præceptum proinde istud, interiorem 151
charitatis affectum, *diligite*, ab externis dilectionis indiciis, *benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus vos*, accuratè distinguens, ad duo obligat, ad internum

scilicet dilectionis affectum, ab Augustino designatum per hæc verba, *teneatur in secreto animi patientia cum benevolentia*; necnon ad præstanda ipsis exteriora dilectionis officia, ipsis benefaciendo, proque ipsis orando, ut ipsis proficui simus, quibus benè velle debemus. Totum verò istud nos facere oportet propter Deum, ut benè Author libri de modo benè vivendi ad sororem (apud D. Bernardum) dicens: *Debemus diligere inimicos nostros propter Deum, sicut & ipse ait in Evangelio.* In quo præcepti rationem addit, *ut sitis filii Patris vestri*, &c. quasi dicat, filii non eritis, proinde nec hæredes, nisi hoc feceritis.

151 Tam igitur affectu interno, quàm externo, seu effectibus illius, oportet nos inimicum diligere, si vitam æternam consequi velimus. Unde Joannes in 1. Canonica sua c. 3. *Fratres, non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.*

152 Estque obligatio ista de jure naturali, non positivo evangelico dumtaxat. Unde eâ adstricti fuerunt etiam Judæi in lege veteri, uti contra Maldonatum benè ostendit Contensonus hîc differt. 6. in appendice, docetque S. Thomas.

153 Nec obstant verba Christi ad Judæos Matth. 5. 43. *Audistis, quia dictum est antiquis, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Quia verba ista, *odio habebis inimicum tuum*, non sunt *jubentis justo, sed permittentis infirmo*, ait Augustinus l. 1. de serm. Dom. in monte c. 21. nec intelliguntur de odio inimici, in quantum est homo, sed in quantum peccator, ut addit sanctus Doctor l. 19. contra Faust. c. 24. nec dicta sunt antiquis à lege, sed à Pharisæis & Scribis, legem sinistrè interpretantibus: quandoquidem Exodi 23. Deus Judæis contrà præceperit, *si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Et Levit. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ.* Et Prov. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*, &c.

154 Cæterùm ut ampliùs explicemus, ad quæ se extendat præceptum dilectionis inimicorum, dicendum, esse indubitatum, ex vi illius quemque teneri inimicis ex corde remittere offensam, quatenùs importat animi exacerbationem, impedientem fraternam dilectionem, etiamsi inimicus veniam non petat, dederitque gravissimam istius exacerbationis causam. Quia equidem nunquam licet animo vel ad momentum fovere quidpiam contrarium internæ dilectioni, quam ostendimus esse præceptam. Offensam autem remittere, est omnem odii ac vindictæ affectum sic deponere, ut offensus ab offensa non solùm non moveatur ad illi malè volendum, sed & sincero corde paratus sit ipsi exhibere debita internæ dilectionis signa.

155 Imprimis generalia, quæ aliis communiter hominibus ejusdem conditionis exhibere solemus. Nam, ut S. Thomas ait 2. 2. q. 25. a. 9. *sunt quædam signa, quæ exhibentur proximis in communi, puta cùm aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut aliquod beneficium impendit toti Communitati. Et talia beneficia, vel dilectionis signa, inimicis exhibere est de necessitate præcepti. Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ, contra id quod dicitur Levit. 19. Non quæras ultionem, & non eris memor injuriæ civium tuorum.* Et alibi: *Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus. Alia verò sunt beneficia, vel dilectionis signa, quæ quis exhibet particulariter aliquibus personis; & talia signa exhibere non est de necessitate salutis, nisi secundùm præparationem animi, ut scilicet subveniatur eis in articulo necessitatis*, secundùm illud Prov. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.*

156 Omninò proinde illicitum est, inimicum à communibus excludere orationibus, vel eleëmosynis, quæ toti fiunt Communitati, vel certis hebdomadæ diebus fiunt omnibus pauperibus, pro ea ad januam sese offerentibus, vel ipsum excludere à resalutatione, vel à mercium expositarum venditione, &c. Per consequens illicitum est, per se loquendo, cognatos omnes visitare, excepto solo cognato inimico; omnes obvios de vicinia, vel Collegio salutare, solo excluso inimico; invitatum ad prandium, ad quod alioqui solitus es accedere, ideò solùm nolle venire, quòd ad idem invitatus sit inimicus; nolle loqui inimico petenti te alloqui, &c.

157 Deinde ex præcepto benefaciendi inimicis, quisque tenetur ipsos in necessitate constitutos pro posse sublevare, cibare, bovem, vel asinum ipsius errantem ad ipsum reducere, injustum malum ipsi aliàs imminens in honore, fama, corpore, vel fortunis ipsius, si facilè possis, impedire. Aliàs graviter peccas, si grave est malum. Si enim præcipimur inimico benefacere, consequenter præcipimur malum ipsius, dum commodè possumus, avertere, sicut nobis fieri vellemus.

158 Tertiò, si inimicum (ante injuriam) salebas salutare, alloqui, ad conversationem admittere, tametsi ista sint specialia dilectionis signa, ad eadem & modò præstanda teneris, nisi circumstantiæ speciales aliud exigant, vel ab eo excusent. Ita Suarez, Coninck, Bonacina, &c. Quia scilicet constans est Theologorum sententia, ne specialia quidem dilectionis signa ex solo motivo injuriæ acceptæ, vel inimicitiæ, denegari unquam posse: cùm hoc pertineat ad livorem vindictæ. Experientia quoque docet, quòd solita illa signa, extra circumstantias speciales denegare, odii fomitem submini-

ſtret, proximumque ſcandalizet; eò quòd denegatio iſta communiter æſtimetur ſignum eſſe odii, vindictæ, vel contemptûs.

159 Quartò, ſpecialia illa dilectionis ſigna tunc maximè præſtanda ſunt, cùm per ea ſpes probabilis affulget Deo lucrandi, ſibique reconciliandi proximum, aliàs in odio, & inimicitia perſtiturum, vel etiam magis exarſurum. Tunc enim oportet nos infirmitati proximi ex charitate ſubvenire, & ſuper caput ipſius carbones igne charitatis ſuccenſos projicere, uti Doctores communiter tradunt, contra Marcum Vidal, dicentem, ad ea neminem teneri, ob ſpem probabilem lucrandi proximum, etiamſi ſigna illa exhibere poſſemus abſque ullo damno noſtro. Quia ſi ex hoc in odio ipſe perſiſtat, vel magis exardeſcat, ſoli malitiæ ipſius imputandum; quemadmodùm ſi ſe occidere vellet, eò quòd centum ipſi aureos donare nollem.

160 Verùm opinio iſta videtur parùm Chriſtiana, & ratio illius frivola. Tum quia in caſu noſtro plurimum eſt infirmitatis; ſecùs in caſu objecto. Tum quia centum aureos donare non poſſem abſque notabili damno meo, ſine quo ſupponitur me ſigna illa exhibere poſſe. Quemadmodùm ergo indubitatum eſt, me teneri ex charitate impedire, ne proximus ex malitia ſua ſe corporaliter occidat, ſi ſine notabili detrimento meo poſſim; ſimiliter indubitatum eſt, me teneri ex charitate impedire, ne occidat ſe ſpiritualiter, uti ampliùs patebit ex dicendis de præcepto fraternæ correctionis.

161 Nec quiſquam dicere poteſt, incurrere ſe detrimentum honoris, in ſalutatione inimici, quem ante inimicitiam ſalutare conſueverat. Quia econtrà ſapientum omnium judicio, veri honoris acquirit incrementum, Chriſtianæ charitatis veræque generoſitatis inſigne perhibendo exemplum: cùm generoſior ac fortior ſit, qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit mœnia. Nec hoc ingeneroſo animo imputare poſſunt, niſi inſipientes, qui nec ſecundùm Deum, nec ſecundùm regulas Evangelii judicant, ſed ſecundùm fatuas mundi maximas, cujus ſapientia, ſtultitia eſt apud Deum. Unde & ipſi ingeneroſo animo ſimiliter deputant, acceptam non ulciſci injuriam: tametſi ultio iſta, Dei & omnium verè ſapientum judicio, verè ſignum ſit ingeneroſi animi, neſcientis ſibi ſuiſque paſſionibus dominari.

162 Hinc etiam Chriſtiana non eſt opinio dicentium, te non teneri priùs alloqui inimicum, quamvis certò prævideas, ipſum per hoc ad ſaniorem mentem perducendum, & alioqui in inimicitia & odio perſtiturum. Quid enim? Eſtne hoc ſincerè diligere inimicum, ut Patris cæleſtis filius ſis? An non velles in caſu ſimili, tam exiguo incommodo ſalvari à proximo animam tuam? An non oportet te inimicum, utpote proximum tuum, diligere ſicut teipſum? Quomodò tam parva tibi cura de anima ipſius, pro qua Chriſtus mortuus eſt? Quomodò in te vel ipſius Dei charitas eſt, cujus grandem offenſam cum tam modico tui diſpendio removere detrectas? Quomodò miſericors es, ſicut Pater cæleſtis miſericors eſt: cùm viſcera miſericordiæ occludas fratri tuo, dum renuis lucrari ipſum Deo, cùm tam facilè poſſis? Quomodò Chriſtianus es, ſive imitator & diſcipulus Chriſti, qui, *cùm adhuc inimici eſſemus, prior dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*, ut ex inimicis Dei, amicos nos faceret & filios. *Non dedignetur, quod fecit Chriſtus, facere Chriſtianus* (inquit Auguſtinus tr. 5. in Joan.) non dedignetur ergo proximum verbulo prævenire, ut ex ſuo Deique inimico utriuſque amicum faciat. Nam Chriſtus exemplum dedit nobis, ut quemadmodùm ipſe fecit, ita & nos faciamus; nec proinde ingeneroſum exiſtimemus inimicum prævenire, amore illius, qui nos inimicos ſuos dilectione, imò & morte ſuâ prævenit; noſque peccatores gratiâ ſuâ quotidie prævenit, atque ad reconciliationem prior invitat.

Dixi n. 158. niſi circumſtantiæ ſpeciales 163
aliud exigant, prout exigere videntur. 1°. ſi prudenter exiſtimetur, quòd inimico profutura non ſit ſpecialis illa benignitas noſtra; imò potiùs obfutura; eò quòd eâ ſit abuſurus, pejorque futurus, cum iis de quibus S. Ignatius Martyr in epiſt. ad Romanos: *quibus cùm benefeceris, pejores fiunt.* Tunc enim charitas dictat ſigna illa omittenda, ne quod pro charitate fit, contra charitatem militet.

2°. ſi inimicus prævideatur ad meliorem 164
mentem potiùs reducendus, à noviſque injuriis revocandus ſignorum illorum ſpecialium omiſſione. Quia tunc charitatis eſt illa omittere.

3°. ſi ſuperior à ſubditis, pater à filiis of- 165
fenſus fuerit, ſolita ſpecialis dilectionis ſigna poteſt ad tempus ipſis per modum correctionis ſubtrahere, exemplo David, qui faciei ſuæ conſpectum Abſaloni denegavit, etiam poſt remiſſam ipſi offenſam. Qua tamen in re prudentia & circumſpectio neceſſaria eſt, ne ex paſſione faciant, quod ex zelo ſe facere putant; ne etiam officio deſint, quo turbatos ſubditorum animos ad ſanam mentem reducere tenentur.

4°. ſunt qui putant, eos quibus atrox 166
vel infamis facta eſt injuria, ad tempus excuſari ab exhibendis ſolitis illis ſignis dilectionis. Eò quòd ſuſpenſio illarum tunc prudenter oriri non cenſeatur ex odio, ſed ex juſti doloris ſenſu, auſteriorem exigente vultum, ne injuriæ atrocitatem vel infamiam parvipendere videantur. Sed hoc ſuadere nolim, ne ex melle iſto ſugatur venenum. Facilè enim ſub ejuſmodi coloribus vindictæ vel paſſionis livor deliteſcit.

CAPUT XVII.

Mundanorum hominum excusationes & argumenta contra assertam obligationem confutantur.

167 OBjicies 1°. Specialia dilectionis signa exhibere non tenemur proximo non inimico (non enim tenemur quemlibet salutare , alloqui , &c.) ergo nec inimico : utpote cui post offensam exhibere non tenemur majora dilectionis signa, quàm ante offensam.

Respondeo, esse quædam, ad quæ licèt non teneamur absolutè, tenemur tamen certis in circumstantiis , speciali de causa , id exigentibus, v. g. abstinere à nonnullis licitis, ad vitandum scandalum infirmorum. Sic ergo licèt, absolutè loquendo, specialia dilectionis signa inimico præstare non teneamur, in circumstantiis tamen, in quibus eorum omissio signum esse videretur livoris, vel vindictæ, ad ea præstanda tenemur. Tales verò circumstantiæ sunt, dum signa illa inimico ante offensam præstare solebamus, certòque adhuc præstaremus , si ab ipso offensi non essemus. Neque enim illa omittere possumus ob inimicitiam , nec ullum livoris vel amari cordis aut vindictii signum exhibere. Nec dubium, quin speciales circumstantiæ frequenter obligent ad exhibenda inimico majora post offensam signa dilectionis quàm antè, dum utique prudenter id necessarium censetur ad excludendum odium, in quod propensi sumus, sicut & ad scandalum vitandum, vel ad inimicum Deo lucrandum.

168 Objicies 2°. sententiam nostram videri nimis duram.

Respondeo 1°. duram non esse iis qui spiritu Dei aguntur , sed qui aguntur spiritu mundi. Nec duram esse spiritui , sed carni & sanguini ; maximè cùm assertam obligationem proposito præmio Legislator noster temperaverit , dicens , *ut sitis filii Patris vestri , qui in cælis est.*

169 Respondeo 2°. *propter verba labiorum* Dei *custodiendas esse vias duras* carni & sanguini; nec hoc durum esse Deum & proximum diligenti, imò suave & leve, Legislatore ipso teste, qui dicit, *jugum meum suave est, & onus meum leve.* Enimverò *quomodò* durum & *grave, cùm sit dilectionis mandatum ?* ait Augustinus l. de nat. & grat. c. 69. *Omnia* quippe *sunt facilia charitati.* Ibidem. Nam *qui amat, non laborat, vel ipsum laborem amat.* l. de bono viduit. c. 21. Cui concinens Doctor Seraphicus l. 2. pharetræ c. 25. *Nullo modo sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant , sicut venantium , aucupantium, & piscantium.*

170 Objicies 3°. Quomodò potero solitam cum inimico prosequi conversationem ? quomodò ei loqui , cum eo comedere , &c. cùm ad primum conspectum ipsius sanguis meus ebulliat?

Respondeo verbis Bellarmini l. 1. de septem verbis à Christo prolatis in cruce c. 3. ebullitionem istam ex hoc *provenire, quia sunt homines animales , & nondum didicerunt motus partis inferioris , quæ nobis cum bestiis communis est , fræno rationis coërcere. Qui enim spirituales sunt , & motibus corporis non subjacere , sed præesse noverunt , non irascuntur inimicis , sed miserentur , & beneficiis illos ad pacem atque concordiam allicere student.... Idque facile est : nam jugum Christi , qui legem istam sectatoribus suis imposuit , suave est, & onus ejus leve , ut Evangelia testantur , & mandata ejus gravia non sunt , ut S. Joannes affirmat 1. Joan. 5. Quòd si difficilia & gravia nobis videntur , id nobis accidit , quia charitas Dei modica , aut nulla est in nobis. Nihil enim difficile est charitati , dicente Apostolo , charitas patiens est , benigna est , omnia sufert , omnia credit , omnia sustinet.*

171 Objicies 4°. Si velimus inimicis reddere bona pro malis , beneficia pro injuriis , benedictiones pro maledictis , insolescent improbi, audaciores fient grassatores , justi opprimentur, virtus calcabitur, ovis devorabitur à lupis.

Respondeo cum eodem , *non ita esse. Nam sæpè , ut Sapiens loquitur Proverb. 15. responsio mollis frangit iram ; nec rarò patientia justi admirationi fuit persecutori , & de hoste amicissimum reddidit. Neque desunt in terris Magistratus politici , & Reges ac Principes , quibus cura est , ut severitate legum coërceantur impii , & detur opera ut justi quietam & tranquillam vitam ducant. Sed etiamsi aliquando dormitaret alicubi humana justitia, vigilat semper providentia Dei , quæ nullum malum impunitum , & nullum bonum irremuneratum relinquet , & admirabili ratione facit , ut improbi, dum se justos opprimere arbitrantur , illos exaltent , & illustriores evadant.*

172 Objicies 5°. seu potiùs dices cum animalibus hominibus : Condono inimico quod mihi iniquè fecit , nec ultionem volo , nec aversum ab ipso animum gero, imò ipsi benè precor , oroque pro ipso. Solùm ipsi loqui nolo.

Ecce quomodò mentitur iniquitas sibi. Si enim aversum non habes ab inimico animum , cur aversam habes faciem & linguam? si ipsi benè precaris , quomodò ne verbulo quidem dignaris ? si ipsum verè sicut teipsum diligis , vellesne sic tecum simili in casu fieri ? vellesne ut sic Deus tecum ? Porrò sic tecum faciet Deus , si sic tu cum proximo. Eâdem namque mensurâ, quâ mensus fueris , remetietur tibi. Esto ergo benignus & misericors proximo, si Deum tibi misericordem exoptas & benignum.

173 Objicies 6°. Quoties inimicum meum accedo , vel ipse me , toties inter nos jurgia sunt , novaque peccata. Ad ista ergo vitanda præ-

præstat consortium ipsius, alloquiumque vitare.

Respondeo, discutiendum quis jurgiorum istorum causa sit? Tu, an ipse? Si tu, causam amovere te oportet, factoque ostendere tuam in ipsum dilectionem: cujus oppositum ostendis, dum non potes ipsi quidquam pacificè loqui, sed inurbano vel exasperante tuo loquendi vel agendi modo ipsum ad jurgia provocas.

174 Si ipsemet inimicus dictorum jurgiorum causa sit, noli equidem vinci à malo, sed vince in bono malum, in patientia tantisper sustinendo, officiaque dilectionis continuando. Hoc enim si feceris, spes probabilis est quòd ipsum Deo lucraberis; & tametsi dilectionem dilectioni statim non rependat, tandem erubescet, ubi passio deferbuerit, ad tuamque erga se dilectionem reflexerit.

175 Si tamen, præter ordinariam hominum consuetudinem, hisce nihilo placatior factus, indurescat, & inde pejor insolentiorque semper fiat, consultò tunc vitabis consortium ipsius, orando interim pro ipso, secundùm oraculum istud: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.*

176 Objicies 7°. Determinare non possumus, quisnam ex duobus prior alterum salutare, vel alloqui debeat, in circumstantiis, in quibus salutationem vel allocutionem debitam asserimus.

Respondeo negando antecedens: prior enim salutare debet, qui injuriam prior intulit, rixæque primus excitator fuit; inferior quoque superiorem debet salutare primus, & qui notabiliùs offendit, tametsi in offendendo posterior. In casu verò æqualitatis, & similitatis injuriarum, & ubicumque spectatis omnibus ratio non apparet, cur unus præ altero, utrique incumbit obligatio præveniendi fratrem suum. Quòd si contingat occasio, vel circumstantia, in qua uni potiùs quàm alteri, secundùm mores regionis conveniat fratrem suum prævenire, ille tunc in salutando vel alloquendo præveniat. Quia sic recta ratio tunc dictat. Et ideò regulariter loquendo inter æquales, ei incumbit priùs salutare, qui coram altero pertransit, vel ad ipsum de novo accedit; non ei qui stat. Similiter ei qui alterius indiget auxilio incumbit priùs loqui, auxilium postulando. Et pari modo in similibus.

177 Porrò nulla de causa filius patri subtrahere potest salutationis vel allocutionis officium, nec inferior superiori. Cùm officia ista ipsis strictissimè debita sint ex quarto Decalogi præcepto: utpote qui nobis loco Dei sunt, atque (ut Catechismus Romanus loquitur p. 3. c. 3.) sunt *immortalis Dei quasi quædam simulachra.* Quod etiam dicitur L. *veluti* §. de just. & jur. Accedit quòd licèt salutatio & allocutio respectivè ad extraneos signa sint specialia; respectivè ad valdè conjunctos (quales jure censentur fratres ejusdem Religionis) generalia communiaque reputentur; ipsis proinde debita sint, etiam post acceptam injuriam. Et quamvis (speculativè loquendo) subinde justa de causa subtrahi possent; practicè id vix fieri potest absque peccato, tum ob scandalum, tum ob depravationem partis nostræ irascibilis.

Propterea peccant mortaliter Religiosi, 178
rixæ causâ intra septa domestica sese non salutantes, nec alloquentes, si anteà se invicem salutare & alloqui solebant. Est enim hoc signum odii, causaque scandali. Nisi à mortali excuset comperta virtus ipsorum, rixæque causa sciatur fuisse levis; ideòque judicentur, non ex odio gravi, sed ex levi quâdam passione, melancholicovè humore, in signum accepti gravaminis, moveri ad omittendam salutationem. Sed hoc longo tempore durare nequit, absque gravi scandalo, justaque suspicione passionis gravis; tametsi causa rixæ non fuerit nisi levis. Quomodò enim tanto tempore duraret passio, nisi scintilla levis in animo ipsorum grande causasset incendium? sine gravi enim passione id ordinariè non contingit; sine ea proinde contingere non præsumitur, quidquid dixerit Tamburinus l. 5. in Decal. c. 5. n. 18.

CAPUT XVIII.

Exteriora condonationis signa inimico veniam legitimè petenti, etiam statim post acceptam injuriam, privatus quisque exhibere tenetur; tametsi non prohibeatur apud Judicem agere pro satisfactione damni in fama, honore, vel fortunæ bonis, siquod ultra offensam acceperit: nisi damnificator satisfactionem prudentum arbitrio sufficientem amicabiliter facere paratus sit.

SUnt qui putant exteriora condonationis 179
signa inimico veniam legitimè postulanti exhibenda non esse statim post injuriam. Quia hoc ipsis videtur nimis violentum, & supra humanam fragilitatem. Ita Trullem. l. 1. c. 5. dub. 5. & apud ipsum Azorius & Filiutius, magis humanè (si tamen humanè) quàm christianè, isto in puncto similes iis, qui idem olim dixerunt de præcepto dilectionis inimicorum, de quibus Hieronymus & Augustinus: *Multi præcepta Dei imbecillitate nostrâ, non Sanctorum viribus æstimantes, putant impossibilia esse quæ præcepta sunt*, &c. Quemadmodùm ergo, ob similem rationem, negandum non est istud præceptum: utpote possibile viribus gratiæ, licèt non viribus naturæ corruptæ; ita nec præceptum inimicis exhibendi signa condonationis, statim atque veniam petit: utpote satis expressum Luc. 17. *Si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te dicens, pœnitet me, dimitte illi.* Nec solùm *septies* in die, sed & *septuagies septies*, prout habetur

Matth. 18. Vult enim ſtatim remitti, qui vult ſepties, imò ſeptuageſies ſepties in die remitti. Nec ſolùm remitti vult interiùs, ſed & exteriùs. Id enim tum ſubjecta parabola de domino & ſervo, tum etiam præcedentia ſignificant verba, *lucratus eris fratrem tuum*, qui internam remiſſionem tuam ſeorſim ab externa non cognoſcit.

180 Et reverà charitas externam tunc poſtulat remiſſionem. Tum quia ſpecialia dilectionis ſigna inimico veniam petenti vult oſtendi, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 8. & in 3. diſt. 30. a. 2. ad 5. Tum quia veniam petenti exteriùs non condonare, reputatur odii ſignum, parit ſcandalum, ad novumque, imò majus odium provocat inimicum; denique in praxi vix contingit, abſque interno affectu odii, vindictæ, vel contemptûs. Tum denique quia qui offenſam verè internè remittit, inimicumque ſincerè ex corde diligit, non tam acceptâ movetur injuriâ, quàm injuriatoris humiliatione, humanæque fragilitatis compaſſione, memor quòd & ipſe fragilis homo ſit, quòdque id proximo facere debeat, quod ſibi factum ſimili in caſu vellet. At ſibi veniam legitimè poſtulanti ſtatim vellet exteriùs concedi.

181 Recogitet proinde quiſquis hoc violentum putat, primò quòd *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11.

182 Secundò Chriſti recogitet exemplum, qui latroni in cruce ſupplicanti peccatorum veniam ſtatim conceſſit; Paradiſumque ipſo die obtinendum promiſit, nec Cananæam ſupplicantem, nec mulierem in adulterio deprehenſam, nec in telonio ſedentem, nec publicanum orantem, nec diſcipulum negantem, nec Saulum, minarum & cædis ſpirantem ſprevit, qui Malchi alapam auriculæ præciſæ reſtitutione vindicavit, proditorem amicum vocavit, ipſi donaturus veniam, ſi poſtulaſſet miſericordiam.

183 Tertiò recogitet Stephanum, pro inimicis actu lapidantibus flexis genibus deprecantem, Apoſtolumque 1. Cor. 4. dicentem: *Maledicimur, & benedicimus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus.*

184 Quartò recogitet exemplum Theodoſii Imperatoris, qui (ut narrat D. Ambroſius de obitu Theodoſii) *beneficium ſe putabat accepiſſe, cùm rogaretur ignoſcere; & tunc propior erat veniæ, cùm fuiſſet commotio major iracundiæ. Prærogativa ignoſcendi erat, indignatum fuiſſe. Et optabatur in eo, quod in aliis timebatur, ut iraſceretur ..... qui nunquam veniam confitenti negaret ..... Theodoſius .... plenus miſericordiæ .... bonum eſt miſericors homo, qui, dum aliis ſubvenit, ſibi conſulit, & in alieno remedio vulnera ſua curat. Agnoſcit enim ſe eſſe hominem, qui novit ignoſcere, & vias Chriſti ſequitur, qui carne ſuſceptâ, maluit in hunc mundum Redemptor venire, quàm Judex.*

Si dicas, ſanctos illos, perfectoſque fuiſſe; nos verò infirmos, & imperfectos. Reſpondeo cum Bellarmino conc. 16. de Dom. 3. Quadrag. *Sancti erant, fateor; ſed interim homines erant, carnem & oſſa geſtabant, ſenſum, & ſanguinem, & choleram habebant. Denique ſancti erant & perfecti; ſed tu quoque ſanctus & perfectus eſſe debes; alioqui in regnum cælorum non intrabis. Tibi enim, & mihi, & omnibus dicitur Matth. 5. Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* 185

Tandem recogitet unuſquiſque apud ſemetipſum, in quantis Deum quotidie offendimus omnes, & toties nihilominùs ab ipſo veniam obtinemus quoties legitimè petimus. *O homo!* (ait Chryſologus ſerm. 67) *qui vis ſemper tibi dimitti, dimitte ſemper; quantum vis dimitti tibi, dimitte tantum; quoties vis dimitti tibi, toties tu dimitte; imò quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte. Homo, intellige quòd remittendo alii, veniam tibi tuipſe dediſti.* 186

Dixi tamen in aſſertione 1°. *privatus quiſque.* Quia ſuperior offenſus aliquando poteſt externæ condonationis ſigna differre, in juſtam ſubditi punitionem, emendationemque. Cùm id amoris potiùs ſignum ſit, quàm odii: utpote tendens in bonum ſubditi, vel Communitatis. Multâ tamen in eo prudentiâ opus eſt, ne plus æquo ſubditus exacerbetur. 187

Dixi 2°. *veniam legitimè petenti*, ſimul utique debitam offerendo ſatisfactionem, ſi in poteſtate ipſius ſit. Quia ſi eam non offerat, ipſi quidem veniam petenti ſignificare debebis, nullum te odii affectum animo fovere; ſatisfactionem tamen juſtam exigere; quam donec offerat, completæ remiſſionis ſeu redintegrationis priſtinæ amicitiæ ſigna externa poteris ſuſpendere. Neque enim per hoc odii fomitem miniſtrabis; ſed ipſe potiùs, negando tibi quod jure debet. 188

Duo inſuper obſervanda ſunt. Primò, eadem reconciliationis ſigna ab omnibus exigenda non eſſe. Neque enim ab omnibus exigendum, v. g. ut veniam petant (ait Sylvius 2. 2. a. 9.) cùm quibuſdam ſatis ſit, ut vel amicæ ſalutationis officium, vel aliud benevolentiæ ſignum priores exhibeant. Alia enim debent filius patri, ſervus domino, ſubditus ſuperiori, plebeius nobili; quàm pater filio, dominus ſervo, ſuperior ſubdito, nobilis plebeio. Alia ſibi mutuò debent nobiles, vel Clerici, aut Religioſi æquales. Nam pater, dominus, ſuperior ita parcere tenetur filio, ſervo, ſubdito veniam petenti, & benevolentiæ demonſtrationem ita temperare, ut neceſſariam correptionem & diſciplinam non remittat, uti præclarè oſtendit Auguſtinus ſerm. 5. aliàs 1. ex iis quos Sirmundus edidit. 189

Secundò, tametſi inimico veniam peten- 190

ti

ti oporteat nos condonare, ut suprà, non prohibemur tamen satisfactionem pro damno vel injuria juridicè à Judice petere, si eam ipse non offerat, & ultra offensam, in fama vel honore, vel in fortunæ bonis graviter nos læserit. Quia unicuique licet jus suum prosequi apud legitimum Judicem. Imò ad id subinde tenemur, dum scilicet ex una parte fama bona nobis necessaria est, ad proficuam impositi nobis officii vel muneris executionem (uti necessaria est Prælatis, Pastoribus, Prædicatoribus, Confessariis, &c.) ex alia verò parte fama læsa aliter reparari non potest.

191 Dum tamen is qui læsit, ultra veniæ petitionem, offert satisfactionem prudentum arbitrio sufficientem, quamvis alicui speculativè probabilis videri posset opinio plurium Doctorum, quòd injuriatus possit nihilominùs juridicè agere pro satisfactione, pro eaque, solius justitiæ, non inimicitiæ affectu litem intentare. Cùm hoc non sit petere nisi quod justum est, per media legitima, Judices utique, utpote ad hoc institutos, ut delinquentes puniant, & justitiam administrent.

192 Ista nihilominùs opinio parum consona videtur christianæ benignitati, misericordiæ & charitati, practicèque admodùm periculosa. Opposita proinde sententia prorsus in praxi sequenda est, per se loquendo, id est extra casum, in quo experientiâ compertum esset, juridicam satisfactionem necessariam esse ad injuriatorem à novis noviſque injuriis compescendum.

193 Primò, quia jubemur inimicos ex charitate sincera diligere, sicut nosmetipsos, atque erga ipsos benigni & misericordes esse. Cum tanto verò rigore agere contra eum qui læsit, non obstante sufficienti quam offert satisfactione, non est ipsum sicut nosmetipsos diligere. Neque enim vellemus tanto cum rigore agi nobiscum. Et quomodo ipsum ex charitate diligimus, cùm charitas benigna sit & misericors? Quæ est verò benignitas ista, & misericordia, tam rigidè ipsum tractare, ut si tam rigidè tractaret nos Deus, vix aut ne vix quidem quisquam fieret salvus?

194 Secundò, Christi parabola de debitore 10000. talentorum Matth. 18. rigorem illum condemnat. Servus namque, cui misericordiam petenti debitum 10000. talentorum Rex dimiserat, egressus invenit unum de conservis suis, qui debebat ei 100. denarios, & tenens suffocabat eum, dicens, redde quod debes. Cùmque procidens conservus ejus convenientem offerret satisfactionem, habitâ tantisper patientiâ cum illo; ille noluit, sed ipsum in carcerem misit (authoritate scilicet Judicis) donec redderet universum debitum: servus (inquam) ille per istum rigorem adeò Regem offendit, ut cum increpans, suamque ipsi immisericordiam exprobrans (cùm ipsum oporteret misereri conservi sui, saltem habendo tantisper patientiam cum ipso, sicut ipsius Rex misertus fuerat) tradiderit tortoribus, quoadusque redderet universum debitum; ut per hoc instrueremur, quòd sic faciet nobis Pater cælestis, &c.

Tertiò, id in praxi plenum est periculo procedendi ex affectu odii vel vindictæ: 195
utpote quem difficile est prorsus exuere, in tam rigorosa proximi sufficientem satisfactionem offerentis tractatione: maximè si injuria, quam accepisti, in Deum non redundet, nec in Ecclesiam, vel Rempublicam; si etiam satisfactionem à Judice postules per pœnam valdè gravem, vel cum magnis proximi expensis, ex quibus nullum vel modicum tibi proveniat emolumentum. Tunc enim charitas exigit, ut, cum parvo incommodo tuo, grave proximi incommodum avertas, vel saltem istud non procures, excepto saltem rarissimo casu, quo familia tua maneret infamis, nisi is qui te læsit, secundùm leges puniretur. Quod plusquàm rarissimum videtur, dum sufficientem arbitrio prudentum offert tibi satisfactionem. Neque enim sufficientem offerret, nisi talem offerret, quæ infamiam istam sufficienter averteret.

Quartò, tot ex litibus ordinariè proveniunt mala spiritualia, ut secundùm Apostolum, & sanctos Patres, Christianis non liceat eas, etsi justas, intentare, suaque per eas repetere, nisi ex litibus bonum sperari queat, majus spiritualibus malis illis, sive ordinario earum periculo, quemadmodùm in simili ex Chrysostomo ostendemus, ubi de scandalo. Et reverà graviter in re gravi culpandi sunt, qui pro modica re temporali, modicavè injuria sibi illata, statim ad lites convolant, quasi gaudentes habere se occasionem lite proximum aggrediendi, quem prævident graviter inde contristandum, vel in acerba exarsurum odia, vel magnis gravandum expensis: maximè enim tunc procedit objurgatio Apostoli 1. Cor. 6. *Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus fratrem, judicari apud iniquos ... frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infideles. Jam quidem omninò delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis*, &c. Ad quem Apostoli locum Chrysostomus duplex observat in prioribus verbis peccatum: 1°. in eo quòd litigarent. 2°. in eo quòd apud infideles. Et tamen *nondum dicit Apostolus* (inquit) *quis injuriam inferat.* In verbis autem posterioribus designari dicit rursus duplex crimen, fortassè autem & triplex, & quadruplex: unum quidem, nescire injuriam perferre; alterum, inferre; tertium, injustis de hoc judicium permittere; quartum, injuriâ afficere fratrem. Igitur 196

Apostolus, judicio Chrysostomi, culpam agnoscit in litigatione, etiam non injusta, nec coram infideli.

197 Clariùs adhuc Augustinus Enchirid. 78. eundem Apostoli locum explicans: *Hic posset putari*, inquit, *judicium habere adversus fratrem, non esse peccatum; sed tantummodò id extra Ecclesiam velle judicari, nisi secutus adjungeret:* „ Jam quidem omninò delictum est apud vos, quia judicia habetis vobiscum, „ *& ne quisquam hoc ita excusaret, ut diceret, justum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam vellet à se Judicum sententiâ removeri; continò talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit, atque ait:* „ Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potiùs fraudamini? „ *ut ad illud redeatur, quod Dominus ait Matth. 5.* „ Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & judicio tecum contendere, dimitte illi & pallium. " *Et alio loco Luc. 6.* „ Qui abstulerit (*inquit*) tua, noli repetere. „ *Prohibuit itaque suos de sæcularibus rebus cum aliis hominibus habere judicium. Ex qua doctrina dicit Apostolus esse delictum.*

198 Duplici porrò de causa frequenter peccant (juxta Apostoli, Patrumque doctrinam) qui lites, etiam justas, intentant. Primò, quia pro bonis temporalibus, minoris incomparabiliter pretii, bona fine comparatione majora, contra ordinem amoris exponunt. Secundò, quia ejusmodi lites ferè procedunt ex nimio amore temporalium (ait Cornelius à Lapide in cap. 6. prioris ad Corinth.) & vix carent periculo odii, malevolentiæ, calumniæ. Accedit jactura temporis, pacis, & tranquillitatis internæ, quæ nisi majori bono compensentur, non sine peccato lites suscipiuntur.

199 Si quæras quodnam sit bonum illud majus, quo compensantur? Respondet esse necessitatem propriam, publicam, familiæ, pietatem, justitiæ obligationem, ut cùm Monasterii vel pauperum bona publico judicio tutari vis, aut recuperare.

200 Vel dic cum S. Thoma 2. 2. q. 108. a. 1. bonum majus, seu justam litigandi causam, vel injuriæ in judicio reparationem prosequendi, esse, dum id *fit ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus, & quietem aliorum* (maximè pusillorum, & resistere non valentium, ne per ipsum opprimantur, vel inquietentur) *& ad justitiæ conservationem, & Dei honorem*, quando scilicet Dei honor & justitia id postulant; in his tamen omnibus sollicitè cavendo, ne mentiatur iniquitas sibi.

201 Nec dicas te habere jus, tua in judicio repetendi, vel acceptæ injuriæ reparationem juridicè prosequendi. Neque enim Christianis semper licitum est uti jure suo, maximè ad temporalia, præsertim non magna. Cùm certum sit id non licere 1°. cum jactura pretiosissimæ charitatis margaritæ, vel christianæ patientiæ: siquidem *qui damni impatientiâ concitatur, terrena cœlestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat* (ait Tertullianus l. de patientia) *spiritum enim, quem à Domino sumpsit, sæcularis rei gratiâ concutit. Libentes igitur terrena amittamus, cœlestia tueamur. Totum licèt sæculum pereat, dum patientiam lucrifaciam.* Oportet etiam Christianum esse paratum ad injuriam potiùs quamlibet perferendam, quàm ad lædendam, vel deperdendam charitatem fraternam, quæ (ut idem Author prosequitur) *summum est fidei Sacramentum, Christiani nominis thesaurus; quam Apostolus totis viribus Spiritûs sancti commendat, dicens: charitas magnanima est ..., benefica est, ... non æmulatur .... nec proterva facit ..... non inflatur ..... nec sua requirit, si offert sua dum alteri prosit.* Teste quoque Augustino l. 1. de serm. Dom. in mont. c. 20. *In his omnibus generibus injuriarum, Dominus docet, patientissimum, & misericordissimum, & ad plura perferenda paratissimum animum Christiani esse debere, dum sic Dominus ait* (Matth. 5.) " Qui voluerit tecum judicio contendere, & tunicam " tuam tollere, dimitte illi & pallium. "

2°. certum est id non licere cum certo, 202
vel multùm probabili periculo peccandi mortaliter: utpote cui se exponere non licet, pro ullo temporali bono. *Quid enim prodest, si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?*

3°. certum quoque est cum gravi scan- 203
dalo proximi non esse nobis licitum uti jure, quod ad plurimas habemus actiones, ex se alioqui licitas & bonas. Cùm constans sit Theologorum sententia, plurimas ejusmodi actiones, etiam subinde præceptas, ob infirmorum scandalum prætermittendas esse, juxta illud 1. Cor. 8. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne* proximum *scandalizem.*

Propterea S. Thomas in cap. 6. prio- 204
ris ad Corinth. docet, *judicium adversus aliquem esse illicitum, quando causa illius est cupiditas, & quando fit cum contentione & detrimento pacis .... & propter scandalum quod sequitur. Unde & Dominus mandat Matth. 5.* " Qui vult tecum in judicio contendere, &c. " ut suprà. Similia habet Gregorius Magnus l. 31. Moral. c. 8.

Litigatio tamen in universum prohibita 205
non est, sed certis in circumstantiis licita. "Cùm à Deo ordinati sint in Republica Judices, qui in officio contineant debilium & pupillorum oppressores, arceant & puniant iniquitates, justitiam regnare faciant inter homines. Nisi enim ita esset, janua pateret furtis, rapinis, & infinitis concussionibus, insultationibusque. Licitum proinde Christianis est litigare sine cupiditate, contentione, odii vel vindictæ livore, fraternæ charitatis diminutione & scandalo. Sed ob periculum ne oppositum contingat, melius

est tunicam tollenti dimittere & pallium, quàm in judicio contendere.

CAPUT XIX.

Prorsus illicitum est proximo cuicumque optare malum, ut inde nobis obveniat bonum, proximi malo postponendum.

206 APud Recentiorem Casuistam de charitate disp. 7. n. 1. sic lego: Creaturæ sibi invicem optare possunt malum, non quà malum proximi præcisè, sed ob finem extrinsecum bonum.... v. g. possum desiderare mortem alicujus, ut illi in bonis succedam, vel ne in eo sustentando, aut curando graver.... tristari etiam de vita alicujus, sive tibi amici, propter pingue testamentum quod speras.... sive mariti, quia uxori valdè molestus; sive filiarum, quia nimiùm turpes, ut juxta conditionem suam nubant; sive tuiipsius, quia ob graves habituales infirmitates tabescis, & econtrà de morte naturali gaudere, illamque optare, ob emolumentum inde secutum. Pro quo refert Sa verbo *charitas*, Azor. 1. p. Sum. l. 3. c. 12. q. 2. & Castropalaum. Qui rationem (inquit) omnem reddit; quòd hujusmodi desiderium & gaudium de malo proximi, non sit de malo illius, quà malo illius præcisè, sed potiùs de bono inde secuto. Quod & repetit n. 9. dicens: gaudere de malo alterius, morte v. g. ob bonum nostrum præcisè, nullum est peccatum.

207 Apud Tamburinum etiam l. 5. in Decal. c. 1. §. 3. n. 29. proposita quæstio ista legitur: *An possit filius mortem patris optare, vel de illa gaudere, non ut malum patris (hoc enim esset odium execrandum) sed ut ipse filius paternâ hæreditate fruatur? An mater possit desiderare mortem filiæ, ne illam alere vel dotare cogatur? An possit subditus mortem cupere sui Prælati, ut prælaturæ ipse succedat, vel ut ab eo Prælato sibi infenso liberetur?* Et respondet: *Si solum desideres, vel cum gaudio excipias ejusmodi effectus, hæreditatem, molestiæ carentiam, prælaturam..... licitè hæc optas, vel amplecteris; quia non gaudes de alterius malo, sed de proprio bono.* N. 30. *Si desideres sub conditione, facilis item est responsio, licitè posse.* N. 31. *denique si absoluto desiderio desideres in hunc modum: cupio mortem patris, non ut malum patris est, sed ut bonum meum, seu ut causam boni mei, nimirum quia ex illius morte ego ejus hæreditatem adibo. Vel sic: utinam moriatur mea filia, nam sic sexcentas sollicitudines excutiam, &c. Si (inquam) sic desideres, major est resolvendi difficultas: quia tunc eligis velle malum illis, quamvis ut causam tui commodi. Quod non videtur culpâ vacare. Et ita quidem putat Bonacina.* Sed Bonacinæ opponit Castropalaum contendentem ejusmodi desiderium esse licitum. Et n. 33. concludit, *opinionem Castropalai esse satis probabilem.* Consequenter in praxi tutam. Ut enim dixit in præliminari monitione ad Lectorem: *Cum sententiam aliquam probabilem.... in his in Decalogum libris, uti & alibi appello, illud dico, eam te sine peccati scrupulo amplecti, atque in praxi sequi tutò posse.*

Verùm probabilis non est, multò minùs 208
in praxi tuta, imò ad minus scandalosa, &
in praxi perniciosa, & ut talis ab Ecclesia
per Innocentium XI. meritissimè damnata,
sub pœnaque excommunicationis prohibita
in praxim deduci: in hac utique propositione, quæ est XIII. in Decreto ejusdem Innocentii: *Si cum debita moderatione fiat, potes absque peccato mortali* (plus dicit Castropalao, posse utique absque ullo peccato) *de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare; non quidem ex displicentia ipsius personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Sicut & in hac XIV. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.*

Refellitur proinde pseudo-doctrina illa, 209
justissimèque damnata esse ostenditur: primò, quia non solùm adversatur fraternæ charitati, quæ non cogitat, minùs optat malum; sed & pietati filiorum erga parentes, & dilectioni matrum in filias, & conjugali affectui uxorum erga maritos, &c. Quæ est enim ista pietas, & observantia filiorum erga parentes, iis optare mortem, à quibus acceperunt vitam, ut ipsorum adipiscantur hæreditatem? Quæ ista dilectio matrum in filias, pariter desiderare terminum vitæ, quam ipsis dederunt, ne illas alere cogantur, vel quia ipsas ad nutum suum nuptui se tradere posse diffidunt? Quis iste conjugalis affectus, tantum malum optare maritis, eò quòd uxoribus molesti sint? Quæ amicitia in cupiente tantum malum amicis, propter expectatum ab ipsis pingue testamentum? Isti sunt fines, quos laudati Authores vocant fines extrinsecos bonos: cùm tamen non sint nisi fines cupiditatis, quam toties divina condemnat Scriptura, velut radicem malorum omnium, & velut charitatis venenum, quâ jubemur proximum diligere sicut nosipsos. Nullus autem vellet tantum sibi optari malum, ad captanda citiùs sua temporalia bona.

At (inquis) proximo non opto malum, 210
quà malum ipsius, sed quà bonum meum. At excusatio calva (inquam ego) uti demonstrant argumenta sequentia.

Secundò: si desiderium, quo amicus ami- 211
co optat mortem, ut ipsi in bonis succedat, vel de morte ipsius gaudet, quia in bonis succedit, non esset desiderium & gaudium de malo amici, quà ipsius malo, sed quà bono tuo; ideòque desiderium illud & gaudium licitum esset. Similiter licitum esset desi-

derium & gaudium de morte patris, eodem modo considerata. Et sic vera esset XIV. propositio ab Innocentio XI. damnata. Quod licèt concedant Castropalao, Sancius, Escobar, Hurtado, apud Dianam p. 5. tr. 14. resol. 99. filialis tamen pietatis utcumque participibus animi horrorem, auriumque tinnitum incutit, ut benè Sinnichius. Et verò quis pater (inquit) in sua familia toleret filium, suæ morti inhiantem, nec aliud obtendentem, quàm quòd eam non optet quatenùs patri malam, sed quatenùs sibi proficuam? Hoc certè divina improbat Scriptura: utpote quæ Prov. 20. cùm v. 20. dixisset: *Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris*; etiam prætextu citiùs succedendi in hæreditatem, id illicitum esse, seu licitum non esse malè optare patri & matri, v. 21. immediatè sequenti declarat, dicens: *Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.*

212 Tertiò, si licitum esset proximo optare malum, non quà malum ipsius, sed quà bonum meum; licitum quoque esset gaudere de malo ipsius, non quà malo ipsius, sed quà bono meo. Et sic licitum esset gaudere de occisione patris, imò & parricidio patris, non quà ipsius malo, sed similiter quà bono meo, sive quatenùs causâ ingentium divitiarum inde à me ex hæreditate adeptarum. Hoc verò est horribile dictu, estque propositio XV. ab Innocentio XI. damnata, hæc utique: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis, à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

213 Quartò, si ob adipiscendam hæreditatem liceat optare mortem patris; ad primogenituram adipiscendam, fratri secundo-genito licebit similiter optare mortem primo-geniti; ad adipiscendam quoque coronam regiam, licebit optare mortem Regis, & ad prælaturam adipiscendam optare mortem Prælati, denique ad thiaram adipiscendam optare mortem summi Pontificis. Si enim ratio Castropalai bona sit, & justa, tantò melior & justior erit, quantò amplius bonum, propter quod adipiscendum mors optatur. At hoc dicere non solùm horret charitas, sed & pietas, solaque non horret ambitio & cupiditas. Et si hoc liceat, quomodò jubet Apostolus *fieri orationes pro Regibus*, 1. Timoth. 2. pro vita scilicet & conservatione ipsorum, ut dicitur Baruch 1. *Orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis, & pro vita Balthasar filii ejus.* Et Psal. 19. 20. *Domine salvum fac Regem.* Quomodò & Ecclesia orare jubet pro S. Pontifice: *Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat in terra*: cùm hoc orare non possint nisi labia dolosa eorum, qui ad dictos fines mortem optant ipsorum?

214 Quintò, *fieri potest* (ait Augustinus Enchirid. c. 101.) *ut hoc velit homo voluntate malâ, quod Deus vult bonâ: velit si malus filius velit mori patrem*, ut ipsius possideat hæreditatem, *velit hoc etiam Deus..... Et tamen bona voluntati Dei..... consonat..... pietas illius potiùs consonat*, qui patrem vult vivere, quod non vult Deus, *quàm hujus impietas*, qui vult patrem mori, licèt & hoc velit Deus. Talem ergo voluntatem nedum malam, sed & impiam pronuntiat Augustinus. Et quomodò impia non esset, quæ paternam mortem refert in obsequium cupiditatis suæ, inhiantis ad mammonam ipsius? Quomodò non impia, quæ pro citiùs assequendis terrenis divitiis tristatur de vita illius, à quo accepit ipse vitam? Audi ingrate fili Salomonem Proverb. 28. 20. dicentem: *Qui festinat ditari, non erit innocens*, maximè si ad id festinet per desiderium tam parum consonum pietati.

Sextò, juxta amoris ordinem tenemur proximi, & maximè parentum vitam, utpote bonum nobilioris & superioris ordinis, plus amare quàm bona nostra temporalia, utpote bona ordinis inferioris. Ergo inordinatissimum est, & omninò contra amoris ordinem, optare ut pater amittat vitam, ut ipsius acquiramus temporalia bona. Qui enim hoc optat, certissimè plus amat bona sua temporalia, quàm proximi, v. g. patris sui vitam. 215

Septimò, si liceret gaudere de malo alterius, quatenùs est bonum nostrum, liceret & tristari de alterius bono, quatenùs est malum nostrum (cùm ejusdem rationis sit de malo alterius gaudere, & de bono ipsius tristari.) Atqui non licet de bono alterius tristari, quatenùs est malum nostrum. Aliàs invidia non esset peccatum. Cùm tristitia de bono alterius, quatenùs est malum nostrum, invidia sit, saltem quando bonum alterius reputatur ut malum nostrum, quatenùs gloriæ nostræ seu excellentiæ est diminutivum. Sic enim docent Theologi omnes cum S. Thoma 2. 2. q. 36. a. 1. & 2. in corp. post S. Augustinum l. 11. de Genesi ad litt. c. 14. dicentem, quòd causa invidendi superbia est. 216

Respondet Casuista num. 206. laudatus, invidiam non esse peccatum, nisi hoc modo explicetur: invidia est tristitia de bono alterius, quatenùs ita est diminutivum tui boni, ut diminutio ista sit bonum alterius. 217

Sed contrà: si hoc esset verum, invidia non esset peccatum, nisi quatenùs foret tristitia de bono alterius, quà bono alterius. Adeòque invidia non foret, quatenùs invidia, sed quatenùs odium proximi. Certissimum namque est, tristitiam de bono alterius, in quantum est bonum alterius (qualis est tristitia de bono alterius, quatenùs ita est diminutivum tui boni, ut diminutio ista sit bonum alterius) esse actum odii, non invidiæ ab odio distinctæ. A quo tamen

invidiam Theologi omnes distinguunt; invidia namque est tristitia de bono alterius, quatenùs est excellentia quædam, in qua invidus tristatur se habere parem, vel superiorem, vel timet ne parem aut superiorem habeat. Nam, ut Augustinus ait ibidem, *amando quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quòd ei coæquentur; vel inferioribus, ne sibi coæquentur; vel superioribus, quòd eis non coæquetur.* Et sic invidus æstimat bonum seu excellentiam alterius, ut malum proprium, in quantum est diminutivum propriæ gloriæ vel excellentiæ, & de eo ut sic tristatur, inquit S. Thomas a. 1. citato. Qui verò odit aliquem, tristatur de bono seu felicitate ejus, non in quantum est excellentia quædam, in qua nolit habere parem, sed in quantum est simpliciter bonum quoddam ejus quem odit. De ratione proinde invidiæ, ut speciale peccatum est, non est tristitia de bono alterius quatenùs ita diminutivo tui boni, ut diminutio ista sit bonum alterius. Neque enim ad invidiam hoc requirunt Theologi, nec eorum Princeps S. Thomas, nec Augustinus, vel alii Patres.

CAPUT XX.

Peccatoribus & inimicis licitum est optare aliqua temporalia mala, ut corrigantur.

218 ITa S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 8. ad 3. ubi sic: *Licitum est impugnare inimicos, ut compescantur à malis. Quia hoc cedit in bonum eorum, & aliorum. Et sic etiam licet orando petere aliqua temporalia mala inimicis, ut corrigantur.* Atque hoc modo in S. Scriptura inducuntur multæ imprecationes contra inimicos. Dicitur enim in Psal. 6. *Erubescant, & confundantur omnes inimici mei: convertantur, & erubescant valdè velociter.* Quæ quidem *imprecationes, quæ in S. Scriptura ponuntur, quadrupliciter possunt intelligi* (ait S. Doctor ibidem ad 1.) *primo modo, secundùm quod Prophetæ solent in figura imprecantis futura prædicere, ut Augustin. dicit in lib. de serm. Dom. in monte. Secundò, prout quædam temporalia mala peccatoribus quandoque à Deo in correctionem immittuntur. Tertiò, quia intelliguntur petere, non contra homines, sed contra regnum peccati, ut scilicet correctione hominum peccata destruantur. Quartò, conformando voluntatem suam divinæ voluntati, circa damnationem perseverantium in peccato.*

219 Hinc ad 2. dicit, quòd liceat à Deo petere vindictam de peccatoribus, ut peccati regnum evertatur, secundùm illud Apocal. 6. *Usquequò non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Idque petiisse Martyres, dum vindicari sanguinem suum petierunt: quia, ut Augustinus dicit ibidem, *vindicta Martyrum est, ut evertatur regnum peccati, quo regnante tanta passi sunt.*

220 Hinc etiam Apostolus ad Galat. 5. ait: *Utinam abscindantur, qui vos conturbant!* Et D. Gregorius l. 22. Moral. c. 11. *Evenire plerùmque solet, ut gloria peccatoris sine invidiæ culpa contristet: cùm & ruente eo, quosdam benè erigi credimus; & proficiente illo, plerosque injustè opprimi formidamus.*

Hinc denique tristitia de bono alterius, 221
quatenùs ex eo timet quis sibi, vel aliis bonis grave malum injustè inferendum, sine peccato est, si ordo charitatis servetur. Quia eo ordine servato, Esther & Mardochæus v.g. meritò dolere potuerunt de nimia authoritate Aman, apud Persarum Regem: quia ex ea totius Gentis suæ cladem sibi imminere cernebant. Potuerunt ergo optare, Deumque orare pro ipsius depressione, ad avertendum tantum malum. Tunc nihilominùs valdè necessarium est subtilissimæ discretionis examen (ait Gregorius ibidem) ne cùm nostra odia exequimur, fallamur sub specie utilitatis alienæ.

CAPUT XXI.

Sensus verborum Salvatoris Matth. 5. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.

SEnsus est, quòd qui alterum læsit, de- 222
beat quamprimùm reconciliari ei quem læsit, etiam veniæ petitione, si necesse fuerit, vel certè aliis signis convenientibus pro ratione personarum, factæque læsionis, antequam offerat munus suum ad altare, si frater præsens sit, id est non longiùs absens (cùm jubeatur munus suum relinquere ante altare, eoque relicto, ire ad fratrem, reconciliationis causâ) per altare intelligendo, sive illud in quo fideles cum Sacerdote incruentum offerunt sacrificium, vel sacram sumunt communionem; sive per altare intelligatur cor nostrum, vel fides; & per munus intelligatur oratio, psalmus, sacrificium laudis, & quodcumque spirituale munus. Antequam ergo munus istud offeratur, vel Missa celebretur, vel sacra communio sumatur, reconciliatio facienda est, ad eamque faciendam accedendus est frater, nisi sit longiùs absens. Quo casu sufficiet ad ipsum ire pedibus animi, humilique affectu, coram Deo (cui munus oblaturus es) protestari te velle congruam satisfactionem fratri læso præstare, etiam veniæ petitione, si necesse fuerit; sufficiet (inquam) hoc facere, donec opportunitas se obtulerit id reipsà præstandi. Ita Salvatoris ver- 223
ba intelligunt SS. Patres, spæcialiter Augustinus l. 1. de serm. Dom. in monte cap. 10. dicens: *Jubemur ergo illaturi munus in altare, si recordati fuerimus aliquid adver-*

sum nos habere fratrem, munus ante altare relinquere, & pergere ac reconciliari fratri; deinde venire, & munus offerre. Quod si accipiatur ad litteram, fortasse credat quis ita fieri oportere, si præsens frater sit: non enim diutiùs differri potest, cùm munus tuum relinquere ante altare juberis. Si ergo de absente, & quod fieri potest, etiam trans mare constituto, aliquid tibi tale veniat in mentem, absurdum est credere, ante altare munus relinquendum, quod post terras & maria pererrata offeras Deo. Et ideò prorsus intrò ad spiritualia (isto casu) *refugere cogimur, ut quod dictum est, sine absurditate possit intelligi.* Unde paulò infrà, posteaquàm per altare, fidem; per munus, orationem, psalmum, sacrificium laudis, & quodcumque spirituale munus intellexit: *Si* (inquit) *in mentem venerit, quòd aliquid habeat adversum nos frater, id est, si nos eum in aliquo læsimus: tunc enim ipse habet adversum nos; nam nos adversus illum habemus, si ille nos læsit: ubi non opus est pergere ad reconciliationem. Non enim veniam postulabis ab eo qui tibi fecit injuriam, sed tantùm dimittes..... Pergendum est ergo ad reconciliationem, cùm in mentem venerit, quòd nos fortè fratrem in aliquo læsimus. Pergendum autem, non pedibus corporis (si longiùs absit) sed motibus animi, ut te humili affectu prosternas fratri, ad quem charâ cogitatione cucurreris in conspectu ejus, cui munus oblaturus es. Ita enim, etiamsi præsens sit, poteris eum non simulato animo lenire, atque in gratiam revocare, veniam postulando, si hoc prius coram Deo feceris, pergens ad eum, non pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu. Atque inde veniens, id est intentionem revocans ad id quod agere cœperis, offeres munus tuum.*

224 Observatione etiam digna est expositio Chrysostomi homil. 16. in Matth. *O admirabilem* (inquit) *benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei! Honorem suum despicit, dum in proximo charitatem requirit. Interrumpatur, inquit, cultus meus, ut charitas tua integretur. Sacrificium mihi est fratrum reconciliatio. Propterea quippe non dixit, posiquam obtuleris, aut priusquam offeras; sed munere ipso jam posito, & inchoante sacrificio, reconciliandum mittit ad fratrem. Quam igitur ob causam istud fieri jubes? Duo sunt, quæ per ista designat, unum quidem, quod jam dixi, ostendere scilicet vult, quòd honoret maximè charitatem, & hanc acceptissimum esse sacrificium ducat: absque ista verò nec illud profectò suscipiat. Aliud verò quo irrefutabilem quamdam necessitatem reconciliationis imponat. Qui enim jussus est, non prius munus offerre, quam reconcilietur offenso; etiamsi non ob proximi charitatem, saltem ne sacrificium maneat imperfectum, currere ad contristatum jubet, inimicitiasque dissolvere. Propterea & diserte cuncta memoravit, terrens illum videlicet ac suscitans. Cùm enim dicitur:* " relinque munus tuum, " *non ibi substitit, sed intulit,* " ante altare. " *Rursus ab ipso etiam loco horrorem injiciens,* " & vade. " *Nec tantùm dicit,* " vade; " *sed adjunxit,* " priùs; & tunc veniens offeres mu- " nus tuum. " *Per omnia ista significans, quia per aliquas inter se inimicitias dissidentes, nequaquam mensa illa suscipiat. Audiant hi, qui sacris mysteriis initiati, cum inimicitiis ad communionem altaris accedunt. Audiant etiam illi, qui nondum initiati sunt. Offerunt namque & ipsi munus, & hostiam, orationem dico, & eleëmosynam. Quia enim & hæc sacrificii instar obtineant, audi Prophetam loquentem:* " sacrificium laudis honorificabit " me. " *Et rursum:* " immola Deo sacrifi- " cium laudis. " *Et* " elevatio manuum mea- " rum sacrificium vespertinum. " *Itaque etiamsi orationem cum tali offeras voluntate, melius est orationem relinquere, & ad reconciliationem fratris excurrere, & tunc orationem consequenter offerre. Propter hoc enim facta sunt omnia. Idcircò & Deus homo factus est, atque omnia illa gessit, ut nos in unum sine dubio congregaret.*

Itaque qui proximos, vel oderunt, vel 225
odii causam (ipsos graviter lædendo) dederunt, absolvi non debent, nec ad Eucharistiæ participationem admitti, nisi prævia reconciliatione, saltem rationabiliter oblatâ. Nec aliter olim recipiebantur oblationes ipsorum, nec ad Conventus Ecclesiasticos, nec ad sacram communionem admittebantur, ut videre est in Conciliis Cartaginensi IV. can. 93. Arelatensi II. can. 50. Agatensi can 31. Toletano XI. can. 4. Trosleiano can. 12. & Nannetensi can. 1. Quibus conformiter S. Franciscus Xaverius lib. 1. epistolar. epist. 1. iis qui se accusant de odio proximi, dicit non dandam statim absolutionem: *Jube* (inquit) *priùs reconciliari palàm cum inimicis*, &c. Sed de his alibi plura.

CAPUT XXII.

Eleëmosynæ eroganda præceptum.

OPtimè S. Thomas 2. 2. q. 32. a. 8. *Mo-* 226
tivum (inquit) *ad dandam eleëmosynam est ut subveniatur necessitatem patienti. Unde quidam definientes eleëmosynam, dicunt, quòd eleëmosyna est opus, quo datur aliquid indigenti, ex compassione, propter Deum. Quod quidem motivum pertinet ad misericordiam, cujus actus proprius est compassio alienæ miseriæ. Unde manifestum est, quòd dare eleëmosynam propriè est actus misericordiæ. Et hoc apparet ex ipso nomine: nam in Græco, eleëmosyna à misericordia derivatur.... Et quia misericordia est effectus charitatis, dicitur in definitione, propter Deum. Ex consequenti dare eleëmosynam est actus charitatis, misericordiâ mediante.*

Est autem duplex eleëmosyna, corporalis 227
& spiritualis. Siquidem eleëmosyna non tantùm

tùm consistit in collatione pecuniæ, sed etiam in aliis obsequiis, propter Deum proximo indigenti factis. Unde etsi alicui pecunia desit; non tamen facultas dandi eleëmosynam deest. Et si deesset omninò facultas, respectu eleëmosynarum corporalium, propter penuriam rerum, & corporis debilitatem; non tamen deesset facultas, respectu eleëmosynarum spiritualium: quia posset, vel consilia salutaria dare, vel orare saltem. Etsi etiam ad ista facultas omninò deesset, voluntas completa sufficeret. S. Thomas in 4. dist. 15. q. 2. a. 1. quæstiunc. 2. ad 4. Unde aliquod beneficium est quod possumus omnibus impendere, si non in speciali, saltem in generali, sicut cùm oramus pro omnibus fidelibus & infidelibus. S. Thomas 2. 2. q. 31. a. 11. ad 2. inde probans, quòd omnis Christianus habere debeat in animi præparatione, ut omnibus benefaciat.

228 Porrò septem ponuntur eleëmosynæ corporales, scilicet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum (ad curam & operam impendendam; non præcisè ad consolationem: utpote quæ pertinet ad misericordiam spiritualem) redimere captivum, & sepelire mortuum. Quæ quidem omnes hoc versu continentur:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo; condo.

229 Similiter ponuntur septem eleëmosynæ spirituales, scilicet docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare seu supportare onerosos & graves, & pro omnibus orare. Quæ etiam hoc versu continentur:

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Ita S. Thomas citatâ q. 32. a. 2. observans, in hoc versu, sub verbo *consulo*, doctrinam & consilium intelligi.

230 De præcepto verò, seu obligatione eleëmosynæ a. 5. sic discurrit: *Dicendum quod cùm dilectio proximi sit in præcepto, necesse est omnia illa cadere sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non conservatur. Ad dilectionem autem proximi pertinet, ut proximo non solùm velimus bonum, sed etiam operemur, secundùm illud 1. Joan. 3.* „ Non diligamus verbo, „ neque linguâ, sed opere & veritate. „ *Ad hoc autem quòd velimus & operemur bonum alicujus, requiritur quòd ejus necessitati subveniamus, quod fit per eleëmosynarum largitionem. Et ideò eleëmosynarum largitio est in præcepto. Sed quia præcepta dantur de actibus virtutum, necesse est quòd hoc modo donum eleëmosynæ cadat sub præcepto, secundùm quod actus est de necessitate virtutis, scilicet secundùm quod recta ratio requirit. Secundùm quam est aliquid considerandum ex parte dantis, & aliquid ex parte ejus cui est eleëmosyna danda. Ex parte quidem dantis considerandum est, ut id quod est in eleëmosynas erogandum, sit ei superfluum, secundùm illud Luc. 14.* „ Quod superest, da- „ te eleëmosynam „ *& superfluum non solùm respectu sui ipsius, id est supra id quod est necessarium ipsi in individuo; sed etiam respectu aliorum, quorum cura sibi incumbit. Quia primò oportet, quòd unusquisque sibi provideat, & his quorum cura ei incumbit: & postea de residuo aliorum necessitatibus subveniat ...; sicut & natura primò accipit cibum ad sustentationem proprii corporis .... superfluum autem erogat ad generationem alterius .... Ex parte autem recipientis requiritur quòd necessitatem habeat; alioquin non esset ratio, quare eleëmosyna ei daretur.*

Ex his manifesta est obligatio faciendi 231
eleëmosynam. Quam obligationem confirmat Spiritus sanctus Eccli. 4. *Eleëmosynam pauperis ne defraudes, inclina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum.* Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ...: manum egeno & pauperi non extendebant.* Matth. 19. *Ite maledicti in ignem æternum: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* 1. Timoth. 6. *Divitibus sæculi præcipe ... facilè tribuere.* Confirmant & SS. Patres passim omnes, Nazianzenus orat. de pauperib. amand. Basilius conc. de Epulone. Ambrosius l. de Nabuthe. Augustinus in Psal. 147. & alii quos refert Sinnichius in Saüle exrege l. 1. c. 117.

CAPUT XXIII.

Erogandæ eleëmosynæ obligatio, etiam sub mortali, longè frequentior est quam aliqui putent.

TAmetsi erogandæ eleëmosynæ obliga- 232
tionem Scriptura & Patres tam manifestè tradant, Casuistæ nonnulli adeò extenuant, ut vix non ad nihilum redigant. Lessius namque de perfect. divin. l. 13. n. 142. *Fortè* (inquit) *inter Christianos pauci sunt, qui propter defectum operum misericordiæ corporalium damnabuntur: cùm nemo ad illa teneatur, nisi in extrema & gravi necessitate, quæ rariùs occurrit, ut hunc vel illum in particulari graviter obliget. Nec refert quòd Dominus Matth. 25. formam judicii universalis describens, rationemque damnationis impiorum exponens, meminerit potiùs operum misericordiæ, quàm aliorum. Id enim fecit ut homines, præsertim plebeios, qui ad majora & spiritualia parum sunt comparati, in hac vita ad ea excitaret. Hæc autem ratio cessat in extremo judicio: tunc enim homines non erunt ampliùs ad opera misericordiæ excitandi.* Quod profectò non est argumentum urgentissimum solvere, sed eludere, prout infrà videbitur.

Non solus tamen Lessius in ea est opi- 233
nione, sed & Vasquez, utpote qui imprimis obligationem dandi eleëmosynam ex superfluis vix non penitùs sustulit, dum opusc. de eleëmos. c. 1. n. 27. & c. 4. n. 14. sic statuit: *Laici possunt de bonis patrimonialibus servare ad statum suum, vel consan-*

guineorum mutandum : & tunc illud non dicitur superfluum. Unde vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleëmosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui. Vix ergo non exsufflat præceptum istud Domini Luc. 11. *quod superest, date eleëmosynam.* Cùm extra necessitatem extremam (rarissimè profectò occurrentem) laïci rarò teneantur de necessariis eleëmosynam facere, secundùm eundem cap. 1. d. 4. n. 11. 21. & 32. dicentem, sibi non placere sententiam Cordubæ asserentis obligationem faciendi eleëmosynam de superfluo statûs, in necessitate communi. Et n. 24. 26. 28. ad hoc ut sit obligatio faciendi de necessariis statui eleëmosynam, in necessitate plusquàm communi, duas exigentem conditiones, quæ (saltem in civitatibus magnis & opulentis, in quibus plurimæ sunt personæ ditissimæ, beneficentissimæque) vix simul contingant. Prima namque conditio, ab ipso requisita, est ut sciatur neminem alium opem laturum. Secunda, ut pauper in tanta sit necessitate constitutus, ut isti misero vel mors jamjam impendeat, vel famæ jactura. Quæ duo cùm rarissimè dictis in locis concurrant, sequitur homines ditissimos, in locis illis degentes, admodùm rarò eleëmosynæ de necessariis præcepto adstringi. Solùm enim adstringuntur in concursu duarum illarum conditionum, in quo (ut n. 42. docet) miseris illis licitum est bona divitum surripere, quantùm ad necessitatem suam sublevandam satis est. Vel ergo concursus ille frequens non est, sed valdè rarus ; vel miseri homines frequenter possunt divitum bona surripere.

234 Clariùs adhuc eleëmosynæ obligationem sub mortali è medio tollit Escobar. Vel enim de extrema agitur necessitate, vel de gravi, vel de communi ? In extrema (inquit) necessitate non est obligatio succurrendi per eleëmosynam ; sed sufficit per mutuum (quod non est eleëmosyna) appositâ conditione restituendi, dum melior fortuna redierit. Tr. 5. exam. 5. n. 99.

In gravi pauperum necessitate dives non peccat mortaliter, non dando superflua. Ibidem n. 154.

Sed quid in communi necessitate ? Dives (inquit) habens superflua, non tenetur communibus pauperum necessitatibus subvenire. Unde n. 105. propositâ quæstione, *an actus hic divitis, nolo erogare de superfluis statûs eleëmosynam in communibus necessitatibus, sit mortale peccatum ? Suarez* (inquit) *asserit esse mortale. Granadus dumtaxat veniale. Hurtadus nullum.* Quid ipse Escobar ? optionem Lectori dimittit eligendi ex tribus hisce sententiis quam maluerit.

235 Similiter Longuetius in Collegio Ambianensi Soc. Jesu Professor in Dictatis 1. Decal. præcept. q. 12. de eleëmos. docet, quòd non tenemur opitulari proximo gravi necessitate laboranti, nisi possimus cùm levi tantùm detrimento rerum nostrarum. Communem verò necessitatem patientibus non tenemur eleëmosynam largiri, nisi possimus absque ullo incommodo.

Quid verò Tamburinus ? Quoniam (inquit l. 5. in Decal. c. 1.) aliqui contendunt probabiliter, ea quæ sunt necessaria ad acquirendum meliorem statum, non esse superflua ; ideò rarò quis in hac sententia dicetur habere bona superflua. Consentit proinde Vasquezio suprà laudato. Sicut & consentit Escobar loco citato, n. 165. referens Granadum. 236

Ex his Hermannus Busembaum l. 2. tr. 3. c. 2. dub. 2. concludit, quòd nulli omninò, quantumvis diviti, omnes pauperes sine eleëmosyna repellenti, facilè neganda est absolutio : tum ob dubium & dissensum de hac obligatione. Tum quia vix reperitur, qui causam saltem apparentem non prætendat, si superflua se habere fateatur. Ita ferè etiam loquitur Layman l. 2. tr. 3. c. 6. n. 1. ob duas istas rationes dicens, quòd Confessarius absolutionem à peccatis diviti non facilè negare debeat, quòd communes hominum miserias per eleëmosynam sublevare monitus recuset. 237

Verùm cum divina Scriptura, & concordi sanctorum Patrum sententia, dicendum, erogandæ eleëmosynæ obligationem longè frequentiorem esse, quàm opiniones illæ (nimiùm profectò exorbitantes) præ se ferant : cùm eleëmosynæ defectus Matth. 25. in generali judicio assignandus dicatur pro causa damnationis eorum qui ad sinistram stabunt : *Ite maledicti in ignem æternum. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare. Sitivi, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, seu peregrinus, & non collegistis me. Nudus, & non cooperuistis me. Infirmus, & in carcere, & non visitastis me.* Atqui verisimile non est, pro causa damnationis hominum, in generali judicio, assignandum peccatum rarò contingens. Imò prorsus verosimile assignari peccatum, quod frequenter, & frequentissimè, communissimèque committitur. Peccata quippe rarò contingentia in paucissimis hominibus contingunt. Manifestum verò est quòd peccatum istud paucissimis non exprobrabitur, sed vel omnibus, vel majori saltem parti hominum. Enimverò necessitates, in quibus se constitutum, in persona membrorum suorum sublevatum non fuisse Christus conqueretur, indigentiæ utique cibi, potûs, vestitûs, hospitii, visitationis in carcere & ægritudine, frequentissimæ sunt, nec extremæ dumtaxat (nec enim dicet se in extrema horum necessitate fuisse) sed simpliciter & absque restrictione, se in necessitate fuisse, sive utique in extrema, sive in gravi, sive in communi. Nec certè visitationis necessitas respectivè 238

ad

ad infirmos, & in carcere positos, extrema esse solet, sed utplurimùm communis. Necessitates verò non extremæ, sed vel graves, vel communes, frequentissimæ sunt, communissimæque. Igitur pro causa damnationis hominum Judex assignabit peccatum frequentissimum, communissimumque.

239 Et rationem hujus optimam suggerit Augustinus serm. 60. aliàs de tempore 50. c. 10. cùm allegandam à Judice causam exponens dicit: *Illis quos damnaturus est, imò plus illis quos coronaturus est, solas eleëmosynas imputabit, tamquam dicens: difficile est, ut si examinem vos, & appendam vos, & scruter diligentissimè facta vestra, non inveniam unde vos damnem. Sed ite in regnum, esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Non ergo itis in regnum, quia non peccastis, sed quia peccata vestra eleëmosynis redemistis. Rursus & illis: ite in ignem æternum..... Et illi tamquam noxii, olim res, serò trementes, attendentes peccata sua, quomodò auderent dicere, immeritò se damnari, immeritò in se hanc depromi à Judice tam justo sententiam? sine dubio videbunt se justè damnari pro sceleribus & criminibus suis. Et quasi eis diceret: non, non inde unde putatis, sed quia esurivi, & non dedistis mihi manducare. Si enim ab omnibus illis factis vestris aversi, & ad me conversi, illa omnia crimina atque peccata eleëmosynis redemissetis, illa eleëmosynæ modò liberarent vos, & à reatu tantorum absolverent. Beati enim misericordes, quoniam ipsis misericordia præstabitur. Modò autem, ite in ignem æternum. Judicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam.* Ideò ergo impii damnabuntur, quia non fecerunt quod scriptum est Daniel. 4. 24. *Peccata tua eleëmosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Quæ profectò ratio probat obligationem faciendæ frequenter eleëmosynæ. Cùm enim frequenter peccemus, peccata nostra eleëmosynis & misericordiis pauperum frequenter redimere debemus.

240 Unde 1. Timoth. 6. *Divitibus hujus sæculi præcipe* (inquit Apostolus) *divites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.* Ecce non paucas, sed plurimas eleëmosynas, ex præcepto faciendas docet, ut ex iis thesaurus in vitam æternam cumuletur; nec faciendas rarò, sed frequenter. Quibus enim præcipitur facilè tribuere; præcipitur frequenter, non rarò tribuere. Neque enim facilè tribuit, qui rarò tribuit, v. g. in extrema dumtaxat necessitate.

241 Frequenter quoque faciendam eleëmosynam, conficitur ex Luc. 3. ubi Præcursor Domini dicit ad turbas: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.* Quòd enim duas quis tunicas habeat, & duplices escas, id est superflua ad victum & vestitum, valdè frequenter accidit. Et observatione dignum est, verba illa Præcursoris responsiva esse ad interrogationem turbarum, quæ audito quòd in ignem mitterentur, quicumque non facerent fructus dignos pœnitentiæ: ab ipso quæsierunt: *Quid ergo faciemus*, ne scilicet in ignem mittamur. Respondit verò Joannes: *Qui habet duas tunicas, &c.* Unde Hieronymus epist. 150. ad Hedibiam, verba ista explicans: *Si plus habes* (inquit) *quàm tibi ad victum vestitumque necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem esse te noveris.*

Nec minore efficaciâ idipsum conficitur 242
ex 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Non enim dicit, & viderit fratrem suum *necessitatem extremam*, vel *gravem* & urgentem habere, sed *necessitatem* quamcumque exprimit. Hanc autem habere fratrem, quàm frequenter videt, qui substantiam hujus mundi habet? Subdit nihilominus, charitatem Dei non manere in eo, si clauserit viscera sua ab eo. Enimverò fraterna charitas esse debet in nobis morali quodam modo continua, uti probavimus cap. 12. Charitas verò fraterna moraliter non præcipitur haberi *verbo, neque linguâ, sed opere & veritate*, ut ibidem Joannes dicit. Charitatem autem opere & veritate non habet, qui videns fratrem suum necessitatem habere, non solùm gravem, sed & communem ac frequentem (nullam enim Joannes excipit) & habens superflua, unde ipsum sublevet, claudit viscera sua ab eo, eleëmosynam ipsi vel nunquam vel rarò erogans.

Denique sancti Patres nihil frequentiùs 243
urgent, quàm frequentem eleëmosynæ faciendæ obligationem: utpote exemplificantes in casibus & necessitatibus frequenter admodùm occurrentibus. Augustinus tr. 5. in 1. Joan. explicans suprà allegata verba, *Qui habuerit substantiam hujus mundi*, &c. *Ecce* (inquit) *unde incipit charitas.... Jam percutiat viscera tua charitas.... ut consideres illum in egestate positum* (indistinctè loquitur)..... *Esurit frater tuus, in necessitate positus est, fortassis.... à creditore angustatur. Non habet ipse; habes tu..... Vide si misereris, si habes facultates mundi. Quid ad me pertinet, fortassè dicis? Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur?* (Non dicit, ne mortem, vel gravem infamiam, sed *ne molestiam*, inquit, *patiatur*; quo quid frequentius?) *Si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet. Si dilectio Patris non in te manet, non es natus ex Deo. Quomodò te gloriaris esse Christianum? nomen habes, & facta non habes.* In Psalm. 147. n. 12. *Scriptura hortatur ad misericordiam faciendam, ut omninò crebrescamus in erogando quod amplius habemus, si nonnisi necessaria teneamus.* Et ser. 62. de temp. *Dominus ita hortatur & admo-*

net eleëmosynam fieri, ut propè nullus pauper sit, qui se valeat excusare. Sed sermo iste Cæsarii est sermo 46. Vide in Append. serm. August. serm. 142. Ambrosius l. 11. in Luc. n. 77. Præcursoris verba suprà laudata exponens: *misericordia* (inquit) *communis est usus* (non ergo rarus) *ideò commune præceptum; omnibus officiis, omnibus ætatibus necessaria, & ab omnibus deferenda. Non publicanus, non miles excipitur, non agricola vel urbanus, dives & pauper, omnes in commune admonentur, ut conferant non habenti .... misericordia tamen ipsius pro possibilitate conditionis humanæ mensura servatur, ut non sibi unusquisque totum eripiat, sed quod habet, cum paupere* (non addit extremè vel graviter indigente) *partiatur.* Gregorius Magnus hom. 2. ad eadem Præcursoris verba: *Per hoc* (inquit) *quòd tunica est plus necessaria usui nostro, quàm pallium, ad fructum dignum pœnitentiæ pertinet, ut non solùm exteriora, neque & minùs necessaria, sed ipsa valdè necessaria dividere cum pauperibus teneamur, scilicet & escam, quâ carnaliter vivimus, vel tunicam, quâ vestimur. Quia etiam in lege scriptum est: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Minùs proximum amare convincitur (quem diligere jubetur) qui non cum eo in necessitate illius* (non distinguit necessitatem, nec distinguendam probat ratio ipsius, desumpta ex obligatione diligendi proximum sicut nosipsos, qui nobis in quacumque necessitate succurri vellemus) *etiam quæ sunt sibi necessaria partitur.* Similia passim habent alii sancti Patres.

244 Et ratio (præter dicta) est, quia ut sanctus Thomas ait 2. 2. q. 32. a. 5. *cùm dilectio proximi sit in præcepto, necesse est omnia illa cadere sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non conservatur. Ad dilectionem autem proximi pertinet, ut proximo non solùm velimus bonum, sed etiam operemur, secundùm illud* 1. *Joan.* 3. " Non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate. " *Ad hoc autem quòd velimus & operemur bonum alicujus, requiritur quòd necessitati ejus subveniamus .... secundùm quod recta ratio requirit. Secundùm quam est aliquid considerandum ex parte dantis, & aliquid ex parte ejus, cui est eleëmosyna danda; ex parte quidem dantis considerandum est, ut id quod est in eleëmosynas erogandum, sit ei superfluum, secundùm illud Luc.* 14. " Quod superest, date eleëmosynam. "*....Ex parte autem recipientis requiritur quòd necessitatem habeat.* Atqui divites frequenter habent superfluum, & pauperes frequenter habent necessitatem. Ergo frequens est obligatio eleëmosynæ: cùm ubi superfluum ex parte dantis concurrit cum necessitate ex parte recipientis, adsit ratio sufficiens obligationis eleëmosynæ.

245 Nec obstat S. Doctor, ibidem subjungens, quòd *cùm non possit ab aliquo uno omnibus necessitatem patientibus subveniri, non omnis necessitas obligat ad præceptum, sed illa sola, sine qua is qui necessitatem patitur, sustentari non potest. Sic enim dare eleëmosynam de superfluo est in præcepto, & dare ei qui est in extrema necessitate. Alias autem eleëmosynas dare est in consilio.*

Non obstat, inquam, quia dum solam extremam excipit necessitatem (sub qua gravem comprehendit, prout Sylvius probat ex respons. ad 3.) loquitur de præcepto dandi eleëmosynam huic potiùs pauperi determinatè, quàm alii, prout Sylvius, & Natalis Alexander probant, tum ex aliis locis S. Doctoris, in quibus eleëmosynæ obligationem agnoscit extra necessitatem extremam & gravem. Tum ex ratione quam affert loco objecto: *cùm non possit ab aliquo uno omnibus necessitatem patientibus subveniri.* Unde sequentium verborum, *non omnis necessitas obligat ad præceptum, sed .... sola ..., extrema, vel gravis*, sensus est, quòd non omnis necessitas obligat ad dandum huic pauperi determinatè (aliàs communis necessitas obligaret ad dandum determinatè omnibus & singulis eam patientibus, ad quod non sufficerent superflua divitis) sed sola necessitas extrema vel gravis. Videri potest S. Doctor q. 66. a. 7. ubi sic: *Res quas aliqui superabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum sustentationi. Sed quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri, committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum, ut ex eis subveniat necessitatem patientibus.* Et q. 87. a. 1. ad 4. *In nova lege... Dominus....omnia superflua pauperibus jubet exhiberi.* Et in 4. dist. 15. q. 11. a. 1. quæstiunc. 4. ad 4. eleëmosynæ præceptum asserit obligare, *quando homo multa habet, quibus non indiget, neque ad sustentationem sui, & suorum, neque ad decentem statûs sui conservationem, etsi pauperes extremæ necessitatis non compareant.*

CAPUT XXIV.

Prorsus à veritate devia est damnata illa propositio: Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui; *sicut & ratio in qua eam fundant Defensores illius, quia scilicet* superfluum non est quod servatur ad augendum statum suum vel suorum, sive ad comparandum sibi vel suis altiorem statum.

246 Sicut necessarium dupliciter dicitur, ita & superfluum. Necessarium uno modo est, sine quo vita conservari non potest, vel sua vel suorum, quos utique alere & vestire quisque tenetur, ut sunt parentes, uxor, filii. Alio modo necessarium dicitur, sine quo non potest convenienter vita transiri, secundùm conditionem & statum propriæ personæ, & aliarum personarum, quarum cura ei incum-

bit, ait S. Thomas 2. 2. q. 32. a. 6. Et hinc ſuperfluum dupliciter etiam dicitur, uno modo ſuperfluum vitæ (quod etiam ſuperfluum naturæ dicitur) & eſt illud omne, quod neceſſarium non eſt ad vitam noſtram, vel noſtrorum conſervandam. Alio modo ſuperfluum ſtatui, ſeu perſonæ, & eſt illud omne, quod neceſſarium non eſt ad vitam noſtram, vel noſtrorum decenter conſervandam, ſecundùm ſtatum in quo ſumus.

247 Porrò capite ſuperiori vidimus, ſecundùm opinionem aliquorum, ſuperfluum non eſſe ſtatui, quod licèt neceſſarium non ſit ad vivendum convenienter ſecundùm præſentem ſtatum, ſervatur tamen ad acquirendum in futurum ſtatum altiorem. Authores iſtius opinionis ibidem retulimus. Ipſis Caſtropalaum, alioſque Diana addit tr. 8. reſol. 14. Sed eam velut falſam, & obligationem eleëmoſynæ, à Scriptura ſacra toties inculcatam, eludentem Facultas Lovanienſis ad inſtantiam Epiſcopi Gandavenſis, cenſurâ ſuâ confixit anno 1657. ſicut & deinde Pariſienſis, & plures Galliarum Epiſcopi, ac tandem Innocentius XI. die 2. Martii 1679.

248 Et meritò, non ſolùm quia eleëmoſynæ præceptum vix non redigit ad nihilum, prout eodem capite oſtendimus; ſed & quia viam aperit ambitioni, per hoc quòd nemo qui ambitione non vacaret, haberet ſuperflua: & ſic nemo teneretur eleëmoſynæ præcepto, ſaltem extra extremam neceſſitatem, quæ rarò contingit, & rariùs cognoſcitur.

249 Pernicioſa proinde eſt opinio illa, & nedum divinæ Scripturæ, ſed & Patribus omnibus poſteà referendis adverſa. Unde D. Baſilius homil. 7. in divites avaros: *Non veſtium* (inquit) *aut ciborum cauſâ à multis affectantur opes; verùm quædam eſt diaboli methodus ad ſuggerendas divitibus mille ſumptuum inanium occaſiones, ut ea quæ reverà ſuperflua, & ad rem pertinentia non ſunt, pro neceſſariis ducantur: ex quo ad ſumptuum excogitationem nihil ſatis homines hujuſmodi habent. Subſtantiam in præſentem & futurum uſum* (v. g. ad ſtatum ſublimiorem comparandum) *diducunt. Primùm ſibi, deinde filiis accumulant; rurſus eamdem in ſumptus varios* (pretioſam ſupellectilem, ſuperba ædificia, ſumptuoſa convivia, &c.) *pro ſtatu & ordine cujuſlibet dividunt. Sic igitur in uſus mille ſupervacuos diſtractæ opes, etiam in terra conduntur, & in ſecretis arcaniſque cuſtodiuntur.*

250 Auguſtinus quoque in Pſal. 147. *Multa ſuperflua habemus, ſi nonniſi neceſſaria teneamus: nam ſi inania quæramus* (v. g. altiorem ſtatum) *nihil ſufficit. Fratres quærite quod ſufficit operi Dei; non quod ſufficit cupiditati veſtræ*, ſtatum ſublimiorem ambienti. *Cupiditas veſtra non eſt opus Dei. Forma veſtra, corpus veſtrum, anima veſtra, hoc totum opus Dei. Quære quæ his ſufficiant, & videbis quàm pauca ſint..... Cætera quæ ſuperflua jacent, aliorum ſunt neceſſaria. Superflua divitum, neceſſaria ſunt pauperum. Res aliena poſſidentur, cùm ſuperflua præſenti ſtatui poſſidentur*, & ad ſtatum amplificandum, ſeu alios ſumptus inutiles reſervantur. Videatur & ſerm. 177. ubi ad idem allegat id quod Apoſtolus 1. Timoth. 6. v. 8. dicit: *Habentes alimenta, & quibus tegamur* (ſecundùm præſentem conditionem noſtram) *his contenti ſimus.* v. 9. *nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva.* v. 10. *radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* v. 17. *divitibus proinde hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere*, ſublimiorem proinde ſtatum non ambire, neque ad illum aſpirare in incerto divitiarum, ſed v. 18. *divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere.* Allegat etiam id quod idem Apoſtolus Hebr. 13. dicit: *Sint mores ſine avaritia, contenti præſentibus.*

Conformiter S. Thomas 2. 2. q. 32. a 5. 251
ad 1. dicit, quòd *eſt aliquod tempus, in quo mortaliter peccat, ſi eleëmoſynam dare omittat. Ex parte quidem recipientis, cùm apparet evidens & urgens neceſſitas, nec apparet in promptu qui ei ſubveniat. Ex parte verò dantis, cùm habet ſuperflua, quæ ſecundùm præſentem ſtatum non ſunt ſibi neceſſaria, prout probabiliter æſtimari poteſt. Nec oportet quòd conſideret omnes caſus qui poſſunt accidere in futurum. Hoc enim eſſet de craſtino cogitare, quod Dominus prohibet Matth. 6. ſed debet dijudicari ſuperfluum ſecundùm ea quæ probabiliter ut in pluribus occurrunt.*

Ex ſe hoc non dicit S. Thomas, ſed ex 252
Auguſtino ſerm. 177. citato, ubi ſic: "Non
intret arcam cordis tinea malæ cogitationis: "
non dicatur, Non dabo, ne cras non habeam. "
Noli multùm cogitare de futuris: imò mul- "
tùm cogita de futuris, ſed de longè futuris: "
theſaurizent ſibi fundamentum bonum in fu- "
turum, ut apprehendant vitam æternam... "
Heb. 13. S. dicit Apoſtolus: Sine amore mo- "
dus pecuniæ ſufficiens eſt præſentibus. Prop- "
ter malas cogitationes, quæ dicunt, Si the- "
ſaurum non habuero, quis mihi dabit, cùm "
egere cœpero? Deinde, Abundat unde vi- "
vam, ſufficit mihi unde vivam: ſed quid ſi "
impinguat mihi calumnia, unde me redi- "
mam? Quid ſi mihi neceſſe ſit litigare, un- "
de ſumptus impendam? Quamdiù omnia "
mala, quæ poſſunt evenire generi humano, "
narrare & computare non poteris, plerùm- "
que una calamitas turbat computum nume- "
rantis, & totum quod numerabatur, non ſo- "
lùm perit, ſed nec in digitis remanebit. Ideò "
contra iſtum cogitationis vermiculum, con- "
tra malignam tineam appoſuit Deus in Scrip- "
tura ſua, quomodò apponi ſolent veſtibus "
odoramenta quædam, ne tineant. Quid? co- "
gitabaſne tibi calamitates? non timebas u- "
nam grandem? Attende quod ſequitur: Sine "
amore modus pecuniæ ſufficiens eſt præſen- "

„ tibus. Ipse enim dixit, non te derelinquam, „ non te deseram. Timebas mala nescio quæ; „ propterea pecuniam servabas. Tene fide- „ jussorem, hoc Deus tibi dicit: non te dere- „ linquam, non te deseram. Homo si pro- „ mitteret, crederes. Deus promittit, & du- „ bitas? Promisit, scripsit, cautionem fecit; „ esto securus.

253 Si non licet, omissâ eleëmosynâ, pecuniam servare pro malis & calamitatibus, quæ possunt accidere; quantò minùs id licet pro altiori statu per pecuniam acquirendo in terra: cùm vanum & stultum sit cogitare de acquisitione statûs altioris in terra, negligendo acquisitionem statûs altioris in cælo, quem certò acquireres, superflua tua in pauperes erogando? *Perde pecuniam propter fratrem* (ait Sapiens Eccli. 29.) *pone thesaurum in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum*, vel status altior. Nam, ut Augustinus ait lib. 1. contra adverss. leg. & Proph. c. 16. *parvum est quod in eleëmosynam datur; sed cùm piè datur, æternum inde meritum comparatur. Imò æternum regnum* (quo nullus status altior) *juxta illud: Possidete paratum vobis regnum ..... esurivi enim, & dedistis mihi manducare.*

254 Nec solùm id vanum stultumque est; est & Evangelio prorsus adversum: cùm sit diligere mundum, & mundi gloriam, eamque sine meritis quærere & ambire, contra id quod scriptum est: *Nolite diligere mundum, nec ea quæ sunt mundi.* Et rursum: *non quæro gloriam meam.* Denique si liceret divitibus, solâ pecuniâ, sine aliis meritis, gradus, & titulos nobilitatis sibi comparare, eoque nomine excusare se ab eleëmosynis, deque superfluo ad statum præsentem sese excusare; non solùm liceret ipsis eximere se ab obligatione dandi eleëmosynam, saltem extra necessitatem extremam; sed & liceret, omissâ eleëmosynâ, solâ pecuniæ vi, cupiditati atque exaltationi suæ, suorumque filiorum, absque termino & mensura indulgere. Neque enim exaltationis mensura esset pro mensura meritorum, sed pro mensura divitiarum; quas si liceret (pauperibus neglectis) magis & magis augere, ad majores & majores honorum titulos comparandos; eundem in finem liceret eas in infinitum augere, majoresque & majores in infinitum honorum titulos per eas comparare. Quod tantò magis irrationabile est, quantò magis certum, quòd, ut optimè Vianæus in l. de ordine amoris tr. 3. c. 5. via ad novos honorum nobilitatisque titulos non est sola pecunia, quæ hominem honore dignum non reddit (uti constat ex Canonica Jacobi c. 2. & S. Thoma 2. 2. q. 63. a. 3. de peccato acceptionis personarum arguentibus eos, qui, solo divitiarum intuitu, unum præ alio honorant) sed præclara gesta, quibus quispiam benè meritus est de Republica; de cujus bono regimine est, ut janua occludatur comparandis solâ pecuniæ vi honorum titulis.

Interea vel hinc considerari potest, in quæ 255
tandem præcipitia dilabantur Casuistæ juniores, qui, improbatâ obligatione referendi omnes actus nostros deliberatos in Deum finem ultimum, permittunt finem actionis, saltem negativè ultimum, ponere in creatura. Si enim hoc licitum sit, ipsemet agens, sive gloria ipsius, esse poterit finis negativè ultimus aliquarum saltem actionum suarum, v. g. acquisitionis divitiarum. Per ordinem ergo ad agentem, sive gloriam exaltationemque ipsius, desumi poterit mensura convenientiæ vel disconvenientiæ acquisitionis divitiarum. Et sic divitias super divitias, quantùm quisque poterit, coacervare poterit, ad finem negativè ultimum augendi gloriam exaltationemque suam, sive acquirendi sublimiorem & sublimiorem statum. Hoc ipso namque quòd status sublimitas, sive exaltatio & gloria divitis, esse potest finis negativè ultimus acquisitionis divitiarum ipsius, sublimitas illa, sive exaltatio & gloria, major & major sine fine intendi poterit. Cùm (uti tomo 1. demonstravimus) in fine non sit mensura, sed in mediis ad finem; & ideò medicus quà medicus intendere possit sanitatem quam perfectam procurare potest, quia medicinæ finis, sanitas est. Quia ergo divitis exaltatio secundùm Juniores esse potest finis coacervationis divitiarum ipsius, majorem & majorem sine fine & mensura exaltationem dives procurare & intendere poterit, eumque in finem divitias super divitias coacervare. Et sic vera erit damnata propositio, quæ dicit vix in sæcularibus reperiri superfluum, & vix aliquem teneri ad eleëmosynam de superfluo.

Hunc scopulum facilè declinant, qui no- 256
biscum, imò cum divina Scriptura & Patribus, asserunt, quòd Dei (non hominis) gloria esse debeat finis etiam negativè ultimus omnium actionum nostrarum deliberatarum. Unde cùm per ascensum ad statum sublimiorem, per solam pecuniæ, non per meritorum viam, Dei gloria non promoveatur, sed gloria hominis dumtaxat, quam homo pro fine etiam negativè ultimo ordinati amoris sui habere non potest; consequens est quòd in ordine ad finem istum pecuniam nec coacervare, nec asservare possit amor ordinatus, sed amor inordinatus, seu vitiosa cupiditas duntaxat.

CAPUT XXV.

Corollaria momentosa ex dictis cap. 23. & 24. deducuntur.

DEducitur enim 1°. divites frequenter 257
habere superflua; idque satis insinuari per hoc quod Scriptura dicit Luc. 3. *Qui*

habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. Quamvis enim verba ista sumi non debeant in toto suo rigore; apertè tamen insinuant, divites illos decipi, sicut & Casuistas ipsis patrocinantes, qui superfluum non reputant, quod servatur vel ad statum sublimiorem solâ pecuniâ comparandum, vel quod servatur ad expensas superfluas in superba ædificia, immodesta convivia, plebeiæ familiæ apparatum, æquè magnificum, ac sit apparatus nobilium, Baronum, Comitum, &c. vel quod servatur in opes non satis moderatas filiis destinatas, &c. Servatâ namque mediocritate circa apparatum familiæ, moderatione circa ædificia, convivia, opes filiis destinatas; modestiâ etiam se continente ab ambitu statûs altioris per solam pecuniæ vim, &c. facilè apparebit, divites valdè frequenter habere superflua, in pauperes eroganda, prout apertè docent SS. Patres, Hieronymus epist. 150. ad Hedibiam q. 1. *Si plus habes, quàm tibi ad victum & vestitum* statui tuo convenientem *necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem te esse noveris.* Chrysostomus homil. 28. in cap. 12. ad Heb. *Illa sunt supervacanea, sine quibus vivere possumus.* Augustinus in Psal. 147. *Multa superflua habemus, si nonnisi necessaria teneamus: nam si inania quæramus* (superba utique ædificia, magnifica convivia, altiorem statum, &c.) *nihil sufficit.* Unde in Psal. 38. improbat excusationem, quâ divites à dandis eleëmosynis sese excusatos putant, quia superflua servant filiis suis. *Ista* (inquit) *est excusatio iniquitatis. ... Filios habes? unum plus numera, da aliquid & Christo.* Et serm. 1°. in Psal. 48. *Servant filiis suis, & illi filiis, & tertii filiis. Quid Christo? Quid animæ suæ? Omnia filiis? Inter filios suos, quos habent in terra, computent unum fratrem, quem habent in cælo; cui totum dare debebant, vel dividant cum illo.* Et l. 1. de decem chordis c. 12. *Magna excusatio; filiis meis servo. Videamus. Servat tibi pater tuus; servas tu filiis tuis. Et sic per omnes. Et nullus facturus est præcepta Dei ..... Palliare se volunt nomine pietatis, & dealbare, ut quasi propter filios videantur servare, quod propter avaritiam servant.* Eodem modo eamdem excusationem refellit D. Basilius homil. 7. in divites avaros.

258 Deducitur 2°. quòd licèt sancti Patres, per ea quæ ex ipsis proximè allegata sunt, non prohibeant divitibus, filiis suis, vel aliis hæredibus, moderatas relinquere opes, ad convenientem eorum sustentationem, secundùm statum suum: in eo tamen oportere esse terminum ac mensuram, nec omittendam pauperum curam, prout Basilius & Augustinus graviter monent. Quandoquidem parentes non possunt liberorum causâ divinas prævaricari leges, inquit Basilius. Enimverò cæcitas est magna nimis, adeò sollicitum esse de thesaurizando filiis suis in terra, & tam parum de thesaurizando sibi per eleëmosynas in cælo: cùm terrenas divitias Deus in manu tua posuerit, ut per eas cælum lucrifaceres, peccata tua redimeres, ac misericordiis pauperum misericordiam à Deo impetrares. *Cur enim tu abundas* (quærit Basilius apud S. Thomam hîc ad 2.) *ille verò mendicat; nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris; ille verò patientiæ bravii decoretur? Est panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclavi conservas; discalceati calceus, qui penes te marcescit; indigentis argentum, quod possides inhumatum.*

In statuenda porrò mensura, seu justa 259
moderatione congregandarum filiis opum, præterquàm quòd ratio habenda sit pauperum, juxta divinam legem; imitandus est paterfamilias Evangelicus, qui eam in talentorum suorum distributione mediocritatem servavit, ut alia superlucrari ipsis foret necessarium. Neque enim gloriam Dei, neque Reipublicæ bonum, neque ipsorum & filiorum utilitatem verè quærunt (ipsos proinde verè non amant) qui tantam hæredibus opum abundantiam relinquere satagunt, ut hæreditariæ opes ipsis plusquàm sufficiant, absque ulla necessitate aliquid superlucrandi. Imò magnum ipsis per hoc incentivum tribuunt detrectandi (ut fieri solet) laborem studiorum, vel officii Reipublicæ utilis, honestævè artis occupationem; quin potiùs otio se dedendi. Quo fit ut non solùm Ecclesiæ inutiles sint, atque Reipublicæ, sed & ducant in bonis dies suos, iis dediti vitiis, quæ otium, nimiaque opum abundantia parere solent. Frequens quippe experientia docet, crebrò fieri, quòd postquam, ut filiis divitias congregarent, vix iis usi sunt ad proprias necessitates, eas filii cum extraneis devorent, dissipentque, teste Ecclesiaste, qui c. 6. ait: *Est & aliud malum sub sole, & quidem frequens apud homines: Vir, cui dedit Deus divitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat; nec* tamen *tribuit ei Deus potestatem ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas, & miseria magna est.*

Deducitur 3°. decipi divites, qui putant 260
sibi licitum, mensam, supellectilem, reliquum familiæ apparatum metiri à viribus divitiarum, quasi tantum in iis consumere possint, quantum divitiæ patiuntur, augereque mensam, supellectilem, & familiæ apparatum, juxta divitiarum augmentum; ac per consequens mensæ, familiæ, ædificiorum &c. apparatum, apparatui nobilium, Baronum, Comitum, &c. parificare, si in divitiis pares sint. Aliàs vix darentur divites, superflua statûs habentes.

Deducitur 4°. divites prudenter quidem 261
facere, dum provident casibus fortuitis belli, litis, infirmitatis, &c. dum probabiliter,

& ut in pluribus sunt futuri (prout S. Thomas loquitur) sed non posse hoc facere cum neglectu pauperum, sive cum neglectu providendi sibi in sæculum venturum. Cùm fatuum sit solùm providere corpori pro vita præsenti, & negligere provisionem animæ pro vita venturi sæculi. Quem in finem oportet 1°. sic corporales opes dispertiri in terris, ut spirituales opes per manus pauperum transportatæ recondantur in cælis. Quidquid itaque, excepto victu mediocri, & vestitu rationabili, superfuerit, non luxuriæ, non vanæ sollicitudini reservetur (hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet) sed in thesauro cælesti per eleëmosynam pauperum reponatur, ait Augustinus serm. 277. aliàs 219. de temp. 2°. oportet meminisse angelicorum verborum S. Thomæ q. 33. a. 5. ad 2. *Bona temporalia, quæ homini divinitùs conferuntur, ejus quidem sunt quantùm ad proprietatem; sed quantùm ad usum, non solùm debent esse ejus, sed etiam aliorum, qui eis sustentari possunt, ex eo quod ei superfluit ad victum mediocrem, & vestitum rationabilem.* Et ideò ad sapientem repartitionem, 3°. meminisse oportet mediocritatis & moderationis in usu vitæ præsentis, prout suprà dixi, & benè explicat S. Gregorus Nyssenus orat. 1. de pauperib. amand. dicens: „ Usui vitæ „ modum imponite: ne omnia vestra existi- „ mate: sit pars etiam pauperum, & amico- „ rum Dei. Illius enim verè sunt omnia, quem „ habemus patrem; nos autem fratres sumus. „ Quapropter ut genere conjunctos, ac fra- „ tres, melius quidem & justius erat æquis par- „ tibus cernere hæreditatem: verùm quando „ id factum non est, sed unus aut alter plus „ intervertit; reliqui partem unam saltem „ accipiant. Quòd si quis universam vult hæ- „ reditatem avertere, & sextâ, aut quin- „ tâ parte fratres excludere, ille frater non „ est, sed acerbus tyrannus, immitis, barba- „ rus; imò verò inexplebilis fera.... vel po- „ tiùs ipsis etiam feris sævior & agrestior. Si- „ quidem & lupus ad devorandum prædam „ lupum sibi socium adjungit; & canes multi „ nonnunquam simul idem dilaniant corpus. „ At iste divitiarum suarum nullum ejusdem „ generis hominem participem facit. Mode- „ rata mensa sufficit tibi. Ne te in illud luxu- „ riæ pelagus demittas, ut convivia omni ge- „ nere ciborum instructa velis..... Utere igi- „ tur; ne abutaris. Sic enim Paulus etiam edo- „ cuit 1. Cor. 7. Qui utuntur hoc mundo, „ tamquam non utantur. Si sic feceris, facilè „ invenies, ut & dispertiaris ac des pauperi- „ bus, „& probabiliter futuris provideas casi- bus. 4°. denique oportet meminisse divites ejus quod scriptum est Matth. 5. *misericordes... misericordiam consequentur.* Cùm ergo Dei misericordiâ omnes vehementer indigeamus, misericordiis pauperum eam nobis conciliare debemus. Cùm etiam omnes peccaverimus, eleëmosynis peccata nostra nos oportet redimere, uti suadetur Daniel. 6.

CAPUT XXVI.

Certum est, in extrema necessitate unicuique præceptam esse eleëmosynam de superfluis ad vitam, tametsi necessariis ad statûs splendorem, seu decentiam.

QUia in ejusmodi necessitate, amoris ordo postulat, ut plus diligamus vitam proximi, quàm splendorem ac decentiam statûs nostri: cùm vitam proximi, utpote præstantiorem, superiorisque ordinis, magis æstimare debeamus, eique per consequens postponere statûs nostri splendorem, patique ipsius jacturam, ne proximus vitæ jacturam patiatur. Unde tunc maximè procedit, quod 1. Joan. 3. scriptum est. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo?* Quodque Gregorius Magnus homil. 20. in Evang. ait: *Minùs proximum amare convincitur, qui non cum eo in necessitate illius etiam ea quæ sibi sunt necessaria partitur.* Enimverò *qui succurrere perituro potest, si non succurrerit, occidit.* Lactantius l. 6. divinar. Instit. c. 11. Et *quisquis pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti.* cap. *pasce* distinct. 86. ex Ambrosio, licèt Ambrosii non sit, sed Anselmi l. 13. c. 28. Unde Eccli. 34. *Panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.* 262

Nec contrarius est S. Thomas q. 32. a. 6. cùm dicit, quòd *inordinatum esset, si aliquis tantum sibi de bonis propriis subtraheret, ut aliis largiretur, quòd de residuo non posset vitam transigere convenienter, secundùm proprium statum, & negotia occurrentia. Nullus enim inconvenienter vivere debet.* Nam ibidem tres excipit casus: quorum tertius est, quando occurreret extrema necessitas alicujus privatæ personæ, vel etiam aliqua magna necessitas Reipubl. Unde in 4. dist. 15. q. 2. a. 1. quæstiunc. 4. *Præceptum legis obligat, quòd necessitati extraneorum absolutæ* (quæ est necessitas vitæ) *primò subveniatur, quàm necessitati propriæ vel propinquorum conditionatæ*; quæ est cùm quis indiget aliquo ad sui statûs decentem conservationem, ut antè dixit. Et quomodò tunc dives negare posset, quandoquidem in tali necessitate constitutus jure posset accipere? Nam ut ibidem ad 2. ait: *Quando alius est in statu extremæ necessitatis, efficiuntur ei omnia communia.* Unde etsi per violentiam vel furtum acciperet, non peccaret. Vel ergo tunc dives tenetur dare, nec potest accipientem prohibere, vel dari potest bellum utraque ex parte justum. Si utique in ea necessitate constitutus per vim accipere conetur à divite, & accipientem dives conetur per vim impedire. 263

Sed difficultas est, an casu quo summa valdè notabilis foret necessaria ad salvandam vitam proximi nihil habentis, in latronum manus v. g. dilapsi, qui innocentem crudeliter essent interfecturi, nisi summâ illâ (v. g. octo vel decem millium scutorum Romanorum) vita ipsius redimeretur, dives (cujus divitiæ summam illam longè superarent) ad salvandam vitam ipsius teneretur eam dare; & supposito quòd nollet, homo in extremitate illa constitutus, eam ipsi posset surripere?

265 Tamburinus l. 5. in Decalogum c. 1. adductis argumentis pro parte affirmativa, hæc (inquit) mihi probabile faciunt, posse extremè indigentem surripere modo prædicto pretiosa, & consequenter, ex hujus opinionis vi, debere ea divitem elargiri. Sed quia contraria opinio, ut vidimus, probabilis est, ideò poterit dives eam sequi, & illa non tradere. Nec ideò datur bellum justum ex utraque parte absolutè; sed ex vi diversarum opinionum probabilium. Quod non esse inconveniens, omnes docemus. Sed fallitur Tamburinus, non docent hoc omnes. Et quid hoc est, nisi conscientias fusque deque vertere, eodemque ex ore frigidum & calidum exsufflare? Sed hac de re plura to. 1. lib. 11. ubi de opinione probabili. Certè opinioni, quòd dives tunc non teneatur, &c. favere non videtur Ambrosius l. 1. offic. c. 30. cùm ait: *Grandis est culpa, si tempore periculi, quo proximus rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quàm vita morituri.*

266 Aliud fortè videri posset, si ex illustri statu, datâ ejusmodi summâ, ad vulgarem quis statum decidere deberet. Quo casu Coninck, Amicus, & alii putant, tanto cum incommodo non obligari. Quia obligatio ista cederet in Reipublicæ detrimentum, cujus communi bono magis expedit illustris status plurimorum, quàm aliquorum vita privatorum.

267 An probanda sit opinio ista, an improbanda? non est quòd operosiùs tractemus: cùm casus tantæ necessitatis, pro qua sublevanda necessaria sit summa tam notabilis, ut ex illustri statu ad vulgarem dejici quis deberet, adeò rarus sit, ut ferè metaphysicus sit, & rarissimè (si unquam) contingens. Unde nullum, supposità eâ obligatione, Reipubl. detrimentum. Cùm enim extrema necessitas vix unquam tam multum requirat ad sui sublevamen, vix unquam, si unquam, contingit, quòd ad eam sublevandam dimittere oporteat statum illustrem.

CAPUT XXVII.

In gravi necessitate, tametsi illicitum sit alienum invito domino surripere; dives tamen tenetur sub mortali proximo succurrere, etiam diminuendo aliquid de splendore statûs sui, si necesse sit; dummodò decentia statûs per hoc enormiter non ladatur.

SIc docent Major, Medina, Corduba, 268
Bannes, Sylvius, & alii communiùs contra Dianam. Et prima pars quidem in dubium revocari non potest, cùm propositio ista: *Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi*, sit trigesima-sexta ex damnatis ab Innocentio XI.

Secunda pars, quòd utique dives teneatur proximo succurrere in gravi necessitate, 269
constat ex Scripturis & Patribus c. 23. & 24. allegatis. Nec enim de extrema dumtaxat necessitate loquuntur (utpote rarâ) sed etiam de gravi, & frequenti. Recolantur Augustini verba ex tr. 5. in 1. Joan. 3. *Esurit* (inquit) *frater tuus, in necessitate positus est* (non addit extremâ) .... *à creditore angustatur, &c. ..... Quid ad me pertinet, fortè dicis .... Si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet.* Matth. quoque 25. damnandi dicuntur, qui cibum non dederint esurienti, nec potum sitienti, &c. Atqui esuries, sitis, nuditas, creditoris molestia, &c. mortis periculum rarò habent annexum.

Tertia pars, quòd dives ad id teneatur, 270
etiam cum aliqua diminutione splendoris sui statûs, probatur 1°. quia unusquisque tenetur diligere proximum sicut seipsum; adeòque ipsi facere, quod sibi rationabiliter vellet fieri in pari necessitate. Quis autem non vellet sibi in tali necessitate succurri, etiam cum diminutione aliqua splendoris ex parte succurrentis? Quis (inquam) non vellet se à molestia longè majore liberari, cum aliqua, sed minore, molestia liberantis?

2°. id vehementer insinuant sacra Elo- 271
quia suprà laudata ex Luc. 3. & 1. Joan. 3. sicut & verba ista Ambrosii l. 1. offic. c. 30. *Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti (qui præsertim egere erubescat) si in causam ceciderit, aut captivitatis suorum, aut calumniæ, & non adjuves; si sit in carcere, & pœnis, & suppliciis propter debitum aliquod justus excrucietur.* Istis namque verbis non extrema, sed gravis necessitas describitur.

Non sum nescius, sanctum Thomam 2. 272
2. q. 32. a. 5. duos tantùm casus assignare, quibus eleëmosyna sub obligatione est, scilicet cùm extrema est necessitas, & cùm habetur superfluum. Sed ut suprà cap. 23. dixi, in responsione ad 3. perspicuè ostendit sub extrema se grandem comprehendere.

CAPUT XXVIII.

In communi pauperum necessitate danda est de superfluis ad decentiam statûs eleëmosyna,

non necessariò huic vel illi determinatè, sed aliquibus indeterminatè.

273 PRobatur 1°. quia Scripturæ testimonia suprà relata communem etiam necessitatem comprehendunt: siquidem esuries, sitis, nuditas, communibus etiam pauperibus convenit, ipsorumque necessitas verè etiam necessitas est. Et ideò ad fratres eam patientes extenditur, quod dilectus Christi Discipulus 1. Joan. 3. dicit: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo?* Sicut & quod addit ibidem: *Filioli non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.*

274 2°. Ad communes obviasque necessitates maximè extenditur monitum Apostoli: *Divitibus præcipe facilè tribuere.* Neque enim facilè tribuit, qui extremam vel gravem necessitatem (utpote satis raram) ad tribuendum expectat.

275 3°. Nobis ejusmodi paupertate oppressis de superfluis subveniri optaremus.

276 4°. Ordo amoris postulat ut superflua nostra congruæ sustentationi proximi postponamus.

277 5°. SS. Patres id tradunt, dum indistinctè aiunt, superflua pauperibus eroganda. Augustinus tr. 50. in Evang. Joan. *Si habes superflua, da pauperibus ..... tibi superflua sunt, sed Domini pedibus necessaria.* Serm. 61. aliàs 5. de verb. Dom. *Non cogam divites cibis pauperum vilibus & inconditis vesci. Utantur divites consuetudine infirmitatis suæ; sed doleant aliter se non posse ..... Conceditur tibi ..... Utere pretiosis, da pauperibus vilia, quæ tibi sunt superflua.* Quia, ut antè dixerat, *tua superflua, sunt pauperibus necessaria.* Gregorius Magnus l. 3. Pastoral. Cur. admonit. 22. *Cum quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua reddimus ..... Terram ficulnea sine fructu occupat, quando mens tenacium hoc quod prodesse multis poterat, inutiliter servat.* S. Thomas 2. 2. q. 87. a. 1. ad 4. *Dominus ..... omnia superflua pauperibus jubet exhiberi.* Quo sensu q. 32. dicat, quòd non omnis necessitas obligat ad præceptum suprà diximus, non obligare utique ad dandum huic potiùs quàm illi determinatè, dum non potest ab aliquo uno omnibus necessitatem habentibus subveniri.

278 Unde qui superflua in notabili quantitate habens, omnes communes pauperes repelleret, vel ita modicum iis tribueret, habitâ ratione quantitatis superfluorum suorum, ut si alii pariter divites similiter facerent, communibus pauperibus sustentatio necessaria notabiliter deesset, peccati mortalis reus esset, prout benè Sylvius hîc, & Natalis Alexander Theol. Dogmat. & Moral. to. 7. l. 3. c. 6. a. 9. reg. 10. post Cajetanum, Navarrum, & alios communissimè, contra Vasquez, & alios, id durissimum existimantes. Cùm ipsi econtrà pauperibus durissimi sint, avarisque divitibus nimiùm indulgentes.

279 *Quod si mihi illud objeceris* (ait Cajetanus c. 6. de eleëmos.) *quòd scilicet divitum confessiones audiri non possent, & Confessores damnationem incurrerent, de eo scrupulum divitibus non facientes, tametsi multi divites non dent, vel vix dent eleëmosynam de superfluis in communibus pauperum necessitatibus, nec quidquam ad eam dandam subtrahere velint, seu diminuere de splendore statûs in gravi necessitate.*

Respondeo cum eodem, cumque Arragonio, Bannez, & aliis gravissimis Scriptoribus, multos revera Confessarios, ea in re suo non satisfacere muneri, ideòque damnari cum divitibus, quorum confessiones audiunt. *Audi* (inquit Cajetanus) *Christum in Evangelio divitibus dicentem: facilius est camelum transire per foramen acûs, quàm divitem intrare in regnum cælorum. Confessoribus autem: si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* Enimverò quis non videt plerosque divites minùs Deo servire quàm mammonæ? Quis non videt quàm enormiter vita ipsorum exorbitet ab Evangelicis regulis, & suprà allatis Sanctorum documentis? Estne qui non videt, quàm multi divites in luxus vestium, conviviorum, ædificiorum inutilium, intertinentiam canum suorum, &c. notabiles prodigere summas, dum interim gravibus proximorum necessitatibus sibi notis succurrere negligunt, & in communes pauperum necessitates nihil aut vix nihil de superfluis suis impendunt? At hos omnes in statu damnationis esse, sacra nos Oracula, & Sanctorum testimonia docent, & Innocentius XI. satis innuit, dum propositionem duodecimam velut ut minimùm scandalosam, & in praxi perniciosam condemnavit. Quàm multi nihilominùs Confessarii id in divitibus illis dissimulant, ipsosque in damnabili illa praxi persistentes absolvunt, nec de eo ipsos vel interrogant quidem. Væ ergo cæcis ambulantibus! væ cæcis ducentibus!

280

281 Si & illud objiciatur, quòd cùm necessitas communis non sit necessitas magna, eam non sublevare, non videatur peccatum magnum.

Respondeo quòd licèt hujus vel illius necessitatem communem non sublevare, non sit peccatum magnum; communem tamen, vel omnium, vel plurimorum pauperum necessitatem non sublevare, cùm superflua notabili in quantitate habeas, & inutiliter retineas, vel in sumptus vanos & inanes expendas, id profectò peccatum est magnum. Tum quia notabilem illam quantitatem, utpote pauperibus debitam, in communes eorum necessitates impendere tibi Deus præcipit, cujus est aurum & argentum tuum.

Tum

Tùm quia si alii divites, superflua pariter habentes, communes pauperes ut tu negligerent, eorum necessitas parva fieret magna. Tum denique quia licèt singulæ communium pauperum necessitates per se non sint miseria magna; multæ tamen simul junctæ, nec sublevatæ, efficiunt in Republica miseriam magnam: quemadmodùm multa furta parva, pluribus personis facta, v. g. per pondera justo minora, simul juncta efficiunt in Republica injustitiam magnam.

282 Si denique petas, quantum pauperibus dare oporteat? citò respondeo: omnia superflua. *Audi* (inquit S. Thomas à Villanova conc. 2. de S. Martino) *audi Joannem:* „ Qui habet duas tunicas, det unam non ha„ benti, & qui habet escas, similiter faciat. „ *Dices forsitan, dare meditatem multum est, sunt mihi uxor & familia, quas nutriam. His omnibus reliqua non sufficiet. Nolo ad ratiocinium te adducere. Sicut filio suo Tobias consuluit:* „ quomodò potueris, ita esto misericors. „ Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. „ Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum li„ benter impertiri stude. „ Divites, qui filios „ habent, quibus providere volunt, inter illos (juxta doctrinam Patrum, fundatam in dictis Christi) debent computare Christum in suis pauperibus, velut unam ex prolibus suis, eique portionem aliarum prolium portioni æqualem consignare. Ita S. Cyprianus serm. de eleëmosyna. Hieronymus epist. ad Furiam. Augustinus de decem chordis cap. 12. & serm. 49. de diverſ. Cæsarius, aliique Patres.

283 Id super omnia cave, ne, nimis molliter & delicatè vivendo, nullam vel modicam pauperum curam habeas. *Qui molliter & delicatè vivere instituerunt* (ait S. Gregorius Nyssenus orat. 1. de pauperib. amand.) *necessariò ad excogitandos magnificos ædificiorum apparatus alliciuntur. In his construendis & exornandis maxima vis pecuniarum profunditur. Ad hæc cœtus hominum libenter convocant, & invitant, splendidam & variam supellectilem studiosè comparant, innumerabilia poculorum genera, scurras, mimos, cytharistas, cantores, cantatrices, saltatores, saltatrices, totum denique petulantiæ ludum. Atque dum hæc intus geruntur, assident ad vestibuli fores innumerabiles Lazari, partim gravibus ulceribus pleni, partim oculis orbati, partim pedibus mutili. Conclamant, nec tamen exaudiuntur. Si Deus hæc aspicit, ut profectò aspicit, quem exitum fore cogitatis, ô pauperum inimici! An nescitis horum causâ in sacro Evangelio poni & commemorari exempla omnia horrenda & terribilia?* Quare? quia *rapina est* (ait Chrysostomus conc. 11. de Lazaro) *de suis facultatibus pauperibus non impartiri. Quapropter Deus accusans Judæos per Prophetam, ait:... rapina pauperis est in domibus vestris.... Quoniam rapuistis ea quæ sunt pauperum. Ita divites affatur per Malachiam Prophetam, ut intelligant divites, sese res pauperum possidere, etiamsi ex paterna hæreditate eis obvenerint, etiamsi aliunde pecunias ex æquo & bono conflaverint.* Et alibi: *Ne spolies vitam pauperis. Qui autem spoliat, intervertit aliena. Nam spoliatio quædam admittitur à nobis, cùm aliena rapimus & detinemus. Unde discimus, nos, si eleëmosynæ præceptum infregerimus, eodem supplicio affectum iri, quo raptores & spoliatores affici solent. Nostræ facultates, undecumque obvenerint, illius sunt Domini, cujus obsequio mancipati sumus. Quòd si eas egentibus erogaverimus, maximas opes procul dubio inde capiemus. Ideò enim uberiores divitias nobis indulsit Deus, non ut eas in scortationes, in temulentiam, in ingluviem, superbasque vestes, fœdamque mollitiem effunderemus, sed egenis & calamitosis earum largitione succurreremus. Quemadmodum enim regalis ærarii custos, si commissas sibi pecunias illis ipsis, quibus est jussus, impartiri neglexerit, sed in suas contulerit voluptates & delicias, plectitur & exanthoratur; ita vir dives sese gerere debet ad instar Quæstoris cujuspiam, qui ab ipso Deo pecunias pauperibus erogandas acceperit. Quapropter si majorem ejusmodi pecuniarum copiam, quàm poscat sua ipsius necessitas, suos in usus convertat, se gravissimè plectendum esse noverit. Non enim ejus sunt quæ possidet, sed conservorum, quos egestas afflixerit. Parcamus igitur nostris opibus, ut alienis, ut verè in nostram possessionem transeant.... Parcemus, si eas non contulerimus in sumptus superfluos, nec in nostros duntaxat usus converterimus, sed in manus pauperum effuderimus. Nam quantumvis opulentus fueris, creditarum tibi pecuniarum redditurus es rationem, si ex eis impenderis plus quàm tua necessitas postularet.... Non enim plura cæteris accepisti bona, ut solus ea consumeres, sed ut ea indigentibus proximis impartiendo, boni dispensatoris gloriam tibi comparares.* Plena sunt similibus sententiis sanctorum Patrum volumina. Ex iis verò Natalis Alexander reg. 8. concludit, divitum Confessarios in maximo suæ salutis periculo versari, si absolvant eos, qui superflua sua pauperibus, etiam communem duntaxat necessitatem patientibus, non erogant. Quod profectò ipsis non suadere tantùm, sed præcipere, & à Deo præceptum (inquit) significare tenentur, uti Pastoribus in persona Timothei præscripsit Apostolus 1. Timoth. 6. Et licèt merum id consilium esse Recentiores quidam, inhumanæ cupiditatis adulatiores, effutierint, Christus, Prophetæ, Apostoli, SS. Patres præ ipsis audiendi sunt.

CAPUT XXIX.

Ecclesiastici beneficiati cæteris strictiùs tenentur ad superflua beneficiorum suorum in pauperes, vel alias pias causas eroganda, nec de iis in usus profanos, vel in consanguineos suos, non pauperes, disponere possunt.

285 EST assertio adeò communis & certa, ut eam Wigers tr. 1. de just. c. 3. dub. 9. omninò *certam* pronuntiet, ita ut opposita ne quidem (inquit) reputetur ullo modo probabilis. Sylvius 2. 2. q. 185. a. 1. adeò *indubitatam*, ut dubium non sit, eos beneficiarios, qui contrafaciunt, peccare mortaliter. Comitolus l. 1. respons. moral. q. 70. oppositam vocat *novam, periculi plenam, ab Authoribus nescio quibus, post mille quingentos annos, in Rempublicam Christianam invectam, de qua si in Concilio quopiam Generali disceptaretur, tamquam falsa, & catholicis auribus & mentibus indigna, prorsus explodereretur.* Navarrus verò de reditib. Eccles. q. 2. monit. 7. ait, quòd eam ipse tenere percupivit, sed urgente conscientiâ non potuit. Eamque Archidiaconus vocat *Juris hæresim*, alii *errorem gravissimum.* Eam certè periculosam rectè dici, probat exemplum cujusdam Philippi Cancellarii Parisiensis, qui (post mortem apparens Guilielmo Parisiensi Episcopo) damnatum se æternâ morte dixit; & ab Episcopo interrogatus de causâ suæ damnationis: *Tres sunt* (inquit) *prima est quòd recrescentes fructus annuos beneficiorum meorum contra pauperes timidè reservavi.* Quod ipsemet Episcopus in prædicatione sua Clericis omnibus recitavit, uti referunt Dionysius Carthusianus in opusc. de pluralit. benef. Spondanus ad annum 1238. Navarrus loco citato, & ante illos Thomas Cantipratanus, Episcopus, Alberti Magni Auditor, & S. Thomæ Condiscipulus, vir integerrimæ fidei, l. 1. de apibus cap. 19.

286 Probatur itaque assertio nostra 1°. ex epistola Urbani I. Papæ ad omnes Christianos c. 2. ubi de bonis Ecclesiæ attributis sic ait: *Ipsæ res fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in aliis usibus, quàm Ecclesiasticis, & Christianorum fratrum, vel indigentium converti. Quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.* Refertur in Breviario ad diem 25. Maii.

287 2°. ex sacris Canonibus, citatis in Decreto, causâ 12ª. per totam, expresè declarantibus, non esse licitum, opes, & proventus Ecclesiasticos, portionem congruæ Clericorum sustentationi necessariam superantes, aliis quàm piis usibus, sive ad Dei cultum, sive ad pauperum sustentationem pertinentibus impendere. Atque ita statutum est in octavo Concilio Generali, sub Adriano II. act. 10. c. 15. Et renovatum in Tridentino sess. 15. cap. 1. de reform. Cleric. hac redditâ ratione, *cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant*, &c.

In Concilio quoque Cartaginensi IV. 288
cap. 31. statuitur, ut Episcopus rebus Ecclesiæ tamquam commendatis, non tamquam propriis utatur. Et in vetustiori Concilio Antiocheno anni 341. can. 25. *Episcopus habeat rerum Ecclesiæ potestatem, ut eas in omnes egentes dispenset, cum multa cautione, & Dei timore: ipse autem eorum quæ opus est sit particeps ad usus necessarios, & fratrum qui apud eum hospitio excipiuntur, secundùm divinum Apostolum, qui dicit:* " Habentes " alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. " *Sin autem iis non sit contentus, & res in proprios usus convertat, & Ecclesiæ reditus, vel agrorum fructus, suis cognatis, vel fratribus, vel filiis præbeat.... det Synodo Provinciæ rationem.*

Concilium Aurelianense I. cap. 5. sic 289
statuit: *De oblationibus & agris, quos Dominus noster Rex Ecclesiis suo munere conferre dignatus est.... definimus, ut in reparationibus Ecclesiarum, alimentis Sacerdotum, & pauperum, vel redemptionibus captivorum, quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur. Quòd si aliquis Sacerdos, ad hanc curam minus sollicitus, ac devotus extiterit, publicè à comprovincialibus Episcopis confundatur. Quòd si nec sub tali confusione se correxerit, communione fratrum habeatur indignus.*

Concilium Parisiense VI. cap. 15. *Nulli* 290
Sacerdotum liceat res Deo dicatas, sibique commissas, ut proprias tractare, & ad multifarios, secundum libitum suum, eas usus retorquere. Et infrà: *Sicut igitur præmissa documenta declarant, non sunt res Ecclesiæ ut propriæ tractandæ, sed ut Dominicæ, & à Domino commendatæ. Quicumque ergo eas ad suos proprios usus, terrenosque honores & delectationes retorquet, quanti sit discriminis, quantaque transgressionis, apertè animadverti potest.* Et cap. 16. de contrafacientibus dicit, eos à suo ministerio multis modis *exorbitasse, & se diabolo mancipasse, multosque laicorum ex hoc facto in damnationis scandalum & perditionis pertraxisse cognovimus.* Idem habent Concilium Turonense III. can. 10. Cabilonense II. can. 6. Aquisgranense anni 836. p. 2. can. 7. Nannetense can. 10.

3°. idipsum probatur ex SS. Patribus, qui 291
unanimi calculo assertionem nostram tradunt. Hieronymus in cap. 3. Sophoniæ contrafacientibus applicat illud Prophetæ: *Judices quoque ejus quasi lupi Arabiæ, occidentes vespere, & nil relinquentes in manè, non aspicientes ad ortum solis, sed morantes semper in tenebris, & possessiunculas Ecclesiæ, & ea quæ in Dei donaria conferuntur, vertentes in lucrum suum, ut non habeant pauperes quod manè comedant. Qui quasi in nocte, & nullo vidente,*

populantur, & cùm luporum more cuncta diripiant, ne parvos quidem cibos indigentibus derelinquunt.

292 S. Augustinus epist. 185. aliàs 50. *Si privatim quæ nobis sufficiant possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodam modo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.*

293 Julianus Pomerius l. 2. de vit. contempl. c. 9. *Nihil aliud sunt res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.*

294 Gregorius Magnus l. 12. epist. 31. *Mos Apostolicæ Sedis est, ordinatis Episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio quod accedit, quatuor debeant fieri portiones; una videlicet Episcopo, & familiæ ejus, propter hospitalitatem, alia Clero, tertia vero pauperibus, quarta Ecclesiis reparandis.*

295 Alexander III. cap. *fraternitatem* ext. de donationib. *Cùm Episcopus, & quilibet Prælatus, rerum Ecclesiasticarum sit procurator, non dominus.*

296 S. Bernardus epist. 11. Clericos omnes in persona Fulconis sic interpellat: „ Conceditur tibi, ut si benè deservis, de altario „ vivas; non autem ut de altario luxurieris, „ ut de altario superbias, ut inde compares „ tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria „ deargentata, varia griseaque pellicea, à collo & manibus ornatu purpureo diversificata. „ Denique quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium „ est. „ Serm. 18. in Cant. „ Timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua „ gerunt, ut stipendiis quæ sufficere debeant „ minimè contenti, superflua, quibus egeni „ sustentandi forent, impiè sacrilegèque sibi „ retineant, & in usus suæ superbiæ, atque „ luxuriæ victum pauperum consumere non „ vereantur. Duplici profectò iniquitate peccantes; quòd & aliena diripiunt, & sacris „ in suis vanitatibus & turpitudinibus abuntur. " Idem repetit in Declamationibus in illa Evangelii verba: *Ecce nos reliquimus omnia.* „ Clericus de altario vivat, & non „ ex Clericatu ditior fiat; non sibi de bonis „ Ecclesiæ ampla palatia fabricet, nec in vanitate aut superfluitate dispergat, nec extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos, aut neptes (ne filias dixerim) nuptui „ tradat. Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sanè patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum, sacrilegâ eis crudelitate surripitur, „ quidquid sibi ministri & dispensatores, non „ utique domini vel possessores, ultra victum „ accipiunt & vestitum. Nec enim ordinavit „ Deus his qui Evangelio serviunt, de Evangelio quærere aut habere delicias, vel ornatum, sed vivere (ait Paulus) ex eo, ut videlicet sint contenti alimenta corporis (non irritamenta gulæ, aut incentiva libidinis) & " quibus tegantur, non quibus ornentur, ac- " cipere. Ne ipsis quidem Episcopis minùs " modestum permittit ornatum: me etiam ta- " cente, etsi non Curia Regum, tamen penu- " ria pauperum clamat. Sileat licèt fama, sed " non fames. Clamant nudi, clamant fame- " lici, conqueruntur & dicunt: Dicite, Pon- " tifices, in fræno quid facit aurum? Num- " quid aurum à fræno repellit frigus, sive e- " suriem? Nobis frigore & fame laborantibus quid conferunt tot mutatoria, vel exten- " sa in perticis, vel plicata in manticis? No- " strum est quod effunditis, nobis crudeliter " subtrahitur, quod inaniter expenditis. Et " nos enim Dei plasmatio, & nos Christi sanguine redempti sumus. Nos ergo fratres " vestri. Videte, quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris ne- " cessitatibus detrahitur quidquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala ex " una prodeunt radice cupiditatis, dum & " vos vanitando peritis, & nos spoliando peri- " mitis. "

Sanctus Thomas 2. 2. q. 185. a. 7. quæ- 297
rit, utrùm Episcopi mortaliter peccent, si bona Ecclesiastica, quæ procurant, pauperibus non largiantur? Et respondet, quòd aliter est dicendum de propriis bonis, quæ " Episcopi possidere possunt, & de bonis Ec- " clesiasticis. Nam propriorum bonorum verum dominium habent.... sed Ecclesiasticorum sunt dispensatores vel procuratores. " Dicit enim Augustinus ad Bonifacium.... " *quorum procurationem gerimus, non proprietatem*, &c. Ad dispensatorem autem requiritur bona fides, secundùm illud 1. Cor. " 4. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Sunt autem bona Ecclesiastica non solùm in usus pauperum, " sed etiam ad cultum divinum, & necessitates ministrorum expendenda.... Si ergo " distincta sint bona, quæ debent in usum " Episcopi cedere, ab his quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda; & si aliquid sibi retinuerit Episcopus de his quæ sunt pauperibus eroganda.... " non est dubium, quin contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad " restitutionem tenetur. De his autem quæ " sunt specialiter suo usui deputata, videtur " esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis, " quantùm ad hoc quòd scilicet.... peccet, " si immoderata sibi retineat, & aliis non subveniat. „ Et quodlibeto 6. a. 12. „ Bonorum Ecclesiasticorum Clerici non sunt " verè domini, sed dispensatores, secundùm " illud 1. Cor. 7. *Dispensatio autem mihi credita est.* Pertinet autem ad dispensatorem, " ut fideliter distribuat ea quæ ejus dispensationi committuntur.... Verùm quia hò- " rum dispensatio fidei dispensatoris committitur; siquis bonâ fide dispenset bona Ec- "

„ cleſiaſtica, inde accipiens quod ſibi videtur
„ bonâ fide expedire, non peccat mortaliter,
„ etiamſi fortè aliquid plus in ſuos uſus con-
„ vertat, quàm oporteat „(modò non ſit mul-
tus exceſſus, ut infrà)„ talia enim, quia in
„ ſingularibus eſt eorum judicium, non poſ-
„ ſunt per omnimodam certitudinem definiri.
„ Unde ſi non ſit multus exceſſus, poteſt com-
„ pati bonam fidem diſpenſatoris. Si verò
„ multus exceſſus fiat, non poteſt latere: &
„ ita non poteſt cum bona fide diſpenſatoris
„ hoc agi. Si autem non conſervet bonam
„ fidem in diſpenſando, peccat mortaliter.

298 Sanctus Carolus Borromæus cum Concilio Mediolanenſi I. poſteaquam Clericos, quorum tenuès ſunt reditus, ſic exhortatus eſt: *Alienis neceſſitatibus ſubvenitis, & pauperibus opitulemini*: eos qui pinguiora poſſident beneficia ſic alloquitur: *Chriſti viſceribus ſubſtantiam Eccleſiaſticam erogate, pauperibus ſcilicet, peregrinis, viduis, pupillis, ægrotis, in vincula conjectis, captivis, quibus egentibus, & eſurientibus cum ſubvenire poſſitis, ſi alimenta neceſſaria denegatis, violatæ charitatis rei eſtis in conſpectu Domini. Memores eſtote ejus quod à ſanctiſſimo Patre Ambroſio ſcriptum eſt: ſua fideles eo animo obtuliſſe Eccleſiæ Miniſtris, ut per eorum manus, quorum fidei .... omnia tribuebant, ad pauperes pervenirent. Vos item alii, quicumque eſtis, quorum fidei Chriſti patrimonium propriè ad divini cultûs, pauperumque uſum commiſſum eſt, cavete, ne ambitione, aut cupiditate prolapſi, in alium, quàm cui addictum eſt, convertatis, & propterea ſacrilegii rei, damnationem æternam ſubeatis.*

299 4°. probatur aſſertio: quia ſuperflua proventuum Eccleſiaſticorum, vel in luxum, vel in conſanguineos (non pauperes) vel in alios profanos uſus expendere, vel timidè reſervare, eſt contra finem ab Eccleſia intentum, in proventuum illorum inſtitutione, eorumdemque factâ Clericis attributione. Eſt etiam contra primarium finem intentum à Chriſti fidelibus, in facultatum ſuarum facta Eccleſiis collatione. Siquidem *fideles, Dei ardore & amore ſuccenſi, ob animarum ſuarum remedium, & cæleſtis patriæ deſiderium, ſuis propriis facultatibus ſanctam locupletem fecerunt Eccleſiam, ut his & milites Chriſti alerentur, & Eccleſiæ exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur.* Verba ſunt Concilii Aquiſgranenſis I. cap. 16. Similiter loquitur S. Petrus Damianus l. 4. epiſt. 12. Eccleſia (inquit Leo X. Conſtitut. 7.) ex facultatibus illis proventus Eccleſiaſticos inſtituit, & Clericis attribuit, *ut inde Clerici ſuſtententur, & quæ ſuperſunt, in ſanctis & piis operibus exponantur.* Vel, *ut qui beneficium habet, poſſit ex eis vivere honeſtè, pro ſuo ordine, ſimulque queat ſuſtinere impenſas pro divino cultu, & templi ſacrarumque ædium reparatione, & quod reliquum eſt, impendat in pios uſus.*, ut dixerant Cardinales & Prælati ſub Paulo III. congregati. Et ideò *ſanctorum Canonum decretis ſtatutum eſt, & ſanctiſſimorum Patrum teſtimoniis celebratum, ut quæ bona fidelium pietas Deo conſecravit, ea vel illorum neceſſitatibus honeſtè ſublevandis, qui divinis dicati obſequiis, Chriſti miniſtri, & diſpenſatores myſteriorum Dei effecti eſſent; vel Eccleſiis reficiendis, earumque ornamentis ad divinum cultum neceſſariis comparandis, vel pauperibus ſuſtentandis addicta eſſent. Siquidem ubi primùm Eccleſiæ bona eſſe cœperunt, eam naturam & conditionem conſecuta ſunt, ut in alium quàm ſacrum & pium uſum eorum fructus converti nefas eſſet.* Concilium Mediolanenſe I. ſub S. Carolo Borromæo tit. 63. Igitur bona illa in luxus, conſanguineos, vel alios non pios uſus expendere, magna inordinatio eſt.

Enimverò quiſquis conſiderat, ea quæ ul- 300
tra Clericorum ſuſtentationem, Eccleſiarum reparationem & ornatum ſuperſunt, eſſe *vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum.* Urbanus Papa ſuprà, *Patrimonium Jeſu Chriſti*, cap. *cum ſecundùm* de præbendis. *Patrimonium Crucifixi.* Extravag. *Salvator* de præbend. *Res Dei.* Tridentinum ſuprà: non poteſt ſtatim non videre magnam inordinationem in eo quòd ex rebus Dei, patrimonio Crucifixi, votis fidelium, pretiis peccatorum, patrimoniis pauperum, Clericus luxurietur, ſuperbiat, conſanguineos ſuos locupletet, in alioſvè uſus profanos ea diſpergat. *Cum valdè iniquum ſit, ea quæ collata ſunt pro remedio peccatorum venerabilibus Eccleſiis, vel relicta, aliis uſibus quàm piis applicari.* cap. *conqueſtus* de foro compet.

CAPUT XXX.

Occurritur argumentis in contrarium, caſuſque notabiles reſolvuntur.

OBjicies 1°. Clerici ſunt domini totius 301
portionis fructuum beneficii ſui. Ergo de iis pro libitu diſponere poſſunt.

Reſpondeo vel antecedens eſſe negandum, cum graviſſimis Doctoribus (quibus vehementer favent Canones, & Concilia Cartaginenſe IV. Pariſienſe VI. &c. ſicut & ſancti Patres Auguſtinus, Bernardus, &c.) vel dicendum ipſos non eſſe dominos dominio abſoluto ab omni onere, ſed dominio vinculato, ſeu gravato onere impendendi ſuperflua in pauperes, ſeu alias pias cauſas (prout evincunt argumenta pro aſſertione deducta) ſive interim onus iſtud ſit juſtitiæ, quale competit hæredi in hæreditatem, piis legatis à teſtatore gravatam; ſive charitatis, ſtatutique Eccleſiaſtici, in allegatis Canonibus, & Conciliis expreſſi, de quo poſteà.

Objicies 2°. Si hoc ita eſſet, reſtitutio- 302
nis lege tenerentur Clerici, ſuperflua beneficiorum ſuorum expendentes in uſus non

pios, v. g. in consanguineos non pauperes, in luxum, vel voluptatem, &c. At hæc plerique negant, ipsisque favere videtur S. Thomas in verbis n. 296. laudatis.

Respondeo verè ad restitutionem teneri Clericos, qui reditus Ecclesiæ in usus vel illicitos vel profanos, v. g. in meretrices, histriones, canes, equos superfluos, ludos, immoderata convivia, consanguineos ditandos expendunt. Ita S. Raymundus in Summa l. 11. tit. de Raptorib. §. 8. S. Antoninus tertiâ parte Summæ tit. 15. c. 1. §. 19. Petrus de Palude apud ipsum, dicens id magis consonare dictis Sanctorum, & Juri Canonico. Panormitanus in cap. *cùm secundùm* extr. de præbend. Alvarus Pelagius, Joannis XXII. Pœnitentiarius, l. 11. de planctu Ecclesiæ c. 28. Major (dicens neminem Doctorum, ante se mortuum, contrarium docuisse.) Navarrus (asserens communem esse opinionem omnium Canonistarum.) Cajetanus, Petrus Soto, aliique gravissimi Doctores.

303 Et probatur 1°. quia Clerici non sunt domini bonorum ecclesiasticorum, quæ superfluunt decenti ipsorum sustentationi, vel saltem eorum non habent dominium absolutum, sed vinculatum, ut proximè dixi; adeòque ex intentione Ecclesiæ & Fundatorum onerata sunt, ut scilicet in pauperes, seu alias pias causas expendantur. Igitur ad restitutionem tenèntur, si in profanos vel illicitos usus, vel in consanguineos non pauperes dispergantur.

304 Antecedens probatur ex sacris Canonibus, communique traditione Sanctorum, scilicet Urbani Papæ & Martyris suprà relati. Qui & videri potest cap. *videntes* 12. q. 1.

Post ipsum S. Basilius ad Julian. Apostat. *Reditus mei hi sunt: unus ager, decem oleæ, decem alvei, una mola, domus una, 40. oves, octo palmæ, tres fici, parvus hortus, quorum ego me dominum non censeo, sed dispensatorem: cùm mihi incumbat eorum cura, ut inde pauperes alantur. Hic status noster tam est arctus, ut si fors quispiam Sacerdotum ea sibi reservet, aut in malos usus expendat, æqualem pœnam mereatur, ac qui dilapidat, & qui de altari furatur. De altari furamur, quidquid pauperibus negamus.* S. Hieronymus in c. 3. Isaiæ: *Rapina pauperum in manu Sacerdotum, qui Ecclesiæ opes sibi thesaurizant, & in deliciis abutuntur, quæ ad sustentationem pauperum dantur, & sibi reservant, vel propinquis distribuunt. Quoniam* (ut ait epist. ad Damas.) *quidquid habent Clerici, pauperum est.* S. Augustinus epist. 185. aliàs 50. ad Macedon. de bonis Ecclesiæ loquens: *Pauperum* (inquit) *procurationem gerimus, non proprietatem ..... vendicamus.*

Alexander III. c. 2. de donat. *Cùm Episcopus ecclesiasticarum rerum sit procurator, non dominus.*

Bernardus Serm. 23. in Cant. *Ministri Ecclesiæ, qui stipendiorum superflua, quibus egeni sustentandi forent ..... sibi retinent, duplici peccant iniquitate, quòd & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur.*

S. Thomas 2. 2. q. 100. a. 1. ad 7. *Quamvis res Ecclesiæ sint Papæ, ut principalis dispensatoris; non tamen sunt ejus ut domini & possessoris.* Et q. 185. a. 7. *Ecclesiasticorum bonorum Clerici sunt tantùm dispensatores vel procuratores.* Quodlib. 6. a. 12. *Bonorum ecclesiasticorum Clerici non sunt verè domini, sed dispensatores.* Idem docet S. Petrus Damiani opusc. 27. c. 1. per totum. S. Laurentius Justinianus l. de compunct. & planctu Christ. perfect. O *quanta abusio, Christi ditari divitiis, & Christo nihil velle tradere. Nonne thesauri Christi sunt facultates Ecclesiæ? Unde temporalia sunt Ecclesiis prærogata, nonne propter Christum? Nonne ut Christi pauperibus erogentur? Noli igitur tu, qui præsides, retinere quod alienum est, ne furti deprehendaris in causa.*

Gerson to. 2. de temper. & vest. Prælat. *Quid sunt viri Ecclesiastici, nisi quidam eleëmosynarii bonorum ecclesiasticorum, & ipsorum quidem non domini, sed dispensatores?*

Ex his Christianus Lupus, Doctor Lo- 305
vanienſis, in notis ad can. 15. Concilii 8. sic concludit: *Ecclesiastica bona, non solùm ad Clericos, sed etiam ad captivos, peregrinos, orphanos, viduas, quosvis pauperes, stricto & æquo proportionis jure pertinere, est lucidum dogma Apostolorum, omnium SS. Patrum, cunctarum sub cælo Ecclesiarum ..... Omnis antiqua Christianitas uno ore clamat, ecclesiasticæ substantiæ ..... pravos dispensatores Episcopos, esse fures, latrones, &c.*

Idem ante ipsum concluserat Joannes 306
Driedo, Doctor & ipse Lovanienſis, de libert. Christ. l. 2. a. 4. his verbis: *Verè existimandum est omnia ecclesiastica bona, supra decentem & honestum statum Episcopo condecentem longè superflua, esse relicta illi, ut patri & provisori pauperum, & ad reparandas fabricas, templa, domosque, & alia quæ sunt necessaria in conservandis Ecclesiæ bonis. Et ideò Episcopi, Abbates, cæterique Prælati Ecclesiastici, ex hujusmodi bonis superfluis (pauperibus, aut fabricis debitis) prodigè exponentes, gravissimè peccant, & juxta omnium SS. Patrum sententiam, rapinam committunt, & sacrilegium, & tenentur restituere ex suis patrimoniis quidquid sic prodigè expenderint.*

Si nec Doctores istos, nec Paludanum, 307
Majorem, Cajetanum, Navarrum, Petrum Soto, nec S. Raymundum, & S. Antoninum, idem expresè concludentes, audire libeat, audiatur saltem Concilium Mediolanense I. sub S. Carolo Borromæo tit. 63. in quo post verba n. 298. in fine laudata, immediatè habentur sequentia: " Quare " cavendum est, ne cupiditate prolapsi ..... " dum vel propriis, vel propinquorum, vel "

„ familiarium divitiis & honoribus ſtudemus,
„ quæ Deo dicata ſunt bona, & Eccleſiæ de-
„ trimento, & pauperum gemitu, & bonorum
„ offenſione, ad aliorum uſum convertamus.
„ Itaque nos ſacrorum Canonum, & ſancto-
„ rum Patrum authoritatè innixi, atque iis in-
„ ducti, quæ ſacra Tridentina Synodus de
„ officio adminiſtrandi bona eccleſiaſtica ſigni-
„ ficavit, eos omnes qui ea obtinent vehemen-
„ ter monemus, ut muneris ſui memores, hæc
„ quæ ſequuntur diligentiſſimè præſtent Epiſ-
„ copi, Abbates, Præpoſiti, Parochi, ac cæte-
„ ri omnes..... beneficia eccleſiaſtica, etiam
„ ſimplicia..... obtinentes, omni diligentiâ
„ cognoſcere ſtudeant, quibus oneribus.... ex
„ bonorum eccleſiaſticorum natura.... ſubja-
„ ceant, illiſque integrè ſatisfaciant. Quòd ſi
„ facere omiſerint, ſed eos fructus ſibi vendi-
„ care, vel ad alios transferre auſi fuerint,
„ vel in quem debent uſum „ (in Eccleſias utique reficiendas, vel ornandas, vel paupe-
res ſuſtentandos, uti citato n. 298. dixit) „
„ non impenderint; ſe ex ſacris Canonibus
„ & ſanctorum Patrum ſententia ſacrilegii reos
„ eſſe intelligant, & eorum omnium neceſſa-
„ riâ reſtitutione teneri; neque ullâ omninò,
„ etiam immemorabili conſuetudine excuſari.
„ Noverint etiam ii, ad quos ſcientes hujuſ-
„ modi fructus, vel aliquod ex illis commo-
„ dum quovis nomine pervenerit, ſe eâdem re-
„ ſtitutionis lege teneri. Ii verò, qui Eccle-
„ ſias & beneficia quæcumque obtinent, quo-
„ rum fructus ad eos, tamquam divinorum ob-
„ ſequiorum miniſtros, honeſtè ſuſtentandos
„ propriè ſunt attributi, ſi uberiores ſint,
„ quàm ad tuendam vitam, conditioniſque
„ ſuæ rationem requiratur; dubitare non de-
„ bent, ad hunc finem hanc copiam illis eſſe at-
„ tributam, ut, præter ea quæ ad victum &
„ cultum eorum ſatis eſſent, ſuppeterent etiam,
„ quibus divini cultûs ornatus ac ſplendor
„ conſervaretur, & pauperum inopia & indi-
„ gentia ſublevaretur; quemadmodùm etiam
„ Deus pleroſque divitiis cumulat, ut amicos
„ ſibi faciant, à quibus, cùm defecerint, in æ-
„ terna recipiantur tabernacula. Quamobrem
„ per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti obte-
„ ſtamur, atque monemus, ut meminerint ea
„ bona non eſſe ſibi credita ad luxum, neque
„ ad augendos conſanguineos, ſed ad vitam
„ honeſtè, ut fidelem Dei miniſtrum, & pieta-
„ tis Chriſtianæ Magiſtrum decet, traducen-
„ dam; ex eo vero quod ſupererit, ſi neceſſa-
„ ria pauperibus alimenta denegarint, intelli-
„ gant ſe, quos non paverint, occidiſſe, atque
(præter ſuprà aſſertam reſtitutionis obligationem) “ ob violatam ſanctiſſimæ chari-
„ tatis legem, mortale peccatum commiſiſſe:
„ quo ſibi iram in die iræ theſaurizaverunt.

308 Hiſce omnibus accedit & ratio, quòd nullo titulo Clerici ſuperflua beneficiorum ſuorum in profanos uſus, vel in conſanguineos, non pauperes, diſtrahere poſſint, cùm eorum domini non ſint, ut ſatis eſt demonſtratum ex ſacris Canonibus, Conciliis & Patribus; ex quibus conſtat bona illa, ex ſua inſtitutione, ſtricto jure eſſe *res Dei, patrimoniumque Crucifixi*, ſive (ut Concilium Burdigalenſe anni 1583. c. 26. loquitur) *peculium Chriſti*, Epiſcopis, Sacerdotibus & Clericis, cùm ad honeſtum eorum vitæ ſubſidium, & ſpiritualis ſumptum miniſterii, tùm ad pauperum alimentum atque ſuſtentationem tradita. Igitur eorum in alios uſus diſtractio injuſta eſt, reſtitutioni proinde obnoxia. Per conſequens Molina Carthuſianus de Sacerdotio tr. 2. c. 15. in fine rectè ſcripſit; ſe vehementer timere, multos eſſe Eccleſiaſticos, qui æternis torquentur ſuppliciis, quia veram hanc doctrinam ſecuti non ſint, ſive per veritatis ignorantiam, quam ſcire tenebantur, ſive per negligentiam, cùm ſcirent, opere tamen implere noluerint; & ſingulis horum applicari poteſt: *Nolnit intelligere, ut benè ageret.*

Inſtabis: S. Thomas utroque loco n. 309
245. relato contrarium ſentire videtur. Reſpondeo cum S. Antonino, Cajetano, Petro Soto, Natale Alexandro, S. Thomam nullo modo contrarium ſentire: cùm utroque loco expreſsè dicat, Epiſcopos & Clericos Eccleſiaſticorum bonorum non eſſe dominos, ſed tantùm diſpenſatores. Atqui diſpenſator alienorum bonorum contra juſtitiam peccat, malâ fide adminiſtrando bona, bonæ fidei ipſius commiſſa. Utroque verò loco illo dicit, Epiſcopos & Clericos malâ fide bona ſibi commiſſa adminiſtrare, ſi vel ex portione pauperum aliquid in uſus ſuos convertant, vel (ſi portio pauperum à portione Epiſcopi & Clericorum diviſa non ſit) aliquid notabiliter plus in uſus ſuos convertant, quàm oporteat. Quia (inquit) *multus exceſſus non poteſt latere, & ita non poteſt cum bona fide diſpenſatoris hoc agi. Et ita mortaliter peccat.* Dum autem S. Doctor addit, ipſos non teneri ad reſtitutionem, ſed ſolùm ad pœnitentiam, ſi de his quæ ſunt ſpecialiter ſuo uſui deputata, plus retineant quàm oportet ad honeſtam ſuam ſuſtentationem, pro qualitate miniſtrorum, & miniſterii ſui; certum eſt ex contextu, quòd id dicat de Eccleſiaſticis bonis in quatuor partes diviſis, juxta can. *de redditibus Eccleſiæ* 12. q. 2. ſcilicet in partem Epiſcopi, in partem miniſtrorum Eccleſiæ, in fabricam & cultum Eccleſiæ, & in alimoniam pauperum. Quâ diviſione ſuppoſitâ, videtur S. Thomas in ea eſſe ſententia, quòd Epiſcopus poſſit de parte ſuo uſui deputata diſponere, velut de propriis bonis, cùm dicit: *De his autem quæ ſunt ſpecialiter ſuo uſui deputata, videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de propriis bonis.* Verùm quia non apparet in bonis & cenſibus Eccleſiarum, quomodò fuerit quarta pars relicta pauperibus (ait Petrus Soto de vita Sacerdot. lect. 3.) etiamſi fortè inveniantur hoſpitales domus ex aliquorum

quorum ministrorum misericordiâ ædificatæ, cum sumptibus & reditibus in pauperum usus. Non apparet etiam, quòd distributio illa juxta antiquam Ecclesiæ regulam facta fuerit (non enim volebant antiqua jura minùs dari pauperibus ex reditibus Ecclesiæ, servatâ proportione, quàm ipsis Episcopis.) Nullâ ratione videtur satisfactum pauperibus, nisi cùm reliquæ partes oneratæ manent eleëmosynâ necessariâ, ut minimùm juxta necessitatem pauperum, & propriam facultatem. Unde fatetur S. Thomas suprà dicto loco ad 2. *quòd etsi de his quæ deputata sunt usui ministri, possit aliquid sibi subtrahere, & consanguineis dare, ut non indigeant; id tamen non permittit, ut ditiores inde fiant.* Per consequens non permittit ipsis dare, nisi velut indigentibus, uti nec S. Ambrosius in libro de officiis, in quo se fundat. Dicit enim Ambrosius: *Hæc est approbanda libertas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas; non tamen ut illos ditiores fieri velis, ex eo quod tu potes conferre inopibus.* Ditare namque consanguineos ex bonis ecclesiasticis, alienum est à natura bonorum illorum (prosequitur Soto.) Unde S. Doctor addit loco citato .... *non posse ministrum, qui patrimonialia bona habet, ex redditibus Ecclesiæ vivere, in necessitate vel captivorum, vel pauperum. Ubi verò nulla est necessitas, posset, etiam patrimonium habens, ex Ecclesiæ bonis vivere....* Denique asserit eodem loco B. Thomas, nec thesaurizare Ecclesiæ ipsi, nec ejus facultates augere posse quempiam, quando sunt qui egent. Semper autem sunt: quia *semper pauperes habetis vobiscum.* Quodlibeto verò 6. a. 12. ad 4. dicit, quòd *neque moderatus usus divitiarum, neque bona fides dispensatorum salvari videtur in eo qui scienter superfluas expensas facit in voluptuosis conviviis, & aliis hujusmodi superfluitatibus. Et sic non dubium, quòd in talibus peccat mortaliter*, non solùm contra moderatum divitiarum usum, sed etiam contra bonam fidem dispensatoris; adeòque contra justitiam. Neque enim bona fides dispensatoris salvatur, dum scienter expendit pecuniam ecclesiasticam in iis in quibus expendenda non est. *Ecclesiastica verò pecunia solùm expendenda est in duobus; primò quidem in his quæ pertinent ad cultum divinum, deinde verò in his quæ pertinent ad pauperum sustentationem.* Lect. 5. super cap. 3. in Joan.

310 Ex his omnibus manifestum videtur, Episcopum, & alium quemlibet beneficiatum, teneri ad restitutionem, non solùm eorum, quæ in suos usus impendit ex parte specialiter deputata pauperibus, vel fabricæ, ubi divisio facta esset in quatuor partes, ut suprà, sed & quantitatem, quam in usus superfluos, vel profanos, expendit de parte sibi specialiter deputata, si quantitas illa notabiliter superet eam, quæ satis est ad honestam suam sustentationem (pro qualitate ministri & ministerii) si facta non sit divisio bonorum ecclesiasticorum, vel facta sit, non designatâ pauperibus suâ parte. Cùm enim reliquæ partes tunc maneant oneratæ eleëmosynis pauperum; tunc maximè procedit quod (ex mente S. Thomæ) Cajetanus 2. 2. ad citatam q. 185. ait, reditus manifestè excedentes honestam ministri sustentationem, ipsius bonæ fidei commissos esse, ad finem dispensandi eos in pauperes, id exigente naturâ, seu primævâ institutione bonorum ecclesiasticorum, uti etiam Petrus Soto observat loco citato, posteaquàm expresè declaraverat: *Nos verò sequemur B. Thomam*, &c. Enimverò cùm S. Thomas expresè doceat, Ecclesiasticos non esse dominos absolutos ecclesiasticorum bonorum, sed dispensatores, tenerique ad restitutionem eorum quæ expendunt ex portione destinata fabricæ, ministris vel pauperibus: casu quo in divisione nulla portio specialiter destinata fuerit pauperibus, necesse est quòd reliquæ partes gravatæ maneant onere subveniendi pauperibus: nam (ut ait quodlib. 6. a. 12. ad 3.) secundùm Canones debent dividi hoc modo, ut aliqua pars cedat in usus pauperum; nec id rationabiliùs intelligi potest, quàm sic ut ea saltem quantitas, quæ notabiliter excedit eam quæ convenienti ministrorum sustentationi necessaria est, isto onere gravata sit; nec proinde ministri illius habeant dominium absolutum ab omni onere, sed ad summum dominium gravatum onere proximè dicto. Et sic intellectus S. Thomas secum, & cum sacris Canonibus, sanctisque Patribus consonat; à quibus alioqui dissonaret, nec sibimetipsi concors esset, nec rationi, quæ docet, Authores divisionis bonorum ecclesiasticorum, mutare non potuisse naturam istorum bonorum, nec à suo ea onere eximere, quo ex natura sua, seu primæva institutione facta sunt peculium Christi, pauperumque patrimonia, sicut & ministrorum alimenta, fabricarumque intertinentia; per consequens non potuisse ea integrè applicare ad usum unius partis, vel duarum, aut trium, cum præjudicio partis pauperum; quorum proinde pars, si ipsis specialiter designata fuerit, justitia dictat, ex aliis partibus repetendam esse, & maximè ex ea quantitate, quæ alicui earum notabiliter superflua est. Quam proinde qui vel sibi reservant, vel superfluè expendunt, ad restitutionem tenentur, perinde ac si retinerent sibi, vel expenderent aliquid de parte fabricæ, vel aliorum ministrorum. Hæc fusiùs prosequi necesse fuit, ne tantus Doctor contra id quod n. 309. dixi sentire videretur. Unde (præter dicta) 2. 2. q. 119. a. 11. ad 1. *Clerici* (inquit) *qui sunt dispensatores bonorum Ecclesiæ, quæ sunt pauperum, eos defraudant, prodigè ea expendendo.*

311 Instabis 2°. sequeretur ex dictis, quòd si beneficiati superflua illa expendissent in meretrices, collusores, consanguineos, &c. isti ea restituere tenerentur; utpote stricto jure debita pauperibus: injustè proinde ipsis collata.

Respondeo (cum S. Raymundo & S. Antonino ubi suprà) omninò debere restituere, non illi qui turpiter dedit (ait S. Antoninus) sed authoritate Superioris convertere in utilitatem illius Ecclesiæ, vel pauperibus erogare. Quod postremum fieri debet, ubi pauperibus assignata non est sua portio.

312 Instabis 3°. sequeretur Clericum, qui habet patrimonium sufficiens ad honestam suam sustentationem, tutâ conscientiâ vivere non posse ex parte redituum ecclesiasticorum sibi deputata.

Concedit hanc sequelam Illustrissimus Author Theologiæ Moralis Gratianopolitanæ to. 2. tr. 1. c. 9. se fundans in can. *Clericos* 1. q. 2. ubi ex S. Hieronymo sic habetur : *Clericos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si, quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt, &, per abusionem talium, judicium sibi manducant & bibunt.* Idem sentire videtur S. Prosper, vel potiùs Julianus Pomerius, citatus can. *pastor* ibidem. Et S. Augustinus, relatus cap. fin. 12. q. 1. Ad idem facit cap. *illi* & cap. *ex his* ibidem, & cap. *Sacerdos* 1. q. 2. Concilium quoque Aquisgranense anni 816. reg. 107. dicit: *Illi qui sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, non sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt.* Et Concilium Antiochenum anni 341. can. 25. *Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem..... participet autem & ipse quibus indiget, si tamen indiget.*

313 Contrariam quidem sententiam, velut indubitatam, à Doctoribusque omnibus traditam, amplectitur Prosper Fagnanus in 1. p. libri 3. Decretal. ad cap. *siquis sanè* de pecul. Cleric. Sed reverà non est indubitata, nec Doctorum omnium: cùm sit non solùm Illustrissimi D. Geneti Vasionensis Episcopi, & Eminentissimi Cardinalis Le Camus, Episcopi Gratianopolitani, qui Theologiam Moralem ipsius adoptavit, sed & Dionysii Carthusiani de vita Canon. a. 24. Adriani VI. in 4. de Sacram. Pœnit. Alexandri de Ales (apud ipsum) Van Espen in suo tract. Historico-Canonico p. 3. c. 3. §. 4. Et ex parte Steyartii in Appendice ad Commentaria Joannis Wigers de jure & just. q. 4. Huygenii in doctissimis observationibus suis de justit. c. 12. ubi sic ait : *Clericus sacris & profanis praditus vivere potest ex utrisque, id est ex bonis Ecclesiæ, & proventibus patrimonii; ita ut quod utrisque superfluit, ad sustentationem pauperum, aliosque pios usus expendat.* Enimverò, ut recipi possit Fagnani sententia, „ quibusdam limitationibus restringi debet (inquit Steyartius) non enim eò proroganda licentia, ut qui patrimonium habent, & insuper beneficium, turpi & sordidâ avaritiâ impensam omnem sumentes ex beneficio, reliquum ad usus profanos expendant, vel ad augendos aliquando propinquos, vel hæredes, relinquant. Certum est, hoc turpissimum fore, & ab officio hominis Ecclesiastici prorsus alienum. Igitur Clericus utrisque bonis, sacris & profanis præditus, cum gratiarum actione sacris utetur ad sustentationem, sic ut quod de iis superfluit, ad usus pios expendat. Tum quandoquidem cæteri proventus ei sint futuri omnes superflui, liberalissimè de illis quoque eleëmosynas faciet. " Ita Steyartius, benè quidem; sed meliùs cum Huygenio dixisset, proventus omnes patrimonii, juxta Scripturam & Patres, pauperibus erogandos: utpote omnes superfluos. Fatemur ergo Clericis altario servientibus licitum esse de altario vivere, vel totaliter (si indigent,) vel ex parte, si ex patrimonio divites sint. Imò posse convenientis sustentationis suæ impensam omnem ex beneficio sumere. Dummodò id quod ex utroque superfluit, in usus profanos non expendant, nec ex turpi sordidaque avaritia, officio Clericali indigna, divitibus propinquis, seu hæredibus augendis non reservent. Id enim ipsis licitum non esse, ut minùs probant authoritates n. 311. allegatæ. Probat & generale juris naturalis principium, cui nulla humana consuetudo potest derogare, quòd utique bona, Deo & Ecclesiæ à fidelibus oblata, ad eos fines expendenda sunt, ad quos ea fideles Deo dicarunt, impendique voluerunt. Atqui certum est, ea Deo non dicasse, nec donasse, ut in vanos ac superfluos usus expenderentur, sed ut cum Dei timore, omnique religione, in Dei obsequium, Episcopi utique & Clericorum, Ecclesiæ servientium, decentem sustentationem, templique fabricam, & necessitates pauperum distribuerentur. Ita fuit natura bonorum ecclesiasticorum ante eorum divisionem. Ita quoque mansit eorum natura post divisionem : utpote quæ eorum naturam non mutavit, nec ullâ lege probari potest mutasse. Si eorum naturam non mutavit, in eosdem certissimè fines expendenda sunt post divisionem ac ante. Fatetur verò Fagnanus, ante divisionem (quæ facta fuit sub initium vel medium sæculi quinti, prout ex epistolis Summorum Pontificum Simplicii & Gelasii ostenditur) talem fuisse eorum naturam, ut Episcopis & Clericis non liceret ex solis ecclesiasticis bonis vivere, si ex patrimonio divites fuissent, nisi saltem hoc compensassent, superflua patrimonii in pauperes erogando. Igitur nec hoc licet post divisionem. Et ideò adhuc hodie, si de altario vivere velint (uti possunt)

sunt) saltem hoc compensare debent, patrimonii superflua Deo in persona pauperum largiendo, ut saltem hoc modo æquivalenter obtineantur dicti fines, verificenturque sanctorum Patrum sententiæ ac Canones. Quibus profectò non derogavit Tridentinum, nec Jus Canonicum, dum insinuavit, Clericos ecclesiasticorum bonorum fructus facere suos, sive eorum acquirere dominium. Quia fructus facere suos, eorumque acquirere dominium, ad sensum Juris Canonici, & Tridentini, nihil aliud est, nisi habere potestatem applicandi fructus ad suos usus, salvis salvandis ut suprà: non est proinde eorum habere dominium absolutum, sed ad summum vinculatum, nec potestatem disponendi de illis ad omnem usum, sed ad dictos fines dumtaxat. Quod si rectè expenderetur, servareturque, non tam multi in Ecclesiæ munia malè intrarent, nec Clerici divites, imò nec divites Laïci felices prædicarentur, sicut eos prædicat mundus: cùm in magnis versentur periculis, si divitias suas secundùm Evangelium non impendant.

314 Objicies 3°. Donatio quantitatis notabiliter excedentis eam, quæ necessaria est ad honestam Clerici sustentationem, ab ipso facta, etiam per ultimam voluntatem, est valida, etiamsi facta sit consanguineis, non pauperibus. Ergo quantitas illa stricto jure non est pauperum.

Respondeo esse validam coram hominibus, & in foro externo; sed in foro interno, & coram Deo, non sic esse validam, ut donatarius in quantitatem illam acquirat dominium absolutum ab onere eam restituendi pauperibus. Quia, ut benè Cabassutius in Juris Canonici Theoria & Praxi l. 2. c. 24. quæ fuerunt onera & obligationes reales defuncti, transeunt ad hæredes, &, in ejusmodi, defunctus & hæres una eademque persona censentur; idemque jus subire compelluntur cap. *is qui* de reg. jur. in 6. Et *L. qui in jus* ff. cod. Et unaquæque res ad quemcumque transit, transit cum suo onere cap. *ex litteris* de pignor. Et L. *si debitor* c. de distract. pignor. Et L. *alienatio* ff. de contrah. empt. Atqui Ecclesiæ reditibus, tamquam Dei rebus, ex natura sua, primævaque institutione, annexa est realis obligatio, ut in pios usus impendantur, quorum unus est sustentatio pauperum, ut in superioribus est demonstratum. Igitur ad quemcumque transeunt, cum isto transeunt onere: quia videlicet transeunt secundùm quod sunt, tamquam utique Dei res, tamquam pretia peccatorum, tamquam Crucifixi & pauperum patrimonium.

315 Objicies 4°. Clericis favet consuetudo Ecclesiæ bona, usibus ipsorum deputata, in quoscumque usus, etiam profanos, impendendi, etiam quantitatem honestæ suæ sustentationi superfluam. Quam sequendo si securi non essent in conscientia, pars magna ipsorum certò damnaretur.

Respondeo consuetudinem illam non excusare, cùm manifesta sit corruptela: utpote sacris Canonibus, sanctis Patribus, rectæque rationi manifestè contraria; ab iis proinde fugienda, qui animas suas salvare volunt, juxta illud Clementis Alexandrini in orat. adhortat. ad Gent. *Fugiamus consuetudinem, fugiamus tamquam scopulum difficilem, aut charybdis minas, aut fabulosas syrenes: suffocat hominem, à veritate avertit, abducit à via. Est laqueus, est barathrum, est malum ventilabrum consuetudo.* Rationem dat Concilium Suessionense III. anni 866. quia *mala consuetudo, quæ non minùs quàm pernicioſa corruptela vitanda est, nisi citiùs radicitùs evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur, & incipiunt prævaricationes, & variæ præsumptiones, celerrimè non compressæ, pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari.* Et ideò Concilium Mediolanense n. 306. laudatum declarat, beneficiatos teneri satisfacere oneribus, quibus bona ecclesiastica ex natura sua, juxta sacros Canones, & sanctorum Patrum sententiam, subjacent. Aliàs sacrilegii crimen, & restitutionis obligationem incurrere, si ad alios usus ea expenderint; *neque ullâ omninò, etiam immemorabili consuetudine excusari.*

Objicies 5°. Consuetudinem illam tolerare, & tolerando probare videtur Ecclesia. 316

Respondeo id à veritate prorsus alienum esse: cùm, eâ consuetudine non obstante, sacrorum Canonum ordinationem renovarit Concilium Tridentinum, sicut & Concilium Mediolanense proximè citatum. Enimverò *cùm sit sacris Canonibus inimica, à nobis non approbatur, licèt præ multitudine delinquentium à nobis emendari non possit*, inquit Alexander III. cap. *cùm non ignores* de præbend. Qui etiam cap. *cùm jam dudum* eod. titulo ait: *Multa per patientiam tolerantur, quæ, si deducta fuerint in judicium, exigente justitiâ à nobis non debeant tolerari.*

Objicies 6°. Multorum Authorum opinio est, beneficiatos ex sola charitate teneri superflua in pios usus erogare.

Respondeo opinioni illi contrariam, ex sacris Canonibus, Patribus, ratione, & præcipuis Doctoribus probatam, prævalere. Sed quidquid de eo sit, rectè Bellarminus monet, *perinde esse, sive ex defectu charitatis, sive ex defectu justitiæ beneficiati ad inferna descendant.* 317

Objicies 7°. Authores non deesse, qui charitatis ad hoc obligationem negant. 318

Respondet Dionysius Carthusianus ubi suprà, sanctorum Patrum sententiis stari securiùs, quàm aliorum aliter opinantium. Quorum opinio probabilis non est, nec secura, utpote divinæ Scripturæ, sacris Canonibus, & sanctis Patribus manifestè contraria. Et idem dicendum 1°. de opinione

Hurtadi de Mendoza apud Dianam p. 5. tr. 8. resol. 37. aientis, Episcopum habentem annuorum redituum 30. millia, si decem millia in opera pia distribuat, posse de aliis 20. millibus abundè communicare consanguineis, absque ullo scrupulo. Hoc enim non solùm Episcopis, & quibuscumque beneficiatis, sed ipsis quoque Cardinalibus omninò interdicit Tridentinum sess. 25. c. 1. de reformat. *Cum & Apostolorum Canones prohibeant* (inquit) *ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent..... Imò, quàm maximè potest, eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitùs deponant.*

319 Idem censeo de opinione Sanchez & Escobarii, qui tr. 5. exam. 5. c. 5. in praxi sic habet: *Lucrantur Clerici ratione alicujus ministerii, v. g. pro Missis dicendis, concionibus, comitandis defunctis, administrandis Sacramentis, &c. tenenturne de iis, ut de superfluis, eleëmosynam facere? Ex Sanchez. doctrina assero non teneri, etiamsi ad illa ministeria ratione officii obligarentur. Quia quasi patrimonialia bona reputantur.* Nihil quippe ex ministeriis illis mercedis loco sperare possunt; sed stipendium vitæ dumtaxat. Cùm nihil aliud ministris Evangelii Paulus accipere permittat, nisi ex altari victum & amictum, & quisquis sibi ex sacris ministeriis temporalem mercedem ultra necessaria stipendia ad vitam, pro personæ modo ex christiana disciplina decenter obeundam, exigit, ministerium suum dedecorat, simoniacumque animum gerit. Vendit enim ministeria illa, dum temporale aliquid ex iis per modum mercedis exigit, contra id quod S. Augustinus l. de Pastoribus ait: *Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino.... Non expectent illi mercedem, nisi & isti salutem.* Et Julianus Pomerius l. 2. de vit. contemplat. c. 10. *Qui Ecclesiæ serviunt, & labore suo velut debita reddi oportere credentes, ea quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt, si putant quòd Ecclesiæ fideliter servientes, stipendia* (id est præmia) *terrena, ac non potiùs præmia æterna percipiant.... Unde satis indignum est, si fidelis & operosa devotio Clericorum, propter stipendium temporale, præmia sempiterna contemnat. Quòd si quilibet minister Ecclesia non habeat unde vivat, non ei præmium reddat hîc, sed ei necessaria præstet Ecclesia, ut in futuro præmium laboris sui recipiat.*

320 Eandem ob rationem prorsus improbanda est alia opinio, quâ Sanchez Consil. Moral. l. 2. c. 2. dis. 38. n. 16. dicit, quòd *si Clericus dignissimâ sui laboris & industriæ, impensæ in Ecclesia regimine, mercede plus meretur, quàm ad decentem suam sustentationem opus sit* (*ut si, ultra debitum, exercet in sua Ecclesia munera, quæ stipendium merentur, ut prædicare, audire confessiones, &c.*) *potest ex superfluo redituum deducere aliquam quantitatem, quam plus suo labore meretur, & de illa perinde disponere ac de bonis patrimonialibus..... Quia dignus est mercenarius mercede suâ.* Illud enim *plus* (decenti suæ sustentationi superfluum) sibi retinendo, non velut vitæ stipendium, sed sicut mercedem, de eaque ut tali disponendo perinde ac de patrimonio, simoniacus est, saltem mente, ut probatum est.

Nec magis probanda est alia opinio, quâ 321
ibidem D. 43. dicit, *probabilius esse, ea qua Clerici, fraudantes genium suum, corraserint, posse sicut bona patrimonialia dispendere.* Tum quia docet parcè & frugaliter vivere, non propter Christum, sed propter sæculum, videlicet ad consanguineos ditandos. Tum quia sacra ministeria avaritiæ labe polluit. Et ideò S. Thomas 2. 2. q. 185. a. 7. ad 2. cum S. Ambrosio Clericis permittit quidem, *ea quæ sibi subtraxerint, consanguineis erogare, ut non indigeant; non autem ut divites inde fiant.* Et S. Ambrosius (apud ipsum) *Est illa probanda liberalitas* (inquit) *ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas..... Non tamen ut illi diviores eo fieri velint, quod tu potes conferre inopibus.... Neque enim propterea te Domino dicasti, ut tuos divites facias; sed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miserationis peccata redimas tua*, per eleëmosynam utique. Igitur bona illa subtracta, in eleëmosynas impendenda esse docent Ambrosius & S. Thomas.

CAPUT XXXI.

Eleëmosynæ præcepto non satisfit, proximi necessitatem (dum simpliciter est pauper) sublevando per mutuum.

PRobatur, quia mutuum propriè non est 322
eleëmosyna. Præcepto verò eleëmosynæ non satisfit, nisi per eleëmosynam propriè dictam, de qua intelligendum est præceptum illud, tot sacris oraculis expressum: utpote quæ propriè, non figuratè exponenda sunt, secundùm regulam generalem exponendi oracula sacra.

Et confirmatur 1°. quia iisdem oraculis 323
eleëmosynæ præceptum accuratè distinguitur à præcepto dandi mutuum. Illud enim sic exprimitur: *Quod superest, date eleëmosynam*; istud verò sic: *Date mutuum, nihil inde sperantes.*

2°. quia si mutuum foret eleëmosyna, di- 324
vites censerentur eleëmosynam petere, dum mutuum petunt. Quod alienum est à communi omnium sensu.

Nec refert, quòd eleëmosynæ finis sit 325
sublevatio necessitatis proximi: hæc verò per mutuum sublevetur. Neque enim sub-

levatur eo modo, quo præcipitur per eleëmosynæ præceptum. Unde quemadmodùm jejunii Ecclesiastici præcepto non satisfit per cilicium, tametsi finis istius præcepti sit corporis maceratio, & hæc æquè fiat cilicio, quàm jejunio. Quia præcepto isto non præcipitur corporis maceratio quomodocumque facta, sed facta per jejunium. Ita similiter, &c.

326 Dixi, dum proximus est *simpliciter pauper*. Si enim non sit simpliciter talis, sed secundùm quid dumtaxat, v.g. pecuniâ indigens in hoc loco, dives in alio; respectu ipsius non urget eleëmosynæ præceptum; ideòque sufficere videtur ipsum juvare per mutuum.

CAPUT XXXII.

Uxor, absque expresso mariti consensu, non potest de dote, bonisque communibus, facere eleëmosynas magnas, quibus familia valdè incommodaretur, saltem extra proximi necessitatem extremam.

327 ITa S. Thomas 2. 2. q. 32. a. 8. ad 2. communiter receptus. Et probatur, quia licèt uxor sit socia viri, eique æqualis in actu matrimonii; ad ipsam tamen (secundùm leges) non pertinet administratio bonorum illorum, sed ad virum, qui caput est mulieris, & ita quidem, ut *sicut Ecclesia subjecta est Christo; ita & mulieres viris suis in omnibus.* Ephes. 5.

328 Et ideò S. Augustinus epist. 199. nunc 262. arguit Ecdiciam maritatam, quæ de ejusmodi bonis, absque scitu & consensu mariti, disposuerat summam notabilem in eleëmosynas: quia, inquit, *mulieribus conjugatis non licet dicere, facio quod volo de meo: cum & ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est viri:* ipsamque alloquens, jubet ut à marito petat veniam: *Scribe ad eum satisfactionem, petens veniam, quia in eum peccasti, quòd præter ejus consilium & voluntatem de rebus tuis fecisti, quod faciendum putasti.*

329 Dixi 1°. *notabilem summam.* Potest namque sine expresso viri sui consensu erogare eleëmosynas vulgares, modicas, iisque similes, quas aliæ suæ conditionis solent communiter erogare. Cùm hoc pertineat ad decentiam statûs ipsius, nec maritus in eo possit esse rationabiliter invitus. Debet enim ipsam decenter tractare: utpote sociam, non ancillam. Ita Doctores communiter, addentes, quòd maritus non ideò statim judicandus sit absolutè nolle, quòd de eo subinde conqueratur. Tum quia ideò plerumque mariti conqueruntur, quia timent, ne, si fileant, excedat uxor, indiscretas eleëmosynas dando. Tum quia mariti quidam adeò morosi sunt, & uxoribus molesti, ut de omnibus ferè conquerantur. Tum denique quia, ut S. Raymundus advertit, solent mariti facere prohibitionem uxoribus absolutè, ut sic temperent eas, non à toto, sed ab excessu.

Dixi 2°. *extra necessitatem extremam.* In 330
ea quippe, si maritus non det, ipsa intrepidè dare potest & debet. Aliàs peccaret. Ita S. Raymundus l. 11. tit. de furt. §. 9. post S. Thomam loco citato.

Si etiam maritus absens fuerit, vel mentis 331
impos, vel uxori administrationem bonorum concesserit, vel si (ultra dotem sufficientem viro allatam) aliquod lucrum (non deserendo familiæ curam) arte vel industriâ lucretur, vel habeat bona paraphernalia (id est sibi, ultra dotem, à parentibus aut aliis in usus suos donata) ex iis eleëmosynam, inconsulto, imò invito marito, erogare potest. Ita S. Thomas, & S. Raymundus ibidem, qui id probat ex L. *hac lege* C. de pactis conventis.

Sunt etiam qui docent, posse, irrequisi- 332
to mariti consensu, de bonis communibus moderatas eleëmosynas facere pro mariti conversione, vel avertenda æterna temporalivè ipsius punitione, exemplo Abigail 1. Reg. 15. Et generaliter ubi maritus tenetur, nec facit. Si tamen inde prævidentur grandes rixæ domesticæ, vel alia inconvenientia magna, imprudenter ageret uxor, mariti avaritiam supplendo, vel etiam jure suo utendo. Meliùs proinde faceret, Deo tunc bonam voluntatem suam offerendo, istaque inconvenientia ex charitate, quam familiæ suæ debet, evitando.

Extra istas quoque circumstantias, in quibus maritus ex avaritia debitas omittit eleëmosynas, videtur esse licitum uxori, earum medietatem invito marito facere, quas cum ipso facere deberet. Quia lex de necessitate consensûs mariti, in quantum provenit ex jure positivo, videtur cedere legi naturali de faciendis eleëmosynis, ex bonis, quorum medietas ad ipsam pertinet, dum maritus est irrationabiliter invitus. Cùm jus positivum, non solùm in ista materia, sed & in aliis multis obligare desinat, dum jus naturæ contrarium exigit. Idque locum habere videtur etiam in patria Leodiensi, in qua dominium omnium bonorum familiæ competit viro. Quia positivæ leges patriæ Leodiensis sic videntur intelligendæ, ut uxor, absque viri consensu, bona familiæ alienare, vel de iis disponere non possit, extra casus, in quibus naturæ lex ad id obligat: sed non sic, ut de iis, tamquam communibus bonis, uxor vivere non possit, nec de iis eleëmosynas facere, ad quas naturæ lex obligat, saltem quoad medietatem, quæ isto casu considerari potest ut pertinens ad uxorem. Et quis Theologus uxorem isto casu argueret culpæ gravis? Levem verò culpam abstergeret charitatis affectus, piam animam tunc movens ad eleëmosynas illas. Quis enim nisi Spiritus pietatis & charita-

tis ipsam moveret ad largiendum sua? Hoc tamen dictum sit salvo meliori judicio.

CAPUT XXXIII.

Non sola corporalis eleëmosyna præcepta est, verùm & spiritualis, signanter correctio fraterna.

333 CUm proximi necessitates aliæ spirituales sint, corporales aliæ, quemadmodùm corporaliter ipsi debemus subvenire; ita & spiritualiter. Modos varios suggerit Augustinus Enchirid. c. 72. hisce verbis: *Non solùm qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrino hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medicinam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuique necessarium est indigenti; verùm etiam & qui dat veniam petenti, eleëmosynam dat, & qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coërcet aliquâ disciplinâ, & peccatum ejus, quo ab illo læsus est, aut offensus, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur; non solùm in eo quòd dimittit atque orat, verùm etiam in eo quòd corripit, & aliquâ emendatoriâ pœnâ plectit, eleëmosynam dat: quia misericordiam præstat.* Multa enim bona præstantur invito, *quando eorum consulitur utilitati, non voluntati: quia ipsi sibi inveniuntur esse inimici; amici verò eorum potiùs illi quos inimicos putant, & reddunt (errando) mala pro bonis, cùm reddere mala Christianus non debeat pro malis. Multa itaque sunt genera eleëmosynarum, quæ cùm facimus, adjuvamur ut dimittantur nobis nostra peccata.*

334 Est itaque correctio fraterna, spiritualis eleëmosyna, quâ quis proximum, per secretam admonitionem, ex affectu charitatis, revocare conatur à peccato, in quantum est ei nocivum. Ita S. Thomas q. 33. a. 1. dicens, quòd *correctio, qua adhibet remedia peccato, in quantum est quoddam malum ipsius peccantis.... est propriè fraterna correctio, quæ ordinatur ad emendationem delinquentis.* Quòdque *fraterna correctio est actus charitatis: quia per eam repellimus malum fratris, cujus remotio tantò magis pertinet ad charitatem, quàm etiam remotio exterioris damni, vel etiam corporalis nocumenti, quantò contrarium bonum virtutis magis affine est charitati, quàm bonum corporis, vel exteriorum rerum.*

335 Spiritualis ista eleëmosyna cadit sub præcepto naturali & divino. Naturali quidem, tum quia comprehenditur sub præcepto naturali dilectionis proximi: utpote quem verè ac sincerè non diligit, qui non vult ipsi bonum vitæ æternæ, peccatumque ab ejus consecutione prohibens ab ipso non removet, cùm potest. Quisquis verò lethaliter peccantem non corripit, *ubi debet, & quando debet, & secundùm quod debet* (ut loquitur S. Thomas) verè ac sincerè non vult ipsi bonum vitæ æternæ, nec peccatum ab eo excludens removere: cùm nec bonum illud pro posse procuret, nec peccatum removeat. Tum quia innata ratio dictat, non minùs, imò magis subveniendum esse proximo in necessitate spirituali, quàm corporali.

Quòd cadat etiam sub speciali præcepto 336
divino, constat ex Matth. 19. *Si peccaverit in te* (id est coram te, seu te sciente, uti S. Thomas exponit quodlib. 11. a. 12.) *frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Verbis quippe istis præceptum contineri, communis est traditio sanctorum Patrum, Chrysostomi homil. 62. Basilii in reg. brevior. ad interrog. 47. Augustini serm. 16. nunc 82. de verb. Dom. c. 7. Gregorii Magni l. 4. epist. 56. Ambrosii, Hieronymi, &c.

CAPUT XXXIV.

Declaratur quando facienda sit correctio.

SApienter observat S. Thomas a. 2. quòd 337
actus virtutum non quolibet modo fieri debent, sed observatis debitis circumstantiis, quæ requiruntur ad hoc quòd sint actus virtuosi, ut scilicet fiat ubi debet, & quando debet, & secundùm quod debet. Quia verò inter istas circumstantias præcipuè attendenda est ratio finis... correctio autem fraterna ordinatur ad fratris emendationem; ideò hoc modo cadit sub præcepto, secundùm quod est necessaria ad istum finem; non autem ita quòd quolibet loco vel tempore frater delinquens corrigendus sit. Sunt tamen & alii fines propter quos facienda proximi correctio, uti explicabitur n. 338.

Certæ itaque conditiones ac circumstan- 338
tiæ requiruntur ad obligationem hujus præcepti. Prima est nota tibi necessitas proximi, dum utique scis, aut valde probabiliter cognoscis, proximum peccasse, nec emendaturum se, nisi corrigatur. Quemadmodùm enim corporalis eleëmosynæ præceptum non obligat, nisi dum proximus est in necessitate ejus corporali; ita nec eleëmosynæ spiritualis præceptum obligat, nisi dum proximus est in necessitate ipsius spirituali. In qua non est respectu mei, dum prudenter credo proximum, utpote timoratæ conscientiæ, suapte sponte se emendaturum, vel emendandum per alium, v. g. per Confessarium, vel Superiorem.

Secunda conditio est utilitas correctio- 339
nis. Ad quam dijudicandam scire par est, obligationem correctionis proximi ex quatuor capitibus oriri posse. Primum est honor Dei, in circumstantiis, in quibus ipsius conservationi specialiter providere tenemur. Secundum est emendatio proximi, uti ex S. Thoma dixi n. 336. Tertium ca-

put est ex parte nostra, ne per interpretativum consensum nostrum unquam communicemus operibus infructuosis, seu peccatis alienis, tacendo ubi loquendum est. Quartum est ex parte aliorum, qui probabiliter scandalizarentur, sive in peccatum inducerentur, si non corriperetur ille, qui coram ipsis peccat. Neque enim solius peccantis saluti consulere debemus, quantùm in nobis est, sed & illorum, quos in peccatum traheret malum exemplum ipsius. Dum ex solo secundo capite oritur correctionis obligatio, procedit doctrina S. Thomæ citata q. 33. a. 6. *Ubi probabiliter æstimatur, quòd peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, est ab ejusmodi admonitione desistendum. Quia ea quæ sunt ad finem, debent regulari secundùm quod exigit ratio finis.* Ad idem referuntur verba ista velut Augustini cap. *siquis* de pœnit. dist. 7. *Si scirem non tibi prodesse, non te monerem.* Sed Augustini non sunt. Imò homil. 41. ex 50. (ex qua ibi referuntur) prorsus ex adverso dicit: *Si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem.* De correctione tamen fraterna hoc non dicit (prout alibi me dixisse memini) sed de absolutione data iis, qui pœnitentiam differunt usque ad mortem; qui ne tunc quidem eam facere solent, nisi moneantur, terreanturque. De iis dicit Augustinus, se nescire, an tunc verè agant pœnitentiam; nec proinde an prosit ipsis absolutio. Et tunc subjungit: *Si scirem tibi prodesse absolutionem tunc datam, non te admonerem, non te terrerem*, id est non tibi ita exaggerarem pericula differendi pœnitentiam ad tempus ultimæ infirmitatis. Meliùs ergo ad intentum laudantur verba ista Augustini ex lib. 1. de Civit. Dei c. 4. *Si propterea quisque objurgandis & corripiendis malè agentibus parcit, quia opportunum tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur.... videtur hoc consilium charitatis.* Et ideò Proverb. 9. scriptum est: *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Et Matth. 7. *Margaritas vestras nolite spargere ante porcos.* Hac proinde in re imitandi sunt Medici, qui opportunum tempus expectant, nec medicinam adhibent, dum ex ea magis timent nocumentum, quàm sperent profectum.

340 Non ideò tamen omittenda est correctio delinquentis, dum ex nunc quidem creditur futurus deterior, sed spes probabilis est, quòd posteà ad se rediens, sit se emendaturus. Quia tunc finis correctionis obtinetur, ut benè Sylvius hìc post S. Thomam in 4. dist. 19. q. 2. a. 2. Simile est in Medico, qui medicinam adhibere non omittit infirmis, licèt hìc & nunc multùm reclamantibus, nec hìc & nunc sanandis, dum equidem sperat medicinam illam posteà profuturam. Neque ista spes rara, sed frequens est. *Solet enim fieri, & frequenter accidit* (inquit Augustinus epist. 87.) *ut ad horam contristetur, cùm reprehenditur, & resistat, & contendat; posteà consideret cum silentio, ubi nemo est, nisi Deus & ipse... & deinceps non faciat illud, in quo justè reprehensus est.*

Porrò, an proximi *emendatio expectari probabiliter possit, aut non, facilè adverti poterit* (inquit S. Thomas ibidem a. 3. quæstiunc. 1. ad 2.) *si consideretur, utrùm aliquis ex electione, vel passione peccaverit, sive ex malitia, vel infirmitate.... Quod quidem perpendi potest ex conditione peccantis, & ex iteratione actûs. Quia si aliquis frequenter, & quasi improhibitè sine fræno in aliquod peccatum lapsus est; signum est, quòd ex malitia vel electione peccat, & non facilè emendatur. Si autem semel, occasione peccandi oblatâ, in peccatum ruit, & posteà tristitiam & verecundiam de peccato ostenderit; signum est quòd sit peccatum ex passione, vel ex infirmitate, & quòd de facili emendetur.* 341

Verùm enimverò dum ex primo capite, 342
divini scilicet honoris conservandi, provenit obligatio correctionis (uti contingit in peccatis blasphemiæ, juramentorum enormium, irreverentiarum in Templis, &c.) omittenda non est correctio, etiamsi nullus fructus expectaretur ex parte delinquentis. Quia finis ipsius tunc principaliter non tam est ipsius emendatio, quàm conservatio vel compensatio quædam divini honoris, læsi per irreverentiam Deo illatam. Ad quam coarguendam quilibet Christianus ex zelo divini honoris non minùs obligatur, quàm quilibet subditus ad coarguendum crimen læsæ Majestatis, vel quilibet filius ad non dissimulandam dilacerationem injustam famæ parentis sui, coram se factam. Unde Leo X. cum Concilio Lateranensi statuit, ut *quicumque blasphemantem audierint, eum verbis acriter objurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse continget, eumque deferre ad Judicem Ecclesiasticum, seu sæcularem.* Quod & sancitum est in Conciliis Mediolanensi I. Avenionensi c. 58. Tholosano c. 13. Principaliter verò ad id tenentur, quibus ex officio incumbit Dei honorem tueri, prout generaliter incumbit Ecclesiasticis.

Dum ex quarto etiam capite correctio- 343
nis exurgit obligatio, & per eam speratur avertendum aliorum scandalum, prætermittenda non est, tametsi delinquens per eam non speretur se emendaturus. Quemadmodùm enim tenemur proximum delinquentem reprehendere, dum spes est emendationis ipsius; ita & dum speratur delictum ipsius aliis præsentibus non nociturum, si corrigatur; nociturum, si non corrigatur. Neque enim charitas minùs obligat nos ad avertendum spirituale nocumentum aliorum, dum possumus, quàm spirituale nocumentum ipsiusmet delinquentis.

Denique dum obligatio correctionis ex 344

tertio proficiſcitur capite, dum ſcilicet qui non corrigit, vel non redarguit, approbare cenſetur, ſatis quiſque videt, ideò omittendam non eſſe, quòd nullus fructus expectetur ex parte delinquentis. Quia numquam equidem licet approbare delictum ipſius, ne interpretativè quidem. Propterea namque ſcriptum eſt: *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, ſed magis redarguite.* Epheſ. 5. 11. Et, *digni ſunt morte, non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Rom. 1. 32.

345 Interpretativè verò approbare, ſeu conſentire cenſetur qui non redarguit, iis in peccatis coram ſe commiſſis, in quibus timorati omnes, qui non conſentiunt, redarguendo diſplicentiam ſuam, ſeu repugnantiam manifeſtare ſolent, ut in peccatis, & dictis venereis, quæ ſine manifeſtato reniſu, vel diſplicentia, videre vel audire periculoſum eſt. Similiter iis annuere cenſetur, qui omiſsâ correctione (ſub prætextu fructûs non ſperati) ſubrident delinquentibus, vel eos laudant in eo quod ſe malè feciſſe, vel facturos eſſe narrant. Quod profectò eſt ipſos in peccato fovere.

346 Tertia conditio requiſita ad hoc, ut obliget præceptum fraternæ correctionis, dum unicus finis ipſius eſt fratris emendatio, eſt capacitas eam faciendi diſcretè, & fructuosè. Quemadmodùm enim nemo tenetur ad eleëmoſynam corporalem, ſine capacitate ad dandum; ita nec ad elëemoſynam ſpiritualem. Et ideò noti peccatores alios corrigere non debent, niſi priùs emendati, ſecundùm illud Iſidori lib. 3. de ſummo bono c. 32. *Non debet vitia aliorum corrigere, qui eſt vitiis ſubjectus.* Tales namque ordinariè timere debent, ne ipſis reponatur: *Medice, cura teipſum.* Luc. 4. Et: *Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo.* Matth. 7. Ubi dicit Hieronymus, quòd *Dominus de his loquitur, qui cùm mortali crimine detineantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt.* Nec tales ordinariè præſumuntur ex charitate corrigere. Quia, ut Chryſoſtomus ibidem, *in quo propoſito alium corrigis? non ex charitate, ut ſalves proximum tuum: quia teipſum antè ſalvares. Vis ergo non alios ſalvare, ſed per bonam doctrinam malos actus celare, & ſcientiæ laudem ab hominibus quærere.*

447 Propterea Auguſtinus in l. de ſerm. Dom. in mont. (apud S. Thomam q. 33. a. 5.) *Accuſare vitia* (inquit) *officium eſt bonorum virorum, & benevolorum: quod cùm mali faciunt, alienas partes agunt.* Si tamen id facerent cum humilitate, dicentes, ſe id facere, ne frater in eamdem ſecum ruinam cadat, benè facerent. Rarò tamen fructuoſa erit correctio, niſi præceſſerit ipſorum emendatio. Quâ ſecutâ, alteri, ſuum ipſi peccatum improperanti, reponere poterit: *Qui ſecutus es errantem, ſequere pœnitentem.* Non ſecutâ verò emendatione, *alium non objurgemus* (ait Auguſtinus in eod. lib.) *ſed congemiſcamus, & ad æqualiter conandum invitemus.*

Scrupuloſi etiam idonei non ſunt ad alios 348
corrigendos. Quia ſicut peccatores idonei non ſunt ad corrigendum fructuosè; ita nec ſcrupuloſi ad corrigendum diſcretè. Et alioqui perpetuis vexarentur anxietatibus, utrùm hîc & nunc corrigere deberent. Unde valdè frequenter indiſcretè corrigerent, indeſinentique ſeipſos gehennâ cruciarent, non ſine periculo ſtultitiæ, ita ut vix auderent cum aliis converſari, ne ipſorum intereſſent actionibus, vel ſermonibus, præiſtius obligationis timore, quo indeſinenter ſtimularentur, ubi non eſſet timor. Et propterea Confeſſarius, ut ſpiritualis Medicus, Deique vices gerens, debet ipſos, velut incapaces, ab iſta obligatione immunes ex parte Dei declarare, præterquàm in caſibus extraordinariis, vel criminibus in oculos ſalientibus, nulloque unquam prætextu excuſabilibus.

Quarta conditio eſt ut correctio fieri poſ- 349
ſit abſque notabili incommodo ſpirituali, uti de ſcrupuloſis proximè dictum eſt. An etiam ut fieri queat abſque notabili incommodo temporali? Varii Doctores affirmant. Verùm cùm eleëmoſyna corporalis interdum ſub obligatione ſit, cum notabili diſpendio eam dantis, in extrema ſcilicet, gravique proximi neceſſitate (prout in ſuperioribus oſtenſum eſt) idem procul dubio de eleëmoſyna ſpirituali dicendum. Unde Auguſtinus l. 1. de Civit. Dei c. 9. illud eſſe culpabile dicit, *quòd hi qui diſſimiliter vivunt, & à malorum factis abhorrent, parcunt tamen peccatis alienis, quæ dedocere aut objurgare deberent, dum eorum offenſiones cavent, ne ſibi noceant in his rebus, quibus licitè boni atque innocentes utuntur, ſed cupidiùs quàm oportebat.... Non ſolùm quippe infirmiores fratres, vitam ducentes conjugalem.... multa temporalia, multa terrena libenter adipiſcuntur, & moleſtè amittunt, propter quæ non audent offendere homines, quorum ſibi vita contaminatiſſima & conſceleratiſſima diſplicet; verùm etiam hi qui ſuperiorem vitæ gradum tenent, nec conjugalibus vinculis irretiti ſunt.... plerumque ſuæ famæ ac ſaluti conſulentes, dum inſidias atque impetus malorum timent, ab eorum reprehenſione ſeſe abſtinent. Et quamvis non in tantum eos metuant, ut ad ſimilia perpetranda quibuſlibet eorum terroribus atque improbitatibus cedant; ea tamen ipſa, quæ cum eis non perpetrant, nolunt plerumque corripere, cùm fortaſsè poſſint aliquos corrigere, ne, ſi non potuerint, ſua ſalus* (corporalis) *ac fama in periculum exitiumque perveniat; nec eâ conſideratione, quâ ſuam famam ac ſalutem vident eſſe neceſſariam utilitati erudiendorum hominum; ſed eâ potiùs infirmitate, quâ delectat lingua blandiens, & humanus dies, & reformidatur vulgi judicium, & carnis excruciatio, vel*

vel peremptio ; hoc est propter quædam cupiditatis vincula, non propter officia charitatis. Non mihi itaque videtur hæc parva esse causa, quare cum malis flagellentur & boni, quando Deo placet perditos mores etiam temporalium pœnarum afflictione punire. Flagellantur enim simul, non quia simul agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam, non quidem æqualiter, sed.... quam boni contemnere deberent, ut illi correpti atque correcti consequerentur æternam.

350 Hinc S. Thomas hîc a. 2. ad 3. concludit, quòd *prætermittitur fraterna correctio cum peccato mortali, quando formidatur judicium vulgi, & carnis excruciatio, & peremptio (ut Augustinus dicit) dum tamen hæc (fama scilicet & corporalis vita) ita dominentur in animo, quòd fraternæ charitati præponantur. Et hoc videtur contingere, quando aliquis præsumit de aliquo delinquente probabiliter, quòd eum posset à peccato retrahere, & tamen propter timorem, vel cupiditatem prætermittit.* Rationem dat in 3. dist. 29. a. 8. quæsito 2. ad 2. quia *cùm scimus fratrem posse liberari per mortem corporis à morte animæ, sine periculo animæ nostræ, tunc tradere animam pro fratribus, non est perfectionis tantùm, sed necessitatis.*

351 Si itaque delinquens credatur finaliter liberandus à morte animæ, si corripiatur, in peccato alioqui moriturus, tenentur (etiam ii quibus non incumbit ex officio, prout incumbit Prælatis, Pastoribus, & patribus-familias) in ea extrema necessitate ipsum corripere cum propriæ vitæ periculo. Ita Sylvius hîc a. 2. quæsito 6. In necessitate verò gravi ad id cum periculo vitæ tenentur (inquit) Prælati, patresfamilias, & Pastores; non ii quibus ex officio non incumbit. An saltem ad id ipsi non tenentur cum gravi temporalium detrimento? Negative respondet cum Soto, Bannez, Navarro, Valentia, Maldero. Sed cur minùs, in gravi necessitate spirituali, proximo succurrere tenentur, cum gravi temporalium detrimento, quàm in gravi necessitate corporali, vel temporali? Dispar ratio non apparet, nisi pro quanto in spirituali necessitate sibiipsi peccator succurrere potest; non pauper in corporali.

352 Quidquid de eo sit, ex dictis satis quisque conspicit, admittendum non esse quod Granadus, Arsdekinus, Sa, & Valentia aiunt, rarò committi à privatis peccatum mortale per omissionem correctionis. Cùm non minùs frequens sit gravis obligatio fraternæ correctionis, dum probabiliter creditur futura utilis, quàm gravis obligatio eleëmosynæ spiritualis.

353 Non est etiam admittendum quod Castropalao dicit, à mortali excusari, qui correctionem omittit ex magno pudore humano. Quippe obstant Augustinus & sanctus Thomas n. 349. & 350. laudati. Obstat & ratio manifesta: quia humanus ille pudor omninò postponendus est spirituali lucro animæ proximi, secundùm ordinem amoris. Nec à correctione magis excusare potest, quàm timor obloquii, vel derisionis, aut judicii vulgi, de quo Augustinus suprà. Denique pudor ille non magis, imò minùs excusat, quàm timor incurrendi odium proximi. Quem non excusare docet Gregorius Magnus l. 8. Moral. hisce verbis: *Si ab increpatione reticemus, quia derisoris odia formidamus, non jam lucra Dei, sed nostra quærimus.... Non timet justus, ne derisor, cùm corripitur, contumelias inferat; sed tractus ad ostium pejor fiat.* Dum ergo, defervescente passione, speratur probabiliter ad se rediturus, non obstante timore illo odii vel contumeliæ, est corrigendus. Tunc quippe spes est, quòd ad se reversus erubescet imposterùm actionem similem committere, quòdque continget id quod Proverb. 28. dicitur: *Qui corrigit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quàm ille qui per linguæ blandimenta decipit.*

Denique multò minùs admittendum, à 354
correctione excusari eum, qui timet proximum ex ea contristandum. Ut enim dicitur cap. *qui vitiis* 23. q. 5. *Qui vitiis nutriendis parcit, & favet, ne contristet peccantium voluntatem, tam non est misericors, quàm qui non vult culcitram rapere puero, ne audiat plorantem, & non timet, ne vulneratum doleat, vel extinctum.* Pulchrè S. Augustinus epist. 210. aliàs 87. *Dissensiones nunquam debent amari, sed aliquando tamen à charitate pascuntur, aut charitatem probant. Quis enim facilè invenitur, qui velit reprehendi?..... Nunquid tamen ideò non debemus reprehendere, & corrigere fratrem, ne securus tendat ad mortem? Solet enim fieri, & frequenter accidit, ut ad horam contristetur cùm reprehenditur, & resistat, & contendat; & tamen postea consideret secum in silentio, ubi nemo est nisi Deus & ipse..... & deinceps non faciat illud, in quo justè reprehenditur, & quantùm odit peccatum suum, tantùm diligat fratrem, quem sensit hostem peccati sui.* Non amat ergo proximum, qui correctionem ipsius prætermittit, ne ipsum ad tempus contristet, vel conturbet: quia, ut dicitur cap. *non putes* ibidem, *non putes tunc te amare servum tuum, quando eum non cædis; aut tunc te amare filium tuum, quando ei non das disciplinam; aut tunc te amare vicinum tuum, quando eum non corripis. Non est ista charitas, sed languor. Ferveat charitas ad corrigendum, ad emendandum, &c.*

Cæterùm fraternæ correctionis omissio 355
tunc est peccatum veniale (ait S. Thomas ubi suprà ad 3.) *quando timor & cupiditas tardiorem faciunt hominem ad corrigendum delicta fratris; non tamen ita, quòd si ei constaret, quòd fratrem posset à peccato retrahere, propter timorem, vel cupiditatem omitteret,*

quibus in animo suo præponit charitatem fraternam. Et hoc modo viri sancti negligunt corrigere delinquentes.

356 Quinta conditio est materia correctionis necessaria. Quæ ad obligationem privatorum utplurimùm est peccatum mortale, non veniale; uti colligitur ex eo quòd Dominus in declaratione hujus præcepti dicat: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Ex quo Augustinus serm. 16. de verb. Dom. infert: *ergo perierat* (per mortale utique peccatum) ..... *Quid est enim, quia lucratus est te, nisi quia perieras, nisi lucraretur te? Nam si non perieras, quomodò te lucratus est?* Enimverò venialium correctio utplurimùm magis obesset, quàm prodesset: quia pacem tranquillitatemque inter homines turbaret: cùm venialia quotidie committantur, imò sæpiùs quoquo die. Ferè continua proinde atque nimis importuna foret eorum correctio, & valdè frequenter fieret ab iis, qui eisdem obnoxii sunt.

357 Dixi tamen 1°. ad obligationem privatorum. Quia indubitatum est Prælatos Regularium non rarò teneri sub mortali corrigere venialia subditorum, præsertim dum notabiliter lædunt regularem disciplinam, quam ex officio manutenere tenentur sub mortali. Ita Doctores communiter.

358 Ideò etiam in Prælatis, & patribusfamilias, non semper requiritur spes emendationis delinquentis, ad obligationem faciendæ correctionis. Quia correctio, ad quam Prælati tenentur, non solùm tendit ad emendationem fratris, vel filii delinquentis, sed ad commune bonum, ad regularem utique disciplinam, ad pacem inter fratres & filios servandam, ad avertendum aliorum scandalum. Meminerint itaque Superiores, quòd *in correctione fraterna .....gravior est cura Prælatorum*, ut ex Augustino 1. de Civit. Dei 9. dicit S. Thomas a. 3. ad 1. Quòdque, ut idem prosequitur a. 6. in corp. *correctio pertinens ad Prælatos ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactivam. Et talis correctio non est dimittenda propter turbationem ejus qui corripitur. Tum quia si propriâ sponte emendari non velit, cogendus est per pœnas, ut peccata dimittat. Tum etiam quia si incorrigibilis sit, per hoc providetur communi bono, dum servatur ordo justitiæ, & unius exemplo alii deterrentur. Longè* itaque *graviorem aliis habent causam speculatores domûs Israël. Ad hoc enim speculatores, hoc est populorum præpositi constituti sunt in Ecclesiis, ut non parcant, objurgando peccata*, ut Augustinus dicit loco citato. *Et à malis Pastoribus inquirit Deus mortem ovium.* Serm. 46. de Pastorib. aliàs 165. de temp. c. 9. Pro quo postquam allegavit caput 33. Ezech. pergit sic: *Videtis quam sit tacere periculosum.* Quia ob neglectum correctionis *Præpositus .....justè damnatur.* Ideò multi Christiani ..... *perveniunt ad Deum facilioré forsitan itinere .... Nos autem excepto quòd Christiani sumus (unde rationem reddemus de vita nostra) sumus etiam Præpositi, unde rationem reddemus Deo de dispensatione nostra.*

Dixi 2°. peccatum veniale *utplurimùm* 359
non esse materiam obligantem privatos ad correctionem fraternam; quia etiam privati, præsertim Religiosi, tenentur interdum ad fraternam correctionem de venialibus, dum scilicet post se trahunt notabilia inconvenientia, vel in communitate (per hoc quòd naturaliter relaxetur vigor disciplinæ) vel in ipso etiam subinde delinquente, dum v. g. peccatum, ex se veniale, valdè dedecet hominem honestum, uti dedecet v. g. mendacium apertum; vel dum periculum est, ne ex veniali v. g. levitate cum altero, vel facilitate leviter detrahendi deveniat in mortale. Tametsi ergo culpandus esset, qui generatim corripere vellet pro peccatis venialibus; non idcò generatim dicendum, fratrem de venialibus non esse corripiendum.

CAPUT XXXV.

Modus faciendæ correctionis, ut verè fraterna sit & proficua.

UT fraterna correctio, quæ dirigitur ad 360
salutem delinquentis, verè fraterna sit & fructuosa, debet imprimis fieri cum mansuetudine magna, & humilitate, ita ut per eam ostendat se ad correctionem ex fraterna charitate moveri. Quia nihil tam impedit profectum correctionis, quàm superbia illius qui corripitur: hic verò multò minùs irritatur, dum correctio cum mansuetudine fit & humilitate, quàm dum cum calore, verbisque acribus & imperiosis. Unde utplurimùm admonitione utendum, potiùs quàm correctione propriè dictâ; imò precibus potiùs quàm aliter, ipsum utique rogando, ut reflectat, se non benè facere. Proderit etiam admonitioni, vel precibus addere excusationem aliquam, quâ monitor dicat, se supponere quòd vel ex ignorantia, vel inadvertentia, seu non reflexione, vel ex bono aliquo fine id fecerit. Et si in detractionis materia deliquerit, & verba quibus se expressit ad bonum sensum trahi nequeant, monitor consultò ipsi dicet: *Amice, verba quæ dicis possunt hunc vel illum sensum habere. Potest esse quòd illa non capias isto sensu. Aliàs foret detractio.* Charitas namque dictat, parcendum pudori fratris quantùm fieri potest, juxta illud Augustini Serm. 82. aliàs 16. de verb. Dom. *Corripe eum inter te & ipsum solum, intendens correctioni, parcens pudori.* Fortè *enim alioqui præ verecundia incipit defendere peccatum suum, & quem vis facere correctiorem, facis pejorem.*

Si itaque *præoccupatus fuerit homo in aliquo* 361
delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne

ne & tu tenteris. Ad Galat. 6. Quem locum exponens Augustinus: *Nunquam* (inquit) *alient peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum intermis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquidò nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere. Quòd si convicium, vel minæ, vel etiam persecutiones ejus, quem argueris, laceraverint animum, si adhuc ille per te sanari posse videbitur, nihil respondeas, donec saneris prior; ne fortè carnalibus motibus tuis ad nocendum consentias, & exhibeas linguam tuam arma iniquitatis peccato, ad reddendum malum pro malo, aut maledictum pro maledicto. Quidquid enim lacerato animo dixeris, puniemis est impetus, non charitas corrigentis. Dilige, & dic quod voles. Nullo modo maledictum erit, quod specie maledicti sonuerit, si memineris, senseriscque te in gladio Verbi Dei liberatorem hominis esse velle ab obsidione viriorum. Quòd si fortè, ut plerùmque accidit, dilectione quidem talem suscipis actionem, & ad eam corde dilectionis accedis, sed inter agendum subrepserit aliquid, dum tibi resistitur, quod te auferat ab hominis vitio percutiendo, & ipsi homini faciat infestum; postea te lachrymis lavantem hunc pulverem, multò salubriùs meminisse oportebit, quàm non debeat super aliorum superbire peccata, quando in ipsa eorum objurgatione peccamus: cùm facilius nos ira peccantis iratos, quàm miseria misericordes facit.*

362 Nec solùm mansuetudinem, sed & humilitatem commendat Apostolus, cùm dicit, *considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Unde Gregorius l. 23. Moral. c. 14. *Nos enim, qui infirmi homines sumus ..... debemus primùm meminisse quod sumus; ut ex propria infirmitate pensemus, quo docendi ordine infirmis fratribus consulamus. Consideremus igitur, qui, aut tales sumus, quales nonnullos corrigimus: aut tales aliquando fuimus; etsi jam divinâ gratiâ operante non sumus, ut tanto temperantiùs, humili corde corrigamus, quantò nosmetipsos veràci, in his quos emendamus, agnoscimus. Si autem tales nec sumus, nec fuimus, quales adhuc illi sunt, quos emendare curamus; ne cor nostrum fortè superbiat, & de ipsa innocentia in pejus ruat; quorum mala corrigimus, alia ipsorum bona nobis ante oculos revocemus; quæ si omninò nulla sint, ad occulta Dei judicia recurramus. Quia sicut nos meritis nullis hoc ipsum bonum, quod habemus, accepimus; ita illos quoque potest gratia superna virtutis infundere, ut excitati posteriùs, etiam ipsa possint bona, quæ nos antè accepimus, prævenire. Quis enim crederet, quod per Apostolatûs meritum Saulus lapidatum Stephanum præcessurus erat, qui in morte ejus lapidantium vestimenta servabat? His ergo primùm cogitationibus humiliari cor debet, & tunc demum delinquentium iniquitas increpari.*

363 Quia verò *frustra venit sonitus ad aures, nisi Deus in corde loquatur* (ait Bernardus de perfect. vit. spirit. tit. ult.) quia *solus Deus convertit corda filiorum hominum*; mansuetudini & humilitati jungenda est oratio, quâ (saltem per piam aspirationem, si ampliorem orationem tempus non permittat) Dei imploret auxilium, ut aperiat cor fratris intendere his quæ dicenda sunt, ex iisque proficere. Et hoc est quod Bernardus monet ibidem dicens: *Fraterna correctio debet fieri cum magno moderamine, cum gemitu & benevolentia, suo loco, suo tempore, semper oratione præcedente.*

Caveat etiam, qui fratrem corrigit, pro 364
eadem re ad nauseam usque correctionem continuare, nimis frequenter (spatio brevis temporis) eam facere. Nam utilius est, hominem assuetum alicui juramento non enormi, & ideò sine reflexione jurantem, solùm aliquoties monere, intervallo temporis non valdè notabilis (ut se jurare reflectat) quàm singulis vicibus, quibus jurat, ipsi importunum esse. Aliud est de blasphemiis, & juramentis enormibus, in quibus, si non semper verbis, saltem gestu & vultu manifestandum est, quòd nobis graviter displiceant.

CAPUT XXXVI.

Obligatio æquo animo correctionem accipiendi.

QUemadmodùm ab unoquoque facien- 365
da est fraterna correctio (*unicuique* enim *mandavit Deus de proximo suo*) sic ab unoquoque æquo animo est suscipienda, & tantò quidem libentiùs, quantò magis unusquisque desiderare debet curationem vulnerum suorum spiritualium, quàm corporalium. Attendamus ergo, dum corripimur, 1°. quòd correptio nunquam nobis nocere possit, nisi culpâ nostrâ, ubi medicina corporalis plerùmque plus nociva est, quàm proficua. 2°. quòd per correctionem videamus quid corrigere debeamus, & quid nobisipsis in nobis debeat displicere, dum aliis videmus displicere. 3°. quòd in propria causa, seu defectibus nostris, cæci simus; vel saltem sine reflexione sæpè peccemus; quòdque proinde non minore nos beneficio afficiat, qui fraternè nos corrigit, quàm errantem homo, qui ei comiter monstrat viam. 4°. quòd à Deo nos oporteat petere lumen, quo defectus nostros & peccata cognoscamus; lumen verò istud per fratres nostros (à quibus corripimur) nobis Deus communicet. 5°. quosdam Sanctos, etiam Reges ac Principes, assumpsisse sibi viros timoratos, qui eos semper comitarentur, monerentque de defectibus, quos in ipsis animadverterent. 6°. necesse proinde esse, ut benevolum iis animum ostendamus, à quibus fraternè corripimur: ne ipsis nimis molestum sit, beneficium istud morosis, contentiosis, & ingratis exhibere, ideòque ab ipsis per correctio-

nis omissionem peccetur. 7°. exemplum S. Petri Apostolorum Principis, supremique in terris Christi Vicarii, Pauli correctionem humiliter patientis, cap. seq. exhibebimus.

CAPUT XXXVII.

Ipsi quoque Superiores subinde ab inferioribus, cum omni reverentia, modestia & humilitate corrigendi sunt.

366 OBligationem hanc sanctus Thomas q. 33. a. 4. probat ex verbis Apostoli ad Coloss. 4. scribentis: *Dicite Archippo* (Episcopo) *vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas.* Et ratio est, quia ipsi etiam Superiores homines sunt, circumdati infirmitate; indigent proinde eleëmosynâ spirituali; & tanto magis indigent, quanto in majori sunt salutis periculo. Unde Augustinus in Regula: *Non solùm vestri, sed etiam ipsius* (Superioris) *miseremini, qui inter vos quantò in oco superiore, tantò in periculo majore versatur.*

367 Non debet tamen quilibet è vulgo Superioris correctionem temerè usurpare per se, sed per personas ætate, pietate, prudentiâ graviores. In correptione etiam, quâ subditi corrigunt Prælatos, debet modus congruus adhiberi, ut scilicet non cum protervia & duritia, sed cum mansuetudine & reverentia corripiantur (ait sanctus Thomas ibidem.) Unde Apostolus 1. Timoth. 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.*

368 Nec licitum est Superiorem publicè corrigere, nisi publicè peccaverit, prout Innocentius III. dicit cap. *cum ex injuncto* ext. de hæreticis, ibi: *Patrem suum delinquentem reprehendere manifestè, nulli licet, secundùm Evangelicam veritatem.* Si tamen aliis essent scandalo, aliosque suo exemplo vel doctrinâ erroneâ in errorem, vel disciplinæ relaxationem inducerent, in faciem ipsis resistendum esset, Pauli exemplo, qui in faciem Petro restitit, eò quòd exemplo suo aliis errandi occasionem incautè præbebat. Qua in re sancti Patres *Pauli libertatem mirantur, Petri humilitatem, correctionem patientis* (ait Augustinus epist. 19.) *quia multò laudabilius & mirabilius est libenter accipere corrigentem, quàm audaciter corrigere deviantem.* Specialiter istud S. Petri exemplum plurimùm extollunt S. Cyprianus epist. 71. ad Quint. & sanctus Gregorius homil. 18. in Ezech. Petrus (inquit S. Cyprianus) *non sibi aliquid insolenter vindicavit, aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere, & obtemperari sibi potius oportere; nec despexit Paulum, quòd prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè consensit, documentum scilicet nobis, & concordiæ, & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ à fratribus aliquando, & collegis nostris utiliter & salubriter suggerantur, si sunt vera & legitima, ipsa potius nostra ducamus.* Decens erat (ait Gregorius) *ut Petrus, qui primus erat in culmine, esset primus in humilitate.* *Ipse Petrus* (ut dicit Glossa Augustini ad Galat. 5.) *exemplum majoribus præbuit, ut sicubi fortè rectum tramitem reliquissent, non dedignentur etiam à posterioribus corripi.*

CAPUT XXXVIII.

Quando delictum fratris est occultum, nec Communitati nocivum, nec cedens in grave tertii detrimentum; speseque est emendationis ipsius per monitionem secretam, necessariò servandus est Evangelicus ordo correctionis, saltem extra Religiosum Institutum, cujus professores renuntiant juri, quod habent ad propriam famam.

369 EVangelicum fraternæ correctionis ordinem Dominus præscribit Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ* (id est Prælato.) *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* De isto ordine Guimenius pag. 7. n. 6. edit. Lugdun. ausus est dicere: *Evangelicus ordo correctionis fraternæ non obligat sub mortali: quia præceptum istud perniciosum foret, nedum inutile.* Sed prorsus est improbandus. Quòd enim præcepti sit, adeòque in materia gravi obliget sub mortali, communis est sententia, non solùm Scholasticorum, sed & sanctorum Patrum, Ambrosii serm. 8. in Psalm. 118. Chrysostomi homil. 61. in Matth. Hilarii, & Hieronymi in cap. 18. Matth. Augustini serm. 82. alias 16. de verb. Dom. c. 7. ubi sic: *Quia secretum fuit, quando in te peccavit, secretum quære, cùm corrigis quod peccavit. Nam si solus nosti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor. Attende, quomodò vir justus Joseph, tanto flagitio, quod de uxore fuerat suspicatus, tantâ benignitate pepercit, antequam sciret unde illa conceperat. Restabat itaque certa adulterii suspicio. Et tamen, quia ipse solus senserat, ipse solus sciebat, quid de illo ait Evangelium?* " Joseph autem, cùm esset " vir justus, & nollet eam traducere, voluit " occultè dimittere eam " .... *Sic agamus, & sic agendum est, non solùm quando* in nos *peccatur ab aliquo, ut ab altero nesciatur. Insecreto debemus corrigere, in secreto arguere, ne volentes publicè arguere, prodamus hominem,* id est diffamemus; & tunc fiat quod Hieronymus loco citato ait, quòd dum se-

mel pudorem & verecundiam amiserit, remaneat in peccato. An non hoc impedire, de jure est naturali? An non in re magni momenti? Quomodò ergo à peccato excusari potest mortali? Quis nostrûm est, qui humanâ lapsus fragilitate, non vellet salvo honore suo & famâ corrigi? At verò *quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quod profectò notissimum est legis naturalis dictamen.

370 Et confirmatur 1°. quia fraternæ correctionis divinum est & naturale præceptum, uti ostendimus cap. 33. Ordinem verò, seu modum istius correctionis (ut scilicet priùs secretò, quàm publicè fiat) eodem modo ac tenore Salvator expressit, ac substantiam ipsius. Si ergo verba, quibus substantiam expressit, præceptiva sunt; talia quoque sunt verba, quibus expressit ordinem ac modum.

371 2°. quia lex naturalis dictat ut proximum curemus sine aliqua læsione ipsius, si fieri possit; vel certè cum minima quàm fieri potest, si sine aliqua fieri non possit.

372 3°. ex doctrina S. Thomæ q. 33. a. 7. *Sicut Medicus corporalis sanitatem ægroto confert, si potest, sine alicujus membri abscissione; si autem hoc non potest, abscindit membrum minùs necessarium, ut vita totius conservetur,* idque est de jure naturali. *Ita etiam ille qui studet emendationi fratris,* jure naturali *debet, si potest, sic emendare fratrem, quantùm ad conscientiam, ut fama ejus conservetur; quæ quidem est utilis ipsi peccanti, non solùm in temporalibus, in quibus, quantum ad multa homo patitur detrimentum, amissâ famâ; sed etiam quantùm ad spiritualia: quia præ timore infamiæ multi à peccato retrahuntur. Unde quando se infamatos conspiciunt, irrefrænatè peccant... Unde patet, de necessitate præcepti esse, quòd secreta admonitio publicam denuntiationem præcedat.* Non solùm ergo consilii & congruitatis est, prout Salmeron & Maldonatus putant, sed præcepti divini & naturalis.

373 4°. est contra justitiam, absque necessitate lædere proximum in bonis temporalibus. Igitur & in fama, quæ bonis temporalibus potior est (juxta illud: *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*) & ad quam proximus non minus habet jus, quàm ad temporalia bona.

374 Quando ergo absque testium inductione proximum ad emendationem inducere possumus, debemus. Si testis unicus sufficit, duos adhibere non licet. Si fratris emendatio speretur absque delatione ad Superiorem, non licet ad Superiorem deferre: eò quòd bonam de se famam apud Superiorem pluris faciat frater tuus, quàm apud tres, vel quatuor alios. Nam, ut optimè Doctor subtilis Relect. de secret. l. 2. q. 4. d. 3. *optarem ego peccata mea magis esse nota tribus, aut quatuor, quàm uni gravissimo, & mihi conjunctissimo viro; cujus bonam existimationem pluris facio, quàm si quatuor alii benè de me opinentur.* Unde concludit: *fama ergo subditi apud Prælatum magis æstimanda est, & ideò sine extrema necessitate non est prodigenda.*

375 Conveniunt nihilominùs Doctores, Evangelicum illum ordinem in omni casu non esse necessarium, sed dùmtaxat in circumstantiis expressis in assertione. Et ideò discernere debemus, aliquando istud, aliquando illud esse faciendum (ait Augustinus ser. 16. de verb. Dom.) aliquando corripiendo fratrem inter te & ipsum solum, aliquando coram omnibus.

376 Propterea in assertione dixi, ordinem Evangelicum esse servandum 1°. quando delictum fratris est occultum. Si enim publicum sit, vel proximè publicandum, jam non solùm peccavit in te, seu coram te, sed & in alios, eos scandalizando, prout Augustinus observat loco citato. Et ideò S. Thomas in 4. dist. 19. q. 2. a. 3. quæsito 1. ad 2. dicit, quòd si peccatum *jam ad notitiam aliorum devenerit, tunc debet denuntiari ei qui habet potestatem corrigendi, ut qui scandalizati sunt de culpa, ædificentur de pœna. Si autem in publicum nondum devenerit, sed est in via deveniendi, tunc etiam denuntiandum est, ut scandalo futuro occurratur.*

377 2°. quando nocivum non est Communitati, nec cedens in grave tertii detrimentum. Quia, ut iterùm S. Thomas ibidem, si sit *infectivum aliorum* (& idem est, si noceat bono aliorum nomini, & maximè Communitatis) *sicut est hæresis, vel fornicatio, & hujusmodi; aut etiam cedat in aliquod damnum alterius, sicut furtum, vel homicidium, & hujusmodi, debet denuntiari Prælato, ut gregi suo caveat. Sicut enim dicit Hieronymus:* " Quæ misericordia est parcere uni, & " multos in discrimen adducere? polluitur po- " pulus ex uno peccatore, sicut ex una ove " morbida universus grex. " *Semper enim bonum multorum debet præferri bono unius. Unde etiam fama unius negligi debet, ut innocentia vel fama multitudinis conservetur. Si autem vergat in damnum corporale alterius, debet fieri comparatio illius damni ad damnum fama alterius, & illi damno, quod præponderat, obviandum magis,* habitâ etiam ratione innocentiæ tertii, ob quam justius est, ut à damno illæsus servetur, quàm nocens.

378 Limitat tamen hoc S. Thomas 2. 2. q. 33. a. 7. nisi fortè aliquis firmiter existimaret, quòd statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire: verùm ubi agitur de crimine hæreseos, vel læsæ Majestatis, de magia, sortilegio, veneficio, vix fieri potest ut certò, sive absque periculo erroris, mala inde imminentia per secretam admonitionem averti possint. Ideò rei istorum criminum statim denuntiandi sunt Episcopis, vel (ubi S. Inquisitio viget) Inquisitoribus. Quod de hæreticis faciendum

docet sanctus Leo serm. 5. de jejunio decimi mensis. Idem de Confessariis in confessione, vel occasione illius, vel in confessionali (etiam confessione non secutâ) pœnitentes ad turpia sollicitantibus, vel cum eis inhonestos sermones habentibus, sub pœna excommunicationis ipso facto fieri mandat Gregorius XV. Constitutione datâ 30. Augusti 1622. mandans etiam omnibus Confessariis, ut suas pœnitentes, quas noverint fuisse ab aliis Confessariis sollicitatas, de ista moneant obligatione. Cùmque Castro-Palao tom. 1. tr. 4. disp. 9. p. 4. n. 2. probabilem censuisset propositionem sequentem: *Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non est denuntiandus.* Propositionem hanc damnavit Alexander VII. 24. Septembris 1665. Prorsus ergo improbanda opinio Fagundes de præcept. Eccl. p. l. 4. c. 3. n. 31. & Castro-Palai ubi suprà p. 10. n. 2. pœnitentem denuntiare non debere Confessarium sollicitantem, quando adest spes certa emendationis ipsius, per fraternam correctionem. Tanti enim momenti est eliminatio detestabilis istius sollicitationis, ut judicium de emendatione Confessarii, qui sollicitavit, Summi Pontifices nolint commissum esse feminis sollicitatis, sed Episcopis & Inquisitoribus.

379 Sed & lapsum carnis, cum tertia persona consummatum, Suarez disp. 8. de charit. sect. 6. & l. 1. de Relig. c. 2. censet in Religionibus, absque prævia secreta admonitione, statim Superiori denuntiandum. Et reverà S. Thomas loco proximè laudato fornicationem refert inter peccata infectiva aliorum. Difficile namque videtur, virum Religiosum eousque lapsum, nisi abjecto timore Dei; quo semel abjecto, periculum est, ne noceat bono nomini Religionis; & tantò majus periculum, quò rarius ex toto corde convertuntur, salvanturque, qui eousque sui, & timoris Dei obliviscuntur, prout & de Sacerdotibus etiam sæcularibus ostenditur tom. seq. ubi de Eucharistia. Similiter periculum est, ne bono Religionis nomini valdè noceat Religiosus, proclivis in dicta vel facta parum casta, præsertim cum mulieribus. De eo proinde videtur procedere doctrina Suareziana.

380 Siquis tamen, ad ea non proclivis, unâ tantùm vice, ex humana fragilitate, aliquid minùs castum dixisse vel fecisse cognoscatur, ita occultè, ut periculum non sit, ne veniat in notitiam aliorum; tunc servandum est præscriptum Constitutionum nostrarum p. 4. c. 11. n. 9. *Siquis ex nostris (quod Deus avertat) aliquid minùs castum verbo vel facto commiserit, socius delinquentem fratrem corripiat, si res ita sit occulta, ut bono Religionis nomini non noceat. Quòd si tale dictum vel factum Ordini scandalum afferret* (subaudi, vel de eo periculum foret) *quicumque id noverint, statim Superiori denuntient, ut tam fratris saluti, quàm Religionis honori opportunè provideat.*

Prior tamen pars hujus Constitutionis in- 381
telligenda est, quando per secretam monitionem, seu fraternam correctionem, spes probabilis est emendationis fratris, prout in assertione dixi. Si enim (spectatis circumstantiis) prudenter quis existimet, fraternam monitionem non profuturam; speret verò paternam monitionem Superioris ipsi potiùs profuturam, delinquentem tunc denuntiare potest & debet Superiori, non ut Judici, sed ut patri, si eas habeat qualitates, quibus meliùs prodesse queat. Nam, ut S. Thomas ait quodlib. 11. q. 10. a. 11. *Si ego scio quòd frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denuntiare Prælato. Si autem videtur, quòd hoc meliùs fiat per Prælatum, & Prælatus sit pius, discretus & spiritualis* (nota benè) *non habens rancorem, seu odium adversus illum subditum, tunc licitè potest hoc denuntiare* ipsi. Et *tunc non dicit Ecclesiæ: quia non dicit ei sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi & emendam. Sed quia propter diversas conditiones Prælatorum & subditorum, non potest in hoc dari generale judicium (quia aliquando vel Prælatus movetur ad odium adversus subditum; vel subditus non benè ferret verba Prælati) ideò tenendum est hoc pro regula, quòd in omnibus istis semper servanda est charitas, & quod meliùs & magis expedire videtur. Et si hoc intendat (scilicet emendam proximi) ac servet, quantùm potest, bonum charitatis, tunc denuntiando non peccat. Si autem denuntiet hoc cuicumque personæ ex malitia, & ut proximus confundatur, vel deprimatur, tunc denuntians sive accusans peccat mortaliter.*

Itaque, ut sanctus Doctor dixerat a. 1. 382
oportet ordinem fraternæ correctionis sumere secundùm ordinem charitatis. Ordo autem charitatis est, ut quis bono proximi præferat commune bonum; item ut velit bonum proximi, & conscientiæ, & famæ; & in his magis velit bonum conscientiæ, quando utrumque haberi non potest. Et ideò, his consideratis, credo quòd si esset aliquod peccatum (carnale seu spirituale) quod vergeret in detrimentum multitudinis, statim est revelandum: cùm præponderet bonum commune, in ordine charitatis, bono proximi, sive sit famæ, sive conscientiæ. Quando verò non timetur multitudinis detrimentum, tunc debet quis utrumque custodire, scilicet bonum famæ, & conscientiæ, corrigendo occultè inter se & ipsum, si speret hoc facto fratrem lucrari posse.

Sed quid si proximus cesserit juri suo ad 383
propriam famam? Hoc enim (ob majorem profectum spiritualem, aliasque justas causas, ad commune bonum spectantes) fieri posse docet S. Thomas 2. 2. q. 73. a. 1. ad 1. hisce verbis: *In arbitrio uniuscujusque est*

pati detrimentum famæ ſuæ (uti ſæpiùs fecerunt Sancti) *niſi id vergat in aliorum detrimentum* ; idque, Eccleſiâ approbante, fieri cenſetur in Societate, in qua lege perpetuâ (in quam conſentiunt quicumque in Societatem admittuntur) ſtatutum eſt, ut omnes errores defectuſque ſubditorum immediatè ad Superiorem deferantur. Ubi ergo iſta fit ceſſio, non obligat fraternæ correctionis ordo ſupradictus ; eoque proinde non ſervato, defectus omnes fratrum Superiori poſſunt immediatè manifeſtari, uti Doctores communiter tradunt.

CAPUT XXXIX.

Evangelicum fraternæ correctionis ordinem pro ſolis ſæcularibus, ſeu vitam communem ducentibus, Salvator non præſcripſit ; ſed & pro religioſam vitam profitentibus.

384 QUòd Chriſtus ordinem illum non præſcripſerit pro iis qui vitam religioſam profitentur, ſed pro iis qui vitam communem ſeu ſæcularem ducunt, expreſſis verbis affirmat doctus quidam Recentior tom. 2. tr. 4. de charit. diſp. 6. n. 68. in reſponſ. ad 2. object. conformiter ad id quod n. 63. dixerat, religioſam profeſſionem eſſe ceſſionem juris ad propriam famam, fraternamque monitionem, delationi ad Superiorem præmittendam.

385 Verùm-enimverò hoc poſterius abſque idoneo fundamento aſſerit, contra communem Religioſorum ſenſum, ſententiamque communiter receptam S. Thomæ, Hugonis Victorini, Soti, Cajetani, Sylveſtri, &c. Unius S. Thomæ verba referam, qui q. 33. a. 7. cùm ſibi objeciſſet hoc argumentum : *Religioſi tenentur ſuis Prælatis obedire. Sed quandoque Prælati præcipiunt, vel communiter omnibus, vel alicui ſpecialiter, ut ſiquid ſcit corrigendum, eis dicatur : Ergo videtur, quòd eis teneantur dicere, etiam ante ſecretam admonitionem. Non eſt ergo de neceſſitate præcepti*, ſaltem reſpectu Religioſorum, *ut ſecreta admonitio præcedat publicam denuntiationem.* Ad 5. reſpondet, *dicendum, quòd Prælato non eſt obediendum contra præceptum divinum, ſecundùm illud Act. 5.* „ Obedire „ oportet Deo, magis quàm hominibus. „ *Et ideò, quando Prælatus præcipit, ut ſibi dicatur* quod quis ſciverit corrigendum, *intelligendum eſt ſalvo ordine fraternæ correctionis. Quòd ſi Prælatus expreſsè præciperet contra hunc ordinem à Domino inſtitutum, & ipſe peccaret præcipiens, & ei obediens, quaſi contra præceptum Domini agens.* Et quodlib. 1. q. 8. a. 11. *Religioſus Prælatus in Capitulo præeſt ſicut Judex Eccleſiaſticus in foro judiciali. Unde ad ea poteſt ex præcepto ſubditos obligare, ut ei pandantur, propter quæ poteſt Judex Eccleſiaſticus in foro judiciali juramentum exigere. Eſt ergo ſciendum, quòd in criminibus triplex eſt modus procedendi. Unus per denuntiationem ; alius per inquiſitionem ; alius per accuſationem. In via ergo denuntiationis intenditur correctio delinquentis. Et ideò, ſecundùm præceptum Domini Matth. 18. debet præcedere fraterna correctio, ut ſcilicet corripias eum inter te & ipſum ſolum. Quòd ſi non audierit, coram duobus, vel tribus teſtibus, & ultimò dicatur Eccleſiæ : charitatis enim eſt ut alicuis parcat fratri, quantùm poteſt. Unde priùs debet niti, ut corrigat conſcientiam fratris, ſervatâ formâ ſolitariè admonendo ; & poſtmodum coram duobus, vel tribus ; tandem negligenda eſt fama, ut emendetur conſcientia, & dicendum eſt Eccleſiæ. In quo etiam proceſſu conſuletur conſcientiæ. Nam peccator, ſi à principio videret ſe publicatum, amitteret verecundiam, & obſtinatior fieret ad peccandum.* Et infrà : *Dum proceditur per viam ſimplicis denuntiationis* (in qua Prælatus non procedit ut Judex, ſed ut pater) *non tenetur Religioſus Prælato præcipienti culpam fratris revelare, niſi præcedente monitione, cùm viderit incorrectum. Imò magis peccaret, ſi ad præceptum Prælati revelaret : quia plus tenetur obedire Evangelio, quàm Prælato. Et multò magis Prælatus peccaret, ſi ſubditum induceret ad pervertendum ordinem Evangelii.* Tam perſpicua ſunt verba illa, ut cæcum eſſe oporteat, qui ex iis non videt, religioſam profeſſionem (juxta ſanctum Thomam) non eſſe ceſſionem juris, quod quiſque Religioſus habet ad famam ſuam. Evangelicumque fraternæ correctionis ordinem à Domino præſcriptum eſſe, non ſolùm pro ſæcularibus, ſed & pro Religioſis.

Prorſus ergo dicendum 1°. Evangelicum 386
ordinem illum à Domino præſcriptum eſſe tam pro Religioſis, quàm pro ſæcularibus. Cùm eum præſcripſerit verbis generalibus, abſolutis, & indiſtinctis. Generalia verò, abſoluta, & indiſtincta divinæ Scripturæ præcepta nobis non licet ratione purè humanâ diſtinguere (uti diſtinguit Recentior ille) nec reſtringere ſeu coarctare. Ob ea quæ dixi Prolegomeno 1. c. 5. & Prolegomeno 3. c. 12.

Et quo ipſe fundamento diſtinguit, & à 387
divino illo, imò naturali præcepto Religioſos excipit ? Quia (inquit) fratrum correctio æquè fructuosè ac ſecurè non fit per inferiorem, ſicut per Superiorem, qui præ inferioribus mille habet modos præcavendi periculum relapſûs in ſubdito, diſciplinæque regularis, & boni nominis Religioſæ Communitatis damnum.

Sed contra hoc dicendum 2°. cum Ban- 388
nez 2. 2. q. 33. a. 8. dub. 2. Aravio 1. 2. q. 94. diſp. 2. ſect. 3. Bertrando Loth tr. 7. q. 8. a. 1. videri erroneum, Evangelicæque doctrinæ injurioſum, aſſerere, quòd fratrum in Religionibus correctio ordinariè fructuoſiùs, ſecuriùſque fiat per Prælatum, quàm per ſocium, ſeu fratrem pri-

vatum; vel quòd Evangelicus ordo in Religionibus non sit securus, vel quòd Religiosa Communitas, servato illo ordine, non possit benè, fructuosè & securè gubernari. Si enim ita esset, ordo Evangelicus in Religionibus non solùm non esset de præcepto, sed nec de consilio. Quam doctrinam Bannez loco citato non dubitat esse erroneam in fide. Absit proinde ut credam, correctionis modum ab homuncione excogitatum in Religionibus eo meliorem communiter esse, quem increata divini Verbi sapientia præscripsit.

389 Et quo ipse fundamento pro Religionibus meliorem esse putat? Primò (inquit) quia Religiosi profitentur humilitatem. Secundò, in Religionibus major habenda est ratio securitatis boni nominis Communitatis, disciplinæque Regularis (removendo pericula peccandi in damnum utriusque, per immediatam delationem ad Superiorem) quàm aliqualis infamationis alicujus Religiosi privati, ex immediata illa delatione provenientis. Tertiò, securior perfectiorque est correctio per Superiorem, ut patrem, quàm per privatum. Quartò, per crimen in Religione commissum Religiosus amittit jus secreti, respectivè ad Superiorem, ut patrem, prout dicit in responsione ad 1. objectionem. Quintò, Innocentius III. cap. *qualiter & quando* de accusation. loquens de fraternæ correctionis ordine: *Hunc ordinem* (inquit) *circa Regulares personas non credimus usquequaque observandum.*

390 Sed primum fundamentum non videtur solidum. Quia Religiosi profitentur quidem humilitatem, sed secundùm ordinem Evangelicum, cui Religiosa non adversatur humilitas. Aliàs ei nostræ adversarentur Constitutiones p. 4. c. 8. dum sic statuunt: *Hunc ordinem correctionis Evangelicæ volumus omnes fratres invicem servare.*

391 Nec solidius videtur secundum: utpote supponens falsum; nempe securitatem illam in Religionibus communiter haberi non posse, illæsâ proximi famâ. Evangelicum proinde ordinem in Religionibus communiter non esse securum. Quod erroneum in fide censet Bannez suprà.

392 Nec id laudatus Recentior asserere potest, nisi consequenter asserat, Constitutiones nostras (à Summis licèt Pontificibus Urbano VIII. & Innocentio X. in forma speciali approbatas) loco proximè relato non præscripsisse securum correctionis ordinem.

393 Tametsi ergo immediata ad Superiorem, ut patrem, delatio dici queat secundùm quid securior, pro quanto Superiores timentur ab inferioribus, habentque plures corrigendi, communique bono providendi modos, quos non habent inferiores: pensatis tamen omnibus, invicemque collatis, dici non potest (utplurimùm) simpliciter & absolutè securior, ob gravissima inconvenientia, tam contra commune bonum Religiosarum Communitatum, quàm contra privatum bonum particularium Religiosorum, inde utplurimùm oriunda. Nam (ut omittam infamationem Religiosorum apud Superiorem, non habentem dominium in famam ipsorum; quæ profectò non parum considerabilis est, ob rationem suprà allatam) inde utplurimùm oriuntur rixæ, dissensiones, & odia inter Religiosos, præsertim inter delatores & delatos, quibus Religiosæ perturbantur Communitates, & delati, videntes se diffamatos apud Superiorem, adeò consternantur, ut, velut desperabundi, non curent ampliùs se emendare; imò quamdam cordis duritiem contrahentes, ad novam & novam culpam inducantur (cum non parvo damno disciplinæ regularis, bonique nominis Religionis) potiùs quàm emendent antiquam, ita ut fiant novissima illorum pejora prioribus. Nam ut (cum SS. Hieronymo, Augustino, Bernardo, &c.) ait S. Thomas a. 7. sæpè citato: *præ timore infamiæ multi à peccato retrahuntur. Unde quando se infamatos conspiciunt, irrefrænatè peccant.*

Atque ex his prorsus ruit tertium fundamentum. Quod tamen ampliùs evertitur: 394
quia certum est in hac materia licitum non esse quidquid aliquo modo majorem adfert securitatem, &c. cùm delatio immediatè facta Superiori, ut judici, majorem aliquo modo securitatem adferret, pro quanto subditos magis terreret, aliosque ipsorum exemplo retraheret à peccato; nec tibi tamen licitum est sic deferre, dum probabiliter credis te posse aliter fratrem delinquentem emendare, uti fatetur Author quocum disputamus, conveniuntque Doctores omnes.

Sic etiam homines magis terrerentur, à 395
peccatoque retraherentur, si omnis peccans statim jugularetur. Magis etiam Religiosi terrerentur, in officioque continerentur, si omnes Regulæ transgressores è Religione pellerentur. Non licet tamen omnem hominem peccantem jugulare, nec Religiosum Regulam transgredientem expellere. Denique si Religiosus discolus, fractis carceribus, sæpè fugeret, scandalaque multa in fuga patraret, ad ista avertenda securius esset ipsi crura effringere, ne posset ampliùs fugere. Nec hoc tamen licet. Nec per consequens est licitum, quidquid majorem adfert securitatem; sed quemadmodùm infirmus, securè curabilis absque membri abscissione, debet sic curari, tametsi fortè securiùs eo abscisso curaretur: sic frater, securè emendabilis absque amissione famæ apud Superiorem, sic debet emendari, licèt fortè secundùm quid securiùs eâ amissâ emendaretur.

Nec præcedentibus magis solidum est 396
quintum fundamentum (multò minùs quartum, quod gratis & absque ulla probatione asseritur) quia in verbis illis Innocentius III.

non

non agit de Evangelico fraternæ correctionis ordine; sed de ordine accusationis & processûs judicialis, in quo servandi non sunt apices omnes juris, dum de Regularibus agitur personis. Quod quidem manifestum videtur, tum ex ratione quam adfert, tum ex summario istius capitis. Ideò namque dicit: *Hunc ordinem circa*, seu (ut alia lectio habet) *contra Regulares personas non credimus usquequaque servandum*: quia, uti proximè subjungit, personæ Regulares, *cùm causa requirit, facilius & liberius à suis possunt administrationibus amoveri.* Cùm igitur dictorum intelligentia ex causis assumenda sit dicendi; manifestum est in verbis illis sermonem non esse de ordine Evangelico fraternæ correctionis, qui non ordinatur ad delinquentem puniendum per amotionem ab officio; sed de ordine processûs judicialis contra personas Regulares, in ordine ad eas à suis officiis removendas. Fraternæ verò correctionis ordo non est à Christo institutus *contra* corrigendum, sed *pro* ipso; non in odium & pœnam, sed in favorem ipsius.

397 Nec id minùs manifestum est ex dicto summario, cujus est hic tenor: *Superior contra subditum, maximè Prælatum* (nota ly *contra*) *de illis tantum inquiret, super quibus præcessit infamia* (non igitur de occultis, de quibus est Evangelicus ordo) *& tunc vocabit eum, & tradet sibi capitula, & nomina, & testium dicta publicabit, & ipsius legitimas exceptiones admittet*, &, *probato gravi crimine, eum ab administratione removebit. In Regularibus verò Prælatis ad unguem servandus non est hic ordo.* Cùm igitur verba ista, *hic ordo*, manifestè referantur ad immediatè præcedentia, quibus descriptus est ordo processûs judicialis; manifestum est in verbis sequentibus, *in Regularibus verò, &c.* sermonem non esse de ordine fraternæ correctionis, sed processûs judicialis dumtaxat.

398 Pateat ergo evidenter solida non esse fundamenta, quibus idem Author contra S. Thomam, contra Constitutiones nostras, contra communem Religiosorum sensum, probare nititur, Religiosam professionem esse cessionem juris Religiosorum ad propriam famam, per eamque amissum censeri jus secreti (respectivè ad Superiorem, ut patrem) post crimen occultum in Religione commissum. Quod si verum esset, sequeretur Superiorem præcipere posse, sibi ut patri immediatè denuntiari occulta fratrum crimina, ipsique hoc præcipienti inferiores obedire debere. Quod certissimè negat S. Thomas locis n. 384. allegatis. Sequeretur item professionem ejus qui diceret, nolo cedere juri quod habeo ad Evangelicum ordinem, & ad propriam famam, non esse Religiosam, nec talem esse professionem nostram: utpote qui secundùm Constitutiones nostras juri nostro non cedimus, uti perspicuum videtur ex citato earum loco, ubi sic: *Siquis contra suum Superiorem habuerit aliquid, quod in veritate tolerari non debeat, primò inter se & ipsum solum humiliter eum admoneat. Quam monitionem si neglexerit..... aliquem de discretioribus fratribus ad illum monendum inducat. Quòd si necdum resipiscat, Superiori Prælato denuntiet. Atque hunc ordinem correctionis Evangelicæ volumus omnes fratres invicem servare, & exercere in notabilibus culpis*, quibus scilicet fratrum fama minuitur. Hunc quippe ordinem servandum non esse in levibus, famæ non derogantibus, docet S. Thomas suprà ad 4. Constatque ex praxi Religionum omnium, in Capitulis immediatè denuntiantium leves culpas fratrum.

CAPUT XL.

Quid agere possit vel non possit Superior, vi simplicis denuntiationis sibi immediatè factæ ut patri.

COnstat ex dictis cap. 38. aliquando per accidens fratrem delinquentem immediatè denuntiari posse Superiori ut patri, quando scilicet periculum est ne crimen occultum ipsius noceat bono Religionis nomini, vel quando cedit in damnum tertii, vel spes probabilis non est delinquentem aliter se emendaturum. Quæritur ergo quid tunc Superior consequenter ad talem denuntiationem agere possit? 399

Respondeo 1°. Superiorem ex tali denuntiatione judicialiter procedere non posse, nec pœnam aliquam, quæ infamiam secum afferat, delinquenti infligere. Est certa omnium sententia. Quia delictum non fuit illi manifestatum ut judici ad puniendum, sed ut patri, ad subditum ex amore paterno corrigendum. Et tunc punire, judicialiterque procedere, esset contra jus evulgare delictum occultum, secretò sibi denuntiatum, cum grandi præjudicio communis boni. Inde quippe fieret, quòd à denuntiationibus immediatè factis Superiori tamquam patri omnes abhorrerent. Quo & salus delinquentis, & commune bonum Religionis plurimùm impediretur. 400

Respondeo 2°. cum Soto, Bannez, Suarez, &c. posse moderatâ pœnitentiâ, non punitivâ, sed correctivâ & præservativâ, delinquentem suaviter corrigere (modò neque infamiam irroget, nec delictum manifestet. Esset enim contra jus, ut dixi, delicto non probato, illud punire, secretòque manifestatum ad correctionem solam, per pœnitentiam divulgare) cæteraque facere, quæ (salvâ famâ ipsius) necessaria sunt ad consulendum bono delinquentis, communique bono Religionis, occasiones utique tollendo, socium ipsi fidelem assignando, qui ejus actiones exploret, Superiorique referat (non tamen dicendo socio, quòd illum ob- 401

ſervet, ſi delinquens apud ipſum nondum ſit diffamatus: quia per hoc ipſum ſocio ſuſpectum redderet) à Conventu etiam, & miniſterio aliquo ad nutum Superioris amovibili, ipſum titulo honeſto, abſque infamiæ periculo, prudenter removendo. Quòd ſi Superior ad id egeat auxilio Provincialis, vel conſilio diſcretorum, ſeu Conſultorum ſuorum, poterit & ipſis, ſub ſecreto naturali, notum facere in ordine ad paternæ correctionis remedium; ſicut & Provincialis Priori Conventûs, ad quem ipſum amovet, ut ſuper ipſum advigilet (ſummoperè cavendo, ne pluribus revelet, quàm neceſſe ſit, & ne Provinciali quidem revelando, ſi Prior ſufficienter poſſit providere. Aliàs grave committeretur peccatum, ob injuſtam læſionem famæ proximi) quia (ut paulò antè dixi) delatio ad Superiorem ut patrem ea omnia permittit, quæ neceſſaria ſunt ad finem iſtius delationis obtinendum, ad correctionem utique delinquentis, & impediendum ne noceat bono communi Religionis. Atque ita, poſt accuratam ea de re diſputationem, reſolutum & declaratum fuit in Congregatione ſexta generali Societatis, decreto XXXIII. uti teſtatur Cardinalis de Lugo diſput. 18. de juſtitia ſect. 7.

402 Denique ſi, poſt omnia paternè tentata, Superior videat ſe non proficere, ob contumaciam delinquentis, perſiſtentis in negando crimine, nec ullam dantis ſpem emendationis; delatori tandem præcipere poterit, ut à paterna delatione tranſeat ad judicialem. Ob rationem paulò antè datam, & præcipuè quia ſic Chriſtus præſcribit, dum ad Eccleſiam, ſeu Prælatum ut Eccleſiaſticum Judicem vult recurri, dum fraterna correctio, & teſtes adhibiti, ad delinquentis emendationem non ſufficiunt. Delatione verò judiciali factâ, Superior ut Judex poterit cauſam Religioſo fiſcali tradere, delatoremque velut teſtem aſſumere, alioſque teſtes quærere. Tenebiturque delator dicto Superioris præcepto obedire, niſi ob grave periculum ſibi imminens excuſetur. Habitâ verò ipſius teſtificatione, Superior procedere poterit ad delinquentem juridicè examinandum, cum prælectione proceſſûs, ut delinquens intelligat ſe juridicè ac legitimè interrogari, ad fatendamque proinde veritatem in conſcientia teneri. Ita Cardinalis de Lugo loco citato poſt Suarez tom. 4. de Relig. l. 10. c. 12. n. 30. Quia tamen iſto in judicio alia eſt ratio Regularium, alia ſæcularium, juxta citatum caput *qualiter & quando* de accuſat. juxta Suarez ibidem nomina teſtium ſupprimere poterit.

403 Meminerint tamen Superiores, in iis quæ ſibi delata ſunt tamquam patribus, famæ delinquentis parcere, quantùm fieri poteſt, caveantque ipſum, ob dictum unius, à Conventu facilè amovere, niſi aliæ præſumptiones concurrant, ſciantque 1°. ob ſolam majorem ſecuritatem ſibi non eſſe licitum procedere ad revelationes n. 400. dictas. Ob ea quæ dixi cap. præcedenti n. 393. & 394. 2°. in paterna correctione prudenter animadvertere, ne delationes, quæ ſibi tamquam patribus ſunt factæ, ſint falſæ, vel ex aliqua inimicitia vel circumventione procedant. Nam, ut veriſſimè Petrus Marchantius tribun. Sacram. tom. 3. tr. 4. tit. 2. q. 3. §. 9. rem in ſecreto debent explorare, antequam denuntiato aliquid indicent. Quia inde frequenter turbationes, odia, contentiones excitantur, quæ poſteà extingui non poſſunt.

CAPUT XLI.

Vitia charitati oppoſita recenſentur, deſcribuntur, ſcilicet odium, invidia, acedia, diſcordia, contentio, rixa, bellum, duellum, ſeditio, ſcandalum.

VItia illa, velut oppoſita charitati, re- 404
cenſet S. Thomas q. 34. & Doctores paſſim.

Odium eſt duplex, ſcilicet abominationis & inimicitiæ. Odium abominationis eſt alienatio ſeu averſio voluntatis ab aliquo, propter aliquod malum quod in eo concipimus. Odium verò inimicitiæ eſt illud quo alicui malum volumus, quà malum ipſius. Utrumque ex genere ſuo eſt mortale: utpote directè oppoſitum charitati, eamque natum deſtruere. Omne verò peccatum, per ſe charitatem deſtruens, ex genere ſuo mortale eſt. Unde 1. Joan. 3. *omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Aliquando tamen odium proximi ſolùm eſt veniale, ob imperfectum animi conſenſum, ſeu ex defectu deliberationis, vel ob materiæ parvitatem, vel quia nonniſi levem quis de proximo diſplicentiam habet, aut modicam averſionem. Imò nullum foret peccatum, odio habere peccatorem, non quà homo, ſed quatenùs peccator eſt, juxta illud Pſalm. 118. *Iniquos odio habui, & abominatus ſum.* Vel ipſi malum optare, non quatenùs malum eſt, ſed quatenùs peccati deſtructivum, vel proficuum ad converſionem ipſius. Sic enim Pſalmo eodem Regius Pſaltes dicebat: *Confundantur ſuperbi, quia injuſtè iniquitatem fecerunt in me.* Et ſimilibus deſideriis pleni ſunt Pſalmi, Librique Prophetarum.

Odium abominationis Dei, ſive averſio- 405
nis à Deo, inter alia peccata eſſe gravius, docet S. Thomas q. 34. a. 7. in corp. Quia in aliis peccatis, v. g. fornicatione, voluntas non avertitur à Deo ſecundùm ſe, ſed ſecundùm aliud, in quantum ſcilicet appetit inordinatam delectationem, quæ habet annexam averſionem à Deo. At dum aliquis odio abominationis odit Deum, voluntas ejus ſecundùm ſe avertitur à Deo. Semper autem id quod eſt per ſe, eſt potius eo quod

eſt

est secundùm aliud. Et reverà peccatum istud diabolicum est, seu infernale.

406 Quantùm ad odium proximi, an sit gravissimum eorum quæ in proximum committuntur? S. Doctor ait, quòd *ex deordinatione ejus qui peccat, odium est majus peccatum, quàm exteriores actus, qui sunt in proximi nocumentum. Quia scilicet per odium deordinatur voluntas hominis, quæ est potissimùm in homine, & ex qua est radix peccati. Unde si exteriores actus inordinati essent absque inordinatione voluntatis, non essent peccata; puta cùm aliquis ignoranter, vel zelo justitiæ hominem occidit. Et si quid culpæ est in exterioribus peccatis, quæ contra proximum committuntur, totum est ex interiori odio. Sed quantùm ad nocumentum, quod proximo infertur, pejora sunt exteriora peccata, quàm interius odium.* Ibidem a. 4. in corp.

407 Sed debetne, qui contra proximum habuit odium inimicitiæ, in confessione manifestare speciem mali proximo voliti? Negant Valentia, Bonacina, aliique plures. Quia voluntas illa non diversificatur specie penes diversitatem specificam malorum volitorum: utpote quæ omnia voluntas vult sub eodem motivo formali, quia scilicet sunt malum proximi. Affirmo nihilominùs (ordinariè loquendo) cum Sylvio, Merbesio, Suarez, &c. Quia qui vult tale malum proximo, utplurimùm vult illud quâ tale malum. Quemadmodùm ergo voluntas inferendi malum in vita, specie distinguitur à voluntate inferendi ipsi malum in bonis, vel in fama: sic voluntas quâ quis optat ipsi evenire malum in vita, distinguitur specie à voluntate quâ optat ipsi evenire malum in bonis, &c. Unde sic est de voluntate malorum, sicut de malis seu nocumentis volitis, de quibus S. Thomas q. 31. a. 4. ad 2^um. *Omnia* (inquit) *nocumenta, in quantum considerantur secundùm rationem communem mali, reducuntur ad odium; prout autem considerantur secundùm aliquas rationes speciales, vel boni, vel mali, reducuntur ad aliquas speciales virtutes, vel vitia.*

408 *Invidia* est tristitia, quâ de bono proximi tristamur, quia in eo nos æquat, vel superat. Haud dubiè est peccatum mortale ex genere suo. Quia directè etiam opponitur charitati: utpote cui directè contrariatur voluntas, ut proximus bono aliquo careat, ne in eo nos æquet, vel superet.

409 *Acedia* est tristitia de bono spirituali ac divino, in quantum est divinum, id est quatenus ex ordinatione Dei oportet ei adhærere ad salutem consequendam. Ita S. Thomas q. 35. a. 3. in corp. & ad 2. Unde patet quòd sit peccatum ex genere suo mortale, contrarium charitati. Nam proprius effectus charitatis est gaudium de Deo, sive de iis quæ sunt facienda propter Deum, inquit S. Doctor ibidem, & q. 11. de acedia a. 3.: *Sicut* (inquit) *invidia est peccatum mortale ex suo genere, in quantum adversatur charitati, quantùm ad dilectionem proximi; ita acedia ..... est peccatum mortale ex suo genere, in quantum adversatur charitati, quantùm ad dilectionem Dei.* Adversatur & præcepto, quo jubemur gaudere in Domino, Matth. 5. 11. & 12. Et Philipp. 4. 4. Et quo jubemur Deum desiderare, desiderandoque esurire & sitire justitiam, Matth. 5. Et cum timore & tremore salutem operari, Philipp. 2. 12. & 13. Et in charitate proficere, Matth. 25. Et vigilare & orare, Matth. 24. & Marci 13.

Discordia opponitur concordiæ, quæ 410
cùm sit *unio voluntatum, non unio opinionum* (S. Thomas q. 37. a. 1.) *discordia non est contrarietas opinionum, sed voluntatum,* quâ quis scienter & *ex intentione dissentit à proximo circa bonum Dei, vel proximi.* Et ideò est mortale peccatum ex suo genere, propter contrarietatem ad charitatem, *licet primi motus hujus discordiæ, propter imperfectionem actûs, sint peccata venialia,* ait S. Doctor ibidem.

Ubi etiam observat, quòd *concordia per* 411
discordiam dupliciter tollitur. Uno quidem modo per se; alio verò modo per accidens. Per se quidem in humanis actibus & motibus dicitur esse id quod est secundùm intentionem .... Per accidens autem .... ex hoc quòd aliquid est præter intentionem. Unde cùm intentio aliquorum est ad aliquod bonum, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem proximi; sed unus æstimat hoc esse bonum, alius autem habet contrariam opinionem: discordia tunc est per accidens contra bonum Dei, vel proximi. Et talis discordia non est peccatum, nec repugnat charitati, nisi hujusmodi discordia sit, vel cum errore circa ea quæ sunt de necessitate salutis, vel cum pertinacia, vel contemptu, vel odio, seu etiam diffamatione eorum qui contrarium sentiunt, uti frequenter hodie contingit, non sine gravi Dei offensa, fraternæque charitatis & justitiæ læsione.

Ad discordiam pertinent *contentio, schisma, bellum, seditio, rixa.* Si enim discordia sit circa veritatem, eamque cum altercatione verborum quispiam impugnet, vocatur *contentio.* Si discordia ista eousque procedat, ut se quis ab Ecclesiæ unitate sejungat, Romanoque Pontifici, Ecclesiæ Capiti, subesse nolit, dicitur *schisma.* Si ad animorum discordiam violentia armorum accedat inter Rempublicam & Rempublicam, est *bellum.* Si armorum violentia, vel præparatio ad illam, non sit inter Rempublicam & Rempublicam, sed inter multitudinem & multitudinem ejusdem Reipublicæ, est *seditio.* Si denique inter paucas personas privatas sit pugna factorum, est *rixa,* quæ (ut sanctus Doctor ait q. 41. a. 1.) videtur esse quoddam privatum bellum, quod inter personas privatas agitur. Ad eam 412

proinde pertinet *duellum*, privatâ factum authoritate, de quo sit

CAPUT XLII.

Duelli malitia ostenditur.

413 *Duellum* est pugna duorum, vel paucorum ex condicto ad certum locum & tempus, cum periculo vitæ. Certissimè nunquam est licitum privatâ authoritate illud offerre, vel acceptare, etiam prætextu defendendi honorem suum, tametsi eo non oblato, vel non acceptato, officium vel militia cum gravi familiæ detrimento deserenda foret. Idque

414 Probatur 1°. quia nefas est quemquam occidere privatâ authoritate; imò solius Dei authoritate hominem occidere licet, uti Deo dante ostendam ad 5. Decalogi præceptum. Et ratio est, quia solus Deus est Dominus vitæ hominis; sine consensu verò Domini (qui duellandi authoritatem nulli privato concessit) rem ipsius destruere non licet.

415 2°. quia Concilium Tridentinum sess. 25. c. 19. gravitatem istius criminis declarat, cùm dicit, quòd *detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus est, ut cruentâ corporum morte, animarum perniciem lucretur; ideòque ex Christiano orbe penitùs exterminandus sit.*

416 3°. illicitum est hominem occidere in defensionem proprii honoris & famæ, uti demonstrabitur loco citato, constatque ex 30. propositione per Innocentium XI. damnata: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.* Cùm igitur istæ præcipuæ sint duellorum causæ; quemadmodùm pro iis non licet occidere; ita nec se & proximum periculo proximo occisionis exponere.

417 4°. neque etiam viro equestri duellum acceptare licet ad evadendam timiditatis notam, prout Alexander VII. declaravit, dum propositionem hanc 2am. damnavit: *Vir equestris, ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

418 5°. apud Deum & homines, rectam rationem sequentes, nullam incurrit infamiam, sed honorem & gloriam, qui, ut divinis humanisque legibus duella prohibentibus obediat, seipsum & passionem suam vincendo, Christique patientiam & mansuetudinem imitando, duellum injuriatus non offert, nec provocatus acceptat. Quisquis verò vel illud offert, vel acceptat, apud Deum & homines recta sapientes perpetuam incurrit infamiam, perpetuòque infamis declaratur à Concilio Tridentino, & à Gregorio XIII. excommunicaturque ab utroque, &, si in duello moriatur, Ecclesiasticâ privatur sepulturâ. Errant proinde, ac vehementer errant, qui putant gloriosum esse, se provocanti sistere, vel injuriantem provocare, atque in certamine occidere: non enim fortes, sed furiosi; non generosi, sed ignavi; non illustres, sed turpes & infames existimandi sunt. Cùm nihil in furioso illo certamine sit, quod non sit omni scelere, & insigni turpitudine cumulatum. Quòd si hoc gloriosum reputent mundani homines, gloria ista vera non est, nec Christiana, sed fatua & diabolica, utpote non proveniens ex virtute, sed ex enormi scelere, similis insaniissimæ gladiatorum gloriæ; vel illi, quam se reportare putant, qui acceptas ulciscuntur injurias; vel etiam illi, quam se reportare existimabant veteres illi Stoïci, quibus gloriosum videbatur sibimetipsis mortem adscíscere, ne confusionem, vel injuriam, vel aliud grave malum præsentis vitæ paterentur, ita ut Seneca Catonem magnis extulerit laudibus, quòd se veneno enecasset, ne in potestatem hostium veniret. Quemadmodùm ergo in his non est vera generositas, nec vera gloria, sed falsa & insana, verumque argumentum imbellis ingenerosique animi: utpote non valentis contemnere judicium falsum insensatorum hominum, nec pro Deo & virtute injuriam verè vel imaginariè illatam sufferre, seipsumque & insurgentem passionem vincere (cùm tamen fortior, atque adeò generosior sit *qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia*) ita & in casu nostro judicant, qui recta sapiunt, quique Dei, Ecclesiæ, Principumque suorum judicium, vanissimorum insaniissimorumque hominum judicio, ut par est, anteponunt.

6°. se & complicem evidenti mortis pe- 419
riculo pro vana illa gloria exponere, æquè patenter est contra amoris ordinem, quàm pro ea cum Stoïcis seipsum interimere, vel cum gladiatoribus digladiari, vel acceptas injurias privatâ authoritate ulcisci: quemadmodùm enim per hæc amoris ordo execrabiliter pervertitur, non sine multiplici fatuitate; ita similiter, &c. Prima namque id facientium fatuitas est, quòd se taliter exponere sibi gloriosum putent; cùm tamen (ut suprà dixi) coram Deo, Sanctis omnibus, & cunctis æquis rerum æstimatoribus summè execrabile sit. Secunda, quòd gloriam illam imaginariam vitæ suæ præferant. Tertia, quòd eamdem præferant saluti suæ, gloriæque æternæ. Quarta, quòd magis horreant timiditatis notam apud vanissimos homines, quàm æternam confusionem, aliaque horribilia inferni supplicia æternùm duratura. In his ergo omnibus imitatores sunt execrabilis fatuitatis Stoïcorum, de quibus proximè, sicut & gladiatorum, & ulciscentium semetipsos; nec magis excusabiles quàm ipsi. Nec certè pro vanissima illa gloria duellantes multùm distant à Stoïcis illis: cùm

distantia non admodùm magna sit inter vanè se occidere, & vanè se evidenti periculo occisionis ultrò exponere.

420 Videant proinde Reipublicæ Rectores, quàm grandis culpæ rei sint, si detestabilem, imò diabolicum duellorum usum non impediant, cùm possint, duellantes, velut infames, ab honoribus removendo, bona ipsorum confiscando, aliasque pœnas contra duellantes statutas rigorosè exequendo; duella verò recusantes honoribus præmiando.

421 Videant juniores nonnulli Casuistæ, quàm inanis sit ratiocinatio, quâ permittunt, ut provocati ad duellum, horâ condictâ ad locum certaminis se conferant, non animo duellandi, sed se defendendi contra provocantem, si ab ipso invadantur; ne famam viri strenui, quæ nobilibus æquè chara est ac vita ipsa, amittant. Neque enim ad locum destinatum, horâ condictâ, ad conservandam strenui viri notam, comparere possunt sine lethali peccato, excommunicationisque incursione: cùm eo ipso duellum acceptare censeantur, quo se horâ condictâ ad locum illum conferunt, eoque ipso evidenti se periculo occisionis exponant ad conservandam famam strenui viri; quæ profectò est ipsissima vanissima, insanissimaque gloria, de qua antè; pro qua vitam evidenti periculo exponere, est amoris ordinem graviter perturbare. Quid enim aliud ex illa comparitione expectandum est, nisi quòd is qui provocavit, in duellandi voluntate persistens, ipsum ad gladium eximendum, sive ad gladiandum provocaturus sit? Si ergo cum tanto periculo comparere licitum esset ad conservandam viri strenui famam, duellum acceptare liceret, eumdem ob finem; vel si hoc non liceat, nec illud.

CAPUT XLIII.

Requisita ad justitiam belli.

422 *Bellum*, certis conditionibus vestitum, etiam in lege nova esse licitum, contra Manichæos, & Erasmum, contra Lutherum etiam (qui voluit illicitum bellare contra Turcas) fide certum est ex Genes. 14. ubi Abraham bellum gessisse legitur, & victor redux à Melchisedech fuisse benedictus. Necnon ex illis Scripturæ locis, in quibus Deus Israëlitis jussit bellare adversus Cananæos, Amalecitas, Madian, &c. In nova etiam lege Joannes Luc. 3. rogatus à militibus, quid ipsis faciendum esset ad salutem, respondit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & estote contenti stipendiis vestris. Quibus* verò *proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare non prohibuit*, ait Augustinus ad eum locum.

423 Ad hoc autem ut bellum licitum sit & justum, tria requirit S. Thomas q. 40. a. 1. Primò, ut publicâ fiat authoritate Principis, cujus mandato bellum est agendum. Non enim pertinet ad personam privatam bellum movere: quia jus suum in judicio superiori potest prosequi; nec ad personas privatas pertinet convocare multitudinem, seu exercitum congregare, sed ad Principem, cui commissa est cura Reipublicæ, defensioque jurium ipsius, ac subditorum suorum. Et sicut ad eos pertinet subditos suos adversus perturbatores interiores, seu malefactores tueri gladio materiali, juxta illud Rom. 13. *Non sine causa gladium portat: minister enim Dei est, vindex in iram ei qui malè facit*; ita & Rempublicam, membraque illius tueri adversus exteriores hostes gladio belli. Propterea namque Principibus Psalm. 80. dicitur: *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Unde Augustinus dicit lib. 22. contra Faustum c. 75. *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus, hoc poscit, ut suscipiendi belli authoritas atque consilium penes Principes sit.*

Secundò, requirit causam justam, ut sci- 424
licet illi qui impugnantur, propter aliquam culpam, impugnationem mereantur. Unde Augustinus dicit in lib. 83. qq. q. 10. *Justa bella solent definiri, quæ ulciscuntur injurias, si gens vel civitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per injuriam ablatum est.*

Tertiò, requirit intentionem bellantium 425
rectam, quâ scilicet intenditur, vel ut bonum promoveatur, vel malum vitetur. Unde Augustinus in lib. de verb. Dom. *Apud veros Dei cultores, vel illa bella peccata non sunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coërceantur, & boni subleventur.*

Potest autem contingere, quòd licèt sit 426
legitima authoritas indicentis bellum, & causa justa, nihilominùs propter pravam intentionem bellum reddatur illicitum. Dicit enim Augustinus in lib. 22. contra Faust. c. 74. *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & siqua sunt similia, hæc sunt quæ in bellis jure culpantur.* Hactenùs S. Thomas.

Ad rectam porrò bellandi intentionem, 427
causamque belli justam, ante oculos esse debet doctrina tomo 1. tradita de ordine amoris, juxta quam Princeps, bellum inferre cogitans pensare debet 1°. hinc commoda belli, inde commoda pacis, ac videre utra pensatis omnibus præponderent. 2°. hinc incommoda belli, quod inferre vult, inde incommoda injuriæ, quam vult bellando propulsare; iisque pensatis, similiter videre utra præponderent, non solùm habitâ ratione humanarum utilitatum, sed & maximè honoris Dei, Religionis & Ecclesiæ. *Quærite* enim *primùm regnum Dei, & justitiam ejus*, dicit Dominus. Si ergo ma-

jora sint incommoda, quàm commoda belli & pacis, per ordinem ad honorem Dei, bonumque Religionis, & Ecclesiæ; certum est pacem bello præeligendam, secundùm ordinem amoris: utpote secundùm quem esse oportet talem amoris & electionis ordinem, qualis est ordo rerum quoad præstantiam. In ordine verò rerum certum est, honorem Dei, bonumque Religionis & Ecclesiæ (utpote præstantius) bono Statûs politici præferendum esse.

428 Propterea S. Thomas a. 2. ad 2. angelicè dicit, quòd *bella carnalia in populo fideli sunt referenda, sicut ad finem, ad bonum spirituale divinum*: hoc est dicere, quòd Reges ac Principes, sicut in omnibus, tam publicis, quàm privatis actibus suis; ita maximè in bellis gerendis, primam divini honoris rationem habere debeant, eumque tamquam finem respicere; non uno, sed pluribus titulis; quatenùs scilicet ad Deum se habent tamquam servi ac vasalli ad dominum; tamquam Vicereges ad Regem regum; tamquam filii ad patrem; tamquam creaturæ ad Creatorem; tamquam redempti ad Redemptorem; tamquam beneficiati ad Benefactorem, à cujus solius nutu, & propter cujus solius cultum & obsequium omnem potestatem suam, regnum, & vitam ipsam feudatario jure acceperunt: *Non* enim *est potestas, nisi à Deo.* Rom. 13. Et non haberent potestatem ullam, *nisi ipsis datum esset desuper.* Joan. 19. Quidquid verò à Deo est, propter Deum esse oportet. Quia *universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Prov. 4. *Non* enim *propter vos ego faciam* (ait Dominus) *sed propter nomen sanctum meum.* Ezech. 36.

429 Agnovit hoc Constantinus Magnus, dum (apud Eusebium, de laudib. Constant.) sic ait: *Humanus iste principatus, quoniam ad breve tempus est duraturus, summi istius Imperatoris regno amplificando serviat necesse est.*

430 Agnoverunt ipsi etiam Ethnici Romanorum Imperatores, dum cultui deorum amplificando tot legibus, & Christianorum persecutionibus insudarunt, in eorum cultu felicitatem imperii sui collocantes.

431 Ipsi quoque sanctissimi Pontifices Romani, Imperatores ipsos hujus officii sui sæpiùs admonuerunt. Unius Leonis Magni ad Leonem Augustum epist. 75. verba referam: *Debes incunctanter advertere (Imperator) regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.* Sanè non eâ lege Reges à Deo constituti sunt, ut ipsi soli cum politico Statu suo floreant, atque dominentur, sed ne Respublica Domini à perduellibus Majestatis ejus oppugnata detrimentum patiatur; ne fides, quâ ipse Dominus dominorum à subditis cognoscitur, & Religio, quâ colitur, & in animis hominum, velut in propria sede regni sui, dominatur, per infidelium & hæreticorum conatus pereat, vel detrimentum patiatur.

Videant proinde Reges ac Principes, 432
quàm grandi se crimine implicent, dum bella inferunt, vel fovent, in Ecclesiæ stragem; vel sua hæreticis arma jungunt, adversus Catholicum Regem suum rebellantibus, vel provincias, aut civitates Catholicas oppugnantibus, Catholicæque Religionis exercitium ab expugnatis civitatibus ac provinciis exterminantibus. Neque enim tanti mali causa sunt per accidens dumtaxat, ac præter intentionem: quia licèt hoc expressè non intendant, intendunt indirectè, dum sine causa tantis malis præponderante, vel illa compensante, divini honoris, Catholicæque Religionis bonum, Statûs politici bono postponentes, per milites suos murorum Catholicæ civitatis defensores occidunt, mœnia dejiciunt, portas aperiunt, hæreticos introducunt, ac per hæc in causa sunt, quòd hæreticorum rabiei ac furori Antistites, Sacerdotes, Religiosi, virgines, Pastores plebis, ipse denique Christus in augustissimo suo Sacramento, sacraque Templa ipsius, imagines, Sacrificium, Sacramenta, cultus divinus, & Catholica fides exponantur; eliminatâque Religione Romano-Catholicâ, Lutherana, & Calviniana pseudoreligio stabiliatur. Ista mala à supradictis Catholicis Principibus, saltem indirectè intendi, ex eo videtur manifestum, quòd eorum per se causa sint, non per accidens dumtaxat. Tam enim per se causa sunt invasionis, quâ hæretici invadunt Corpus Christi verum & mysticum, quàm illi per se causa sint occisionis innocentis, in cubiculo suo latitantis, qui fores ipsius effringunt, & in istud cubiculum sicarium armatum immittunt, à quo innocens occiditur.

Monendi sunt etiam Reges ac Principes, 433
à se gravissimè amoris ordinem perverti, dum bellum movent allaturum mala, secundùm Christianam æstimationem longè atrociora iis, quæ bello omisso sequerentur. Neque enim tunc excusabiles sunt per principium istud, à plerisque Casuistis malè intellectum: *Quando una eademque causa plures habet effectus, unum bonum, alterum malum, licitum est eam ponere, intendendo effectum bonum*, sese permissivè habendo circa malum. Neque enim principium istud verum est, sed falsum, ordinatoque amori contrarium, dum ex una parte effectus malus tam certò & per se, sive ut in pluribus sequitur, quàm bonus; ex alia verò parte bonitas effectûs boni non compensat malitiam effectûs mali, sed hæc illi plurimùm præponderat, uti demonstratum est tomo 1.

CAPUT XLIV.

Peccata, quæ utplurimùm committuntur in bello.

434 PEccant imprimis Reges ac Principes, si bella moveant, neglectis conditionibus, capite superiori requisitis; vel hæreticis cooperentur ad occupandas ab ipsis Catholicas ditiones, in quibus sacra Templa profanabuntur, Catholica Religio minuetur, Lutherana, Calviniana, &c. ampliabitur, aliaque ejusmodi sequentur; vel si bellum moveant, contra fidem datam in fœdere pacis, vel induciarum. Nec excusantur, quia timent ne Princeps, quem aggredi volunt, fiat nimis potens, vel etiam ne ipse, posteà rupto fœdere, cùm sibi opportunum fuerit bellum indicat. Non ex priori capite: quia asserere, quòd alterius nimiùm excrescens potentia, justa sit belli ipsi inferendi causa, pertinet ad pseudopoliticam Machiavelli, quam Apostolus improbat dicens: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Atqui malum est innoxiè possidentem turbare per bella, secum trahentia tot mala, humano generi tam pernicioſa. Cùm enim alienum non possideat, nec cuiquam injuriam faciat, nulla est justa causa ipsi bellum inferendi. Sine justa verò causa bellum inferre malum est. Et si malum non esset ipsum bello impetere, daretur bellum materialiter utrimque justum: cùm & ipse procul dubio justè se defenderet, & alter justè ipsum aggrederetur. Omnes autem Doctores fatentur, impossibile esse dari bellum utrimque justum, saltem materialiter. Cùm ad unam eamdemque rem duo jus in solidum habere nequeant, nec justitiæ veritas stare queat, nisi ab una parte ex duabus sibi mutuò contradicentibus.

435 Non potest etiam ipsi bellum inferre posteriori ex capite: quia scilicet timet ne ipsi posteà bellum indicat, &c. Quia justa belli causa non est ille timor, quamdiù alter nullam injuriam facit: quamdiù enim injuriam nullam facit, innocens est: bello proinde impeti non potest. Accedit quòd si timor foret justa belli inferendi causa, daretur bellum utrimque materialiter justum, ut antè, mundusque totus sub illo prætextu facilè bellis innoxiè flagraret. Cùm timor ille vicinis Principibus facilè semper occurrat.

436 Quando verò Princeps necessitate coactus bellum gerit, providere debet de expertis timoratisque belli Ducibus, ne mala, quæ per Duces minùs expertos & minùs timoratos Reipublicæ obveniunt, ipsi imputentur. Providere item, ut sua militibus stipendia statis temporibus solvantur. Aliàs causa est damnorum innocentibus obvenientium ex spoliis militum, nisi per impotentiam excusetur.

Secundò, belli Duces contra justitiam 437
graviter peccant, dum milites stipendiis suis fraudant, militumvè concussiones, rapinas, stupra, &c. justis non coërcent pœnis. Cùm ex officii debito & illa solvere, & ista teneantur impedire. Ad restitutionem proinde tenentur, dum pro posse non impediunt. Rapinæ quoque rei sunt, & obnoxii restitutioni, dum, acceptâ ab aliquibus pagis pecuniâ, eos oneri communi subducentes, alios pagos majori militum copiâ gravant. Quia tenentur ex officio servare justitiam distributivam, ut pagi, in quos milites sunt distribuendi, æqualiter, quantùm fieri potest, graventur. A pagis verò, per quos transitus ipsorum non est à Principe vel Duce supremo præscriptus, jus nullum habent quidquam exigendi, nullumque titulum pecuniam ab ipsis extorquendi.

Tertiò, contra justitiam etiam graviter 438
peccant belli Duces, si non compleant numerum militum, pro quo stipendia accipiunt, sed fictitios milites substituant. Nec excusantur prætextu compensationis debiti, quo Princeps ipsis obstringitur, propter ingentia mala contra Reipublicæ bonum inde nata sequi. Nec sola restituere debent stipendia, quæ injustè accipiunt, sed & resarcire damna, quæ Principi vel Reipublicæ ex imminutione legionum vel cohortium proveniunt.

Quartò, rapinæ rei sunt milites, qui ru- 439
sticos, aut cives, apud quos sive in itinere, sive in præsidiis hospitantur, hostiliter vexant, spoliant, pecuniasque, aut alia ad ipsos spectantia auferunt, vel extorquent, præter id quod ipsis constitutum est. Et idem est de Ducibus ista dissimulantibus. Istæ namque sunt injustæ concussiones, quibus justitia violatur, sicut & præceptum à Præcursore Domini militibus annuntiatum Luc. 3. *Neminem concutiatis*, &c. Nec excusantur, propterea quòd stipendia ipsis non suppeditantur. Non enim ideò bona innocentium ipsis in compensationem obligantur.

Quintò, tametsi militibus liceat, jussu 440
Principis, vel Ducis, in bello justo deprædari hostes, & ea quæ per violentiam ab ipsis accipiunt, ipsorum efficiantur, uti docet S. Thomas 2. 2. q. 66. a. 8. ad 2. peccant tamen in acceptione prædæ per cupiditatem, ex prava intentione, si scilicet non propter justitiam, sed propter prædam principaliter pugnent, ait S. Doctor ibidem: dicit enim Augustinus in lib. de verb. Dom. quòd *propter prædam militare, peccatum est.* Imò rapinæ rei sunt milites (ait Natalis Alexander to. 10. lib. 4. c. 9. a. 3. reg. 19.) qui in bello, etiam justo, prædas agunt, occidunt, domos incendunt, &c. absque jussu Principis, vel Ducis. Tunc enim privatâ authoritate bellum gerunt, hostilesque actus exercent. Multò magis rapinæ rei sunt rustici (inquit) qui hæc at-

tentant, cùm militiæ non sint inscripti. Nec ipsos excusat dictum Tertulliani: *Contra publicos hostes omnis homo miles est.* Cùm ne ipsi quidem milites inscripti id facere possint, nisi jussu Principis, vel Ducis militiæ, uti proximè dictum est. Si tamen rustici hostilium partium, rusticos nostros hostiliter persequerentur & spoliarent, isto casu Natalis Alexander licitum putat rusticis nostris, qui aliter satisfactionem obtinere non possunt, hostiles in agros excurrere, usque ad damnorum & injuriarum compensationem. Bello enim fervente, pars utraque consensum sui Principis habere præsumitur, ad sic repetenda sua, quæ aliter recuperari non possunt. Sed circa hoc dubito, an non requiratur expressa concessio Principis, sicut ad repræsaliam. Neque enim rustici id facere posse videntur, nisi jure repræsaliæ, ad quam si non sufficiat præsumptus Principis consensus; nec ad illud sufficit.

Porrò ad repræsaliam justam, requiri videtur expressa Principis concessio, ne alioqui repræsaliæ nimis facilè fiant. Cùm tamen fieri non debeant, nisi magnâ consideratione, examinatâ justitiæ causâ, cum cautela etiam, ne in personas innocentum nimis sæviatur, & ne ad Clericos, seu personas Ecclesiasticas, vel earum bona repræsaliæ extendantur. Id enim Gregorius X. cum Concilio Generali Lugdunensi, sub pœna excommunicationis prohibet, cap. *pignorationes* de injur. & damno dato in 6.

441 Sextò, graviter peccant milites, qui ad militandum cuilibet Principi, etiam Catholico, sese offerunt cum indifferentia, nihil aliud quærentes, nisi militare illi qui plus vel ampliùs solvit. Quia isto facto suo satis ostendunt, parum sibi curæ esse, justo an injusto bello se addicant, seque avaritiæ potiùs quàm justitiæ militare.

442 Septimò, graviter peccant in bello cives vel rustici, qui istos vel illos milites spoliant vel occidunt; eo prætextu, quòd ab aliis ejusdem cohortis, legionis, vel exercitûs, vel ipsimet, vel alii ad ipsos aliquo modo spectantes vexati, spoliati, vel occisi fuerint. Graviter (inquam) peccant contra justitiam. Tum quia sine legitima potestate hoc faciunt. Tum quia ista est vindicta in eos qui non peccaverunt. Tum quia causa sunt injusta damnorum, quæ aliis civibus vel rusticis ejusdem oppidi vel pagi evenire solent, à militibus, qui commilitonum suorum injurias ulcisci solent.

443 Octavò, graviter peccant contra justitiam cives & rustici, qui merces suas militibus cariùs vendunt quàm aliis.

444 Nonò, graviter etiam utrique peccant contra justitiam, dum res alienas à militibus furto sublatas emunt: tametsi emere possint res quas milites Principis aut Ducis jussu surripuerunt, ne iis hostilis exercitus uteretur, ut sunt grana, arma, equi, pabula equorum, &c. Isto namque casu, jure gentium, militum efficiuntur. Peccant similiter contra justitiam, dum res à militibus furto sublatas, discedente exercitu derelictas, sibi vendicant, nisi similes sint iis, quas milites ipsis surripuerunt. Quo casu licita est ipsis compensatio, si discerni nequeat cujus sint in individuo.

Decimò, peccant Clerici, si se militiæ 445
implicent. Quia ipsis prohibitum est bellare, sub pœnis gravissimis, privationis utique usûs Ordinum, reclusionis in Monasterio, &, si in bello moriantur, prohibetur offerri pro iis sacrificium. Et ratio est, quia bellica exercitia maximè repugnant statui ipsorum: quia militant Deo, & nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, 2. Timoth. 2. Iis præsertim, quæ aliena sunt à mansuetudine Christi, qui proprium pro nobis sanguinem fudit, non alienum. Et propter hoc statutum est, ut effundentes sanguinem, etiam sine peccato, sint irregulares, ait S. Thomas q. 40. a. 2. in corp. Non incurrunt tamen irregularitatem, si bello injusto impetiti, se & commune bonum defendant. Pro quo videri potest Clementina *si furiosus.* Videnda etiam quæ to. 3. lib. 7. sub finem dicturi sumus.

Cæterùm conveniunt Doctores, Clericis, 446
de licentia Superioris, concessum esse bello interesse, non ut ipsi manu propriâ pugnent, sed ut justè pugnantibus spiritualiter subveniant exhortationibus suis, Sacramentorum administratione, &c. Siquidem hunc in finem Episcopi & Clerici olim ad bella procedebant, & in veteri lege Sacerdotes jubebantur sacris buccinis in bello clangere. Josue 6. Quòd autem aliqui propriâ manu pugnent, abusionis est, ait sanctus Thomas ibidem a. 2. ad 2. Et quia bella carnalia populi fidelis ad bonum spirituale divinum referenda sunt, sicut ad finem, cui Clerici deserviunt; ideò ad Clericos pertinet disponere & inducere alios ad bellandum bella justa. Non enim ipsis interdicitur bellare, quia peccatum sit, sed quia bellandi exercitium personæ & statui ipsorum non congruit, ait S. Thomas ibidem.

CAPUT XLV.

Definitio, divisio, & malitia scandali.

Scandalum à S. Thoma q. 43. a. 1. defi- 447
nitur, dictum vel factum minùs rectum, præbens alteri occasionem spiritualis ruinæ. Unde patet esse peccatum ex suo genere mortale, contra charitatem: utpote quæ prohibet voluntariè inferre proximo spirituale nocumentum.

Dicitur 1°. *dictum vel factum minùs re-* 448
ctum; non quòd ad scandalum necesse sit, dictum vel factum scandalizans esse reipsâ malum; sed vel reipsâ malum, vel habens spe-

ſpeciem mali. Sub dicto verò, vel facto, comprehenditur omiſſio, præbens ſimiliter proximo occaſionem ſpiritualis ruinæ. Sub dictis etiam comprehenduntur ſcripta, ſive impreſſa, ſive non.

449 Per conſequens pars illa prior complectitur 1°. cantilenas, vel colloquia impudica, inter quæ frequenter magis ſcandalizant impudicitiam verbis æquivocis partim inſinuantia, partim tegentia; quæ proinde fatuum eſt à malitia ſcandali titulo recreationis excuſare.

2°. verba contumelioſa, contemptiva, irriſoria, ſeu quocumque modo irritativa.

3°. libros fabuloſos, vulgò Romannos, qui libidinem, vel alios vitioſos affectus legentibus inſpirant, & hodie tam mulierum, quàm virorum, præſertim juvenum, nobiliumque manibus tam frequenter teruntur.

4°. ſententias, ſeu propoſitiones & doctrinas, quas Eccleſia velut ſcandaloſas damnat, quibus Dei & Eccleſiæ mandata tot limitationibus, perniciosiſque interpretationibus convelluntur, ut vix remaneat præceptis locus. Unde fit, ut vivant homines, non ſicut oportet, ſed ſicuti volunt, ferèque liceat quidquid lubet, ait Cardinalis Bona princip. vit. Chriſt. p. 2. §. 46.

Poſterior verò pars definitionis, *factum*, 450 &c. ea omnia facta complectitur, quæ vel ex expreſſa, vel ex interpretativa agentis intentione proximo dant occaſionem ſpiritualis ruinæ. A ſpeciali proinde peccato ſcandali excuſabiles non ſunt vaniſſimæ illæ puellæ ac feminæ, quæ vel ornatu ſuo meretricio, vel illecebroſâ nuditate, juvenum animos ad libidinem excitant, tametſi hoc expreſsè non intendant. Nec magis excuſabiles ſunt Eccleſiaſtici illi, ex quorum laſciva, vel faſtuoſa, vel ebrioſa, vel nimis mundana vita tot hodie ſcandala in plebe naſcuntur. Nam (ut rectè Sylveſter, Navarrus, Suarez, & Doctores paſſim contra Cajetanum tradunt) ad contrahendam ſpecialem malitiam ſcandali, expreſſa non requiritur intentio cauſandi aliis mortem ſpiritualem; ſicut ad contrahendam ſpecialem malitiam corporalis homicidii, neceſſaria non eſt intentio expreſſa cauſandi ipſis mortem corporalem, ſed ſufficit interpretativa: quæ eſt dum quis prævidet, vel poteſt & debet prævidere, ex dicto vel facto ſuo minùs recto periculum ruinæ ſpiritualis in proximo. Tunc enim charitas (quæ non permittit exponere proximum iſti periculo) dictat à facto illo vel dicto abſtinendum; & qui non abſtinet, æquè indirectè vult & cauſat ruinam ſpiritualem ipſius, quàm indirectè vult & cauſat ruinam corporalem vel temporalem proximi, per furtum vel homicidium, qui abſtinere non vult à dicto vel facto, quo proximum exponit illius periculo. Et ſicut ad malitiam peccati contrahendam neceſſe non eſt, ut malitia iſta expreſsè intendatur (quod profectò magis diabolicum eſt, quàm humanum) ſed ſufficit quòd interpretativè: ſic ad malitiam ſcandali contrahendam, &c.

Fateor tamen allatam ſcandali definitio- 451
nem, ſolùm eſſe definitionem ſcandali activi, non paſſivi. Unde ad utrumque comprehendendum, ſcandalum generaliter definiri poteſt, occaſio ſpiritualis ruinæ ex dicto vel facto alterius; occaſionem amplè ſumendo, pro occaſione tam accepta, quàm data. Et ſic

Scandalum dividitur in activum & paſſi- 452
vum. *Activum* eſt dictum vel factum minùs rectum, præbens alteri occaſionem cadendi in peccatum. *Paſſivum* eſt peccatum occaſionatum, ſive in quod quiſpiam labitur, occaſione acceptâ ex dicto vel facto alterius.

Paſſivum ſubdividitur in *datum*, ſeu puſillorum, & *acceptum*, ſeu Phariſæorum. *Datum* eſt, quod oritur ex activo, ſive ex dicto vel facto alterius, quod attentâ humanâ fragilitate, vel ignorantiâ, dat alteri occaſionem peccandi. *Acceptum*, ſeu phariſaicum, eſt illud, quod non oritur ex activo, ſed ex ſola peccantis malitia: qualiter Scribæ & Phariſæi occaſionem odiendi, calumniandi, & perſequendi Chriſtum acceperunt ex innocentiſſimis, ſanctiſſimiſque dictis & factis ipſius.

Itaque ſanctus Thomas loco citato ad 1. 453
rectè obſervat, quòd *dictum vel factum alterius poteſt eſſe dupliciter alteri cauſa peccandi; uno modo per ſe, alio modo per accidens. Per ſe quidem, quando aliquis ſuo malo verbo vel facto intendit alium ad peccandum inducere; vel etiamſi hoc ipſe non intendat, ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet quòd ſit inductivum ad peccandum, puta cùm aliquis publice facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati. Et tunc ille qui hujuſmodi actum facit, propriè dat occaſionem ruinæ. Unde vocatur ſcandalum activum.*

Per accidens autem aliquod verbum vel fa- 454
ctum unius eſt alteri cauſa peccandi, quando, etiam præter intentionem operantis, & præter conditionem operis, aliquis malè diſpoſitus, ex hujuſmodi opere inducitur ad peccandum, puta cùm aliquis invidet bonis aliorum. Et tunc ille qui facit hujuſmodi actum rectum, non dat occaſionem, quantùm in ſe eſt; ſed alius ſumit occaſionem, ſecundum illud Rom. 7. " Occaſione autem acceptâ, &c. " *Et ideò hoc eſt ſcandalum paſſivum ſine activo. Quia ille qui rectè agit, quantùm eſt de ſe, non dat occaſionem ruinæ, quam alter patitur. Quandoque ergo contingit, quòd etiam ſit ſimul ſcandalum activum in uno, & paſſivum in altero, puta cùm ad inductionem unius, alius peccat; quandoque ſcandalum activum ſine paſſivo, puta cùm aliquis inducit alium verbo vel facto ad peccandum, & ille non conſentit; quandoque verò eſt ſcandalum paſſivum ſine activo.*

CAPUT XLVI.

Ad vitandum scandalum phariſaïcum, nulla bona, ſeu ſpiritualia, ſeu temporalia, dimittenda ſunt: licèt, ad vitandum ſcandalum puſillorum, aliquando dimittenda ſint bona temporalia; imò & ſpiritualia vel occultanda, vel differenda, ſi ad ſalutem non ſint neceſſaria.

455 TOta hæc aſſertio eſt ſancti Thomæ, eam ſolidè probantis q. 43. a. 7. & 8. In ſeptimo namque *conſiderandum eſt* (inquit) *quid ſit dimittendum, ne alius ſcandalizetur. Eſt autem in ſpiritualibus bonis diſtinguendum: nam quædam horum ſunt de neceſſitate ſalutis, quæ prætermitti non poſſunt ſine peccato mortali. Manifeſtum eſt autem, quòd nullus debet mortaliter peccare, ut alterius peccatum impediat. Quia ſecundùm ordinem charitatis, plus debet homo ſuam ſalutem ſpiritualem diligere, quàm alterius. Et ideò ea quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, prætermitti non debent propter ſcandalum vitandum.*

456 *In his autem ſpiritualibus bonis, quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, videtur diſtinguendum. Quia ſcandalum quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit, cùm ſcilicet aliqui volunt impedire hujuſmodi ſpiritualia bona, ſcandala concitando; & hoc eſt ſcandalum Phariſæorum, qui de doctrina Domini ſcandalizabantur. Quod eſſe contemnendum Dominus dicit Matth. 15. Quandoque verò ſcandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia; & hujuſmodi eſt ſcandalum puſillorum, propter quod ſunt ſpiritualia bona vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quouſque redditâ ratione hujuſmodi ſcandalum ceſſet. Si autem, poſt redditam rationem, hujuſmodi ſcandalum duret, jam videtur ex malitia eſſe; & ſic propter ipſum non ſunt hujuſmodi ſpiritualia bona dimittenda.*

457 In octavo verò articulo dicit, quòd *circa temporalia bona diſtinguendum eſt; aut enim ſunt noſtra, aut ſunt nobis ad conſervandum pro aliis commiſſa, ſicut bona Eccleſiæ committuntur Prælatis, & bona communia quibuſcumque Reipublicæ Rectoribus. Et talium conſervatio, ſicut & depoſitorum, imminet his, quibus ſunt commiſſa, ex neceſſitate. Et ideò non ſunt propter ſcandalum dimittenda, ſicut nec alia quæ ſunt de neceſſitate ſalutis.*

458 *Temporalia verò bona, quorum nos domini ſumus, dimittere, ea tribuendo (ſi penes nos ea habeamus) vel non repetendo (ſi apud alios ſint) propter ſcandalum quandoque quidem debemus; quandoque autem non. Si enim ſcandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam vel infirmitatem aliorum (quod eſt ſcandalum puſillorum) tunc vel totaliter dimittenda ſunt temporalia bona, vel aliter ſcandalum ſedandum, ſcilicet per aliquam admonitionem. Aliquando verò ſcandalum naſcitur ex malitia, quod eſt Phariſæorum: & propter eos qui ſic ſcandala concitant, non ſunt temporalia dimittenda. Quia hoc & noceret bono communi (daretur enim malis rapiendi occaſio) & noceret rapientibus, qui rapiendo aliena, in peccato remanerent.*

Unde patet, totam angelicam iſtam doctrinam fundari in ea, quam to. 1. ex S. Auguſtino, & aliis Patribus tradidimus, de ordine amoris. Quòd enim pro nullo ſcandalo vitando prætermittenda ſint bona ad ſalutem neceſſaria, ratio eſt, quia tenemur nos magis diligere, quoad ſalutem, & neceſſaria ad illam, quàm proximum, imò quàm mundum univerſum. 459

Quòd autem pro vitando Phariſæorum ſcandalo, nulla bona, ſeu ſpiritualia, ſeu temporalia, licèt ad ſalutem non neceſſaria, prætermittenda ſint, ideò eſt, quia ſecundùm ordinem amoris appretiativi id à nobis præeligendum eſt, ac præ cæteris amandum, quod magis promovet gloriam Dei, removetque occaſionem peccati. At verò Dei gloria magis promovetur, peccatique occaſio magis removetur, non prætermittendo bona illa, pro vitando ſcandalo phariſaïco, quàm prætermittendo. Id enim quoad temporalia diſcurſus ſancti Doctoris probat. Idipſum probatur & quoad ſpiritualia: tum quia ſi propter phariſaïcum ſcandalum forent prætermittenda, vix ulla exteriora opera bona, quàmlibet ſancta, fieri poſſent (quo profectò Dei gloria plurimùm diminueretur) cùm vix ulla ſint, ex quibus improborum hominum malitia ſcandali non accipiat occaſionem, uti manifeſtum eſt ex ſanctiſſimis dictis & factis Salvatoris, ex quibus Phariſæorum malitia ſcandali occaſionem ſumpſit. Tum quia ordo amoris poſtulat, ut dum incommoda utrimque imminent, ea pars præ alia eligatur, in qua incommoda minora imminent. Minora verò imminent, bona illa ſpiritualia non prætermittendo. Si enim prætermittenda forent, majoribus incommodis aperta foret janua. Quanta enim bona non debuiſſet Chriſtus omittere, ſi ad vitandum Phariſæorum ſcandalum, ea omnia prætermittere debuiſſet, quorum occaſione ſcandalizati fuere! Quanta namque exempla humilitatis, paupertatis, tolerantiæ paſſionis, quanta documenta ſalutis prætermittere debuiſſet, quibus & Patris ſui gloriam, & hominum promovit ſalutem! 460

Tandem quòd, ad vitandum puſillorum ſcandalum, non ſolùm negligenda ſint quandoque bona temporalia, ſed & ſpiritualia (ad ſalutem non neceſſaria) ad tempus vel occultanda, vel differenda, donec redditâ ratione ſcandalum ceſſet, hoc eſt quod amoris ordo poſtulat, juxta quem uti majus bonum præferendum eſt minori, ſic majus malum potiùs vitandum quàm minus, dum utrumque non poteſt. Occultatio verò, vel dilatio ejuſmodi bonorum per ſe loquendo 461

non

non est tam grave malum, seu incommodum, quàm scandalum pusillorum.

462. Per se loquendo, inquam, id est quando periculum non imminet alterius mali, quàm dictæ occultationis vel dilationis. Si enim periculum immineat alterius mali, quod unà cum incommodo istius occultationis vel dilationis præponderet scandalo illi, tunc ordo amoris non permittit bona spiritualia occultari vel differri, v. g. non permittit doctrinæ veritatem dissimulari vel sileri, ob scandalum aliquorum pusillorum, dum illius prædicatio necessaria est ad salutem, vel christianam perfectionem plurimorum, vel alicui ex officio incumbit eam docere & prædicare. Ita sanctus Thomas q. 43. a. 7. ad 2.

463. Et ideò Parochus, & Concionator nunquam cessare debet à reprehendendis peccatorum illecebris, quas plurimi, consuetudinis errore decepti, pro nihilo putant, ut sunt vanus; & plerùmque lascivus mulierum ornatus, pectoris nudationes, choreæ, saltationes, vestium luxus, de quibus S. Antoninus p. 2. tit. de scandalo: *O quàm hoc miserabile peccatum in mundo abundat, & nullam videntur sibi homines facere conscientiam! Ornatus mulierum tam vanus, tripudiatus, & cantus nimis mundanus, quid est nisi scandalum, & laqueus animarum?* Nec consuetudo excusat. Non enim ista desinunt esse occasio plurium peccatorum, sive ad ea inclinare, propter consuetudinem. Et ideò Tertullianus, agens de virginibus, ut ipsis persuaderet obligationem se velandi: *Dominus noster Christus* (inquit) *Veritatem se, non consuetudinem nominavit.* Et S. Cyprianus epist. 73. ad Jubajan. *Fruſtrà quidam, cùm ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo sit major veritate.* Et Dionysius Carthusianus in directorio vitæ nobilium art. 12. *Super Christi præcepta* (inquit) *ac jura divina de scandalis pusillorum vitandis, non cadit dispensatio, nec eis præjudicare potest aliqua consuetudo. Quidquid enim contrariatur bonis moribus, aut Scripturis, seu juri divino, est corruptela, non consuetudo bona. Imò tantò est vitiosius, quantò consuetius, ut sancti Doctores & Præsules Cyprianus Martyr, & Augustinus Confessor testantur.*

464. Publicam ergo istorum reprehensionem Parochus vel Concionator prætermittere non debet, ex hoc quòd inde aliqui per infirmitatem vel ignorantiam scandalizentur, causati (ut hodie moris est) Jansenistas seu Rigoristas esse, qui ista reprehendunt: quia si inde isti scandalizentur, alii corrigentur, ædificabunturque; qui per consequens ex istius reprehensionis omissione ingenti privarentur bono, quod utplurimùm majus est damno, quod ex aliorum scandalo nascitur. Et ideò Gregorius Magnus homil. 7. in Ezech. monet, quòd *si de veritate scandalum nascitur, vel sumitur, utilius nasci permittitur scandalum, quàm quòd veritas relinquatur.* Et ante Gregorium Augustinus in lib. de dono persev. c. 16. *Dicatur ergo verum, maximè ubi aliqua quæstio ut dicatur impellit, & capiant qui possunt; ne fortè cùm tacetur, propter eos qui capere non possunt, non solùm veritate fraudentur, verùm etiam falsitate capiantur, qui verum capere, quo caveatur falsitas, possunt.* Et postea: *Inter causas verum tacendi..... hæc una est, ne pejores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores; qui nobis aliquid tale tacentibus, doctiores quidem non fiunt, sed nec pejores fiunt. Cùm autem res vera ita se habet, ut fiat pejor, nobis eam dicentibus, ille qui capere non potest; nobis autem tacentibus, ille qui potest: quid putamus esse faciendum? Nonne potiùs est dicendum verum, ut qui potest capere, capiat, quàm tacendum, ut non solùm id ambo non capiant; verùm etiam qui est intelligentior, ipse sit pejor; qui si audiret, & caperet, per illum etiam plures discerent? Quò enim est capacior ut discat, eò magis est idoneus ut alios doceat.*

Hisce Augustini verbis docemur, in hu- 465
jusmodi circumstantiis, ubi hinc scandalum pusillorum timetur, inde fructus aliorum speratur; videndum, an fructus speratus major sit damno quod timetur: & tunc prætermittenda non est veritatis prædicatio, ob scandalum nonnullorum. Si autem lucrum speratum non compenset istorum scandalum, differenda est ista prædicatio in tempus magis opportunum.

CAPUT XLVII.

Reflexio ad dicta capite præcedenti, & inde deducta gravitas malitiæ scandali, v. g. provenientis ex ornatu mulierum, ad lasciviam provocante.

EXpavescant ex dictis vanissimæ mulie- 466
res, quæ ob infirmorum scandalum, non solùm prætermittere nolunt opera ex se bona (quæ secundùm amoris ordinem demonstravimus aliquando prætermittenda, vel saltem occultanda seu differenda) sed ne quidem vana, & de se mala, vel mali speciem habentia, v. g. ornatum ad lasciviam provocantem, scandalosasque nuditates scapularum, & pectoris, iplarum etiam subinde mamillarum: quæ certè denudatio semper visa est sanctis Patribus meretricia, prout videre est in vita S. Pelagiæ apud Surium ad diem 8. Octobris, ubi legitur, quòd ut eam viderunt Episcopi impudenter, & inverecundè prætereuntem, nihil velato capite, & nudis scapulis omnium oculis petulanter expositis, taciti ingemiscebant, & facies suas, tamquam à re execrabili, & immani scelere avertebant. Meritò certè: si enim sancto Cypriano in lib. de disciplina & habitu virg. post Tertullianum

lib. 2. de cultu feminarum, tanto horrori fuit vanus ornatus mulierum, sumptuosiùs se comentium, auroque, serico, purpurâ, gemmis, & fucis nativam pulchritudinem decorantium, sicque per publicum incedentium: si tanto (inquam) in horrore hunc ornatum habuit, ut nonnisi prostitutis & impudicis feminis congruere dixerit; quanto in horrore non habuisset eas, quæ nudis scapulis, imò nudatis etiam saltem ex parte mammis, per publicum incedunt? quantò non potiori jure hoc nonnisi prostitutis & impudicis feminis congruere dixisset? quantò potiori jure istis, quàm illis adaptasset S. Scripturæ verba, quibus describitur *civitas meretrix, compta pulchriùs & ornata, & cum ornamentis suis, ac propter ipsa potiùs ornamenta peritura*? „ Et venit (inquit) unus ex septem Angelis, habentibus „ phialas septem, & aggressus est me, di„ cens: Veni, ostendam tibi damnationem me„ retricis magnæ.... Et duxit me in spiri„ tu: & vidi mulierem sedentem super be„ stiam, & mulier illa amicta erat pallio pur„ pureo, & coccineo, & adornata erat auro, „ & lapidibus pretiosis, & margaritis, tenens „ poculum aureum in manu sua plenum exe„ crationum, & immunditiæ, & fornicatio„ nis totius terræ. „ Apocal. 17. *Fugiant castæ virgines* (imò & maritatæ, ut paulò post dicit) *incestarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum. Clamat etiam Spiritu sancto plenus Esaias, & filias Sion, auro & argento, ac veste corruptas increpat & objurgat, perniciosis opibus affluentes, & à Deo per sæculi delicias recedentes:* „ Exaltatæ sunt (*ait*) filiæ Sion, & „ ambulaverunt alto collo, & nutu oculo„ rum, & incessu pedum trahentes tunicas, „ & pedibus simul ludentes. Et humiliabit „ Deus principales filias Sion, & revelabit „ Dominus habitum earum, & auferet Do„ minus gloriam vestis illarum, & ornamen„ ta earum, & crines, & cincinnos, & lunu„ las, & discriminalia, & armillas, & botro„ natum, & dextralia, & annulos, & inau„ res, & serica contexta cum auro & hya„ cintho. Et erit pro odore suavitatis pul„ vis, &, pro cingulo, reste cingêris, & pro „ ornamento capitis aureo, calvitium habe„ bis.... „ *Exaltatæ ceciderunt, compta turpitudinem, fœditatemque meruerunt, sericum & purpuram indutæ, Christum induere non possunt; auro & margaritis, & monilibus adornatæ, ornamentum cordis perdiderunt. Quis non id execretur & fugiat, quod alii fuerit exitio? Quis id appetat & assumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit & telo? Si hausto poculo moreretur ille qui biberat, venenum scires esse quod ille potavit..... Nunc quanta ignorantia veri est, animi quanta dementia, id velle quod & nocuerit semper, & noceat; & putare quòd inde ipsa non pereas, inde alios periisse cognoscas?.... Et quidem istò in loco.... non virgines tantùm, aut viduas, sed & nuptas puto, & omnes omninò feminas admonendas, quòd opus Dei, & factura ejus, & plastica adulterari nullo modo debeat, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet denique lineamenta nativa corrumpente medicamine. Dicit Deus: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & audet quisquam mutare & convertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando id quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt, nescientes quia opus Dei est omne quod nascitur: diaboli, quodcumque mutatur.... Viderint quid sibi nuptiæ per placendi studium de conjugum solatio blandiantur, quos dum in excusationem suam proferunt, ad societatem criminosæ consensionis adscisc unt... Quid verò quæ promiscuas balneas adeunt, quæ.... cùm viros, atque à viris nudæ vident turpiter ac videntur, nonne ipsæ illecebram vitiis præstant? nonne ad corruptelam & injuriam suam desideria præsentium sollicitant, & invitant? Viderit, inquis, quâ illuc mente quis veniat: mihi tantùm reficiendi corpusculi cura est & lavandi. Non te purgat ista defensio, nec lasciviæ & petulantiæ crimen excusat.... Impudicè tu neminem conspicis, sed ipsa conspiceris impudicè; oculos tuos turpi oblectatione non polluis; sed dum oblectas alios, pollueris.* Quæ omnia in incedentes per publicum, vel ad januam aut fenestram domûs suæ, nudato se pectore, nudatis scapulis, & mammis, conspiciendas exhibentes, à fortiori procedere quis non videt? Te igi- 468
tur, quæcumque id facis, Cyprianus alloquitur, & increpat, eò quòd *oculos in te juventutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspirandi fomenta succendas, ut etsi ipsa non pereas* (viros concupiscendo) *alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas.* Væ ergo, væ tibi, dicit Dominus Luc. 17. quia *væ homini illi per quem scandalum venit. Utilius est illi, ut lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quàm ut scandalizet unum de pusillis istis. Noli* (inquit Apostolus) *cibo tuo* (vel, quod pejus est, nuditate tuâ) *illum perdere pro quo Christus mortuus est.* Rom. 14. *Si Christus* (ait Bernardus serm. 1. in convers. sancti Pauli) *proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione malignâ, exemplo pernicioso,* pectoris nudatione, seu aliâ *scandali occasione, avertit ab eo animas, quas redemit, quàm à Judæo, qui sanguinem suum fudit?* Quasi dicat: dedit Christus pro salute animarum sanguinem suum, per hoc ostendens, cariorem sibi earum esse salutem, quàm proprium sanguinem. Igitur Christus graviorem dicendus est persecutionem pati ab eo qui animas ipsi per scandalum aufert, quàm passus est à Judæis, qui sanguinem ipsius fuderunt. Et

ideò *agnoscite dilectissimi* (prosequitur Bernardus) *& expavescite consortia earum, quæ salutem impediunt animarum. Horrendum penitùs sacrilegium, quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino Majestatis manus sacrilegas injecerunt.*

469 Ex his facilè videt, qui oculos habet, quàm gravis sit malitia scandali per quod pereunt, & Christo auferuntur, diaboloque traduntur animæ, pro quibus ipse mortuus est. Sunt tamen innumeri, & innumeræ, quibus nunquam tranquilla foret conscientia, si corporalis homicidii causam dedissent; nullam tamen anxietatem habent, dum tot spiritualibus homicidiis, seu animarum mortibus causam præbent. Nec solæ in eo peccant mulieres, de quibus proximè, sed & Prælati & Sacerdotes, seu Ecclesiastici, sicut & omnes Superiores respectu subditorum, & parentes respectu filiorum filiarumque suarum, dum ipsis malo suo exemplo, v. g. verbis vel actibus impudicis, blasphemiis, imprecationibus, juramentis, seu aliis scandalosis verbis vel factis, dant occasionem similiter peccandi. Rei proinde sunt tot spiritualium filicidiorum, quot filiis & filiabus scandalum seu mortem animæ creant. Et hoc est, quod Gregorius Magnus ait homil..... super Ezech. *Scire Prælati debent* (& eadem ratio est de parentibus respectu filiorum) *quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.*

470 Porrò ad augendam scandali malitiam hæc tria concurrunt, 1°. gravitas peccati, cujus causam, seu occasionem quis proximo præbet: tantò namque gravior est scandali malitia, quantò gravius peccatum, in quod per dictum vel factum tuum proximus inducitur. 2°. magnitudo influxûs dicti vel facti in peccatum proximi: quantò enim magis in illud influit, & quantò major est verisimilitudo, quòd istud ex illo sequetur, tantò gravior est malitia scandali, cæteris paribus. 3°. multitudo eorum, quibus dictum vel factum tuum natum est causare scandalum: quia quantò pluribus istud causare natum est, tantò major est malitia dicti vel facti tui scandalosi.

471 Dixi *natum est causare*: neque enim scandali malitia dijudicanda est penes malum effectum de facto secutum, neque dictum vel factum tuum esse desinit scandalosum, eò quòd ex eo proximus non acceperit occasionem peccati; sed ad contrahendam scandali malitiam, sufficit, quòd dicto tuo, vel facto minùs recto, dederis ipsi causam, natam ipsum inducere in peccatum (saltem attentâ hominum ignorantiâ, vel fragilitate) quòd enim tunc peccatum proximi non sequatur, per te non stat, sed per alium, cui equidem tu causam dedisti sufficienter inductivam. Et hoc est quod graviter monet D. Chrysostomus homil. 17. in Matth. *Siqua mulier ideò ornatur & comitur, ut in se oculos irritet, etiamsi nullum pulchritudine suâ fortè vulneraverit, dabit tamen extrema supplicia. Paravit quippe viros, temperavit venenum, porrexit poculum, etiamsi nullus qui biberet inventus est.* Nec ipsam excusat, quòd dicat, hoc præter intentionem suam accidere. Quia licèt hoc non intendat directè, intendit indirectè & interpretativè, dum voluntariè facit id quod tenetur non facere, ne sequatur talis effectus in proximo, quem vel prævidet, vel prævidere potest ac debet, attentâ communi fragilitate hominum, sequi natum ex causa à se data.

Sed tametsi ex dictis valdè graviter scan- 472
dalosæ sint mulieres, sui ornatûs vanitate, vel scapularum & pectoris nuditate, juvenum oculos ad sui conspectum provocantes, & tantò gravius, quantò pluribus juvenibus pravorum desideriorum incentivum subministrant: nulli gravius ac perniciosius implicantur peccato scandali, quàm qui docent & divulgant doctrinas perversas in materia fidei, vel Christianæ vitæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes in materia morum; necnon Confessarii peccatoribus nimis blandientes, eorumque absolutionem præcipitantes. Cùm causa sint perditionis innumerabilium animarum, uti partim ostensum est to. 1. & ampliùs ostendetur (Deo dante) to. 3. ubi de pœnitentia.

CAPUT XLVIII.

Probabiliter aliquando tenemur prætermittere ea quæ aliàs sunt juris naturalis affirmativi, vel juris positivi, divini & humani, ad vitandum scandalum pusillorum.

PRobabiliter (inquam) tametsi enim Do- 473
ctores conveniant, ea quæ sunt contra jus naturale negativum, quæque à Theologis dicuntur intrinsecè mala, nunquam esse facienda ad vitandum scandalum: nunquam enim (juxta Apostolum) sunt facienda mala, ut eveniant bona; circa ea tamen quæ sunt juris affirmativi, sive naturalis, sive positivi, etiam divini, variant Doctores. Siquidem alii, ut Vasquez, & alii, referentes D. Antoninum, Sylvestrum, Paludanum, Navarrum, aiunt, nullius præcepti affirmativi, etiam humani, observationem pro vitando pusillorum scandalo prætermittendam esse. Primò, quia cap. *coram* de nov. oper. nuntiat. Innocentius III. dicit, nullum præceptum violandum esse propter scandalum aliorum. Secundò, regula una Juris dicit: *Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Tertiò D. Basilius in regul. interrogat. §4. *Quotiescumque* (inquit) *in his quæ ex mandato fiunt, vel dicuntur, homines offensionem incurrunt, toties scandalum est negligendum.* Quartò, obli-

tio vitandi scandalum ex charitate provenit. Charitas verò non obligat, nisi juxta Dei, & Ecclesiæ mandata: per quorum observantiam priùs unusquisque saluti propriæ consulere debet, quàm alienæ.

474 Alii nihilominùs probabiliùs contrà sentiunt, ut Bannez, Suarez, Merbesius, Tannerus, & Doctores communiter (ipso teste to. 3. disp. 2. q. 6. dub. 9.) favetque sanctus Thomas, uti posteà videbitur. Favet etiam Prosper Fagnanus in cap. *quia circa* de consanguin. & affinit. n. 7. dicens, quòd propter scandalum pusillorum receditur à dispositione juris positivi. Quod probat ex cap. *super his* suprà eodem c. 2. de tempor. ordin. & cap. *cùm ex injuncto*, de nov. oper. nuntiat. Et ratio est, quia prout Innocentius III. cap. illo *cùm ex injuncto* dicit, *ab his quæ sine mortali peccato committi possunt, pariter & dimitti, est pro scandalo tollendo cessandum, vel insistendum.* Ejusmodi verò sunt ea quæ sunt juris naturalis affirmativi, & positivi, divini vel humani: utpote quæ non obligant pro semper, sive pro quibuscumque circumstantiis, uti fatentur omnes, demonstraturque exemplis communiter receptis, etiam à S. Thoma 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. Præceptum quippe correctionis fraternæ juris est naturalis affirmativi, sicut & præceptum eleëmosynæ corporalis. Correctio tamen fraterna secundùm omnes prætermittenda est, cùm proximus inde creditur pejor futurus. Similiter eleëmosyna (extra necessitatem extremam) omittenda est circa specialem personam, dum necesse est ad vitandum scandalum pusillorum. Integritas quoque confessionis est de jure divino positivo. Si tamen mulier sciret, Confessarium ex infirmitate lapsurum, casu quo manifestaret ipsi certum luxuriæ peccatum, deberet illud omittere, cæteris detectis, si alterius Confessarii copiam non haberet. Denique si in die festo viderem proximum in ea dispositione, ut seipsum ex desperatione interfecturus esset, nisi ipsum impedirem, apud ipsum manendo, ad id ex charitate tenerer, etiam cum omissione auditionis Sacri.

475 Et ratio à priori est, tum quia omnia ista præcepta charitati deserviunt. Ergo non obligant in circumstantiis, in quibus charitas dictat, omittendam hìc & nunc eorum observantiam, ut succurratur spirituali proximorum necessitati, & impediatur ruina spiritualis ipsorum; sicut non obligant, dum charitas dictat, omittendam eorum observantiam, ut succurratur gravi necessitati corporali propriæ vel alienæ. Unde Matth. 12. Discipulos suos ob necessitatem Sabbato vellentes spicas excusat Salvator, exemplo David, quando esuriit cum iis qui cum eo erant, & panes propositionis comedit, quos *non licebat edere.... nisi solis Sacerdotibus*, juxta legem Domini Levit. 24. 8. & 9. Tum quia ruina spiritualis proximi, sive scandalum pusillorum, quandoque præponderat malo resultanti ex præteritione ejusmodi præceptorum, seu alicujus ex illis. Atqui, juxta ordinem amoris, in ejusmodi circumstantiis malum præponderans præcavendum est.

Ad 1. in oppositum nego suppositum: 476
in talibus utique circumstantiis præcepta violari. Cùm enim in circumstantiis illis non obligent (uti probatum est) non violantur.

Ad 2. respondeo inde solùm esse con- 477
sequens, nihil esse faciendum vel dicendum contra veritatem, v. g. non esse mentiendum, ad cavendum scandalum. Quia hoc nullo casu licet. At consequens non esse, quòd ad cavendum scandalum prætermitti hìc & nunc non possit observantia alicujus præcepti affirmativi. Neque enim tunc veritas relinquitur, magìs quàm in casu quo David panes propositionis comedit, &c. imò charitas tunc verè practicatur.

Ad 3. dico quòd S. Basilius loquitur de 478
scandalo pharisaïco, uti ex contextu ipsius colligitur.

Ad 4. respondeo ut ad 1. mandata divi- 479
na in dictis circumstantiis non obligare: propriam proinde salutem non negligi, dum eorum observantia postponitur fraternæ charitati, cui mandata ista deserviunt.

CAPUT XLIX.

Variorum casuum resolutio ex præmissis.

EX dictis sequitur 1°. interdum omitten- 480
da esse aliqua de se indifferentia, vel etiam bona, etiamsi ad ea alioqui habeas jus, si proximus prævideatur inde ex infirmitate, vel ignorantia scandalizandus, dummodò ea absque notabili incommodo omittere possis. Aliquale enim incommodum (spectatis omnibus, secundùm Christianam æstimationem non notabile) ad vitandum pusillorum scandalum oportet sustinere. Notabile verò incommodum propter proximum sustinere non tenemur, nisi dum est *in extrema necessitate*, vel taliter gravi, ut aliter juvari, vel nonnisi difficulter juvari possit, uti Doctores communiter censent.

Sequitur 2°. facientem aliquid, de se qui- 481
dem non malum, sed quod mali speciem præfert, si legitimam habeat faciendi causam, justam utique necessitatem, vel magnam utilitatem, non esse reum scandali, si quod inde sequatur, saltem si causam illam astantibus declaret, ne scandalizentur. Ita S. Thomas loco citato, pluribus exemplis declarans, opera speciem mali præ se ferentia, seu aliàs prohibita, fieri posse, dum justa id postulat necessitas. Et declaratur quoque exemplo Judith, justa de causa se præsentantis oculis Holofernis, cum omnibus

ornamentis suis, incomparabilique pulchritudine, cui etiam Dominus addiderat splendorem, tametsi prævideret, Holofernem sui aspectu capiendum. Ad idem servire potest exemplum Naaman Syri 4. Reg. 5. Regem suum in templo Remnon adorantem solito fulcientis obsequio, sive se inclinantis, adorante eo idolum suum in eodem loco. Quod tamen Elizæus ipsi permisit. Quia post miraculosam sanationem sciebatur non adorare ampliùs idola, nec proinde inclinationes suas facere idolo Remnon, sed soli Regi. Et ideò licitum id ipsi fuisse docet Tertullianus lib. de idololatria c. 6. & 17.

482 Posset tamen scandalum esse tantum, ut, non obstante justâ causâ aliquid faciendi, id omittendum foret, ut si Catholicus inter infideles constitutus, vel ab ipsis detentus, nihil aliud haberet, vel habere posset, quod manducaret, nisi vetitas in Quadragesima carnes. Quo casu siqui, sive fideles, sive infideles, per infirmitatem gravissimum scandalum paterentur, existimantes ipsum ab Ecclesia Catholica defecisse, carnes manducando, durante tanto scandalo abstinere deberet, etiam cum vitæ suæ, seu valetudinis periculo, ut benè Estius in c. 8. 1. Cor. Par est ratio (inquit) si cederet ejusmodi comestio in detrimentum honoris divini, ut si carnes offerrentur in contemptum Religionis, aut legis divinæ, vel Ecclesiasticæ: quemadmodùm olim Eleazaro seni, & septem fratribus Machabæis, quorum martyria describuntur lib. 2. Machab. c. 6. & 7.

483 Sequitur 3°. feminam, quæ prudenter timet, se turpiter concupiscendam, si eat ad Sacrum tali die festo, debere illud omittere, saltem semel & iterùm. Secùs, si scandalum istud timeret frequenter, seu omnibus penè vicibus. Neque enim ad tam frequentem omissionem adstringitur: utpote sibi nimis graviter incommodam.

484 Sequitur 4°. feminam, quæ prudenter timet hunc vel illos in particulari, seu determinatè exarsuros in sui concupiscentiam ex sui decoris aspectu, si eat ad istud vel illud templum, vel si transeat per hanc vel istam plateam, debere per aliam transire, & ad aliud templum ire, si sine pari periculo possit. Id enim Christiana dictat charitas: cùm id possit absque incommodo secundùm Christianam æstimationem notabili.

485 Sequitur 5°. feminam, quæ pusillorum scandalum, non pro una vel altera vice, sed pro multo tempore timet, si eat in publicum; non teneri tanto tempore se domi continere, sed ob fines necessarios vel utiles exire posse. Cùm habeat gravem exeundi, seu domi tanto tempore se non continendi causam. Quia foret ipsi nimis incommodum longo se quasi carceri mancipare, ob aliorum infirmitatem, aliter curabilem. Tunc itaque scandalum ipsi non imputatur, prout imputaretur, si ipsam causa gravis non excusaret. Sic enim puellæ ex levitate, seu joci gratiâ viri manum suâ manu tangenti, imputatur scandalum, si gnara sit virum illum occasione istius tactûs, adulterii concupiscentiâ exarsurum. At si, lapsa in flumen, in evidenti sit periculo submersionis, nisi manum eidem viro porrigat, ut extrahatur, licitè porrigit, etiamsi gnara sit, ipsum eâ occasione eodem adulterii desiderio exarsurum.

Non omnis tamen causa, sufficiens ad ex- 486
cusandum à peccato scandali facientem hanc vel illam actionem, ex se indifferentem, ex qua prudenter timetur scandalum pusillorum, eadem sufficiens reputabitur ad excusandum facientem rem quamcumque, de se pariter indifferentem, ex qua similiter scandalum timetur pusillorum. Quia nec quælibet actio, vel res indifferens, est æqualiter provocativa: neque scandalum, quod timetur, semper æquale est, nec pari proximitate, vel certitudine, aut probabilitate semper timetur: nec per consequens eadem vel æqualis causa semper proportionata est ad excusandum; sed ad id quandoque major, quandoque minor necessaria est, arbitrio prudentis viri. Quod ut prudens sit, consideranda est ex una parte causa quam habes ad istam rem vel actionem non omittendam; ex alia parte scandali quantitas, propinquitas, certitudo, probabilitas: tuncque videndum, an, spectatis omnibus, secundùm Christianam æstimationem censeri possit notabile incommodum, ob tale scandalum, talem rem seu actionem omittere, vel non? Si primum, causa ejusmodi censenda est sufficiens ad excusandum, si non agatur de scandalo Communitatis, vel de præjudicio fidei, vel honoris Dei. Si secundum, censenda non est sufficiens.

Sequitur 6°. feminam, quæ prudenter ti- 487
met, se turpiter amandam ab aliquo, vel aliquibus vagè sumptis, casu quo exeat, si nesciat ubi & quando id continget, non teneri se continere domi. Aliàs teneretur perpetuò, vel quasi perpetuò se continere. Quod foret ipsi incommodum valdè grave. Si verò sciat ubi & quando, nempe in tali vel tali occasione particulari, tenetur ab ea se subtrahere, si absque notabili incommodo possit. Aliàs non minùs censebitur dare occasionem scandali his vel illis indeterminatè cognitis, quàm si eos determinatè cognosceret. Siquidem æqualem utroque casu daret illis occasionem scandali: utpote quæ non provenit ex eo quòd illos in particulari cognoscat, vel non cognoscat; sed ex eo quòd faciat aliquid, à quo abstinere potest, & debet, ob scandalum infirmorum, quod prævidet inde nasciturum.

Sequitur 7°. gravis scandali reos esse, qui 488
in numeroso convivio alios provocant ad bibendum tam copiosè, ut prævideant, vel prævidere debeant, aliquem vel aliquos, de-

terminatè, vel indeterminatè inebriandos. Est per se adeò manifestum, ut in eo Doctores omnes conveniant.

489 Sequitur 8°. gravis pariter scandali reum esse, qui juramentum exigit ab eo quem scit pejeraturum, nisi publicâ id faciat authoritate ad instantiam partis, id exigente juris ordine: quo casu non videtur ille exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit. Ita S. Thomas q. 98. a. 9. tam in corp. quàm ad 2. & 4. Et probatur, quia juramentum istud in talibus circumstantiis privatâ exigens authoritate, causa est perjurii ipsius: cùm nulla ipsum excuset causa justa. Nec enim in talibus circumstantiis expectare potest finem juramenti, confirmationem utique veritatis: nec proinde recuperationem rei suæ; sed negationem potiùs veritatis, sacrilegamque assumptionem divini testimonii in confirmationem falsitatis. Unde Augustinus serm. 11. inter Parisienses, qui est secundus in Decollat. S. Joan. *Scribite* (inquit) *in cordibus vestris quod dico, ille qui hominem provocavit ad jurationem, & scit eum falsum esse juraturum, vincit homicidam: quoniam homicida corpus occisurus est; ille animam.*

490 At, inquis, licitè juramentum exigitur ab eo qui scitur juraturus per falsos deos. Igitur & ab eo qui scitur pejeraturus.

Nego consequentiam. Quia in casu juramenti per falsos deos, obtinetur finis juramenti, non in casu nostro: justa proinde necessitas aliquando permittit primum, uti Augustinus epist. 154. ad Publicolam probat exemplis Isaac & Jacob. Et ratio est, quia hoc petere, est justa de causa petere id quod alter potest benè facere, & de facto bonum habet effectum, fidelitatem utique in pacto servando. Et ideò utens *fide illius, qui per falsos deos jurat, non utitur ad malum, sed ad bonum, nec peccato illius se sociat* (ait Augustinus) *quo per dæmonia juravit, sed pacto ejus bono, quo fidem servavit.* Cui nihil simile in casu exigentis juramentum ab eo quem scit pejeraturum.

491 Sequitur 9°. justa de causa licitum esse ab altero petere, quod facere potest, sed facturus non est absque peccato. Patet exemplo proximè allato petentis juramentum ab eo qui scitur juraturus per falsos deos; quod exemplum cum S. Augustinó sanctus Thomas admittit loco citato. Patet etiam exemplo petentis mutuum ab usurario, quod in necessitate licitum esse docet idem S. Thomas q. 78. a. 4. Necnon exemplo petentis Sacramentum à malo Ministro, quod licitè fieri idem docet 3. p. q. 64. a. 6. ad 2. Et ratio horum omnium est, quia justa de causa licitum est ab alio petere quod potest, si velit, benè facere, licèt prævideatur facturus non benè. Quòd enim malè facturus sit, solâ malitiâ suâ malè facturus est, quam cum notabili meo incommodo non teneor impedire; sed permittere possum, velut utendo malo ipsius ad bonum, ut loquitur sanctus Thomas citatâ q. 78. a. 4.

CAPUT L.

Solvuntur objectiones, simulque varii deciduntur casus præcedentibus affines.

DIces: ex proximè dictis sequitur 1°. esse licitum locare domum meretricibus. 492
2°. esse licitum offerre munera concubinæ Judicis, ut intercessione ipsius, Judex sententiam ferat in favorem offerentis. 3°. famulum posse, ex præcepto heri, adducere concubinam in domum ipsius, licèt prævideatur cum ipsa peccaturus. 4°. posse etiam famulum domino apponere scalas, & similia adjumenta, ut perveniat ad meretricem, cum qua scitur peccaturus. 5°. Christianos captivos apud Turcas, posse licitè remigare contra Christianos, licèt occidendi prævideantur à Turcis. 6°. esse licitum petere à malefico, ut maleficium dissolvat, quod sine maleficio dissolvere potest, licèt prævideatur maleficio dissoluturus. 7°. maritum posse permittere adulterium uxoris, ut possit eam in flagranti delicto adhibitis testibus deprehensam convincere. 8°. patrem etiam posse permittere furtum filii, relictâ ipsi ad hoc in loco opportuno pecuniâ, ut in furto deprehensum à furtis ulterioribus cohibere possit. 9. cauponès posse parare cœnam in die jejunii nolentibus jejunare, copiosum etiam potum iis ministrare, quos inde prævident inebriandos.

Ad 1. Tamburinus lib. 5. in Decal. c. 1. 493
n. 35. cum Sanchez respondet, esse licitum elocare domum meretrici, etiam nullâ excusante causâ, eò quòd utique æquè commodè posset aliis elocare. Verùm communis sensus timoratorum fidelium est in contrarium: utpote pro personis honestis tales locatores non reputantium. Enimverò per elocationem istam omnibus prostitutionibus & turpitudinibus (quæ ibi fiunt) cooperantur, dum locum commodum peccandi tam meretricibus, quàm ad eas adventantibus præbent. Nec refert quòd alii equidem ipsis elocarent. Quia non licet alienam iniquitatem propriâ iniquitate prævenire. Unde Justinianus Imperator novellâ 14. decem librarum auri mulctâ punit eum, qui patitur in sua domo lenonem.

Sylvius tamen q. 77. a. 4. quæsito 1. ex- 494
cipit casum, quo Respublica certam meretricibus plateam designavit, cum facultate in ea consistendi, ne totam alioqui inficiant civitatem. Quo casu licitum putat iis locare domos ista in platea sitas.

Ad 2. nego id esse licitum (quidquid di- 495
xerit Bonacina) quia concubina non habet favorem Judicis, nisi quatenùs concubina ipsius,

ipsius, sive ratione nefarii concubinatûs. Petere ergo favorem Judicis, per interventionem concubinæ, est petere favorem Judicis intuitu nefarii concubinatûs. Est enim inducere concubinam, ut intuitu turpis commercii quod habet cum Judice, procuret ab ipso desideratum favorem. Quod certissimè illicitum est.

496 Eliminetur ergo à Christianis scholis opinio contraria, sicut & duæ sequentes P. Simonis de Lessau, allegatæ in Facto Curatorum Ambianensium de 27. Julii 1658. *Mortaliter non peccant mulieres, quæ se præbent conspiciendas adolescentibus, à quibus se credunt turpiter concupiscendas, si hoc faciant aliquâ necessitate, aut utilitate, aut ne se privent suâ libertate, vel jure exeundi domo, vel standi ad ostium vel fenestram domûs. Non peccant etiam mortaliter, dum superfluis se vestibus ornant, vel utuntur veste tam exili, ut earum transpareant ubera, nec dum ea nuda absque prava intentione exponunt, secundùm patriæ morem.* Propudiosæ sunt istæ propositiones, nec hìc sine rubore descriptæ, ut pateat evidenter, quàm corrupta sit nonnullorum Casuistarum Ethica, & quàm necessariò reformanda.

497 Ad 3. prorsus etiam negandum, id esse licitum, improbandusque est Bonacina, non solùm id permittens, sed & permittens famulo deferre munera concubinæ, eique jussu heri scribere litteras, ut ad ipsum tali veniat horâ. Hoc est enim cooperari peccato heri, sicut in casu sequenti. Sicut etiam peccato alterius cooperari censetur, qui ipsi defert venenum, vel laqueum, quo scit ipsum sese enecaturum. Nec propositio illa Bonacinæ minùs aperit januam lenociniis excusandis, quàm ista anno 1659. ab Episcopo Namurcensi, Synodoque sua Diœcesana proscripta: *Famuli comitantes herum noctu, vel die, ad domum concubinæ, qui sine eorum societate eò non iret; vel ferunt internuntia, vel litteras, vel referunt hinc inde horam ad peccandum, vel faciunt excubias, vel custodiam, dum simul cum concubina, vel alia, committit peccatum, absolvi non possunt, si consentiant in peccatum dominorum: secùs si id fiat propter temporalem commoditatem.* Neque istius propositionis praxim excusat authoritas Castro-Palai to. 1. tr. 6. disp. 6. p. 11. n. 6. & 7. Sa verbo *peccatum* n. 9. edit. complet. Tamburini l. 5. c. 1. §. 4. n. 18. ei patrocinantium. Quia opinio eorum in multis nova est, periculosa, & salutis animarum destructiva, & ut talis in puncto præsenti ab Episcopo & Synodo Namurcensi reprobata. A præcipitio proinde non excusatur, qui tales duces sequitur. Et de talibus loquens Augustinus lib. de catechis. rud. c. 25. *Cùm videris* (inquit) *multos non solùm hæc facere, sed etiam defendere..... tene te ad legem Dei.... non enim secundùm illorum sensum, sed secundùm illius veritatem judicaberis.* Cui concinit Gregorius Nazianzenus orat. 27. dicens, quòd *sola Veritas, non contra eam sentientium opinio curandæ est.* Quia *sola*, inquit, *Veritas vel me condemnaverit, vel absolverit, aut miserum, vel beatum reddiderit.*

Ad 4. respondeo Castro-Palaum & Hur- 498
tadum apud Dianam p. 5. tr. 7. resol. 27. Escobarium tr. 7. exam. 4. n. 23. Baunium in Sum. pag. 710. edit. 1. docuisse quidem hanc propositionem: *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum, ascendentem per fenestram ad stuprandam virginem, & multoties ei deservit, deferendo scalas, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Sed contrarium etiam hìc prorsus est dicendum: cùm propositio illa sit quinquagesima-prima ex iis quas Ecclesia per Innocentium XI. velut ut minimùm scandalosas, & in praxi perniciosas condemnavit, eamque Generalis Cleri Gallicani Conventus anni 1700. *verbis Dominicis & Apostolicis apertè contrariam & hæreticam* declaravit propos. 68. Enimverò *quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Matth. 26. Et, *digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Roman. 1. Consentit autem, quisquis moraliter cooperatur. Moraliter verò cooperatur stupro heri, qui per similia ministeria ipsi scienter inservit: quemadmodùm moraliter cooperaretur occisioni innocentis, qui per similia ministeria scienter inserviret domino, nitenti per ministeria illa pervenire ad innocentem trucidandum. Refert Natalis Alexander in Paralipomen. Moral. pag. 352. ingenuam ac nobilem puellam, immisso clanculùm à corrupta ancilla in cubiculum suum juvene, ejusdem virginis amasio, per vim ab ipso stupratam fuisse. Cui dubium esse potest, immissionem illam juvenis moralem fuisse cooperationem ad violentam ipsius stuprationem, tametsi eam corrupta ancilla expresè non intendisset, sed solam pinguem mercedem obsequii ea in re illi amasio præstiti? Idem est in casu nostro. Et ideò Tertullianus lib. de idololatria c. 11. *Graviora* (inquit) *delicta quæque pro magnitudine periculi diligentiam exigendunt observationis, ut non ab his tantùm abscedamus, sed ab iis ministeriis per quæ fiunt.... In nullo necessarius esse debeo alii, cùm facit quod mihi non licet. Ex hoc quod vetor facere, intelligere debeo, curandum mihi esse, ne fiat per me* (id est per ministerium meum).... *nam quòd mihi de stupro interdictum sit, aliis ad eam rem nihil aut operæ, aut conscientiæ exhibeo... Sed conditionalis* (id est servus) *sum: nemo duobus dominis servire potest. Si vis Domini discipulus esse, crucem tuam tollas, & Dominum sequaris necesse est.* Paulò antè verò

præcluſerat excuſationem: *Non habeo quo vivam.... egebo, ſi non ſerviam præcipienti domino. Sed felices egenos Dominus appellat. Victum non habebo: ſed nolite* (inquit) *cogitare de victu.... Fides famem non timet, &c.*

499 Nec Adverſarii benè ſe fundant in facto Naaman, de quo ſuprà: quia ratio cur Naaman non ſit moraliter cooperatus peccato domini, adorantis in templo Remnon, eſt quia cooperatus non eſt adorationi iſtius idoli, neque cauſaliter ſe habuit ad illam (prout delatio illa ſcalæ, apertio januæ, &c.) ſed merè concomitanter, ac per accidens, prout famulus deferens caudam dominæ euntis ad fanum idoli, vel illud adorantis.

500 Et hinc ad 5. nego (cum graviſſimis Authoribus) id licitum in bello injuſto. Neque enim Turcarum remiges & mancipia id magis poſſunt, quàm famuli (remigando) adjuvare poſſint heros ſuos, navi pergentes ad ſtuprandas virgines, vel ad trucidandos innocentes. Quos enim adjuvare non poſſunt, ſcalas deferendo, humeros aſcendentibus heris ſupponendo, januam aperiendo, &c. (prout Eccleſia declaravit) nec poſſunt remigando.

501 Nec dicas (cum eximio P. Farvacques) remiges illos non cenſeri Turcis moraliter cooperari ad injuſtam Chriſtianorum occiſionem: quia juſtam habent cauſam ponendi actionem de ſe bonam, ex qua Chriſtianorum occiſio ſequitur præter intentionem ipſorum. Si enim id dici poſſet de illis Turcarum mancipiis, dici pariter poſſet de famulis heri Chriſtiani (quod fatetur dici non poſſe) neque enim diſpar apparet ratio; nec eximius ille Doctor oſtendit, quòd remigatio illa mancipiorum in dictis circumſtantiis ſit bona, vel licita, magis quàm remigatio famulorum dicti heri, vel delatio ſcalarum, &c. Tametſi enim actiones iſtæ, extra hujuſmodi circumſtantias, licitæ ſint, non profectò in circumſtantiis illis, in quibus cenſentur morales cooperationes ad flagitia dominorum.

502 Quod licèt ſatis ſit declaratum, ampliùs tamen triplici declaratur ſimilitudine. Prima eſt, quia bellare & pugnare in bello, ſunt actiones mancipiis abſolutè licitæ; non tamen in circumſtantiis, in quibus bellare & pugnare cenſentur pro Turcis, Chriſtianos injuſtè aggredientibus. Secunda, quòd famula ad juſſionem heri aſcendat in lectum ſuum, denudet ſe, eumque corporis ſitum teneat, quem herus jubet, ſunt actiones abſolutè quoad ſubſtantiam indifferentes; ſed prout factæ in circumſtantiis, in quibus famula ſcit herum hæc omnia jubere ad finem conſtuprandi ipſam, ſine dubio ſunt cooperationes morales ad ipſius flagitium, ac per conſequens hîc & nunc illicitæ, etiamſi famula eas recuſando, jugulanda foret ab
503 hero. Tertia, clamoris omiſſio abſolutè eſt indifferens; ſed non talis in circumſtantiis, in quibus impudicus juvenis vim inferre nititur ingenuæ puellæ. Si enim non clamet, cùm poteſt, domeſticorum, vel vicinorum auxilium contra violentum pudicitiæ ſuæ aggreſſorem implorando, non reſiſtit quantùm poteſt: cùm non clamet cùm poteſt. Et ideò violentiam perfectam pati non cenſetur, ſed aliquo modo conſentire. Maximè cùm deberet uſque ad ſanguinis effuſionem reſiſtere ſtupratori, etiam diſtricto in pectus pugione mortem comminanti. Dicit enim Apoſtolus: *Nondum uſque ad ſanguinis effuſionem reſtitiſtis adverſus peccatum repugnantes.* Videatur D. Ambroſius l. de lapſu virginis conſecratæ cap. 3. ubi virginis, quæ non clamaverat, excuſationem hanc refellit: *Sed dices: nolui hoc malum, violentiam paſſa ſum. Reſpondebit tibi fortiſſima illa Suſanna, cujus tu nomen fallaciter bajulas: ego inter duos Presbyteros poſita, inter duos utique Judices populi, ſola inter ſylvas paradiſi conſtituta, vinci non potui: quia nec volui, etiamſi mortem comminarentur. Tu ab ineptiſſimo adoleſcente, & in media civitate, quomodò vim potuiſti perferre, niſi quia ultrò vitiari voluiſti? Quis denique tuas voces audivit? Quis oblucìationes ſenſit?* Videatur & caput 22. Deuteronomii v. 23. & 24. ubi ſic: *Si puellam virginem deſponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur, puella, quia non clamavit*, &c. Videatur denique Natalis Alexander loco citato, ubi ſtupri ream cenſet ingenuam illam puellam, quæ vim paſſa à juvene ſubintroducto, non clamavit (quamvis animo ſe non conſenſiſſe diceret) eò quòd diſtricto in pectus ejus pugione minas mortis ipſi intentaverat, ſi domeſticorum auxilium clamando invocaſſet.

Ad 6. primâ facie videri poſſet admitten- 504
da ſequela, eamque revera admittunt Petrus Ledeſma, Sanchez, Perez, Dicaſtillo, Franciſcus Bardi, Filiutius, &c. Quia juſta de cauſa licitum eſt ab altero petere, quod facere poteſt abſque peccato, licèt abſque peccato cognoſcatur non facturus, uti pluribus exemplis probatum eſt n. 491. Dicendum nihilominùs 1°. non eſſe licitum abſolutè petere à malefico, ut maleficium tollat, quod certò vel probabiliter cognoſcitur non ſublaturus, niſi dæmonis ope, licèt aliter poſſit. 2°. eſſe tamen licitum petere, ut maleficium tollat abſque ulla dæmonis ope. 3°. in dubio, an tollere poſſit, vel non poſſit, abſque dæmonis ope, eligendum eſt quod tutius eſt, nec proinde tunc maleficii diſſolutio à malefico petenda.

Ratio primæ partis (quam tradunt Syl- 505
veſter, Cajetanus, Binsfeldius, Delrio, Malderus, ipſiſque citatis Wiggers tr. 8. de Relig. c. 6. n. 158. ſicut & Sylvius hîc q. 43. a. 4. quæſito 2. concluſ. 2.) eſt quia talis

lis petitio (inquit Sylvius) pertinet ad amicitiam cum dæmone, tamquam benefactore.

506 Si petas, quare petitio rei, quam maleficus, absque ope dæmonis, licitè facere potest, magis pertinet ad amicitiam cum dæmone, tamquam benefactore; quàm petitio juramenti ab eo qui scitur juraturus per falsos deos, pertineat ad societatem cum falsis diis, tamquam testibus & confirmatoribus juratæ veritatis? Respondeo rationem esse, tum quia qui scit, aut probabiliter cognoscit, maleficum usurum maleficio, eoque non obstante, absolutè petit, cùm petitionem determinare posset ad modum licitum, protestarique se nolle illicitum, censetur moraliter consentire, ut maleficium tollatur dæmonis ope (quod est consentire in societatem cum dæmone) satis enim indicat, sic petendo, sibi perinde esse utrovis modo maleficium tollatur, dummodò effectum obtineat petitionis suæ. Tum quia quemadmodùm si dæmon se offerret, absque petitione tua, & absque opera magi, ad tollendum maleficium, si oblationem acceptares, censereris ope ipsius uti, in eamque consentire, ac per consequens in societatem cum ipso. Et idem est, si magus ipse, absque petitione tua, ultrò se offerret ad tollendum maleficium per maleficium, si hoc absolutè acceptares, censereris acceptare opem dæmonis. Et idem rursus est, si permitteres quòd magus, in præsentia tua, tibi vel tuis rebus applicaret medium aliquod superstitiosum, ad tollendum à te maleficium. Ita dum non solùm permittis quòd magus, in absentia tua, tollat maleficium, quod scis, vel probabiliter cognoscis non sublatum iri, nisi dæmonis ope, sed & dum absolutè petis id quod suprà, dæmonis opem acceptare censeris, nec satis consulere honori Domini, acceptando opem capitalis inimici ipsius. Propter quod Levit. 20. dicit: *Anima quæ declinabit ad magos..... ponam faciem meam contra eam*, &c.

507 Ratio secundæ partis est, quia petendo, ut maleficium tollat absque dæmonis ope, expresè declaras te in dæmonis opem non consentire, nec uti velle operâ magi, quà magi; sicut S. Godolena suo nos exemplo docuit. Cùm enim Bertulfus, maritus ipsius, ei dixisset, suæ in eam ferociæ causam esse maleficium, sed à se cognosci feminam, quæ jactabat se posse illud tollere, mutuumque amorem conciliare. Respondit: *Ancilla Christi sum: illi ego omnia mea commendo. Si tamen absque sceleris alicujus commixtione id fieri potest quod dicis, non refragor*, uti videre est in vita ipsius apud Surium die 6. Julii. Sanctus quoque Theodorus Siceota malefico resipiscenti jussit, ut quoscumque homines, aut domos, aut animalia maleficiis suis obstrinxerat, dissolveret, modo haud dubiè licito, ut refert Georgius Presbyter in vita ipsius apud Continuatores Bollandi to. 3. Aprilis ad diem 22.

Ratio tertiæ partis est, quia qui dubitat, 508
an magus possit, sine dæmonis ope, maleficium tollere, vel non possit, si durante dubio ab ipso absolutè petat, ut maleficium tollat, tam ipsum periculo moraliter exponit ope dæmonis tollendi, quàm seipsum, opem dæmonis acceptandi. Per consequens non satis consulit divino honori, satisque indicat, sibi indifferens esse, utro modo tollatur, licito an illicito, ope vel non ope dæmonis. Et ideò Doctores communiter id damnant contra Tamburinum. Et Delrio l. 6. c. 2. sect. 1. q. 2. circa finem monet, illum qui dubitat ut suprà, debere ab eo inquirere & examinare, quibus mediis sit usurus, & declarare se nollè uti ipsius operâ, nisi modo licito.

Nec dicas, in dubio benè præsumendum 509
de proximo, quòd utique modo licito usurus sit. Neque enim id præsumendum de hominibus magicæ arti addictis; sed id quòd ab ipsis frequentiùs fit. Frequentiùs autem magi in similibus ope dæmonis utuntur, quocum societatem habent, & cui ad nutum ipsius serviunt.

Ad 7. respondeo, maritum id non posse, 510
sed teneri adulterium uxoris impedire, si suppetat alia via impediendi ulteriora uxoris adulteria, v. g. per Pastoris admonitionem. Si tamen alia via non suppetat ea impediendi, sitque probabilis spes sic impediendi, videtur ad istum finem posse permissivè se habere, ut deprehensos in flagranti delicto deterreat, deterrendoque impediat ab ulteriori peccato. Quamvis enim non sint facienda mala, ut eveniant bona, possunt tamen permitti mala, ut occasionaliter sequantur bona. Cùm ista de causa uxor ab alio importunè & frequenter ad adulterium sollicitata, nec aliter valens se liberare ab importunitatibus ipsius, de consensu mariti possit condicere horam, ut veniat tali nocte, ut si fortè veniat, deprehensus caveat in futurum. Pater etiam aliquando potest permissivè se habere ad furtum filii, ut deprehensus, & insigniter castigatus, à furtis ulterioribus coërceatur. Ex gravi namque causa permitti possunt aliqua peccata, ne graviora sequantur, si ista impediantur. Sic enim meretrices Respublica licitè permittit, secundùm S. Augustinum & S. Thomam. Sic etiam Deus peccata hominum permittit.

Ad 8. id absque distinctione non conce- 511
dendum, eo solùm prætextu, quòd si ego recusem, alius dabit (uti concedunt Petrus Ledesma, Lessius, &c.) cùm hoc sit habenas nimis laxare. Distinguendum ergo cum Sylvio q. 77. a. 4. quæsito 1. & dicendum 1°. cum S. Thoma q. 169. a. 2. ad 4. non posse ab artificibus fieri, nec proinde vendi res, *quibus homines uti non possunt*

absque peccato, vel quibus certæ conditionis homines nunquam utuntur absque peccato, nec proinde licitum esse vendere paganis idola. Quia *hoc est illis præbere directè occasionem peccandi*, ait S. Doctor.

512 Dicendum 2°. non esse licitum vendere res, quibus homines utplurimùm malè utuntur, v. g. venena, nisi constet hîc & nunc ad bonum usum peti. In dubio namque præsumitur id frequentiùs, & utplurimùm accidit, & saltem id timere, periculumque cavere, prudentia dictat. Unde etiam S. Thomas ibidem ait, quòd si operibus alicujus artis, ut in pluribus aliqui malè uterentur, quamvis de se non sint illicita, sunt tamen per officium Principis à civitate extirpanda, secundùm documenta Platonis.

513 Dicendum 3°. non esse licitum vendere res indifferentes, v. g. gladium, vel pugionem, cum scientia, vel probabili cognitione, quòd emptor iis malè utetur in damnum tertii, maximè si damnum istud præponderet utilitati, quæ venditori provenit ex ipsius venditione. Quia ordo amoris postulat illi damno postponendam utilitatem meam; & aliàs censebor eidem damno cooperari.

514 Dicendum 4°. etiam citra damnum tertii, non esse licitum vendere res indifferentes illi, qui scitur, vel probabiliter cognoscitur abusurus ad peccatum: nisi venditor habeat causam rationabilem, ob quam negligere queat peccatum proximi, pro quanto scilicet illud impedire non potest, absque gravi damno suo, ut si homines perditi, nullâque disciplinâ coërciti, minentur incendium domûs, vel necem, aut vulnera hospiti, nisi ipsis petentibus cœnam vetitam, vel carnes die vetito ministret. Aliàs enim censebitur peccato eorum cooperari, si non quoad initium, saltem quoad executionem pravæ voluntatis. Peccant proinde graviter caupones, & alii, qui in die jejunii, cœnam ministrant iis, quos sciunt benè pransos, & jejunii lege adstrictos, vel vinum copiosum iis, quos norunt sese inebriaturos, si absque gravi nocumento suo recusare possint, vel etiam absque probabili periculo graviorum peccatorum, v. g. blasphemiarum, perjuriorum, &c. Ita Sylvester, Angelus, Medina, & S. Antoninus p. 2. tit. 6. c. 3. §. 1. inde concludens, malo in statu esse venditores rerum indifferentium, qui parati sunt quibuscumque, sive ad bonum, sive ad malum usum emptoris, eas vendere; nec sacramentaliter absolvendos, nisi illam animi præparationem, seu voluntatem abjiciant. Quemadmodùm enim unusquisque impedire tenetur, ne proximus se corporaliter occidat, si absque gravi nocumento suo possit (v. g. ipsi non vendendo ensem, quo seipsum vult occidere) ita & ne occidat se spiritualiter per peccatum.

Nec dicas 1°. talem jam esse spiritualiter 515
mortuum per peccatum pravæ voluntatis. Quia quamdiù peccatum istud externo opere non est consummatum, debemus equidem id impedire (dum absque nocumento possumus) utpote gravius malum, quàm sit mors corporalis ipsius.

Nec dicas 2°. quòd me negante quod pe- 516
tunt, peccata illa non impedientur. Quia alii equidem sunt ipsis vendituri, vel ministraturi. Nam & alii peccabunt vendendo, vel ministrando (ob dictam rationem.) Non licet autem tibi tuo peccato peccatum ipsorum prævenire, sive peccare, eò quòd alii equidem sint peccaturi. Et ideò Concilium Mediolanense V. sub S. Carolo Borromæo tit. *de his quæ ad dies festos, & sacra tempora pertinent*, districtè prohibet, *ne caupones, tabernarii, & alii, qui cœnacularium faciunt, vetitos in Quadragesima cibos vendant, etiam hospitibus, peregrinis*, &c.

Nec dicas 3°. quòd si caupones similia re- 517
cusent, deserentur ab hospitibus, cum gravi jactura sua. Id enim timere non novit fides Christiana: cùm scriptum sit: *Quærite primum regnum Dei, & cætera adjicientur vobis.*

Cæterùm si viri honesti sint, qui cœnam 518
petunt, licèt benè pransi, non tenentur caupones scrupulosiùs inquirere, an legitimam solvendi jejunii rationem habeant, ait Natalis Alexander to. 9. Theol. Dogm. l. 4. c. 5. a. 7. reg. 2. Et idem est dum carnes petunt. Quia judicare possunt, & plerùmque debent in illorum favorem, & præsumere, illos ex necessitate, atque ex Medicorum consilio, cum Pastoris licentia, his cibis uti, nisi evidenter constet de contrario. De quo si constaret, graviter peccarent, si ministrarent, maximè si scirent carnes, die vetito, peti ab hæreticis in contemptum Ecclesiasticæ legis, eas prohibentis. Quo casu famuli domo potiùs egredi deberent, quàm eas parare, vel ipsis ea in re obsequi.

LIBER QUINTUS PRÆLIMINARIS

AD PRÆCEPTA VIRTUTUM CARDINALIUM.

CAPUT UNICUM.

De natura Virtutum in genere.

1 DE virtutibus nullus, sive Theologorum, sive Philosophorum, meliùs disseruit, quàm Theologorum Apex, & Doctor amoris Augustinus. Philosophi virtutem definierunt, quòd sit *bona qualitas mentis, inclinans ad operationes naturæ rationali congruas*, sive honestas, & rectæ rationi conformes. Sed completam virtutis rationem definitio ista non declarat: neque enim completæ, seu perfectæ virtutis rationem habet qualitas solùm inclinans ad actus ex officio bonos, naturæque rationali seu rectæ rationi consentaneos. Quid verò præterea ad completam virtutis rationem requiratur, definitio illa non explicat. Meliùs à Theologis cum S. Thoma 1. 2. q. 55. a. 4. virtus definitur: *Bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nemo malè utitur.* Meliùs (inquam) quia definitio ista, per hoc quod dicit, *quâ rectè vivitur*, satis innuit ad rationem virtutis non sufficere quòd sit habitus inclinans ad actus bonos: cùm per actum completæ virtutis homo rectè vivat: per actum verò quemcumque bonum præcisè homo rectè non vivit, sed per actum bonum, benè seu rectè factum. Possunt enim actus boni fieri non benè, ut subtiliter ac frequenter Augustinus observavit.

2 Omnium proinde optima, sicut & brevissima est definitio, quam ipse tradit l. 15. de Civit. Dei c. 22. *Mihi videtur, quòd definitio brevis & vera virtutis sit ordo amoris*: quia rectè vivere est ordinatè amare. *Non enim faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores*, ut alibi dicit. Et iterùm: *Non præcipit Scriptura nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum.* Radix enim omnium bonorum est charitas; sicut radix omnium malorum est cupiditas. Et ideò Sponsa in Canticis ait: *Ordinate in me charitatem* (sic legit Augustinus) quia ubi ordo in charitate, sive in amore, ordo est in omni more. Hæc fusiùs deduximus & ostendimus to. 1.

3 Solùm proinde hic moneo, ideò maximo in pretio habendam Augustinianam istam definitionem, quia Augustinus præ cæteris Doctoribus à Deo electus fuit ad debellandos hæreticorum errores, maximè Pelagianorum, Manichæorumque, ad quos debellandos ipsi necesse fuit de fine & principio veræ virtutis, necnon de bono maloque rerum bonarum usu disserere. Quia namque Pelagiani contendebant hominem solis ingenitis naturæ viribus veram virtutem, vitamque per consequens æternam assequi posse, adversus eos ipsum disserere oportuit de fine & principio veræ completæque virtutis, velut de potissimis concertationis capitibus, ostendendo, *non tam officiis, quàm finibus, à vitiis distinguendas esse virtutes*, virtutisque rationem magis in fine, quàm in officio consistere. Nullum quippe actum, etsi ex officio, sive ex objecto bonum, esse virtutis actum, nisi benè fiat. Non fieri verò benè, nisi ad debitum finem ultimum, Deum utique, referatur. Nullum proinde habitum, vel actum, esse veram virtutem, nisi Deum velut finem respiciat, ipsique serviat; nisi proinde ex Dei propter se amore procedat, qui non est in homine lapso per naturam, sed per Redemptoris gratiam dumtaxat. Quia etiam Manichæi sustinebant, res, quæ sub sensum cadunt, non esse bonas: quia earum sæpè pravus est apud homines usus, v. g. mulieris, vini, &c. Ipsos perperàm id dicere Augustinus ostendit, ex hoc quòd rerum bonarum usus & bonus esse queat, & pravus. Quia res bonæ & benè amari queunt, & malè. Benè, amoris ordine custodito; malè, ordine isto perturbato.

4 Propterea ergo de virtutis officio, fine & principio tam copiosè, tam subtiliter, tam efficaciter disputavit, brevique suâ illâ virtutis definitione, S Thomæ definitionem num. 1. relatam comprehendit. Si enim virtus est *bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur*, &c. ille profectò rectè, sive (ut Augustinus loquitur) *ille sanctè & justè vivit, qui rerum integer æstimator, &c. Ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat, quod non est diligendum, aut non diligat, quod diligendum est, aut æquè diligat,*

quod vel minùs vel ampliùs diligendum est, aut minùs vel ampliùs, quod æquè diligendum est. Unde ordinati amoris ad rectè vivendum necessitatem epist. 120. ad Honoratum sic ostendit : *Sicut bona sunt omnia quæ creavit Deus, ab ipsa rationali creatura usque ad infimum corpus ; ita benè agit in his anima rationalis, si ordinem servet..... Cùm enim omnes substantiæ sint naturaliter bonæ, ordo in eis laudatus honoratur, perversitas culpata damnatur.*

5 Prætereà bonitas Augustinianæ definitionis ostenditur, ex hoc quòd non solùm optimè explicat naturam veræ virtutis ; verùm ex hoc etiam quòd conveniat omni & soli virtuti, completam virtutis Christianæ rationem habenti. Nam virtutum aliæ Theologicæ sunt, aliæ Morales. Theologicæ Deum habent pro objecto immediato, seipsisque ad ipsum referuntur, seipsis Deo immediatè serviunt. Non sunt proinde sine Dei amore, nec sine amoris ordine, uti latiùs demonstravimus to. 1. l. 2. 3. & 4. Virtutes morales (id est pro immediato objecto suo non habentes Deum, sed mores humanos, eorumque rectitudinem) aliæ sunt Cardinales, aliæ non Cardinales, sed Cardinalibus annexæ, propter aliquam cum ipsis affinita-
6 tem. Cardinales sunt quatuor, prudentia, justitia, temperantia, fortitudo, ideò Cardinales dictæ, quia sunt velut quatuor cardines, seu perfectiones generales, quæ in omni virtute debent reperiri. Omnis quippe virtus debet esse prudens in operando, ne errret per inconsiderationem, vel negligentiam ; justa, dando cuique quod suum est, Deo scilicet, sibi, & proximo ; fortis, constanter persistendo in bono, nec ullis illecebris, vel difficultatibus sinendo se ab eo divelli ; temperans, modum à recta ratione præscriptum non excedendo, nec ab eo deficiendo. Porrò *illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu..... dicitur. Itaque illas quatuor virtutes.... sic definire non dubitem, ut temperantia sit amor, integrum se præbens ei quod amatur. Fortitudo, amor facilè tolerans omnia propter quod amatur. Justitia, amor soli amato serviens, & propterea rectè dominans. Prudentia, ea quibus adjuvatur, ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem, non cujuslibet, sed Dei esse dixerim, id est summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ. Quare definire etiam sic licet, ut temperantiam dicamus esse amorem Deo sese integrum, incorruptumque servantem. Fortitudinem, amorem omnia propter Deum facilè perferentem. Justitiam, amorem Deo tantùm servientem, & ob hoc benè imperantem cæteris, quæ homini subjecta sunt. Prudentiam, amorem benè discernentem ea quibus adjuvatur in Deum, ab iis quibus impediri potest.* Augustinus lib. de morib. Eccles. Cathol. c. 25. Eadem habet epist. 52. ad Macedonium, ubi ipsum instruens, qualiter agere debeat, ut virtuosè agat, & utiliter ad vitam æternam : *Si* (inquit) *omnis prudentia tua, quâ consulere conaris rebus humanis ; si fortitudo, quâ nullius iniquitate adversante terreris ; si omnis temperantia, quâ in tanta labe nequissimæ consuetudinis te à corruptionibus abstines ; si omnis justitia, quâ rectè judicando, sua cuique distribuis ; id laborat, id nititur, ut hi, quibus vis ut benè sit, salvi sint corpore, & ab omni cujusvis improbitate tuti atque pacati, habeant filios tamquam novellas constabilitos, cellaria plena, fœcundas oves, nec maceria ruinæ deformet prædium, nec litigantium clamor personet in plateis eorum ; ita non erunt veræ virtutes tuæ, sicut nec istorum beatitudo. Si, inquam, omnis administratio tua, illis, quas commemoravi, instructa virtutibus, hoc intentionis fine determinatur, ut homines secundùm carnem nullas iniquas molestias patiantur ; nec ad te existimas pertinere, quòd istam quietem, quam præstare niteris, referant, id est, quomodò Deum..... colant ; nihil tibi prodest ad vitam verè beatam tantus labor. Si autem virtutes quas accepisti, à quo acceperis sentiens, eique gratias agens, eas ad ipsius cultum in illis tuis sæcularibus honoribus conferas, tuæ potestati subditos homines ad eum colendum exemplo tuæ religiosæ vitæ, & ipso studio consulendi, seu fovendo, seu terrendo erigas & adducas, nihilque aliud in eo quòd per te securiùs vivunt velis, nisi ut hinc illum promereantur apud quem beatè vivant ; & veræ illæ virtutes erunt, & illius opitulatione, cujus largitate donatæ sunt, ita crescent, ut te ad vitam verè beatam sine ulla dubitatione perducant.* Hactenùs Augustinus.

Augustino concinit Concilium Araufica- 7
num II. can. 17. cùm dicit, quòd *fortitudinem Gentilium mundana cupiditas ; fortitudinem Christianorum Dei charitas facit.* Nec dissentit S. Thomas, dum 2. 2. q. 23. a. 7. dicit, quòd *nulla vera virtus potest esse sine charitate.* Quia *virtus vera simpliciter ordinat*, id est importat ordinem *ad principale bonum hominis*, quod est Deus. Istam verò ordinationem ad 1. dicit esse *debitam*, quia *potest quidem esse aliquis bonus ex suo genere ; non tamen perfectè*, id est complete bonus sine charitate : quia *deest debita ordinatio ad ultimum finem.* Ad 2. *Non potest esse simpliciter vera justitia, aut vera castitas, si desit ordinatio debita ad finem, quæ est per charitatem, quantumcumque aliquis se rectè circa alia habeat.* Et ad 3. *Virtutes morales important ordinem ad ultimum finem humanæ vitæ.*

Monendus tamen Lector, quòd tametsi 8
in substantia conveniant Augustinus, & Thomas, non semper tamen in phrasibus, seu modo loquendi de virtute & charitate, quod & tomo I. monuisse me memini. Siquidem virtus apud S Thomam 1. 2. q. 55. & 56. est habitus, vel actus ex habitu procedens, ut videre est per totas illas quæstiones. Sanctus Augustinus verò per virtutem

intelligit utplurimùm actus ipsos virtuosos, etiam ex habitu virtutis non procedentes. Similiter apud S. Thomam charitas simpliciter dicta, utplurimùm est charitas habitualis, gratiæ sanctificanti indivulsè sociata, vel actus inde procedens. Unde charitatem utplurimùm sumit pro nostra cum Deo amicitia, dicitque quòd *minima charitas sufficit ad justificationem.* Item, quòd *minima charitas in subjecto suo omnem superat cupiditatem.* Quæ dici non possunt, loquendo de charitate juxta phrasim S. Augustini, qui charitatem sumere solet pro dilectione actuali, & nihil aliud est quàm *bona voluntas*, quâ Deus propter se diligitur, & etiam in peccatoribus reperitur. Unde nec omnis charitas, secundùm phrasim Augustini, sufficit ad justificationem, nec semper superat omnem cupiditatem. Et nulla virtus, nullum opus usquequaque bonum est sine charitate, juxta Augustinianum loquendi modum; secùs juxta modum loquendi S. Thomæ magis ordinarium. Quod ideò addo, quia to. 1. à nobis ostensum est, quòd ipse etiam aliquando charitatem actualem sumat pro ea quæ non ex habitu procedit, sive (ut ipse loquitur) pro ea quæ *est ad charitatem*, non *ex charitate*, fateturque charitatem actualem sic acceptam reperiri in non habente charitatem (scilicet habitualem) prout videre est in 2. dist. 3. q. 3. ad 1. ubi sic: *Actus charitatis potest dici dupliciter; vel qui est ex charitate, & hæc non est nisi in habente charitatem* (habitualem) *vel qui est ad charitatem, non sicut meritorius* (de condigno) *vel generativus, sed sicut præparativus. Et hic actus charitatis ante habitam charitatem haberi potest, sicut facere justa ante habitum justitiæ.* Unde ibidem subjungit: *Cùm dicitur de charitate carente, quòd diligit Deum propter se, ly propter denotat habitudinem finis.* Distinctione etiam 28. q. 1. a. 3. ad 2. dicit, quòd *sicut aliarum virtutum actus dupliciter considerari possunt, vel secundùm quod sunt à virtute, vel secundùm quod antecedunt virtutem; ita etiam est de charitate. Potest enim aliquis, etiam charitatem* habitualem *non habens, diligere proximum, & Deum* (*etiam super omnia, ut quidam dicunt*) *& hoc diligere intelligitur actus charitatis sub præcepto directè cadere, & non solùm secundùm quod à charitate* (habituali) *procedit.* Et quodlib. 1. a. 8. dicit, quòd *dilectio Dei super omnia aliquando non est summa* (id est perfecta) *nec ultimò disponit ad gratiam.*

9 Porrò dum loco n. 7. citato dicit, quòd nulla sit vera virtus sine charitate, fateor, quòd loquitur de vera virtute simpliciter, sive formatâ per gratiam gratum facientem; sed dum pro ratione addit defectum debitæ ordinationis ad finem ultimum, satis insinuat, se non loqui de sola virtute vera ob defectum istius informationis, per gratiam gratum facientem, & charitatem habitualem; sed & de virtute vera ob defectum dictæ ordinationis, quæ non est per solam charitatem habitualem, vel actualem ex habituali procedentem, sed & per actualem, quæ reperitur etiam in eo qui caret habitu charitatis, ut ex ipso proximè vidimus, & to. 1. fusiùs ostendimus.

Cùm igitur ex dictis satis appareat, virtutes cardinales sine charitate actuali, seu Dei propter se amore, completam non habere rationem virtutis, eadem profectò ratio est de cæteris virtutibus moralibus ipsis annexis. Quia & ipsæ Deo servire debent, ad ipsumque referri, ut Augustinus docet. *Absit enim* (inquit lib. 4. in Julian. c. 3.) *ut virtutes veræ cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum, cui dicimus: Deus virtutum converte nos.... Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur & hominibus. Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera Sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipsò non recto fine peccatum est. Possunt ergo aliqua bona fieri, non benè facientibus à quibus fiunt.* Sed hac de re satis dixi to. 1. 10

Nec ideò consectaria est propositio à Pio V. damnata: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia.* Etsi enim virtutes infidelium non habeant completam rationem virtutis; sunt nihilominùs virtutes Philosophicæ, tametsi non Christianæ: quia ex officio & objecto suo bonæ sunt, & honestæ. Inter infideles quoque computantur Judæi, Mahumetani, & Hæretici (siquidem, ut D. Prosper epist. ad Demetriad. c. 7. ait, *alienus est à numero fidelium..... qui in aliquo à Catholica veritate dissentit*) qui, cùm Deum cognoscant, ad ipsum aliquos actus suos subinde referunt. Ipsi denique Gentiles universim non privantur omni superno lumine, quo æternam videant veritatem & justitiam, certæ alicui virtuti correspondentem; cujus proinde momentaneo amore illecti, ad ipsam virtutis illius actum aliquem referre possunt, etiamsi vix id faciant, prout insinuat Augustinus de spir. & litt. c. 15. Verùm hac etiam de re plura to. 1. Prolegom. 6. 11

LIBER SEXTUS.

AMOR PRUDENS.

In quo agitur de Prudentia, Virtutibusque ei annexis.

12 SI, ut Augustinus ait epist. 52. ad Macedon. *in hac vita virtus non est nisi diligere quod diligendum est; profectò id eligere prudentia est .... Quid autem eligamus quod præcipuè diligamus, nisi quo melius nihil invenimus? Hoc Deus est; cui si diligendo aliquid præponimus, vel æquamus, nosipsos diligere nescimus. Tantò enim nobis melius est, quantò magis in illum imus. Imus autem, non ambulando, sed amando, quem tantò habemus præsentiorem, quò eumdem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem.* Tantò proinde homo prudentior, quantò amor ipsius purior ac perfectior. Cùm enim luminosa sit Dei dilectio, quantò perfectior, tantò luminosior. Tantò proinde homini clariùs ostendit, quid eligere debeat ad finem ultimum consequendum, quidque observare, ad tenendum modum, mediumque virtutis, non declinando ad dextram, nec ad sinistram.

CAPUT I.

Prudentiæ natura & præstantia.

13 PRudentia à Philosopho 6. Ethic. 5. definitur, *recta ratio agendorum.* Ab Augustino lib. 1. de lib. arb. c. 13. *rerum appetendarum & fugiendarum scientia.* A Theologis passim, *virtus, quâ in quovis negotio occurrente certo novimus quid honestè eligere, sive quid appetere, quid fugere debeamus.*

14 Meritò proinde à S. Antonino cæteris præfertur virtutibus moralibus: utpote cæterarum regula, mensura, ac velut directrix, in singulis earum negotiis ostendens, quid & quomodò agendum. Unde & absolutè magis repugnat peccato, quàm reliquæ virtutes morales (suo dumtaxat in genere ei repugnantes) imò magis quàm fides ipsa, uti docet S. Thomas q. 47. a. 8. ad 2.

15 Quia tamen ipsius est in quovis negotio judicare, quid hîc & nunc agendum sit, vel omittendum, nequit esse prudentia absoluta, nisi aliquid habeatur de reliquis virtutibus Cardinalibus. Quia homo non erit benè dispositus ad judicandum, quid hîc & nunc agendum sit, vel omittendum, in materia aliarum virtutum, si voluntas ipsius per contrarias passiones & vitia affecta sit ista in materia. Tunc enim potiùs judicabit secundùm passionem, quàm secundùm rectam rationem. Cùm, prout unusquisque affectus est, sic soleat judicare. Et ideò S. Gregorius l. 22. Moral. in Job c. 1. dicit, virtutes Cardinales sic esse connexas, ut una sine alia absolutè non habeatur, sed secundùm quid dumtaxat: *nec prudentia vera est, quæ justa, fortis, & temperans non sit; nec perfecta temperantia, quæ fortis, justa, & prudens non sit; nec fortitudo integra, quæ prudens, temperans, & justa non est; nec vera denique justitia, quæ prudens, fortis, & temperans non est.* Idem antè dixerat Augustinus epist. 29. ad sanctum Hieron. inde concludens, quòd *ubi vera est aliqua earum, & aliæ similiter sunt; ubi autem aliæ desunt, vera alia non est, etiamsi aliquo modo similis esse videatur.*

16 Hinc consectarium est, in impiis, vel alicui vitio deditis, non esse prudentiam absolutè, sed secundùm quid tantùm. Quia pravus habitus istius vitii non sinet eos rectè judicare quid hîc & nunc agendum, vel omittendum sit, dum occurret materia illius, vel saltem non efficaciter, sive judicio practicè practico, procedente ex motivo honestatis. Quam si homo absolutè amaret, in omni materia amaret. Siquando ergo rectè judicet, certè non ex motivo honestatis, sed ex alio, quod non consideratur à prudentia.

17 Alio adhuc modo virtutes Cardinales sunt connexæ, consideratæ utique in statu perfecto, & constanter stabilito. Prudentia namque perfecta, & constanter stabilita, aliarum consortium requirit, justitiam scilicet, fortitudinem, & temperantiam.

18 Denique virtutes omnes morales connectuntur ex parte finis ultimi, ad quem tendunt: quia omnes eumdem finem ultimum habent, nec habent omnia requisita ad completam rationem virtutis, nisi ad finem illum referantur per charitatem generaliter dictam, sive Dei propter se amorem. Imò omnes sunt informes, & aliquo modo imperfectæ, nisi formentur per charitatem specialiter sumptam pro amicitia cum Deo. Quæ charitas prudens est, justa, fortis, temperans, patiens, &c.

19 Dictum est in definitione prudentiæ, quòd

quòd sit rerum agendarum, & fugiendarum scientia, id est notitia certa. Sic enim fertur in objectum suum, ut circa illud ex modo judicandi falli non possit. Unde opinio honesti non est actus virtutis prudentiæ, nec virtus, ut docet Aristoteles lib. 6. Ethic. c. 3. quia licèt versari possit circa objectum verè honestum, non sic tamen, ut ex modo tendendi non possit esse falsa, cùm in illud fallibiliter tendat, sive cum formidine oppositi.

20 Dictum est 2°. in communi definitione, quòd sit virtus, quâ *certò novimus quid in qualibet negotio occurrente*, &c. quia prudentia versatur circa actiones singulas in particulari. Neque enim prudens est, qui solùm novit in communi, honestum esse agendum, turpe fugiendum; sed qui in particulari novit quid, & quomodò in his particularibus circumstantiis agendum sit, vel non agendum.

21 Dictum est 3°. *quid honestè eligere debeamus*. Quia prudentia circa bonum honestum versatur, velut objectum & motivum proprium. Unde dum quis prudenter agere dicitur, in his quæ tantùm sunt artis, absque consideratione honestatis, aut turpitudinis in opere, prudens propriè non dicitur, sed impropriè, & per similitudinem quamdam, ut sanctus Thomas observat q. 47. a. 4. ad 2.

22 Dices: Jacob Genes. 29. prudenter judicavit eam mulierem, quam putabat esse Rachelem, esse suam; istud tamen judicium fuit falsum. Ergo malè dictum est, judicium prudentiæ non posse esse falsum.

Respondeo negando consequentiam. Quia Jacob non judicavit, mulierem illam esse suam per actum virtutis prudentiæ, sed per errorem inculpabilem: per actum enim virtutis prudentiæ (supposito illo errore) solùm judicavit sibi hîc & nunc honestum ac licitum accedere ad illam mulierem: quod judicium certissimè fuit verum.

CAPUT II.

Partes integrales prudentiæ.

23 PArtes integrales prudentiæ illæ dicuntur, quæ ad perfectum usum ipsius requiruntur. A sancto Thoma numerantur octo.

1°. *memoria præteritorum*, quæ sensu, vel intellectu aliquando percepimus. Prudentia namque juvatur ab iis quæ experti sumus. Unde axioma: *In senibus prudentia.*

2°. *intelligentia præsentium*, sive recta æstimatio principiorum practicorum, per se notorum, quæ assumuntur ad formandum judicium practicè practicum.

3°. *providentia, seu consideratio futurorum eventuum*, qui ex actione hîc & nunc facienda, vel non facienda, sequi nati sunt; quos prudentia maximè considerare debet, ad judicandum de præsenti negotio.

4°. *docilitas, seu prompta facilitas discendi ab aliis*, maximè à majoribus & senioribus, quos vel cælesti Deus lumine replevit (uti sanctos replevit Doctores) vel per multiplex experimentum edocuit, ad instructionem aliorum. Unde Proverb. 3. scriptum est: *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et Eccli. 6. Sapiens monet: *In multitudine Presbyterorum* (id est seniorum) *sta, & sapientiæ illorum ex corde conjungere.* Et c. 8. *Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientium, & in proverbiis eorum conversare. Ab ipsis enim addisces sapientiam, & doctrinam intellectûs .... Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis. Quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.*

5°. *ratio, seu* (uti S. Thomas intelligit) *promptitudo ratiocinandi*, id est unum ex altero rectè colligendi. Quia prudentiæ est consulere, ad quod plurimùm conducit promptitudo illa.

6°. *solertia, seu facilitas inveniendi medium congruum ad assecutionem finis*; ut eo invento, rectum de actione judicium formari queat.

7°. *circumspectio*, id est attenta consideratio circumstantiarum occurrentium, quæ faciunt ad honestatem, vel turpitudinem actûs. Circumspectio ista maximè necessaria est in examinandis quæstionibus, utramque in partem controversis. Ad prudentiam quippe pertinet, eo in examine, non solùm rationes utriusque partis inquirere; sed etiam ponderare, & inter se conferre, ac pro earum pondere, & gravitate sententiam ferre, vel ab ea ferenda abstinere. Peccat proinde contra prudentiam, & qui negligit rationes considerare, vel ad invicem conferre, & qui, factâ collatione, juxta earum pondus non fert sententiam, seu judicium practicum.

8°. *Cautio*, quâ quis studiosè cavet, ne sub specie recti decipiatur, faciatque tamquam bonum, quod reverà malum est. Cautio namque circa actionem versatur, sicut circumspectio circa circumstantias occurrentes, uti observat S. Thomas q. 49.

Ex dictis collige, prudentiam ad syn- 24
deresin à S. Thoma benè comparari, sicut scientia comparatur ad intellectum principiorum. Quemadmodùm enim scientia versatur circa conclusiones rationis speculativæ; sic prudentia circa conclusiones rationis practicæ. Et sicut nobis naturaliter indita sunt principia speculabilium, à quibus intellectus procedit ad conclusiones speculativas; sic etiam nobis naturaliter indita sunt principia operabilium, à quibus intellectus procedit ad conclusiones practicas. Circa ejusmodi verò principia versatur synderesis, v. g. circa hæc: *Bonum fa-*

ciendum, à malo declinandum; deteriora melioribus postponenda; animus à transitoriis ad æterna convertendus, &c. quæ à S. Augustino lib. 1. de lib. arb. c. 10. vocantur *regulæ incommutabiles*, & *lumina virtutum*. Prudentia autem versatur circa conclusiones practicas, sive circa actiones, quæ sunt in singularibus.

CAPUT III.

Partes potentiales prudentiæ.

25 PArtes potentiales alicujus virtutis à S. Thoma vocantur annexæ virtutes, quæ aliquid habent de virtute cui annectuntur, sed non totam rationem potentiamque istius virtutis. Ponitque tres partes potentiales prudentiæ, eubuliam, synesin, & gnomem.

Eubulia est habitus tribuens facultatem benè consultandi, sive inveniendi bonum consilium in rebus ambiguis.

Synesis est habitus rectè judicandi de actione ex principiis practicis ordinariis, & propriis illius materiæ.

Gnome est habitus rectè de ea judicandi ex principiis altioribus, ex quibus judicium formetur secundùm mentem Legislatoris, licèt non secundùm litteram legis, v. g. invasori patriæ non esse reddendum depositum, vel furioso non esse reddendum suum gladium.

26 Unde adæquatè distingui non videntur à virtute prudentiæ, sed inadæquatè dumtaxat. Nihil enim aliud esse videntur, nisi prudentia inadæquatè concepta: utpote ad quam pertinet 1°. adinvenire media idonea ad finem consequendum. Quod cùm fiat benè consultando; *eubulia*, quæ est habitus benè consultativus, non videtur aliquid realiter adæquatè distinctum à prudentia, sed ipsa potiùs prudentia secundùm unam ex suis functionibus partialiter considerata. 2°. benè judicare, sive ex propriis principiis, sive ex altioribus. Tam enim ista, quàm illa considerat prudentia; tamque ex istis, quàm ex illis judicat de honestate, vel turpitudine actionis hìc & nunc exercendæ, vel omittendæ. Igitur synesis & gnome sunt etiam prudentia secundùm aliquam sui functionem inadæquatè considerata.

27 Nec ab ea sententia alienus videtur S. Thomas, cùm q. 47. a. 2. doceat, prudentiam esse consiliativam, & a. 8. statuat, benè consiliari, & benè judicare, esse actus prudentiæ.

28 Addit tamen eodem art. 8. tertium actum prudentiæ, scilicet *præcipere*. Et iste est principalis inter omnes prudentiæ actus: utpote per quem prudentia consequitur finem suum, qui est benè agere. Unde nec absolutè prudens dicitur, qui benè consultat, & benè judicat, sed qui benè præcipit, sive imperat actum bonum benè fieri, sive interim præceptum istud sit actus intellectûs, qui vocatur judicium ultimò practicum, uti sentire videtur S. Thomas, sive sit actus voluntatis, imperans ut voluntas velit, plenèque velit, uti sentire videtur S. Augustinus lib. 8. Confess. c. 9. dicens: *Imperat animus, ut velit animus, qui non imperaret, nisi vellet*, &c. sive sit actus utriusque potentiæ, intellectûs scilicet & voluntatis, prout plerique opinantur.

CAPUT IV.

Vitia prudentiæ opposita per defectum.

29 QUatuor sunt, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, & negligentia. Quatuor enim sunt regulæ prudentiæ.

Prima regula est, ut priusquàm opus aggrediaris, vel aggrediendum judices, maturè consultes & deliberes de mediis, deque modo exequendi. Contra eam peccatur per præcipitationem, quæ est subitanea, absque consilio, & judicio de mediis & modo, operis aggressio.

Secunda regula est, ut diligenter inspicias opus, de quo judicandum est, & circumstantias illius. Contra quam agit inconsideratio, quæ, non inspectis qualitatibus & circumstantiis operis, judicium fert. Secluso divinorum præceptorum contemptu, præcipitatio & inconsideratio non sunt peccata mortalia, nisi per alterutram quispiam se exponat periculo faciendi aliquid, quod revera peccatum est mortale.

Tertia regula est, ut postquam maturè deliberaveris, & judicaveris, opus esse faciendum, isti judicio firmiter inhæreas, nec illud leviter, & absque sufficienti ratione mutes. Non enim aptus est exequi quod consultatum & judicatum est, qui sine gravi causa (quæ priùs non occurrerit) quasi ad flatum venti sententiam mutat. Hujus oppositum facit inconstantia, quæ peccatum est mortale, si ex voto, vel præcepto, vel obligatione vitandi scandali, quis in sententia persistere teneatur. Nullum verò peccatum, nec inconstantia est, ob graves causas, antè non prævisas, mutare sententiam, juxta illud: *Sapientis est mutare consilium*.

Quarta regula est, rem maturè deliberatam & judicatam, citò, vel tempore opportuno mandare executioni, juxta illud Philosophi 6. Ethic. 9. *Citò agenda sunt quæ consultaveris; tardè verò ac diù consultandum*. Et Socratis: *Delibera tardè; perfice autem citò quæ visa sunt*. Et S. Thomæ q. 47. a. 9. *Oportet consiliari quidem tardè, sed velociter exequi*. Contra hoc peccatur per negligentiam. Quæ si solùm sit omissio diligentiæ requisitæ in ipso opere externo, non est directè contra prudentiam, sed contra aliam virtutem,

virtutem, in cujus materia versatur, v. g. contra obedientiam, si versetur in materia illius, vel contra religionem, si sit negligentia in cultu Dei, &c. Si autem sit omissio diligentiæ requisitæ ex parte intellectûs, per quem voluntas moveri, excitari, & quasi urgeri debeat ad promptam operis executionem; sic est contra prudentiam; non tamen peccatum mortale, nisi causa sit neglecti operis, ad quod est obligatio sub mortali, vel nisi inducat periculum omittendi aliquid ejusmodi.

CAPUT V.

Vitia prudentiæ opposita per excessum.

30 A S. Thoma sex enumerantur, prudentia carnis, astutia, dolus, fraus, sollicitudo temporalium, & sollicitudo futurorum.

Prudentia carnis solerter excogitat media idonea ad vivendum secundùm carnem, sive secundùm instinctus naturæ corruptæ, secundùm affectum utique vindictæ, iræ, superbiæ, luxuriæ, &c. Malitia ipsius non consistit in cognitione istorum mediorum: utpote quæ cognosci possunt à viris sanctis; sed in conjuncto affectu ad eorum executionem, quem affectum seu appetitum supponit, sicut prudentia spiritûs supponit, & conjunctum habet appetitum rectum. Unde est peccatum mortale, si affectus ille sit ad aliquid mortale, juxta illud Roman. 8. *Prudentia carnis, mors est*: tametsi enim licitè ametur caro, in ordine ad bonum animæ, & finaliter in ordine ad Deum: secùs, si amor sistat in carne, cujus opera mortifera sunt, scilicet fornicatio, immunditia, impudicitia, &c. ut videre est ad Gal. 3.

31 *Astutia*, licèt subinde accipiatur in bonam partem, ut Proverb. 1. *ut detur parvulis astutia.* Et 13. *astutus omnia agit cum consilio.* Et 2. Cor. 12. *Cùm essem astutus, dolo vos cepi*; non tamen propriè, sed abusivè, inquit Augustinus lib. 4. contra Julian. c. 3. Sicut enim prudentia abusivè quandoque in malum accipitur; ita astutia quandoque in bonum. Itaque astutia, propriè accepta, est ingeniosa excogitatio mediorum non passim obviorum, apparenter quidem bonorum, sed reverà malorum, ac fallacium, ad consequendum finem intentum, sive bonum, sive malum, cum voluntate ea applicandi. Non solùm est peccatum, dum ordinatur ad finem malum, sed etiam dum ad bonum. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona. Unde Apostolus 2. Cor. 4. monet, ne simus *ambulantes in astutia.* Est verò peccatum mortale, vel veniale, pro ratione medii, quo astutus utitur, vel mali finis qui intenditur.

32 *Dolus* est executio astutiæ, sive verbo fiat, sive facto. *Fraus* est executio astutiæ per facta. Fit aliquando legi, aliquando contra legem. Contra legem fit per violationem ipsius, nullo colore vel artificio palliatam. Legi fit, contra significatum legis adhibito aliquo artificio, vel palliatione, uti sæpè contingit in usuris palliatis, & venditionibus, vel donationibus fraudulentis, v. g. dum uxor, quæ non potest donare viro, interponit tertiam personam, cui donat, cum onere retrodonandi viro; vel dum tutor, qui emere non potest rem pupilli, interponit alium, qui pro ipso emat, &c. Est proinde peccatum ex suo genere mortale.

Sollicitudo temporalium est nimia mentis 33
occupatio in illis acquirendis, vel conservandis, ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore proveniens. Porrò nimietas ista tripliciter contingit; vel quia animus temporalibus inhæret, velut fini positivè ultimo. Et hoc peccatum est mortale, juxta illud Matth. 6. *Non potestis Deo servire, & mammonæ.* Vel quia animus usque adeò iis applicatur, ut abstrahatur à spiritualibus, sollicitudoque hujus sæculi suffocet verbum Dei, ne fructum faciat in corde ipsius, ut dicitur Matth. 13. Et hoc quoque mortale est, si necessaria ad salutem propterea notabiliter negligantur. Vel quia anxium animum facit, seu anxiè timentem, ne faciendo quod debet, sibi necessaria desint. Et ista anxietas provenit ex defectu fidei de divina providentia, & promissione Salvatoris: *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & cætera adjicientur vobis.* Unde anxietatem illam & timorem esse gentilem, Christus insinuat, Matth. 6. cùm dicit: *hæc enim omnia Gentes inquirunt.*

Sollicitudo futurorum est nimis anxia mentis occupatio circa futura, ne scilicet temporalia desint. Unde species est sollicitudinis temporalium, prohibeturque Matth. 6. cùm dicitur: *Nolite solliciti esse in crastinum: crastinus enim dies sollicitus erit sibi.* Ex quibus postremis verbis colligitur, moderatam & tempestivam sollicitudinem habendi necessaria in futurum non esse prohibitam (cùm eam Scriptura commendet Proverb. 6. *Vade ad formicam*, &c. necnon c. 10. *Qui congregat in messe, filius sapiens est.* Unde Joseph tempore abundantiæ providit Ægypto pro septem annis futuræ sterilitatis) sed intempestivam, vel cum defectu fiduciæ in divinam providentiam. Unicuique enim tempori sua competit sollicitudo, prout innuunt verba illa Salvatoris: *crastinus dies sollicitus erit sibi*; & ista Eccli. *Omni negotio tempus est & opportunitas.* Quomodò æstati competit sollicitudo metendi; autumno, sollicitudo vindemiam colligendi. Peccat ergo contra hanc circumstantiam temporis, qui hyeme, vel vere sollicitus est de metendo, vel nimis anxiè timet, ne labor agriculturæ v. g. tam copiosos non referat fructus, quàm cupit.

LIBER SEPTIMUS.

AMOR FORTIS.

34 VEre Concilium Arauſ. dicit, quòd *fortitudinem Chriſtianorum Dei charitas facit*: quia *fortis eſt ut mors dilectio*, Cant. 13. Utique adeò fortis, ut qui corde perfecto Deum amat, nec mortem, nec ſupplicia timeat, ſed corpus ſuum tradat, ita ut ardeat, nec in tormentis deficiat. Magna profectò eſt iſta dilectio, teſteque Auguſtino ſerm. 15. de verb. Apoſt. *Multùm amavit, qui torqueri potuit, deficere non potuit. Sed ille non potuit tanta perferre ſine amore.* Nec ſine amore forti. Quia, ut iterùm ait lib. de patientia c. 4. *vis deſideriorum facit tolerantiam laborum; & nemo, niſi pro eo quod delectat, ſponte ſuſcipit ferre quod cruciat.* Tuncque Dei dilectio *maxima eſt in hac vita, quando pro illa ipſa contemnitur vita*, lib. de nat. & grat. c. 70. *Hæc vera fortitudo eſt* (inquit Ambroſius lib. 1. de offic. Miniſtr. c. 36.) *quam habet Chriſti Athleta: quia niſi legitimo certamine non coronatur.* Talis fuit fortitudo Martyrum, quos Cyprianus epiſt. 8. ſic affatur: *Quibus vos laudibus prædicem, fortiſſimi Fratres? Robur pectoris veſtri, & perſeverantiam fidei quo præconio exornem? Toleraſtis uſque ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem, nec ceſſiſtis ſuppliciis, ſed vobis potiùs ſupplicia ceſſerunt .... Inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæviens diù plaga repetita, quamvis, ruptâ compage viſcerum, torquerentur in ſervis Dei, jam non membra, ſed viſcera. Quale illud fuit ſpectaculum Domino! quàm ſublime! quàm magnum!..... pretioſa mors hæc eſt, quæ emit immortalitatem pretio ſui ſanguinis, quæ accipit coronam de conſummatione virtutis.* Nec tamen ſolis illis fortiſſimis Athletis, ſed & nobis, in pace Eccleſiæ viventibus, fortitudo neceſſaria eſt. Cùm habeat & pax Eccleſiæ Martyres ſuos. Siquidem *tota vita Chriſtiani, ſi ſecundùm Evangelium vivat, crux eſt & martyrium*, adverſus pravas utique cupiditates, adverſus mundi blanditias, & terrores, adverſus continuas diaboli impugnationes, adverſus rectores mundi, & tenebrarum harum. Sed prævalere non poterunt, ſi induamur armaturâ Dei, loricâque charitatis chriſti. *Quis* enim *nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes .... neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei*, Rom. 8.

CAPUT I.

Fortitudinis duplex acceptio & officium.

SAnctus Thomas q. 123. a. 2. obſervat 35
duplicem fortitudinis acceptionem. Primò enim ſumitur pro animi firmitate in benè operando, & ſic (inquit) generalis eſt virtus, ſeu conditio cujuſlibet virtutis: ad virtutem quippe requiritur, ut firmiter, & conſtanter operetur, ut Philoſophus docet 2. Ethic. 4. Secundò, pro animi firmitate in aggrediendis, & ſuſtinendis rebus arduis, & magis in perferendis, quàm in aggrediendis. Quia difficilius eſt timorem reprimere, quàm audaciam moderari. Difficilius diù manere invictum, præſertim in doloribus, & cruciatibus, quàm ſubito motu ad aliquid arduum moveri. Atque hinc elucet fortitudo Martyrum, de qua numero præcedenti. Nec dubium quin fortitudo ſic accepta, ſit virtus, & virtus ſpecialis. Facit enim quòd homo nullis moleſtiis & terroribus ab honeſto recedat, nec temerè ſe in pericula conjiciat, & ut animum adverſus præviſa pericula & terrentia præparet. *Niſi enim explorentur adverſa, citò occupant* (ait Ambroſius lib. 1. de offic. c. 38.) *ut in bello improviſus hoſtis vix ſuſtinetur, &, ſi imparatos inveniat, facilè opprimit; ita animum mala inexplorata plus frangunt.*

Hinc fortitudo definiri poteſt, *conſiderata* 36
periculorum ſuſceptio, moderataque aggreſſio, & invicta moleſtiarum perpeſſio.... Ita ferè Tullius lib. 2. de inventione. Unde officium ipſius eſt moderari timorem, audaciam, & triſtitiam. Timorem, ne nimius ſit, non ut ſit nullus, ubi juſta eſt timoris cauſa (vitioſum eſt enim non timere, quomodò & quantùm timere oportet.) Audaciam, ne temerè ſe in pericula conjiciat. Triſtitiam, ne propter eam, ex malo præſenti conceptam, animus à bono ſuſcepto deficiat, vel aliquid contra honeſtatem fiat.

CAPUT II.

Martyrium adultorum eſt actus heroïcus fortitudinis.

NEgant hoc aliqui, dicentes, marty- 37
rium eſſe actus illius virtutis, quæ à

persecutoribus impugnatur, v. g. fidei, vel castitatis. Verùm affirmant sancti Cyprianus n. 34. relatus, Ambrosius lib. 1. de offic. c. 36. & 41. Chrysostomus homil. 5. in Matth. Augustinus lib. 1. de morib. Eccles. c. 22. & 23. Et probatur ex Apostolo Hebr. 11. de Martyribus dicente, quòd *fortes facti sunt in bello*. Necnon ex eo quòd martyrio conveniat definitio & officium fortitudinis, de quibus cap. præcedenti.

38 Nec refert, quòd mortis acceptatio perpessioque ex aliis virtutibus procedere queat, absque intuitu ad honestatem propriam fortitudinis: cùm equidem in martyrio se offerat propria materia, officiumque fortitudinis, periculum utique mortis, ipsius perpessio, timoris, & tristitiæ moderatio, ne eam impediant, &c. Unde licèt primum & principale motivum actûs martyrii sit charitas, per modum imperantis, prout docet S. Thomas q. cit. a. 2. ad 2. fortitudo tamen ad actum illum concurrit per modum elicientis. Et sic martyrium non tantùm habet bonitatem actûs fidei v. g. vel castitatis, sed & charitatis, & fortitudinis.

CAPUT III.

Requisita ad rationem martyrii.

39 PRimum requisitum est perpessio mortis, illatæ propter professionem fidei, vel alterius virtutis Christianæ; vel certè perpessio tormenti nati mortem illam inferre. Quia, ut S. Thomas ait a. 4. ad martyrii rationem necesse est, quòd mors reipsà sequatur, vel posita sit sufficiens causa mortis, ex qua naturaliter sequeretur, nisi divinitùs impediretur. Unde Joannem Evangelistam ut Martyrem Ecclesia colit, quia missus in dolium olei ferventis, inde reipsà mortuus fuisset, nisi mors ipsius divinitùs impedita fuisset.

40 Dixi, *propter professionem fidei*, &c. *Martyrem* enim *non pœna, sed causa facit*, ut Augustinus dicit conc. 2. in Psalm. 34. Unde dum quis occiditur propter doctrinam falsam, vel propter sua crimina, non est martyr, licèt vanè existimet, se pro fidei veritate occidi. Propterea *nemo vestrûm* (ut dicitur 1. Petr. 4.) *patiatur ut homicida, aut fur*, &c. *si autem ut Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine.*

41 Illi quidem fidei Confessores, qui mortem pro Christo habuerunt in voto, jamque cœperunt tormenta pro ipso sustinere, tametsi non lethalia, inter Martyres olim fuerunt computati, ut videre est apud Tertullianum lib. ad Martyres, & contra Praxeam, & apud Cyprianum epist. 9. 16. 30. &c. Posterioribus tamen sæculis pro consummatis Martyribus habiti non sunt, nec habentur, nisi qui mortem, vel lethalia pro Christo tormenta subierunt.

Secundum requisitum est *voluntaria* mortis pro Christo, sive pro Christi fide, vel alia Christiana virtute, acceptatio. Cùm martyrium sit opus virtutis. Nemo verò, absque sua voluntate & consensu, virtutis opus exercet. 42

Tertium requisitum est, quòd quis non resistat Tyranno, sed absque resistentia sinat se interfici, Christi exemplo, qui *sicut ovis* non resistens *ad occisionem* ductus est. 43

Hinc milites, pro fidei defensione cum pura intentione pugnantes, si in ejusmodi bello à Mahumetanis, Judæis, vel Hæreticis occidantur, multùm quidem merentur; non sunt tamen Martyres, nec ut tales ab Ecclesia habentur. Quia magis quærunt infideles occidere, ne fides & religio ab ipsis exterminetur, quàm ab ipsis occidi; nec mortem sine resistentia patiuntur, uti passus est Christus, qui, *cùm pateretur, tradebat se judicanti injustè*, 1. Petr. 2. & *oblatus est quia voluit, & non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tundente se obmutescet.* Isa. 53. 44

Quartum requisitum est, ut fide supernaturali teneat veritatem, pro cujus confessione moritur. Si enim suo dumtaxat judicio, humanoque sensu aliquam fidei veritatem teneret, aliis repudiatis (prout hæretici faciunt) tametsi pro illius veritatis confessione moreretur, Martyr non esset Christi, sed sui sensûs & judicii; nec moreretur pro fide divina (quæ non est in hæreticis, qui propterea Deo placere non possunt) sed pro humana, quâ solâ veritatem illam teneret. Si enim fide divinâ teneret, nullam veritatem divinitùs revelatam repudiaret. Eorum tamen patientia *donum Dei est.* Aug. de patientia c. 27. Omnia proinde infidelium opera non sunt peccata. Hinc extra Ecclesiam martyrium non est, nec baptisma sanguinis prodest, uti docent Cyprianus epist. 73. ad Jubajanum, Hieronymus in cap. 1. ad Galat. Augustinus epist. 61. & 167. veter. edit. Necnon lib. 3. contra Cresconium, & lib. 3. contra Donatist. c. 17. 45

Quartum requisitum est status gratiæ, vel idonea & sufficiens ad gratiam dispositio. *Si* enim *tradidero corpus meum, ita ut ardeat, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, 1. Cor. 13. Et ita docet S. Thomas 3. p. q. 87. a. 1. ad 2. 46

CAPUT IV.

Requisita in peccatore dispositio, ut martyrium ipsi prosit ad salutem.

CErtum est ex dictis numero præcedenti, affectum, tam actualem, quàm virtualem ad peccatum mortale, esse im- 47

pedimentum reddens peccatorem indispositum, ut ei martyrium prosit ad salutem. Solùm in dubium revocatur, quænam alia ad id dispositio requiratur.

48 Vega lib. 6. in Concil. Trident. c. 36. putat, sufficere bonam voluntatem patiendi pro Christo, cum ipsa mortis perpessione conjunctam; nec peccatori, etiam peccatorum suorum memori, necessariam esse, sive attritionem, sive contritionem. Cùm dicta voluntas sit virtualis quædam Dei super omnia dilectio, peccatorumque detestatio.

49 Verùm hæc opinio passim rejicitur. Primò, quia ut quis per baptismum aquæ peccatorum veniam consequatur, debet de peccatis suis habere, vel contritionem, vel saltem attritionem. Similiter ergo ut eorum veniam consequatur per baptismum sanguinis. Quòd enim sancti Patres martyrium supra baptismum aquæ extollant; non ideò est, quòd sine pœnitentia formali deleat peccata hominis adulti, eorum memoris; sed partim quia martyrium est opus magis arduum: partim quia plus gratiæ confert, cæteris paribus.

50 Secundò, quia martyrium non tollit obligationem adhibendi media ad salutem necessaria, dum adhiberi possunt. Pœnitentia verò est medium necessarium ad obtinendam peccatorum veniam. Neque enim veniâ dignus est, qui memor, se divinam Majestatem graviter offendisse per malam voluntatem, eam non retractat. Maximè attento, quòd dum in tali circumstantia nullum concipit formalem de peccatis dolorem, dum eorum memoria occurrit, videatur offensam Dei pro nihilo habere.

51 Tertiò, pœnitentiæ formalis præceptum peccatorem, suorum peccatorum memorem, obligat saltem in evidenti periculo mortis, in quo constitutus est peccator pro Christo statim occidendus.

52 Nuda itaque voluntas mortem patiendi pro Christo, absque formali de peccatis dolore, in talibus circumstantiis dici non potest virtualis contritio, nec attritio, nec proinde virtualis peccatorum detestatio. Nec S. Thomas 3. p. q. 87. a. 1. ad 2. contrarium asserit, cùm dicit, quòd *passio pro Christo suscepta obtinet vim baptismi; & ideò purgat ab omni culpa veniali & mortali, nisi actualiter invenerit voluntatem peccato inhærentem.* Neque enim plus quoad hoc tribuit martyrio, quàm baptismo aquæ. Supponit proinde non deesse contritionem, vel attritionem, sicut in baptismo aquæ necessarium est. Aliàs peccator censeretur virtualiter adhuc inhærere peccato, ut dictum est n. 50.

53 Objiciuntur quidem sacra illa oracula: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, Matth. 10.

Sed generalia oracula ista intelligenda sunt, dummodò voluntariè non omittantur cætera ad salutem necessaria, necessitate medii, vel præcepti, v. g. baptismus aquæ, confessio mortalium post baptismum, &c. dum possibilia sunt.

54 Rejectâ itaque illâ Vegæ sententiâ, supereſt quæstio, an peccatori, suorum peccatorum memori, ad salutem necessaria sit contritio ex amore Dei super omnia? an sufficiat attritio ex solo inferni timore concepta? Contritionem perfectam non requiri cum martyrio, magis quàm cum baptismo aquæ, vel pœnitentiæ Sacramento, fateor cum communi Doctorum sententia. Sufficere attritionem purè formidolosam, sive ex solo gehennæ timore, sine ullo Dei propter se amore, passim docent ii, qui docent, Sacramentum baptismi & pœnitentiæ facere de attrito contritum, id est perinde justificare, ac si aliquod ex illis Sacramentis suscipiens foret perfectè contritus. Imò Theophylus Raynaudus in lib. de martyrio per pestem id extendit ad istud martyrium. Putat enim, morientes in servitio pestiferorum ex formidolosè attritis per illud fieri contritos, id est justificari per mortem ex peste in illo servitio incursam, si de commissis mortalibus doleant ex solo gehennæ metu, absque Dei propter se amore.

55 Verùm opinio ista est singularis & nova, nulloque, sive divinæ Scripturæ, sive sanctorum Doctorum patrocinio suffulta. Quod autem non est sanctorum Patrum decreto sancitum, superstitiosis non est adinventionibus præsumendum cap. 2. de transl. Episc. Præsertim in iis quæ supernaturalia sunt, à solaque Dei voluntate dependent, quæ nobis non innotescit, nisi per verbum Dei scriptum, vel traditum, vel Ecclesiæ testimonium. Neque verò ex verbo Dei scripto, neque ex tradito, neque ex Ecclesiæ testimonio habemus, quòd mors illa in servitio pestiferorum, verum sit martyrium, gaudeatque privilegiis baptismi sanguinis.

56 Et dato, non concesso, quòd gauderet, profectò nec baptismus ipse sanguinis, sive verum ac propriè dictum martyrium facit ex purè formidolosè attrito contritum, magis quàm baptismi & pœnitentiæ Sacramenta; quorum neutrum justificat impium adultum, sine Dei propter se super omnia amore, uti fusè demonstramus to. 2. l. 2. & 5. Et specialiter de baptismo sanguinis eodem lib. 2. c. 16.

57 Nec necesse est ibi dicta hîc repetere, sed sufficit ostendere, nullius omninò roboris esse argumenta, quæ subtilis Recentior opponit commentario 3. to. 1. tr. 1. disp. 2. n. 46. & 47.

58 Opponit utiqüe 1°. baptiſmo ſanguinis ineſſe vim æqualem, imò (juxta ſanctos Patres, Cyprianum, Auguſtinum, & ſanctum Thomam) majorem quàm baptiſmo aquæ, quo peccator attritus juſtificatur.

Sed reſpondeo; peccatorem quidem attritum attritione dilectrice, baptiſmo aquæ juſtificari; ſed non attritum attritione puré formidoloſâ, id eſt proveniente ex ſolo timore gehennæ, ut conſtabit ex dicendis de baptiſmo.

59 Opponit 2°. Si martyrium non juſtificet, niſi attritum attritione dilectrice, ſive proveniente ex Dei propter ſe amore ſuper omnia, ſequitur 1°. quòd mors à peccatore attrito in odium fidei perpeſſa, non ſit verus baptiſmus ſanguinis. 2°. quòd martyrium à peccato adulto fruſtrà toleretur: quia cùm actus externus interno nihil bonitatis addat, vi amoris Dei ſuper omnia tantum gratiæ recipiet aciculâ punctus, quàm martyrio affectus. 3°. martyrium adultorum non eſſe elevatum ad gratiam ex opere operato conferendam, ſed ex opere operantis dumtaxat.

60 Sed prorſus neganda eſt prima ſequela: tam enim verus eſt baptiſmus ſanguinis, quàm baptiſmus aquæ ſit verus baptiſmus aquæ, licèt non juſtificet, niſi attritum attritione dilectrice, juxta Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6.

61 Prorſus etiam neganda eſt ſecunda ſequela: quia ſicut baptiſmus aquæ fruſtrà non recipitur à peccatore adulto, amoroſè attrito, licèt actus externus nihil bonitatis addat actui interno; ita ſimiliter, &c. Neque enim verum eſt, quòd vi amoris Dei ſuper omnia tantum gratiæ peccator recipiet, aciculâ punctus, quàm martyrio affectus. Cùm ad paſſionem martyrii utplurimùm concurrat major amor Dei, quàm ad paſſionem punctionis aciculæ; licèt tantus amor Dei cum martyrio ad juſtificationem non requiratur. De paſſione namque punctionis aciculæ Chriſtus non dixit, quod de martyrii paſſione: *Majorem hâc dilectionem non habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et S. Anſelmus lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 11. *Nullatenùs ſeipſum poteſt homo magis dare Deo, quàm cùm ſe morti tradit ad honorem illius.* Deinde quamvis actus exterior per ſe formaliter nihil bonitatis addat actui interno efficaci; addit tamen occaſionaliter, uti fatetur Objiciens commentario 2. to. 1. tr. 2. diſp. 3. n. 146. Et reverà martyrii perpeſſio ad actus internos magis intenſos excitat, quàm paſſio aciculæ, uti rurſum fatetur ibidem. Denique ſanctus Thomas 3. p. q. 66. a. 12. docet, quòd *baptiſmus aquæ habet efficaciam à paſſione Chriſti, & à Spiritu Sancto*, quòdque *hæ duæ cauſæ operantur in quolibet trium baptiſmatum*, aquæ ſcilicet, ſanguinis, & flaminis, *excellentiſſimè tamen in baptiſmo ſanguinis* (quod nullus ſanctorum Doctorum dixit de paſſione punctionis aciculæ) *nam paſſio Chriſti operatur quidem in baptiſmo aquæ per quamdam figuralem repræſentationem; in baptiſmo autem flaminis per quamdam affectionem; ſed per baptiſmum ſanguinis per imitationem operis. Similiter etiam virtus Spiritûs Sancti operatur in baptiſmo aquæ per quamdam virtutem latentem.... ſed in baptiſmo ſanguinis per potiſſimum dilectionis & affectionis fervorem, ſecundùm illud Joan. 15.* „ Majorem hâc dilectionem nemo habet, &c. “ Sicne (amabo!) virtus Spiritûs Sancti operatur in punctione aciculæ? Hinc ſanctus Doctor concludit, baptiſmum ſanguinis eſſe potiſſimum inter tria baptiſmata, *præeminentiamque habere, non ſolùm ex parte paſſionis Chriſti, ſed etiam ex parte Spiritûs Sancti.* Ibidem ad 3. Et nihilominùs ad 2. dicit, quòd *effuſio ſanguinis non habet rationem baptiſmi, ſi ſit ſine charitate*, puta actuali, prout patet ex eo quod addit: *Ex quo patet, quòd baptiſmus ſanguinis includit baptiſmum flaminis*, qui eſt per charitatem actualem; de qua procedit objectio, ad quam reſpondet. Sic enim ſe habet: *Baptiſmus ſanguinis non valet ſine baptiſmo flaminis, qui eſt per charitatem. Dicitur enim* 1. *Cor.* 10. “ Si tradidero corpus meum, “ ita ut ardeam; charitatem autem non ha- “ buero, nihil mihi prodeſt. “ Legatur ſanctus Doctor ibidem a. 11. immediatè præcedenti, & liquidò apparebit, quòd per baptiſmum flaminis intelligat charitatem actualem, cùm eum ponat in eo quòd *alicujus cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum & diligendum Deum, & pœnitendum de peccatis.* De charitate proinde actuali intelligit Apoſtoli verba proximè allegata. Et ſic Apoſtolo (juxta S. Thomam) contradicit, quiſquis dicit, baptiſmum ſanguinis, ſine amore Dei, ſeu actuali charitate Chriſti, valere ad remiſſionem peccatorum.

Ad tertiam ſequelam reſpondeo, baptiſ- 62
mum ſanguinis neque conferre gratiam ex opere operato, neque ex ſolo opere operantis, ſed medio quodam modo. Non ex opere operato, ſicut Sacramenta: utpote quæ ideò ex opere operato gratiam conferre dicuntur, quia eam conferunt vi actionis, nomine, & vice Chriſti principalis agentis exercitæ, meritumque paſſionis Chriſti moraliter continentis. Baptiſmus verò ſanguinis non confert gratiam per actionem, vice & nomine Chriſti, tamquam principalis agentis, exercitam. Neque enim verum eſt dicere, quòd Chriſtus eſt, qui occidit Martyres; ſicut verum eſt dicere, quòd Chriſtus eſt, qui baptizat infantes; nec mors à Tyranno nomine Chriſti Martyribus infertur, uti certiſſimum eſt. Unde Auguſtinus lib. 13. de Civit. cap. 7. dicit, quòd *mors Martyrum non vi*

suâ in tantam utilitatem conversa est, sed opitulatione divinâ.

63 Non confert etiam gratiam ex solo opere operantis, uti probat S. Thomas in 4. dist. 4. q. 3. a. 3. ad 2. & 3. dicens, quòd *baptismus sanguinis effectum liberandi à tota pœna non habet tantum ex opere operantis*, id est (ut ipsemet exponit) ex devotione justæ voluntatis. Quia quandoque, etiam in Martyre, tanta non est, ut secundùm se solam, totam pœnam peccatis debitam expiare valeret; sed hoc etiam habet ex imitatione passionis Christi. Quamvis enim pœna, quam Martyr patitur, in se considerata, non esset sufficiens ad liberandum ab omni pœna; relata tamen ad causam suam, passionem utique Christi, efficaciam accipit à passione Christi, cui Martyr per talem pœnam conformatur. Cùmque loquendum sit de liberatione ab omni culpa, sicut de liberatione à tota pœna, eam profectò baptismus sanguinis non confert ex sola devotione & charitate Martyris, neque ex sola vi mortis, quam patitur; sed medio quovis modo, sive (ut Augustinus loquitur) *opitulatione divinâ*, per quam ipsi excellentiori quodam modo, specialique Dei favore, applicatur vis, & efficacia passionis Christi (cui Martyr non solo dumtaxat affectu, sed verè & realiter conformatur) quàm soli baptismo flaminis, vel etiam baptismo aquæ.

64 Dixi, *excellentiori quodam modo*: quòd enim martyrium sit majoris efficaciæ, quàm baptismus aquæ, vel flaminis, docet sanctus Cyprianus in epist. ad Fortunatum, vocans hoc *baptisma in gratia majus*. Augustinus l. 13. de Civit. Dei cap. 7. dicens, quòd *non tanti merити sunt, qui, cùm mortem differre non possent, baptizati sunt.... quanti sunt hi, qui mortem differre cùm possent, ideò non distulerunt, quia maluerunt Christum confitendo finire hanc vitam, quàm eum negando, ad baptismum pervenire.* Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. c. 7. *Si salvus est, qui propter Deum aquam accepit.... multò magis qui propter Deum sanguinem fudit. Plus est enim sanguinem dare, quàm aquam accipere.* Sanctus Thomas p.... q. 66. a. 12. *Sacramentum baptismi ex duplici principio gratiam operatur, & ex virtute Spiritûs Sancti.... & ex virtute passionis Christi. Sed ex utroque pleniùs operatur martyrium.... Quia si baptismi Sacramentum totam pœnam cum culpa diluit, propter figuralem repræsentationem passionis, & mortis Christi; quantò magis mirabilem hunc effectum martyrium operabitur, quod non in figura, sed reali imitatione Christi passionem & mortem repræsentat?* Aliam hujusce rei rationem ex sancto Anselmo habes suprà num. 61.

CAPUT V.

Martyrio ultrò se offerre, citra specialem S. Spiritûs inspirationem, & seclusis certis circumstantiis, non licet.

ITa sanctus Petrus Alexandrinus can. 9. 65
sanctus Cyprianus, atque ex ipso sanctus Augustinus lib. 1. contra Gaudentium cap. 31. aientes, *disciplinam id prohibere.* Et reverà canon 60. Concilii Eliberit. prohibet eos in numero Martyrum recipi, qui ultrò, & non lacessiti, idola destruentes occidebantur.

Et ratio est, tum quia temeritatem quam- 66
dam præsumptionemque redolet ultrò se ingerere gravissimæ tentationi; cùm tamen memores nos esse oporteat humanæ fragilitatis; ideòque à Christo orare jubeamur, *vigilate & orate, ne intretis in tentationem*, & non pauci, qui tentationi illi ultrò se ingesserant, à constantia defecerint, uti de Cointho quodam legitur in epistola Ecclesiæ Smirnensis ad Ecclesias Ponti. Tum quia (ut dicitur can. 9. S. Petri Alexandrini) *scriptum est in Evangelio Marci 13. Tradent vos in Conciliis, & in Synagogis vapulabitis. Tradent dixit, non vos ipsos tradetis, & ad Reges & Principes ducemini propter nomen meum; non vos ipsos ducetis. Nam nos ipsos à loco in locum vult transire, dum sunt qui nos persequuntur, propter nomen ejus, sicut eum rursum dicentem audivimus:* " cùm vos persecuti fuerint in " in una civitate, fugite in aliam. " Tum denique quia, uti rursum arguit Petrus Alexandrinus ibidem, *non vult Christus nos ad diaboli stipatores satellitesque confugere, ne ipsis quoque multifariæ mortis causa simus, ut qui ipsos & asperiores esse cogamus, & opera mortifera peragere; sed expectare, & nobis cavere, vigilareque & orare, ne intremus in tentationem.*

Dixi 1°. *citra specialem S. Spiritûs inspi-* 67
rationem. Legimus enim de multis Sanctis, quorum exempla in suspicionem nefas est adducere, quòd ex ea inspiratione ultrò se ad martyrium obtulerint. Videri potest Eusebius Pamphil. l. 7. Eccles. Hist. c. 11. Et Nicephorus Calistus l. 7. c. 13.

Dixi 2°. *seclusis certis circumstantiis.* Id 68
enim in sequentibus circumstantiis licitum esse praxis Sanctorum ostendit. 1°. ut Martyrum in tormentis deficientium animos erigamus. 2°. ut grandem ruinam fidelibus alioquin imminentem avertamus. 3°. dum infideles ex hoc convertendos prævidemus, vel fideles alioqui à fide defecturos. 4°. ut Tyranni audaciam, feritatem, persecutionisque impetum reprimamus. 5°. quotiescumque Dei gloria & causa publica magni momenti id exigit.

CAPUT

CAPUT VI.

Virtutes fortitudini annexæ.

69 QUatuor sunt, ut ex Tullio recensèt S. Thomas q. 128. scilicet magnanimitas, magnificentia, patientia, perseverantia. De quibus §§. seqq.

§. I.

Magnanimitas, ipsiusque cum humilitate conciliatio.

70 *Magnanimitas* est virtus, quæ ad opera magna & heroïca, quà talia, in omni virtutum genere inclinat, non finaliter propter honorem, sed propter Deum. Specialis est virtus. Quamvis enim omnis virtus perfecta extendat se ad opera magna sui generis; non tamen *quà magna*, sive (ut S. Thomas loquitur) non ratione cujusdam excellentiæ, uti magnanimitas. Quæ tamen nil in rebus creatis æstimat magnum, nisi virtutem, quæ animum perficiens manet in æternum, ad finemque deducit ultimum, nec ab invito rapi potest. Cætera, ut divitias, voluptates, & sæculi honores parvifacit, quia non perficiunt animum, & ab invito rapi possunt, & sæpè utentis vitio ab ultimo fine abducunt.

71 Absit proinde à magnanimo, magna operari propter honorem. Neque enim virtutis opus est propter honorem, sed honor propter virtutem; nec istius ordinis inversio esse potest nisi vitiosa. Unde magnanimitatis est honorem & laudem apud homines non quærere, sed contemnere. Eò quòd contemptus ipsius, opus heroïcum sit humilitatis, prohibeatque Christus justitiam nostram facere coram hominibus, ut videamur ab eis, Matth. 6.

72 Non audiendus ergo Burghaber, centuriâ 1. casu 40. ad 4. dicens, non apparere, cur non liceat operari propter honorem cum debita moderatione. Nec alius Recentior, aiens, sine peccato moderatè appeti posse honorem ex re bona, idque colligi ex sancto Thoma q. 131. a. 1. ad 3. Sicut enim appetitus voluptatis & divitiarum propter se illicitus est; ita & appetitus gloriæ & honoris, prout to. 1. demonstravi, docetque sanctus Augustinus lib. 5. de Civit. Dei c. 13. hisce verbis: *Sanius videt, qui & amorem laudis vitium esse cognoscit.* Quæ verba refert, approbatque sanctus Thomas q. 132. a. 1. Nec dubium est, appetitum honoris propter se, ad ambitionem pertinere, magnanimitatemque eo ipso desinere esse virtutem, quo magna operatur finaliter propter honorem. *Neque enim est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est.* Augustinus lib. 5. de Civitate Dei cap. 12.

73 Nec refert, quòd magnanimitas versetur circa magnos honores, ut S. Thomas dicit q. 129. Sic enim versatur circa magnos honores, sicut temperantia circa magnas voluptates, iis non fruendo, sive propter se eas non appetendo, sed iis moderatè propter aliud utendo.

74 Et isto sensu sanctus Doctor q. 132. a. 1. dicit, quòd *appetitus honoris vel gloriæ non nominat aliquid vitiosum:* quia ordinatè appeti possunt, quatenùs utilia ad glorificandum Deum, vel ad proficiendum in bono per modum stimuli ad summum cujusque virtutis.

75 Magnanimitati per defectum opponitur *pusillanimitas*; per excessum *præsumptio, ambitio*, & *inanis gloria.*

76 *Pusillanimitas* vitium est, quo quis res magnas, quibus gerendis aptus est ex donis Dei, vel magnos honores, quibus dignus est, sibi legitimè oblatos, ex animi parvitate, nimiaque abjectione refugit, suamvè authoritatem, dignitatem, honorem, & privilegia tueri negligit, quatenùs id necessarium & conducibile est ad Dei honorem, vel publicam utilitatem. Licitum quidem est honores legitimè oblatos, ex consideratione propriæ infirmitatis, humiliter recusare, tametsi iis dignus sis cum Dei adjutorio: sic enim fecit Moyses Exodi 3. Hieremias cap. 4. sed non pertinaciter, neque ex pusillanimitate. Neque dignos honores recusare jubet humilitas, imò prohibet magnanimitas, germana soror humilitatis. Nam, ut S. Thomas ait q. 129. a. 3. ad 4. *in homine invenitur aliquid magnum, quod ex dono Dei possidet; & aliquis defectus, qui competit ei ex infirmitate naturæ. Magnanimitas ergo facit quòd homo se magnis dignificet* (id est magnis honoribus, aut magnis rebus gerendis parem existimet) *secundùm considerationem donorum quæ possidet ex Deo.... Humilitas autem facit, quòd homo seipsum parvipendat, secundùm considerationem proprii defectûs. Similiter etiam magnanimitas contemnit alios, secundùm quod deficiunt à donis Dei* (*non enim tantùm alios appretiatur, quòd pro eis aliquid indecens*, id est contra officium & decorum, *faciat*) *sed humilitas alios honorat, & superiores æstimat, in quantum in eis aliquid inspicit de donis Dei. Unde dicitur in Psalm. 14. de viro justo:* " Ad nihilum deductus est in " conspectu ejus malignus..... timentes au- " tem Dominum glorificat. " *Et sic patet, quòd magnanimitas, & humilitas non sunt contraria, quamvis in contraria tendere videantur secundùm diversas considerationes.* Sic humillima Virgo Virginum, salvâ humilitate suâ summâ, agnovit, quòd *fecit sibi magna qui potens est*, propter quæ *beatam* ipsam dicerent *omnes generationes.* Sic Daniel c. 2. salvâ humilitate, Nabuchodonosori dixit: *Sapientia est in me plusquàm in cunctis viventibus.* Et Patriarcha Joseph, Genesis 44. fratribus

dixit : *An ignoratis quòd non sit similis mihi in augurandi scientia?* Et q. 162. a. 2. ad 2. *Tendere* (inquit) *in aliqua majora, ex propriarum virium confidentia, humilitati contrariatur. Sed quòd aliquis, ex confidentia divini auxilii, in majora tendat, hoc non est contra humilitatem.* De qua plura lib. 8. cap. 8. §. 5.

77 De præsumptione, ambitione, & inani gloria to. 1. disseruimus. *Præsumptio* est nimia confidentia, quâ quis ea aggreditur, quæ vires suas excedunt, ut dum homo non satis idoneus, præsumit exercere officium Confessarii, Medici, Advocati, vel appetit officium Superioris, &c. Peccatum est mortale, dum ex hoc sequitur, vel sequi natum est notabile nocumentum proximi, spirituale, vel corporale.

78 *Ambitio* est inordinatus appetitus honoris, cùm scilicet quispiam honorem appetit, nec debitum, nec oblatum, vel illegitimè oblatum, & indebitum, vel illegitimis mediis utitur ad eum consequendum. Qua in re frequenter incurritur mortale peccatum.

79 Vana gloria, est vana gloriæ cupiditas. Ad cujus evidentiam S. Thomas q. 132. a. 1. observat, gloriam posse dici vanam tripliciter. 1°. ex parte rei, de qua quis gloriam quærit, dum scilicet gloriam quærit, vel de re quam non habet, vel de eo quod non est gloriâ dignum. 2°. ex parte ejus à quo quis gloriam quærit, puta hominis, cujus judicium adeò est obnoxium errori, ut læpè laudanda vituperet, laudet vituperanda. 3°. ex parte ejus qui gloriam appetit, quia gloriam concupitam ad debitum non refert finem, scilicet ad gloriam Dei, vel salutem proximi. Non quod humana laus & gloria in se culpanda sit, sed quia *propter ipsam laudem operari hoc est vanitatem inueri*, ait S. Augustinus conc. 12. in Psal. 118. Unde quamvis gloriæ cupiditas plerumque sit peccatum veniale, est tamen pernicioſum. Quia omni insidiatur virtuti, operisque, quàmlibet eximii, virtutem perdit & meritum, si affectu inanis gloriæ fiat. Neque enim verè est virtuosus, *qui propter humanam gloriam opera virtutis operatur* (ait S. Thomas ibidem ad 2.) *ut probat S. Augustinus l. 5. de Civitate Dei cap. 12.*

§. II.

Magnificentia.

80 MAgnificentia est virtus inclinans ad magna opera externa, magnis sumptibus facienda, quando id ratio, & divinæ Legis regula postulat, v. g. ad magnos sumptus faciendos ad exstructionem dotationemque Templorum, fundationem Monasteriorum, Xenodochiorum, Collegiorum, &c. Duplex est, publica & privata. Publica est, cùm ad publicos usus, pios vel politicos magni sumptus conferuntur. Privata, cùm magnifica munera in quempiam privatum conferuntur, vel pertinentia ad usum proprium magnificè fiunt, dum id ratio decori, seu personæ dignitas postulat. Quia verò *nullus finis humanorum operum est adeò magnus, sicut honor Dei; ideò magnificentia præcipuè magnum opus facit in ordine ad honorem Dei. Unde Philosophus 4. Ethic. dicit : honorabiles sumptus sunt maximè, qui pertinent ad divina sacrificia. Et circa hoc maximè studet magnificus. Et ideò magnificentia conjungitur sanctitati; quia præcipuè ejus effectus ad Religionem sive sanctitatem ordinatur.*

Magnificentiæ per defectum opponitur 81 *parvificentia*; per excessum *profusio. Parvificentia*, vitium est, quo pecuniæ nimius amator, deficit à justa proportione, quam ratio decori postulat, inter opus faciendum, & sumptus pro eo faciendos; vel quo minùs largitur alicui, quàm personæ & dignitati ipsius conveniat. Plerumque non est nisi veniale, ut innuit S. Thomas q. 35. a. 1. ad 3. Est tamen mortale, dum quis ad opus magnum obstrictus est voto, juramento, vel testamento, & in eo faciendo ita sumptibus parcit, ut ratio notabiliter lædatur, vel opus periculo ruinæ exponatur. *Profusio* est cùm plures sumptus fiunt, quàm opus susceptum, vel personæ qualitas postulat. Peccatum est mortale, si conjunctum habeat notabile proximi detrimentum, v. g. si prodigus per hoc impotentem se reddat ad solutionem debitorum, largitionem eleëmosynarum, &c.

§. III.

Patientia.

DUplex est fortitudinis actus, scilicet 82 aggredi & sustinere, quos inter sustinere difficilius est quàm aggredi. Qui enim sustinet, jam sentit periculum, imò & malum. Qui verò aggreditur, ea respicit ut futura. Difficilius verò est non moveri à præsentibus, quàm à futuris. Deinde sustinentia diuturnior est quàm aggressio : cùm aggredi quis aliquid arduum possit ex subito motu. Unde Philosophus dicit, quosdam esse prævolantes ante pericula, qui in periculis ipsis discedunt.

Sustinentia itaque, seu patientia à Tullio 83 definitur, *honestatis aut utilitatis causâ rerum arduarum & difficilium voluntaria ac diuturna perpessio.* Ab Augustino, *virtus, quâ mala æquo animo toleramus, ne animo bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus.* l. de patientia c. 11. Officium proinde ipsius est roborare animum adversus dolorem & tristitiam, ne difficultate & arduitate operis fractus, à bono suscepto ad malum deflectat. Nam, ut Augustinus prosequitur, *impatientes, dum mala pati nolunt, non efficiunt ut à malis eruantur, sed ut mala graviora patiantur. Patientes autem, qui mala malunt non committendo ferre, quàm non ferendo committere, & leviora faciunt quæ*

per

per patientiam patiuntur, & pejora evadunt, quibus per impatientiam mergerentur. Bona verò æterna & magna non perdunt, sed promerentur, dum malis temporalibus brevibusque non cedunt..... Neque enim æterna erit patientia (inquit c. 10.) *quæ necessaria non est, nisi ubi toleranda sunt mala; sed æternum erit quò per patientiam pervenitur, tamque magnum, ut non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, dummodò Christiana sit patientia nostra. *Non enim sicut omnes qui sciunt, sunt participes scientiæ, ita omnes qui patiuntur, sunt participes patientiæ* (ait c. 6.) *sed qui passione rectè utuntur, hi patientiæ veritate laudantur, hi patientiæ munere coronantur.* Passione verò rectè utuntur, qui propter bonam causam, seu Deum, mala tolerant sine murmure contra Deum, sine odio adversus inferentes mala, & sine excessu doloris, aut tristitiæ.

84 Vitia patientiæ oppositа sunt insensibilitas, & impatientia. *Insensibilitas* ei opponitur per defectum, impatientia per doloris excessum. Vitiosum est enim, naturæque humanæ dissentaneum, nec propriis malis tangi, nec alienis: cùm id duritiei sit signum, veræque amicitiæ, & vitæ politicæ indecorum. Vitiosa quoque impatientia: utpote quâ excessivè quis dolet, vel ex dolore à recto discedit.

§. IV.

Perseverantia.

85 *Perseverantia* dupliciter accipitur. Uno modo, ut virtus adjuncta fortitudini, per quam homo firmum habet propositum in opere bono persistendi, usque ad illius consummationem, & de facto persistit, non obstantibus molestiis & difficultatibus, ex actûs diuturnitate provenientibus. Quia verò aliquæ sunt virtutes, quarum actus per totam vitam morali quodam modo durare, frequenterque exerceri debent, scilicet fides, spes, charitas, &c. ideò respectu ejusmodi virtutum actus perseverantiæ non consummatur, nisi in fine hujus vitæ mortalis. Et propterea alio modo perseverantia sumitur ab Augustino pro ea *quâ usque in finem perseveratur in Christo. Finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodò periculum est ne cadatur.* Lib. de dono persever. cap. 1.

Vitia perseverantiæ oppositа sunt, mol- 86
lities per defectum, & pertinacia per excessum. *Mollities*, ex vitæ mollis & delicatæ consuetudine, labores, & difficultates bonorum operum sustinere refugit. *Pertinacia* firmiter manet in propria sententia, vel actione susceptа, ubi non oportet, vel plusquàm oportet, nullâ habitâ ratione difficultatum, vel rationum quæ animum ab iis revocare deberent. Quod profectò fatuæ superbiæ argumentum est. Nam, ut Seneca lib. 4. de benefic. c. 38. ait, *non est levitas à cognito, & damnato errore discedere, & ingenuè fatendum est, aliud putavi, deceptus sum. Hæc verò superba stultitiæ perseverantia est, quod semel dixi, qualecumque est, firmum, ratumque sit. Non est turpe cum re mutare consilium.*

LIBER OCTAVUS.

AMOR TEMPERANS,

Sive

DE TEMPERANTIA.

87 CUm temperantiæ sit, appetitum cohibere ab earum rerum amore, quæ inordinatè amantur, & maximè ab inordinato amore esculentorum, poculentorum, venereorumque: circa res istas planè necessarius est ordo amoris. Optima proinde temperantiæ regula est, quam Augustinus tradit lib. de morib. Eccles. c. 19. *Habet vir temperans in hujuscemodi rebus moralibus & fluentibus vitæ regulam utroque Testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus, atque officiorum necessitatem, quantùm fas est, usurpet, mentis modestiâ, non amantis affectu.*

Siquidem, ut Apostolus ait ad Tit. 2. *apparuit gratia Dei & Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, justè, & piè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Et quænam est illa gratia Dei & Salvatoris, quæ sic apparuit *erudiens nos, ut sobriè vivamus*, quantùm ad nos, *justè* ad proximum, piè ad Deum; nisi illa quæ nobis peccati odium, & justitiæ inspirat amorem, interiùs illustrando mentem cognitione veritatis, & inflammando cor amore rectitudinis? nisi illa,

quæ diffusâ per Spiritum sanctum charitate, legem vitæ ac disciplinæ scribit in cordibus nostris? Charitatis ergo diffusio est cordium eruditio, sive gratia erudiens, non solùm pauperes, opifices, & plebeïos, sed omnes homines, etiam divites ac potentes, non ut molliter vivant, sed ut abnegantes impietatem, non hanc, vel illam, sed generaliter omnem, & sæcularia desideria omnia, sobriè, justè, & piè vivant in hoc sæculo.

CAPUT I.

Temperantia definitio, officium, & vitia opposita.

88 TEmperantia, quam sobrietatis nomine Apostolus intelligit loco citato (juxta S. Thomam ad eumdem Apostoli locum) sumitur pro quolibet usu mensurato, seu moderato rerum exteriorum, & extrinsecarum passionum, hoc est sic ut homo cùm mensura rationis utatur exterioribus rebus, & propriis passionibus. Propriè versatur circa concupiscentias & delectationes sensûs, sæcularia que desideria carnis, ut Apostolus loquitur. Quemadmodùm enim fortitudo versatur circa timores maximorum malorum; ita temperantia circa concupiscentias maximarum delectationum, scilicet cibi, potûs, venereorum, divitiarum, &c. Unde temperantia rectè definitur, *virtus refrænans affectum ab iis quæ sensibus sunt jucunda.* Officium proinde ipsius est, facere id quod Apostolus dicit Rom. 13. *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* Non dicit simpliciter, *curam carnis ne habueritis*: carnis quippe curam gerere non prohibet ad sustentationem vitæ vel naturæ, sive in specie, sive in individuo; sed addit, *in desideriis*, ut scilicet inordinata carnis desideria non sequamur, sed moderemur, secundùm illud: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Moderemur (inquam) secundùm regulam necessitatis hujus vitæ. Quia finis est regula eorum quæ sunt ad finem. Et ideò necessitatem hujus vitæ temperantia accipit velut regulam delectabilium, quibus utitur, ut scilicet tantùm, & eo modo iis utatur, quantùm & quomodò exigit necessitas hujus vitæ. Necessitas (inquam) non ea sola, quâ necessarium dicitur, sine quo res nullo modo esse potest, sed quâ id vocatur necessarium, sine quo vita convenienter esse non potest, spectatis circumstantiis, tum scilicet honestatis, tum statûs, dignitatis, officii, opulentiæ, familiæ, &c. uti docet S. Thomas q. 141. a. 6. ad 3. insinuatque Augustinus his verbis n. 87. laudatis, *ad vitæ hujus & officiorum necessitatem.* Si enim officiorum habenda sit ratio, profectò & statûs, & dignitatis, & opulentiæ, &c. Unde serm. 61. edit. noviss. Paris. dicit, se *cogere nolle divites, epulis & cibis pauperum vesci. Utantur divites conditione infirmitatis suæ, sed doleant aliter se non posse..... Utere cibis electis, pretiosis, quia sic consuevisti.... conceditur tibi: utere superfluis, da pauperibus necessaria; utere pretiosis, da pauperibus vilia.*

Alia tamen est regula temperantiæ in es- 89
culentis & poculentis; alia in venereis. In esculentis namque & poculentis regula sumenda est ex fine immediato, ob quem ista usurpantur, qui est bona corporis valetudo, debitaque mentis ad functiones suas dispositio ad Dei servitium ultimatè ordinata. Ob istam quippe causam, & quatenùs eum in finem expedit, edendum est ac bibendum, non ampliùs, nec minùs; etsi subinde ob finem altiorem, quàm sit valetudo corporis, v. g. ob ipsius mortificationem, vel pro peccatis satisfactionem, minùs sumere liceat. In venereis autem, extra conjugium, regula est, ab iis prorsus abstinere, & in conjugio eatenùs uti, quatenùs expedit causâ generandæ prolis, non voluptatis. Usus quippe uxoris immoderatus est, nisi liberorum procreandorum causâ fiat, ut probat Augustinus serm. 278. edit. Paris. vel causâ redditionis debiti, prout alibi dicit. *Solâ enim generandi causâ est inculpabilis sexûs utriusque commixtio* (respectivè ad petentem) serm. 351.

Vitia temperantiæ opposita sunt insensi- 90
bilitas per defectum, & intemperantia per excessum. *Insensibilitas* est vitium, quo quis omnes corporis delectationes, etiam necessarias, refugit & aversatur. Rarò contingit. Esset tamen peccatum mortiferum, si ex eo quis negligeret id ad quod graviter obligatur, v. g. si quis negaret debitum conjugi exigenti, vel sumere nollet cibum ad vitam necessarium.

Observat tamen S. Thomas q. 142. a. 3. 91
moderatam abstinentiam à delectationibus corporis, quandoque laudabilem esse, ac sæpè necessariam. Si enim propter recuperandam sanitatem corporalem, laudabiliter quandoque abstinent homines à delectationibus ciborum, potuum, ac venereorum; cur non & *pœnitentes ad recuperandam animæ sanitatem abstinentiâ delectabilium, quasi quâdam diætâ utantur? Et homines volentes contemplationi & rebus divinis vacare, oportet ut se magis à carnalibus desideriis abstrahant.*

Intemperantia verè à Philosopho puerile 92
vitium appellatur, inquit S. Thomas a. 2. estque vitium omninò exprobrabile propter duo, uti prosequitur a. 4. *Primò, quia maximè repugnat excellentiæ hominis versando circa delectationes nobis & brutis communes. 2°. quia maximè repugnat hominis charitati, vel pulchritudini: in delectationibus enim carnis minùs apparet de lumine rationis, ex qua est tota charitas & pulchritudo virtutis.* Est autem intemperantia, vitium, quo quis voluptates corporis, gustûs præsertim ac venereorum, immoderatè appetit, rationisque

ac divinæ Legis regulam in earum usu excedit. Esse peccatum in suo genere mortale, constat ex dictis, & dicendis de luxuria & gula.

CAPUT II.

Temperantiæ partes velut integrantes.

93 SUpponit S. Thomas alias esse partes integrantes alicujus virtutis; alias subjectivas; alias potentiales. Partes integrales sunt conditiones requisitæ ad aliquam virtutem. Partes subjectivæ sunt diversæ ejus species. Partes potentiales sunt accessoriæ virtutes, quæ non versantur circa materiam virtutis principalis, sed simili modo versantur in aliis materiis.

94 Partes itaque temperantiæ velut integrales, sunt verecundia & honestas. Quia sunt conditiones illam complentes. Per verecundiam enim animus abhorret à turpitudine temperantiæ opposita; per honestatem, temperantiæ amat decorem.

Verecundia itaque est timor & horror turpitudinis, & vituperii intemperantiam consequentis. Illam commendat Apostolus 1. Timoth. 2. *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus. Ordo vitæ nobis tenendus est* (ait Ambrosius l. 1. offic. c. 18. & 43.) *& à verecundia prima quædam fundamenta ducantur, quæ socia ac familiaris est mentis placiditati, proterviam fugitans, ab omni aliena luxu, sobrietatem diligit, honestatem fovet, decorum illud requirit.... Pulchra virtus est verecundia, & suavis gratia, quæ non solùm in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, ne modum transgrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus. Speculum enim mentis plerùmque in verbis refulget. Ipsum vocis sonum librat modestia, ne cujusquam offendat aurem vox fortior. Silentium quoque ipsum.... maximus actus verecundiæ est.... Est & in oculis verecundia, ut nec videre viros femina, nec videri velit.... Est etiam in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia. Habitus etiam in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut lenior, aut jactantior, aut turbidior; aut contrà, gravior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur.* Inverecundum est *sensim ambulando imitari histrionicos gestus, & quasi quædam fercula pomparum, ut quotiescumque gradum transferunt, modulos quosdam servare videantur.* Inverecundum quoque *cursim ambulare, nisi cùm causa exigit alicujus periculi, vel justa necessitas. Est gressus probabilis, in quo sit species authoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen si studium desit & affectatio, sed motus sit purus & simplex. Nihil enim fucatum placet. Multò magis inverecundum est, si quid turpe ore exeat: non enim cibus coinquinat hominem, sed injusta obtrectatio, sed verborum obscœnitas. Hæc etiam vulgo pudori sunt..... Et non solùm nihil indecorum loqui, sed ne aurem quidem debemus hujusmodi præbere dictis.... Quoniam quæ delectat audire, alterum loqui provocat. Partes corporis, quas natura, mater verecundiæ, tegere jubet, detegere, aut spectare pudor est. Si casu aperiantur, confunditur verecundia. Si studio, impudentia æstimatur.* Sed & earum *indicia, ususque suis appellationibus nuncupare indecorum est.* Ex his satis apparet, quid sint inverecundia, & impudentia, vitia verecundiæ opposita.

Honestas est virtus inclinans ad cavenda 95
quæcumque inhonesta sunt, vel indecora, maximè in esculentis, poculentis & venereis. Ad ipsam pertinet illud Apostoli 1. Cor. 14. *Omnia vestra honestè, & secundum ordinem fiant. Quærendum in omni actu, quid personis, quid temporibus conveniat, atque ætatibus* (ait rursum Ambrosius lib. 1. offic. cap. 43. & 45.) *Sæpè enim, quod alterum decet, alterum non decet. Aliud juveni aptum, aliud seni, aliud in periculis, aliud in rebus secundis. Non mediocre est rebus singulis modum servare, atque impartiri ordinem, in quo verè prælucet illud, quod decorum dicitur, quod ita cum honesto conjungitur, ut separari non queat. Siquidem & quod honestum decet, & quod decet honestum est... Quid enim est honestas, nisi quæ turpitudinem quasi mortem fugiat.... Solliciti debemus esse, ne quid temerè, aut incuriosè geramus, aut quidquam omninò, cujus probabilem viris sapientibus non possimus rationem reddere. Quia,* ut paulò antè dixerat, *negligere bonorum judicia, vel arrogantiæ, vel dissolutionis est.* Dixerat etiam cap. 9. quòd etiamsi Philosophi Ethnici honestum ab utili discernant, discernere non debeant Christiani. Nos *quippe nihil utile, nisi quod ad vitæ illius æternæ prosit gratiam, definimus, non quod ad delectationem præsentis. Est igitur non solùm familiare contubernium honestatis, & utilitatis, sed eadem quoque utilitas, quæ honestas... Qui profectò sapit, nescit sua spectare commoda; sed ad illud, quod æternum est, quod decorum, atque honestum, toto affectu intendit, quærens, non quod sibi utile est, sed quod omnibus,* id est quod utile est ad vitam æternam, quæ est finis omnium.

CAPUT III.

Partes subjectivæ, seu species temperantiæ.

QUatuor sunt species temperantiæ, sci- 96
licet abstinentia, sobrietas, castitas, & pudicitia. Cùm enim virtutes ab objectis specificentur, temperantiæ species variæ sunt pro materiæ vel objecti varietate. Quia verò temperantia versatur circa delectationes gustûs, & tactûs, seu cibi, potûs, & vene-

reorum : *abſtinentia* moderatur delectationem cibi. *Sobrietas*, delectationem potûs. *Caſtitas*, delectationem copulæ carnalis. *Pudicitia*, delectationem actuum ad copulam diſponentium, ſcilicet amplexuum, & tactuum.

97 Actus abſtinentiæ eſt jejunium, de quo l. ult. de præceptis Eccleſiæ. Sobrietati opponitur ebrietas, de qua to. 1. l. 10. p. 2. c. 14. Specialia quædam de temperantia circa cibum & potum ſubjungemus cap. 7.

98 Caſtitas & pudicitia ſunt virtutes carnalium voluptatum moderatrices; caſtitas quidem moderatrix carnalis commixtionis, ne aliquid circa eam illicitum fiat; pudicitia verò, actuum ad illam diſponentium, ſcilicet oſculorum, tactuum, &c. ut dixi.

99 Triplex eſt caſtitas, conjugalis, vidualis, virginalis. *Conjugalis* eſt propoſitum abſtinendi propter Deum ab omni delectatione carnali cum non conjuge, nec eâ utendi cum conjuge, niſi juxta regulam rectæ rationis, divinæque legis. *Vidualis* eſt propoſitum vidui vel viduæ abſtinendi impoſterùm propter Deum ab omni delectatione carnali experta. *Virginalis* (duabus prioribus excellentior) eſt propoſitum totâ vitâ abſtinendi ab omni prorſus delectatione carnali propter Deum. Unde Ambroſius lib. 1. de virginib. dicit, quòd caſtitas virginalis eſt *expers contagionis integritas*. Et S. Thomas q. 152. a. 1. *Virginitas hoc importat, quòd perſona cui ineſt, immunis ſit à concupiſcentiæ aduſtione, id eſt à voluntaria delectatione venerea, quæ eſt ex ſeminis reſolutione.* Quæ, ut ad 2. & 4. addit, *dupliciter poteſt contingere. Uno modo, ſi procedat ex mentis propoſito, & ſic tollit virginitatem, ſive fiat per concubitum, ſive abſque concubitu... Alio modo poteſt provenire, vel dormiendo, vel per violentiam illatam, cui mens non conſentit, quamvis caro delectationem experiatur; vel ex infirmitate naturæ, ut patet in his qui fluxum ſeminis patiuntur. Et ſic non perditur virginitas: quia talis pollutio non accidit per impudicitiam, quam virginitas excludit.* Ar-
100 ticulo verò 3. ad 3. explicans illud Hieronymi epiſt. ad Euſtochium : *Audentiùs loquar, cum omnia Deus poſſit, ſuſcitare virginem non poteſt poſt ruinam*, dicit, quòd *qui virginitatem peccando amiſit, per pœnitentiam non recuperat virginitatis materiam, ſed recuperat virginitatis propoſitionem.* Quòdque *materia virginitatis miraculosè reparari poteſt divinitùs, ſcilicet integritas membri; ſed non formale, ita ut qui voluntariè expertus eſt voluptatem veneream, fiat non expertus. Non enim Deus poteſt facere, ut ea quæ facta ſunt, non ſint facta.*

101 In 4. diſt. 49. q. 5. a. 3. q. 1. ad 2. dicit, quòd *in continendo, ſecundùm aliquid, majorem pugnam ſuſtinent virgines, & ſecundùm aliquid viduæ, cæteris paribus. Virginibus enim concupiſcentiam inflammat experiendi deſiderium, quod ex quadam quaſi curioſitate procedit, quâ ſit, ut homo libentiùs videat quæ nunquam vidit. Et etiam quandoque eis concupiſcentiam auget æſtimatio majoris delectationis, quàm ſit ſecundùm rei veritatem; ſicut & inconſideratio eorum incommodorum, quæ delectationi hujuſmodi adjunguntur. Et quantùm ad hoc viduæ minorem ſuſtinent pugnam. Majorem autem, propter delectationis memoriam. Et in diverſis unum alteri præjudicabit, ſecundùm diverſas hominum diſpoſitiones. Quia quidam magis moventur hoc, quidam illo. Quidquid autem ſit de quantitate pugnæ; tamen hoc certum eſt, quod perfectior eſt victoria virginum, quàm viduarum. Perfectiſſimum enim genus victoriæ eſt, & pulcherrimum, nunquam hoſti ceſſiſſe. Corona autem non debetur pugnæ, ſed victoriæ de pugna.*

Faciliùs tamen, ſecundùm Auguſtinum, 102
à pleriſque ſervatur caſtitas virginalis, quàm conjugalis : *Multi* (inquit l. de bono conjugali c. 21.) *faciliùs ſe abſtinent, ut non utantur ullâ delectatione, vel commixtione carnali, quàm temperent, ut benè utantur, quia difficile eſt non excedere menſuram in re vehementiſſimè delectante.* Et c. 22. *Ego facilius non utar nuptiis, quibus eſt uſus Abraham, quàm ſic utar nuptiis, quemadmodum eſt uſus Abraham.* Ita etiam inclytus Martyr Thomas Morus, qui (ut Stapletonus refert in ejus vita) narravit, quòd cùm auſteritatibus, & aliis mediis piis, motus carnis, qui in juventutis flore & fervore ardere ſolent, evincere ſe non poſſe ſibi videretur, uxorem duxerit : ſed poſteà non ſine magna animi triſtitia ac mœrore dicere ſolitus fuerit, *multò facilius eſſe legem carnis in cœlibatu vincere, quàm in matrimonio.*

CAPUT IV.

Obligatio & excellentia caſtitatis.

TAmetſi virginitas non ſit de præcepto, 103
ſed de conſilio, juxta illud : *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Caſtitatem eſſe præceptam 6. & 9. præcepto, non eſt dubium. Præcepta verò iſta (ſicut & quintum, octavum, &c.) conſiderari poſſunt partim ut affirmativa, partim ut negativa. Quatenùs affirmativa, præcipiunt caſtitatem externam, & internam, non virginalem, ſed generaliùs ſumptam, prout etiam in conjugatis reperitur, & prout ab Apoſtolo ſumitur 2. Cor. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs*, definiturque, *virtus quæ venereorum voluptates ſecundùm legem Dei moderatur.* Quatenùs negativa, prohibet uſum iſtius voluptatis non conjugalem.

Virtutis iſtius excellentia & perfectio 104
conſtat partim ex fortitudine, quam comi-

tem habet, quâ potiùs quælibet mala tolerare, quàm malo, seu impuritati consentire decrevit homo castus. Partim ex hoc quòd legem carnis, seu rebellionem ipsius subjiciat legi mentis. Partim denique ex fine ipsius, qui est sanctitas corporis & spiritûs, in ordine ad placendum Deo. Unde tantò major est excellentia ipsius, quantò major & ferventior est amor, quo puritas & sanctitas corporis ac spiritûs (inordinationi turpium delectationum oppositæ) amatur, quantò etiam majus & ferventius est desiderium per illam placendi Deo.

105 Unde divina nos Scriptura docet, virtutem illam plurimùm placuisse Deo in Patriarcha Joseph, cui propterea Deus dedit Prophetiæ spiritum, & intelligentiam somniorum. In Judith, quam Deus elegit ad liberationem populi Israël de manu Holofernis & ad confusionem tam mirabilem exercitûs ipsius, ut ipsi populus acclamaverit: *Tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri. Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eò quòd castitatem amaveris, & post virum tuum, alterum nescieris. Ideò & manus Domini confortavit te, & ideò eris benedicta in æternum.* In Joanne Evangelista, qui à Christo dilectus fuit *privilegio amoris præcipui*, ut Ecclesia canit in ejus officio, *& cæteris altiùs à Domino meruit honorari.* Quare? *Quoniam specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum.* Sed præ cæteris omnibus in Beatissima Virgine Maria; ut enim Christus ostenderet quantùm sibi castitas placeret, nasci noluit nisi ex Virgine, virginum omnium castissima, quæ, tametsi foret conjugata, noluit tamen, ut in sua conceptione actus conjugalis, quamvis licitus, interveniret.

106 Nec Ecclesia permittit, ut alii, quàm voto castitatis obstricti, Christum in altaris sacrificio tangant; imò ne quidem ut ad Subdiaconatum promoveantur, nisi eodem voto pariter adstricti, propter accessum Subdiaconorum ad istud sacrificium. Et quot Sancti & Sanctæ novi Testamenti maluerunt mori, quàm libidine seu fœdâ voluptate fœdari? Quot mediis in ignibus nescierunt ardere, matrimonio castitatem heroïcâ fortitudine sociantes. Quos inter Cassianus Collat..... agens de Abbate Joanne, narrat, quòd cùm Abbas iste dæmoniacum liberare conaretur, nec posset, venit ad ipsum homo habitu sæcularis, ad cujus adventum dæmon ab obsesso corpore statim effugit, confessus se propter sæcularem istum fugere. Admiratus Abbas, quomodò tanta in homine isto virtus esset, curiosiùs percunctari cœpit (ait Cassianus) atque audivit, ipsum olim, dum Monasticæ professionis desiderio teneretur, compulsum fuisse ad ducendam uxorem, cum qua jam annum undecimum in virginitate perseveraverat. De alio Sancto Ecclesiastica narrat Historia, quòd cùm extraordinario castitatis & pudoris dono polleret, seque nudare renuisset ad pertranseundum fluvium, quem aliter pertransire non poterat, ab Angelo miraculosè translatus fuerit, Deo manifestante, quàm sibi gratus pudor ipsius esset.

Sunt quidem exempla ista Sanctorum, 107
continentium se ab ipsomet actu conjugali. Non ideò tamen existimandum, solam Deo placere castitatem virginalem, & vidualem (qualis fuit castitas Judith) imò plurimùm ipsi placuit castitas conjugalis Abrahami, Saræ uxoris Tobiæ junioris, aliorumque Sanctorum veteris Testamenti, in tantum, ut Abrahami castitatem Augustinus in lib. de bono conjugali, & de sancta virginitate præferat castitati plurimarum Virginum: eò quòd Abraham affectu fuerit virgo, nec nisi intuitu Salvatoris ex se nascituri usus conjugio. Tantò verò excellentior, Deoque gratior est castitas conjugalis, quantò magis accedit ad virginalem, quoad affectum, & quantò magis eam imitari studet, quantùm status ipsius permittit.

Denique tantò commendabilior est casti- 108
tas, quantò graviora sunt luxuriæ mala, à quibus liberat, & quantò majora bona, quæ secum affert. Neque enim minora bona ex castitate, quàm mala ex luxuria proveniunt. Mens namque casta multò meliùs percipit ea quæ Dei sunt, quàm animalis homo, qui ea non percipit. De eaque intelligi potest beatitudo, de qua Christus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et hinc est, quòd S. Joannes Evan- 111
gelista præ cæteris Evangelistis, in contemplandis sublimibus Christianæ Religionis mysteriis excellat, altiùsque & sublimiùs aliis tribus erexit prædicationem suam, & de Domini divinitate, quomodò nullus alius, est locutus. Hoc enim eructavit, quod in convivio, super pectus Domini recumbens, de illo in secreto bibit. Quid plura? Castitas est, quæ *vas fragile, quod portamus, in quo & crebrò periclitamur (ut monet Apostolus) in sanctificatione tenet & honore, & instar odoriferi balsami, sensus & artus continet, ne corrumpantur & putrescant.* Bernardus epist. 42.

CAPUT V.

Castitatis impedimenta, eorumque remedia.

SAnctus Thomas opusc. 35. aliàs 18. de 109
perfectione vitæ spiritual. cap. 9. monet, tria esse impedimenta castitatis, seu continentiæ. *Primum ex parte proprii corporis: secundum ex parte animæ: tertium ex parte exteriorum personarum, vel rerum. Ex parte quidem proprii corporis; quia, sicut Apostolus dicit ad Galat. 5. 17. caro concupiscit adversus spiritum, cujus carnis opera ibidem esse dicuntur, fornicatio, immunditia, impudicitia,*

& cætera hujusmodi. Hæc autem concupiscentia, carnis est lex, de qua dicit Apostolus Rom. 7. 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Quantò autem caro magis fovetur per ciborum affluentiam, & deliciarum mollitiem, tantò hujusmodi concupiscentia magis crescit.* Unde Hieronymus dicit: *Venter mero æstuans, citò dejicit in libidinem.* Et Proverb. 21. *Luxuriosa res, vinum.* Et Job. 40. 16. dicitur de Behemoth, per quem diabolus significatur: *Sub umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus.* Quod exponens Gregorius 33. Moral. dicit: *Loca humentia sunt opera voluptuosa, pes quippe in arida terra non labitur; fixus verò in lubrico, vix tenetur. In locis ergo humentibus iter vitæ præsentis faciunt, qui in hac ad justitiam recti stare non possunt. Oportet igitur continentiæ viam assumentibus carnem propriam, abstractis deliciis, vigiliis & jejuniis, & hujusmodi exercitiis castigari*: cujus rei exemplum Apostolus nobis ostendit 1. Cor. 9. dicens: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Et paulò post: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Et quod opere perfecit, verbo docuit. Dicit enim Rom. 13. *Non in cubilibus, & impudicitiis... & carnis curam ne feceritis in desideriis.* Rectè autem dicit, *in desideriis*, id est ad voluptatem: quia ad necessitatem naturæ carni cura est impendenda. Unde idem dicit ad Ephes. 5. *Nemo carnem suam unquam odio habuit.*

110 *Ex parte autem animæ propositum continentiæ impeditur, dum lascivis cogitationibus immoratur. Unde Dominus per Prophetam dicit Isaiæ 1. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Malæ enim cogitationes plerùmque ad malum faciendum inducunt. Unde dicit Michæas 2. Væ qui cogitatis inutile.* Et statim subditur, *& operamini malum in cubilibus vestris.* Inter cæteras autem cogitationes malas, *magis ad peccatum inclinant cogitationes de delectationibus carnis. Cujus ratio, etiam secundùm Philosophorum doctrinam, dupliciter assignari potest. Una quidem, quia cùm ipsa delectatio sit homini connaturalis, & à juventute connutrita, facilè in ipsam appetitus fertur, cùm eam cogitatio proponit. Unde Philosophus dicit 2. Ethic. quòd delectationem judicare possumus de facili, quin accipiamus eam. Secunda ratio est quia, ut idem dicit in 3. Ethic. delectabilia in particulari sunt magis voluntaria, quàm in universali. Manifestum est autem, quòd per moram cogitationis ad particularia quæque descendimus. Unde per cogitationem diutinam maximè libido provocatur.* Et propter hoc Apostolus 1. Cor. 6. dicit: „ *Fugite fornicationem*: „ *quia, ut Glossa dicit ibidem, cum aliis vitiis potest expectari conflictus; sed hanc fugite, ne approximet: quia non aliter potest vinci. Contra igitur hujusmodi continentiæ impedimentum, multiplex remedium invenitur. Cujus primum & præcipuum est, ut mens circa contemplationem divinorum, & orationem occupetur. Unde dicit Apostolus Ephes. 5.* " Nolite inebriari vino, in « quo est luxuria; sed impleamini Spiritu « sancto, loquentes vobismetipsis in Psal- « mis, Hymnis, & Canticis spiritualibus « (*quod ad contemplationem pertinere videtur*) « cantantes & psallentes in cordibus vestris « Domino. " *Quod ad orationem pertinere videtur. Hinc etiam Dominus per Prophetam dixit Isa.* 48. " Laude meâ infrænabo te, « ne intereas. " *Est enim quoddam frænum animam ab interitu retrahens laus divina.*

Secundum remedium est studium Scripturarum, secundùm illud Hieronymi ad Rust. Monach. Ama Scripturarum studia, & carnis vitia non amabis. Unde Apostolus, cùm dixisset 1. Timoth. 4. " Exemplum esto fidelium in « verbo, in conversatione, in charitate, in « fide, in castitate, " *statim subdit:* " dum ve- « nio, attende lectioni. 111

Tertium remedium est quibuscumque cogitationibus bonis animum occupare. Unde Chrysostomus super Matthæum dicit, quòd abscissio membri ita non comprimit tentationes, & tranquillitatem facit, ut bonæ cogitationis frænum. Unde Apostolus ad Philipp. 4. dicit: " De cæ- « tero, fratres, quæcumque sunt vera, quæ- « cumque pudica, quæcumque justa, quæ- « cumque sancta, quæcumque amabilia, quæ- « cumque bonæ famæ, siqua virtus, siqua « laus disciplinæ, hæc cogitate. " « 112

Quartum remedium est, ut homo, ab otio desistens, etiam in corporalibus laboribus seipsum exerceat. Dicitur enim Eccli. 33. 29. " Multam malitiam docuit otiositas. " *Et specialiter otium est carnalium incentivum. Unde dicitur Ezech.* 16. 49. " Hæc fuit iniquitas « Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas « panis, & abundantia, & otium ipsius. *Et ideò Hieronymus ad Rust. Monach. scribens dicit:* " Facito aliquid operis, & semper dia- « bolus inveniat te occupatum. « 113

Quintum remedium adhibetur contra carnis concupiscentiam, etiam per aliquas animi perturbationes. Unde Hieronymus refert in eadem epist. quòd in quodam Cœnobio erat quidam adolescens, qui nullâ abstinentiâ, nullâ operis magnitudine flammam poterat carnis extinguere. Unde eum periclitantem Pater Monasterii hâc arte servavit. Imperavit enim cuidam viro gravi, ut jurgiis atque conviciis eum infectaretur; & post irrogatam injuriam primus veniret ad conquerendum. Vocati etiam testes, pro eo loquebantur, qui contumeliam fecerat: solus Pater Monasterii defensionem suam opponebat, ne abundantiori tristitiâ frater ille absorberetur. Ita annus ductus est; quo expleto, interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, respondit: Papæ! vivere mihi non licet, & fornicari libet. 114

Ex parte autem exteriorum rerum, propositum continentiæ impeditur per aspectum, & fre- 115

frequentia colloquia mulierum, & earum consortia. Unde dicitur Eccli. 9. „ Propter „ speciem mulieris multi perierunt : ex hoc „ concupiscentia quasi ignis exardescit. „ *Et postea subdutur :* „ Colloquium ipsius quasi „ ignis exardescit. " *Et ideò contra hoc est adhibendum remedium, quod ibidem dicitur v. 3.* „ Ne respicias mulierem multivolam, „ ne fortè incidas in laqueos illius. „ *v. 4.* „ Cum saltatrice ne assiduus esto, nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius. „ *Et Eccli. 42. 21. dicitur omni homini :* „ Noli intendere in specie, & in medio mulierum noli commorari. De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. „ *Unde Hieronymus contra Vigilantium scribens, dicit, quòd Monachus, sciens imbecillitatem suam, & vas fragile quod portat, timet offendere, ne impingat, & corruat, atque frangatur. Unde & mulierum, maximè adolescentularum, vitat aspectum, ne eum capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Ex quo patet, quòd, sicut Abbas Moyses dicit in Collationibus Patrum, pro puritate servanda, solitudo sectanda est, ac jejuniorum inediam, vigilias, labores corporis, nuditatem, lectionem, cæteras virtutes debere nos suscipere novimus : ut scilicèt per illas ab universis passionibus noxiis illæsum parare cor nostrum & conservare possimus, & ad perfectionem charitatis istis gradibus innitendo ascendere.*

116 Etiam conversationem familiarem personarum spiritualium diversi sexûs admodùm periculosam esse, monet sapienter idem S. Thomas opusc. 64. de periculo familiaritatis. Observatione digna sunt Angelica ista verba ipsius : „ Noverint ipsi, quòd licèt carnalis affectio sit omnibus periculosa & damnosa, eis tamen periculosa est magis, maximè quando conversantur cum persona, „ quæ spiritualis videtur. Nam quamvis eorum principium purum videatur ; frequens „ tamen familiaritas domesticum est periculum, delectabile detrimentum, & malum „ occultum bono colore depictum. Quæ quidem familiaritas quantò plus crescit, tantò „ plus infirmatur principale motivum, & utriusque puritas maculatur. Non tamen de „ hoc statim perpendunt : quia sagittarius (infernalis) à principio non mittit sagittas venenatas, sed solùm aliqualiter vulnerantes, „ & amorem augmentantes. Ad tantum verò „ in brevi deveniunt, ut jam non velut Angeli, sicut cœperant, se invicem alloquantur, & videant, sed tamquam carne vestitos se mutuò intueantur, & sentiant mentes quibusdam commendationibus, ac verbis „ blanditoriis vulneratas, quæ videntur ex prima devotione procedere. Exinde unus incipit alterius præsentiam corporalem appetere : quia forma vel species corporis, in utriusque mente concepta, incitat eos ad volendum præsentiam corporalem, quâ insit eis præsentia mentalis. Sicque spiritualis devotio paulatim convertitur in corporalem & carnalem ; & sic ipsorum mentes, quæ solebant in oratione cum Deo, absque intermedio, loqui, nunc inter se & Deum, alter ponit alterius corporalem effigiem, quam velant & obtenebrant, ponentes sibi-ipsis faciem Dei cum facie creaturæ. Et non minùs horrendum est, quòd cùm hi proprium errorem percipere, & emendare deberent, in ipsius potiùs nutrimentum erroris, totum illud judicant ex maxima charitate procedere, mentientes sibi, quòd hoc faciunt, ac si pro se invicem coguntur orare gratiâ & virtute divinâ. Quales autem illusiones recipiant, præsertim mulieres, quæ citiùs fidem adhibent illusioni mentali, esset horribile, & quasi impossibile declarare. Sentiunt namque in oratione præfata, & repræsentatione mentali calorem quemdam ignitum à sagittario illatum, quem credunt, & dicunt esse ignem charitatis à Spiritu sancto transmissum, volente conjungere spiritum unius spiritui alterius vinculo charitatis ; cùm inde sit ignis libidinosi amoris, prout sequentia manifestant. Et tamen deliberant, se, tamquam spirituales unitos, posse securiùs ac prolixiùs simul loqui, atque in hoc tempus non perdere, sed lucrari. Proinde modos insolitos, & cautelas mirabiles adinveniunt, quibus procurant simul colloqui, & frequenter, allegantes unus alteri causas utilitate ac necessitate depictas : cùm tamen in veritate nihil aliud sit causa, nisi onus cui ratio jam succumbit. Sic itaque carnali concupiscentiâ excæcati, tempus, quod olim consueverant in oratione expendere, ac spiritualiter occupare, nunc in hujusmodi familiaritatibus & colloquiis perdunt. Et sic (quod dolendum est) allocutiones divinas pro carnalibus commutantes, nisi morâ serotinâ cogente, aut aliâ inevitabili causâ, non possunt ab invicem discedere : tunc inviti ac tristes discedunt. Hæc autem tristitia certissimum est indicium, quòd carnis vinculo sunt alligati. Et in hoc miseri periculum non agnoscunt. Tandem ita se seduci permittunt, ut aliquando se invicem familiariter tangant, sub specie charitatis, referantes sibi invicem immensum cordis amorem, quod impudenter charitatem appellant. " Huc usque S. Thomas.

CAPUT VI.

Encomia & prærogativæ castitatis virginalis.

EX dictis n. 99. satis intelligitur, castitatem virginalem, consideratam secundùm quod præcisè importat carnis integritatem, non esse formale virginitatis, sed materiale dumtaxat. Formale enim virginitatis est propositum in illius definitione ex- 117

preſſum, abſtinendi propter Deum ab omni delectatione carnali, ſive affectus, quo mens propter Deum uſque adeò amat illam integritatem, ut in perpetuum remota eſſe velit ab omni eo quod ei adverſatur. Et hinc eſt quòd formale virginitatis permanere poſſit abſque materiali, in iis utique, quibus carnis integritas per violentiam, ſeu aliam cauſam non voluntariam aufertur, uti docet S. Auguſtinus l. 1. de Civit. Dei c. 18. Et ante S. Auguſtinum, ſancta Lucia Tyrannum alloquens: *Si invitam* (inquit) *jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.*

118 Porrò iſtius integritatis amorem Deo valdè placere probant 1°. encomia illius, quæ continentur in ſacris oraculis. Eccli. 26. 20. *Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ.* Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum: qui poteſt capere, capiat.* Quibus poſtremis verbis *magnitudinem virtutis oſtendit*, ut Chryſoſtomus ait in eum locum. 1. Cor. 7. *Bonum eſt homini mulierem non tangere .... Volo enim vos omnes eſſe ſicut meipſum..... Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego.... De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do ... Bonum eſt homini ſic eſſe.... Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu: quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodò placeat viro.... Qui matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit; & qui non jungit, melius facit.* Apocal. 14. *Vidi, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo* 144 *millia habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis..... Et cantabant quaſi canticum novum ante ſedem Dei.... Et nemo poterat dicere .... canticum, niſi illa* 144. *millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit.* Ad quæ verba alludens Auguſtinus in l. de S. Virginit. c. 27. *Pergue itaque ſancti Dei* (inquit) *pueri ac puellæ, mares ac feminæ, cælibes & innuptæ, pergite perſeveranter in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitaſtis uberius. Sperate feliciùs, cui ſervitis inſtantius. Amate ardentius, cui placetis attentius. Lumbis accinctis, & lucernis ardentibus expectate Dominum, quando veniat à nuptiis. Vos afferetis ad nuptias Agni canticum novum, quod cantabitis in citharis veſtris. Non utique tale, quale cantat univerſa terra, cui dicitur:* " Cantate „ Domino canticum novum, cantate Domino „ univerſa terra. „ *Sed tale, quale nemo poterit dicere, niſi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypſi quidam præ cæteris dilectus ab Agno, qui diſcumbere ſuper pectus ejus ſolitus erat, & bibebat, & eructabat mirabilia ſuper cæleſtia verbum Dei. Ipſe vos vidit duodecies duodena millia Sanctorum Citharœdorum illibatæ virginitatis in corpore, inviolatæ veritatis in corde; & quia ſequimini Agnum quocumque ierit, ſcripſit ille de vobis. Quò ire putamus hunc Agnum? quò nemo eum ſequi vel audeat, vel valeat, niſi vos. Quò putamus eum ire? in quos ſaltus & prata? ubi credo ſunt gramina, gaudia, non gaudia ſæculi hujus vana, inſaniæ mendaces, nec gaudia qualia in ipſo regno Dei cæteris non virginibus erunt, ſed à cæterorum omnium gaudiorum ſorte diſtincta..... Gaudia propria virginum Chriſti non ſunt eadem non virginum, quamvis Chriſti. Nam ſunt aliis alia, ſed nullis talia. Ite in hæc, ſequimini Agnum: quia & Agni caro utique virgo.*

Secundò itaque, caſtitatis virginalis ex- 119
cellentiam probant elogia quæ ipſi tribuunt ſancti Doctores. Auguſtinum audivimus, audiamus & Cyprianum, & Ambroſium, & Bernardum, & Anſelmum: *Nobis* (inquit S. Cyprianus tr. de diſciplina & habitu virginum) *ad virgines ſermo eſt, quarum quò ſublimior gloria, eò major eſt cura. Flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritualis..... Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini; illuſtrior portio gregis Chriſti.*

Quid verò Ambroſius in lib. offic.? *Vir-* 120
ginitatis gratiâ meruit à Chriſto eligi, ut eſſet corporale Dei templum, in quo corporaliter habitavit plenitudo divinitatis. Virgo generavit nunc ſalutem. Virgo peperit vitam univerſorum. Et l. de viduis: *Supergreditur virginitas conditionem naturæ humanæ, per quam homines Angelis aſſimilantur. Major tamen eſt victoria virginum, quàm Angelorum. Angeli enim ſine carne vivunt; virgines verò in carne triumphant.*

Bernardus tr. de morib. & vita Epiſcop. 121
Sola caſtitas virginalis, in hoc mortalitatis & loco & tempore, ſtatum quemdam immortalitatis gloriæ repræſentat. Sola inter nuptiarum ſolemnia morem beatæ illius vendicat Regionis, in qua neque nubunt, neque nubentur. Præbens quodammodò in terris, cæleſtis jam illius converſationis exemplum. Vas interim fragile quod portamus, in quo & crebrò periclitamur, tenet caſtitas (ut monet Apoſtolus) in ſanctificationem, & inſtar odoriferi balſami, quo condita cadavera incorrupta ſervantur, ſenſus ipſa & artus continet & conſtringit, ne diſſolvantur otiis, ne corrumpantur deſideriis, ne carnis voluptatibus computreſcant.

Speciali obſervatione digna ſunt verba S. 122
Anſelmi in libello de laudibus virginitatis c. 9. *Cùm tres* (inquit) *ſint ſtatus in Eccleſia, virginitas, cœlibatus & conjugium, ex revelatione Evangelica didicimus, ſi meritorum ratio habenda eſt, eum inter iſtas virtutes conſtituendum eſſe ordinem, ut virginitas ſit aurum; cœlibatus* (qualis eſt v. g. in viduis) *argentum; conjugium, æramentum. Virginitas, divitiæ; cœlibatus, mediocritas; conjugium, paupertas. Virginitas, pax; cœlibatus, redemptio; conjugium, captivitas. Virginitas, ſol; cœlibatus, lucerna; conjugium, tenebræ. Virgini-*

tas,

tas ; Regina ; cœlibatus , Domina ; conjugium , ancilla.

123 Tertiò , eandem excellentiam demonstrant octo prærogativæ virginitatis , quas S. Thomas describit lect. 5. in 1. Cor. 7. ubi sic : *Sancta virginitas magnum bonum est propter multa. Primo , quia carnis munditiam conservat. Apocal.* 14. " Hi sunt qui cum „ mulieribus non sunt coinquinati : virgines „ enim sunt , &c. „ *sicut bonum est sal , quia conservat carnem à corruptione. Secundò , quia animam decorat & ornat. Unde frequenter in Scripturâ jungitur , Virgo , pulchra. Sap.* 4. „ O quàm pulchra est casta generatio cum „ claritate ! „ *Tertiò , quia Angelis cœli assimilatur. Matth.* 21. „ In resurrectione neque „ nubent , neque nubentur , sed erunt sicut „ Angeli Dei. „ *Hieronymus* : „ In carne præ„ ter carnem vivere , Angelica perfectio est. „ *Quartò , quia Christo desponsatur.* 2. *Cor.* 11. „ Despondi enim vos uni viro virginem ca„ stam exhibere Christo. „ *Quintò , quia jungit , & proximat Deo. Psalm.* 44. „ Adduc„ entur Regi virgines post eam. „ *Sap.* 6. „ Incorruptio facit proximum Deo. „ *Sextò , quia cæteris statibus præponderat. Eccli.* 26. „ Non est digna ponderatio animæ conti„ nentis. „ 1. *Cor.* 7. „ Qui matrimonio jun„ git virginem suam , benè facit ; qui non „ jungit , melius facit. „ *Septimò , quia odorem bonæ famæ spirat. Luc.* 1. „ Et nomen Vir„ ginis Maria. „ *Cant.* 2. „ Sicut lilium inter „ spinas , sic amica mea inter filias. „ *Octavo , quia ad nuptias æternas invitat. Matth.* 23. „ Quæ paratæ erant , intraverunt cum eo „ ad nuptias. „ *Sed heu ! quia ad conservandum difficilis est , ideò Eccli.* 24. „ Filia Patris „ abscondita , &c. „ *Et hoc quia diabolus suggerit contrarium , corruptio inclinat ad actum , pulchritudo allicit ad consensum.*

124 Addit tamen sanctus Doctor 2. 2. q. 152. a. 4. ad 2. quòd *licèt virginitas sit melior , quàm continentia conjugalis ; potest tamen conjugatus melior esse quàm virgo , duplici ratione. Primò quidem ex parte castitatis , si scilicet ille qui est conjugatus , habeat animum magis paratum ad virginitatem servandam , si oporteret , quàm ille qui est actu virgo. Unde Augustinus instruit virginem in lib. de bono conjugali cap.* 28. *ut dicat* : „ Ego non „ sum melior quàm Abraham. „ *Sed melior est castitas cœlibum , quàm castitas nuptiarum. Et rationem postea subdit , dicens : quod enim nunc ago , ille melius egisset , si tunc agendum esset. Quod autem illi egerunt , sic ego non agerem , etiamsi nunc agendum esset.*

125 *Secundò , quia forte ille qui non est virgo , habet aliquam excellentiorem virtutem. Unde Augustinus dicit in lib. de sancta virginit. c.* 44. „ Unde scit virgo , quamvis sollicita , „ quæ sunt Domini , ne fortè propter ali„ quam sibi incognitam infirmitatem , non sit „ matura martyrio ; illa verò mulier , cui se „ præferre gestiebat , jam possit bibere cali-

cem Dominicæ passionis ? " *Propterea etiam cap.* 31. *Augustinus humilitatem virginibus maximè commendat : Veniat* (inquit) *illis in mentem quod scriptum est Eccli.* 3. 20. " Quan- " tò magnus es , tantò humilia te in om- " nibus , ut coram Deo invenias gratiam. " *Proinde* (prosequitur cap. 33.) *quia.... virginitas magnum bonum est in Sanctis Dei , vigilantissimè cavendum est , ne superbiâ corrumpatur.* Et cap. 23. *Quis nescit obedientem mulierem inobedienti virgini præponendam ? Sed licèt ambæ sint obedientes præceptis Dei.... hæc tamen vel hæc virgo obediens , & Deum timens , illi vel illi mulieri obedienti , & Deum timenti se anteferre non audeat : alioqui non erit humilis , & Deus superbis resistit. Quid ergo cogitavit ? occulta dona Dei , quæ nonnisi interrogatio tentationis , etiam in semetipso , unicuique declarat.* Dixerat etiam in lib. de bono conjugali cap. 23. *Majus bonum est obedientiæ , quàm continentiæ..... Quapropter non solum obediens inobedienti , sed obedientior conjugata minùs obedienti virgini præponenda est.*

CAPUT VII.

Specialiter observanda circa intemperantiam in cibo & potu.

QUia Scriptura & Patres cibi potûsque 126
intemperantiam nobis proponunt , velut castitati exitialem : eò quòd per eam caro efferveſcat , atque ex ea variæ proveniant indigestiones , quibus carnis tentationes inflammantur. Posteaquàm de castitate egimus , specialia quædam de cibi & potûs intemperantia observabimus.

Imprimis (omissâ comparatione , quam 127
sancti Patres faciunt inter vicinitatem ordinemque , quem inter se habent venter & membra pudoris , necnon vicinitatem & ordinem , quem habent inter se vitium intemperantiæ , vitiumque luxuriæ) Ezech. 16. *saturitas , & abundantia panis* dicitur fuisse *iniquitas Sodomæ* , id est civitatis illius , quæ propter luxuriæ vitium igne cælesti à Domino subversa fuit. Proverbiorum quoque 20. vinum à sapientissimo mortalium *luxuriosa res* esse dicitur. Et ab Apostolo Ephes. 5. *Nolite inebriari vino , in quo est luxuria.*

Conformiter Tertullianus l. de pudicitia 128
c. 17. *Fundamenta mœchiæ ab Apostolo effossa sunt , cùm ebrietates , & comessationes compescuit.* Et l. contra Ptycicos : *Monstrum haberetur libido sine gula.* Ambrosius l. 1. de pœnit. c. 4. *Pascitur libido conviviis , nutritur deliciis , vino accenditur ; ebrietate inflammatur.* Hieronymus l. 2. contra Jovinianum c. 3. *Esus carnium , & potus vini , ventrisque saturitas , seminarium libidinis.* In cap. 1. epist. ad Tit. *Hoc nunc dixisse sufficiat , quòd , secundùm Apostolum , in vino est luxuria , & ubicumque saturitas atque ebrietas fuerint ,*

ibi libido dominatur .... nunquam ego ebrium, castum putabo, qui etsi vino consopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. Et alibi: *Non Ætnæ ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvius & Olympus tantis ardoribus æstuant, ac juveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.* Augustinus serm. 65. de temp. *Semper juncta est saturitati luxuria.* Gregorius Magnus l. 31. Moral. *Cunctis liquet, quòd de ventris ingluvie luxuria nascitur.* Et l. de cura Pastor. p. 3. admonit. 2. *Plerùmque edacitas usque ad luxuriam pertrahit: quia dum saturitate venter extenditur, aculei libidinis excitantur.* S. Isidorus Pelusiota l. 1. epist. 405. *Vinum ad corporis necessarium usum, modicè haustum, hominis pectus exhilarat; quod autem ultra mediocritatem adhibetur, petulans, contumeliosum atque intemperans vocatur.*

129 Secundò, ad obviandum his aliisque malis, ex cibi potûsque intemperantia pullulantibus, meminerint Christiani, se creatos non esse, ut per ventris voluptates sensualitati suæ satisfaciant, sed ut Deo Creatori, ac Redemptori suo serviant, ipsumque amando glorificent; sensibilem proinde ventris delectationem comitari posse sumptionem nostram cibi potûsque, sed nec debere nec posse esse ipsius finem. Neque enim vivimus ut edamus, sed edimus ut Deo vivamus, secundùm illud Apostoli 1. Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Non est proinde licitum manducare vel bibere propter cibi vel potûs voluptatem, prout Innocentius XI. declaravit, hanc propositionem velut ut minimùm scandalosam, & 127 in praxi pernicioſam condemnando: *Comedere & bibere propter voluptatem, usque ad satietatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini. Quia licitè potest appetitus naturalis actibus suis frui.*

130 Enimverò cùm esse sit propter operari proportionatum, homini Deus non dedit esse nobilius quàm bestiis animalibus, nisi propter operari nobilius, sive nobiliorem ob finem. Operari verò propter voluptatem ventris, est operari propter finem bestialem. Propterea Augustinus l. 4. contra Julianum (qui negabat vitiosum esse appetitum voluptatis propter se) c. 14. posteaquàm per quemlibet corporis sensum aliud esse dixit sentiendi vivacitatem, vel utilitatem, vel necessitatem, aliud sentiendi libidinem: *Libido* (inquit) *sentiendi, est quæ sensibus nostris .... nos ad sentiendum .... appetitu carnalis voluptatis impellit.* Et addit: *Hæc est contraria dilectioni sapientia, hæc virtuti inimica. Hoc malo, quantùm attinet ad eam partem, quâ sibi sexus uterque miscetur, benè utuntur nuptiæ, cùm conjuges procreant filios per illam, nihilque faciunt propter illam. Hanc si voluisses, vel valuisses, à sentiendi vivacitate, utilitate, necessitate discernere; videres quàm superfluò tam multa dixisses. Non enim ait Dominus, qui viderit mulierem, sed qui viderit ad concupiscendum, jam mœchatus est in corde suo. Ecce sensum videndi à libidine sentiendi .... discrevit. .... Movetur certè animus ad pietatis affectum, divino cantico audito: tamen etiam illic, si sonum, non sensum libido audiendi desideret, improbatur; quantò magis si cantiunculis inanibus .... delectatur? Cæteri tres sensus corpulentiores & quodammodò crassiores sunt .... Odor ab olfaciente discernitur, sapor à gustante, tactus à tangente .... In his omnibus quando molesta vitantur .... commoditatis provisio, non libido est voluptatis. Ea verò quæ his contraria commodè sumimus, si nihil eorum interest ad salutem, vel ad declinandam doloris laborisve molestiam, etiamsi cum aliqua sumuntur delectatione cùm præsto sunt, tamen cùm absunt, nullâ sunt desideranda libidine. Si autem desiderantur, non est bonum: in quibuslibet enim rebus, talis domandus & sanandus est appetitus .... donec ad illam redeat sanitatem, quâ nihil tale desideret. Minimum hoc quidem, sed qui minima spernit, sicut scriptum est, paulatim decidet.*

Finis itaque sumptionis cibi & potûs esse 131 non debet eorum voluptas: utpote quæ, *juxta regulam utroque Testamento firmatam, non est diligenda, nec propter se appetenda, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantùm satis est, usurpanda, utentis modestiâ, non amantis affectu*, prout eumdem Augustinum suprà dicentem audivimus. Enimverò, uti tom. 1. prolixè demonstravimus, nullâ omninò creaturâ frui (id est ipsam propter se amare) licet, sed propter Deum dumtaxat, *omnisque humana perversio est fruendis uti velle, atque utendis frui.*

Quòdque non liceat pro fine actionum 132 nostrarum habere voluptatem, vel ipsi Gentiles agnoverunt, qui propterea voluerunt, ut in actionibus suis homo se à brutis discerneret, non propter voluptatem agendo, sicut bruta, sed vel propter necessitatem, vel propter aliam rationabilem causam.

Vir ergo temperans alimenta non magis 133 sumit propter seipsa, sive propter annexam ipsis voluptatem, quàm medicamenta, prout à Deo se didicisse Augustinus dicit 10. Confess. 31. sic Deum alloquens: *Hoc me docuisti, ut quemadmodùm medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentia molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ .... Et cùm salus sit causa edendi ac bibendi, adjungit sese, tamquam pedissequa, periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causâ fiat, quod salutis causâ me facere, vel dico, vel volo. Nec idem modus utriusque est: nam quod saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpè incertum fit, utrùm adhuc necessaria corporis cura subsidium petat? an voluptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit*

infelix anima, & in eò præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere, quid satis sit moderationi valetudinis, ut, obtentu salutis, obumbret negotium voluptatis .... His tentationibus quotidie conor resistere..... Quis est Domine, qui non rapiatur aliquantulùm ultra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum. Ego autem non sum; quia peccator homo sum.

134 Similia habent Gregorius Nyssenus orat. 5. de Orat. Domin. & Gregorius Magnus lib. 3. Moral. cap. 14 *Sciendum est* (inquit) *quia sic voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat... Facile est deprehendere, cùm voluptas esûs necessitatem prævenit, sed valdè est difficile discernere, cùm in ipso esu necessario se occulta subjungit*, &c.

135 Ob istam difficultatem, incertitudinemque, Sancti certum tenentes, incertum dimittentes, ne voluptati obsequerentur, sic quotidie comedebant, ut semper esurirent. Sic discipulis suadebat sanctus Romualdus, prout refert sanctus Petrus Damianus cap. 9. vitæ ipsius. Et sic practicasse, consuluisseque Patres antiquos, Ruffinus refert in Vitis Patrum cap. 45. Refert & Theodoretus cap. 3. Religiosæ Historiæ suæ; consonatque celebre dictum Hieronymi epist. ad Furiam: *Venter semper esuriens præfertur triduanis jejuniis.* Sicut & quod Cassianus ait Collat. 2. cap. 23. *Hæc est temperata ... continentia, & qualitas, atque mensura, quæ Patrum quoque judicio comprobatur, ut quotidianam panis refectionem quotidiana comitetur esuries, in uno eodemque statu animam pariter corpusque conservans, nec jejunii fatigatione concidere, nec gravari mentem saturitate permittens.*

136 Cæterùm, quod attinet ad cibi, potûsque quantitatem, ab unoquoque sumendam, ne intemperanter sumatur, una eademque pro omnibus regula generalis dari non potest, uti sapienter observat S. Antoninus p. 2. tit. 6. cap....§. 5. ubi sic: *De quantitate cibi & potûs non potest dari certa regula omnibus secundùm eamdem mensuram, sed plus & minùs exigitur, secundùm varietatem complexionum, & fatigationum: unus enim & idem plus indiget uno tempore, quàm alio, secundùm dispositionem sui corporis.... Tantum ergo potest & debet quis comedere & bibere, quantum credit se indigere ad sustentationem corporis, & executionem eorum quæ sibi incumbunt agenda, ita ut non usque ad nauseam sumat, sed cum aliquali adhuc appetitu finem faciat.*

137 Addit sanctus Thomas 2. 2. q. 148. a. 1. ad 3. quòd *si aliquis excedat in quantitate cibi, non propter concupiscentias cibi, sed æstimans id sibi necessarium esse, non pertinet hoc ad gulam, sed ad aliquam imperitiam: sed hoc solum pertinet ad gulam, quòd aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis scienter excedat mensuram in edendo.*

Addit etiam in 4. dist. 15. q. 3. a. 2. q. 138
2. ad 3. & 2. 2. q. 141. a. 6. quòd *si sit tanta abstinentia cibi, quòd homo ab operibus utilioribus impediatur, quamvis ad ea de necessitate non teneatur, indiscretum est jejunium, etsi non sit illicitum. Unde Hieronymus dicit:* " Rationalis homo dignitatem " amittit, qui jejunium charitati, vel vigilias " sensûs integritati præfert. "

Quodlibeto verò 5. a. 18. quærens, quanta debeat esse nostra abstinentia? Respondet, quòd *secundùm Philosophum Polit. 1. aliter est judicandum de fine, aliter de his quæ sunt ad finem. Illud enim quod quæritur, tamquam finis, absque mensura quærendum est* (nota benè, quia inde sequitur, quòd voluptas cibi & potûs quæri & appeti posset absque mensura, si quæri & appeti posset, tamquam finis) *in his autem quæ sunt ad finem, est adhibenda mensura, secundùm proportionem ad finem: sicut Medicus sanitatem, quæ est finis ejus, facit quantumcumque potest majorem; sed adhibet medicinam secundùm quod convenit ad sanitatem faciendam.* 139

Est ergo considerandùm, quòd in spiri- 140
tuali, adeòque christiana vita, dilectio Dei est sicut finis, jejunia autem, & vigiliæ, & alia exercitia corporalia, non quæruntur tamquam finis (quia sicut dicitur Rom. 14. *Non est regnum Dei esca & potus*) sed adhibentur tamquam necessaria ad finem, id est ad domandas concupiscentias carnis (quemadmodùm & cibus & potus ad bonam corporis dispositionem, ut corpus animæ serviat ad suas functiones, & anima Deo) secundùm illud Apostoli 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, &c. Et ideò hujusmodi sunt adhibenda cum quadam mensura rationis, ut scilicet concupiscentia devitetur, & natura non extinguatur, secundùm illud Rom. 12. *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem.* Et postcà subdit: *Rationabile obsequium vestrum.* Si verò aliquis in tantum naturæ virtutem debilitet per jejunia, & vigilias, & alia hujusmodi, quòd non sufficiat debita opera exequi, puta Prædicator prædicare, Doctor docere, Cantor cantare, &c. absque dubio peccat, sicut peccaret vir, qui nimiâ abstinentiâ se impotentem redderet ad debitum uxori reddendum.

Verùm hoc rarò, imò rarissimè contin- 141
git; frequentissimè verò quòd per excessum cibi & potûs peccetur, ad satisfaciendum concupiscentiæ, etiam à pauperibus, nonnisi viles cibos edentibus. Unde Gregorius loco suprà relato: *Primogenitorum gloriam Esaü amisit, quia magno æstu desiderii vilem cibum, scilicet lenticulam, concupivit; quam dum vendendis primogenitis præmulit, quo in illam appetitu anhelaret, indicavit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Unde & lautiores cibos plerùmque sine culpa sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus..... Unde & antiquus hostis, quia non*

cibum, sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit, primum sibi hominem, non carne, sed pomo subdidit, & secundum (id est Christum) *non carne, sed pane tentavit.*

142 Quòd non cibus, sed appetitus in vitio sit, ampliùs ostenditur exemplo S. Thomæ Cantuariensis, de quo Heribertus de Bosoham in ejus vita scribit, quòd *inter tot & tantas epulas, quæ apponebantur, in nullo penitùs Sardanapalum, sed solùm Episcopum sapiebat .... super nullam escam se effundens. Tria sobrietas exigit, quid, quando, & quantum sumamus. Ne quid prohibitum: ne quid citra horam: nè quid ultra mensuram.* Et postquam ostendit, in virtute sobrietatis horam & mensuram ab ipso servatam, addit, *ea, quibus ipse utebatur, & delicatiora quidem, & pretiosiora erant, quæ etsi non prohibita, à sobrietatis tamen perfectione .. his .... quos diximus nimis justos, videri possent aliena. Unde cùm unus justorum talium, super hoc inter discumbendum semel quasi subridendo notasset Pontificem, aliquantisper zelo motus Pontifex, sic ei respondit: Certè, Frater, nisi fallor, cum aviditate majori tu tuam sumis fabam, quàm ego appositam mihi phasidem. Et erat tunc avis hæc ante Præsulem in paropside..... Et bonum quidem, & prudens, hoc & pro fratris consuetudine, & pro veritate Pontificis responsum. Nec enim refert, ut tradunt animarum Medici, Patres Orthodoxi, quid, quantumvè quis sumat, si solùm necessitati & valetudini suæ, non voluptati indulgeat. Pontifex igitur, qui grossiora non poterat, utpote minimè enutritus in his, deliciosa quidem, sed parcè admodùm sumebat & sobriè, ita quòd, sicut ex ejus secreta confessione quidam Religiosi ipsius familiares noverunt secretiùs, non magis vibatus, quàm jejunus, nec post vina, plusquàm ante, ullam vix sentiret carnis rebellionem.*

CAPUT VIII.

Partes potentiales temperantiæ, seu virtutes ipsi annexæ.

143 VIrtutes annexæ temperantiæ, à sancto Thoma sequentes assignantur, continentia, clementia, mansuetudo, modestia, & hujus quatuor species, videlicet humilitas, taciturnitas, studiositas, eutrapelia, sive urbanitas jucunda. De his agendum §§. sequentibus.

§. I.

Continentia.

144 *COntinentia* hîc non sumitur pro virtute, quâ ab omni quis venerea delectatione prorsus abstinet, prout idem est quod castitas virginalis, vel vidualis; sed pro virtute, quâ homo resistit pravis delectationibus, vehementer ipsum sollicitantibus. Quomodò est imperfectior castitate, sicut & temperantiâ. Nam, ut Chæremon Abbas dicit apud Cassianum Collat. 12. c. 10. *non castitas, sed continentia dicitur, ubi adhuc ei aliqua resistit adversitas voluptatis. Quamobrem donec pulsari nos carnis commotione sentimus, noverimus nos ad castitatis nondum pervenisse fastigia, sed adhuc sub infirmitate continentiæ constitutos præliis fatigari.* Unde voluptatis appetitus in temperante, & perfectè casto, adeò subjectus est rationi, ut ei vehementer non insistat: *quia ab illa est quasi edomitus*, ait S. Thomas q. 156. a. 4. *in continente verò appetitus sensitivus adhuc vehementer rationi resistit per motus concupiscentiæ pravæ.*

Dixi, *quasi edomitus*: quia nemo in hac 145
vita prorsus est liber ab omni concupiscentiæ motu; nemo qui veraciter dicere non possit cum Apostolo Rom. 7. *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, hoc facio.*

Nec tamen ideò continens majoris est 146
meriti quàm temperans, quia majoribus tentationibus, seu vehementioribus concupiscentiæ motibus resistit. Quòd enim temperans tantas difficultates non patiatur, quàm continens, hoc provenit ex virtute ipsius, sive ex majori charitate & fortitudine, per quam quasi edomuit vim concupiscentiæ. Et ideò sicut perfectior est virtus ipsius; ita & majus meritum, prout S. Thomas observat loco citato.

Incontinens tamen minùs peccat, quàm 147
intemperans. Quia intemperans ex majori inclinatione ad malum peccat: quia peccat ex habitu per consuetudinem acquisito. Incontinens verò potiùs ex majori passione, quàm inclinatione. Cujus signum est, quòd incontinens, transeunte passione, statim pœnitere solet; non sic intemperans. Vide dicta to. 1. de voluntario ex habitu.

§. II.

Clementia.

CLementia est virtus, quâ Superior incli- 148
natur ad pœnam mitigandam, quantùm justitiæ, & disciplinæ bonum patitur, idque ex quadam velut epicheia, seu benigna interpretatione, quâ judicat legem, spectatis circumstantiis facti, causæ, personæ, & modi, pœnam tam gravem non requirere. Hæc virtus commendatur, primò sacris oraculis Proverb. 11. & 20. Secundò, exemplo Christi erga mulierem in adulterio deprehensam, Joan. 8. Tertiò, exemplo sanctorum Episcoporum, qui apud Judices interceſſerunt pro reis à morte liberandis. Imò exemplo ipsiusmet Ecclesiæ, quæ execrata est factum Ithacii & Idacii Episcoporum, qui Priscillianum, licèt hæreticum, usque ad capitale supplicium persecuti sunt apud Maximum Tyrannum, uti Severus

Sulpicius narrat l. 2. Quartò, ex eo quòd Augustinus epist. 153. aliàs 54. ad Macedonium, ipsum de clementia in judiciis servanda moneat.

149 Dixi, *quantùm justitiæ, & disciplinæ bonum patitur*, adde, quantùm etiam patitur ratio salutis fraternæ, atque ædificationis publicæ. Quia nisi horum omnium ratio habeatur, non est clementia, sed *mollities*; quæ opponitur clementiæ per excessum, sicut *crudelitas* per defectum. Justa verò severitas ei non opponitur, sed optimè sociatur. Nam, ut D. Ambrosius ait epist. 74. *beatus, qui & severitatem, & mansuetudinem tenet; ut altero disciplina servetur, altero innocentia non opprimatur. Nimia enim severitas extorquet plerumque terrore mendacium. Deus diligi maluit, quàm timeri.*

150 Hinc Heli à Deo punitus fuit, quia nimis leniter filios gravissimè peccantes corripuit. Dumque vel ad rei correctionem, vel ad publicam ædificationem necessaria est severitas, eâ non uti, mollities est, & plerùmque causa est destructionis disciplinæ. Et ideò ad Tit. 1. Apostolus: *Increpa eos durè, ut sani sint in fide.*

§. III.

Mansuetudo.

151 *Mansuetudo* est virtus moderatrix iræ. A clementia differt in eo quòd hæc versetur circa vindictam, seu pœnam reis infligendam; illa verò circa iram, quam passionem omninò cohibet, quando non est irascendum, & quando irascendum est, imponit ei modum, ut quis irâ non moveatur, nisi quando, cui, quantùm, & quomodò oportet. Siquidem aliquando oportet: *nam si ira non fuerit, non doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur*, ait Chrysostomus.

152 Mansuetudo itaque non excludit iram moderatam, quando justa est illius causa, ut idem S. Doctor ait: *Qui sine causa irascitur, reus erit; qui verò cum causa, non reus erit.* Quia tamen difficillimum est passione illâ uti debito cum moderamine, eam mansuetudo faciliùs excludit, quàm moderetur ut oportet, juxta illud Augustini epist. 38. aliàs 149. *Incomparabiliter salubrius est iræ juste pulsanti non aperire penetrale cordis, quàm admittere non facilè recessuram, & perventuram de furculo ad trabem.* Et ideò mansueti hominis officium est, internam iræ passionem non admittere; exteriùs tamen se gerendo, pro rei exigentia, nec debitam correptionem, pœnæque inflictionem omittendo, dum necessaria est. Optimè proinde Augustinus epist. 138. aliàs 5. ad Marcellinum: *Teneatur in secreto animi patentia cum benevolentia: in manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse posse, quibus bene velle debemus*, & non solùm quod prodesse videtur reis, sed maximè communitati, sive communi disciplinæ.

Quantùm verò homini Christiano necessaria sit mansuetudo, collige ex hoc, quòd virtus ista à concupiscentiis omnibus impugnetur. Quoties namque homo concupiscentiæ suæ privatur objecto, sive sit concupiscentia carnis, sive concupiscentia oculorum, sive superbia vitæ, ad iram provocatur, indignationemque adversus eum, qui ipsum impedit frui concupitis. 153

Propterea ergo tam frequenter à Spiritu sancto in veteri Testamento, à Christoque & Apostolis in novo, commendatur mansuetudo: scriptum namque est Eccli. 10. *Fili, in mansuetudine serva animam tuam, & da illi honorem secundùm meritum suum*: si enim des locum iræ, inhonoras animam tuam, dum rationem subjicis passioni. Et c. 3. *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.* Quia scilicet mansuetudo reddit hominem amabilem Deo & hominibus; nec solùm amabilem, sed & glorioſum. Quia mansuetus dominatur animo suo. Et qui dominatur animo suo, honorat animam suam, estque glorioſior expugnatore urbium, juxta illud Prov. 16. *Melior est patiens* (qualis est omnis mansuetus: siquidem mansuetudo includit patientiam, & aliquid amplius) *viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Matth. 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Et cap. 11. *Discite à me quia mitis sum.* Ad Ephes. 4. *Obsecro vos.... ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine.... supportantes invicem in charitate.* 154

Rursus, quàm necessaria sit mansuetudo, disce ex malis quæ causat iracundia mansuetudini opposita, de quibus to. 1. actum est, dum de peccatis capitalibus. Certè non in iræ commotione Dominus, nec spiritu Dei agimur, dum iræ impetu agimur; nec ratio tunc in nobis dominatur, sed passio; nec proinde tunc idonei sumus ad agendum ut oportet: utpote potiùs dispositi ad judicandum secundùm passionem, quàm secundùm rationem. Unde passione cessante, longè aliter judicamus, quàm passione fervente. Ideòque sapientis est actionem & judicium erga proximum differre usquedum ira deferbuerit, quemadmodùm de Platone legitur, quòd cùm, levato ad cædendum famulum brachio, iræ motum sensisset, brachium cohibens, velut in aëre suspensum tenuit, donec ira conquiesceret. De Archita etiam Tarentino Hieronymus in Joëlem scribens, commemorat, quòd villico suo iratus: *Jam te* (inquit) *caderem; nisi iratus essem. Restringenda* itaque *est potestas* (ait Gregorius Magnus) *nec quidquam est agendum, priusquàm concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore justum putat ira quod fecerit.* Imò justum pu- 155

tat, de quo posteà pœnitet. Aliter namque irati, aliter tranquilli judicamus. Et ideò dum puniendus est subditus, minor ipsi pœna imponenda est à Superiore irato (dum punitionem differre non potest) quàm ira suggerat, & si tunc objurgandus sit, leniùs ac minùs durè, quàm objurgandum ira repræsentet.

156 Et quia ira est *appetitus vindictæ*, saluberrima sunt sequentia adversus eam remedia, quæ suggerit Spiritus sanctus Eccli. 28. Ut enim hominem à vindictæ appetitu deterreat, v. 1. dicit: *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit, eâque mensurâ quâ mensus fuerit, remetietur ei*, Matth. 7. 2. Marci 4. 24. *Et judicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam*, Jacobi 2. 13.

157 Deinde v. 2. *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata solventur.* Recogitet ergo quisque, quanta, & quàm multa sibi dimittentur, si pauca dimiserit, quæ adversus ipsum proximus commisit.

158 Tertiò, v. 3. *Homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam.* Quasi dicat, hominem à Deo frustrà quærere malorum suorum medelam, si homini ipse reservet iram.

159 Quartò, v. 4. *In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?* hoc est apertè dicere, hominem esse indignum, cui à Deo peccatorum venia concedatur, si irâ implacabili contra proximum exardescat: quâ enim fronte ignosci sibi postulabit à Deo, infinitæ supra se Majestatis, dum homini sibi simili, & in natura, & in fragilitate, non ignoscit? Quâ fronte sibi ignosci postulabit longè plura, & in infinitum graviora delicta, qui non ignoscit longè pauciora, & in infinitum leviora? Quid aliud talis expectare debet, nisi tractationem similem ei, quâ tractatus fuit debitor decem millium talentorum? Matth. 18.

160 Quintò, id confirmat v. 5. *Ipse cùm caro sit, reservat iram, & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius?* Declarat enim hominem implacabiliter iratum à Deo repulsam passurum, dum propitiationem à Deo petet, neminemque pro eo exaudiendum.

161 Et ideò v. 6. homini, pertinaces iras reservanti, proponit recordationem novissimorum: *Memento novissimorum, & desine inimicari.* Quia in novissimis acerbissimâ Deus ultione in eos animadvertet, qui de acceptis ab homine injuriis vindictam Deo non reliquerint, memores humanæ miseriæ, quâ sumus homines fragiles, lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias; quòdque nosipsi sæpiùs angustiam seu molestiam facimus proximo, etiam dum ad id non reflectimus. Iniqui ergo sumus, si nihil ab aliis sustinere velimus, dum ipsi aliquid à nobis sustinendum frequenter habent.

Sed & v. 8. propterea dicit: *Memora-* 162
re timorem Dei, & non irascaris proximo. Et v. 9. *Memorare testamentum Altissimi, & despice ignorantiam proximi.* Quasi dicat: memorare quid timere debeas à Deo, si irascaris proximo; memorare legem Altissimi quæ dicit, *desine ab ira, & derelinque furorem*; Psal. 36. 8. Excusando utique delictum proximi, quasi ex ignorantia, vel inadvertentia, potiusquàm ex malitia profectum, exemplo Salvatoris, qui in cruce dixit: *Pater ignosce illis; non enim sciunt quid faciunt.*

Mansuetudo itaque à nobis exigitur 1°. 163
quatenùs homines sumus, seu creaturæ rationales: nam in quantum tales, oportet nos ex ratione agere, non ex passione iræ. 2°. quatenùs fideles, per supradicta Oracula sacra imbuti, quibus mansuetudo nobis toties inculcatur. 3°. quatenùs Christiani, profitentes imitationem Christi, qui tanta pro nobis, & à nobis sustinuit, nosque ad crucem secùm ferendam, & ad mansuetudinem suam imitandam invitavit, dicens, *discite à me, quia mitis sum, &c.* 4°. quatenùs peccatores, quibus per proximum Deus offert pulcherrimam occasionem, pro peccatis nostris satisfaciendi. Quâ nisi benè usi fuerimus, incomparabiliter majora in altero sæculo patiemur. 5°. tamquam cives sanctorum, à quibus tam præclara mansuetudinis exempla habemus, illud v. g. quod dedit Rex David, dum à Semei, tamquam invasor regni Saül, injustè malediceretur, & lapidibus impeteretur, diceretque ei Abisai, filius Sarviæ: *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam, & amputabo caput ejus.* Ait Rex: *quid mihi & vobis filii Sarviæ? dimittite eum ut maledicat. Dominus enim præcepit ei ut malediceret David: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecisti?* Igitur sanctorum exemplo oportet nos afflictiones omnes, etiam per proximos nostros, vel per dæmones immissas, humiliter sustinere, velut immissas à Deo, qui creaturis suis quibuslibet utitur ad probationem electorum suorum.

Ad quod efficaciùs practicandum duos 164
sequentes servandæ mansuetudinis modos Gregorius Magnus suggerit l. 5. Moral. c. 30. Primus est, si quotidie manè, antequàm quidquam faciamus, mens nostra *omnes sibi, quas pati potest, contumelias proponat, quatenùs Redemptoris sui probra cogitans, ad adversa se præparet. Quæ nimirùm venientia tantò fortiùs excipit, quantò se sanctiùs exprascientia armavit. Qui enim improvidus ab adversitate deprehenditur, quasi ab hoste dormiens invenitur, eumque citiùs inimicus necat; quia non repugnantem perforat: nam qui mala imminentia per sollicitudinem prænotat, hostiles incursus quasi in insidiis vigilans expectat, & inde ad victoriam violenter accingitur, unde nesciens deprehendi probatur.....*

S.

Secundus autem ſervandæ manſuetudinis modus eſt ut *cùm alienos exceſſus aſpicimus, noſtra, quibus in aliis exceſſimus, delicta cogitemus. Conſiderata quippe infirmitas propria, mala nobis excuſat aliena. Patienter namque illatam injuriam tolerat, qui piè meminit, quòd fortaſſe adhuc habeat, in quo debeat ipſe tolerari; & quaſi aquâ ignis extinguitur, cùm, ſurgente furore animi, ſua cuique ad mentem culpa revocatur. Quia erubeſcit ſibi peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo ſæpè ſe recolit parcenda peccaſſe.*

§. IV.

Modeſtia.

166 *Modeſtia*, eſt virtus moderans internos animi & externos corporis motus, ſecundùm præſcriptum rationis rectæ, legiſque æternæ. Quæ exigit ut externi motus corporis ſic compoſiti ſint, ut in eis nihil ſit quod cujuſquam offendat aſpectum, nihil quod interioris hominis dedeceat ſanctitatem. Nam, ut Eccli. 19. dicitur, *amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo. Bona* quippe *domus in ipſo veſtibulo debet agnoſci* (inquit Ambroſius l. 2. de virginib. c. 2.) .... *& mens noſtra, nullis repagulis corporalibus impedita, tamquam lucerna lux intùs poſita, foris lucet, modeſta namque compoſitio corporis ſpeculum eſt, in quo refulget effigies bonæ mentis.*

167 Modeſtiæ itaque primum ac præcipuum officium eſt, internos animi motus benè componere: utpote quibus compoſitis, exterioris hominis ſequitur compoſitio: ſiquidem externi actus ab internis profluunt. Quia tamen per omnia non correſpondent ſemper internis, modeſtia haud dubiè exigit etiam ſtudium circa externos, ut ſcilicet nihil *torvum ſit in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, ut ipſa corporis ſpecies ſimulacrum ſit mentis, figura probitatis* (inquit Ambroſius l. 2. de virginib.) tam modeſtaque ſit quolibet tempore, quolibet loco, & quibuſcumque in circumſtantiis, converſatio noſtra, ut non ſolùm nulli ſimus ſcandalo, vel offenſioni, vel perfectionis impedimento, ſed ſemper ſimus ædificationi, adimpleamuſque id quod Chriſtus ait Matth. 5. *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Quodque Apoſtolus dicit 2. Cor. 6. *Nemini dantes ullam offenſionem.* Nihil proinde in converſatione debet eſſe inſolens, nihil agreſte & ruſticum, nihil ſcurrile vel hiſtrionicum, nihil in riſu diſſolutum (cùm hoc ſapientis non ſit; ſed fatui, juxta illud Eccli. 21. *Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam*) nihil denique elatum & ſuperbum, nihil etiam in ornatu ſcandaloſum, nihil in veſtimentis, domiciliis, famulitio, ſupellectile, nimis ſumptuoſum, vel limites excedens propriæ conditionis.

168 Nec verò hoc excuſatur, ex eò quòd inde non contrahantur debita ſupra vires divitiarum. Neque enim modeſtia ſolùm conſiderat quantum quiſque poſſit per divitias ſuas: utpote quas Deus nobis non dedit pro nobis ſolis, ſed *per nos aliis erogandas tranſmiſit*, inquit Cæſarius ſerm. 77. 277. in appendice ſermonum S. Auguſtini.

§. V.

Humilitas.

169 *Humilitas*, modeſtiæ ſpecies, eſt virtus *quæ temperat & refrenat animum, ne immoderatè tendat in excelſa.* S. Thomas q. 161. a. 1. in corp. vel eſt virtus, *quâ homo veriſſimâ ſui cognitione ſibiipſi vileſcit.* Sanctus Bernardus tract. de grad. humilit. nec proinde in magna ſupra ſe tendit, ex propriarum virium confidentia: *Quòd* enim *aliquis ex confidentia divini auxilii, in majora tendat, hoc non eſt contra humilitatem.* S. Thomas q. 162. a. 2. ad 2.

170 *Quanta ſit virtus humilitatis, diſce ex hoc, quòd propter hanc ſolam veraciter edocendam, is qui ſine æſtimatione magnus eſt, uſquè ad paſſionem mortis factus eſt parvus.* S. Gregorius lib. 4. epiſt. 38. Et ideò à S. Hieronymo epiſt. 27. ad Euſtoch. vocatur *Chriſtianorum virtus.* A S. Ambroſio in Pſal. 21. *Sanctorum virtus maxima* (poſt juſtitiam utique, & virtutes cardinales.) A S. Thoma q. 161. a. 5. ad 2. *totius ædificii ſpiritualis fundamentum.* Enimverò Mariæ humilitas cauſa fuit & fundamentum totius exaltationis, ſeu divinæ maternitatis ipſius: quia *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

171 Itaque non ſine ratione *Chriſtianorum virtus* dicitur, non ſolùm quia hanc Chriſtus præcipuè commendavit, ut per eam præcipuum ſalutis impedimentum auferret, quod eſt ſuperbia; ſed & quia Philoſophis antiquis incognita fuit, totaque Philoſophia ipſorum, comparatione ipſius, vanitas fuit. Nam, ut ſapienter Thomas à Kempis l. de Imit. Chriſti c. 2. *melior eſt humilis ruſticus, qui Deo ſervit, quàm ſuperbus Philoſophus, qui, ſe neglecto, curſum cæli conſiderat.* Nec utilis eſt ſine humilitate ſcientia: quia (ut ibidem proſequitur) *ſi vis aliquid utiliter ſcire & diſcere, ama neſciri, & pro nihilo reputari. Hæc eſt altiſſima ſcientia, & utiliſſima lectio, ſuiipſius vera cognitio & deſpectio.*

172 Gradus humilitatis, juxta ſanctum Benedictum in Regula ſunt 12. Juxta ſanctum Anſelmum in lib. de ſimilitudinib. ſunt ſeptem. Juxta Gloſſam in cap. 3. Matth. ſunt tres, ut videre eſt apud S. Thomam cit. q. 161. a. 6. in 1. 3. & 4. argumento. Primus gradus humilitatis, juxta ſanctum Anſelmum, eſt, *contemptibilem ſe eſſe cognoſcere.* Secundus, *de hoc dolere.* Tertius, *hoc confiteri.* Quartus, *hoc perſuadere,*

ut scilicet hoc velit credi. Quintus, *ut patienter sustineat hoc dici.* Sextus, *ut patiatur contemptibiliter se tractari.* Septimus, *ut hoc amet.* His addit sanctus Benedictus, *ut pauca verba, & rationabilia loquatur aliquis, nec clamosâ voce. Ut non sit facilis, aut promptus in risum. Ut sit taciturnus usque ad interrogationem. Ut credat, & pronuntiet se omnibus viliorem.* Juxta Glossam verò primus gradus humilitatis est, *subdere se majori, & non præferre se æquali, quod est sufficiens.* Secundus est, *subdere se æquali, nec præferre se minori; & hoc dicitur abundans.* Tertius gradus est, *subesse minori, in quo est omnis justitia.*

173 Quærit verò sanctus Thomas a. 3. *an, & quomodò homo possit, & debeat se omnibus per humilitatem subjicere?* Et respondet, quòd *in homine duo possunt considerari, scilicet id quod est Dei, & id quod est hominis. Hominis autem est id quod pertinet ad defectum; sed Dei est quidquid pertinet ad salutem, & perfectionem. Humilitas autem... propriè respicit reverentiam, quâ homo Deo subjicitur. Et ideò quilibet homo, secundùm id quod suum est, debet se cuilibet proximo subjicere, quantùm ad id quod est Dei in ipso. Non autem hoc requirit humilitas, ut aliquis id quod est Dei in seipso, subjiciat ei quod apparet esse Dei in altero: nam illi qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere,* secundùm illud 1. Cor. 2. *Ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Nec dubium quin Deipara cognoverit, se à Deo præ omnibus mulieribus benedictam, & exaltatam. *Et ideò, absque præjudicio humilitatis, possunt dona, quæ ipsi acceperunt, præferre Dei donis, quæ aliis apparent collata; sicut Apostolus ad Ephes. 3. dicit:* „ Aliis generationi„ bus non est agnitum filiis hominum, sicuti „ nunc revelatum est sanctis Apostolis. „ Et 2. Cor. 11. „ Existimo enim nihil me mi„ nus fecisse à magnis Apostolis... In quo „ quis audet.... audeo & ego. Ministri Chri„ sti sunt (ut minùs sapiens dico) plus ego.„ Et cap. 12. „ Nihil enim minùs fui ab „ iis qui sunt supra modum Apostoli. " *Similiter etiam hoc non requirit humilitas, ut aliquis id quod est suum in seipso, subjiciat ei quod est hominis in proximo. Alioquin oporteret, ut quilibet reputaret se magis peccatorem quolibet alio: cùm tamen hoc non sit absolutè verum, testeque Augustino de nat. & grat. c. 29. humilitas collocanda sit in parte veritatis, non in parte falsitatis.* Et ideò Apostolus absque præjudicio humilitatis dicit ad Galat. 2. „ Nos naturâ Judæi, & non ex „ Gentibus peccatores.„ *Potest tamen aliquis reputare, aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet, vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est: ex quo se potest ei subjicere per humilitatem, absque præjudicio veritatis.* Quia, ut ad 3. ait, *si nos præferamus id quod est Dei in proximo, ei quod est proprium in nobis, non possumus incurrere falsitatem. Unde super illud Philipp. 2.*[" Superiores sibi invicem arbitrantes, " *dicit Glossa, hoc ita intelligendum, ut verè æstimemus, posse esse aliquid occultum in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illi videmur superiores esse, non sit occultum.*

Dum autem 1. Timoth. 1. idem Apo- 174
stolus se dicit *primum peccatorem*, quorum *primus ego sum*, solùm vult se unum fuisse ex præcipuis, in illo utique statu considerato, in quo fuit antè conversionem; nec vult dicere, quòd nullus absolutè & simpliciter major fuerit ipso, in statu illo considerato; sed secundùm quid, pro quanto divinis abusus est gratiis, quibus abusi non sunt, qui eas non acceperant.

Numquid saltem humilitas justi requi- 175
rit, ut sibi persuadeat, quòd si quilibet alius æquales à Deo gratias interiores, exteriores que accepisset, quàm ipse, iis meliùs usus fuisset, meliùsque proinde vixisset? Respondeo negativè, simpliciter, & absolutè loquendo. Tum quia persuasio ista temeraria est: utpote nullo solido fundamento suffulta, nullâ utique revelatione, nec experientiâ, nec ratione, nisi falsitati obnoxiâ. Est etiam falsa: cùm impossibile sit, quòd quilibet verè hoc sibi persuadeat; cùm tamen quilibet esse debeat humilis. Tum quia nemo gratiis benè utitur, nisi Deus per gratiam ex se efficacem in ipso id operetur; hanc autem boni usûs gratiam quisquis accipit efficacem, benè eâ utitur. Nec proinde unquam contingit, quòd ex duobus, gratiâ per omnia interiùs exteriùsque æquali, præventis, unus eâ benè utatur, alius non: aliàs falsò Apostolus diceret: *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti?*

Itaque expressio, quâ sanctus Franciscus 176
se pejorem dixit gravissimo quovis peccatore, intelligi debet secundùm quid, & comparativè: comparatione utique factâ suarum imperfectionum cum aliqua vel aliquibus saltem perfectionibus quæ sunt in aliis, vel comparatione suæ naturæ cum aliorum gratia. Quemadmodùm si S. Augustinus, vel S. Thomas se omnium ignorantissimum dixisset, intelligi debuisset, comparatione factâ suarum ignorantiarum cum aliqua saltem scientia experimentali aliorum.

Et ratio prima est, quia verè humiles 177
ad suas dumtaxat imperfectiones, multaque peccata venialia attendunt; ad aliorum verò imperfectiones & peccata ex charitate non attendunt. Unde fit, ut de seipsis malè, de aliis benè judicent (nisi ad ipsos ex officio spectet aliorum defectus inquirere, de ipsisque judicare) consideratis iis ad quæ attendunt. Secunda ratio est, quia in aliis aliqua sunt Dei dona, quæ ipsi non habent. Nam, uti sanctus Gregorius dicit lib. 1. in

Ezech.

Ezech. homil. 10. *isti mirâ abstinentiæ virtus tribuitur ; & tamen verbum scientiæ non habet. Illi autem datur verbum scientiæ, & tamen virtutem perfectæ abstinentiæ apprehendere conatur, & non valet. Huic libertas vocis tribuitur, ut oppressis quibusque protectionis solatia impendens, ad defensionem justitiæ liberè loquatur : sed tamen adhuc multa in hoc mundo possidens, relinquere omnia vult, & non valet. Illi verò datum est omnia terrena relinquere, & nihil in hoc mundo cupit habere : sed tamen authoritatem vocis contra peccantes quosque non præsumit exercere, &c. Mirâ itaque dispensatione omnipotens Deus sic in electis suis dona dispensat, ut & isti det, quod alteri denegat ; & alteri majus, quod alteri minus tribuit : quatenùs dum vel iste habere illum conspicit, quod ipse non habet ; vel ille hunc magis accepisse considerat, quod sibi minùs adesse pensat. Dona Dei alter in altero, id est vicissim omnes admirentur ; atque ex hac ipsa admiratione humilietur alter alteri ; & quem videt habere quod non habet, eum divino judicio sibi prælatum putet.*

178 Quidquid tamen sit de illa S. Francisci expressione, tria potissimùm ad veram humilitatem requiruntur. 1°. ut homo verè noverit se, quid utique sit, quid non sit, quid possit, quid non possit, quid ex se possit, quid nonnisi ex Deo. Qualis factus ex peccato Adami, scilicet peccator, filius iræ, & non solùm omni favore, beneficio & gratiâ indignus, sed & pœnâ temporali æternâque dignus, mirum quantùm cæcus in intellectu, quantùm corruptus in voluntate, totâque animâ, per triplicem concupiscentiam, multasque passiones malas. Qualis quoque factus ex innumerabilibus peccatis propriâ voluntate admissis. Quantùm obligatus ad satisfaciendum Deo pro illis.

179 Quia verò parùm proficua est talis notitia in intellectu, nisi ei correspondeat proportionatus affectus in voluntate ; ad veram humilitatem 2°. requiritur, ut eum habeat affectum internum, qualem exigit miseriæ nostræ & vilitatis agnitio, efficacem utique, id est talem, ut circumstantiis exigentibus humiliter patiamur tractationem contemptibilem, sustineamus molesta, toleremus probra, subeamus vilia, declinemus sublimia, &c.

180 Efficacem (inquam) quia per dictam notitiam, affectusque inefficaces, non excluditur superbia : utpote quæ benè cum illis consistit.

181 3°. requiritur, ut dicta, & facta nostra interno illi affectui conformia sint. Et ista sunt, quæ continentur in septem gradibus humilitatis, à sancto Anselmo assignatis, sicut & in Regula sancti Benedicti, cùm dicit, quòd ad humilitatem requiratur corde, & corpore humilitatem ostendere. Credere & pronuntiare se omnibus viliorem, & ad omnia indignum & inutilem. Obedientiam in duris, & in asperis patientiam amplecti, &c.

Nec illud omittendum, quòd una ex præ- 182
cipuis proprietatibus humilitatis, est confessio gratiæ Dei, uti dicit sanctus Prosper, vel Leo Pontifex in epist. ad Demetriad. his verbis : *Humilitatis proprietas* (id est una ex præcipuis notis illius) *est in confessione gratiæ Dei*, non utique Molinisticæ, sed Augustinianæ. Quia vera humilitas maximè postulat, ut interiùs exteriùsque profiteamur, quòd dum boni aliquid benè agimus, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ita ut nobis verè dicatur : *Quis te discernit ? Quid habes quod non accepisti ?* Quòdque nihil boni habeamus, nec fidem, nec ullam aliam virtutem, nisi ex Dei dono. Quod non verè confitentur, qui solam gratiam Molinisticam, non Augustinianam admittunt, uti demonstratum est to. 1. l. 9.

Denique ad veram humilitatem spectat, 183
divinæ gratiæ, & misericordiæ deputare, quæcumque non fecimus peccata, juxta illud Augustini lib. 2. Confess. c. 7. *Gratia tua deputo..... quæcumque non feci mala. Quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi? Omnia mihi dimissa fateor, & quæ meâ sponte feci mala, & quæ te duce non feci. Quis est hominum, qui suam recogitans infirmitatem, audet viribus suis tribuere castitatem, atque innocentiam suam, ut minùs amet te, quasi minùs ei necessaria fuerit misericordia tua, quâ donas peccata conversis ad te ? Qui enim vocatus à te, secutus est vocem tuam, & vitavit ea quæ me de meipso recordantem & fatentem legit, non me derideat ab eo medico ægrum sanari, à quo sibi præstitum est, ut non ægrotaret, vel potiùs ut minùs ægrotaret ; & ideò te tantumdem, imò verò ampliùs diligat, quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis peccatorum languoribus non implicari.* Et lib. 50. homil. 23. *Agnosce gratiam ejus, cui debes & quod non admisisti.... Nullum est enim peccatum, quod facit homo, quod non possit facere & alter homo, si desit rector à quo factus est homo.* Et paulò antè : *Adulter non fuisti in illa vita tua præterita, plena ignorantiâ?... hoc tibi dicit Deus tuus : regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non committeres, suasor defuit ? ut suasor deesset, ego feci. Locus & tempus defuit ? & ut hæc deessent, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus ? ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admisisti.*

§. VI.

Taciturnitas.

Taciturnitas virtus est, quæ sermones 184
moderatur, secundùm quod scriptum est Psal. 38. *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Ad quæ ver-

ba Ambrosius lib. 2. offic. c. 2. *Sapiens ergo, qui novit tacere.... Ideò Sancti.... amabant tacere.... Quis est enim qui..... non delinquat in lingua sua? Et ideò Psalmista, quia neminem videbat sanctum, os servare posse ab immunditia sermonis, ipse sibi silentio legem posuit innocentiæ, ut tacendo culpam declinaret, quam vix effugere posset loquendo.... Quid igitur mutos esse nos oportet? Minimè. Est enim tempus tacendi, & tempus loquendi. Deinde si pro otioso verbo reddimus rationem, videamus ne reddamus & pro otioso silentio. Est enim & negotiosum silentium, ut erat Susannæ, quæ plus egit tacendo, quàm si esset locuta. Tacendo enim apud homines, locuta est Deo, nec ullum majus indicium suæ castitatis invenit, quàm silentium. Igitur alliga sermonem tuum, ne luxuriet....& multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, & ripis suis coërceatur. Citò lutum colligit amnis exundans.... Sit ori tuo ostium, ut claudatur, ubi, & quando oportet, & observetur diligentiùs.* Unde vitium taciturnitati oppositum est garrulitas, sive effrænis loquacitas.

§. VII.

Studiositas.

185 *Studiositas est* virtus, quæ sciendi appetitum, ipsumque studium moderatur, ut sciamus utique, quo ordine, quo studio, quo fine discere nos oporteat. *Quo ordine?* (quærit Bernardus serm. 36. in Cant.) *ut id priùs, quod maturiùs ad salutem. Quo studio? ut id ardentiùs, quod vehementiùs ad amorem. Quo fine? ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, sed ad ædificationem. Sunt namque qui scire volunt, eo fine tantùm ut sciant, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, v. g. pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt ut ædificent, & charitas est. Et sunt qui scire volunt ut ædificentur, & prudentia est. Horum omnium sibi ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ: quippe qui ad hoc volunt intelligere ut benè faciant.*

186 Huic virtuti per excessum opponitur *curiositas*, per defectum negligentiæ. *Curiositas* est vitium, quo scientiæ studium & appetitus à debito deficit ordine. Et hoc *quadrupliciter contingit*, ait S. Thomas q. 167. a. 1. *Uno modo, in quantum per studium minùs utile trahuntur aliqui à studio quod eis ex necessitate incumbit. Unde Hieronymus dicit:* „ Sacerdotes, dimissis Evangeliis, & Pro„ phetis, videmus comedias legere, vel ama„ toria bucolicorum versuum verba cantare. „ *Alio modo, in quantum studet aliquis addiscere ab eo, à quo non licet, sicut patet de his qui aliqua futura à dæmonibus perquirunt; quæ est superstitiosa curiositas. Unde Augustinus dicit in l. de vera religione:* „ Nescio an Philosophi „ impedirentur à fide vitio curiositatis in per„ cunctandis dæmonibus. „ *Tertio, quando homo appetit cognoscere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei. Unde Augustinus dicit in l. de vera Relig.* “ quòd in consideratione creaturarum, non est vana & peritura curiosi- “ tas exercenda, sed gradus ad immortalia, “ & semper manentia faciendus. „ *Quarto mo- “ do, in quantum aliquis studet ad cognoscendam veritatem supra proprii ingenii facultatem: quia per hoc homines de facili in errores labuntur. Unde dicitur Eccles. 3.* “ Altiora te ne quæsie- “ ris, & fortiora te ne scrutatus fueris, & in “ pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. “ *Et posteà sequitur*: “ Multos enim supplan- “ tavit suspectio eorum, & in vanitate deti- “ nuit sensus eorum. “

Est etiam vitiosa curiositas oculorum, si- 187 ve appetitus per eos, vel alios sensus, cognoscendi, si cognitio ad aliquid utile non ordinetur, sed vel ab aliqua utili consideratione mentem avertat, vel ordinetur ad solum cognoscendi finem, vel ordinetur ad malum finem, v. g. aspectus mulieris ad eam concupiscendam.

Denique vitiosa est curiositas, quâ quis in- 188 quirit facta aliorum, non ut inquirens ex bonis operibus proximi provocetur ad ipsius imitationem, vel ut ex officii debito proximum corrigat, vel ob alium honestum finem; sed vel merè ut inutiliter sciat, vel ut ipsum contemnat, vel ipsi detrahat, vel exprobret, &c. ut sanctus Thomas monet ibidem a. 2. ad 3. Unde Prov. 24. dicitur: *Ne insidieris, quærens impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus.*

Negligentia hîc accipitur pro voluntaria 189 omissione studii, ad discendum ea quæ discere, vel scire tenetur. Est peccatum mortale, si ex ea contingat aliquem ea ignorare, quæ sub mortali scire tenetur, ut Medicus, Advocatus, Confessarius, &c. ea quæ ad officium suum spectant, vel Christianus discere negligat articulos fidei, mandata Dei & Ecclesiæ, &c.

Juvenes etiam, ad studia academica missi 190 à parentibus, sicut & Religiosi à Superioribus ad studia deputati, graviter peccare videntur, si vel pecuniam parentum, vel intentionem Fundatoris bursarum, vel expectationem, voluntatemque Superiorum defraudantes, talentumque, sibi divinitùs datum, ad Ecclesiæ vel Reipublicæ ministerium, in terra fodientes, studia notabiliter negligant. Non solùm ob dictam defraudationem, sed & ob talentorum acceptorum abusum, in Evangelio gehennæ pœnâ mulctatum. Et quia causam voluntariam ponunt errorum, quos posteà in praxi ab ipsis committi contigerit in officiis Medicorum, Advocatorum, Confessariorum, &c. Qui profectò errores ipsis ad gravem culpam imputabuntur, tamquam voluntarii in causa, seu negligentia illa: utpote quam tempore studiorum committere non debebant, ne errores isti posteà sequerentur. Ita

Bannez 2. 2. q. 33. a. 3. Peyrinus to. 2. de Prælat. q. 2. c. 3. §. 24. Huygenius in suis observationibus de fortitud. temper. &c. cap. 8. n. 18.

§. VIII.

Eutrapelia.

191 *Eutrapelia*, seu jucunda urbanitas, virtus est ludorum, & jocorum moderatrix ad præscriptum rectæ rationis. Quia namque *sapientem decet interdum remittere aciem mentis*, rebus agendis intentam, ac præsertim ex contemplatione, vehementivè attentione defessam, uti docet Augustinus lib. 2. de musica cap. ult. constatque ex vulgato proverbio, *non semper arcum tendat Apollo*; necnon ex eo quòd virtus ex moderata recreatione crescat. Propterea requiritur dicta virtus, quæ ludos illos, jocosque moderetur. Quod fit, tria potissimùm cavendo. Primum est, ut vitetur jocatio scurrilis, petulans, offensiva, obscœna, vel parum honesta. Secundum, ut vitetur dissolutio, quâ gravitas animæ omninò resolvatur, juxta illud Ambrosii lib. 1. offic. c. 20. *Caveamus, ne, dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum.* Tertium, ut ne ulla desit circumstantia, secundùm rectæ rationis ordinem requisita, ad hoc ut ludi & joci congruant personæ, tempori, loco, &c.

192 Recta quoque ratio dictat, ludis & jocis parcè utendum. Quia, uti sapienter Tullius (à S. Thoma laudatus q. 168. a. 2.) *non ita generati à natura sumus, ut ad ludum & jocum facti esse videamur; sed ad severitatem potiùs, & ad quædam studia graviora, atque majora..... Ludo & joco uti licet, sed sicut somno, & quietibus cæteris, tum cùm gravibus seriisque rebus satisfecerimus.*

193 Scio à nonnullis objici Ambrosium loco citato c. 23. dicentem: *Licèt interdum honesta joca, ac suavia sint; tamen ab ecclesiastica abhorrent regula. Quoniam quæ in Scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodùm usurpare possumus?* Et infrà: *Non solùm profusos, sed omnes etiam jocos declinandos arbitror: plenum suavitatis & gratiæ sermonem esse, non indecorum.*

194 Verùm S. Thomas ubi suprà ad 1. respondet, *Ambrosium non excludere universaliter jocum à conversatione humana, sed à Doctrina sacra, quæ quia maximis rebus intendit* (secundùm illud Proverb. 8. „ Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum „) *prorsus abstinendum est ab usurpatione verborum sacrorum in jocis, & locutionibus vanis, vel profanis, ob eorum dignitatem, quæ tanta est, ut adimat jocandi facultatem. Nam, ut Tullius in* 1. *Rhetoric. ait*: „ aliquando rei dignitas „ adimit jocandi facultatem. „ Unde Tridentinum sess. 4. prohibet, ne quispiam *quomodolibet verba Scripturæ sacræ audeat ad profana, scurrilia, fabulosa, vana convertere.*

Quòdque sic intelligendus sit Ambrosius, 195
S. Thomas probat ex laudatis verbis ipsius: *Quoniam in Scripturis sanctis non reperimus ea quemadmodùm usurpare possimus.* Sic Ambrosium legit sanctus Doctor, non autem ut legit objectio. Et reverà jocorum usum in Scripturis sanctis reperimus. Genes. 26. *Vidit Abimelech Isaac jocantem cum Rebecca uxore sua.* 2. Reg. 6. *Ludebant coram Domino.* 1. Paralip. 13. *Ludebant coram Deo.* Et c. 15. *David saltantem atque ludentem.* Quòdque non omnis jocus & ludus Ecclesiasticos ac Religiosos dedeceat, probatur ex eo quòd *virtus ex moderata recreatione magis erigatur, quàm excidat, & tempestivâ laboris intermissione Religiosi fiant ad opus Dei vegetiores*, ut nostræ habent Constitutiones, à SS. Pontificibus approbatæ, p. 1. c. 18. n. 12.

2°. ex eo quòd etiam in ipsis procedat dis- 196
cursus S. Thomæ loco citato art. 2. ubi sic: *Sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem (quia non potest continuè laborare, propter hoc quòd habet finitam virtutem....) ita etiam ex parte animæ, cujus etiam est virtus finita..... Et ideò, quando ultra modum suum in aliquas operationes se extendit, laborat, & ex hoc fatigatur; quia in operationibus animæ simul etiam laborat corpus, in quantum scilicet anima intellectiva utitur viribus per organa corporea operantibus. Sunt autem bona sensibilia connaturalia homini. Et ideò quando anima supra sensibilia elevatur, operibus rationis intenta, nascitur inde quædam fatigatio animalis, sive homo intendat operibus rationis practicæ, sive speculativæ. Magis tamen si operibus contemplationis intendat, quia per hoc magis à sensibilibus elevatur..... Tantò autem aliquis magis altero fatigatur, quantò vehementiùs operibus rationis intendit. Sicut autem fatigatio corporalis solvitur per corporis quietem; ita etiam oportet quòd fatigatio animalis solvatur per animæ quietem. Quies autem animæ est delectatio..... Et ideò oportet remedium contra fatigationem animalem adhiberi per aliquam delectationem, intermissâ intentione ad insistendum studio rationis.*

3°. quia *in collationibus Patrum collat.* 24. 197
c. 21. *legitur*: „ quòd B. Joannes Evange- “
lista, cùm quidam scandalizarentur quòd “
eum cum discipulis suis ludentem invene- “
rant, dicitur mandasse uni eorum qui arcum “
gerebat, ut sagittam traheret. Quod cùm plu- “
ries fecisset, quæsivit, utrùm hoc continuè “
facere posset? Cui respondit, quòd si hoc “
continuè faceret, arcus frangeretur. Unde “
B. Joannes subintulit, quòd similiter ani- “
mus hominis frangeretur, si numquam à “
sua intentione relaxaretur. „ *Hujusmodi autem dicta vel facta, in quibus non quæritur nisi delectatio animalis, vocatur ludicra, vel jocosa* (prosequitur S. Thomas) *& ideò necesse est talibus interdum uti, quasi ad quamdam animæ*

quietem..... Et ideò circa ludos potest esse aliqua virtus, quam Philosophus 4. Ethic. 8. eutrapeliam nominat. Et sic eutrapelius dicitur qui benè convertit aliqua dicta vel facta in solatium, & in quantum per hanc virtutem homo refrenatus ab immoderantia ludorum, sub modestia continetur.

198 Ideò in 2. dist. 30. a. 5. in fin. corp. dicit quòd *ludere ad recreationem, servato modo eutrapeliæ..... sicut comedere & bibere, servato modo temperantiæ, meritorium est in eo qui charitatem habet, quâ Deum ultimum finem vitæ suæ constituit.*

199 Sunt tamen ludi quidam Clericis prohibiti, v. g. ludus alearum, quia cap. *Clerici* de vit. & honest. Cleric. ipsis severè prohibetur, ne isti ludo vacent, id est crebrò, multùmque aleis ludant. Unde Natalis Alexander Theol. Dogmat. & Moral. tom. 5. tract. de Sacram. Ord. c. 5. censet id ipsis prohibitum sub gravi crimine, & non solùm ludis aleatoriis ludere, sed & ludentes studiosè spectare. Quod facere non censentur, qui scientes & vôlentes non adeunt domos aut societates, in quibus aleâ luditur, aut in iis non morantur eo fine, ut hujusmodi ludo interfint; sed qui ex condicto, & deliberata voluntate, absque necessitate, in ea se loca conferunt, ubi aleâ luditur, ut eo spectaculo avidos pascant oculos. Hos autem graviter peccare, ibi probat ex eo, quòd in materia gravi transgrediantur Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos; uti probat ex Concilio Lateran. sub Innoc. III. can. 16. ex cap. *inter dilectos* extr. de excess. Prælat. atque ex Concilio Tridentino sess. 22. c. 1. de reform. anteriora Ecclesiæ decreta circa vitam & honestatem Clericorum, & nominatim circa aleas & ludos, renovante.

200 In Paralipomenis verò moralibus pag. 20. & seqq. id non solùm confirmat, sed & ampliùs probat ex Concilio Senonensi anni 1528. c. 25. ubi de Clericis dicitur: *A ludo alearum, aliisque qui à sorte pendent, abstineant; neque ludentium famores, spectatores, aut testes existant.* Ex Concilio Narbonensi anni 1551. can. 18. necnon ex Aquensi 1585. can. 9. Mechlinienſi 1607. tit. 18. ex Statutis Siffridi Archiepiscopi Colonienſis tit. de vit. & honest. Cler. quæ repetita, & confirmata sunt in Concilio Colonienſi 1310. Ex Synodo Nemausensi 1484. eod. tit. Ex Concilio Saltzburgensi 1420. cap. 4. Ex Synodo Carnotensi 1526. Et Statutis Synodalibus Stephani Poncherii, Episcopi Parisiensis, necnon Illustriss. ac modò Eminentiss. D. Antonii Ludovici de Noailles, ejusdem Regiæ Civitatis Archiepiscopi anno 1691. editis.

201 His addit Statuta Synodalia Petri de Colle-Medio, Rothomagensis Archiepiscopi, sicut & Decreta Concilii Mediolanensis, & Mexicani. Addit denique authoritatem sancti Raymundi. Et subdit: " Quis grave peccatum esse neget, leges Ecclesiæ sacratissimas ac mandata in materia gravi violare? ..... aleatorios ludos, non modò sancti Patres & Concilia damnant, sed & Justinianus Imperator Novellâ 122. & non solùm Imperatores, sed & Reges, & Gentiles ipsi, & hæretici bonis moribus contrarios pronuntiant. "

202 Ab iis ut Clericos averteret Ecclesia, non solùm prohibuit, ne taxillis, aut chartis, aliisve hujusmodi ludis luderent, verùm etiam ne ludentes spectarent; quemadmodùm illis prohibuit ingressum popinarum, ut eos à crapula & ebrietate penitùs averteret, quæ gravia sunt in sacris hominibus, quàm in sæcularibus crimina..... Ludis aleatoriis non solùm ludere, sed interesse, ac ludentes spectare, sub gravissimis pœnis prohibent frequentia Concilia, etiam Generalia: quis prævaricatores sacrarum sanctionum à gravi crimine excuset? Quis temeritatis non damnet Anonymum Authorem, aliosque farinæ similis homines, qui canones illos vim legis ampliùs non habere effutiunt? Quis non potiùs auscultandum censeat sacræ Synodo Tridentinæ sess. 22. cap. 1. de reform. canones illos innovanti, & sess. 25. c. 18. de reform. declaranti, fideles omnes, & maximè Clericos, ad observantiam sacrorum Canonum pro virili sua parte adstringi: *Sciant universi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad fieri potest, indistinctè observandos?*

203 Quis inconcussum illud S. Thomæ principium non amplectatur 2. 2. q. 97. a. 5. *Si maneat ratio eadem propter quam lex primò utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit?* At eadem ratio manet, propter quam Ecclesia in Conciliis frequentibus Generalibus, Provincialibus, Diœcesanis, prohibuit Clericis, non solùm ne taxillis & chartis luderent, verùm etiam ne hujusmodi ludis interessent, ac ludentes spectarent. Eandem igitur vim habent Canones, quibus id vetitum, quæcumque consuetudo seu verius corruptela contra invaluerit.

204 Quamvis autem grave peccatum esse dixerim, sic ludentes spectare; non tamen lethale semper peccatum esse scripsi, nec fieri posse ut aliquando veniale sit, propter circumstantias. Quemadmodùm enim à peccato mortali excusandos censeo (cum S. Antonino, cujus verba retuli in eodem Theologiæ nostræ Moralis loco) illos qui non ex cupiditate, sed ob recreationem, ut modicum quid, ut pueri, & moderatè ludunt; ita nec gravis peccati reos existimo, qui sic ludentes spectant, &c. " Hactenùs Natalis Alexander.

205 An autem lucrum ex ludo aleatorio acceptum restitui debeat? Respondet sanctus Thomas in 4. dist. 15. q. 2. quæstiunc. 3. ad 2. *Si lucratus est ab eo, qui non habuit po-*

testatem alienandi, tenetur ad restitutionem ei... Si autem lusit cum eo qui potestatem habet alienandi quæ sua sunt, si tractus lusit, & amisit, potest repetere: si lucratus est, non tenetur restituere. Quia ille qui amisit, non est dignus recipere; nec potest licitè retinere, secundùm jus positivum, sed debet in eleëmosynam erogare: *nisi jus positivum per contrariam consuetudinem esset alicubi abrogatum. Si autem alium traxerit, si amisit, non competit ei restitutio; si autem lucratus est, tenetur ad restituendum illi, à quo lucratus est.* Sed hac de re plura libro sequenti.

206 Ex dictis patet 1°. eutrapeliam non permittere ludos vetitos. 2°. quamplurimos contra eutrapeliæ virtutem peccare per excessum, vel ludis vetitis ludendo, vel nimis dissolutè & profusè jocando, vel etiam verba offensiva, aut turpia, vel scurrilia proferendo. Qua in re committi potest mortale peccatum, uti docet sanctus Thomas q. 168. a. 3. addens, quòd *alio modo potest esse excessus in ludo, secundùm defectum debitarum circumstantiarum, puta cùm aliqui utuntur ludo, vel temporibus, vel locis indebitis, aut etiam præter convenientiam negotii, seu personæ. Et hoc quidem quandoque potest esse peccatum mortale, propter vehementiam affectûs ad ludum, cujus delectationem præponit aliquis dilectioni Dei, ita quòd contra præceptum Dei, vel Ecclesiæ, talibus ludis uti non refugiat, v. g. tempore quo tenetur Sacrum audire. Quandoque autem est peccatum veniale, puta si aliquis non tantùm afficitur ad ludum, quòd propter hoc velit aliquid contra Deum committere*, vel si aliquis ultimatè ludat propter voluptatem. Nam, ut Philosophus ait 10. Ethic. 6. *delectationem, & quietem non propter se debet aliquis quærere in humana vita, sed propter operationem.* Miratur proinde Boudartius hîc, quòd nonnulli Casuistæ in hac parte Philosophum, tantoperè aliàs adamatum, & sanctum Augustinum relinquant, ut sequantur partes Juliani, jurati hostis Ecclesiæ & Augustini.

Denique aliquando etiam per defectum 207
peccatur contra virtutem eutrapeliæ, dum scilicet aliquis adeò durus est & agrestis, ut nihil unquam delectabile exhibeat in conversatione, estque molestus delectationem exhibentibus, honestèque jocantibus & ludentibus. Ita sanctus Thomas ibidem. *Hoc enim* (inquit) *vitiosum est, & tales dicuntur duri & agrestes, ut Philosophus dicit in 4. Ethic.* Unde Seneca dicit: *Sic te geras sapienter, quòd nullus te habeat tamquam asperum, nec contemnat quasi vilem.*

LIBER NONUS.

AMOR JUSTUS,

Sive

DE JURE ET JUSTITIA.

1 *APparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut.... justè.... vivamus in hoc sæculo.* Apparuit utique, non solùm ut foris per tradita præcepta, sed & præcipuè ut intùs per Spiritum sanctum diffusâ charitate, veræ justitiæ legem scriberet in cordibus nostris. Charitatis proinde infusio, est ipsa *gratia erudiens nos, ut justè vivamus in hoc sæculo.* Gratia quippe ista erudit nos, ut sua cuique tribuamus: Deo scilicet amoris principatum; proximo, quidquid ipsi stricto est jure debitum; nec ipsi faciamus quod nobis fieri nolumus; quidquid autem nobis fieri volumus, & ipsi faciamus, benefaciendo, malum pro malo non reddendo, nullam ipsi injuriam faciendo, &c. Eâdem gratiâ erudiente didicimus, quòd (ut Aug. ait in Ps. 61.) *est quædam justitia manens, à qua si recedis, injustus es; ad quam si accedis, justus es; te recedente, non defecit; te accedente, non crescit. Sed ubi est illa? transcende omnia creata; vade illuc ubi semel locutus est Deus, & ibi invenies fontem justitiæ. Ex illo fonte profluit ille ordo justitiæ, ut serviens Deo animus rectè corpori imperet, & in ipso animo, Domino Deo subjecta ratio, rectè imperet libidini, cæterisque vitiis*, prout Augustinus loquitur lib. 19. de Civit. Dei cap. 2. Denique, eâdem gratiâ erudiente didicimus id præstare, quod S. Prosper, seu potiùs Julianus Pomerius lib. 3. de vit. contemplat. cap. 23. ait: *Si in hac vita justitiam conamur implere, cujus justitiæ opus est proprium, sua cuique tribuere, Deo nos, à quo sumus facti, reddamus; nec dominari ea nobis, quibus naturaliter præpositi sumus, permittamus. Dominetur vitiis ratio; subjiciatur corpus animo; animus Deo, & impleta est hominis tota perfectio. Ac per hoc & nos justitiæ facti participes, sua cuique tribuimus, si inferiora melioribus, & virtutibus carnalia oblectamenta subdamus: & sicut viventia vitâ carentibus,*

sensibilia viventibus, intellectualia sensibilibus, immortalia mortalibus ratiocinando præponimus; ita benè vivendo, voluptuosis utilia, utilibus honesta, sanctis perfecta omnia præferamus. Hic est ordo naturæ atque justitiæ (inquit cap. 27.) *quem qui tenere voluerit & observare, perfectionem vitæ actualis complebit.* Beati proinde qui esuriunt & sitiunt justitiam istam.

CAPUT I.

Justitiæ definitio ac divisio.

2 NOn agimus hîc de justitia universaliter sumpta pro quacumque virtute, vel virtutum omnium complexione; sed de justitia specialiter accepta, ex Cardinalibus una. Definiri solet ex Ulpiano L. justitia ff. de just. *perpetua & constans voluntas jus suum cuique tribuendi.* Dicitur 1°. *perpetua*, non ad significandam perpetuitatem actûs, sed objecti. Neque enim actus justitiæ perpetuò durare debet, sed esse debet voluntas tribuendi omni tempore, & omnibus in negotiis unicuique jus suum.

3 Dicitur 2°. *constans*, ad significandum, quòd voluntas tribuendi cuique jus suum, esse debet firma, plena & fortis.

4 Dicitur 3°. *cuique*, id est alteri cuicumque personæ. Quia ejusdem ad seipsum non est propriè justitia, & in hoc justitia differt ab aliis virtutibus moralibus, non per particulas præcedentes: cùm omnis virtus esse debeat constans ac perpetua.

5 Dicitur 4°. *jus suum*, id est strictâ obligatione secundùm æqualitatem rei ad rem debitum, quòdque, si corporale sit, vel externum, etiam ab invito secundùm leges exigi potest, juxta L. 188. ff. de verbor. signific. ibi: *Debitor intelligitur is à quo invito pecunia exigi potest.* Ac per hoc justitia differt à religione, pietate, &c.: quia debitum religionis, pietatis, &c. non est debitum strictè acceptum. Tametsi enim objectum religionis, pietatis, &c. sit alteri debitum, debitum istud non est ad æqualitatem servandum: cùm ad æqualitatem reddi nequeat, nec unquam exhauriri, juxta illud: *Diis, parentibus & magistris non possumus condignè retribuere.* Et ideò religio, pietas, &c. sunt quidem partes potentiales justitiæ; non sunt tamen partes subjectivæ, id est species justitiæ, sed virtutes annexæ, seu affines justitiæ.

6 Dicit etiam S. Thomas, dicunt & Theologi passim, in eo justitiam à reliquis differre virtutibus, quòd justitia attingat medium rei, reliquæ verò virtutes medium rationis dumtaxat. Cujus rationem dat S. Thomas q. 58. a. 10. quia justitia non versatur principaliter circa animi passiones, sicut aliæ virtutes morales; eò quòd utique ad proprium officium ipsius non spectat passiones moderari (cavendo v. g. ne homo nimis irascatur, nimis timeat, &c. sicut spectat ad officium fortitudinis, temperantiæ, mansuetudinis, &c.) sed primariò & principaliter versatur circa externas operationes; eò quòd utique per eas nos ordinet ad alterum ex proprio officio, non curando utrùm ex ira, vel alia passione, à nobis ponatur æqualitas cum jure ipsius, sed hoc unum attendendo, ut tantum ipsi demus, quantum debemus. Tametsi secundariò & indirectè passiones quandoque moderetur, quatenùs in officii sui exercitio ab ipsis impeditur. Quomodò justitia aliquando imperat temperantiam v. g., ut suppetat, quo creditori satisfiat.

7 Alio adhuc modo justitia attendit medium rei, non rationis, uti fortitudo, temperantia, &c. Quia justitia præcisè spectat quid, & quantum quis alteri debeat, non considerando per rationem, qualis sit persona quæ debet, quod tempus, quis finis, quis modus quo debitum contractum est & solvendum (uti considerari debet ad exercendam fortitudinem, temperantiam, &c.) siquis enim debet centum florenos v. g. sive sit sanus, sive ægrotus, sive Rex, sive plebeius, quocumque demùm tenore, fine, & modo (dummodò justo) debitum illud contraxerit, debet præcisè solvere centum. Temperantia verò non habet eamdem mensuram pro quacumque persona, sed variam pro varia dispositione, & conditione personarum. Aliam enim mensuram sibi sumit sanus, aliam ægrotus, aliam puer, aliam senex, &c. prout recta ratio dictat, nec ullus cibus est, vel potus, qui omnibus illis temperatè viventibus debeatur.

8 Atque hinc patet, quòd qui debet, & potest solvere mille, & solùm solvit centum, non exercet actum justitiæ. Quia non solvit ipsi ad æqualitatem debiti: secùs, si non possit hîc & nunc solvere, nisi centum. Quia proprium justitiæ est solùm exigere æqualitatem, dum possibilis est, maximè cùm homo solùm potens hîc & nunc solvere centum, formaliter & in actu secundo hîc & nunc non debeat nisi centum, etiamsi radicaliter & in actu primo debeat mille. Cùm nemo formaliter & in actu secundo debeat ultra posse.

9 Famosa est divisio, quâ justitia ab Aristotele, & sancto Thoma dividitur in publicam, seu legalem, & privatam. Legalis, seu publica, est virtus, per quam membrum Reipublicæ tribuit Reipublicæ jus suum, seu quod ipsi strictè debet; diciturque legalis, quia non provenit ex privata conventione vel pacto, sed ex publica lege, quæ omnia Communitatis membra afficit. Estque justitia propriè dicta, quatenùs strictam parit obligationem; eatenùs tamen non est perfectè justitia, quatenùs non est perfectè ad alterum: eò quòd pars perfectè seu adæquatè non distinguatur à toto.

10 Justitia privata est, quâ privatus privato, sive pars Reipublicæ, alteri parti reddit quod ipsi

ipsi strictè debitum est. Pars quippe Reipublicæ dupliciter comparari potest, vel scilicet ad totam Rempublicam, velut pars ad totum; & justitia quam respectu ipsius observat, est justitia publica, vel ut pars ad partem ejusdem, vel alterius Reipublicæ; & justitia quam ei præstat, est justitia privata.

11 Dixi cum S. Thoma q. 101. a. 3. justitiam legalem esse justitiam propriè dictam, quatenùs strictam parit obligationem, per hanc intelligendo obligationem specialem, id est specie distinctam ab obligatione virtutum à justitia distinctarum: quia quod debetur ex justitia legali, etiam ab invito exigi potest & auferri, reddique potest, & debet ad æqualitatem. Tametsi enim Reipublicæ, ut principio ortûs nostri ac subsistentiæ, ad æqualitatem reddi nèqueat; benè tamen Reipublicæ, consideratæ, ut est Communitas quædam civilis. Cui dum civis operas suas locat, Respublica debet ipsi pactam mercedem reddere ex justitia strictè sumpta, sicut & in casu quo Respublica civi mutuaret aliquid, illud civis ex stricta justitia restituere teneretur. Eo nihilominùs casu adhuc differt à justitia commutativa: utpote non respiciente bonum commune, quà tale, uti ex proprio officio respicit justitia legalis; quæ propterea virtus est specialis, ut benè Sylvius hîc: eò quòd ex proprio officio habeat objectum formale ab aliarum virtutum objectis formalibus distinctum, scilicet debitum partis ad Communitatem, consideratam ut talem. Propter quod dixi, quòd ex officio suo primario respiciat bonum commune, quà tale. Quod aliæ virtutes non respiciunt, nisi secundario: eò quòd ex officio suo ordinentur ad particularem finem suum proximum, non ad commune bonum. Videri potest Ambrosius lib. 3. de virgin. ubi de justitia legali sic loquitur: *Justitia in alto quodam suggestu locata videt, exploratque omnia, quæ aliis potiùs nata quàm sibi, non tam ad suam utilitatem, quàm publica emolumenta rimatur.*

12 Pietas quidem erga Patriam respicit id quod ipsi debetur; non tamen id quod ipsi debetur, ut Communitas est, sed ut essendi, gubernandique principium est. Obedientia verò respicit præceptum Superioris, ut præceptum est, non ut strictâ obligatione debitum est.

13 Solius tamen justitiæ legalis violatio, juxta communem sententiam, non obligat ad restitutum, nisi eos quibus ex officio incumbit communis boni conservatio; non eos, qui commune bonum in periculo constitutum negligunt, vel privatum bonum suum ei præponunt, nisi interveniat contractus inter Communitatem, & privatum membrum ipsius, ut suprà n. 10.

14 Justitia privata subdividitur in commutativam, & distributivam. Commutativa (sic dicta, ex eo quòd communiter fiat in commutationibus) est illa, quæ versatur circa æqualitatem servandam in contractibus, permutationibus, & aliis, in quibus personæ privatæ inter se servare debent æqualitatem rei ad rem. Distributiva illa dicitur, quæ versatur in distributione bonorum, & onerum communium, scilicet officiorum, beneficiorum, tributorum, &c. & in iis servat æqualitatem geometricam, id est proportionatam ad merita, qualitates, conditiones, &c. ita ut qualis est proportio inter merita, talis etiam proportio servetur in distributione bonorum communium. Commutativa verò servare dicitur æqualitatem arithmeticam. Quia geometrica attendit proportiones, earumque inter se comparationem, considerando v. g. quòd sicut tectum parvum se habet ad parvam domum; ita magnum ad magnam. Justitia namque distributiva, v. g. onerum communium, non exigit ut quilibet civis idem præcisè onus subeat, sed cum proportione, ut ditiores majora, minùs divites minora onera subeant. In distributione verò communium bonorum, v. g. summæ pecunianæ, quam Rex dat exercitui distribuendam, secundùm merita singulorum, justitia distributiva considerat, quòd si benè meritus ut duo, tres accipiat aureos; benè meritus ut quatuor, accipere debeat aureos sex: cùm sic se habeat meritum ut quatuor, ad aureos sex, sicut meritum ut duo, ad aureos tres. Commutativa verò non considerat, nec comparat ejusmodi proportiones, uti nec Arithmetici ad eas attendunt; sed sicut isti præcisè comparant numerum ad numerum, v. g. duo ad duo, sine ulteriori comparatione; sic justitia commutativa præcisè comparat rem ad rem, rem scilicet redditam, ad rem debitam, non habitâ ratione conditionis personarum, an videlicet dives sit, an pauper, an benè merita, vel non, &c. Et ideò servare dicitur æqualitatem arithmeticam.

Justitiæ distributivæ sæpè annexa est 15
commutativa, dum v. g. summa centum aureorum testamento relicta est pauperibus certæ Communitatis distribuenda, juxta cujusque indigentiam: tunc enim pauperibus istius Communitatis distribuenda est ex justitia commutativa, cum obligatione restitutionis, si aliis pauperibus distribuatur: sed iisdem distribuenda quoque est ex justitia distributiva, quatenùs cuique eorum distribuenda est, juxta cujusque indigentiæ proportionem.

Obligatio tamen restitutionis tunc non 16
exurgit ex violatione justitiæ distributivæ, sed commutativæ dumtaxat: utpote quæ obligationem illam sola inducit. Et hoc, quia justitia distributiva non supponit jus strictum in iis quibus distribuenda sunt bona communia, sicut commutativa supponit: utpote ex officio efficiens, ut quisque habeat rem suam, nec eâ privetur invitus, nec

etiam impediatur eam facere suam, si ex contractu vel quasi contractu sibi debita sit, ita ut saltem habeat strictum jus ad rem, in ordine ad faciendam eam suam. Quod jus manet adhuc post læsam justitiam commutativam, dum v. g. sua ipsi res furto sublata est; quia ex ista violatione manet obligatio reducendi inæqualitatem, furto factam, ad æqualitatem. Justitia verò distributiva, præterquàm quòd jus illud strictum non supponat, ut dixi, exigit quidem ut bona communia juxta proportionem geometricam distribuantur; sed si aliter distributio facta fuerit, v. g. per acceptionem personarum, motivum ipsius, adeòque & officium cessat; quia jam distribuenda non supersunt bona communia. Tametsi enim injustus distributor ex bonis propriis defectum distributionis suppleret, ex bonis equidem communibus non suppleret; quorum dumtaxat distributio spectat ad proprium officium ipsius.

17 Si tamen ille, cui Respublica commisit distributionem officiorum communium, indigno ejusmodi officium conferret, teneretur ad restitutionem damnorum, Reipublicæ ex hoc obvenientium, quatenùs agens contra obsequium Reipublicæ promissum, contractumque cum ea virtualiter initum; adeòque violator justitiæ commutativæ, tunc annexæ distributivæ.

18 Similiter justitiæ vindicativæ violator tenetur ad restitutionem damnorum, indè subditis provenientium; sicut mercenarius ad restitutionem damnorum, ex negligentia ipsius provenientium domino horti, pro cujus cultura, custodiaque stipendium accipit. Unde justitia vindicativa (quæ consistit in pœnis malefactoribus secundùm legem infligendis, pro cujusque merito) est actus elicitus justitiæ commutativæ; imperatus tamen à legali, eò quòd vindicatio illa per se primò respiciat bonum commune, pacem scilicet & quietem Reipublicæ.

CAPUT II.

Definitio ac divisio juris, quod est objectum justitiæ.

19 VOx *jus* æquivoca est, varias habens acceptiones. Primò namque sumitur pro jurisprudentia L. 1. ff. de justit. & jure. 2°. pro loco, in quo jus dicitur. Ibidem L. penult. 3°. pro sententia Judicis, qui propterea dicitur jus dicere, vel jus facere, dum sententiam fert. 4°. pro lege: quomodò dividitur in naturale & positivum. Positivum, in divinum & humanum. Humanum, in Ecclesiasticum & civile.

20 Verùm acceptiones istæ non sunt ad præsens intentum, sed illa sola quâ jus accipitur prout est objectum justitiæ. Quomodò sumptum à Lessio l. 2. c. 2. non benè definitur, id cujus violatio constituit injuriam. Quia hoc est ignotum per æquè ignotum definire: neque enim magis notum est quid injuria sit, quàm quid sit jus. Estque perinde ac si debitum obedientiæ definiretur id cujus violatio inobedientiam constituit. Nec definitio illa sine vitioso est circulo: cùm ii qui jus sic definiunt, posteà injuriam definiant, juris alieni violationem, tametsi jus non sit correlativum injuriæ, nec contrà, magis quàm obedientia inobedientiæ.

Jus itaque, prout justitiæ objectum, ob- 21
jectivè sumptum est *suum cujusque*; sumptum verò potestativè, est legitima potestas rem aliquam obtinendi, retinendi, utendi, vel de ea propriâ authoritate disponendi ad usus lege permissos, tamquam sua.

Dicitur 1°. *legitima potestas*, id est lege con- 22
cessa. 2°. *rem aliquam*, per rem generaliter intelligendo, vel ipsam rei substantiam, vel usum illius, aut servitutem illius, vel functionem, aut quasi functionem, &c. 3°. *propriâ authoritate*, ad explicandum quid sit disponere de re tamquam sua. Qui enim de re tamquam sua disponit, propriâ authoritate disponit. Quod non facit qui v. g. ad prandium invitatus, cibos alienos manducat; ideò namque cibos non suos, sed invitantis comedit, quia non suâ, sed ipsius authoritate, nec pro sua, sed ipsius voluntate manducat. 4°. *tamquam sua*, vel scilicet jam in actu secundo acquisita, & possessa, vel cujus acquisitio possessioque ipsi strictè debita sit ex testamento, donatione, vel alio contractu, vel electione, resignatione, seu alio titulo inducente speciale debitum, ad æqualitatem servandum, vi cujus actio detur adversus impedientem, vel auferentem rem illam, te rationabiliter invito.

Et hinc jus, prout est justitiæ objectum, 23
est duplex, jus scilicet in re, & jus ad rem. Jus in re est, quo rem ipsam habes jam tibi devinctam. Jus ad rem, quo eam nondum habes tibi devinctam; eò quòd nondum simpliciter & absolutè facta sit res tua, sed solùm tibi competat facultas eam faciendi tuam, fundata in legitimo titulo inducente strictum debitum ut tua sit. Tale jus habetur per promissionem, donationem, emptionem, ante traditionem rei. Tale quoque jus habet legitimè electus, postulatus, præsentatus ad beneficium, ante institutionem vel confirmationem. Eâ verò habitâ, acceptâque possessione, habet jus in re, sicut & emptor donatarius, &c. secutâ traditione.

Jus ad rem à variis confunditur cum per- 24
sonali, jus in re cum reali. Dicunt enim jus ad rem, illud esse, quod parit actionem personalem; jus in re, quod parit actionem realem. Et reverà jus ad rem utplurimùm gignit actionem personalem (id est immediatè in personam, non in rem) sed non semper. Quia jus quod agri dominus habet in fructus illius, nondum existentes, sed futuros, non est jus in re, sed ad rem (cùm res nondum existens in se non possit adhuc esse devincta) non est tamen jus personale, seu in personam, id est

non

non parit actionem personalem, dum à nemine impeditur.

25 Jus ad rem debilius est; acquiriturque & deperditur faciliùs, quàm jus in re : ad cujus acquisitionem tria requirunt Doctores. Primum est rei existentia. Secundum, justus titulus, v. g. donationis, emptionis, &c. Tertium, traditio rei, ut habetur L. *traditio* C. de pactis, & §. *per addit.* Instit. de rerum divis. Ad acquirendum tamen jus in re circa res incorporales, id est quæ tangi non possunt, sed solâ mente percipi (cujusmodi sunt officia, beneficia, servitutes, jura successionum in hæreditates, &c.) non semper requiritur traditio, sed plerùmque sufficit collatio, & acceptatio, v. g. beneficii Ecclesiastici, cap. *si tibi absenti.* tit. de beneficiis in 6. Harum tamen rerum possessio non acquiritur ante apprehensionem per aliquem actum sensibilem, v. g. per sessionem in Cathedra Episcopali.

26 Præcipua species juris in re est dominium, de quo infrà. Dantur tamen aliqui casus, in quibus jus in re habetur absque dominio. Primus est, dum rem alienam quis cum titulo, bonâ fide possedit, si ipsi furto, seu injustè auferatur, potest rem illam, ubicumque repertam, actione reali repetere; habet proinde in eam jus in re; non tamen dominium, si eam non præscripserit.

27 Secundus casus, quando quis rem accepit in pignus, vel hypothecam : tunc enim habet in eam jus in re, tametsi non sit dominus pignoris, vel hypothecæ.

Tertius est, quando quis habet jus servitutis, vel alium titulum, quo tenet rem sibi immediatè obligatam, v. g. obligatione decimarum inde percipiendarum. Tunc enim competit ipsi jus in re, & actio realis, ad quemcumque res illa deveniat, quamvis non sit dominus illius.

CAPUT III.

Definitio ac divisio dominii.

28 Variæ sunt species juris in re, videlicet usus, usus-fructus, possessio, pignus, hypotheca, servitus, feudum, emphyteusis, &c. sed præcipua est dominium, quod amplè sumptum, definiri potest, jus propriâ authoritate disponendi de re aliqua, tamquam sua. Ubi ly *propriâ authoritate*, solùm additur explicationis gratiâ, ad significandum, quòd solùm habens potestatem delegatam regendi aliquos, in ipsos non habeat dominium, etiam jurisdictionis, licèt jus habeat regendi ipsos, velut sibi subditos : quia ipsos regere non potest authoritate propriâ, sed sibi delegatâ, seu commissâ.

29 Dominium sic definitum, dividitur in dominium jurisdictionis, & proprietatis. *Dominium jurisdictionis*, est jus, seu legitima potestas propriâ authoritate gubernandi subditos, non in suum; sed illorum commodum, præcipiendo scilicet, prohibendo, judicando, puniendo, &c. quod totum per se ordinatur in utilitatem subditorum : utpote quam recta gubernatio per se intendit. *Dominium proprietatis*, est jus, seu potestas legitima disponendi de substantia rei, tamquam sua, id est propriâ authoritate, & in proprium commodum. Dicitur *de substantia rei*, ad distinctionem dominii ab usu, & usu-fructu : siquidem usuarius, & usufructuarius disponere non potest de substantia rei, nec eam vendere, aut alienare, uti potest dominus. Dicitur etiam *in proprium commodum* : in eo namque dominium proprietatis differt à dominio jurisdictionis. Quod esse non videtur dominium propriè dictum. Neque enim Prælati Ecclesiastici subditorum suorum domini sunt, ut patet ex Matth. 20. *Principes gentium dominantur eorum; vos autem non sic.* Imò nec ipsi Reges ac Principes domini sunt subditorum suorum, propriè loquendo. Cùm subditi propriè non sint ipsorum servi seu mancipia : quamvis enim de ipsis disponere queant, ipsos gubernando; non tamen in proprium commodum : quod importare videtur dominium propriè dictum; quod etiam relationem importat ad servum seu mancipium, si sit dominium in personas.

Dominium proprietatis, aliud est ple- 30
num, seu perfectum; aliud non plenum, & imperfectum. Perfectum, est legitima potestas disponendi de substantia rei, & fructibus ipsius, tamquam suis. Cùm dico, *legitima*, intellige, quantùm per leges permittitur. Nam pupillus v. g. verè dominus est rerum suarum, uti dicit Apostolus ad Galat. 4. *Cùm sit dominus omnium*; de earum tamen substantia, ante legitimam ætatem, disponere non potest per donationem, aut venditionem : utpote quam leges vetant & irritant. Quòd si dispositionem aliquam lex prohibeat, non irritet; dispositio quidem erit illicita, sed non invalida. Dominium imperfectum, est legitima potestas disponendi, vel de sola re, non de emolumentis ejus; vel de solis emolumentis, non de re ipsa. Unde subdividitur in directum & utile. Directum est, quo quis habet solam proprietatem rei, non emolumentorum. Utile est, quo quis habet proprietatem emolumentorum, non ipsius rei, ita ut de emolumentis disponere queat, non de re ipsa. Tale dominium habet emphyteuta, feudatarius, usufructuarius, alio obtinente proprietatem rei, seu dominium directum, qui simpliciter vocari solet proprietarius.

Dominium perfectum à Juristis restringi 31
solet ad res corporales : quia ab ipsis definiri solet, *jus perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur.* Verùm Theologi non solùm admittunt verum dominium

rerum corporalium, aſt etiam ſpiritualium: cùm Deus verè ac propriè Dominus ſit Angelorum. Quidquid de eo ſit, non eſt niſi de nomine quæſtio, in qua neceſſe non eſt immorari.

CAPUT IV.

Dominium perfectum, ſeu in ſolidum, penes duos, in eamdem rem ſimul eſſe nequit.

32 REcentiores aliqui cenſent, dominium in ſolidum, in eamdem rem non poſſe quidem permanenter, ſeu pluribus inſtantibus, eſſe penes duos ſimul; poſſe tamen inſtantaneè, idque contingere in inſtanti donationis, quo unus alteri donat rem aliquam: hanc quippe in inſtanti donationis ſimul eſſe putant donantis & accipientis. Ita Cardinalis de Lugo, Arriaga, &c. Sed quare dicunt pluribus inſtantibus taliter eſſe non poſſe?

33 Reſpondent: quia alioqui ſequeretur, dari poſſe bellum juſtum ex utraque parte: quod non ſequitur ex eo, quòd in ſolo donationis inſtanti taliter eſſe queat. Cùm in inſtanti donationis, donator & donatarius in idem conſpirent. Non poſſunt autem ſimul in idem conſpirare, & non conſpirare.

34 Verùm hæc doctrina non videtur ſolida. Dicendum proinde 1°. dominium in ſolidum, eamdem in rem, penes duos ſimul eſſe non poſſe. Sumitur ex L. *Sicut certum* ff. §. *ſi duobus* ff. commodati. Et ratio eſt, quia dominus in ſolidum habet jus ad omnem uſum diſponendi de re, pro ſola voluntate ſua, independenter à voluntate alterius, qui poſſit ipſum impedire. Ergo fieri nequit, quòd alter ſimiliter ſit ejuſdem rei ſimul dominus in ſolidum. Aliàs & ipſe ſimiliter poſſet ad omnem uſum de ea diſponere independenter, &c. ac per conſequens unus alterum impedire poſſet, volendo v. g. uſum contrarium ei quem alter vellet; uterque proinde eſſet, & non eſſet in ſolidum dominus. Et ſi uterque eſſet, dabile eſſet bellum utrimque juſtum.

35 Dicendum 2°. ne uno quidem inſtanti id fieri poſſe. Si enim uno, poſſet & pluribus. Cùm eadem ſit ratio, nec minùs uno inſtanti conſectaria foret rationabilis diſcordia voluntatum, adeòque bellum utraque ex parte juſtum, ac pluribus, ut ſi Titius eo inſtanti, quo Cajo auferre vellet dominium in ſolidum libri ſui, illudque conferre Sempronio, Cajus id nollet.

36 Dicendum 3°. rei donatæ dominium, in inſtanti donationis, eſſe penes donatarium, non penes donantem. Sequitur partim ex proximè dictis, partim ex eo quòd non ſit de ratione donationis, quòd in inſtanti donationis rei donatæ dominium ſit penes donantem, prout conſtat ex inſtanti religioſæ profeſſionis, contractûſque matrimonialis. Eo quippe inſtanti religioſi & conjuges eſſe deſinunt ſui juris, juxta illud: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir.* Imò dominium, in inſtanti donationis, eſſe penes donantem, eſt contra rationem donationis in ſolidum: cùm hujuſmodi donatio ſit ceſſio, alienatio, & tranſlatio dominii à donante in donatarium. Atqui ceſſio, alienatio & tranſlatio dominii non ſtat cum dominio, ne in inſtanti quidem ceſſionis, alienationis & tranſlationis: cùm iſtud inſtans ſit inſtans deſitionis dominii in cedente, alienante & transferente; dominiumque inſtanti A. transferri à Titio in Cajum, ſit eo inſtanti deſinere eſſe in Titio, & incipere eſſe in Cajo, prout à ſimili patet in tranſlatione locali. Quo enim inſtanti Titius tranſit à loco A. in B. eſſe deſinit in A. & eſſe incipit in B.

Dices tamen 1°. Nemo dat quod non habet. Nullo ergo inſtanti dare quis poteſt, quod eo inſtanti non habet; uti conſtat in rebus phyſicis, quæ ut alteri exiſtentiam dent aliquo inſtanti, eam habere debent iſto inſtanti, nec ſufficit habuiſſe inſtanti immediatè præcedenti. 37

Reſpondeo hîc trahendam non eſſe paritatem à cauſis phyſicis: utpote quæ effectui non dant exiſtentiam, eam transferendo à ſe in effectum. Donatio verò libri v. g. ſit transferendo dominium illius à donante in donatarium: ad quam tranſlationem neceſſe non eſt quòd donans habeat dominium illius, eo inſtanti quo illud transfert, ſed ſufficit quòd immediatè antè habuerit, & in inſtanti donationis habeat illius retinendi poteſtatem, naturâ prius quàm donatio fiat, nihilque à donatione diſtinctum illius rei dominium auferat donanti.

Dices 2°. donatio eſt actus ſeu uſus dominii. Atqui nullus actus deſtruit potentiam cujus eſt actus. 38

Reſpondeo, quemadmodùm deſtructio rei eſt actus dominii illius deſtructivus, non conſervativus in inſtanti deſtructionis: utpote quo res eſſe deſinit; ſic donatio eſt actus dominii illius ceſſivus, alienativus & tranſlativus à donante in donatarium; non verò actus illius conſervativus in donante.

CAPUT V.

Separabilitas uſûs à dominio in rebus unico uſu conſumptibilibus.

QUæſtionem iſtam, licèt primâ fronte exigui videatur momenti, ſolemnem fecit paupertas Fratrum Minorum, à ſe abdicantium dominium, etiam in res unico uſu conſumptibiles, tam in communi, quàm in particulari; ſicut & paupertas in particulari cæterorum Religioſorum, quibus licèt in particulari concedatur uſus v. g. ciborum quos conſumunt; non conceditur tamen ipſis eorum in particulari dominium, magis quàm Fratribus Minoribus. 39

40 Tantosque quæstio ista aliquando tumultus excitavit in Ecclesia Dei, ut totum mundum turbarit, & ipsos etiam Pontifices inter se quodammodò divíserit, illiusque occasione Fratricelli tempore Joannis XXII. anno 1324. (contra ejusdem Joannis XXII. definitionem, mordicùs tenentes nec Christum, nec Apostolos quidquam habuisse, sive in communi, sive in particulari) facto schismate, substituerint Pseudopapam Petrum de Corvatia, aliàs de Corbario, Ordinis Minorum, sub Nicolai V. nomine, quem Pisis captum, Joannes XXII. in carcere detinuit, in quo obiit anno 1327. Hæresis illa tempore S. Antonini (prout ipse refert p. 4. tit. 12. c. 4.) adhuc vigebat, etsi aliqui ob eam Fabriani & Florentiæ forent combusti, ob eamdemque Michaël de Cesena, & Guilielmus Ockam à Joanne XXII. fuissent excommunicati.

41 Ad præfatæ igitur quæstionis enodationem, dici solet, Fratribus Minoribus competere quidem usum facti, sed non jus utendi, inter quæ licèt discrimen ostendi nequeat ex jure civili; ex jure tamen canonico ostenditur. Quia Nicolaus III. cap. *exiit qui seminat.* de verb. signif. dicit, quòd in rebus temporalibus sit considerare proprietatem, possessionem, usufructum, jus utendi, & simplicem facti usum, & postremo isto tamquam necessario egeat, licèt prioribus carere possit vita mortalium.

42 Est tamen circa hoc non modica difficultas, quomodò nempe usus facti licitus ac legitimus esse queat absque jure utendi? Nam, uti Joannes XXII. arguit in Extrav. *quia quorumdam* eod. tit. usus facti reputandus non videtur justus, cùm ille usus fuerit, cui jus non competebat utendi.

43 Ad hanc difficultatem plerique respondent, justum usum facti non posse quidem esse sine jure utendi ab alieno nutu dependente, semperque revocabili; posse tamen esse sine jure utendi independente & irrevocabili, quale requiritur ad dominium.

Sed contrà: revocabilitatem, & dependentiam à voluntate alterius, nec juri utendi, nec dominio officere, pluribus ostendi potest. 1°. in contractu venditionis cum onere revendendi cùm venditori placuerit. 2°. in donatione, quæ ob ingratitudinem revocabilis est juxta L. 1. Cod. de revocand. donat. 3°. in omni dominio rerum, quæ possidentur ab hominibus; quod à Dei voluntate semper est dependens, & ad nutum ipsius revocabile. 4°. in omni quod precario conceditur; precarium namque est quod ad utendum conceditur, quamdiù patitur qui concedit.

Propterea aliter olim, tempore Joannis XXII. responderi solebat, legitimum usum facti, absque jure utendi, esse posse quando usuarius est incapax juris utendi, prout incapaces sunt Minoritæ, & Religiosi in particulari.

At neque ista responsio difficultatem evacuabat: contrà enim objiciebatur, Minores esse incapaces legitimi usûs, si incapaces sint juris utendi, sine quo legitimum usum esse non posse prætendebatur.

Melius proinde difficultas ista solvitur, 45
dicendo, legitimum usum facti esse quidem non posse sine actuali jure utendi; posse tamen esse sine habituali jure utendi, nudumque usum facti, tam rerum unico usu non consumptibilium, quàm consumptibilium, esse legitimum, quotiescumque est actuale exercitium juris utendi, habitualiter existentis, non in ipso utente, sed in usum concedente dumtaxat. Et ita esse in Minoribus strictioris Observantiæ, tam in communi, quàm in particulari; licèt id ad perfectionem religiosæ paupertatis necessarium esse non videatur: eò quòd perfectissima sit illa paupertas, & Religio, quæ perfectissimè suo conformatur exemplari, paupertati utique Christi, & Apostolorum, quos in communi dominium habuisse, constat ex Evangelio, & Act. 4. definivitque Joannes XXII.

Dicendum itaque, usum facti legitimum 46
à dominio rei visibilis separabilem esse, non solùm in rebus unico usu non consumptibilibus, sed & in consumptibilibus, seu functionem recipientibus, prout Juristæ loquuntur. Ita Summi Pontifices Gregorius IX. Alexander IV. Nicolaus III. Bonifacius VIII. Clemens V. &c. apud Marchantium in fundamentis duodecim Ord. Minor. fund. 6. §. 3.

Probatur, quia id evidens videtur 1°. in 47
servo per modum causæ ministerialis distrahente pecuniam domini sui, nomine & in utilitatem ipsius. Distractio quippe illa ministerialis, est usus quidam à dominio distinctus, etiam in instanti distractionis. Quo enim instanti pecunia illa sic distrahitur, illius est ad quem distrahitur; anteà verò est domini; qui licèt per servum suum distrahere censeatur per modum causæ principalis; non tamen per modum causæ ministerialis.

2°. in servo comedente panem domini sui, 48
in ipsius obsequium & utilitatem, ut suas inde vires reparet, vel conservet, in obsequium ipsius.

3°. in invitatis ad convivium, qui consu- 49
munt cibos, non suos, sed domini invitantis, prout Nicolaus III. ait in citata Decretali *exiit qui seminat.* Idem ferè est in Religiosis (ob votum paupertatis incapacibus dominii in particulari) comedentibus in particulari cibos, non suos, sed Monasterii.

4°. in tutoribus, nomine pupilli, & pro- 50
curatoribus nomine domini disponentibus de pecunia ipsius, cujus non magis domini sunt, quàm domûs, quam nomine, & authoritate domini vendunt.

5°. in mercatoribus, quibus per societa- 51
tem quamdam pecunia committitur, communicaturque, quoad usum & lucrum, non

quoad proprietatem & dominium. De qua societate S. Thomas 2. 2. q. 78. a. 2. ad 2. dicit, quòd *qui committit pecuniam suam mercatori, vel artifici, per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet ejus, ita quòd cum periculo ejus mercator negotietur.*

52 Et confirmatur 1°. quia usus pecuniæ impediri potest, dominio non impedito (ut in pupillis) igitur & concedi, dominio non concesso. 2°. alienâ, non propriâ authoritate consumens alienum panem v. g. non est dominus illius, uti constat ex definitione dominii. Et cur magis esset dominus illius, quàm homo non suâ, sed Dei authoritate, ad salutem totius corporis sui, præscindens sibi membrum gangrenâ infectum, cujus solus Deus est Dominus? Princeps etiam in bello justo hostem occidens in propriam defensionem, non ideò est dominus vitæ ipsius: quia non suâ, sed Dei authoritate, id facit.

53 Objicies 1°. Licèt usus facti legitimus rerum unico usu consumptibilium realiter separabilis sit à dominio habituali & permanente (utpote ad quod requiritur jus ad factum, sive habitualis potestas utendi) non tamen à dominio actuali, momentaneo, & transeunte.

Respondeo negando antecedens: quia contrarium evincunt allata exempla. Evincit & ratio, quæ dictat, legitimum usum facti, sive legitimam consumptionem talis rei, æquè concedi posse absque dominio, etiam actuali & momentaneo, quàm destructio membri vel vitæ certis casibus à Deo concedatur, dominio actuali & momentaneo illius non concesso. Et quâ veritatis specie negari potest, homini à Deo concedi posse simplicem usum, seu consumptionem panis, retento sibi soli dominio illius, tam actuali, quàm habituali? Et si sic concedi queat à supremo Domino; quidni & à creato domino?

54 Objicies 2°. Quisquis legitimè consumit panem v. g. consumit independenter & irrevocabiliter à quocumque altero. Ergo consumit propriâ authoritate, & in suam utilitatem. Est ergo dominus illius. Probatur antecedens: quia legitima panis consumptio, dum est, sicut non potest non esse (ne aliàs simul sit, & non sit) ita non potest revocabilis esse.

Respondeo negando antecedens, cujus probatio solida non est: quia nimium probat, nimirùm legitimè consumentes Dei panem, eum consumere independenter à Deo; Religiosos quoque de licentia Superiorum utentes re unico usu non consumptibili, v. g. veste, pro quolibet instanti, quo actu utuntur, uti independenter & irrevocabiliter à licentia Superiorum suorum: utpote quæ revocabilis non sit dum est, ne possit simul esse, & non esse. Tametsi ergo legitima consumptio non possit non esse ex suppositione consequente quòd sit; potest non esse ex suppositione antecedente: quod sicut sufficit ad libertatem in concedente ad non concedendum; ita sufficit ad dependentiam à voluntate, seu libertate concedentis.

55 Objicies 3°. In instanti consumptionis prior dominus non retinet dominium rei, quæ consumitur; aliàs retineret dominium rei temporalis temporaliter inutile: utpote cujus usus ipsi foret impossibilis. Atqui dominium rei temporalis temporaliter inutile secundùm leges non datur.

Respondeo 1°. Licèt prior dominus, in instanti consumptionis, non retineat dominium rei quæ consumitur (quia quo instanti consumitur, destruitur, seu esse definit in rerum natura; definit proinde dominium, seu proprietas illius, uti Joannes XXII. dicit infrà n. 56.) non ideò transfert illud in consumentem: utpote qui licèt sit dominus actûs quo rem illam consumit, non est dominus authoritatis seu concessionis, vi cujus illam consumit, sed solus prior est dominus illius.

56 Respondeo 2°. utilitatem temporalem non esse de ratione dominii temporalis, sumpti in ea amplitudine, in qua sumitur à Theologis (utpote quod eo ipso temporale est, quo rei temporalis) sed solùm de ratione dominii strictè sumpti, secundùm acceptionem Juristarum, qui *temporalem utilitatem tantùm prospiciunt* (ait Nicolaus III. l. 5. decretal. tit. 12. c. *Exiit* de verb. signif.) ubi Theologi considerant quòd *concessio usûs, facta pauperibus, non est infructuosa domino: cùm sit meritoria ad æterna, & professioni pauperum opportuna, quæ tantò sibi censetur utilior, quanto commutat temporalia pro æternis.*

57 Objicies 4°. Assertio nostra usuras facere videtur licitas. Si enim in rebus unico usu consumptibilibus, usus & dominium sint duo realiter separabilia, duo proinde realiter distincta; consequenter sunt duo pretio æstimabilia: proinde usurarius poterit aliquid supra sortem exigere pro usu pecuniæ.

Respondeo negando antecedens. 1°. quia licèt usus dependens, & dominium sint duo separabilia; secus usus independens, quem usurarius mutuando concedit. 2°. quia in usuris exceditur adæquatum pretium rei conjunctim & usûs: dum enim redditur sors, redditur conjunctim & usus; ampliùs tamen exigit usurarius.

58 Objicies 5°. Assertioni nostræ contrarius esse videtur Joannes XXII. extrav. *ad conditorem*, & duabus sequentibus.

Respondeo 1°. assertionis nostræ patronos esse undecim Summos Pontifices, uti Marchantius ostendit loco citato. 2°. Joannem XXII. non dicere, eos qui rem alienam, unico usu consumptibilem, de consensu domini consumunt, esse dominos rei ipsius, in instanti consumptionis, seu destructionis:

cùm contrarium asserat his verbis : *In rebus usu consumptibilibus ..... per usum vel abusum usuarii, substantia talis rei esse desinit, & per consequens proprietas etiam inutilis non subsistit.* Solùm proinde velle, quòd rem illam consumentes, domini sint ipsius consumptionis, seu actûs quo consumitur. Quia (ut ait) *actus ipse utendi ad utentem pertinet, in quantum quis suorum actuum per liberum arbitrium & voluntatem dominus dicitur ..... non autem actus ille utendi ad eum pertinet, qui concedit alii, quòd in re sua actum illum valeat exercere.*

59 Respondeo 3°. Joannem quidem XXII. sustinuisse, quòd Fratres Minores esse nequeant simplices usuarii rerum, quæ unico usu consumuntur; quia *quòd in talibus rebus usus juris vel facti separatus à proprietate rei, seu dominio, possit constitui, repugnat juri, & obviat rationi*; id tamen ex fidei principiis non intulisse, sed ex apicibus juris civilis, & visâ sibi ratione humanâ. Id proinde ut fide certum ex Cathedra ut Pontificem non definiisse (prout ipse fatetur) sed ut Doctorem argumentando & disputando (prout ex contextu liquidò constat) opinionem suam per modum præambuli declarasse, ut viam sterneret certis ordinationibus quas authoritate Pontificiâ sub finem extrav. *ad conditorem* facere disponebat, easque contra invidiam præmuniret. Quarum ordinationum una fuit, quòd in bonis, quæ FF. Minoribus præstarentur, nullum jus, seu dominium Romanæ Ecclesiæ acquireretur, in vim Constitutionum à suis Prædecessoribus editarum, exceptis Ecclesiis, Oratoriis, officinis, libris, & vestibus divinis Officiis dedicatis, vel dedicandis. Altera, quòd nullus deinceps à quoquam, Papæ nomine, constitueretur Procurator sanctæ Romanæ Ecclesiæ, pro recipiendis, extorquendis, defendendis, seu administrandis bonis, quæ imposterùm Fratribus prædictis obvenire contingeret.

60 Respondeo 4°. Joannem XXII. sua illa dicta, disputata, & statuta finaliter submisisse determinationi Successorum suorum, in Diplomate *ne super iis*, dato Avenione 3. nonas Decembris anno decimo-nono sui Pontificatûs, prout refert Wadingus ad annum 1333. cujus Diplomatis instrumentum authenticum, Notarii publici manu subscriptum, habere se testatus est Marchantius ubi suprà fundam. 10. §. 5.

CAPUT VI.

Subjectum & objectum dominii.

61 SOlam naturam rationalem dominii capacem esse, constat ex definitione quâ dominium definitur, *facultas disponendi de re tamquam sua, &c.* cujusmodi dispositio libertatem supponit, quæ est in sola natura rationali. Deus proinde, Angelus, & homo, capaces sunt dominii. Etiam homo nondum rationis usum adeptus. Quia agnatam habet libertatem, radicalemque potestatem (licet per accidens impeditam) de re tamquam sua disponendi. Unde Galat. 4. *Hæres, quanto tempore parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium.*

Quæritur an & quale dominium competat servis & filiis-familias? Respondeo servos, vulgò mancipia, de jure communi, seu legum dispositione, dominos non esse rerum temporalium, benè famæ suæ; circa quam proinde injuria propriè dicta ipsis potest inferri, etiam à dominis, sicut & in vita, cujus licèt non sint domini, jus tamen habent ad illius conservationem, nec in vita & fama considerantur ut servi, sed ut homines. 62

In certis etiam casibus domini efficiuntur rerum temporalium. Primò ex tacito vel expresso domini consensu. Secundò, si res donetur servo eâ conditione ut ipsius, non domini, cedat dominio. De hoc tamen disputatur. Tertiò, si aliquid ipsi donetur in compensationem injuriæ ei illatæ, v.g. per injustam diffamationem, vel mutilationem. Quartò, si de necessariis ad sustentationem aliquid sibi subtrahant, vel ultra operas à domino impositas, aliquid operentur mercede dignum. 63

Quoad filios-familias, id est adhuc sub patria potestate constitutos, quæstio de triplicibus bonis esse potest, nimirùm 1°. de castrensibus, & quasi castrensibus. Castrensia sunt, quæ in militia, vel occasione illius acquisita sunt. Quasi castrensia, quæ acquisita sunt ratione militiæ sacræ, ratione beneficii ecclesiastici, vel officii Judicis, Advocati, Magistri, &c. Horum bonorum filiifamilias plenum habent dominium & administrationem. 64

2°. de bonis profectitiis, id est quæ à patre adhuc vivente proficiscuntur, vel patris causâ filiis dantur. Et istorum nec dominium directum habent, nec indirectum. 65

3°. de adventitiis, id est quæ propriâ industriâ, extra militiam sacram vel profanam, filii acquirunt, v. g. negotiando ex pecuniis mutuo acceptis, vel quæ filiis obveniunt per donationem alio quàm patris respectu factam, vel quæ fortuitò ab aliis derelicta inveniunt. Et horum dominium habent directum, sed non administrationem, nec usumfructum, nisi aliud obtineat loci consuetudo, vel pater administrationi renuntiet, vel bona illa filiis donentur cum conditione, quòd usus-fructus patri non obveniet, &c. 66

Solet etiam quæri, an Religiosi esse queant temporalium domini, & an Clerici sint domini bonorum beneficialium, patrimonialiumque, & quasi patrimonialium? 67

Ad 1. respondeo paupertatem religiosam ex se non excludere dominium in communi, sed in particulari dumtaxat; ideòque Religiosos solemniter professos, esse incapaces dominii in particulari rerum temporalium, cap. *cùm ad Monasterium* de statu Monach. pec- 68

care proinde exercendo aliquos dominii actus donando, recipiendo, utendo, retinendo, &c. independenter à voluntate Superioris. Votum tamen religiosæ paupertatis non solemne, cum dominio in particulari consistere in Scholasticis & Coadjutoribus Societatis, juxta Bullam Gregorii XIII. *ascendente Domino*. Peccant tamen ipsi contra votum paupertatis, independenter à voluntate Superioris, disponendo de rebus dominio suo subjectis; tametsi valida sit dispositio, juxta Cardinalem de Lugo, eò quòd nulla lex proferatur quæ ipsam invalidam reddat.

69 Ad 2. respondeo, Clericos esse dominos bonorum patrimonialium, & quasi patrimonialium, non beneficialium, seu ecclesiasticorum. Vide hoc sufficienter probatum l. 4. c. 29. & 30. Inter bona tamen quasi patrimonialia Vallensis ad titulum de pecul. Cleric. a. 5. non benè computat ea quæ Clerici acquirunt celebrando, concionando, confessiones excipiendo, Vicariæ temporali deserviendo, seu alias actiones spirituales & ecclesiasticas exercendo. Quare enim de iis pro libitu, uti de patrimonialibus, magis disponere possent, quàm de beneficialibus? Quia (inquit) illa dantur Clericis in mercedem laboris, seu servitii & operæ personalis præstitæ. Verùm etiam beneficialia dantur pro labore, servitio, & opera personali. Sicut decimæ filiis Levi olim datæ fuerunt in possessionem *pro ministerio quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis*, ut dicitur Num. 18. Et idipsum Dominus insinuat, cùm dicit: *Dignus est operarius mercede suâ. Hoc est* (inquit Theophylactus) *à discipulis pascemini, debebunt enim hoc vobis ut operariis.* Nec certè dignam honorario Missæ idæam imprimunt, qui illud, quasi profanum, quasi patrimonialibus accensent, non ecclesiasticis bonis. Sacrorum itaque stipendium non in mercedem sacrificii, sed in sustentationem cedit Ecclesiæ Ministris, velut pia populi oblatio, quemadmodùm decimæ, aliaque fidelium oblata, eaque Ecclesiæ intuitu Sacerdotes accipiunt: cùm ea accipiant propter ecclesiastica munia, non propter profana, non secùs ac alios Ecclesiæ proventus. Videri possunt Boëtius Epo, olim Duaci Canonum primarius Antecessor ad cap. 1. de testamentis n. 80. Van Espen de simonia & pensionibus ecclesiasticis p. 1. c. 7. §. 4. Huygenius in observat. brevib. de prudent. & justit. c. 10.

70 Hactenùs de dominii subjecto, nunc de dominii objecto dicimus 1°. dominium quidem rerum temporalium homini sub supremo rerum omnium Domino competere, juxta illud Genes. 1. *Dominamini piscibus maris.* Et Ps. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* 2°. hominem etiam cadere posse sub dominium alterius hominis, uti docet Augustinus lib. 19. de Civit. Dei cap. 15. colligiturque tam ex veteri, quàm novo Testamento, ubi statuitur quomodò domini se habere debeant ad servos; necnon ex historiis, in quibus legitur, viros justos habuisse servos, etiam Christianos in novo Testamento. Quod & constat ex plurimis tabulis donationum Ecclesiarum & Monasteriorum, in quibus mentio fit mancipiorum, donatorum ad servitium locorum illorum. In codice etiam donationum Miræi legitur, Christianos olim Christiana habuisse mancipia; licèt hoc in usu esse desierit, saltem in Gallia & Belgio. Sic tamen non fuisset, si homo non peccasset. Quia servitus est pœnalis & miitera; solo proinde peccato introducta, prout Augustinus ostendit loco citato. Dominium tamen illud non cadit in vitam servi, uti proximè videbitur, sed in personam & operas dumtaxat.

3°. solum Deum esse Dominum vitæ 71
& membrorum hominis, juxta illud: *Tuus Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.* Sap. 16. Et Deuteron. 32. *Ego occidam, & ego vivere faciam, &c.* Unde homo hominem occidere non potest, nisi Dei authoritate. Nec Sampsonem, qui seipsum interemit, aliter S. Augustinus excusat, nisi quia Deo vel jubente, vel interiùs excitante id fecit; sicut & Sancti, qui seipsos in ignem vel flumen injecerunt, & ab Ecclesia ut martyres honorantur.

4°. hominem esse aliquo modo domi- 72
num famæ suæ: utpote quam proprio studio, virtute, & labore acquirit, ablatamque, tamquam suam, in judicio repetit, cujus & detrimentum ex justa causa pati potest, famæque ablatæ restitutionem detractori condonare, juxta illud sancti Thomæ 2. 2. q. 73. a. 4. ad 1. *In arbitrio uniuscujusque est, pati detrimentum suæ famæ, nisi id vergat in alterius nocumentum*, v. g. nocumentum fidei, vel aliorum infamiam (ut quando ex fama nostra pendet fama aliorum) vel nisi absque bona fama idonei non simus ad ea quæ officii nostri sunt, vel denique nisi ex non defensione famæ nostræ alii graviter scandalizarentur, vel veritas, aut justitia, seu etiam vita nostra periclitaretur.

CAPUT VII.

Error est mundanorum hominum, divinæ Scripturæ, ac sanctorum Patrum Theologiæ contrarius, putare usque adeò absolutum illimitatumque esse dominium in ea quæ superfluunt convenienti sustentationi familiæ & statûs sui, ut ipsis licitum sit divitias sine termino appetere, in statûs sui augmentum congregare, & in quoscumque usus pro libitu expendere.

NAm quod ad divinam attinet Scriptu- 73
ram, Isa. 5. dicitur: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, usque ad terminum loci: nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Et 1. Timoth. 6. *Habun-*

tes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Rationem Apostolus immediatè subjungit: *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Imprimis incidunt in multas peccandi occasiones (quæ laquei sunt diaboli) peccandi utique per avaritiam, immisericordiam in pauperes, &c. Et in desideria multa inutilia & nociva; quia desideria illa sine fine congregandi non solùm inutilia sunt ad salutem, sed & nociva, quatenùs (Evangelio teste) sunt instar spinarum suffocantium verbum Dei, illudque sine fructu efficientium. Ac per hoc desideria illa mergunt homines in interitum æternum, & in æternam perditionem. Quia utplurimùm eousque crescunt, ut homo de terrenis & temporalibus bonis magis sollicitus sit, quàm de cælestibus & æternis. Et ideò Marci 10. Dominus ait: *Facilius est camelum per foramen acûs transire, quam divitem intrare in regnum Dei.*

74 Sed & Luc. 14. 33. *Qui* (effectivè saltem) *non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, adeòque nec intrare in regnum Dei. Cum ista verò renuntiatione (quam Christianus quisque profitetur in suo baptismate) non stat cupiditas sine fine possessiones augendi. Non stat etiam divitiarum usus, taliter moderatus, ut superfluum illarum in pauperes distribuatur, uti sub mortali præceptum esse, plurimis S. Scripturæ testimoniis probavimus, ubi de eleëmosyna.

75 Et hinc præceptum istud tam vehementer inculcant sancti Patres, ut dicant, divites superfluorum suorum non esse proprietarios, sed solùm dispensatores, esseque injustos, dum ea sibi retinent. Ita S. Basilius homil. 6. in avaros, Chrysostomus homil. 2. de Lazaro, Ambrosius serm. 8. & lib. de Naboth cap. 12. Hieronymus epist. 15. ad Hedibiam, Augustinus homil. 47. inter 50. in Psal. 147. & serm. 15. de diverf. cap. 2. Leo Magnus serm. 5. de Collecta. Gregorius Magnus de cura Pastor. p. 3. admonit. 22. Isidorus lib. 3. de sum. bon. c. 63. Sal-
76 vianus in tract. de hac materia. Quorum tamen hac de re sententiæ non sic intelligendæ sunt, quasi res, quas ex patrimonio, vel mercatura justa adepti sunt, reverà non sint eorum, quoad veri nominis proprietatem, sed sic ut quantùm ad usum non solùm esse debeant eorum, sed etiam aliorum, qui eis sustentandi sunt ex eo quod eis superfluit, uti S. Thomas ait 2. 2. q. 32. a. 5. ad 2. Unde dum etiam laudati Patres aiunt, divites solùm esse dispensatores dictorum superfluorum, eo sensu intelligendum non est, quasi solùm se habeant velut dispensatores alicujus fundationis in pauperes applicandæ, vel sicut Clerici dispensatores sunt superflui bonorum ecclesiasticorum; sed hoc sensu, quòd superfluorum suorum non habeant dominium absolutum, & illimitatum; quasi nempe de iis in quoscumque usus pro libitu disponere possint; sed divino & naturali jure restrictum ad usum per divinam Scripturam & sanctos Patres expressum. Quòd quia divitibus utplurimùm difficillimè persuadetur, ob occultè regnantem in corde ipsorum avaritiam, seu immoderatam ampliùs & ampliùs habendi cupiditatem, ambitionemque, hinc est quòd Christus Matth. 19. usque adeò exaggeret difficultatem divitum intrandi in regnum cælorum: utpote in quod non intrant, nisi Christi discipuli, nisi proinde qui sic affectu renuntiant omnibus quæ possident, ut animo pauperes sint, id est tales, ut si possideant divitias, ab eis taliter non possideantur, ut iis servire malint, quàm Deo aliquid grave jubenti. Quicumque verò, contra Dei mandatum, superflua sua pauperibus non distribuunt, convincuntur malle divitiis servire, quàm Deo aliquid grave jubenti; adeòque veraciter animo non renuntiare omnibus quæ possident. Convincuntur ergo non esse Christi discipuli, adeòque esse extra viam salutis.

CAPUT VIII.

Requisita ad acquisitionem dominii.

SI res domino caruerit (exceptis thesau- 77
ris, de quibus infrà) sufficit eam apprehendere, animo faciendi tuam, ut ejus dominus fias. *Quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur.* L. *quod enim* extr. de acquir. dom. Et hoc modo, in divisione bonorum, primitùs introducta sunt dominia proprietatis.

Hinc quisquis modo dicto primò appre- 78
hendit, fit dominus animalium sylvestrium, quæ nullius hactenùs subjecta fuerunt dominio, vel (post subjectionem) restituta fuerunt libertati. Fera itaque sic à te vulnerata, ut eam capturus sis, injustè tibi præripitur ab altero, dum eam persequi pergis. Et idem est, si inextricabiliter intricata fuerit laqueo à te posito, licèt ab eo exempta, & capta ab altero: non enim ipse, sed tu dominus es illius, sicut & piscium retibus tuis irretitorum.

Nec ideò fera est domini fundi, quia eam 79
capis in fundo, vel arbore ipsius, sed tua est, nisi alterius fundo taliter inclusa fuerit, ut censeatur ibi detineri captiva, libertateque naturali spoliata.

Non ideò etiam desinis acquirere domi- 80
nium feræ, quòd eam ceperis venatione per Edicta Principum Belgii interdictâ. Quia feræ equidem, per hujusmodi prohibitionem, ante occupationem, in rigore non sunt Principum, nec proinde contra justitiam commutativam peccant istius prohibitionis transgressores, sed ad summum contra lega-

lem, cujus violatio non obligat ad restitutionem. Ita Doctores communiter.

81 Addit Zypæus in notitia juris Belgici l. 11. tit. de venat. ferar. Edicta illa solùm esse leges pœnales, quæ dumtaxat obligant ad solutionem pœnæ, siquis fortè deprehendatur. In Brabantia tamen speciali privilegio, concesso in læto introitu a. 33. & 34. omnibus venari permissum est, modò nobiliter id fiat, id est feras canibus, volucres falconibus & accipitribus insequendo, sine armis, & tantùm certis temporibus. Constitutione Frederici Imperatoris, rustici prohibentur retia, laqueos, aut alia instrumenta ad capiendas feras tendere, nisi ad ursos, apros, vel lupos capiendos. Varia Belgii Principum Edicta materiam hanc regulantia citat Zypæus loco citato, quibus inhibetur particularibus venatio ferarum, delatio armorum in sylvis, bestiarumque, etiam læsarum, ex sylvis ablatio.

82 Jure canonico venatio specialiter inhibita est Clericis, maximè frequens, & cum strepitu canum, aut vi armorum, cap. de Clerico venatore, ubi Episcopus, frequenter id faciens, suspendi jubetur à communione tribus mensibus; Presbyter duobus; Diaconus ab officio.

83 Hactenùs de acquirendo dominio rei domino carentis. Nam, ut quis evadat dominus rei dominum habentis, regulariter duo requiruntur, titulus scilicet, & traditio. Titulus est illud, in quo dominium per se primò fundatur, v. g. emptio, donatio, &c. Duplex est, verus & præsumptus. Verus est v. g. legitima donatio, emptio, hæreditas, legatum. Præsumptus est titulus reverà non legitimus, bonâ fide creditus legitimus, v. g. donatio, vel venditio, quæ bonâ fide creditur legitima, sed reverà non est, ob aliquam circumstantiam ignoratam, v. g. incapacitatem ad donandum. Traditio regulariter requiritur, non jure naturali (quo sufficeret consensus mutuus signis exterioribus expressus) sed jure civili L. *traditionibus.* Cod. de pactis, exceptis nonnullis casibus, qui videri possunt apud Becanum.

CAPUT IX.

Thesauri, seclusâ lege positivâ, toti cedunt inventori; sed aliter legibus civilibus dispositum est.

84 PRima pars sequitur ex dictis capite præcedenti, quia thesauri sub nullius dominio sunt (thesaurus enim definitur, *vetus depositio pecuniæ, cujus memoria non extat, ut jam dominum non habeat.* L. *nunquam*, & L. *si quis* ff. de acquir. rer. dom.) seclusis ergo legibus positivis in contrarium, sunt primi inventoris, sive primi occupantis.

Dixi quòd thesaurus sit *vetus depositio*: si enim sit recens, restitui debet deponenti, si queat inveniri; sin minùs, in pios usus impendi, sicut alia bona ignoti domini. 2°. *depositio pecuniæ*, cujus nomine veniunt vasa aurea, argentea, catenæ, gemmæ, vestes pretiosæ, & similia. 3°. *cujus memoria non extat.* Si enim ex forma, vel circumscriptione pecuniæ, seu aliis circumstantiis erui possit pecuniam non esse reconditam ab antiquo tempore, quod hominum memoriam excedat, non est propriè thesaurus, quamvis ignotus sit dominus.

Pro expositione secundæ partis, sciendum, 85
quòd jure positivo antiquo circa thesauros statuta sunt quatuor. Primò, si thesaurus inveniatur in fundo proprio, sive casu, sive industriâ, totus est inventoris. L. *nemo* Cod. de thesauris. Secundò, si casu inveniatur in fundo alieno, dividitur æqualiter inter inventorem & dominum fundi. §. *thesauros* instit. de rer. divis. si autem de industria quæsitus fuerit, absque consensu domini fundi, totus erit domini fundi, licèt altera pars ei non debeatur, nisi post sententiam; eo quòd inventor suâ parte solùm privetur propter culpam. L. unicâ C. de thesauris. Siquis tamen obtentâ à domino fundi facultate, in fundo ipsius thesaurum quæsierit, & invenerit, secluso in contrarium pacto, totus erit inventoris: quia casus iste omissus est à jure civili. Secluso verò in contrarium jure civili, thesaurus totus est inventoris.

Limitat hoc Lessius, nisi dolosè licen- 86
tiam obtinuerit à domino fundi, simulando se nescire latentem thesaurum, cùm certò sciret. Sed limitatio ista non videtur fundata; quia sicut nullus dolus est in eo quòd inventor thesauri in agro alieno, emat agrum illum pretio currenti, nullâ factâ thesauri mentione (uti colligitur ex Matth. 13. 44.) sic nullus dolus est in eo quòd certò sciens thesaurum latentem in agro alieno, memoratam licentiam petat, nullâ thesauri factâ mentione. Maximè cùm juri suo dominus eo ipso cedere videatur, quòd facultatem illam concedit, nullâ adjectâ conditione, nec pacto servandæ sibi medietatis, siquid inveniretur. Quartò, si thesaurus inventus fuerit arte magicâ, totus cedit fisco. L. *nemo* suprà.

Sed quid si thesaurus inventus fuerit in 87
fundo vasalli, vel emphyteutæ, cujus erit, domini directi, an vasalli, vel emphyteutæ?

Respondeo, vasalli, vel emphyteutæ. Quia thesaurus est *fortunæ donum*, ut Triphonius ait L. *si iis qui* ff. de acquir. dom. seu, ut christianè loquitur Leo Imperator, *beneficium Dei.* Atqui ad emphyteutam pertinet fortunæ damnum. L. 2. C. de jure emphyteut. Igitur ad ipsum pertinere debet & fortunæ commodum, juxta hanc regulam juris in 6. *Qui sentit onus, debet & commodum sentire.*

Hactenùs dicta procedunt secundùm jus 88
antiquum, seu Romanum: cæterùm ubi aliæ sunt leges & consuetudines, servandæ sunt.

sunt. Hodie (inquit Author supplementi Neesen de jure & justit. tr. 1. q. 4 dub. 2.) auri argentique fodinæ inter regalia computantur, & inventos thesauros fiscus sibi applicat, præsertim in loco, aut via publica repertos; quamvis ex consuetudine dominus territorii illos sibi in solidum vendicare soleat. Alii dicunt, quòd in Gallia quidem thesauros ex integro Regi adjudicandos Procurator regius concludit; sed in Belgio nostro fiscus, & dominus loci, nullum speciale jus habent in thesauros: cùm nullius Principis Edictum, aut Constitutio de eo reperiatur: juxta commune proinde jus, seu Romanum, ibi est procedendum. Sylvester etiam dicit, illam Galliæ, seu locorum nonnullorum consuetudinem in conscientia non ligare. Quia non est introducta per modum legis, sed violentiæ, nec fuit unquam moribus utentium approbata, nisi violenter. Estque contra naturalem æquitatem, quam secutus D. Adrianus, voluit thesaurum inventum in proprio fundo esse totum inventoris, uti dicitur L. *thesauros*. Negandum tamen non est, Reges justè statuere posse, ut quilibet thesaurus, ubilibet repertus, ipsis cedat, ubi Reipublicæ necessitas id postulat.

90 At potest-ne homo, qui scit in fundo alieno latere thesaurum, communi pretio fundum illum emere, ac deinde thesaurum, tamquam inventum in fundo suo, sibi totum retinere?

Respondeo cum S. Thoma, Bannes, Arragonio, Maldero, Card. de Lugo, & aliis communiter affirmativè, contra Angelum, Armillam, Tabienam, &c. Tum quia dum communi illum emit pretio, emit pretio justo: utpote quod à particulari æstimatione non sumitur, sed à communi. Tum quia thesaurus non est pars, nec fructus fundi. Dum ergo communiter ignoratur, in communi æstimatione non auget valorem fundi. Idque Salvator esse licitum insinuat Matth. 13. dum inde, velut è re licita, comparationem facit: *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & emit agrum illum.* Tum denique quia thesaurus ille non pertinebat ad dominum fundi, sed reputabatur nullius esse. Igitur, ob illum, augendum non fuit fundi pretium: solùm enim dandum fuit pretium rei sibi venditæ; venditor autem fundi solum vendidit fundum, non thesaurum, cujus non erat dominus.

91 Si tamen thesaurus à longissimo quidem tempore reconditus inveniatur, sed ipsius reconditor cognoscatur, legitimis ipsius hæredibus est restituendus, sicut inventa cætera, quæ dominum habere cognoscuntur.

CAPUT X.

Bona derelicta fiunt primò occupantis: secùs bona vacantia, & incerta.

92 BOna *derelicta* vocantur, quæ dominus abjecit, eo animo, ut nolit ampliùs inter res suas computari. §. 4. Instit. de rer. divis. *Vacantia*, quæ domino vacant, eò quòd dominus illorum decesserit, hærede non relicto, qui ab intestato succedat. *Incerta* denique, quæ dominum creduntur habere, qui tamen ignotus sit.

Quòd igitur bona derelicta fiant primò 93
occupantis (intellige nisi lex aliqua obstet, vel legitima alicujus loci consuetudo, vel pactum) constat ex dictis n. 75. quòd utique bona dominum non habentia fiant primò occupantis; bona namque derelicta dominum non habere, ex eorum constat definitione. Ejusmodi censentur, quæ fluctibus abrepta, dominus propter expensas faciendas, non curat, vel negligit recuperare, cùm facilè posset, si expensas illas facere vellet, & sciat ubi sint. Ita Doctores passim.

Ejusmodi tamen non sunt bona naufra- 94
gantium, uti nec merces, quæ in tempestate, solo animo sublevandæ navis, in mare projiciuntur. §. 48. Instit. eod. Unde injusti sunt, & crudeles, qui alios homines, naufragium passos, rebus suis spoliant. Hinc crudelem illam injustitiam, dum erga Christianos exercetur, Alexander III. sub pœna excommunicationis prohibet, cap. *excommunicamus* de raptor. hisce verbis: *Qui Christianos, naufragium passos, damnatâ cupiditate spoliant rebus suis, nisi ablata restituerint, noverint se excommunicationi subjacere.* Et in Bulla Cœnæ: *Item excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos, qui Christianorum quorumcumque navibus, tempestate, seu in transversum* (ut dici solet) *jactatis, vel quocumque modo naufragium passis, sive in iisdem navibus, sive ex iisdem ejecta in mare, vel in littore inventa cujuscumque generis bona, in omnibus cujusvis maris regionibus, & littoribus surripuerint, ita ut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem, aut longissimi, etiam immemorialis temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum excusari possint.* Quibus verbis injusta declaratur consuetudo quorumdam locorum, quorum domini bona occupant naufragantium. Occupant enim bona aliena, domino rationabiliter invito, nec ea pro derelictis habente. Injustus proinde ipse etiam Princeps esset, si ea, quasi derelicta, per fiscum sibi applicari vellet. Vel ipso jure civili injusta illa crudelitas prohibetur. L. 1. C. de naufragiis, & authentica *navigia* C. de furtis.

Siquis tamen bona illa acciperet, animo 95
ea salvandi, dominisque suis restituendi, injustus non esset, sed misericors & justus, deberetque dominus supputare impensas & operas, pro iis salvandis factas. Justum quoque fuit Decretum, quo Carolus V. anno 1547. edixit, *ut bona naufragantium ex mari extracta nemo auferat, aut occupet, sed nuntiet Principis quæstori extraordinariorum proventuum, aut ejus substituto, aut officiario ordinario loci; qui & mercedem solvet pro opera impensa in eorum extractione.... Cistæ clausæ, onera colligata non*

referentur.....ſerventur mercatoribus, aut dominis, aut fiſco, ſi intra annum compareat nemo, & dominum non probet; alioqui, ſi probet, ſua recipiat, ſolutis expenſis ſervationis. Si bona illa ſine deterioratione ſervari tanto tempore non poſſint, à quæſtore ſubhaſtentur, & pretium domino, ſi intra annum compareat, ſervetur; aliàs Principi applicetur.

96 Quoad bona vacantia, v. g. nothorum, ſine liberis ab inteſtato morientium, jure communi ſunt fiſci. L. *vacantia* C. de bon. vacat. Jure tamen particulari quorumdam locorum, cedunt locorum dominis, ſeu dynaſtis, ut in Hannonia, ubi bona externorum, ab inteſtato ſine hærede intraneo morientium, non quidem patrimonialia, ſed acquiſita & mobilia, jure albinarii, ſeu albinatûs, addicuntur domino juſtitiam altam habenti in loco, ubi extraneus moritur, uti conſtat ex conſuetudinibus Hannoniæ c. 127. de albinis, ubi tamen excipiuntur extranei, qui habentes in Hannonia altam juſtitiam, in loco dominii ſui moriuntur; extranei verò, reſpectu Hannoniæ, ibidem declarantur Galli, Artheſii, Flandri, exceptâ Imperiali Flandriâ, in qua eſt ditio Aloſtana, cum quatuor Ambactis, necnon Regione inter Scarpum & Scaldim.

97 Superſunt bona inventa, ſeu incerta, quorum dominus poſt debitam inquiſitionem manet ignotus. Quæ quidem ſi fortuitò inventa non ſint, ſed injuſtè occupata, v. g. per furtum, vel uſuram, ſecundùm omnes Doctores, vel in pias cauſas applicanda ſunt, vel pauperibus eroganda, cap. *cùm tu* de uſuris. Et cap. *cùm ſic* de judiciis. Et ratio eſt 1°. quia fur illa non poſſidet bonâ fide, ſicut nec hæredes ipſius. Bonâ ergo fide illa nequeunt retinere. 2°. quia iniquitas non debet ipſis patrocinari. 3°. intentio legitimi domini meritò præſumitur talis.

98 Si autem bonâ illa fortuitò, & innocenter inventa fuerint, fiunt quidem primò occupantis, hoc ſenſu, quòd ſi, factâ diligenti inquiſitione, factis utique proclamationibus, affixis ſcedulis, &c. dominus non compareat, occupans ea ſibi in individuo retinere poſſit, modò pretium, ſeu aliquid æquivalens pauperibus eroget. Nec de eo Doctores controvertunt. Cùm modo dicto abundè ſatisfiat intentioni domini, de qua infrà. Sed quæritur, an occupans teneatur æquivalens pauperibus, ſeu in pias cauſas erogare? Negant quippe Sotus, Ledeſma, Medina, Lopez, Sarmiento, Arragonius, Caſtro-Palao, aliique Recentiores.

99 Verùm-enimverò probabiliùs affirmant S. Thomas, Cajetanus, Covarruvias, Sylvius, & Summiſtæ communiter, nominatim Angelus, Sylveſter, Navarrus, Toletus, Azorius, ac noviſſimè Platelius. Et iſta opinio in praxi ſequenda eſt 1°. quia iſta eſt Theologia ſanctorum Patrum. Siquidem Origenes homil. 4. in c. 6. Levitici: *Multi* (inquit) *ſine peccato putant eſſe, ſi alienum, quod invenerint, teneant. Et dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Diſcant ergo hoc peccatum eſſe ſimile rapinæ, ſiquis inventa non reddat.* Auguſtinus ſerm. 19. de verb. Apoſt. c. 8. & homil. 9. inter 50. *Quod inveniſti, & non reddidiſti* (quantùm, & quomodò fieri poteſt) *rapuiſti.* Et c. 6. *Deus in lege ſua dicit, inventionem, tamquam alienam, eſſe reddendam*, Deuteronomii utique 22. ubi ſic: *Non videbis bovem, aut ovem fratris tui errantem, & præteribis, ſed reduces fratri tuo, etiamſi non eſt propinquus frater tuus, nec noſti eum, duces in domum tuam, & erunt apud te, quamdiù quærat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de aſino, & de veſtimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit, ſi inveneris eam, ne negligas eam quaſi alienam.* Si hoc Deus ſervari voluit apud Judæos; quantò magis apud Chriſtianos, ait ibi Cornelius à Lapide?

2°. ex Pœnitentiali Romano, ubi indi- 100
ſtinctè ſtatuitur: *Qui rem inventam non reddit, furtum committit, idcircò tamquam de furto pœnitentiam aget*, nec ibi excipitur caſus, quo dominus non comparet poſt factam inquiſitionem; uti nec loco proximè laudato Deuteronomii.

3°. ex S. Carolo Borromæo in Act. Ec- 101
cleſ. Mediol. p. 4. Inſtruct. pœnit. ad 7. præcept. *non furaberis*, ubi expreſsè dicit, res etiam caſu inventas, nec furto ſublatas, eſſe reſtituendas, non inventori appropriandas; ideòque deſignari vult certum locum, ad quem deferenda ſint bona inventa, per perſonas ad id commiſſas reſtituenda proprietariis, ſi inveniri queant; ſin minùs, in pauperes, vel pias cauſas diſtribuenda.

4°. ex L. *falſis* ff. de furt. §. *qui in alie-* 102
no, ubi dicitur: *Qui alienum quid jacens lucri faciendi cauſâ ſuſtulit, furti adſtringitur, ſive ſciverit cujus ſit, ſive ignoraru. Nihil enim ad furtum minuendum facit, quòd cujus ſit ignoretur.* L. *ſi falſus creditor* 43. ff. eod. *eo quòd omnes ſcire debeant id quod ſuum non eſt, hoc ad alios modis omnibus pertinere.* L. ult. C. *unde vi.*

5°. ex authent. un. *omnes peregrini*, ubi 103
ſtatuitur, ut *ſi peregrini inteſtati deceſſerint, ad hoſpitem nihil deveniat; ſed bona ipſorum, per manus Epiſcopi loci* (*ſi fieri poſſit*) *hæredibus tradantur, vel in pias cauſas erogentur.* Eadem verò ratio eſt de bonis inventis, ut per ſe patet.

6°. ex Catechiſmo Romano p. 3. n. 17. 104
Si rerum inventarum dominus nullâ ratione inveniri poteſt, illa ſunt bona in uſus pauperum conferenda.

7°. ille qui rem ſuam perdidit, licèt ig- 105
noret ubi ſit, non habet eam pro derelicta, ſed retinet animum eam recuperandi, ſi invenire poſſit. Hoc enim in ſemetipſo experitur quiſquis rem alicujus ſaltem momenti perdidit. Ergo inventor legitimum non habet titulum eam ſibi retinendi. Neque enim

titulum habet legitimum ex lege (cùm nulla lex eam ipsi appropriet.) Neque ex domini voluntate : utpote quæ est, ut sibi restituatur secundùm quod fieri potest ; sic nempe, ut sit ipsi saltem spiritualiter utilis, si temporaliter non possit, juxta illud S. Thomæ 2. 2. q. 62. a. 5. ad 3. *Si ille, cui fieri debet restitutio, sit omninò ignotus, debet homo restituere secundùm quod potest, scilicet dando eleemosynam pro salute ipsius.* Ubi S. Doctor directè quidem loquitur de bonis injustè ablatis, indirectè tamen attingit etiam bona casu inventa. Quia ratio ipsius, quòd utique debet homo restituere secundùm quod potest, tam procedit in restitutione facienda ratione rei acceptæ (ut in casu nostro) quàm ratione acceptionis.

106 Objicies 1°. cum Caramuele Theol. Mor. n. 322. res perdita, quamdiù perdita est, humanitùs non est. Ergo dum invenitur, incipit humanitùs esse. Ergo inventor eam producit humanitùs : quia de non esse humanitùs, facit esse humanitùs. Igitur acquirit dominium illius. Hoc enim productione acquiritur.

Respondeo negando antecedens, cur enim res perdita, cujus dominus ignoratur, potiùs esse desineret humanitùs, eò quòd temporaliter redire nequeat ad dominum, quàm res furtiva, cujus dominus ignoratur ? Res ergo inventa tamdiù manet humanitùs, quamdiù domino suo utilis esse potest, vel temporaliter, vel spiritualiter, prorsusque ridiculum est Caramuelis argumentum, quod si quid probaret, probaret hæredes furum & usurariorum, dominium acquirere rerum furto vel usurâ acquisitarum, dum dominus, adhibitâ diligentiâ, inveniri non potest.

107 Objicies 2°. cum Sarmiento, quod in nullius bonis est, fit occupantis. Atqui res, de qua apparere non potest in cujus bonis sit, æquivalenter in nullius bonis est. Cùm illa paria sint, rem nullius esse, & non apparere cujus sit.

Respondeo negando minorem. Ad ejus probationem nego assumptum, & dico 1°. argumentum istud proinde ridiculum esse, ac præcedens, in idemque præcipitium ducere. 2°. rem de qua agitur, manere devinctam domino suo, ita ut postulet ad eum reverti, quoad fieri potest modo dicto.

108 Objicies 3°. Quid interest inter rem à domino derelictam, & rem, cujus dominus post diligentiam non apparet ?

Respondeo, plurimùm interest : quia dominus abjicit dominium rei derelictæ, non rei deperditæ ; quam sibi restitui vult, quoad fieri potest.

109 Objicies 4°. Domini rerum perditarum sæpè dicunt, se libenter eas dare inventori, saltem post elapsum longum tempus, amissamque spem recuperandi.

Respondeo, longè plures sic animo affectos esse, ut velint suam sibi rem restitui, quomodò potest, sibique prodesse spiritualiter, dum temporaliter non potest ; idque præsumendum, quamdiù de oppositio non constat.

Objicies 5°. Thesauri cedunt dominio 110
inventoris. Ergo & alia bona inventa. Nego consequentiam : est enim duplex disparitas. Prima, quòd thesaurus non habeat ampliùs dominum. Secunda, quòd leges id specialiter disponant de thesauro ; contrarium verò de aliis bonis inventis, sicut & de bonis peregrinorum, & advenarum, de quibus suprà.

Debet ergo inventor rem inventam, si 111
notabilis momenti sit, apud se integram custodire, vel (si hoc fieri nequeat) pretium ejus, quamdiù, consideratis omnibus, spes aliqua supereset, quòd dominus reperiri poterit ; idque tanto diutiùs, quanto res illa majoris fuerit pretii. Dum autem nulla ampliùs supererit spes reperiendi dominum, poterit inventor, si ipse reverà pauper sit, eam sibi, tamquam indigenti, retinere, pro domino orando, nisi fortè magis pretiosa sit, quàm ut sublevandæ suæ unius indigentiæ tota rationabiliter impendatur, vel nisi isti detentioni lex aliqua vel consuetudo obstet.

Quòd si dominus rei appareat, postquam 112
pauperibus data fuerit, ei restituenda est, si in specie extet. Si verò consumpta sit, & pauperes eam in æquivalenti reddere nequeant, dominus, secundùm aliquos, patientiam habere debebit ; secundùm alios, inventor æquivalens ipsi restituere, quatenùs ipsum damnificavit, rem ipsius absolutè pauperibus dando, cùm potuisset conditionatè dare Xenodochio, vel pauperi Monasterio, in æquivalenti restituendam, si dominus compareret. Prior tamen opinio videtur probabilior, si tunc demum pauperibus erogaverit, dum nulla ampliùs supererat spes inveniendi dominum ; tunc enim inventor bona illa bonâ fide in pauperes distribuit, & bona fides non patitur, ut debitum ampliùs exigatur. Reg. 86. juris in 6.

Si verò, ante rei in pauperes distributio- 113
nem, dominus compareat, inventor, ultra expensas à se factas pro domini inquisitione, vel rei ipsius conservatione, nihil jure exigere potest, multò minùs extorquere. Cùm nemo cogi debeat ad pendendum aliquid pro recipienda re totaliter sua ; nihil proinde inventori debitum sit pro restitutione rei inventæ, ut notat Hosselius in explicatione Decalogi cap. 198. ad id allegans exemplum relatum ab Augustino serm. 19. de verb. Apost. his verbis : *Pauper invenit sacculum (nisi fortè me numerus fallit) cum solidis fermè ducentis. Memor legis, proposuit pitacium publicè : Qui solidos perdidit, veniat ad locum illum, & quærat hominem illum. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, invento, & lecto pitacio, venit ad hominem ; & ne fortè quæreret alienum, quæsivit sig-*

na, interrogavit sacculi qualitatem, sigillum solidorum etiam & numerum. Et cùm omnia illi fideliter respondisset, reddidit quod invenerat. Ille autem repletus gaudio, & quærens vicem rependere, tamquam decimas obtulit solidos viginti: qui noluit accipere. Obtulit vel decem; noluit accipere. Saltem negavit vel quinque accipere. Noluit ille stomachabundus homo, projecit sacculum. Nihil perdidi, ait: Si non vis aliquid à me accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, fratres mei! qualis pugna! qualis conflictus! theatrum, mundus; spectator, Deus. Unde (concludit Hesselius) illi inventores, qui nolunt reddere inventa, vel solvere debita, nisi aliquid inde recipiant, planè iniqui sunt. Potuisset nihilominùs inventor ille acceptare gratuitam donationem à domino, maximè cùm pauper esset; sed voluit esse abundanter justus.

CAPUT XI.

Bona, quæ sub alterius dominio fuerunt, per legitimam præscriptionem in bona conscientia acquiruntur præscribenti.

114 QUia possessio ad præscriptionem requiritur, nec solùm dominium præscriptione acquiritur, sed & usus, usus-fructus, &c. De usu, usu-fructu, servitute & possessione nonnulla præmittemus. Sit itaque

§. I.

Explicatur, quid usus, usus-fructus, & servitus.

UTi hîc idem est quod rem aliquam ad solam propriam commoditatem & necessitatem applicare. Frui verò, est rem applicare, tum ad propriam, tum ad alienam utilitatem, etiam citra necessitatem.

115 Declaratur: ille utitur horto, qui ex horto colligere potest fructus sibi necessarios, non tamen illos vicino dare, nec in lucrum suum divendere. Fruitur verò horto, si fructus illius non sibi tantùm applicare possit, sed & dare cuicumque voluerit, seu etiam vendere, vel aliter alienare pro suo arbitrio

116 Itaque usus est jus utendi rebus alienis, salvâ earum substantiâ. Usus-fructus est jus utendi, fruendi rebus alienis, salvâ earum substantiâ. L. 1. ff. de usufructu. Conveniunt usus-fructus & usus in jure utendi rebus alienis, salvâ substantiâ; differunt in eo quòd usus non sit jus fruendi, sed assumendi duntaxat necessaria ad suam suorumque sustentationem. Quisquis ergo usum-fructum habet in sylva v. g. potest ramos abscindere, lignaque abscissa ad forum deferre, atque inde distrahere; quisquis verò solùm habet usum, non potest inde ramos abscindere, vel ligna consumere, nisi quantùm necesse est ad ipsius & familiæ sustentationem.

117 Porrò nomine fructuum, in animalibus, non tantùm intelliguntur lana, lac, sed & partus & fœtus. Unde habens usum-fructum gregis, est dominus agnorum inde provenientium. Tenetur tamen in locum capitum demortuorum, vel inutilium, alia capita utilia substituere, quæ cedant in dominium proprietarii. Instit. de rer. divis. §. *pecudum*. Quot modis usus-fructus constituatur, & finiatur, videri potest apud Becanum cap. 6. q. 5. & 6.

Servitus definitur subjectio, seu obligatio, quâ res aliena tibi, vel rebus tuis subjecta est, ut aliquid in ea fiat, vel non fiat, in tuum commodum, salvâ rei substantiâ. L. *quoties* ff. de servit. Duplex est, affirmativa & negativa. Affirmativa, ut si hortus vel ager tuus admittere teneatur alterius transitum per illum. Negativa, ut si murus domûs tuæ altiùs elevari non possit, ne mihi lumen eripiat. 118

Item servitus una est personalis, altera realis. Personalis est, quâ usus personæ alteri debitus est, ut si mihi concesseris usum mancipii tui. Realis est, quâ rei tuæ usus debetur alteri rei, quâ v. g. ager tuus meo subjectus est, ad hoc ut per tuum transeam ad meum. 119

Realis, alia rursum urbana, alia rustica. Urbana, prædio debetur urbano; rustica, rustico. *Prædium urbanum* in jure vocatur omne ædificium, habitandi causâ constructum, sive in urbe, sive ruri: itemque horti, stabula, & horrea ædificio adjuncta, non iterùm separata. L. *urbana prædia* ff. de verb. signif. *Prædium rusticanum* est quodvis aliud prædium, sive hortus, ager, prædium, stabulum, horreum, &c. ab ædificio separata, sive sita sint ruri, sive in urbe.

Servitus urbana est recipere stillicidium vicini tui in ædes tuas, vel tignum ejusdem in murum tuum, non præripere ipsi lumen, &c. Instit. de servitutibus. *Rustica* est v. g. transitus per agrum, vel pratum tuum.

§. II.

Explicatur quid, & quotuplex possessio.

POssessio aliquando sumitur pro re, quam possidemus; aliquando pro actu possidendi, seu quo rem possidemus; aliquando denique pro jure quod habemus ad possidendum. Si sumatur pro actu, vocatur possessio facti; si pro jure, possessio juris. 120

Possessio facti à Juristis definiri solet, rei corporalis detentio, corporis, & animi, jurisque administrandi. Particulam illam *corporalis* Theologi omittunt: quia censent res incorporales, v. g. ecclesiastica beneficia, verè possideri, & non solùm quasi possideri, ut Juristæ volunt. Verùm de solo nomine quæstio est: sensus porrò definitionis est iste: possessio est actio, per quam aliquid apprehendimus vel occupamus corporaliter, cum intentione rem illam retinendi, ut pro- 121

priam, favente, vel non impediente lege. Possessio juris, est jus insistendi alicui rei, tamquam suæ, per legem non prohibitæ possideri; id est legitima facultas retinendi rem aliquam, tamquam suam, lege id non impediente. Differt à possessione facti, quòd hæc sit causa illius. Siquidem possessio facti est actio, per quam acquiritur jus, seu legitima facultas rem aliquam detinendi, tamquam suam. Nam ex hoc, quòd apprehenderis equum tibi donatum, nascitur jus equum illum retinendi, etiam invito postmodùm donatore.

122 Possessio facti est triplex, naturalis, civilis, civilissima. Sermo est de possessione justa, quia injusta apud Theologos non est vera possessio; utpote adminiculo veri juris destituta, jureque insistendi rei tamquam suæ spoliata. Unde fur rem furtivam propriè non dicitur possidere; sicut nec ille qui sine titulo possidet. Non enim potest jus esse sine titulo.

Naturalis itaque possessio est quâ res corpore simul & animo tenetur ut sua, ut quando pecunia possidetur in bursa.

Civilis est quâ res solo animo tenetur, cum legis assistentia, ut quando quis, existens Leodii, possidet agrum in Ardenna existentem: unde potest quispiam per alium possidere naturaliter, & per seipsum civiliter. Locator enim possidet naturaliter per colonum, & civiliter per seipsum. *Civilissima* possessio est, quæ solâ legis dispositione acquiritur. Sic in Gallia & Belgio possessio transit à defuncto ad hæredem, etiam inscium, juxta illud proverbium, *le mort saisit le vif*, id est mortuus hæredem ponit in possessione eorum quæ ipse possidebat.

§. III.

Declarantur effectus possessionis.

123 POssessio justa, seu bonæ fidei, varia ex dispositione legum habet privilegia. 1°. namque conditionem possidentis facit meliorem. 2°. causat præscriptionem, faciendo, ut post lapsum temporis jure requisitum, alienæ rei dominium acquiratur. 3°. parit in judicio præsumptionem dominii. Unde possessor in judicio probare non debet rem esse suam, sed contrarium probandi onus rejicit in partem adversam. 4°. possessor potest vim vi repellendo, possessionem suam tueri. 5°. possessor expulsus potest armis rem suam incontinenti repetere, seu recuperare, ly *incontinenti* intelligendo moraliter, spectatis circumstantiis. Cæterùm absens, qui naturalem tantùm possessionem amisit, statim eam repetere censetur, si reversus mox aggrediatur detentorem. Hac etiam in re privilegium habet injusta possessio: si enim fur rem tuam mobilem furripuerit, potes tu eum insequi, vique rem tuam ipsi eripere, si possis. At postquam fur rem tuam extra tuam posuit custodiam, nequis amplius, citra injuriam, uti vi ad eam recuperandam (quia tunc etiam civilem possessionem amisisti. L. *possideri* ff. de acquir. possess. & L. *scirem* ff. eod.) sed recurrere debes ad solita juris remedia, quæ à Juristis interdicta vocantur, sic dicta, quia sunt dicta Prætoris inter actorem & reum. Vide institut. lib. 4. tit. 15. nec te prætereat quod dixi lib. 1. num. .... privilegia illa juris esse humani, non naturalis, nec divini.

§. IV.

Definitio præscriptionis, & conditiones ad legitimam præscriptionem requisitæ.

ALiqui distinguunt inter *usucapionem* & 124
præscriptionem, quòd usucapio sit rerum mobilium, præscriptio immobilium. Verùm duo ista vocabula pro eodem jam passim accipi solent.

Itaque *præscriptio*, seu *usucapio*, definitur, acquisitio dominii per continuationem possessionis, tempore legibus definito. L. *usucapio* ff. de usurpat. & usucap. Cùm dicitur *acquisitio dominii*, dominium amplè sumitur, prout comprehendit alia etiam jura, usumfructum, servitutem, &c. Dum verò additur *per continuationem possessionis*, sermo est de legitima possessione, cum bona fide & titulo, saltem præsumpto, & de possessione continuata tempore per leges requisito ad acquisitionem rei alienæ. Sensus proinde definitionis est, quòd præscriptio sit acquisitio dominii per legitimam possessionem, cum bona fide, & titulo (saltem præsumpto) continuatam sufficienti tempore, ut res aliena secundùm leges fiat tua.

Et hinc conditiones ad præscribendum 125
requisitæ communiter recensentur quinque. Prima est *possessio*, quia, ut habet regula 3. juris in 6. *præscriptio sine possessione non procedit*. Non quælibet verò possessio sufficit ad præscriptionem. Non sufficit enim naturalis (utpote injustis etiam possessoribus conveniens) sed requiritur, & sufficit possessio civilis (modò sit nomine proprio) quia qui civiliter possidet, legitimè possidet; qui autem solo alieno nomine possidet, non tam ipse, quàm alius, cujus nomine possidet, in veritate possidet. Unde tutor præscribere nequit bona pupilli, nec emphyteuta res emphyteuticas, nec conductor res sibi locatas, nec commodatarius commodatas, nec depositarius depositas, cap. *cùm venisset* de præscript.

Secunda conditio est, ut res quæ possidetur præscribi possit; sunt enim res quæ præscribi non possunt, ut jus decimarum, aut alia jura ecclesiastica à Laïcis, cap. *causam* de præscript. Non præscribitur etiam exemptio ab obedientia sui Superioris, c. *cùm non liceat* eod. Nec res communes, seu ad Reipublicæ usum deputatæ, ut viæ publicæ

L. *usucapionem* ff. de usucap. Nec limites Episcopatuum, Provinciarum, Parochiarum c. 2. 5. & 6. causâ 6. q. 3. Nec tributa, quæ pro agris Principi, vel Reipublicæ solvuntur. L. *competit* C. de præscript. Neque res, quæ alienari prohibentur per legem, vel quarum alienationem defunctus prohibuit. L. 2. ibid. & ibi Bartholus. Neque res precariò possessæ. L. *certè* §. *is qui rogavit* ff. de precario. Neque res emptæ à prodigo luxurioso, vel lusore; neque res furtivæ. Unde *in rebus mobilibus non facilè procedit, ut bonæ fidei possessoribus usucapio competat*, uti dicitur L. *jure civili* Institut. de usucap. §. *quod autem*. In aliquibus tamen ex antedictis valere potest præscriptio longissimi temporis.

127 Tertia conditio est titulus, non verus & certus (si enim subsit, præscriptione non est opus) sed coloratus, seu probabiliter præsumptus. L. *nullo justo* C. de rei vendic. Exemplum ponitur Instit. l. 2. tit. 6. §. 2. *Si hæres rem defuncto commodatam, aut locatam, aut apud eum depositam, existimans hæreditariam esse, bonâ fide accipienti vendiderit, aut donaverit, quin is qui acceperit usucapere possit, dubium non est.* Ille tamen qui commodatò rem accepit, licèt emisse se per errorem putet, eam præscribere non potest. Quia *error falsæ causæ usucapionem non capit, velut si quis, cùm non emerit, emisse se existimans possideat.* Instit. l. 2. tit. 6. In usucapionibus quoque error juris possessoribus nunquam prodest. L. 32. ff. de usucap. & L. de ignorantia juris & facti. Facti verò ignorantiam prodesse constat. Ibidem.

128 Putat autem S. Antoninus p. 2. tit. 1. c. 15. præsumptionem de justo titulo semper haberi, dum nihil probabilitatis occurrit in contrarium. Vincentius quoque Bellovacensis lib. 7. c. 107. dicit, quòd possessor in dubio justum titulum habuisse præsumatur, nisi non habuisse probetur: cùm secundùm regulam juris *nemo præsumatur malus*; nemo proinde præsumatur voluisse rem alienam injustè, & sine titulo possidere.

129 Alii tamen aiunt, titulum non præsumi, nisi constet aliquem (bonâ fide existimatum validum) præcessisse, tametsi revera invalidus fuisset. Nam quando ejusmodi titulus possessionem præcessit, v. g. emptio, possessor præsumitur ex eo rem possidere. Ita Glossa ad L. *quædam mulier* ff. de rei vindic. Mascard. concl. 1203. eò quòd actus subsequens præsumatur factus in vim tractatûs, seu causæ præcedentis. L. *qui in aliena* §. 4. ff. de acquir. hæred. Aliàs titulus, cùm sit res facti, non præsumitur, nisi probetur. In possessione tamen 30. 40. vel 100. annorum titulus præsumitur, idcòque probandus non est. L. *omnes* C. de præscript. 30. annor. & cap. *Sanctorum* de præscript. quia, uti dicitur L. *peregrè* ff. de acquir. possess. oblivio tanti temporis lapsu facilè solet irrepere. In præscriptione tamen 10. vel 20. annorum, probandus est titulus, sine quo bona fides non præsumitur. L. ult. C. *Unde vi.*

Quarta conditio est bona fides, id est 130
credulitas, quâ prudenter quis sibi persuadet, rem esse suam; vel saltem ignorat esse alienam, nisi ignorantia sit crassa, vel nisi sit ignorantia juris, non facti. Bonam verò fidem esse necessariam, constat ex cap. *malæ fidei* de reg. jur. in 6. & cap. fin. de præscript. Debet autem esse continua, seu non interrupta, toto præscriptionis tempore. *Possessor* enim *malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Reg. 2. de reg. juris in 6. Et in hoc jus civile §. *divina* Instit. de usucap. solùm requirens bonam fidem initio præscriptionis, correctum est à jure canonico, ob rationem quam allegat Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 41. *Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque fide præscriptio, tam canonica quàm civilis, cùm sit generaliter ei Constitutioni, seu consuetudini derogandum, quæ absque mortali non potest observari peccato. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei conscientiam habeat alienæ.*

Hinc dubitans an res sit sua, quamdiù 131
non occurrit ipsi fundamentum, probabiliùs ipsi persuadens rem esse, quàm non esse suam, præscriptionem inchoare non potest, uti nec bonam fidem. Si enim solùm occurrat ipsi fundamentum probabile quòd sua sit, atque ex adverso occurrat æquè probabile quòd sua non sit, manet in statu dubitantis. Cum dubio verò tali non stat bona fides, sine qua præscriptionem inchoare non potest, ut Doctores conveniunt.

Quòd si, præscriptione bonâ fide inchoatâ, dubitare incipiat, an res quam possidet, sit sua; si dubium non sit leve, & temerarium, sed grave, seu probabile, & discretum, non tenetur quidem rem statim abdicare, sed potest tantisper retinere, donec adhibitâ diligenti inquisitione, certificari queat, an sua sit, an alterius; modò animum habeat restituendi, si deprehendat, esse alterius. Sed sicut per ejusmodi dubium interrumpitur bona fides ipsius; ita & præscriptio, uti docent meliores Jurisconsulti, specialiter Minsyngerus centur. 4. observat. 6. Per consequens, si post diligentem inquisitionem, dubium perseveret, non potest rem totam retinere, sed pro ratione dubii dividere, vel cum parte compositionem facere, vel mutuo consensu rem arbitrorum judicio, vel sententiæ Judicis committere debet. Quòd enim ad rem totam bonâ fide retinendam non sufficiat possessio, cum dubio probabili & discreto, an sit sua, videtur in simili decisum cap. *inquisitioni* de sent. excom. ubi Pontifex loquens de altero conjugum, qui post matrimonium bonâ fide contractum, dubitare incipit de ejus valore, respon-

respondet distinguendum, *utrùm alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, per quod sine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit? An non sciat pro certo, sed credat? In primo casu, debet potiùs sententiam excommunicationis humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo distinguimus, utrùm habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi, & temeraria; an probabili & discretâ? Et quidem ad Pastoris sui consilium, conscientiâ levis & temerariæ credulitatis explosâ, licitè potest non solùm reddere, sed etiam exigere debitum conjugale. Verùm cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidente & manifesta, debitum quidem reddere, sed postulare non debet, ne in alterutro contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Ubi, per credulitatem probabilem & discretam, Pontifex intelligit dubium discretum & probabile. Aliàs non solvisset quæstionem. Quærebatur namque, an dubitare incipiens de valore sui matrimonii, debitum reddere posset exigenti.

133 Quòd etiam per dubium probabile & discretum superveniens, bona fides, adeòque præscriptio (sine ea non procedens) interrumpatur, ratio est, quia stante tali dubio, utpote conscientiæ, & bonæ fidei vulnere, possessor formare nequit judicium quietum & tranquillum, quòd res sua sit, sed judicium inquietum & vacillans dumtaxat. Bona fides verò est judicium quietum & tranquillum. Cùm igitur possessor nequeat possessionem continuare judicio quieto & tranquillo, continuare nequit bonâ fide. Nequit ergo bonâ fide rem totam retinere; imò sciens & volens exponit se periculo rem alienam retinendi, si totam retineat. Denique sicut nequit bonâ fide rei possessionem inchoare, nisi firmiter, & absque probabili formidine judicet esse suam; sic possessionem ipsius nequit bonâ fide continuare.

134 Nec obstat regula illa juris: *In pari dubio melior est conditio possidentis.* 1°. quia regula ista nullibi traditur in jure canonico, saltem hoc sensu, quòd omnis possessor, in pari dubio, ex vi possessionis tutus sit in conscientia, sibi rem totam retinendo. Regula quidem 65. in 6. dicit, quòd *in pari delicto, vel causa, melior est conditio possidentis:* eò quòd utique in controversia super rei dominio, probatio dominii adversario potiùs quàm possessori incumbat, ex ipsaque possessione temporalium bonorum, maximè notabilis temporis, præsumptio aliqua, præsertim in foro externo pro possessore habeatur, quòd ipse potiùs quàm alius sit rei possessæ dominus; præsumptio (inquam) in sola possessione non fundata, sed & in aliis circumstantiis; quia scilicet in bonis fortunæ unusquisque ordinariè est diligens rerum suarum custos; & quia vir probus acquirere non solet alicujus rei possessionem, nisi justo titulo. Et ideò leges nolunt, ut temerè, & sine probatione, præsumatur contra possessorem, sed pro ipso, donec motiva sufficientia in contrarium adducantur. Quam ob causam Judex fori externi rem adjudicare solet possessori, quamdiù actor non probat esse suam. Verùm hinc consequens non est, possessorem, in pari dubio, posse in conscientia rem totam retinere, donec certò sciat esse alienam. Cùm certum sit, multos esse casus, in quibus Judex fori externi rem possessori adjudicare solet, in quibus tamen possessor in foro conscientiæ eam sine injustitia retinere non potest, v. g. dum possessor certò scit, rem esse alienam, actor verò omni probatione destituitur. Sed & ad obviandum litibus, sicut & fraudibus ac fallaciis, Respublica statuere potest, ut in gravioribus quibusdam negotiis probatio quæcumque non admittatur; sed ea dumtaxat, quæ paucioribus contentionibus subjacere creditur: non ideò tamen possessor, certò conscius debitorem se esse, à debito solvendo in conscientia est exemptus, quòd actor ejusmodi probatione sit destitutus. Exempli gratiâ statutum est in Belgio, per Edictum Principis anni 1611. ut quisquis disponere voluerit de re excedente valorem 300. florenorum, id faciat per chirographum, coram Notario, & testibus, nec aliter recipiatur ad probationem rei gestæ; si tamen actor chirographum perdiderit, possessor non ideò absolutus est ab obligatione. Hæc exempla, quæ Glossa ex diversis capitulis adfert ad explicationem regulæ: *in pari delicto, vel causa*, &c. satis ostendunt eam ad aliud pertinere, quàm ad reddendum securum eum, qui rem dubiam retinet, uti videre licet apud Neesen tract. 1. de just. & jur. q. 5. dub. 3. Denique regula illa non dicit, in pari delicto, vel causa totum esse possidentis, sed melior est causa possidentis dumtaxat. Igitur ex ea perperàm deducitur, in pari dubio totum posse retineri. Magis adhuc perperàm plerique Casuistæ regulam illam usurpant in qualibet materia, dicentes, in omni dubio, an actio sit licita, licitum esse eam facere: quia melior est conditio hominis possidentis libertatem agendi quod vult. Quia regula illa non disponit de spiritualibus, sed de temporalibus dumtaxat, quæ potestati subsunt Reipublicæ; non ergo de exercitio virtutum, nec de divinorum observantia mandatorum. Sed hac de re diffusè satis actum est to. 1. lib. 11.

Non obstat etiam canon *si virgo* 34. q. 1. 135 (ex Augustino desumptus) in jure prædiorum *tamdiù unusquisque possessor bonæ fidei dicitur, quamdiù possidere se ignorat alienum.* Neque enim possidere se ignorat alienum, qui probabiliter dubitat se alienum possidere; quia tametsi de eo non habeat conscientiam

certam, conscientiam habet dubiam, sicut & cognitionem dubiam; sicut conscientiam dubiam habet peccati mortalis, qui probabiliter dubitat se illud commisisse; ideòque tenetur confiteri. Nec verbum *ignorare* canone illo idem est quod non habere conscientiam, seu notitiam certam, sed idem est quod non habere notitiam sive certam, sive dubiam. Aliàs adultera non esset virgo, quæ nuberet viro, de quo dubitat, an non sit alteri conjugatus; ibi namque dicitur: *Si virgo nesciens nupserit viro alieno, & hoc semper nesciat, nunquam ex hoc erit adultera. Si autem sciat, jam hoc esse incipiet, ex quo cum alio viro fuerit, sicut in jure prædiorum.* Illud autem nemo dicere audet. Ergo dubitare non est ignorare, seu nescire, ad sensum canonis istius. Et certè ridiculum est, vocabulum *ignorare* in moralibus sic restringere, ut ignorare dicatur quisquis non scit scientiâ certâ. Aliàs dignè celebraret, qui absque prævia confessione celebraret in dubio de peccato mortali commisso, propterea quòd dici soleat dignè celebrare cum qui ignorat se esse in statu peccati mortalis.

136 Tertiò, non obstat L. 1. ff. de condit. insert. *Bonæ fidei possessor sine plena & evidenti probatione removeri non debet.* Quia lex ista non procedit in foro interno, sed in externo, in quo Judex possessorem sine probatione certa removere non solet.

137 Ultima conditio est *tempus lege definitum*, quod est triennium in præscriptione mobilium, cum titulo, & bona fide, Instit. l. 2. tit. 6. §. *jure civili.* Et istud tempus sufficit ad præscribendum res mobiles Ecclesiæ (saltem exceptâ Romanâ Ecclesiâ) Authent. *quas actiones* de sacrosanct. Eccles. Sine titulo verò res mobiles, sive privatorum, sive Ecclesiæ, præscribuntur 30. annis.

138 Res verò immobiles, cum titulo, & bona fide, præscribuntur decem annis, inter præsentes (id est habentes in eadem Provincia domicilium) viginti annis inter absentes. Instit. loco citato. Sine titulo autem præscribuntur spatio longissimi temporis, id est triginta annorum. L. *siquis* C. de præscript. 30. annor. Et novellâ 22. c. 14. Speciale est de immobilibus Ecclesiæ Romanæ, quòd ad eorum præscriptionem requiratur tempus 100. annorum. Authent. *quas actiones* suprà citat.

139 Ad præscriptionem quoque immobilium aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, vel locorum piorum, requiruntur 40. anni, tam à jure civili, Authent. citatâ, quàm jure canonico, cap. *de quarta*, cap. *ad aures*, cap. *istud*, cap. *quia judicante*, & cap. *accedentibus* de privileg. Videri potest Papius tit. de præscript. arresto 1. Bona verò Ordinum Mendicantium non præscribuntur, nisi spatio 60. annorum (ut videre est in compend. privileg. Mendic. verbo *præscriptio*) vel etiam 100. annorum, ex communicatione privilegii Eugenii IV. Benedictinis concessi. De quo videri potest Lezana consulto 37. n. 22.

Denique ad præscribendum bona fisco 140
addicta requiruntur 40. anni. L. *omnes* de præscript. trigint. annor. Similiter ad præscribendum bona Civitatum, sicut & ad præscribendum bona subsidiana supremorum Principum. Si autem pertineant ad recognitionem supremæ potestatis ipsorum, contra ea non potest præscribi. L. *componit* d. eod. Si pertineant ad regni coronam, nonnisi spatio 100. annorum. L. *ut inter divinum.* C. de sacrosanct. Eccles. Si denique ad jurisdictionem Principis, nonnisi præscriptione immemoriali.

Hæc sistendo in jure communi: jura nam- 141
que particularia & consuetudines locorum plerùmque aliter disponunt. In Belgio namque consuetudines Artheſiæ & Duacenses requirunt 20. annos inter præsentes, 30. inter absentes, 40. adversus Ecclesias. Consuetudines Hannoniæ contra Laïcos requirunt annos 21. contra Ecclesias 30. Quia verò indistinctè loquuntur, licèt Chassanæus in consuetudinibus Burgundiæ neget iis comprehendi præscriptionem mobilium; alii probabiliùs affirmant. Quos inter Zypæus in Not. Jur. Belg. tit. de præscript. dicit, præscriptionem mobilium, jure communi statutam, ferè ubique in Belgio abiisse in desuetudinem, & eodem cum immobilibus tempore præscribi, utplurimùm spatio 30. annorum. Quod spatium etiam requiritur ad præscriptionem actionum personalium. Estque observandum, tempus ad præscriptionem requisitum debere esse pacificum, per nullamque litis contestationem, etiam non prosecutam, interruptum. cap. *illud* de præscript. Unde contingit, quòd res à pluribus sæculis possessa præscribi nequeat, si pars adversa ante singulorum 30. annorum decursus, litis moveat contestationem.

Addit Zypæus per Edictum Caroli V. 4. 142
Octobris 1540. politicæ quietis causâ esse decretum, ut omnia salaria Advocatorum, Procuratorum, Secretariorum, Medicorum, Chirurgorum, Apothecariorum, Clericorum, Notariorum, mercedes famulorum, operariorum, pretia mercium ad consumptionem venditarum, nisi juridicè exigantur intra biennium operæ præstitæ (quod tamen biennium quoad Advocatos & Procuratores juxta Edictum anni 1549. solùm incipit à tempore latæ sententiæ definitivæ, officiique cessantis) mercisvè traditæ, posteà juridicè exigi non posse, nisi chirographum scriptum sit; quo casu à debitore principali non præscribitur nisi decennio, & ab ejus hæredibus nisi biennio. Post lapsa hæc tempora non datur actio.

Philippus quoque II. 5. Martii 1571. 143
Edicto statuit, ne cessi reddituum canones

plures

plures quàm trium annorum exigi valeant, si debitores non fuerint juridicè interpellati de solutione plurium antecedentium canonum debitorum.

144 Verùm Edicta, utpote politiam externam dumtaxat respicientia, non faciunt debitorem in conscientia tutum (licèt non dederit chirographum) si post tempus illud eo prætextu non solvat, quòd intra tempus illud non fuerit juridicè interpellatus, si in conscientia legitimum agnoscat debitum. Edicta quippe illa solùm denegant actionem in foro externo (cùm per hoc habeatur finis & utilitas ipsorum) nec debitores ullo modo possint esse bonæ fidei possessores, ut præscribere possint, cùm sint in mora culpabili. Aliterque Edicta illa intelligere, est hominibus ad injustitias propensis januam aperire, ut cum insigni perturbatione Reipublicæ, frequentibusque injustitiis, debitorum solutionem procrastinent, donec biennium illud elapsum sit, ut post biennium tutâ jam conscientiâ eximi queant ab obligatione solvendi.

§. V.

Ostenditur, per legitimam præscriptionem, rei præscriptæ dominium in conscientia acquiri.

145 NOnnulli Theologi veteres (quos inter sanctus Raymundus) in ea fuerunt opinione, quòd per legitimam præscriptionem dominium non acquireretur in conscientia, seu foro interno, sed in foro externo dumtaxat. Ex quo concluserunt, comparente post præscriptionem domino, rem ipsi in conscientia restituendam. 1°. quia comparente vero domino, cessat bona fides, quæ est fundamentum præscriptionis. 2°. quòd aliquis excusetur, dum præscriptionis tempore rem possidet alienam, est propter bonam fidem, seu ignorantiam inculpatam. Ergo sublatâ per scientiam supervenientem ignorantiâ istâ, corrigendum est omne illud, quod ex ea secutum est. 3°. naturali jure locupletari quis non debet cum alterius injuria, vel jactura, reg. 48. juris in 6. & L. *nam hoc natura* ff. de condit. indeb. 4°. jus civile auferre non potest naturalem obligationem suum cuique restituendi. 5°. finis præscriptionis, pax scilicet, & tranquillitas publica, sufficienter obtinetur denegando actionem in foro externo, sicut num. 14. diximus de fine Edicti Caroli V. 6°. si per sententiam Judicis errantem aliquid esset adjudicatum ei, cui non debetur, iste, cognito errore, non posset illud retinere. Ergo similiter, &c. 7°. fundamentum præcipuum, imò unicum assertionis nostræ (sumptum ex legibus de usucapione, dominium adscribentibus usucapienti) non est convincens: quia cùm multæ sint dominii species, ei satisfit dicendo, quòd leges illæ solùm adscribant usucapientibus dominium, vim habens in judicio humano coactivo; non in judicio divino, seu foro conscientiæ. Et ista est prima hac in re sententia.

Secunda sententia est Adriani VI. & quo- 146
rumdam aliorum tam Theologorum, quàm Canonistarum, & Juristarum, admittentium per legitimam præscriptionem transferri in conscientia dominium, si ex parte illius, contra quem præscriptum est, intervenerit negligentia culpabilis, aliavè causa, propter quam leges possint illum justè privare re suâ: secùs si nulla intervenerit talis causa, puta si dominus satis inquisivit rem suam, & nescivit esse apud hunc possidentem, aut si scivit, non est ausus repetere, timens vexationem nimiam litigandi, aut non habuit unde prosequi posset litem, vel impeditus fuit in aliis magis arduis. Quia Princeps sine causa privare non potuit proprietarium dominio rei suæ, illudque, sine culpa ipsius, in alium transferre.

Tertia sententia est Alani de Insulis, di- 147
centis eum qui rem legitimè præscripsit titulo oneroso (id est quo aliquid pro re illa dederit) eam in conscientia restituere non debere domino posteà comparenti: secùs si eam præscripserit titulo lucrativo, ita ut nihil pro illa dederit. Ita etiam Eximius P. Franciscus Farvacques Augustinianus S. Th. Doctor Lovanienſis, excipiens tamen casum, quo intervenit negligentia prioris domini, quo casu putat nihil ipsi restituendum, etiamsi præscriptio facta fuerit titulo lucrativo.

Verùm assertio nostra est S. Thomæ quod- 148
lib. 12. a. 26. dicentis, quòd *siquis præscribat, bonâ fide possidendo, non teneatur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse post præscriptionem.* Est etiam Scoti in 4. dist. 15. Est denique communissima cæterorum Theologorum, eamque multis argumentis probat Glossa in cap. *vigilanti* verbo *noverit* de præscript. & tenent omnes ferè Canonistæ, teste sancto Raymundo p. 2. tit. de præscript. & usucap. §. 33. ubi addit, quòd *sic videatur servari per universum orbem, quocumque se diffundit Ecclesia.* Sylvester etiam verbo *præscriptio* dicit, quòd pro assertione nostra *clamant penè omnes.*

Meritò quidem. 1°. quia leges & cano- 149
nes indistinctè & absolutè dicunt, legitimâ præscriptione dominium transferri, nec distinguunt inter dominium & dominium, sed loquuntur de dominio absolutè, & absque distinctione, non distinguunt etiam inter res præscriptas titulo oneroso vel non oneroso, cum culpa, vel sine culpa prioris domini, &c. Ubi verò leges & canones non distinguunt, neque nos distinguere debemus, sed indistinctè & generaliter intelligere quod leges & canones indistinctè & generaliter dicunt. L. *de pretio* 8. ff. de publ. in rem act. maximè cùm leges & canones indistinctè intelligat universalis consuetudo (quæ est op-

tima legum interpres) sicut & communis omnium penè Theologorum, Canonistarum & Juristarum à quatuor omninò sæculis sensus.

150 2°. rationes hujus dispositionis legum & canonum non suadent esse distinguendum; imò cùm generales sint & indistinctæ, suadent potiùs contrarium. Tametsi enim ratio una sit in pœnam negligentiæ eorum, qui tanto tempore res suas non inquirunt. L. *ut perfectius* C. de annali exceptione (quam solam ob rationem, si præscriptionis privilegium foret introductum, vera esset sententia Adriani, & aliorum dicentium, præscriptionem in conscientia non valere contra invincibiliter ignorantes rem suam ab aliis possideri) revera tamen aliæ rationes introducendæ præscriptionis fuerunt, quæ tam procedunt contra non negligentes, quàm contra negligentes, & tam in foro conscientiæ, quàm extra illud, ne scilicet diù, & ferè semper incerta forent dominia, seu scrupulis obnoxia. L. 1. ff. de usucap. Et ut aliquis litium finis esset. L. *usucapio* ff. pro suo. Et ut consuleretur paci externæ civium (quam ex proprio fine attendunt leges) pacique internæ conscientiarum, quam ex proprio fine canones attendunt. Tres verò rationes istæ procedunt etiam in foro conscientiæ. Estque id manifestum de prima: si enim per præscriptionem in conscientia non transferrentur dominia, diù, & ferè semper in conscientia forent incerta, scrupulisque obnoxia: quia diù, & ferè semper post præscriptionem conscientia anxia esset, ne fortè alienum possideretur. Secunda etiam ratio (intellecta tam de privatis litibus, quàm de publicis) in foro conscientiæ procedit: quia si dominium in conscientia non transferretur, prior dominus in conscientia posset rem suam vi repetere, vel saltem occultè surripere, dum viâ juris eam recuperare non posset. Tertiam denique rationem in conscientia procedere, manifestum videtur ex eo quòd internæ conscientiarum quieti non consuleretur, si per præscriptionem dominium in conscientia non acquireretur.

151 Tertiò, cap. *sanctorum* de præscript. generaliter & indistinctè dicitur, bona præscripta *quietè & sincerè, perpetuò teneantur*, idque *sanctorum Patrum sanctiones statuisse*. Atqui non quietè perpetuò tenerentur, si cum obligatione restituendi domino post præscriptionem comparenti. Nec canon iste ad forum externum restringi potest: quia proprius canonum finis est vitare peccatum coram Deo (quod etiam sanctorum Patrum sanctiones potissimùm attendunt) non coram hominibus dumtaxat. Et ideò cap. *vigilanti* eodem necnon in Concilio Lateran. sub Innocentio III. reformatur jus civile, vigorem præscriptionis 30. annorum extendens ad malæ fidei possessores, quia possessio malæ fidei injusta & peccaminosa est coram Deo: siquidem *omne quod non est ex fide peccatum est*.

Quartò, cap. *ad aures* eod. Alexander III. 152
Mauritano Episcopo scribit, quòd una Ecclesia contra aliam 40. annorum spatio decimas præscribit: quia *de jure divino & humano melior est conditio possidentis*. Vult ergo præscriptionem tam procedere coram Deo, quàm coram hominibus; quatenùs utique *jura humana per Imperatores & Reges sæculi Deus distribuit generi humano*, prout Augustinus dicit tr. 6. in Joan. in fine.

Denique si præscriptio bonæ fidei non 153
procederet in foro Dei, magis quàm præscriptio malæ fidei, tam illa quàm ista à jure canonico debuisset improbari: quia non magis illa quàm ista sine peccato posset observari, seu vim obtinere. Quam ob causam civilis præscriptio malæ fidei per Concilium Lateranense improbata fuit.

Nec obstant rationes primæ sententiæ. 154
Ad 1. namque respondeo bonam fidem non cessare, imò firmatam esse, comparente post præscriptionem priori domino, utpote jam ampliùs non domino.

Ad 2. respondeo non esse corrigendum 155
jus præscriptionis bonæ fidei, utpote legibus & canonibus legitimè stabilitum.

Ad 3. respondeo, eum qui legitimè præ- 156
scripsit, non locupletari cum injuria prioris domini: qui enim jure sibi per leges & canones concesso utitur, nemini injuriam facit. Quòd si locupletetur cum jactura ipsius, hoc facit authoritate legum & canonum, ob commune bonum sic statuentium. Quod non vetat regula illa 44. Et verò si lex justa potuit justè determinare prima dominia: cur non & sequentia, dum Reipublicæ bonum hoc exigit?

Ad 4. respondeo non esse contra jus na- 157
turæ quòd quis absque sua culpa re suâ privetur authoritate publicâ, ob commune bonum. Tunc enim non privatur absque causa.

Ad 5. nego assumptum: quia finis legum, 158
præsertim canonicarum, non solùm est consulere paci externæ civium, sed & internæ conscientiarum, uti suprà est ostensum. Iste autem non est finis Carolini illius Edicti, in cujus casu debitor toto tempore non solutionis scit se debitorem esse: ideòque bonâ fide non potest præscribere; nec coram Deo censeri potest solvisse, sed coram hominibus dumtaxat, hoc sensu quòd actio perinde ipsi denegetur, ac si solvisset. Nec certè amplius sonant verba Edicti.

Ad 6. respondeo duplicem esse disparita- 159
tem. Prima est quòd ejusmodi sententia Judicis nitatur falsâ præsumptione; secùs leges præscriptionis. Secunda, quòd Judex, pronuntiando sententiam, non transferat dominium ab uno in alterum; sed solùm declaret, ad quem secundùm allegata & probata pertineat. Leges autem præscriptionis transferunt dominium.

Ad 7. nego antecedens: quia amplius 160

probant fundamenta assertionis nostræ.

161 Quòd si prætereà objicias, decimum hæredem (ut sanctus Petrus Damianus refert) monitum fuisse de restituendo castro, quod novem ex prædecessoribus ipsius pacificè possederant. Respondeo, si hoc verum est, ideò factum esse, quia castrum istud legitimè præscriptum non fuerat, sive ob defectum bonæ fidei, sive ob aliam causam: si enim legitimè præscriptum fuisset, restituendum non fuisset: utpote legitimè acquisitum. Cùm vel ipsi Reges, unus adversus alterum, jure gentium præscribere possint, non solùm castra, sed & provincias, principatus, & regna integra, per multorum annorum seriem à Majoribus suis accepta, esto inter eos aliqui ea injustè acceperint. Quàm longa annorum series ad id necessaria sit, præcisè definiri non potest: quòd tamen successores eorum, qui principatus aut regna injustè occuparunt, titulo talis successionis, jure gentium fieri possint justi possessores & domini eorum, constat ex Romano Imperio, quod non sine magnis olim latrociniis in tantam surrexit magnitudinem; & nihilominùs à piissimis posteà Imperatoribus, sine conscientiæ noxa, non solùm possessum & administratum, sed & à Christianis; imò & à sanctis militibus defensum, & Sanctorum orationibus firmatum fuit, etiam dum ab Ethnicis adhuc Imperatoribus regeretur. Hoc est enim quod sibi vult illa Dionysii apud Æmilianum Præfectum oratio (cujus meminit Eusebius lib. 7. Histor. cap. 10. *Sine intermissione pro eorum* (Valeriani, & Galieni Imperatorum) *regno, ut stabile & firmum maneat, preces adhibemus.* Hoc est etiam quod significat Tertullianus in Apolog. cap. 30. *Precantes sumus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes.* Sciebant utique Sancti, latrocinia illa beneficio præscriptionis (jure gentium, pro regnorum, Rerumpublicarumque communi pace ac stabilitate introductæ) obliterari posse. Et quomodò alioqui hodie in conscientia tuti esse possent Reges ac Principes, quorum Majores ac Prædecessores majori jure Romanum non invaserunt Imperium, quàm Romana Respublica cætera invaserat, prostraverat, protriveratque Imperia? Et quàm pauca hodie regna invasionis periculo non forent exposita, eo prætextu quòd hodie non minùs injustè à suis possessoribus occuparentur, quàm olim ea occupaverant eorum invasores? Maneat ergo certum, tutâ post præscriptionem conscientiâ possideri dominia, quæ ante præscriptionem fuerunt aliena. Aliàs pauci essent Reges, quos Ecclesia monere non deberet de obligatione abdicandi dominia & regna à suis prædecessoribus taliter acquisita.

CAPUT XII.

Casus, in quibus conceditur restitutio in integrum, non obstante præscriptione.

REstitutio in integrum est remedium juris, quo amissum per præscriptionem rei dominium authoritate Judicis recuperatur. 162

Conceditur 1°. minoribus, sive iis qui necdum expleverunt vigesimum-quintum ætatis annum, non obstante longissimi temporis præscriptione, etiam dum eam potuerunt impedire, nec ulla ex parte ipsorum ignorantia intercessit. L. unica C. si adversus usucap. & L. ult. C. de restitut. in integr.

2°. Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, 163
aliisque piis locis, quæ in hoc sunt instar minorum. cap. 1. & 2. de restitut. in integr. in 6.

3°. subinde etiam conceditur majoribus, 164
saltem adversus præscriptionem 10. vel 20. annorum (de præscriptione namque 30. annorum Doctores non conveniunt) allegatâ legitimâ causâ interruptæ possessionis, v. g. siquis Reipublicæ causâ abfuerit, vel apud hostes captivus fuerit. L. ult. ff. ex quib. caus. majorib.

Ut autem beneficium istud minores ob- 165
tineant, necesse est, ut à primo die inchoatæ ætatis 26. annorum, restitutionem petant coram legitimo Judice; majores autem intra spatium 4. annorum, ex quo sciverint bona sua esse præscripta, restitutionisque remedium petere potuerint. L. ult. cit.

CAPUT XIII.

Declaratur alius dominium acquirendi modus per contractum.

PEr varios contractus dominia transferri, 166
manifestum fiet per ea quæ dicturi sumus de contractu mutui, venditionis, &c. Sed ante omnia exhibenda est contractûs definitio ac divisio. Contractus itaque tripliciter accipitur, latissimè, latè, & strictè. Latissimè sumptus, idem est quod pactum. Quod L. 1. ff. de pactis definitur, *duorum, pluriumvè in idem consensus*, externo utique signo ad invicem expressus, sive cum obligatione, sive absque ea, uti contingit in donatione. Latè sumptus est *pactum obligationem pariens altera solùm ex parte.* Tale pactum est promissio gratuita, quæ obligationem nullam inducit in promissario, sed in solo promittente. Strictè sumptus est *pactum utraque ex parte obligationem pariens.* Unde ab Ulpiano L. *Labeo* ff. de verb. signif. definitur, *ultrò citròque obligatio.*

Contractus strictè sumptus dividitur pri- 167
mò in nominatum & innominatum. *Nominatus* est ille, qui habet proprium ac specificum nomen, ut sunt quatuor isti: *Do ut*

des. Do ut facias. Facio ut des. Facio ut facias.

168 Secundò in contractum nudum & vestitum. *Contractus nudus* est, in quo nuda intervenit conventio, non firmatâ traditione, nec stipulatione, &c. ideòque nulla ei conceditur civilis actio. Firmatur verò stipulatione, dum uno interrogante, promittisne mihi v. g. gemmam, alter respondet promitto; tali proinde casu conceditur civilis actio. L. *ex placito* C. de rer. permut. *Contractus vestitus* est ille, in quo non intervenit nuda conventio, sed conventio firmata uno ex sequentibus modis. 1°. per hoc quòd unus contrahentium ex parte sua impleverit. 2°. per hoc quòd proprium ac specificum nomen sortiatur; omnis quippe contractus nominatus est vestitus. 3°. per stipulationem, quæ olim fiebat per conceptam verborum formulam, præcedente unius interrogatione, & alterius responsione, ut suprà; ast hodie firmari solet per instrumentum publicum coram tabellione; vel per simplicem signaturam contrahentium, maximè mercatorum, quorum fides esse debet exuberantior, ut loquitur Tiraquellus. 4°. per juramentum, de quo infrà. 5°. per adjectionem contractûs nudi ad vestitum, incontinenti factam (quia accessorium sequitur naturam principalis) ut si vendam tibi pratum meum centum aureis, & incontinenti tecum conveniam, ut in eo prato equum meum sub tali onere à me præstando pascam. 6°. denique per legis auxilium, seu privilegium, quo nonnullis pactis nudis actio conceditur, uti conceditur nudæ promissioni dotis. L. *ad exactionem* C. de dot. promiss. nudæ item promissioni alienum solvendi debitum, vel solvendi proprium alio die & loco quàm erat alioqui debitum. L. 1. ff. de constit. pecun.

169 Tertiò, contractus dividitur in lucrativum & onerosum. *Lucrativus* est, quo aliquid gratis promittitur vel donatur, absque ullo onere, obligatione, vel compensatione ex parte promissarii vel donatarii. *Onerosus* est, quo res pro re, onus pro onere, &c. imponitur.

170 Quartò, in contractum bonæ fidei, & stricti juris. *Contractus bonæ fidei*, seu benignæ interpretationis, est quo Judex non adstringitur ad judicandum secundùm rigorem verborum, sed potest quod sibi visum fuerit ex æquo & bono arbitrari, intra limites justitiæ, id est attentâ naturâ & conditione contractûs. Tales sunt emptio, venditio, locatio, conductio, depositum, commodatum, & cæteri, qui continentur in §. *actiones* Instit. de act. *Contractus stricti juris* est, quo Judex adstringitur ad judicandum secundùm rigorem verborum, ut in legato, testamento, donatione, promissione liberali, quæ strictè sunt interpretanda, nisi fuerint à Principe, cujus donationes, promissiones, &c. liberaliter sunt interpretandæ; eò quòd liberalitas maximè Principes deceat. Glossa ad L. *Principes* ff. de verb. signif. Legata etiam ad pias causas liberaliter interpretanda sunt. Quia id pietas exigit, & religio; per consequens id exigit ratio. Quia summa ratio est quæ pro religione facit. Sed hac de re plura alibi. Juxta Gudelinum tamen l. 3. jur. noviss. c. 13. moribus nostris, sicut & plurium aliarum Regionum, omnes penè actiones sunt bonæ fidei, nec earum obligatio extendenda est ultra strictum tenorem verborũ.

CAPUT XIV.

Conditiones requisitæ ad legitimum contractum.

PRima est mutuus utrimque consensus, prout ex definitione constat. Nihil proinde in contrahendo intervenire debet, quod consensui obstet, prout obstat error circa substantiam rei de qua fit contractus. 171

Ad cujus evidentiam notandum 1°. errorem aliquando versari circa substantiam contractûs vel rei de qua contrahitur, ut dum contrahens existimat esse unam rem, cùm sit alia, v. g. existimat se emere gemmam, cùm sit vitrum. Aliquando versari circa accidens, non circa substantiam rei, ut dum contrahens non fallitur quidem circa rem, de qua contrahit, sed fallitur circa aliquod ejus accidens, quod vel rei putat inesse, cùm absit, vel abesse, cùm insit, v. g. dum emit hunc equum quem videt, putans esse juvenem & fortem, cùm senex sit, ac debilis. 172

Notandum 2°. errorem aliquando dare causam contractui, aliquando ei causam non dare, sed dumtaxat incidentem esse. Dare censetur causam contractui, quando sic inducit ad contrahendum, ut eo absente non contraheretur, quatenùs scilicet tollit scientiam seu notitiam alicujus, quâ habitâ contractus non fieret. Et talis error dicitur antecedens. Censetur verò solùm intervenire, quando eo absente contractus equidem fieret, licèt non tam libenter, nec tanto pretio. Et talis dicitur incidens, seu concomitans. 173

Et quoties quidem error est circa substantiam rei, reddit contractum eo ipso nullum, sive fuerit antecedens, sive concomitans. Quia sive fuerit antecedens, sive concomitans, tollit consensum essentialiter necessarium ad contractum. Unde Jacob, qui contraxit cum Lia, putans esse Rachelem, adhuc invalidè cum Lia contraxisset, etiamsi animo sic dispositus fuisset, ut adhuc cum Lia contrahere voluisset, si eam ibi præsentem esse sciviset. Quia consensus, quem hîc & nunc præbebat, non ferebatur in Liam, sed in Rachelem. Nec illa animi dispositio, quâ consensisset in Liam, si eam præsentem esse sciviset, influit hîc & nunc in contractum præsentem: quia non facit quòd hîc & nunc contrahere velit cum persona præsente, sed solùm quòd id vellet, si error abesset. Quæ 174

conditio cùm non sit de præsenti, influere non potest in contractum de præsenti. Quam ob causam Authores passim tradunt, cum qui ex capitali odio paratus est occidere inimicum, ubicumque repertum, hîc & nunc reum non esse homicidii externi, si inter venandum, adhibitâ ordinariâ cautelâ, bonâ fide putans se occidere feram, occidat inimicum. Quia actio illa occisiva hîc & nunc non procedit ex voluntate occidendi inimicum, sed ex voluntate occidendi feram.

175 Quoties verò error versatur solummodò circa qualitatem, non reddit contractum ex se nullum, nisi redundet in ipsam rem (ut dum consensus non fertur, nisi in rem tali qualitate vel conditione vestitam) cùm enim error circa qualitatem, non tollat notitiam objecti principalis consensûs, non tollit consensum. Unde talis contractus, etiam jure civili sustinetur, saltem quando non intervenit dolus, vel fraus ex parte alterius.

176 Secunda conditio est, ut consensus in rem, de qua contrahitur, sit liber & voluntarius; nullo proinde metu extortus, nec fraude, nec dolo excludente consensum liberum in rem ipsam; qualis est dolus causans errorem circa substantiam. Si autem dolus non causet errorem circa substantiam, sed circa accidens rei dumtaxat, etiamsi det causam contractui, non reddit eum ipso facto nullum, saltem donec rescindatur per Judicem. Quia eo non obstante subest consensus sufficiens ad valorem contractûs. Ita Doctores communiter, patetque in contractu matrimonii, facto ex tali dolo. Qui contractus in utroque foro validus est, esto dolus adhibitus fuerit ab altero contrahente, v. g. fingente se divitem, cùm non esset.

177 Ille tamen qui dolo vel fraude induxit alterum ad contrahendum, ex quo hic damnificatus fuit, ex justitia tenetur deceptum in integrum restituere, damnaque omnia injustè illata reparare, etiam ante sententiam Judicis. Quia eorum est causa injusta.

178 Hinc Scholastici satis communiter inferunt, tales contractus, quibus dolus alterius causam dedit, tametsi absque errore in substantia, esse rescindibiles arbitrio dolum passi. Quia cùm author doli alterum injustè damnificaverit, æquum non est, quòd ex injustitia sua commodum reportet. Imò videtur æquum, quòd damnum illud passus, illud à se excutiat, modò nihil aliud obstet.

179 Verùm jura, quæ tales contractus habent ratos, non admittunt eorum rescissionem authoritate privatâ, sed authoritate dumtaxat Judicis. Proinde dolum passus eos non videtur posse rescindere ante sententiam Judicis (nisi fortè viâ ordinariâ indemnitati suæ non posset consulere) quamvis adimpletionem illius possit differre, habeatque jus ad petendum in judicio quod ipsius interest.

180 Sed quid, si alter contrahentium non fuerit doli causa, nec particeps?

Respondeo, si contractus fuerit gratuitus, & res adhuc integra, talem contractum per se loquendo rescindi posse ab eo qui notabili dolo inductus fuit ad illum faciendum, v. g. posse donationem, vel promissionem rescindi, re nondum traditâ donatario, vel promissario. Quia ex communi hominum sensu nullus censetur velle se obligare ad gratis donandum, vel promittendum, nisi quando spontaneè, & sine notabili errore voluit donare, vel promittere.

At si contractus fuerit onerosus, & is qui 181
damnum inde patitur à doli authore damni compensationem (ad quam reverà tenetur) non possit obtinere, absque consensu compartis innocentis à contractu non potest resilire, saltem re non integrâ, & maximè si compars ex resilientia damnum incurreret. Quia cùm contractus supponatur validus, & compars innocens nullam dederit resiliendi causam, justum non est ut resiliat ipsâ invitâ, cum damno ipsius.

Si tamen dolum passus, stando contractui, 182
notabiliter gravaretur; alter verò, quocum contraxit, nullum damnum eo rescisso pateretur, naturalis æquitas videtur tunc rescissionem permittere, si res illam patiatur, dum alius non apparet modus compensationem obtinendi ab authore doli. Quia talibus in circumstantiis alter habere non videtur justam de rescissione querelam: cùm rationabiliter velle non possit contractum ab innocente servari cum suo damno, quando ipse vel nullum damnum sentiet, ex eo quòd non servetur, vel certè longè minus. Si enim hoc vellet, peccaret contra hoc communissimum principium dilectionis proximi: *Quod tibi non vis fieri, ne feceris alteri.* Et hoc sensu intelligenda videtur satis communis sententia Scholasticorum, contractum onerosum, dolo initum, re integrâ rescindi posse arbitrio dolum passi, quando utique ex rescissione alter contrahentium nullum incurreret notabile damnum; ipse verò notabile damnum incurreret.

At si author doli non sit restituendo, nec 183
solus dolum passus notabile damnum incurreret, sed etiam alter quocum contraxit, videndum, an damnum à contractu proveniat, an ab extrinseco? Si à contractu, ille qui ex contractu ampliùs habet quàm habere debeat, ad illud alteri restituendum tenetur, juxta S. Thomam 2. 2. q. 77. a. 1. ad 1. Si ab extrinseco, comparandum est damnum unius ad damnum alterius, causaque unius ad causam alterius. Etsi causa unius potior sit ex aliquo capite, res arbitrio boni viri ad æqualitatem reducenda erit, quantùm fieri poterit, sic ut totum damnum unus sustinere non debeat, cùm neuter illius causam dedisse supponatur. Si ergo, ab aliquo tertio fraude deceptus, rem meam tibi vendidi longè minoris, quàm valeat, teneris (ob inæqualitatem contractûs) superad-

dere mihi usque ad justum pretium, si nolis ut à contractu resiliam. Si mihi damnum aliunde proveniat, quàm ex contractu ipso, si me possim indemnem reddere, agendo contra deceptorem, ad id teneor servato contractu. Si hoc non possim, & tu nullum ex rescissione contractûs damnum sis incursurus, non videris justam habere causam recusandi rescissionem. Si autem ex rescissione tu etiam incursurus sis notabile damnum, quia jam re illâ indiges, nec aliam potes aliunde comparare, nisi pretio longè majori, quàm tempore contractûs, resilire non potero cum tanto tuo damno, te invito.

184 Tertia conditio est habilitas contrahentium ad contrahendum, habilitas rei quæ contractui subjicitur, ad hoc ut sub talem contractum cadat. Cujus defectu bona inalienabilia cadere non possunt sub contractum eorum alienativum.

185 Quarta conditio est, ut servetur forma substantialis pro nonnullis contractibus à jure præscripta. Neque enim contractus subsistere valet absque forma sua substantiali.

CAPUT XV.

Contractus gravi metu injustè incusso initi, non sunt generaliter invalidi, sive jure naturali, sive positivo.

186 EST sententia communior. Et probatur, quia quod metu fit, absolutè & simpliciter est voluntarium, etiamsi secundùm quid involuntarium. Ergo voluntarium substantialiter requisitum non deest tali contractui. Et ideò licèt varii contractus ex tali metu initi jure positivo sint irriti, ut contractus matrimonii cap. *cùm ad locum* de sponsalib. sponsalia & professio religiosa c. 1. de his quæ vi. Promissio dotis, vel ejus solutio. L. *si mulier* §. *si dos* ff. de eo quod metûs causâ. Electio Prælati c. *periculum* §. *cæterùm* de elect. in 6. Authoritas tutorum per metum extorta. L. 1. §. ult. de authorit. tutor. Promissio rerum ecclesiasticarum cap. *pervenit* de jurejur. &c. Non omnes tamen jure positivo irritantur, sed aliqui eorum solùm dicuntur irritandi, rescindendi, &c. uti videre est L. 4. Instit. tit. 13. §. 1. Et L. final. Cod. de his quæ vi. Non omnes etiam irriti sunt jure naturæ; quamvis aliqui sint, ad quorum valorem plerique docent ex natura rei non sufficere qualemcumque consensum, sed requiri omninò liberum & spontaneum, saltem hoc sensu, quòd extortus non sit metu gravi injusto; uti de matrimonii contractu docet Estius: eò quòd hic contractus sit mutui amoris vinculum, illudque naturâ suâ indissolubile, dum semel subsistit; ubi alii ex causa solutionem patiuntur: Idem plerique docent de promissione & donatione liberali. Qua de re alibi.

187 Etsi tamen non omnes contractus ex gravi metu injusto facti irriti sint, sive jure naturali, sive positivo, communis sententia est quòd in foro conscientiæ rescindi possint, ab eo qui talem metum est passus. Quia is qui metum intulit, ipsi fecit injuriam, ad cujus reparationem in conscientia tenetur, ipsumque in integrum restituere, etiam ante judicis sententiam. Ergo talem metum passus habet jus recuperandi suam libertatem, independenter à Judicis sententia.

188 Video tamen legibus positivis ipsi quidem concedi actionem in foro externo adversus metum incutientem, quæ §. 1. Instit. de excep. dicitur *exceptio metûs causâ*. Video etiam Judicibus præscribi, ut ejusmodi contractus rescindant. c. 2. de his quæ vi. L. *si mulier* 21. §. *si metu coactus* ff. de eo quod metûs causâ; sed nullibi invenio leges id relinquere arbitrio metum passi. Et ideò non temerè hicà privatis procedendum, maximè dum impletus est contractus, sed potiùs ad remedia juris recurrendum. Tametsi contra justitiam graviter non peccaret, qui, secluso scandalo, vel alio effectu malo, propriâ authoritate talem contractum rescinderet. Tum ob rationem proximè allatam. Tum quia leges illæ positivæ pro foro duntaxat externo procedere videntur ad vitandas confusiones.

189 Quidquid tamen de eo sit, certum est, eum qui metum injustum intulit, teneri in conscientia restituere id quod ex tali contractu accepit, totumque insuper damnum & interesse, quod alter inde passus est, sive metus incussus gravis fuerit, sive levis, modò verè causam dederit contractui. Quia per injustam actionem suam verè causa injusta fuit totius istius damni, causa etiam injusta contractûs. Et quamvis leges, ad vitandas nimias lites, ordinariè non concedant exceptionem passo metum tantùm levem, nec admittant rescissionem contractûs ex tali metu; per hoc injustus author metûs non liberatur ab obligatione, quâ ligatur ex natura rei.

190 Sed tria hîc supersunt inquirenda. 1°. quid si alter contrahentium non fuerit causa, nec conscius metûs. 2°. quid in praxi faciendum, in casibus in quibus disputatur, an sponsalia v. g. ex metu injusto, levi tamen, valida sint ex natura sua? disputatur item, an, supposito quòd valida sint, in foro conscientiæ rescindi queant ad arbitrium metum passi? Quid (inquam) in praxi faciendum, si ille, qui sic sponsalia contraxit, à talibus sponsalibus posteà resiliens, posteà sine dispensatione matrimonium contraxit cum consanguinea prioris. Tunc enim probabiliter dubitatur de valore secundi istius contractûs, ob dubium probabile, an non subsit impedimentum publicæ honestatis. 3°. quid item faciendum, in dubio de valore matrimonii, proveniente ex eo quòd disputetur, an matrimonium contractum ex metu injusto, sed non absolutè gravi, sit in foro conscientiæ validum? Id enim Doctores communiùs affirmant; Navarrus & alii negant, quando quis

quis tali metu (licèt ex causa levi proveniente) ex imprudenti imaginatione eo modo compulsus fuit, quo vir gravis compellitur ex metu gravioris mali.

191 Ad 1. respondeo plurium opinionem esse, quòd talis ante sententiam Judicis rescindentis contractum, restituere non teneatur acceptum ex tali contractu. Sed hoc non videtur generaliter verum. Quia ex una parte probabile est quòd talis contractus ex metu gravi injusto (licèt à tertio illato) extortus, jure naturæ sit invalidus. Ex alia parte, licèt (juxta communiorem sententiam) jure naturæ validus sit, est tamen rescindibilis ad arbitrium metum passi. Qui proinde, si eum resciderit, legitimum alter titulum non habebit retinendi, saltem dum ipsi constiterit de rescissione. Denique contingit quòd ille, qui ex tali metu contraxit, gravissimum damnum incurret, si contractui stare debeat; compars autem nullum vel modicum damnum sentiet, si contractus rescindatur. Isto verò casu naturalis æquitas, fundata in generali principio dilectionis proximi, dictat quòd alter consentire debeat in rescissionem talis contractûs, vel saltem ad damnum pro parte relevandum, ut suprà dixi.

192 Ad 2. servanda est in tali dubio regula juris, de tutiori via sequenda. Non procedendum proinde ad matrimonium contrahendum, aut consummandum, nisi petitâ ad cautelam dispensatione, quæ facilè impetrabitur.

193 Ad 3. respondeo, si spectatis omnibus constiterit de levitate metûs, eum qui sic contraxit non posse resilire, ob indissolubilitatem matrimonii, in casu illo probabiliùs validi. Si autem ipse nihilominùs dubitet de valore, debitum petere non potest, ne agat contra conscientiam, licèt illud reddere teneatur. Tutissimum proinde erit supplere id quod dubitat defuisse, consensum liberè renovando.

CAPUT XVI.

Appendix, de votis ex metu factis.

194 COnvenit inter Authores 1°. votum, sive solemne, sive simplex, factum ex metu, proveniente ex causis naturalibus, v. g. ex metu mortis, in naufragio, morbo, &c. validum esse, nisi metus tantus esset, ut rationis usum hîc & nunc impediret. Quia non deest illi sufficiens voluntarium ad vovendum, nec ullius cogentis intervenit injuria.

195 Convenit 2°. votum solemne, ex gravi metu injusto extortum, esse invalidum, saltem jure positivo Ecclesiastico hodierno. Id enim constat ex Tridentino sess. 25. de Regular. c. 18. & 19. Et ratio est, quia tale votum est velut spirituale matrimonium indissolubile, quo immobiliter quis adstringitur ad observantiam statûs quem vovit. Unde ex natura sua requirere videtur consensum perfectè liberum ac spontaneum.

Hinc consectaneum est, eum qui ex metu 196
gravi injusto sacros suscepit Ordines, solemni castitatis voto non ligari, quando ordinationem suam ratam non habuit, in suscepto ordine (cessante metu) ministrando.

Sed licèt hoc verum sit, non perinde ve- 197
rum est, talem non obligari ad servandam castitatem, horasque recitandum (uti non obligari plerique putant Authores, cumque ipsis Zypæus L. 1. respons. canon. tit. de his quæ vi metûsvè causâ respons. 1. n. 10.) nec verum est quod addunt, talem posse sine dispensatione matrimonium contrahere, sepositò scandalo. Tametsi enim taliter ordinatus non teneatur voto, equidem tenetur, Ecclesiæ Lege, à matrimonio abstinere, castitatem servare, horas recitare, uti satis insinuat Tridentinum sess. 24. can. 9. dum sub disjunctione definit, sacris initiatos teneri servare castitatem ratione Legis Ecclesiasticæ, vel voti. Estque Lex ista rationabilis & justa: quia Ecclesia potest subditos ad id in reverentiam sacri Ordinis sine proprio consensu cogere; sicut pueros, sine proprio consensu baptizatos, cogit Leges Ecclesiasticas servare.

Dixi num. 149. votum solemne ex gravi 198
metu injusto extortum, invalidum esse, jure Ecclesiastico moderno. Quia ex antiquo jure, historiisque Ecclesiasticis, non pauca proferunt Thomassinus de discipl. Eccles., & Christianus Lupus to. 4. Scholior. in Concilia pag. 475. quæ probant, plurimos olim invitos ad Monachatum compulsos fuisse, ac nihilominùs coactos in professione manere; plurimos item invitos ad sacrorum Ordinum susceptionem coactos fuisse. De quibus tamen in Concilio Toletano VIII. sic statuitur : *Quicumque, etiam inviti, ad Ecclesiasticorum officia & dignitatem assumuntur, deserere quam semel receperunt gratiam, donumque nequaquam audeant. Si verò ad conjugia, moresque saculi redire attentaverint, omni Ecclesiasticâ dignitate priventur, & apostatæ habeantur; & in Monasterio, donec vixerint, sub pœnitentia retrudantur.*

3°. non convenit inter Authores, an vo- 199
tum simplex, ex metu extortum, jure positivo sit invalidum. Quia licèt sententia communior affirmet, invalidum esse, nullæ proferuntur leges id disertè asserentes; & alii censent validum esse, & obligatorium, donec super eo dispensetur. Unde cùm (in tali dubio) sequenda sit in praxi via tutior, petenda est super eo dispensatio, vel votum servandum.

Nec magis convenit inter Authores, an 200
votum solemne, vel simplex, metu extortum, invalidum sit jure naturæ. Quia tam pro affirmativa, quàm pro negativa opinione non desunt rationes & authoritates. Et ideò

in praxi petenda dispensatio, &c. uti proximè dixi.

CAPUT XVII.

Contractus de se prorsus invalidi, sive jure naturæ, sive positivo, eos irritos decernente, non firmantur juramento; secùs si de se non sint prorsus invalidi, sed naturalem saltem pariant obligationem.

201 NOn est confundenda quæstio, an contractus, aliàs invalidi, juramento firmentur, cum alia quæstione, an contractus illi servandi sint ex vi juramenti. Cùm duæ quæstiones istæ sint planè diversæ. Manifestum est enim discrimen inter juramentum firmans contractum, alioquin invalidum, & juramentum per se obligans jurantem, licèt non firmet contractum. Quia dum juramentum firmat contractum, aliàs invalidum, 1°. duæ sunt obligationes; una justitiæ, ex contractu; altera religionis, ex juramento. 2°. aliquid acquirens per talem contractum (nisi aliud obstet) justè illud possidet, nec tenetur restituere. 3°. etiamsi jurans solutus esset juramento, remaneret obligatus ex contractu, vi cujus parti jus esset acquisitum, nec ab eo ipse resilire posset. Quia solutio, seu relaxatio juramenti ordinariè non fit cum præjudicio tertii. 4°. quando contractus est firmatus, eum adimplere tenetur hæres universalis ejus qui juravit: secùs, si is qui juravit, solùm obligabatur vi juramenti, non contractûs. 5°. ex juramento non firmante contractum, parti non competit actio in jurantem, prout competit ex juramento contractum firmante. Actio quippe in solo jure justitiæ fundatur. §. 1. Instit. de action. Jus verò justitiæ non acquiritur ex juramento contractum non firmante. 6°. dum is qui juravit, petere non vult juramenti relaxationem, satisfacit momentaneâ solutione, dando in instanti rem juramento promissam, eamque potest statim repetere: eò quòd alter (ob contractûs nullitatem) nullum jus in rem illam acquisierit, & jurans solùm eatenùs dederit, quatenùs ex religione tenebatur, ob reverentiam juramenti, quod solùm fuit de dando, non de non repetendo. Abbas, Gutierez, Covarruvias, aliique plures apud Castro-Palao disp. 2. de juram. p. 9. §. 1. n. 5. Qui addunt, eum qui juravit non repetere, posse equidem uti remedio relaxationis.

202 Prorsus ergo aliud est quærere, an contractus (aliàs invalidi) juramento firmentur; aliud, an servandi sint ex vi juramenti. Constat namque ex cap. *quamvis pactum* de pactis, aliisque canonibus object. 1. referendis servandos esse, si servari possint absque peccato & præjudicio tertii, servarique velit is in cujus favorem præstitum est juramentum. Quia ad id obligat reverentia debita Deo, qui per juramentum adducitur in testem, & quasi fidejussorem ejus quod juratur.

Nec ideò verum est, quod aliqui putant, 203
inutiliter quæri, an dicti contractus juramento firmentur. Imò quæstio ista scitu planè necessaria est, uti manifestum est ex rationibus n. 200. allatis. Et conveniunt quidem omnes, contractus jure naturæ invalidos, juramento non firmari. Quia juramentum tollere nequit invaliditatem Lege naturali inductam, nec firmare quod naturæ Author infirmat. Sola proinde controversia est de contractibus solo jure humano aliàs invalidis, quos Authores valdè multi apud Sanchez l. 3. in Decal. c. 12. indistinctè affirmant juramento firmari.

Sed dicendum 1°. regulariter non firma- 204
ri juramento contractus jure positivo irritos principaliter ob commune bonum. Quia eo ipso talis contractus est contra bonos mores, quo contra commune bonum; juramentum verò nullam habet vim roborandi contractus bonis moribus contrarios; cùm ipsum nullius roboris sit, uti docent varii canones.

Enimverò si juramentum non obliget, 205
dum vergit in præjudicium tertii; multò minùs dum vergit in præjudicium communis boni. Unde S. Athanasius obligasse legitur Dracontium ad suscipiendum Episcopatum, non obstante juramento, quo juraverat, se eum non accepturum. Quia juramentum istud vergere censuit in præjudicium boni communis Ecclesiæ. Videri etiam potest Ambrosius lib. 1. de offic. cap. 50. & Concilium Toletanum VIII. de incautis juramentis.

Dicendum 2°. quando contractus jure 206
positivo irritus est propter utilitatem contrahentium, magis quàm directè propter commune bonum, sæpè firmatur adjecto juramento, secundùm aliquos, id probantes ex contractibus minorennium, qui etsi à jure infirmentur ob favorem eorum, tenent tamen ob reverentiam sacramenti. cap. *cùm pactum* in 6. & cap. *cùm contingat* de jurejur. Necnon ex Rescripto Alexandri Imperat. L. 4. C. si adversus vendit. Et Constitut. Frederici Imperat. feud. lib. 2. tit. de pace tenenda §. ult. Et ratio ipsorum est, quia unusquisque renuntiare potest favori pro se introducto per legem, nisi ob aliquam causam impediatur; ei verò per juramentum adjectum renuntiare censetur.

Videtur tamen probabilius, quòd nulli 207
contractus, jure positivo prorsus invalidi, juramento firmentur, sed soli illi, qui aliquousque valent, saltem ad inducendam naturalem obligationem. Ita Jason, aliique plures apud Sanchez loco citato, cumque ipsis Basilius Pontius, Mastrius, aliique multi, quorum opinionem valdè probabilem censet Suarez de juram. lib. 2. cap. 29. Et ratio est, quia juramentum non habet ex natura sua vim validandi contractum, aliàs prorsus invalidum; sed tantùm firmandi validitatem

in

in eo repertam. Neque eam vim habet ex jure positivo. Non enim ex canonico : quia tametsi cap. *cùm contingat*, & cap. *mulier* de jurejur. & cap. *quamvis pactum* de pactis in 6. inviolabiliter servandi dicantur contractus jurati, si juramentum sponte, non ex metu præstitum fuerit ; si autem ex metu, iis satisfieri momentaneâ solutione ; equidem textus illi non dicunt, contractus (de quibus ibi) juramento firmari quoad se, sive intra limites justitiæ, sed solùm quoad juramentum, sive intra limites religionis. Non enim aliud volunt, nisi perjuriis viam præcludere, juramentique vim & reverentiam inculcare. Quod fit impletione contractuum juratorum, licèt invalidorum. Ratio autem cur textus illi velint momentaneâ solutione satisfieri contractibus metu juratis, est quia dum contractus sponte juratus est, nulla in ipso contractu intervenit causa relaxandi obligationem juramenti ; ideòque relaxari non potest, sed inviolabiliter servandus est, nisi relaxandi causa aliunde interveniat, etiam datum non repetendo : quia scilicet absque injuria juratum est. Ubi verò metu juratus fuit, in ipso contractu intervenit causa relaxationis, & repetitionis, utique injuria, per quam juramentum fuit extortum.

208 Neque juramentum ex jure civili vim habet firmandi prænominatos contractus : quia jus civile eam vim ipsi non tribuit, sed potiùs ei resistit. L. *non dubium* C. de legib. L. *juris gentium* ff. de pactis, ac sæpiùs alibi. Et optimâ quidem ratione : quia alioqui nullitas contractuum, tantâ consideratione per leges constituta, facillimo negotio per juramenta eludi fraudarique posset (quandoquidem eâdem ferè facilitate homines ad jurandum adducantur, quâ ad contrahendum) istud verò concedendum non est sine jure expresso, & claro, quod non exhibetur. Unde in Gallia Judex rescindit contractum juratum. Bugnon. de legibus abrog. lib. 1. tit. 128. In Belgio etiam non est usu judiciorum receptum, quòd contractus firmentur juramento, inquit Gudelinus lib. 3. de jur. noviss. c. 14. n. 13.

209 Ast (inquit nonnullus de relig. disp. 9. n. 57.) materia juramenti esse debet honesta ; materia verò contractûs, nisi firmetur juramento, non est honesta, sed inhonesta.

Respondeo, eo ipso esse honestam, quo materia est religionis (cùm sit materia alicujus virtutis) esse verò materiam religionis, dum ex religione servanda est. Nec ad hoc necesse est purgari vitium nullitatis contractuum : quia obligatio contractuum (tametsi nulla, & impedita intra limites justitiæ) esse potest valida & expedita intra limites religionis.

210 Dicendum 3°. si contractus non sint ex se omninò invalidi, sed obligationem aliquam, saltem naturalem, jure naturæ inducant, juramento firmantur, & irrevocabiles redduntur, etiam in foro externo. Quia jurans per juramentum privatur omni medio dictæ obligationis elidendæ, etiam in foro externo, quandoquidem contra ipsum opponi queat exceptio juramenti ; quod in foro quoque externo servandum est, secundùm allatos canones, & Authenticam *Sacramenta puberum*. Cæterùm etiamsi contractui, (qui jure subsistit) juramentum adjectum fuerit, per illud jurans, non impeditur ; quominùs pro foro conscientiæ petat juramenti relaxationem ab Episcopo, eâque mediante restitutionem in integrum, quoties adest justa causa, uti Gudelinus observat loco citato.

Dicendum 4°. quando juramentum adjicitur contractui ex se illicito, & res jurata non est licita juranti, nullatenùs obligatur illam præstare. Quia ad illicitum nullus obligari potest, & juxta reg. 58. juris in 6. *non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*. Si autem res jurata licita sit juranti, v. g. solutio usurarum, juramentum adjectum contractui ex se illicito ex parte alterius contrahentium, v. g. usurario, servandum est, etiamsi contractus sit nullus. c. *debitores* de jurejur. Ubi debitores usurarum, si earum solutionem juraverint, cogendi dicuntur Deo reddere juramentum, sic tamen ut iis solutis, creditores ecclesiasticâ severitate compellendi sint ad eas restituendas. 211

Hactenùs de juramento spontaneo contractibus adjecto. Nunc de juramento gravi metu injustè extorto dicendum. 5°. tale juramentum esse validum & obligatorium, si absque peccato, & præjudicio tertii queat impleri. Ita S. Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 15. Epist. 224. & 225. ubi ostendit, nullo metu, quamvis gravi & injusto, posse hominem, qui ita juravit, non servare fidem, absque perjurii crimine. Ita etiam S. Thomas 2. 2. q. 89. a. 7. ad 8. his verbis : *In juramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio ; una quidem, quâ obligatur homini, cui aliquid promittitur : & talis obligatio tollitur per coactionem : quia ille qui vim intulit, hoc meretur ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, quâ quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit : & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ : quia magis debet damnum temporale sustinere, quàm juramentum violare.* Unde cap. *ad aures* de his quæ vi, dicitur quidem, quòd renuntiatio, quâ quis ex terrore Laicorum renuntiavit electioni de se factæ, non impediat quin Ecclesiæ præficiatur, ad cujus regimen electus fuit ; additur tamen, nisi juramento fuerit confirmata. 212

Nec tamen is, qui gravi metu coactus, aliquid cum juramento promisit, aut donavit, destituitur medio recuperandæ rei. Potest enim 1°. petere dispensationem, eamque facilè obtinere. 2°. si non adsit tempus, vel opportunitas dispensationem petendi, rem quidem promissam tradere debet ; poterit tamen deinde in judicio agere prò ejus recu- 213

peratione, & accepti damni reparatione.

214 Quòd si coactus fuisset non solùm jurare se daturum, sed etiam juramenti relaxationem non petiturum, nec datum repetiturum; *poterit* equidem *repetere in judicio quod solvit*, vel dedit, *vel Prælato denuntiare, non obstante, quòd contrarium juravit: quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum. Esset enim contra justitiam publicam* (inquit S. Thomas citatâ q. 89. a. 7. ad 3.) quia scilicet per juramenta de non denuntiandis facinorosis, invitarentur mali homines ad peccandum impunè. Quod foret contra publicam utilitatem, cujus interest, ne crimina maneant impunita. Qualia frequenter manerent, si tales homines ad Judicem deferri non possent.

215 Et licèt omnes in eo non conveniant, conveniunt tamen, quòd qui sic juravit, possit evangelicâ denuntiatione alterum deferre ad Episcopum, à quo tunc facile à juramento absolvetur, vel alter cogetur ad illud relaxandum, acceptumque restituendum.

CAPUT XVIII.

Aliqui contractus facti sine solemnitate à jure requisita pariunt, aliqui non pariunt obligationem naturalem in foro conscientiæ.

216 OBligatio est triplex, naturalis, civilis, & mixta. *Naturalis* est quæ nascitur ex natura rei, seu lege naturali, ligatque in conscientia, licèt actionem non pariat in foro externo: eò quòd jus positivum ei non assistat. *Civilis* est quæ parit actionem in foro externo, sive liget in conscientia, sive non. *Mixta*, est quæ actionem parit in foro externo (eò quòd jus positivum ei assistat) simulque ligat in conscientia.

217 Et contractum quidem factum cum solemnitate à jure requisita, tam naturaliter quàm civiliter obligare, ita ut contrahentium alter, invito altero, resilire non possit, dum res adhuc est integra, Doctores conveniunt, constatque ex L. *juris gentium* ff. de pactis, & L. *sicut* Cod. de actionib.

218 Conveniunt item, pactum nudum, sive factum sine dicta solemnitate, quà talem præcisè, civiliter non obligare: adeòque eum qui sic contraxit, in foro externo posse resilire, dummodò alter reddatur indemnis. L. *juris gentium* suprà. Et L. *si pecuniam* ff. de conditione causâ datâ.

219 An autem naturaliter obliget, sive in foro conscientiæ, controvertitur quidem; sed assertio nostra probatur 1°. quia sistendo præcisè in jure naturali & gentium, antequam induceretur jus civile, nullum erat quoad hoc discrimen inter contractus nudos & vestitos, sed æqua erat in utrisque obligatio juris naturalis; ideòque prout isti obligabant in foro conscientiæ, ita & illi. Jus siquidem naturale & gentium dictat fidem esse servandam. L. *non minor est* C. de transact. *Violare enim fidem nefarium est, & violator illius dicitur oppugnator communis præsidii.* Tullius orat. pro Quinto Rabirio. Utrobique verò fides violatur, sive pactum nudum, sive vestitum non servetur; neque ad fidem seu obligationem naturalem amplius requiritur, quàm mutuus contrahentium consensus, signis exterioribus sufficienter expressus; nec minùs liberum est hominibus, libertatem suam restringere & ligare, sive per contractum nudum, sive per vestitum, quàm per votum, saltem, ubi jus positivum non resistit annullando.

220 Non resistit autem universim: non enim dum jus positivum certam sic requirit solemnitatem, ut illâ omissâ nolit ex tali contractu actionem oriri in foro externo; nec tamen declaret, contractus absque tali solemnitate factos esse irritos, modò contractus secundùm se justam ob causam non sit prohibitus. Siquidem Edictum perpetuum anni 1611. art. 19 ad dispositionem de re, cujus pretium excedit summam 300. florenorum, in Belgio requirit ut fiat in scripto sub chyrographo, vel coram Notario & testibus, seu aliis publicis personis, juxta dignitatem rei de qua agitur, & (si aliter facta fuerit) denegat actionem in foro externo: quia tamen non dicit dispositionem aliter factam, eo ipso esse irritam; aliter facta valet in foro conscientiæ, si aliud non obstet, & qui aliter donatum accepit, ante rescissionem contractûs non tenetur restituere, prout Doctores communiter docent.

221 Sed & dum jura certam solemnitatem sic requirunt ad contractum, ut expresè dicant, aliter factum non valere, esse irritum, &c. equidem non semper eo ipso tollunt ab eo vim obligandi in foro conscientiæ. Sæpè enim lex irritans contractum aliud non intendit, quàm ad lites vitandas denegare actionem in foro externo: imò sæpè iis concedit 1°. posse excipere, seu iis se defendere contra actionem alterius. L. *juris gentium*, & L. *si unus* ff. de pact. 2°. posse retinere, etiam in judicio, quod solutum fuerit ex debito taliter contracto. Ibidem, & L. *naturales* ff. de obligationib. & actionib. 3°. posse uti compensatione, non solvendo debitum, etiam civili obligatione contractum. Ibidem, & L. *etiam* ff. de compensat. 4°. si fidejussor assistat ejusmodi contractibus, vel pignus detur, potest retineri pignus, & adversus fidejussorem agi. L. *fidejussor.* ff. de fidejussorib.

222 Addit Rosignolus in noviss. Praxi Theologico-Legali prænot. 4. nuda pacta juramento firmata, parere obligationem & actionem civilem, tam jure canonico, quàm civili. Priorem partem probat ex Bartolo ad cap. *cùm contingat* de jurejur. Pro secunda parte adducit Authent. *Sacramenta puberum* C. si adverſ. vendit. communemque DD. sententiam. 2°. nudis pactis etiam juramen-

to non firmatis, jure canonico concedi actionem. 3°. in nudis pactis, ubi ex utraque parte conditionibus est satisfactum, nec jure civili, nec canonico concedi facultatem resiliendi. 4°. quando neutra ex parte satisfactum est, sed res adhuc integra, jure civili esse locum resilientiæ, non jure canonico. 5°. quando unus satisfecit, alter non, eum qui satisfecit, tam jure civili, quàm canonico, resilire posse, dummodò is qui non satisfecit, sit in mora & voluntate non satisfaciendi.

223 Esse tamen aliquos contractus nudos, defectu requisitarum solemnitatum, ita irritos & nullos, ut nullam pariant obligationem naturalem in foro conscientiæ, patet in matrimonio clandestino, in contractu simoniaco, & aliis multis. Neque enim in solo foro externo invalidi sunt, sed & in interno. Quomodò etiam Canonici non residentes, fructus non faciunt suos, etiam in foro conscientiæ.

CAPUT XIX.

Transitus à contractibus in genere ad solemniores ejus species.

224 QUia materias ingredior gravissimas, difficillimasque, cum S. Thoma in proœmio opusculi de usuris, *invoco Sapientiam, ne me errare permittat, in periculum animæ meæ, & in laqueum aliorum.* Sunt enim materiæ illæ periculosæ ac difficiles, propter duo. 1°. quia, ut idem S. Doctor ibidem ait, *in moralibus, & præcipuè in illa parte justitiæ, quæ dicitur commutativa, periculosum est diversa sentire, & opinari.* 2°. quia hæc est Confessariorum omnium gravissima difficultas, dum agitur de internoscenda usura, quæ tot modis palliata est, ut eorum qui magis sunt oculati & perspicaces, oculos ferè subterfugiat, inquit Ludovicus Bail in exam. pœnit. p. 2. q. 33.

CAPUT XX.

Definitio, & divisio mutui.

225 MUtuum definitur, *contractus, quo rei, numero, pondere, vel mensurâ constantis, dominium traditur accipienti, cum obligatione postmodùm reddendi similem in specie, & bonitate.*

226 Dicitur 1°. *rei numero, pondere & mensurâ constantis*; non verò (ut aliqui) rei ipso usu consumptibilis, sive cujus principalis usus est consumptio. Tametsi enim communissima mutui materia sit res ipso usu consumptibilis; mutuum tamen, secundùm jura, in solis ejusmodi rebus non habet locum, sed generaliter in omni re, quæ constat numero, ut pecunia; pondere, ut massa auri, vasaque aurea & argentea; & mensurâ, ut vinum, triticum, &c. constatque ex institutis, *quibus modis contrahatur obligatio*, & L. 1. ff. *si certum petatur*, massam auri & argenti materiam esse mutui, licèt usus principalis vasorum auri & argenti non sit ipsa eorum consumptio, inquit S. Thomas 2. 2. q. 38. a. 1. ad 6.

Dicitur 2°. *dominium traditur accipienti.* 227
Quia mutuum traditione perficitur, quâ mutuatæ rei à mutuante dominium in mutuatarium transfertur. Nam qui tibi mutuum dat, quod suum est, tuum facit. §. *item his* Instit. quibus modis refert. Et L. *incendium* C. si certum petatur. Unde mutuum appellatum est, quia ita à me datur, ut *ex meo tuum* fiat. §. 1. Instit. eod. Ac per hoc mutuum differt à commodato, quo rei commodatæ dominium non transfertur, sed solus usus conceditur.

Dicitur 3°. *cum obligatione postmodùm restituendi*, tempore utique ad mutuum moraliter necessario, spectato fine, aliisque circumstantiis mutui, nisi certum tempus præfixum fuerit. 228

Dicitur 4°. *similem in specie & bonitate*: 229
hoc est enim quod Justinianus ait lib. Instit. tit. 15. res quas mutuamus, *in hoc damus, ut accipientium fiant: & quoniam nobis non eadem res, sed aliæ ejusdem naturæ, & qualitatis redduntur.* Mutuatarius itaque non tenetur eandem numero rem restituere, prout commodatarius, & depositarius (cùm mutuatam rem possit consumere) sed eandem in specie ac bonitate, ita ut non sufficiat pretium rei reddere, sive rem alterius speciei, licèt in bonitate æquivalentem (aliàs foret venditio, vel alius contractus) sed reddere oportet rem prorsus similem in specie, & bonitate. Et hoc est quod dicitur L. 3. ff. de reb. credend. *Mutuum eâdem bonitate quâ datum est, eodemque genere reddi debet.* Istud etiam est, quod Jurisconsulti volunt, cùm aiunt, in commodato reddendam eandem rem in specie, in mutuo eandem in genere. Neque enim genus & speciem logicaliter accipiunt, sed legaliter, speciem pro individuo, genus pro specie.

CAPUT XXI.

Obligationes mutuatoris & mutuatarii.

EX allata definitione varia colliguntur, 230
quòd utique mutuatarius teneatur 1°. rem mutuatam in eadem specie, quantitate, & qualitate, suo tempore reddere. 2°. si fuerit in mora, tenetur de damno, & lucro cessante. 3°. tenetur de casu fortuito rei mutuatæ, ita ut si res mutuo accepta quomodocumque pereat, mutuatario, non mutuatori pereat. Et ideò mutuatarius, non obstante quâcumque jacturâ, & qualicumque mutatione rei mutuatæ, etiam citra culpam suam contingente, similem in eadem specie ac bonitate restituere tenetur. L. *incendium* C. si certum petatur.

Mutuator verò pro parte sua tenetur 1°. 231

monere mutuatarium de vitio rei, aliàs tenebitur de damno.

2°. mutuum non repetere ſtatim, ſed præfixo dumtaxat tempore, vel poſt certum tempus, ut ſuprà, niſi ipſe conſtituatur in pari neceſſitate.

3°. non plus exigere, ſive in valore, ſive in aliquo gravamine, quàm valeat ipſa res mutuata. Aliàs erit uſurarius. Mutuum namque contrahitur in gratiam ſolius accipientis; ideòque eſt contractus ex natura ſua gratuitus, juxta illud Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes.*

232 Colligitur inſuper, eum qui vinum vetus mutuo accepit, non ſatisfacere reddendo novum, prout habetur L. 3. ſuprà citatâ. Quia licèt ſit ejuſdem ſpeciei, non eſt ejuſdem bonitatis.

233 An autem reſtituenda ſit eadem, ſeu ſimilis in ſpecie ac bonitate phyſica, an morali? Diſtinguendum eſt, & dicendum, quòd (ſeclusâ ſpeciali conventione) in iis rebus, in quibus per ſe ſpectatur & intenditur phyſica entitas rei, reſtituenda ſit in eadem ſpecie phyſica, ut vinum pro vino, triticum pro tritico. In pecunia verò, in qua per ſe non ſpectatur phyſica entitas monetæ, ſed valor moralis, ſeu extrinſecus (prout habetur L. 1. ff. de contrah. empt.) debet quidem reddi pecunia pro pecunia, ſed non neceſſariò eadem in ſpecie phyſica, v. g. aurea pro aurea, patacones pro pataconibus, ſed eadem in valore quem habuit tempore mutui, ita ut ſi mutuo acceperis centum florenos v. g. in piſtollis, ſatisfacias reddendo centum florenos, ſive in piſtollis, ſive in alia moneta, aurea vel argentea; ſive interim valor piſtollarum tempore reſtitutionis auctus fuerit, ſive non. Neque enim attendendus eſt valor, quem moneta habet tempore reſtitutionis, ſed quem habuit tempore mutui. Reddendo quippe valorem quem habuit tempore mutui, tantum reddis, quantum accepiſti, uti dicitur L. *rutilia polla* ff. de contrah. empt. ubi propterea ſtatuitur hæc regula: *In contractibus ea æſtimatio inſpicienda eſt, quæ fuit tempore contractûs.* Simile eſt quod cap. 20. & 26. de cenſibus ſtatuitur, pro cenſuum ſolutione: *Attendendum ad valorem quem moneta habuit tempore quo cenſus inſtitutus fuit, non quem habet de præſenti.*

234 Confirmatur à ſimili: ſi enim mutuo accepiſti menſuram tritici, tametſi hæc poſtmodùm creſcat, vel decreſcat in valore, non teneris reddere aliam menſuram, quam accepiſti, ſed eandem: in pecunia verò ſic ſe habet valor ad valorem, ſicut in tritico menſura ad menſuram.

235 Dixi, *ſeclusâ ſpeciali conventione.* Aliàs namque conventioni ſtandum eſt, ſi juſta fuerit, & in ea ſervetur æqualitas, ut ſi conventum fuerit, eoſdem in ſpecie nummos reddendos, ſive valor mutetur, ſive non, dummodò non fuerit major probabilitas unius, quàm alterius.

Dices 1°. Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. docet, eum qui mutuavit menſuram tritici, poſſe exigere valorem qui fuit tempore mutui, nec mutuatarium ſatisfacere reddendo menſuram quam accepit, ſive triticum in pari bonitate & menſura, caſu quo valor decreverit. 236

Reſpondeo, recipiendam non eſſe opinionem illam. 1°. quia contra eam militat communis ſenſus Doctorum, ſicut & communis ſenſus & uſus timoratorum. 2°. militat lex *vinum* ff. de reb. cred. 3°. militat & ratio: quia reddendo triticum in eadem ſpecie, menſura, & bonitate intrinſeca, quâ accepiſti, imples totum contractum mutui; in quo non pretium, ſeu valorem pro tritico (aliàs foret emptio, vel venditio) ſed triticum in eadem ſpecie, menſura, & bonitate intrinſeca reddere debes, ut ſcilicet idem (in quantum fieri poteſt) reddas atque accepiſti.

Dices 2°. iniquum videtur, quòd mutuator, qui mutuo dedit decem piſtollas valentes 110. florenos, non recipiat niſi 100. Sic enim ex mutuatione damnum reportat. 237

Reſpondeo negando antecedens: quia damnum non reportat ex mutuatione, qui tantum recipit, quantum mutuavit. Eſtque æquum, ut rei mutuatæ valor illi creſcat, cui decreſceret, ſi decreſceret, & cui penitùs periret, ſi res mutuata, cum omni valore ſuo, penitùs periret. Decreſceret autem & periret mutuatario, utpote domino, cui res unaquæque perit & fructificat. Et quare (obſecro) illius monetæ valor creſceret mutuatori, cui non decreſceret, ſi decreſceret? Æquum profectò non eſt, ut ex valoris augmento commodum ſentiat, qui ex ipſius decremento nullum ſentiret incommodum. Denique cùm mutuum eum in finem inſtitutum ſit, ut per illud proximi neceſſitatibus & commodis tantiſper ſubveniatur, qui valorem acceptum in uſus ſuos protinùs convertere ſolet, æquum non eſt, ipſum adſtringi ad reſtituendum alium valorem, niſi quem accepit.

CAPUT XXII.

Diviſiones mutui.

QUoad diviſiones mutui, ea ſola ad intentum facit, quâ mutuum dividitur in formale & virtuale, ſive in explicitum & implicitum, ſeu palliatum. Explicitum eſt, quo formaliter & expreſsè quis tradit dominium rei ſuæ, cum obligatione poſtmodùm reddendi rem ejuſdem ſpeciei & bonitatis. Implicitum eſt mutuum ſub aliquo alio contractu, vel legato, vel donatione virtualiter inclusum, ſic ut apparentiam habeat contractûs venditionis v. g., at reverà includat rationem mutui, ſub alterius contractûs nomine palliati. Exempla proferemus c. 26. 238

CAPUT XXIII.

Usuræ definitio ac divisio.

239 USuræ definitiones varias varii tradunt, suis utique de ea opinamentis accommodatas; sed in eo deficientes, quòd depromptæ non sint ex germanis fontibus, unde genuinam usuræ rationem depromere oportet. Covarruvias L. 3. variar. resol. c. 20. usuram definit sic: *Usura est lucrum pecuniâ æstimabile mutuanti supra sortem ratione mutui principaliter proveniens.* Neotericus verò quidam hic disp. 9. n. 11. sic: *Usura est lucrum, quod mutuans exigit ratione mutui immediatè, tamquam debitum ex pacto, sive ex justitia.* Quod n. 15. explicans, *dicitur* (inquit) *debitum ex pacto, sive justitia: quia alioqui lucrum præcisè vi mutui, tamquam ex motivo gratitudinis nullo modo est usurarium, sive illud primariò, sive secundariò tantùm intendatur.*

240 Verùm ex hac doctrina (capite sequenti fusiùs refellenda) apertè sequitur propositio quadragesima-secunda ab Innocentio XI. damnata: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tamquam ex justitia debitum.*

241 Repudiatâ itaque definitione istâ, usura tripliciter accipitur. 1°. pro lucro usurario. 2°. pro contractu usurario. 3°. pro voluntate usuraria. Primo modo est lucrum rei pretio æstimabilis ultra sortem, à mutuatore ratione mutui quæsitum, non omninò spontaneè oblatum. Secundo modo est *contractus quo lucrum rei pretio æstimabilis, ultra sortem, à mutuatore ratione mutui quæritur, non omninò spontaneè offertur.* Tertio modo est voluntas ejusmodi lucrum, spontaneè non oblatum, quærendi, vel recipiendi.

242 Dicitur 1°. *lucrum supra sortem*, quo nomine intelligitur acquisitio rei, quæ anteà non erat mutuantis, nec ipsi ex justitia debita. Unde usurarius non est qui eâ lege mutuat, ut mutuatarius ipsi solvat summam aliunde ex justitia debitam, vel ut cesset à vexatione injusta. *Si ergo Sortes debet mihi decem* (inquit Almainus in 4. dist. 15. q. 1.) *& non possim ab illo habere nisi mutuem centum, ut recipiam simul illa decem, licet mihi sub illa spe mutuare. Quia non spero aliquid ultra sortem & debitum simul.* At verò *in mutuando sperare sortem & debitum, non est usura, ut patet extrav. de usuris c. 4. in textu & glossa.* Neque hoc est contra verba Christi: *nihil inde sperantes.* Subauditur enim, *ultra sortem & debitum.* Quia Christus non magis prohibet debitum quàm sortem sperare.

243 Dicitur 2°. *rei pretio æstimabilis*, sive interim pecunia sit, sive vinum, sive aliud quodcumque pretio æstimabile. Ita Ambrosius & Augustinus infrà inferendi. Hieronymus in cap. 18. Ezech. *Putant quidam usuram tantùm esse in pecunia. Quod prævidens Scriptura divina omni rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias quàm dedisti. Solent in agris frumenti & milii, vini & olei ..... usura exigi, sive, ut appellat sermo divinus, superabundantia ..... Alii pro pecunia fœnerata solent opuscula accipere diversi generis, & non intelligunt usuram appellari ..... quidquod illud est, si (eo quod dederint) plus acceperint.*

Et rationem dat S. Thomas 2. 2. q. 78. 244 a. 2. quia *secundùm Philosophum in 4. Ethic. omne illud pro pecunia habetur, cujus pretium potest pecuniâ mensurari.* Quia verò amicitia non est pretio mensurabilis, sive æstimabilis, usurarius non est, qui mutuat cum intentione obligandi mutuatarium ad amicitiam. Usurarius tamen est, qui mutuat obligando mutuatarium, ut per se vel per amicos suos, beneficium Ecclesiasticum mutuanti, vel alicui suorum conferat, vel procuret. Quamvis enim beneficium Ecclesiasticum per se non sit pretio æstimabile, est tamen connexum cum re pretio æstimabili, pro quanto est jus percipiendi fructus pretio æstimabiles. Per rem verò pretio æstimabilem hîc intelligimus omne illud, quod vel per se, seu in se est tale, vel in aliquo cum quo est connexum.

Et istius quidem rei lucrum debet esse quæ- 245 situm, seu intentum ratione mutui. Quia id Christus apertè significat, dicens, *date mutuum, nihil inde sperantes.* Si ergo mutuator lucrum alio titulo quærat, qui non sit de intrinseco mutui, v. g. titulo damni emergentis, usura non est. Nec usurarium est lucrum, ubicumque non intervenit mutuum, explicitum vel implicitum, tametsi lucrum istud alioqui foret injustum. Quia equidem non est lucrum ratione mutui.

Denique lucrum istud esse debet quæsi- 246 tum, sive acceptum non omninò gratuitò, sed cum morali aliqua coactione, quæ efficiat, quòd mutuatarius illud non offerat omninò spontaneè, gratuitò, & liberaliter, sed aliquo modo coactus, sive metu aliàs non obtinendi mutuum, sive alio quolibet modo, qui faciat ipsum non omninò spontaneum. Hoc enim ad usuram sufficit, etiam sine pacto, uti videbimus cap. seq. Defectu verò hujus usurarius esse non videtur, qui accipit aliquid pecuniâ æstimabile, nullo modo exigens, nec quasi ex aliqua obligatione, vel quasi obligatione, tacitâ, vel expressâ, sed *sicut gratuitum donum*, inquit S. Thomas loco citato.

Usura dividitur in mentalem & realem, 247 sive in internam & externam. Quæ subdividitur in apertam, seu formalem, expressam, & explicitam; & palliatam, seu virtualem, & implicitam.

Usura *mentalis* est, in qua nec intervenit 248 pactum externum, nec ulla externa coactio, seu obligatio, vel quasi obligatio. *Realis* est, in qua externa illa coactio, vel obligatio,

seu quasi obligatio intervenit. Et hoc duobus modis contingit, explicitè, vel implicitè. Explicitè, quando pactum est de percipiendo lucro ex mutuo formali, & expresso, sub titulo & nomine mutui, v. g. do tibi mutuo centum florenos, ut post mensem reddas 105. Et dicitur usura aperta, expressa, & explicita. Implicitè, quando pactum est de percipiendo lucro ex mutuo, non expresso sub nomine mutui, sed palliato sub nomine alterius contractûs, qui tamen vel sit, vel includat virtualiter mutuum. Et dicitur usura palliata, sive virtualis & implicita. Utriusque exempla dabimus cap. 26.

CAPUT XXIV.

Ad usuram necesse non est, quòd lucrum ex mutuo exigatur, tamquam debitum ex pacto, sive ex justitia.

249 Assertio est certa. 1°. quia apertè eruitur ex divina Scriptura: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Inde verò lucrum sperat, qui sic mutuum dat, ut inde lucrum suum intendat, sive cum pacto, sive absque pacto, aliàs mutuum non daturus; vel qui sic illud exigit, ut ad illud dandum aliquo modo obliget, vel quasi obliget, sic utique se habendo in verbis, vel factis, ut qui lucrum illud præstat, non omninò liberaliter, & spontaneè præstet. Tunc enim mutuans non mutuat liberaliter, & gratuitò, uti Christus præcipit, nec proximi commodum primariò quærit, sed lucrum suum. Quod Christus omninò vetat, ex cujus præscripto, quid de usura tenendum sit, manifestè cognoscitur, ait Urbanus III. cap. *consuluit* de usuris lib. 5. Decretal. tit. 19.

250 2°. non esse de ratione usuræ, quòd lucrum ex mutuo exigatur, tamquam debitum ex pacto, seu justitia, ex allatis verbis Salvatoris idem Pontifex ibidem perspicuè tradit. Tres namque casus sibi propositos ibi refert hisce verbis: *Consuluit tua nos devotio, an ille in judicio animarum quasi usurarius debeat judicari, qui non aliàs mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, ut, licèt omni conventione cessante, plus sorte recipiat. Et utrùm eodem reatu criminis involvatur, qui (ut vulgò dicitur) non aliter parabolam juramenti concedit, donec, quamvis sine exactione, emolumentum aliquod inde percipiat. Et an negotiator pœnâ consimili debeat condemnari, qui merces suas longè majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quàm si ei incontinenti pretium persolvatur?* Ad quos casus sic respondet: *Verùm quia quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio Lucæ manifestè cognoscitur, in quo dicitur: date mutuum, nihil inde sperantes; hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent (cùm omnis usura & superabundantia prohibeatur in Lege,* nimirùm Ezech. 18.) *judicandi sunt malè agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi.* Quo in textu cùm Urbanus III. declaret, ex Evangelio manifestè deduci, *usurarium esse lucrum ex mutuo intentum, licèt omni conventione cessante,* propter solam intentionem, quâ *non aliàs mutuum traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, ut plus sorte accipiat:* vehementer profectò falluntur, quicumque negant, usuram reperiri, nisi dum lucrum exigitur, vel intenditur, tamquam debitum ex conventione, seu justitia. Hoc namque non solùm apertè contrariatur responsioni Pontificis ad primum illum casum; verùm & responsioni ejusdem ad secundum, cujus terminos subobscuros, *non aliter parabolam juramenti concedit,* sic expositos habes apud Panormitanum ad citatum cap. *consuluit* n. 17. *Quandoque contingit, quòd debitor jurat restituere mutuum intra mensem, & adveniente termino, non valens commodè solvere, rogat creditorem, ut differat terminum. Ille malitiosè non vult prorogare, ut prùs aliquod lucrum inde percipiat, & lucro percepto prorogat terminum. Sic talis tenetur restituere taliter usurariè receptum: videtur enim recipere lucrum pro termino prorogato.* Hactenùs Panormitanus.

3°. idipsum manifestè etiam deducitur ex 251
42. propositione ab Innocentio XI. damnata, de qua suprà n. 240.

4°. omne lucrum temporale, quod ex mu- 241
tuo, ratione mutui intenditur, vel quæritur contra naturam mutui, usurarium est; prout omne lucrum temporale, quod ratione collationis, vel procurationis rei spiritualis quæritur, vel intenditur contra naturam rei spiritualis, simoniacum est. Sed sive temporale istud lucrum quæratur, vel intendatur ex pacto explicito, vel implicito, sive absque pacto, si tamen sic intendatur, ut sine eo mutuum non daretur, sic proinde, ut à mutuatario non omninò spontaneè, & liberaliter præstetur, intenditur, vel quæritur contra naturam mutui: utpote quod ex natura sua gratuitum est ac liberale subsidium, alteri impensum in utilitatem accipientis, non dantis, prout Urbanus III. manifestè cognosci dicit ex Luc. 6. Enimverò quemadmodùm ad simoniam necesse non est, quòd temporale ex re spirituali, seu illius collatione, vel procuratione quæratur, vel intendatur ex pacto; ita similiter, &c. Giezi namque Simoniacorum Patriarcha 4. Reg. 5. simoniæ damnatus legitur, ideòque leprâ percussus, non ob pactum ullum explicitum, vel implicitum (nullum quippe fuit) sed ea solùm de causa, quòd post impensum ab Elisæo gratis, & absque prævio ullo pacto, miraculosæ curationis beneficium, pecuniæ munus ob illud à Naaman Syro exegerit. Unde S. Petrus Damianus in epist. ad S. R. E. Cardinales: *Sunt* (inquit)

quit) *nonnulli, qui vel antequam exhibeant consecrationis ministerium, vel ante decisum causæ negotium, nullum pacti sunt commodum, postmodùm verò tamquam à debitoribus exigunt, & extorquendis remunerationibus vehementer insistunt. Hi se cum Giezi non dubitent crimen incurrere, qui, postquam Naaman curatus est, jamque revertebatur, de Spiritûs sancti dono ausus est pecuniam postulare.*

253 5°. Communis est sententia Veterum, usurarium esse lucrum quodcumque pretio æstimabile supra sortem, ex mutuo principaliter intentum, prout constat ex communi definitione usuræ, quam Veteres tradiderunt, siguanter S. Antoninus p. 2. tit. 1. c. 7. §. 1. *Usura est lucrum ex mutuo principaliter intentum*; ita nempe ut mutuum aliàs non esset daturus. Sic namque intentionem principalem S. Antoninus explicat ibidem, aiens, *tunc minùs principaliter seu secundariò lucrum intendi, cùm etsi sperat* (mutuans) *aliquid sibi dari ab eo qui mutuavit, ex sua liberalitate, tamen non illud eum movet* (principaliter) *sed magis benevolentia, ita quòd etiamsi non crederet sibi aliquid dari ultra sortem, adhuc tamen mutuaret.*

254 Ita etiam de usura philosophatur Glossa in citatum cap. *consuluit*, dicens: *Peccant sperantes causâ mutui, in spe lucri principaliter positâ; secundariò tamen aliquid sperari, non puto malum.*

255 Similia videri possunt apud Sylvestrum verbo *usura* q. 54. Tabienam verbo eod. & alios veteres Summistas passim. Et reverà illa ipsorum usuræ notio desumpta videtur ex laudato cap. *consuluit*, estque conformis simili notioni simoniæ, quam Veteres cum S. Thoma communiter tradunt, aientes, eum simoniacum esse, qui lucrum temporale principaliter intendit ex re spirituali, aliàs eam non collaturus, prout expressè docet S. Thomas q. 100. a. 5. ad 3. quodlib. 8. a. 4. & in 4. dist. 25. q. 5. a. 3. ad 4. docereque videtur Ecclesia, uti constat ex 45. & 46. propositionibus ab Innocentio XI. proscriptis. Necnon ex can. *Salvator* 1. q. 3. Quemadmodùm ergo stat lucrum temporale ex re spirituali principaliter intendi, licèt non deducatur in pactum, sive explicitum, sive implicitum; ita stat temporale lucrum ex mutuo principaliter intendi, licèt non deducatur in pactum, &c.

256 Per consequens sine pacto, etiam implicito, stant pronuntiata sanctorum Hieronymi suprà, Augustini serm. 3. in Psal. 36. *Si mutuam pecuniam tuam homini dederis, à quo aliquid plusquàm dedisti expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plusquàm dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si plusquàm dedisti expectas accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus.* Stat denique & illud quod habetur can. *usura* 14. q. 3. *Usura est ubi amplius requiritur quàm datum est.* Levit. 25. *Pecuniam tuam non dabis ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges.*

CAPUT XXV.

Usurarium est lucrum, quod verè intenditur ex mutuo, sive mediatè, sive immediatè ex eo intendatur.

PLurimorum Recentiorum opinio est, de 257
ratione usuræ esse, quòd lucrum immediatè intendatur ex mutuo, & non malè quidem, si verè ex mutuo non intendatur, nisi quod ex illo immediatè intenditur. At si verè ex mutuo intendi queat, quod solùm mediatè ex illo intenditur, usurarium est lucrum, sive mediatè, sive immediatè, modò verè ex mutuo, sive ratione mutui intendatur. Nam Salvator simpliciter dicit: *nihil inde sperantes*, nec addit *immediatè*. Similiter Urbanus III. citato can. *consuluit* simpliciter ait, *pro intentione lucri*; non verò ait, *pro intentione immediata*. Unde vereor, ne prætextus mediatæ dumtaxat intentionis plerisque sit prætextus excusandæ per ambages usurariæ mentis; quemadmodùm si ad simoniam requireretur intentio immediata acquirendæ rei temporalis pro spirituali, plerisque esse posset prætextus excusandæ per ambages simoniacæ intentionis.

Itaque existimo lucrum verè intendi posse 258
ex mutuo, licèt mediatè tantùm, sive mediante alio titulo, si alius ille titulus non quæratur propter se, sed propter lucrum illud. Nam quisquis ex mutuo immediatè intendit benevolentiam & gratitudinem, benevolentiæ verò & gratitudinis finem faciat lucrum supra sortem, ita ut ex mutuo non intendat benevolentiam & gratitudinem propter se, sed propter auctarium supra sortem, quam mediante benevolentiâ intendit, aliàs non mutuaturus, auctarium istud ex mutuo, sive ratione mutui, verè intendit; imò magis intendit quàm benevolentiam, & gratitudinem: utpote quam non intendit principaliter propter se, sed propter auctarium tamquam finem propter se finaliter, adeòque principaliter ex mutuo intentum; at verò *propter quod unumquodque tale est, & illud magis.*

Quemadmodùm ergo *quires ecclesiasticas*, 259
non ad hoc ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra (licèt mediante benevolentiâ & gratitudine, non propter se finaliter intentâ, sed propter lucra illa) *munere linguæ, vel indebiti obsequii, vel pecuniæ largitur, vel adipiscitur, simoniacus est: cùm principalis intentio Simonis fuerit sola pecuniæ avaritia*, ait Urbanus Papa canone *Salvator* suprà relato: sic qui mutuum non ad hoc ad quod institutum est, sed ad propria lucra largitur, vel adipiscitur, licèt mediante benevolentiâ & gratitudine, non propter se finaliter, sed propter lucra illa quæsitâ, usurarius est: cùm principalis intentio ipsius sit sola pecuniæ seu lucri avaritia.

260 Atque ex his prorsus improbandum est, quod suprà laudatus Neotericus loco citato n. 40. ait: *Licet sperare ex mutuo lucrum, ut gratis donandum, spe concurrente ut causâ principali.... Quia nihil sic intenditur, tamquam ex justitia debitum, sed tamquam ex gratitudine tantùm; non licet tamen lucrum sperare ex mutuo, tamquam pretium mutui.* Adstipulantur quidem ipsi Mastrius Th. Mor. disp. 5. n. 44. & apud ipsum Molina, Lessius, Bonacina, Lugo, & Doctores passim; sed Noviores. Non enim ita Veteres, ut vidimus. Non ita Innocentius XI. Non ita Urbanus III. Non ita sancti Patres Hieronymus, Augustinus, &c. Non ita *Salvator* Luc. 6. Non ita ratio christiana ex germanis Theologiæ Moralis fontibus deprompta. Enimverò si vera esset doctrina illa, vera esset propositio 42. ab Innocentio XI. damnata, sicut & 45. & 46. Quia si vera esset doctrina illa in materia usuræ; vera quoque esset doctrina ei consimilis, & proportionata in materia simoniæ. Vera proinde foret propositio ista in materia simoniæ: *Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut econtrà.* Sicut & propositio sequens: *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.*

261 Prorsus etiam improbanda est doctrina Longuetii, quam in facto Curatorum Ambianensium referunt Curati Parisienses in Diurnali suo p. 3. videlicet: *Potest quis mutuum dare alteri, eâ conditione & lege, ut ex ejus officina emat, ejus molendino molat, aut aliquid obsequii præstet, si id exigatur benevolentiæ & amicitiæ jure.* disput. 3. de variis causis usuram excusantibus q. 4. respons. 1. Item: *Non est usura, si tibi mutuem eâ lege, ut mihi, vel meo cuipiam officium aliquod temporarium referas ex pacto amicitiæ.* Ibidem q. 5. respons. 2. Item: *Si tibi mutuem eâ lege, ut beneficium ecclesiasticum ex pacto amicitiæ reponas, nec est usura, nec simonia.* Ibidem q. 6. respons. 1.

262 Improbanda denique doctrina, quam tradunt Serra 2. 2. q. 78. a. 2. dub. 1. & Joannes Martinez de Prado to. 2. Th. Mor. c. 28. q. 2. §. 1. n. 7. quòd utique non sit usura, si mutuator in pactum deducat hoc vel illud beneficium rependendum, non quidem in pactum justitiæ, sed pactum amicitiæ & gratitudinis.

263 Improbanda est (inquam) omnis illa doctrina: quia tametsi mutuans possit à mutuatario recompensationem eorum quæ pecuniâ non mensurantur pro mutuo exigere, putà benevolentiam & amorem ejus cui mutuavit, uti docet S. Thomas q. 78. a. 2. quamvis etiam accipere possit temporale munus, gratis oblatum, vel etiam (speculativè loquendo) illud secundariò expectare, vel petere tamquam munus gratuitum, & omninò spontaneum, nullo modo ad id obligando, nec quasi obligando, nec ullo modo cogendo, uti docet Sylvius ad citatum S. Doctoris locum: nihilominùs (præterquàm quòd in praxi valdè periculosæ sunt petitiones hujusmodi: eò quòd in praxi, ob humanæ cupiditatis præstigias, valdè difficile sit exactionem gratuiti, ab exactione debiti secernere. Vix enim in praxi moraliter contingit, quòd mutuatarius tunc omninò spontaneè faciat id quod petitur; imò id, saltem utplurimùm, aliquo modo invitus facit, non audens petitionem rejicere, ne sibi mutuum in futurum denegetur) nullo modo probabile est, id posse in pactum sine usuræ vitio deduci, efficiendo, ut qui mutuum accipit, pacto seu promissione se obliget ad rependendum ei ex amicitia, vel gratitudine aliquod temporale donum, supra sortem, propter acceptum mutui beneficium. Omnem proinde doctrinam illam meritò improbant S. Thomas loco citato a. 2. in corp. & ad. 2. & 4. Cajetanus, Arragonius, Toletus, Sylvius, & Doctores communiter.

264 1°. quia licèt mutuatarius ex mutuo beneficium recipiat, mutuantique gratitudinem rependere debeat, isti gratitudini satisfacit præstando quod S. Thomas q. 16. a. 3. generaliter docet, quòd utique benefactori, quà tali, *dumtaxat debeatur gratiarum actio, honor, reverentia, & per accidens subventio*, si nempe indigeat. Nullum ergo temporale auctarium supra sortem, ratione mutui, ex gratitudine debet. Titulus proinde gratitudinis quoad hoc est titulus fictus, merusque ad palliandas usuras prætextus.

265 2°. simili prætextu usurarii omnes usuras suas palliare possent, auctarium quidem supra sortem semper exigendo, sed prætexendo, se illud non exigere ex justitia, sed ex gratitudinis debito & pacto, tametsi absque eo mutuaturi non essent.

266 3°. nec hoc dumtaxat sequeretur, verùm etiam simoniacos omnes posse similiter simonias palliare, obligando eos, quibus ecclesiastica beneficia conferunt, ad temporale aliquod pro eo dandum ex pacto gratitudinis, aliàs beneficium non collaturi. In illa proinde sententia usuris omnibus ac simoniis excusandis lata pateret via; imò nulli darentur in mundo usurarii, vel simoniaci, nisi simplices & idiotæ, qui nescirent distinguere exactionem ex pacto gratitudinis, ab exactione ex pacto justitiæ. Quod prorsus alienum est ab Evangelio, & Sanctorum traditione, nominatim Hieronymi, & Augustini suprà laudatorum, & Ambrosii l. de Tobia c. 14. *Quodcumque sorti accidit, usura est; quod velis ei nomen imponas, usura est. Si lici-*

licitum est, cur vocabulum refugis? cur velamen obtexis? Si illicitum, cur incrementum requiris?

267 4°. Incrementum taliter exigere, non est in rei veritate exigere reddendum titulo gratitudinis, sed reddendum titulo justitiæ, quidquid ad usuram suam palliandam mutuator dixerit. Pactio namque de solvendo incremento, seu auctario ratione mutui, aliàs non accipiendi, reverà est pactio justitiæ, estque contra naturam remunerationis merè gratuitæ, liberalis & amicabilis. Quidquid enim rependendum est ex gratitudine & amicitia præcisè, omninò spontaneè & liberaliter est rependendum. Non ergo ex pacti necessitate. *Nemo* quippe *in necessitatibus liberalis existit.* L. *rem legatam* ff. de alim. Leg. ubi Glossa: *Qui dat aliquid ex necessitate, non dicitur donare.* Atque, ut S. Thomas ait q. 3. de malo a. 1. ad 5. *obligare ex certo pacto ad aliquod beneficium recompensandum, non competit amicitiæ honestati.* Unde 2. 2. q. 78. a. 2. in corp. *usurarius est quicumque ex pacto, tacito vel expresso, quidquam aliud à sorte acceperit, cujus pretium pecuniâ æstimari possit.* Quod ad 3. extendit ad quemcumque mutuatorem, *si ex pecunia mutuata expectet, vel exigat, quasi per obligationem pacti, tacuti vel expressi, recompensationem muneris*, &c. Idque generaliter, & absque distinctione pacti justitiæ, vel gratitudinis, in corpore solùm excusat, *si accipiat aliquid hujusmodi, non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione, tacita vel expressa, sed sicut gratuitum donum.*

268 5°. Pactum ejusmodi, adjectum mutuo in gratiam mutuatoris, aliàs non mutuaturi, est pactum non gratuitum, sed oneroſum, *dabo, si feceris; non dabo, si non feceris.* Atqui pactum oneroſum inducit obligationem justitiæ. Mera proinde illusio est, si mutuator dicat, *non dabo nisi feceris liberaliter.* Ista namque propositio seipsam destruit: cùm ostensum sit, liberalitatem non exerceri in iis quæ fiunt ex necessitate pacti oneroſi; nec liberalis esse queat promissio, quæ est sub onere mutui; nec liberale mutuum, quod non conceditur nisi sub onere talis promissionis, aliàs non concedendum. Unde S. Thomas loco proximè citato ad 2. debitum ex pacto, quo mutuans mutuatarium ad remunerationem obligat, vocat debitum justitiæ. Distinguens namque remunerationem beneficii ex debito justitiæ, à recompensatione ejusdem ex debito amicitiæ, ait priorem esse ex pacto; secùs posteriorem.

269 6°. Sit aliquis, qui prædium suum, alteri valdè necessarium, ipsi vendat potiùs quàm alii, cui adeò necessarium non est: & quia istam prælationem ipsi facit; pro ea (ultra justum prædii sui pretium) aliquot scutorum ab ipso auctarium ex pacto exigit, aliàs ipsi non venditurus. Iste, licèt millies adjiceret se auctarium istud solùm exigere ex pacto gratitudinis, ob beneficium dictæ prælationis, ista equidem foret mera illusio, meruſque prætextus seipsum destruens. Reverà namque censeretur auctarium exigere ex pacto venditionis (aliàs venditores fictitiis ejusmodi prætextibus semper aliquid exigere possent ultra justum rei venditæ pretium) ergo similiter, &c.

In istis ergo casibus simile quid accidit, 270
ac dum ad magos sponte quis recurrens, eorum præstigiis reverà utitur; qui licèt protestetur nolle se cum dæmonibus habere commercium, iisque verbo millies renuntiet; facto tamen suo ipsos invocat, cumque ipsis commercium habet. In iis proinde casibus dubium non est usuram intervenire, saltem palliatam. Sed ad Confessariorum institutionem alia proferenda sunt palliatæ usuræ exempla.

CAPUT XXVI.

Exempla alia usuræ tum apertæ, tum palliatæ.

§. I.

Exempla usuræ apertæ.

PRimum est mutuare hoc pacto expresso, 271
quòd mutuatarius tenebitur indigenti mutuatori remutuare. Ita expresè S. Thomas q. 78. a. 2. ad 4. vel quòd tenebitur molendinum vel officinam mutuatoris frequentare, terras colere, domum conducere, temporale officium, vel immunitatem à gabellis concedere, &c. Quia ad ista obligari ex pacto, est onus pretio æstimabile. Est ergo supra sortem exigere lucrum ex pacto formali. Per consequens est usura aperta.

Layman quidem l. 3. tr. 4. c. 16. n. 310. 272
cum pluribus aliis censet, usurariam non esse præfatorum onerum impositionem, nisi fiat ex pacto, cum obligatione justitiæ; secùs, si fiat absque pacto, cum sola morali coactione hoc modo: sum contentus tibi mutuare, si velis imposterùm mihi remutuare, cùm indiguero, officinam meam, vel molendinum frequentare, &c. Aliàs nihil obtinebis. Ex quo consequens foret, usurarium non esse, qui diceret, se petenti non mutuaturum, nisi daret ipsi quinque in centum. Quod ab usura excusari non posse, constat ex dictis cap. 23. & 24.

Sed quid de iis qui prætendunt, esse qui- 273
dem usurarium, mutuatario injicere obligationem remutuandi mihi in futurum; secùs, si ipsi solùm injiciatur obligatio remutuandi mihi hîc & nunc frumentum quo indigeo, si velit ut mutuem ipsi hîc & nunc pecuniam quâ indiget?

Respondeo usurarium esse mutuatario in- 274
jicere obligationem remutuandi hîc & nunc frumentum illud cum majori suo incommodo, nisi mutuans similem obligationem, & incommodum subeat ad hîc & nunc mutuandum. Si autem mutua hinc inde obli-

gatio intercedat, quâ & mutuans mutuatario, & mutuatarius mutuanti, cum pari utrimque incommodo obstringatur, nulla tunc apparet inæqualitas; nec proinde usura, ut benè observat Sylvius hîc. Similiter usura non est, aliud mutuum à mutuatario statim recipere, ad id ipsum nullatenùs obligando: quia, ut S. Thomas a. 2. citato ad 4. art. 5. *licet mutuanti unum, simul aliquod aliud munus recipere; non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum.*

274 Secundum exemplum est, mutuare hoc pacto, quòd mutuatarius mutuanti solvet debita litigiosa, & incerta. Cùm istud sit novum onus pretio æstimabile supra sortem, dum obligatio certa, majorisque proinde valoris, pro incerta, minùsque valente injicitur.

275 Tertium exemplum, mutuare hoc pacto, quòd mutuatarius mutuanti remittere tenebitur obligationem (quam incurrit) restituendi ipsi famam injustè læsam, vel abstinere ab actione injuriarum, ad quam jus habet. Quia licèt honor & fama non sint res pretio æstimabiles, obligatio tamen justitiæ, ad condonandam injustam læsionem honoris & famæ, vel ad condonandam actionem læsæ famæ, &c. onus est grave, pretio æstimabile, sicut & onus seu obligatio aliàs indebita laudandi vel honorandi aliquem.

276 Quartum exemplum, mutuare hoc pacto, quòd mutuatarius pro te fidejussor existat, vel recipere teneatur mutui partem in debito, quo tertius quispiam adstringitur mutuanti; vel mutuare centum, hoc pacto, quòd mutuatarius mutui partem in mercibus recipiat, quibus non indiget. Onera quippe ista pretio æstimabilia sunt, estque perspicuum, quòd mutuo petens centum in pecunia, dum ne quidem recipere potest quinquaginta, nisi simul in mercibus, vel debitis, mutuo accipiat valorem aliorum quinquaginta; pro mutuo quinquaginta in pecunia, supra sortem obligetur ad istud aliud mutuum in mercibus, vel debitis simul acceptandum. Quod profectò usura est. Ita Toletus l. 5. c. 30. n. 3.

277 Nec refert quòd merces istæ fortassis utiles sint mutuatario, eique mutuentur pretio justo: quia ipsi equidem imponitur obligatio ad eas accipiendas, cogiturque ab subeundum onus pretio æstimabile supra sortem.

278 Quintum exemplum: mutuare hoc pacto, quòd mutuatarius in se recipiat mutuum, quod à tertio quopiam sub usura priùs accepisti. Hoc namque ab usura aliqui perperàm excusant apud Castro-Palao disp. 4. de just. comm. puncto 12. nisi ratione mutui, quod præstas, tantum subire cogaris damnum, quanti onus istud æstimatur. Neque enim minùs usurarium est transferre mutuum sub usura, quàm illud primò dare. Ita Conradus, Major, Navarrus, & Castro-Palao ibidem.

279 Sextum exemplum, hoc loco mutuare triticum, cum obligatione illud reddendi alibi, ubi mutuatarius non æquè commodè reddet; vel mutuare certas pecuniæ species, cum obligatione reddendi alio loco, vel tempore quo sciuntur plus valituræ. Quia hoc est vi mutui plus exigere quàm dedisti, plus (inquam) in valore, qui per se spectatur in pecunia.

280 Et istud quidem verum est, si mutuans non erat illas pecuniæ species servaturus in locum illum, vel tempus majoris valoris. Verùm si eas servaturus erat, tunc, ratione damni emergentis, ex hoc quòd tibi eas mutuo det tempore & loco minoris valoris, videtur posse in pactum deducere redditionem pecuniæ in eadem specie & numero, deductâ tamen æstimatione periculi, laboris, aut sumptûs, siquos subiturus erat in ea pecunia ad dictum tempus, vel locum servanda. Quia hoc non est ratione mutui plus exigere quàm datum est, sed ratione damni ex mutuo emergentis. Unusquisque enim potest indemnitati suæ consulere.

281 Imò sententia est plurimorum (apud Palao puncto 13. n. 4.) etiam in casu quo pecunia eadem in specie & numero servanda non erat, illius redditionem in eadem specie & numero posse in pactum deduci, tametsi verosimilius sit, vel ferè certum, valorem ipsius augendum tempore restitutionis, dummodò mutuatarius reddere non prohibeatur ante tempus, quo mutuans prævidet id futurum. Quia natura mutui est, ut idem quod acceptum est reddatur, quantùm fieri potest, non habitâ ratione mutationis extrinsecæ.

282 Verùm-enimverò cùm ex dictis cap. 21. in pecunia principaliter spectetur valor & bonitas extrinseca, cessante damno emergente, mutuans nequit mutuatarium adstringere, ut pecunia in eadem specie & numero reddatur, nisi cum ista obligatione componatur, quòd plus valoris, quàm dedit, non recipiet; vel nisi periculum decrementi monetæ æquale sit spei incrementi. Neque enim de pecunia philosophandum, sicut de frumento. Et ideò licèt mutuans frumentum, mutuatarium adstringere possit ad frumentum in eadem bonitate ac mensura reddendum, licèt sciat plus valiturum tempore restitutionis, modò liberum ipsi relinquat reddere ante illud tempus; non similiter potest in pecunia. Quia in frumento per se & principaliter spectatur intrinseca bonitas ac mensura; in pecunia valor extrinsecus, ut sæpiùs dixi.

283 Sed quid siquis mutuet centum Jacobos in specie, valentes mille florenos, tibi redditurus vel totidem Jacobos in specie, vel centum duodecim florenos, ad suam, non tuam optionem, ita ut mutuans in animo

cogitet exigere Jacobos in specie, si valor ipsorum auctus fuerit redditionis tempore, aliàs mille ducentos florenos? Caramuel Theol. intentionalis n. 735. contractum illum existimat usurarium non esse: quia non video (inquit) quid mutuator ille exigat supra sortem, vel quâ ratione contractus iste sit onerosus mutuatario.

284 Verùm ego puto usurarium esse, optionemque illam, mutuanti relictam, mutuatario haud minùs onerosam esse, quàm mutuatori onerosa foret optio similis, mutuatario relicta. Quo casu Caramuel ibidem fatetur, mutuatori onerosam fore, utpote alternativam. In alternativis autem debitoris est electio, sufficitque ab ipso alterum impleri, regulâ juris 70.

285 Et ratio est, quia mutuator supra sortem tunc exigit optionem, de qua commodum reportare possit in casu incrementi monetæ, nullum verò incommodum incurrere in casu decrementi.

286 Similiter usurarium puto mutuatorem frumenti, qui prævidens, pretium illius minuendum tempore restitutionis, deducit in pactum, ut tanta tunc quantitas reddatur, seu mensura, quæ adæquet pretium & valorem quem mutui tempore frumentum habuit. Nec placet Dicastillus contrarium sentiens lib. 2. tr. 20. disp. 2. nisi mutuator frumentum illud tempore majoris valoris, titulo venditionis, vel solutionis distracturus fuisset, si non mutuasset (quo casu, titulo lucri cessantis, vel damni emergentis, onus illud in pactum deducere potest) si enim illud tempore majoris valoris distracturus non erat, sed in tempus minoris pretii servaturus, majorem frumenti quantitatem ratione mutui exigit, quàm mutuavit, eo ipso quo eam quantitatem exigit, quam quantitate mutuatâ scit futuram majorem tempore restitutionis.

287 Nec refert, quòd mutuans (qui decreverat non distrahere tempore majoris valoris) occasione oblatâ, animum mutare potuisset, istoque tempore distrahere secundùm valorem currentem. Quia in his non habetur ratio potentiæ solùm possibiliter actuandæ, si de facto actuanda non erat, saltem in spe certa, vel saltem probabili. Quo casu illius ratio haberi potest pro valore spei, non ultrà.

288 Septimum exemplum est mutuare alteri, & pro assecuratione sortis rem frugiferam in pignus accipere, v. g. vineam, hoc pacto ut mutuans recipiat fructus illius, usquedum sors restituatur, fructus perceptos in sortem non computando. Cùm eos in sortem reverà debeat computare, deductis expensis, & laboribus, prout habetur cap. 1. 2. & 8. de usur. Et ratio est, quia alioqui fructus illos supra sortem exigit ratione mutui. Quod cùm aperta sit usura, dum fructus percepti, deductis deducendis, adæquant sortem mutuo datam, mutuans non potest sortem repetere; & si excedant, tenetur excessum restituere.

Duobus tamen casibus canones permittunt fructus pignoris absque diminutione sortis percipere. 289 Primus est si dominus directus, pro debita sibi à vasallo pensione, ipsum feudale prædium ab eo in pignus accipiat. Tunc enim fructus in sortem computare non debet, dummodò nullum interim servitium, aut pensionem à feudatario percipiat, uti nec in casu quo dominus directus in pignus accipit rem emphiteuticam, cap. 1. de feudis, & cap. *conquestus* de usuris.

Id quidem usurarium nonnullus putat, nisi 290 titulus alius interveniat. Quia non apparet (inquit) quo jure fructus illos supra sortem acquirat. Verùm in eo nec umbra est usuræ: cùm fructus illos supra sortem acquirat titulo prorsus distincto à mutuo, jure utique feudali, vel emphiteutico: eò quòd ista sit lex feudi, & emphiteusis (per canones illos declarata) quòd dum res feudalis, vel emphiteutica, recidit in manus domini directi, ad ejus dominium spectent fructus illius. Estque ista totius orbis consuetudo, communisque Theologorum, & Canonistarum omnium sententia. Nec deest ratio illius, partim utique quia videtur indecens, quòd res apud dominum directum existens alteri fructificet; partim quia dominus directus, existente apud se tali pignore, pensionem interea remittere tenetur.

Alter casus est, dum socer rem fructiferam 291 genero tradit in pignus dotis non solutæ: tunc enim gener non tenetur fructus in sortem, seu dotem computare, sed, iis non obstantibus, eam integram potest exigere, c. *salubriter* de usuris, ubi sic: *Sanè generum ad fructus possessionum, quæ sibi à socero suo sunt pro numerata dote pignori obligata, computandos in sortem non credimus compellendum.* Ratio redditur ibidem, quia pignus dotis non solùm datur in illius securitatem, sed & ut maritus inde habeat unde matrimonii onera sustineat.

Ex qua ratione Cajetanus hîc a. 2. ad 6. 292 existimat, soluto matrimonio per mortem mariti, viduam relictam facere non posse fructus suos, eos in sortem non computando: quia soluto matrimonio, cessant onera matrimonii sustinenda: cùm non entis nulla sint onera. Verùm quia non ea sola matrimonii onera censentur, quæ matrimonio constante sustinentur, sed & illa quæ ex illo soluto relicta sunt, ut filiorum educatio (siqui sint relicti) familiæque ac viduæ superstitis sustentatio, secundùm statum mariti defuncti. Contra Cajetanum meritò sentiunt Sotus lib. 6. de just. q. 1. a. 2. Toletus, Bannez, Arragonius, Salonius, & alii communiter; præsertim dum fructus pignoris marito sic concessi fuerunt ad onera ma-

trimonii sustinenda, ut etiam concessi fuerint uxori ad ipsius sustentationem. Si tamen patri & matri filius supervivat, fructus pignoris ex dote non soluta percipere non potest, nisi eos computet in sortem, prout ostendit Molina disp. 322.

293 Ex dictis collige, quid respondendum sit ad casum sequentem. Rex, tempore belli, vel in alia Reipublicæ necessitate, à subditis mutuo accipit pecuniæ summam, pro eaque oppignerat civitatem, vel dominium fructiferum. Nobiles sortem non solent computare sortem. Quæritur, an justè?

Respondeo, non justè, sed usurariè, si id faciant ratione mutui. Patet ex dictis.

294 Wadingus quidem de contract. disp. 282. & seqq. censet aliis titulis honestari posse. Primum suggerit Cajetanus loco relato, si rem illam non accipiant in pignus, sed emant cum pacto retrovendendi, sive cum obligatione ad retrovendendum Regi, quando pretium numerabit. Quia tunc ipsis, tamquam dominis, res illa (jam non habens naturam pignoris) fructificabit.

Secundum tradunt Major in 4. dist. 13. q. 33. Conradus q. 33. de contract. concl. 7. Binsfeldius cap. 1. de usur. q. 2. concl. 2. si emant censum redimibilem ex parte venditoris, à quo proinde Rex se exsolvere queat refundendo capitale; qui tamen, interim dum non refundit, in pignus det ejusmodi dominium, ex quo creditor sibi quotannis solvat quinque, vel sex in centum, sive eam pensionis quantitatem, quæ exigi potest jure censûs super eadem hypotheca secundùm patriæ morem instituti.

295 Verùm enimverò (præterquàm quòd frustraneum sit ad duos istos titulos recurrere, vel eorum alterum, nisi deducti fuerint in pactum, prout in simili dicemus infrà de titulo lucri cessantis, &c.) in hoc secundo casu creditor non est dominus pignoris subjecti censui. Videmus autem eos qui ejusmodi dominia à Rege in pignus accipiunt, suo, non Regis nomine illa administrare, tamquam veros dominos, ita ut dominia ista valdè impropriè pignora vocentur. Et ideò Wadingus loco citato benè advertit, titulum illum emptionis censûs non sufficere ad excusandam praxim, de qua agitur, nisi ei admisceatur translatio dominii utilis, per donationem in diem, vel ad certum incertumvè tempus, videlicet usque ad refusionem certæ summæ. Præsumitur verò Rex ejusmodi donationes facere subditis, de se, vel Republica benè meritis, dum ipsos non obligat ad fructus illos in sortem computandos, cùm facilè posset.

§. II.

Exempla usuræ palliatæ.

296 PRimum est apud S. Thomam hîc a. 2. ad 7. dum aliquis vendit rem supra summum | pretium, ideò præcisè quòd credito vendat, v. g. si ulnam panni, quæ ad summum valet quatuor florenis, vendat quinque, eò quòd dilatâ solutione vendat. S. Thomæ verba sunt: *Quòd si aliquis cariùs velit vendere res suas, quàm sit justum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem expectet, manifestè usuram committit. Quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem virtualis mutui. Unde quidquid ultra justum pretium pro ejusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium mutui; quod pertinet ad rationem usuræ.* Et iste tertius est casus, quos Urbanus III. cap. *consuluit* de usuris tamquam usurarios condemnat. Huc etiam spectat quadragesimæ propositio ab Innocentio XI. proscripta: *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Quæ propositio jure damnata est: si enim subsisteret, usura per seipsam illicita non foret, sed ad summum ratione immoderati lucri, quod usurarius acciperet: Cùm enim usura sit lucrum vi mutui perceptum, & in omni mutuo intrinsecè & essentialiter includatur, quòd res, quæ de præsenti conceditur, nonnisi in futurum restituatur, si pecunia præsens censeri queat pretiosior quàm futura, mutuatori cuilibet licebit hoc titulo lucrum aliquod exigere vi mutui, quo pecuniam præsentem mutuatario concedit, nonnisi in futurum restituendam.

Dixi 1°. *supra summum pretium*: solent enim tria unius rei esse pretia justa, summum, medium, infimum, intra quos limites cariùs vendere credito, v. g. summo vendere pretio, quod aliàs venderetur medio, vel infimo, usura non est. Excedere tamen infimum, medium, & summum, usura est. 297

Dixi 2°. *ideò præcisè quòd credito vendat*: si enim alius interveniat titulus, ex iis quorum intuitu mutuator aliquid ultra sortem licitè exigit, v. g. titulus lucri cessantis, &c. istius tituli intuitu venditor, ob dilatam solutionem, pluris vendere potest, sub limitationibus infrà explicandis. Debet tamen alius ille titulus esse verus, v. g. ut liceat cariùs vendere titulo lucri cessantis, lucrum verè cessare debet ex tali venditione: ideòque si non eras alioqui numeratâ pecuniâ venditurus has merces, sed servaturus, eas cariùs vendere non potes credito, titulo lucri cessantis. 298

Et hinc Lopez infrà referendus observat, Mercatores passim delinquere: quia passim cariùs vendunt credito, quàm numerato, etiam dum pauci sunt qui emissent numerato. Quod injustè fit: cùm enim tunc Mercator non vendidisset numerato, eam pecuniam ad manum non habuisset, cum qua negotiando lucraturus aliquid fuisset. Lucrum ergo tunc ipsi verè non cessat. 299

Sed nunquid saltem excusandi sunt Mer- 300

catores, ob dilatam solutionem cariùs vendentes, dum credunt merces futuras cariores tempore solutionis?

Respondeo minimè, nisi eas in tempus illud servaturi fuissent. Quid enim refert, quantùm valituræ sint solutionis tempore, si tunc mercator venditurus non erat? Quid hoc (inquam) ad præsentem venditionem facit, quæ ante solutionem perficitur? Quo titulo mercator tunc amplius exigit, quàm merces valeant tempore venditionis, vel certè tempore quo venditio per traditionem perficitur? Nullo profectò: cùm justum pretium mercium sit illud, quod eo tempore currit quo dominium transfertur, ultra quod proinde res vendita venditori non debet fructificare. Unde cap. *Naviganti* de usuris, ad hoc ut mercator vendere possit merces, juxta pretium quod prævidet futurum tempore solutionis, Pontifex requirit hanc conditionem, quòd in tempus illud eas servaturus erat, sive quòd tempore contractûs non fuerat alias venditurus. Et ista communis est sententia Doctorum contra Cajetanum.

301 Secundum exemplum est (apud eundem S. Doctorem ibidem) quando videlicet infra pretium infimum aliquis emit, eò quòd emat anticipatâ solutione: *Siquis emptor* (inquit) *velit rem emere viliùs quàm sit justum pretium, eò quòd pecuniam anticipatè solvit, est peccatum usuræ, quia etiam ista anticipata solutio habet mutui rationem, cujus quoddam pretium est, quod diminuitur de justo pretio rei emptæ.* Aliud foret, si merces anticipatò solutæ crederentur tempore traditionis non valituræ supra id quod anticipatè solvitur: tunc enim nullum foret peccatum, inquit Toletus l. 5. c. 31. n. 2.

302 Tertium exemplum est apud Cajetanum verbo *usura* c. 2. n. 3. dum quispiam adstrictus debito centum florenorum solvendorum post annum, minùs solvit nunc, quia anticipatè solvit, ut si pro 100. det nunc 82. Hic enim locum habet ratio proximè allegata ex S. Thoma. Atque ita Doctores communiter tradunt contra Toletum ibidem n. 4.

303 Quartum est apud Gabrielem in 4. dist. 15. q. 11. a. 3. dub. 3. in contractu, quem Hispani *mohatra* seu *baratra*, Itali *stocho* nuncupant. Fit autem sic, Titius à Cajo mutuo petit 100. florenos. Cajus ex indigentia Titii lucrum captare amans, recusans mutuum, ipsi creditò vendit merces pretio summo (intra latitudinem justi pretii) v.g. 110. sed eâ lege quòd eas statim ab ipso paratâ pecuniâ redimet pretio infimo, scilicet 100. Istoque subtili artificio Cajus Titio numerat 100. florenos, tempore præfixo recepturus ab ipso 110.

304 Non defuerunt patroni istius contractûs, qui eum justificare voluerunt, uti justificare voluit Lessius l. 2. c. 21. dub. 16. Verùm Innocentius XI. hanc ipsorum propositionem damnavit: *Contractus mohatra licitus est, respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis, præviè inito cum intentione lucri.* Et meritò damnavit: injustitia namque illius contractûs manifesta est, ex eo quòd Cajus Titio merces suas creditò vendat supra latitudinem justi pretii, dum, ultra summum pretium, ei imponit onus pretio æstimabile retrovendendi ipsi pretio infimo.

Eadem injustitia foret, etiamsi pacto non 305
obligaret ipsum ad istam retrovenditionem, sed per moralem quamdam coactionem, ipsi significando quòd paratam alioqui pecuniam (quâ indiget) non acciperet. Hoc est enim Titium injustè cogere ad subeundum onus pretio æstimabile supra summum pretium, eò quòd creditò emat. Estque perinde ac si Cajus minus pretium, scilicet 100. Titio mutuaret, cum obligatione reddendi 110. in futurum. Siquidem Titius per ambages istas cogitur in futurum solvere 110. pro 100. de præsenti acceptis. Denique usuraria Caji intentio ampliùs se prodit ex eo quòd Titius ipsum accesserit mutui, non emptionis gratiâ, utpote paratâ pecuniâ indigens, non mercibus. Ex eo item quòd creditu difficile sit, emptionis ac venditionis contractum tunc seriò ac sincerè peragi: neque enim Caji intentio est merces verè abdicare, atque in Titium transferre; uti nec Titii intentio est, merces illas verè facere suas, sibi, tamquam domino, verè perituras, si ante retrovenditionis complementum, eas casu perire contingat. Siquidem mercibus non indiget, ut dixi, sed pecuniâ, quam in isto casu non accipiet, nec proinde necessitati suæ consulet. Titii proinde intentio est præsentialiter accipere 100. florenos, cum onere restituendi in futurum 110. Caji similiter intentio est, pro 100. præsentialiter numeratis, in futurum recipere 110. sive ampliùs quàm dedit, pro credito quod dat. Quod est virtualiter ampliùs exigere pro mutuo artificiosè palliato, uti ex S. Thoma vidimus in exemplo primo.

Et ideò S. Antoninus 2. p. tit. 1. c. 8. §. 306
3. *Patens est* (inquit) *quòd ideò secundus revendidit primo vendenti, pro pretio satis minori: quia sub quadam mutui ratione, potiùs quàm sub reali veritate solutionis, tradidit ille sibi 90. ab eo debens rehabere 100. quia ipsi primo vendenti non solvit tunc. Propterea talis contractus usurarius est, & omni malignitate & duplicitate plenus.* Ideò etiam S. Carolus Borromæus, seu potiùs Concilium Mediolanense I. sub eo celebratum, districtè inhibuit, ne cui præsentem pecuniam quærenti quidquam cariùs vendatur, ut statim à venditore, per se, vel interpositam personam, viliùs ematur.

Non diffiteor quidem, quòd si Cajus, 307
bonâ & sincerâ fide, absque usuraria intentione, creditâ pecuniâ pannum vendidisset

pretio ſummo, v. g. 110. flor. relinquens in plena libertate emptoris retrovendere cui vellet; emptor autem ſponte ac ſeriò rogaret ipſum, ut pretio infimo, v. g. 100. flor. numeratâ pecuniâ redimeret, ab uſura, & iniquitate videri poſſet immunis, uti docent Angelus verbo *uſura*, Sylveſter ibidem, Navarrus cap. 23. Verùm opinio iſta eſt de numero earum, quæ ſpeculativè probabiles dicuntur, non practicè, ob periculum ingens, ne emptio iſta & redemptio ſit merè verbalis, ſeu emptionis ac redemptionis larva: quandoquidem bona, ſinceraque fides, ſeriuſque animus emptionis ac redemptionis, in praxi ſemper, vel ferè ſemper abeſt, dum homo pecuniâ indigens, divitem accedit ad pecuniam comparandam, non merces, prout Bannez obſervat q. 78. a. 2. ad 2. Res ergo iſta admodùm lubrica eſt, periculique plena; maximè dum emptio & retrovenditio, inter eaſdem perſonas, fit ex præmeditato, & incontinenti. Si enim non ex præmeditato, neque incontinenti, ſed per accidens, & poſt aliquod tempus id fieret, ita ut Titius verè à Cajo pannum emeret creditò, animo illum paratâ pecuniâ retrovendendi Sempronio; ſed ipſo hoc nolente, ad Cajum poſteà reverſus, merces illas retrovenales ipſi omninò ſponte præſentaret, intentio uſuraria abeſſe poſſet. Sed non ideò in praxi probanda eſt propoſitio iſta Tamburini l. 8. in Decal. tr. 3. c. 7. §. 8. n. 9. & 10. *Licitum eſt mercatori creditò merces vendere pretio ſummo, v. g.* 100. *& ſtatim numeratò eas infimo redimere pretio, v. g.* 80. *etiamſi nullo alio animo eas creditò vendat, niſi ut mox viliùs numeratò redimat, modò hæc in pactum non deducantur.* Quia hoc in praxi vix contingit abſque morali coactione ejus, qui pecuniâ præſenti indiget.

308 Duo alii modi uſuras ſubtiliter palliandi ſuperſunt, à variis Gallicanis Epiſcopis, necnon à Sorbona damnati. Unus eſt, dum mercator, nolens mutuare, numeratâ pecuniâ emit cenſum ad annum, vel duos, ſuper aliqua re frugifera, ſic ut poſt tempus illud venditor cenſûs, redditâ pecuniâ ab emptore acceptâ, ſolutâque inſuper penſione cenſûs, teneatur cenſum illum redimere. Alter eſt per contractum trium, ſeu triplicem (ut vocant) quo mercator, à quo mutuum petitur, nolens illud concedere, tres ſimul contractus, cum eo qui mutuum petiit, virtualiter celebrat, videlicet ſocietatis, aſſecurationis ſortis, ac venditionis lucri incerti pro certo, hoc modo v. g. Confero tibi 100. ad negotiationem, & concedo tibi omne lucrum, eâ lege, ut aſſumas in te obligationem reddendi ſortem integram, quidquid acciderit, & ad ſolvendos inſuper ſex florenos pro lucro.

309 Prior modus non eſt adinventionis antiquæ (neque enim in Antiquis invenitur) ſed novæ. Ipſum juſtificat Caſuiſtarum Apologiſta fol. 108. Sed Apologiam ipſius Alexander VII. condemnavit. Enimverò dum emptori relinquitur facultas poſt annum unum, vel alterum, retrahendi pretium datum, venditorique imponitur obligatio capitale integrum tunc reſtituendi, quid aliud apparet, niſi fucata & inefficax emptio cenſûs, verumque mutuum eo nomine palliatum? Si enim capitale integrum retrahi poſſet poſt annum, quidni poſt menſem? An pariter licita erit ſimilis emptio cenſûs ad menſem? Semper ergo licitum erit pro numerata modò ſumma minori, paulò poſt recipere majorem, etiam non aſſumpto alio onere, moleſtiâ, vel periculo, quàm numerandi ſummam illam. Quod ſi licitum ſit ſub velamine emptionis cenſûs; quidni & ſub aperto nomine mutui: cùm non appareat alia ratio, ob quam id illicitum ſit per viam mutui, niſi quia in mutuo ſupponitur aliud onus non intervenire, niſi hoc quod eſt ſummam mutuatam numerare, quod ſufficienter compenſatur redditione ejuſdem?

Hinc etiam poſterior modus lucrandi per 310
contractum trium præcludi videtur. Tametſi enim modus iſte approbetur à pleriſque Theologis non contemnendis, ſervatiſque conditionibus debitis, videri poſſet ſpeculativè probabilis; jure tamen reprobatur à S. Thoma, S. Antonino, S. Bernardino Senenſi, & à Sixto V. in Bulla 45. quæ incipit *deteſtabilem*, uti videbitur infrà agendo de ſocietate, ubi ea de re latiùs, ſicut & de cenſu ad annum, ubi de cenſibus. Et ratio reprobandi eſt, quia dictæ conditiones parum curantur in praxi (uti Lopez ait p. 1. c. 72.) & utplurimùm ſolo mutui titulo iſta onera mutuum petentibus, paratâ pecuniâ indigentibus, imponi videntur, nec niſi coactè ab ipſis acceptari. Valdè proinde lubricus eſt iſte paſſus, ad uſuramque, ſaltem mentalem, proclivis, uti paſſim fatentur illius patroni.

Unde pro his & ſimilibus caſibus ſapien- 311
ter Urbanus noſter ab Aſcenſione Th. Mor. tr. 3. tit. 17. monet, materiam de ſimonia, uſura, &c. à nonnullis valdè periculosè tractari, plurimoſque ex Recentioribus reperiri, qui materiam illam ad praxim applicando, ſimoniacis & uſurariis blandiuntur, non advertentes quòd ea quæ in conſideratione metaphyſica ipſis apparent, & ſunt nonnunquam veriſſima, à ſæcularibus, avaritiæ deditis, omninò corrumpantur in praxi: quia ſecundùm veritatem, vix eo ducuntur motivo honeſto, quod neceſſarium & ſufficiens exiſtat, ad purgandam labem uſuræ & ſimoniæ.

Et ideò in hiſce, & aliis moralibus & pra- 312
cticis rebus ſolvendæ ſunt quæſtiones moraliter & practicè, hoc eſt, non ſecundùm quod homines debent, vel ſibi perſuadent ſe gerere, ſed quâ ratione de facto ſe gerunt. Alioquin fiet quamprimùm, ut nec uſu-

usurarii, nec simoniaci, aut similes peccatores ab Ecclesia damnati in hominum existimatione amplius inveniantur; cùm tamen magis hoc tempore, quàm unquam, eorum numerus multiplicetur, quorum finis in interitum.

CAPUT XXVII.

Usuram jure naturali, divino, & ecclesiastico prohibitam esse, contra Græcorum, & Caroli Molinæi errorem, ostenditur.

313 COntra errorem (inquam) Græcorum: utpote qui (apud Guidonem nostrum verbo *usura*) dixerunt, usuram nullo jure prohibitam esse. Contra Molinæum item, qui usuras duntaxat immoderatas, non moderatas esse dicit prohibitas.

314 Probatur nihilominùs prima pars assertionis, quoad jus naturale. Primò quia jus naturæ vetat plus ab alio exigere, quàm à te acceperit. Hoc autem facit omnis usurarius, inquit Augustinus conc. 3. in Psal. 36. aiens, ipsum *plus accipere velle quàm dedit*. Et ratione id ostendit sanctus Thomas a. 1. ad 5. quia recompensatur sibi secundùm æqualitatem, si tantum reddatur, quantum mutuavit. Qui ergo plus exigit, quàm mutuavit, violat æqualitatem, quam justitia naturalis præscribit.

315 Secundò, est contra jus naturæ domino vendere rem suam. Hoc autem facit omnis usurarius: utpote qui mutuatario eo ipso vendit usum rei mutuatæ (qui æquè mutuatarii est, quàm res ipsa mutuata) quo supra sortem pro eo aliquid exigit.

316 Tertiò, mutuans non magis habet jus percipiendi lucrum ex re mutuata, quàm debitum habeat sentiendi inde damnum, si pereat, vel deterioretur.

317 Quartò, est contra rationem naturalem, quærere lucrum seu fructum ex re non fructifera. Communissima verò materia mutui est pecunia, quæ ex se non est fructifera. Et ideò vel ipsi Philosophi Gentiles æquè contra naturæ lumen esse censuerunt, ad usuram dare, quàm hominem occidere. Huc enim respexit Cato (apud Tullium l. 1. offic. in fine) dum quærenti quid sit fœnerari? respondit: *Quid hominem occidere?* Similiter Plato lib. 5. de leg. usuram, tamquam naturæ contrariam, condemnavit. Sicut & Aristoteles lib. 5. Politicor. c. 7. Seneca quoque lib. 7. de benef. cap. 10. *fœnus & calendarium, & usuram humanæ cupiditatis extra naturam posita nomina* vocat. Verissimè proinde Catechismus Concilii Tridentini ad septimum Decalogi præceptum §. 8. dicit: *Gravissimum semper fuit hoc facinus, etiam apud Gentiles, & maximè odiosum ..... Nam qui fœnerantur, bis idem venduni, aut vendunt quod non est.*. Bis idem vendunt, dum seorsim vendunt rem mutuatam, & usum illius independentem, à re mutuata indistinctum; vendunt quod non est, scilicet usum illum, velut à dominio distinctum, cùm distinctus non sit.

Sancti Patres quoque contra naturam esse 318
dixerunt, portentique simile, quòd sterilis nummus nummum pariat. Hinc D. Ambrosius can. *sicut ii* dist. 47. usuræ artem, nequissimam appellat, *quòd aurum ex auro nasci faciat*. Et ante ipsum Basilius in Ps. 36. dicit, *fœcundæ prodigiosæque bestiæ nomen pecunia indidit, quòd fœtum gignere non possit nisi homini bestialiter, & contra naturam illum exigenti*; quòdque *si mula, quam peperisse memorat Plinius l. 8. c. 44. à Romanis prodigii loco habita sit, plusquàm prodigium, illudque contranaturale est, pecuniam, ex se mulâ steriliorem, videre parientem.*

S. Gregorius Nissenus, Basilii Germa- 319
nus frater, Hom. 4. in Ecclesiast. usurariam exactionem latrocinio comparat, dicens: *Quid refert, an clanculùm perfossis muris aliena surripias, more prædonis, aut prætereuntis cæde res ejus tibi usurpes, an fœnoris necessitate acquiras ea quæ ad te non pertinent? ô malum vocabulum, fœnus sit nomen latrocinii! ô acerbas nuptias! ô improbam conjunctionem! quam natura quidem non cognovit, avarorum autem morbus inter inanimata innovavit. O graves & molestos conceptus, quibus hujusmodi fœtus; id est fœnus enascitur. In rebus solum quæ sunt, vivunt, ac sentiunt, discrimen invenitur sexûs maris & feminæ. Eis enim dixit Deus:* „ Crescite, & multiplicamini: *ut per mutuam inter se generationem augerentur, & multiplicarentur, quæ gignuntur animantia. Nummi autem fœtus, seu fœnus, ex quonam consistit matrimonio? Ex quanam perficitur conceptione? Cæterùm ex Propheta didici, quæ sit hujus fœtûs conceptio:* „ Ecce par- «
turiit injustitiam, concepit dolorem, & pe- «
perit iniquitatem. „ *Hic est ille partus, quem parturiit quidem avaritia; parit autem iniquitas, & obstetricatur inhumanitas.*

Inhumanitatem istam eleganter Ambro- 320
sius exponit l. de Tobia c. 3. dicens: *Numeratur pecunia, addicitur libertas; absolvitur miser minore debito, majore ligatur. Talia sunt vestra, divites, beneficia. Minùs datis, & plus exigitis. Talis humanitas, ut spolietis etiam cùm subvenitis. Fœcundus etiam pauper est vobis ad quæstum, usurarius est egenus cogentibus vobis, habet quod redaat, quod impendat non habet. Misericordes planè viri, quem alii absolvitis, vobis addicitis. Usuras solvit, qui victu indiget. An quidquam gravius? Ille medicamentum quærit, vos offertis venenum. Panem implorat, gladium porrigitis. Libertatem obsecrat, servitutem irrogatis. Absolutionem precatur, informis laquei nodum stringitis. Hanc præcipuè injustitiam deplorat sanctus David, dicens:* „ Vidi iniquitatem, & contradictio- «
nem in civitate, & non defecit de plateis «
ejus usura & dolus. "

Divino etiam, ecclesiasticoque jure usu- 321

ram esse vetitam, testatur Concilium Viennense Clement. un. tit. de usuris, sicut & Alexander III. in Concilio Lateranensi, can. *in omnibus* de usuris, dicens, quòd *usuram utriusque Testamenti pagina detestetur.* Enimverò interdictam legimus in Psalmis, & Ezech. 18. *Ad usuram dantem, & amplius recipientem, nunquid vivet? Non vivet, cùm universa hæc detestanda fecerit, morte morietur.*

322 In novo similiter Testamento vetitam esse hisce Christi verbis Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, Urbanus III. docet cap. *consuluit* de usur. Et Leo X. in Concilio Lateran. dicens, quòd *Dominus noster, Lucâ Evangelistâ attestante, aperto nos præcepto obstrinxerit, ne ex dato mutuo quidquam sperare debeamus.*

323 Usuram denique ecclesiastico jure prohibitam esse, manifestum est ex gravissimis pœnis, quas usurariis Ecclesia indixit, de quibus infrà.

Solvuntur objectiones.

324 OBjicies 1°. si usura jure naturali foret illicita, non fuisset olim Judæis permissum fœnerari alienigenis. Fuit autem id ipsis permissum Deuteron. 23. *Non fœnerabis fratri tuo, sed alieno.* Et cap. 28. *Si audieris vocem Domini Dei tui..... fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies.*

Respondeo 1°. cum S. Thoma q. 12. de malo a. 4. ad 1. quòd accipere ad usuram ab extraneis non fuerit Judæis concessum quasi licitum, sed eatenùs permissum, quatenùs pro hoc non puniebantur pœnâ temporali.

325 2°. cum S. Antonino p. 2. tit. 1. c. 7. §. 2. quòd illa fuit comparativa permissio, quâ permittitur minus malum, ne majus malum fiat; quemadmodùm etiam permissum fuit eis dare libellum repudii, & repudiare uxorem, ad impediendum uxoricidium. Sic ergo usura erga alienigenas Judæis permissa fuit, ne majori crudelitate grassarentur in suos, ut suæ satisfacerent cupiditati, &c.

326 3°. ad summum Judæis licitum fuisse fœnerari ab iis alienigenis, quos tamquam hostes bello justo poterant impetere, juxta illud Ambrosii l. de Tobia c. 5. *Quis erat tunc alienigena, nisi Amorrhæus? Quis hostis? Ab illo usuram exige, cui meritò nocere desideras, cui justè inferuntur arma, huic legitimæ indicantur usuræ. Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere. Ergo ubi jus belli, ibi etiam jus usuræ.* Tunc verò propriè non est usura; quia non exigitur titulo mutui, sed titulo belli justi.

327 4°. alii dicunt usuras ab alienigenis exigere Judæis permissum fuisse divinâ dispensatione. Sed hoc admitti non debet, quia usura cap. *super eo* de usuris æquè indispensabilis asseritur, ac mendacium. Ideòque Judæi cap. *post miserabilem*, & cap. *quantò amplius* eod. ad usurarum restitutionem compelluntur. Non vi legis Ecclesiasticæ, cui non subjiciuntur. Nec vi legis Mosaicæ, quæ ampliùs non obligat. Nec vi legis Evangelicæ, ad cujus observantiam Judæos quoad ea sola compellit, quæ juris sunt naturalis. Igitur vi juris naturalis.

Hinc consectarium est, Judæis à Domino non esse concessum lucrum supra sortem ab alienis, vi translati divinitùs in ipsos dominii in bona alienigenarum. Tametsi enim translationem istam supremus Dominus facere potuerit, fecisse non satis probatur ex textibus allatis; ne quidem ex posteriori illo, *fœnerabis gentibus multis*: quia, uti rectè S. Thomas q. 78. a. 1. ad 2. *dum in præmium ipsis promittitur, fœnerabis gentibus multis, fœnus ibi largè accipitur pro mutuo, sicut accipitur Eccli. 29. cùm dicitur: Multi causâ nequitiæ non fœnerati sunt, id est non mutuaverunt.* 328 Judæis ergo in præmium promittitur tanta divitiarum abundantia, ut non indigeant ab aliis mutuum accipere; imò habituri sint unde aliis mutuare possint.

Objicies 2°. servus nequam Luc. 19. re- 329 prehenditur, quòd pecuniam domini sui non posuerit ad mensam, quam dominus deinde veniens cum usuris recepisset.

Respondeo cum S. Thoma, quòd usura ibi metaphoricè accipitur pro supercrescentia bonorum spiritualium, quam à nobis exiget Deus, volens ut in bonis ab ipso acceptis semper proficiamus. Ad quod significandum Christus Luc. 19. utitur parabolâ hominis nobilis, qui dedit servis suis pecuniam suam, ut cum ea negotiarentur, lucrumque ex justa negotiatione referrent: quod lucrum largâ acceptione ibi usuram vocat.

Objicies 3°. qui pecuniam mutuat, dat 330 pecuniam præsentem pro futura, sive in futurum reddenda: sed præsens pecunia plus valet quàm futura. Non enim scio (ait Caramuel Th. Mor. n. 799.) audivisse ab aliquo, se majoris non facere pecuniam præsentem, quàm futuram. Siquis secùs sentiat, mittat ancillam suam ad forum, ubi experiri poterit, an non viliùs emet numeratâ, quàm numerandâ pecuniâ. Igitur qui pecuniam mutuat purè, exigere potest illud plus, quod valet pecunia præsens, quàm futura.

Respondeo pecuniam futuram, sive jus ad illam, non minùs valere, quàm præsentem, secluso lucro cessante, damno emergente, periculoque & molestiâ illius recipiendæ. Hoc namque constat, tam ex allata Ecclesiæ declaratione (de qua iterùm infrà) tum ex eo quòd aliàs culpandi forent campsores, qui (nullâ habitâ ratione majoris valoris pecuniæ præsentis, quàm futuræ) pro majori summa sibi præsentialiter hìc à campsario numerata, ei longè minorem consig-

signant, alibi in futurum numerandam. Ex qua praxi, ab omnibus probata, consequens est, quòd in humanis commerciis numerata pecunia pluris non æstimetur quàm numeranda, nisi ex numeranda lucrum cesset, vel damnum emergat, vel molestiæ subeundæ sint in recipiendo, &c. Quo titulo pecunia numerata in foro pluris æstimari solet, quàm numeranda.

331 Objicies 4°. qui mutuat alteri pecuniam suam, privat se lætitiâ, quam homines habere solent ex visu possessioneque pecuniarum suarum, subitque tristitiam quamdam ex carentia præsentis pecuniæ amatæ. Ergo non est cur ratione istius privationis, ac tristitiæ, non possit supra sortem aliquid exigere. Probat antecedens Caramuel Theol. intentionalis n. 778. quia verè est aliqua lætitia in videndis rebus pretiosis, cur non in possidendis? Pro audienda comedia, videnda bestia, &c. datur pretium, & nemo contradicit; cur non pro videndis, numerandis, possidendis optimis auri partibus? Cur proinde ob istius recreationis seu lætitiæ privationem, privationisque molestiam, aliquid supra sortem non liceat exigere? Permittit id Medina Cod. de restit. q. 32. & confirmat Dicastillo l. 2. de justit. tr. 10. disp. 2. n. 254. quia privatio illa non videtur compensari per redditionem rei paris valoris & bonitatis, ex qua redit illa delectatio: quia si mutuans non dedisset mutuo rem, delectationem illam habuisset, non solùm in redditione illius, sed toto insuper mutui tempore, quo ex illius privatione tristitiam habuit: isti verò præteritæ tristitiæ per præsentem non satisfit lætitiam: utpote quam haberet, etiamsi non mutuasset. Ideò (inquit) puto hoc in casu aliquid ultra sortem recipere posse, si id à principio deduxerit in pactum.

332 Respondeo opinionem illam Medinæ (si verè ipsius sit) in fide esse valdè periculosam (in quantum aperit viam justificandis usuris, quas fide constat illicitas esse, pro hæreticoque habendum, qui eam justificaverit, uti statuitur in Concilio Viennensi) & in praxi valdè pernicioſam, speculativèque & practicè valdè improbabilem (uti Dicastillus ipse tandem fatetur n. 250.) eò quòd magnum inducat illicium mutuandi sub usuris; insinuant enim se perquàm facilè affectiones, quibus illecti usurarii, facilè aliquid supra sortem exigerent. Vanissimus proinde est titulus iste: quia præfatæ molestiæ ac tristitiæ ratio non habetur in humanis commerciis, in quibus pluris non fit pecunia numerata quàm numeranda, nec minoris æstimatur delectatio de præsenti jure ad 100. aureos suo tempore absque difficultate ulla, lucrique cessatione, certò recipiendos, quàm delectatio de eorum præsentia.

333 Objicies 5°. qui mutuat, privat se potestate utendi & fruendi re mutuatâ, quam haberet, si non mutuaret. Igitur pro ista privatione aliquid supra sortem à mutuatario exigere potest, in cujus gratiam eo se privat.

Nego consequentiam: quia potestas illa in humanis commerciis non habet æstimabilitatem distinctam ab ipsa re, sive ab æstimabilitate ipsius; neque istius potestatis privatio æstimabilitatem habet distinctam ab æstimabilitate privationis ipsius rei; sufficienterque compensatur redditione ejusdem; maximè cùm incommoditas; siquam mutuans habet ex illa privatione; commoditate aliâ compensetur; carentiæ utique periculi; ne sibi pereat res mutuata; quam fortè alioqui expendisset, vel casu fortuito amisisset.

Objicies 6°. qui pecuniam mutuat, mutuatori beneficium præstat, ad quod non tenetur. Igitur pro isto beneficio aliquam meretur compensationem. 334

Respondeo cum S. Thoma; *quòd ille qui mutuare non tenetur, recompensationem potest accipere ejus quod fecit; sed non debet amplius exigere. Recompensatur enim sibi secundùm æqualitatem justitiæ, si tantum ei reddatur, quantum mutuavit.*

Instabis: mutuatarius ex mutuato sibi modio frumenti v. g. decem aliquando modios superlucratur; istiusque lucri causa est charitativa mutuatio mea. Æquum est ergo ut mutuatarius pro lucro illo, ex beneficio à me accepto, aliquid mihi rependat. 335

Nego consequentiam. Tum quia quemadmodùm emptor, qui multum juvatur ex vendita sibi re alterius, non ideò debet ampliùs quàm pretium illius; quia utilitas quæ ex ea ipsi accedit, ex vendentis conditione non provenit, sed ex conditione ementis; nullus autem debet vendere alteri quod non est suum, ait S. Doctor q. 77. a. 1. Ita similiter, &c. Lucrum quippe objectum, similiter non est ex conditione mutuantis, sed mutuatarii, qui labore suo, & industriâ, facit rem illam fructificare. Tum quia res unaquæque domino suo fructificat; sicut & damnificat, non alieno; nec æquum est ut mutuans ex re mutuata reportet lucrum, qui non reportaret damnum.

Objicies 7°. dans mutuum sub usura, utilis est proximo, imò & Reipublicæ, pro quanto sic promovet negotiationem, ex qua proximus lucrum reportat, ex qua etiam promovetur commune Reipublicæ bonum. Non est ergo cur id dicatur illicitum. 336

Nego consequentiam 1°. quia utilitas illa non provenit ex mutuo sub usura, quà tali (utpote adhuc proventura, si mutuum absque usura concederetur) sed ex industria mutuatarii, negotiantis cum re mutuata? 2°. quia usura non solùm non est utilis communi Reipublicæ bono, sed ei maximè noxia, prout & omnis alia injustitia in contractibus, necnon furtum, rapina, &c. 3°. quia non est primo loco habenda ratio humanæ

utilitatis, sed divinæ legis usuram prohibentis, juxta Evangelicum istud : *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus.* Cui consonat id quod Tertullianus ait in l. de pœnitentia : *Ad exhibitionem obsequii prior est majestas divinæ potestatis, prior authoritas imperantis, quàm utilitas servientis.*

337 Objicies 8°. multi sunt (præcipuè nobiles, viduæ, &c.) qui ad propriam sustentationem non habent, nisi certam pecuniæ summam, quam nisi mutuent ad interesse, sub moderato aliquo lucro supra sortem, summam illam paulatim consument, atque ita redigentur ad inopiam. Neque enim negotiatio decet nobiles, plurimæque viduæ illius exercendæ facultatem non habent, nec alium modum ex summa illa lucrum reportandi.

Respondeo cum Augustino in Psal. 128. simile quid & latrones, & lenones dicere posse, *Non habeo aliud unde vivam. Hoc mihi & latro diceret, deprehensus in fauce; hoc & effractor diceret, deprehensus circa parietem alienum; hoc mihi & leno diceret, emens puellas ad prostitutionem; hoc & maleficus incantans mala, & vendens nequitiam suam. Quidquid tale prohibere conaremur, responderent omnes, quia non haberent unde viverent; quia inde se pascerent; quasi non hoc ipsum in illis maximè puniendum est, quia artem nequitiæ delegerunt, unde vitam transigunt; & inde se volunt pascere, unde offendunt eum, à quo omnes pascuntur.* Frustrà ergo prætextus illi allegantur : quia, ut sapienter monet S. Thomas opusc. 73. cap. 8. *usura non excusatur, quantumcumque ordinetur ad vitæ necessitatem.* Per consequens non modo illo usurario, sed alio modo licito nobiles illi, ac viduæ propriis necessitatibus providere debent, utique 1°. emendo fundum frugiferum. 2°. applicando pecunias suas ad censum. 3°. eas negotiatori conferendo in negotiationis societatem, &c.

338 Objicies 9°. tutores & curatores per leges civiles applicare jubentur pupillorum, & minorum pecuniam ad interesse. Ergo saltem ipsis licitum est pecuniam illam dare ad usuram.

Nego consequentiam : quia alii sunt modi liciti (proximè dicti) quibus eorum pecuniam applicare possunt ad interesse, non dando illam ad usuram, jure divino humanoque interdictam. Quam ob causam eam ad usuram dare tutoribus & curatoribus prorsus illicitum declaratur in Concilio Mediolanensi I. sub S. Carolo Borromæo cap. de usuris. Idem declaratum est variis in Conciliis Provincialibus, ac Diœcesanis Belgii nostri, prout videre est apud Sylvium q. 78. a. 2. Idem per universam Galliam Edictis regiis prorsus esse vetitum, Bochelius ostendit in sua Bibliotheca Juris Francici verbo *usura.*

339 Objicies 10°. mutuans sub usura non accipit lucrum supra sortem pro re mutuata, sed partim pro usu illius (qui est pretio æstimabilis) partim pro tempore illius usûs.

Respondeo, hoc ipso quòd mutuans per mutuum transfert dominium rei mutuatæ in mutuatarium, nihil supra rem mutuatam pro usu illius magis exigere posse, quàm vendens, ultra valorem rei venditæ, aliquid exigere queat pro illius usu. Alias exigeret aliquid pro usu rei non suæ, sed alienæ; quod justum non est. Non posse etiam aliquid exigere pro tempore illius usûs : utpote quod nec ipsius, sed Dei est, & in sola Dei dispositione. Unde D. Thomas loco proximè relato, *quidquid* (inquit) *causâ temporis accidit in contractibus, sicut in mutuis, accidit sine justo titulo : quia ipso* (vendendo tempus) *facit suum, quod Dei est, & datum communiter omnibus. Et hinc est quòd omnis contractus, in quo aliquid plus accipitur quam datur, sive in spe, sive in re, & hoc tantùm propter causam temporis, vocatur contractus usurarius.*

CAPUT XXVIII.

Probabile non est, aliquid supra sortem exigi posse, titulo obligationis non repetendi sortem ante certum tempus, v. g. ante annum.

PRobabilis (inquam) non est contraria 340
opinio Joannis Mediræ, Philippi de la Cruz, Bertrandi Loth, Acatii de Velasco, Cæleſtini, Pasqualigi, Caramuelis & aliorum Neotericorum. Tum quia (contra fidem) usuras facit licitas, prout statim apparebit. Tum quia secunda propositio ex 45. ab Alexandro VII. damnatis, est ista : *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem recipere, si se obliget ad non repetendum sortem usque ad certum tempus.* Quam propositionem *verbo Dei scripto & non scripto* contrariam declaravit generalis Conventus Cleri Gallicani anno 1700.

Conclusio ergo nostra probatur 1°. quia 341
obligatio non repetendi ante certum tempus, etiamsi longum, est de intrinseca ratione mutui. Si ergo aliquid ultra sortem pro ista obligatione exigere liceat; licet pro mutuo; adeòque usura est licita, contra fidem. Probatur antecedens, quia de ratione mutui, ut à precario condistincti, est quòd res mutuata repeti nequeat ad nutum mutuantis, sed post certum ac determinatum tempus dumtaxat; determinatum utique per ipsummet contractum mutui, vel per circumstantias necessitatis ad finem mutui. Quod profectò tempus varium est, modò longum, modò breve, pro varietate & exigentia causæ, quæ compellit ad exigendum mutuum. Sive autem longum tempus mutuatarius petierit, sive breve (pro varietate & exigentia dictæ causæ) illud est de intrinseca ratione postulati mutui, in ordine ad fines illius : sicut quamcumque rei mu-

tuatæ quantitatem mutuatarius petierit, sive magnam, sive parvam, ea intrinseca censetur in ordine ad finem mutui, indigentiamque illius. Si enim ad longum tempus petat, signum est quòd ad longum tempus indigeat, in ordine ad fines, propter quos illud petit; sicut si rei quantitatem magnam petat, signum est quòd quantitate magnâ indigeat, &c. Tam ergo tempus illud longum censeri debet necessarium & intrinsecum mutuo, quàm quantitas ista magna.

342 2°. dato, non concesso, quòd mutuum concederetur ad tempus longius, eò quòd moraliter necessarium est ad fines mutui petiti; mutuum equidem ad illud tempus, nihil aliud est, nisi mutuum longum; quemadmodùm mutuum concessum in quantitate majori quàm sit moraliter necessaria, nihil aliud est nisi mutuum magnum. Quemadmodùm ergo usurarium est aliquid exigere pro ejusmodi mutuo magno (ut omnes fatentur) ita & aliquid exigere pro mutuo illo longo.

343 3°. non licet aliquid supra sortem exigere pro obligatione eam non repetendi intra tempus necessarium ad fines mutui. Ergo nec pro obligatione non repetendi ad tempus illo longius. Aliàs licitum foret aliquid exigere pro priori illa obligatione (quo usuræ fierent licitæ;) quòd enim istius obligationis tempus sit vel non sit necessarium ad fines mutui, nihil æstimabilitatis addit obligationi non repetendi, uti constat in venditione & emptione, quâ quispiam absolutè & in perpetuum emit rem, quâ solùm indiget ad annum v. g. Obligatio quippe venditoris ad non repetendam rem venditam, nihil æstimabilitatis supra sortem habet, ex eo quòd tempus istius obligationis longius sit eo, ad quod emptor indiget re venditâ.

344 4°. sicut obligatio carendi re venditâ, & non repetendi eam, per se non est pretio æstimabilis supra valorem rei venditæ; sic obligatio carendi re mutuatâ, eamque non repetendi ante tempus condictum, per se non est æstimabilis supra valorem rei mutuatæ.

345 5°. sicut obligatio non repetendi ante mensem, seclusis aliis titulis, sufficienter compensatur, obligatione mutuatarii ad reddendum post mensem, & subeundum toto illo mense periculum rei mutuatæ; sic obligatio non repetendi ante annum, seclusis aliis titulis, sufficienter compensatur obligatione mutuatarii ad reddendum post annum, & subeundum toto anni tempore periculum, &c.

Satisfit objectionibus.

346 OBjicies 1°. contraria est praxis Bursæ Antuerpiensis, & Lugdunensis, uti testatur de prima Lessius, de secunda Cælestinus. Tot autem timoratorum mercatorum praxim non debemus de facili condemnare.

Respondeo, vel praxim illam fundatam non esse in præcisa obligatione non repetendi sortem ad longum tempus, sed in aliis titulis, lucri cessantis, damni emergentis, &c. obligationem illam communiter concomitantibus in mercatoribus illis. Vel certè improbandam esse, velut ortam ex improbabili opinione memoratorum Authorum, à quibus mercatores illi ducti sint in errorem ab Ecclesia reprobatum. Verùm prius illud est valdè verisimile: videmus enim multos quotidie mercatores, vulgò æstimatos divites, foro cedere; per consequens adest frequenter probabile periculum sortis (quem titulum mutuo extrinsecum esse, plerique censent) adest & utplurimùm lucrum cessans: quia negotiantissimi illi mercatores cum omni pecunia sua negotiari solent. Adsunt & labor, & diligentia, & molestia in parandis, in promptuque habendis pecuniis, ad mutuatoris officium exercendum (quem etiam titulum mutuo extrinsecum, pretioque æstimabilem censent Valentia, & alii) adest denique obligatio non repetendi sortem ante tempus condictum, quidquid acciderit, ita ut eam mutuator repetere nequeat ante illius temporis finem, etiamsi gravissimam illius indigentiam habiturus sit. Qui certè titulus plerisque meritò videtur justus, pro casu quo mutuans ad id se obligaret, cum probabili periculo futuræ talis indigentiæ.

Objicies 2°. obligatio non repetendi sortem ante longum tempus, v. g. ante annum, 347
onus est indebitum, mutuoque extrinsecum: utpote non inclusum in natura ipsa mutui, in qua solùm includitur obligatio non repetendi intra tempus necessarium ad fines mutui. Atqui licitum est aliquid exigere pro obligatione indebita, mutuoque extrinseca.

Respondeo 1°. tempus quodcumque, petitum à mutuatario, censendum necessarium 348
ad fines mutui ab ipso petiti. 2°. obligationem, etiam ad tempus non necessarium, æstimabilem non esse supra valorem rei mutuatæ, si mutuans toto eo tempore non erat eâ usurus, sed otiosam, infructuosamque in arca servaturus: eò quòd utique rerum æstimatio attendatur in ordine ad humanos usus, & penes commoda vel incommoda, quæ ex rerum usu percipiuntur. Enimverò sive annum integrum in arca habeam florenos mille, sive lapides, sive nihil, in ordine ad humanos usus, eorumque commoda vel incommoda, nihil prorsus interest. Si verò mutuans eâ re usurus erat cum fructu, majorem æstimabilitatem habet ratione lucri cessantis, non ratione obligationis non repetendi præcisè.

Objicies 3°. pro obligatione mutuandi 349
ad annum, licet aliquid exigere. Igitur & & pro obligatione non repetendi ad annum.

Respondeo 1°. negando consequentiam: sicut enim pro obligatione vendendi aliquid exigere licet, non autem pro obligatione

non repetendi rem venditam : eò quòd obligatio ista sit de ratione venditionis, sufficienterque compensetur valore rei venditæ; prior verò obligatio habeat se antecedenter ad venditionem ; distinctam proinde habeat æstimabilitatem ; ita similiter, &c.

350 Respondeo 2°. negando antecedens : utpote quod speculativæ quidem veritatis apparentiam habere videtur (eò quòd obligatio ista mutuo extrinseca esse videatur : utpote illud antecedens) practicè tamen non est admittendum, si non intelligatur de obligatione mutuandi passim omni mutuum petenti (prout in Montibus Pietatis) vel saltem mutuandi huic vel illi, quoties mutuum petierit, sed de sola obligatione hâc vice mutuandi huic personæ mutuum hic & nunc petenti. Aliàs hoc prætextu semper palliari possent usuræ. Nec prætextus iste justus est : quia licèt dicta obligatio sit pretio æstimabilis ; non alio tamen, quàm refusione sortis, nisi alius accedat titulus, vel specialis difficultas parandi pecuniam, distincta à difficultate mutuandi. Quia tunc non habetur specialis ratio istius obligationis in contractibus mutui, magis quam venditionis : eò quòd censeatur titulus quæsitus, non verus. Et quamvis metaphysicè præcedat mutuum, vel venditionem proximè sequentem, tam modica præcedentia moraliter reputatur nulla, seclusâ speciali difficultate, &c.

351 Objicies 4°. mutuum longæ durationis non habet se ad mutuum parvæ durationis, sicut mutuum in materia magna, ad mutuum in parva. Igitur ruinosum est assertionis nostræ fundamentum. Probatur antecedens, quia mutuum in materia magna sufficienter compensatur magnâ sorte redditâ ; mutuum verò longæ durationis non compensatur sufficienter solâ sorte redditâ : siquidem mutuatarius solâ redditione sortis, nihil reddit correspondens obligationi non repetendi ad longum tempus.

Respondeo, quòd sicuti mutuum 100. flor. compensatur redditione 100. flor. sic obligatio non repetendi illos ad annum (quo mansuri erant otiosi, quomodò considerantur in conclusione) compensatur obligatione post annum reddendi illos, quidquid intra annum illum acciderit, ita ut mutuatarius, donec reddiderit, totum illorum periculum subire debeat.

352 Instabis : obligatio non repetendi ad annum plus valet, quàm obligatio non repetendi ad mensem ; illud autem plus non compensatur præcisâ redditione sortis : utpote quâ non compensatur privatio facultatis utendi sorte, ex eaque lucrum captandi tanto tempore ; quæ profectò privatio est pretio æstimabilis.

Respondeo negando antecedens ; si mutuans non erat post mensem usurus re mutuatâ, sed otiosam ad finem anni servaturus ; mutuatarius verò aliunde supponatur toto anno subjectus obligationi respondendi de periculo ejusdem. Tunc enim obligatio non repetendi ad annum censetur sufficienter compensari per reciprocam obligationem proximè dictam. Nec verum est utendi vel lucrandi facultatem esse pretio æstimabilem in dicto casu supra æstimabilitatem sortis, & dicti periculi : neque enim ratio habetur lucri solùm possibiliter futuri ; sed in re vel in spe probabili de facto futuri. Hinc juxta Rotam Romanam (apud Seraphinum decis. 106. n. 6.) & praxim Romanam, Venetam, Neapolitanam, Genuensem, &c. non potest quis in foro externo exigere lucrum cessans ex mutuo, nisi probet se solitum negotiari, nec usque in præsens negotiationem abjecisse. Nec de remoto interesse ulla habenda est ratio (ait Rota Genuensis decis. 139.) sed de proximo duntaxat.

CAPUT XXIX.

Ratione lucri cessantis, damnique emergentis, ex mutuo aliquid ultra sortem, sub certis conditionibus, exigere licet.

353 QUòd liceat aliquid ultra sortem exigere titulo damni emergentis, conveniunt omnes Doctores, traditque apertè S. Thomas q. 72. a. 2. ad 1. dicens, quòd *ille qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere . . . . recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid quod debet habere.* Et probat hâc ratione : *hoc enim non est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare.*

354 Quòd etiam liceat aliquid exigere titulo lucri cessantis, negat quidem Dominicus Sotus l. de just. q. 1. negant & plerique alii, videturque primâ facie negare S. Thomas loco citato dicens : *Recompensationem verò damni, quod consideratur in hoc, quòd de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere. Quia non debet vendere id quod nondum habet, & potest impediri multipliciter ab habendo.* At revera non negat in pactum deduci posse recompensationem istius damni pro valore spei de lucro percipiendo ; sed solùm vult, in pactum deduci non posse compensationem totius lucri, solùm futuri in spe probabili, non certâ : utpote quod, dum non est nisi in spe, & potentia probabiliter actuanda, varièque impedibili, non tanti valet, ac si præsentialiter existeret, vel certò extiturum foret. Itaque sanctus Doctor non negat, spem, & potentiam proximam lucri probabiliter futuri (quæ præsentialiter existit) valere aliquid, posseque aliquid exigi pro valore illius ; imò id virtualiter concedit q. 62. a. 4. his verbis : *Aliquis damnificatur dupliciter. Uno modo, quia aufertur ei id quod actu habet ; & tale damnum est semper restituendum secundum recompensationem æqualis : puta si aliquis damnificet aliquem, diruens domum ejus, tenetur ad tantum, quantum valet domus. Alio modo, si damnificet aliquem, im-*

pediendo ne adipiscatur quod erat in via habendi. Et tale damnum non oportet recompensare ex æquo: quia minus est aliquid habere in virtute, quàm habere actu. Qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solùm secundùm virtutem, vel potestatem. Et ideò si redderetur ei ut haberet hoc in actu, restitueretur ei quod est ablatum, non simpliciter, sed multiplicatum. Tenetur tamen aliquam recompensationem facere, secundùm conditionem personarum, & negotiationum.

355 Assertionem itaque nostram, permittentem aliquid ultra sortem exigere, titulo lucri cessantis, non ad æqualitatem lucri, quod probabiliter speratur, sed pro valore spei probabilis illius (ut infrà) in simili tradit S. Thomas, eamque formaliter docent Sylvester, Cajetanus, Conradus, Adrianus, Covarruvias, Navarrus, Azor, Valentia, & alii communiter. Et

356 Probatur 1°. quia qui lucrum probabiliter speratum sibi petit compensari, petit quod justum est, ne scilicet ex beneficio alteri collato damnum, seu lucri illius jacturam reportet. *Nec enim patitur æquitas, ut pro beneficio dispendium patiatur, qui potiùs meretur præmium.* cap. *pervenit* de fidejussorib.

357 2°. pecunia destinata negotiationi, vel alteri lucrativæ applicationi, & exinde per destinantis industriam frugifera, pluris valet, quàm ipsa eadem, secundùm se præcisè spectata. Igitur amplioris illius valoris, deductis deducendis, compensatio meritò exigitur, supra valorem pecuniæ, spectatæ præcisè secundùm se.

358 3°. certissimum videtur, spem lucri probabiliter futuri, esse pretio æstimabilem supra valorem rei, spectatæ præcisè secundùm se: cùm ex jure constet, spem probabilem capturæ piscium, ex jactu retis, justo pretio vendi posse. L. *si jactum* ff. de acq. empt. Idemque est sensus omnium de probabili spe fructuum agri, vel fœtuum pecoris nondum editorum, &c. Certissimum ergo pariter videtur, aliquid exigi posse pro spe illa probabili, quâ mutuans se privat in gratiam mutuatarii.

359 4° si quispiam me roget, ut, in ipsius obsequium, laborem meum omittam, vel sibi commodem instrumenta artis, quibus victum lucrari soleo; nemini dubium est, me posse cum eo pacisci de compensando mihi lucro; aliàs sperato ex labore illo, & instrumentis, pro valore spei, deductis deducendis. Similiter ergo in mutuo.

360 5°. omnes fatentur esse licitum pacisci de lucro cessante, quando mutuare quis compellitur per potentiam Regis, vel alterius præpotentis. Istud autem foret illicitum, si spes dicti lucri pretio æstimabilis non esset ultra sortem: cùm compulsio illa non augeat valorem rei mutuatæ.

361 6°. par est ratio lucri cessantis, damnique emergentis, nec aliud est utriusque discrimen, nisi quòd damnum emergens sit jactura boni habiti in re, sive in actu; lucrum verò cessans sit jactura boni solùm habiti in spe. Ex isto verò discrimine sequitur quidem, totum bonum speratum non posse exigi, perinde ac si esset in actu; non autem exigi non posse, secundùm valorem præsentis spei: utpote quam constat de præsenti aliquid valere.

7°. jactura illius spei verè est damnum 362
quoddam emergens: utpote jactura boni actu habiti; quippe illa habetur actu, & valet aliquid. Titulo verò damni emergentis aliquid exigi posse, nemo est qui revocat in dubium.

8°. si probabilis spes lucri non foret ju- 363
stus titulus pro eo aliquid exigendi, mercatores illicitè venderent merces suas supra latitudinem pretii tunc currentis, quando alioqui tunc non forent vendituri, sed in prævisum tempus majoris valoris servaturi. Contrarium verò constat ex cap. *naviganti* de usuris, ubi Gregorius IX. declarat, illicitum esse cariùs nunc merces vendere, eò quòd prævideantur futuræ posteà cariores; cum hac tamen exceptione (quæ regulam firmat in contrarium) *si tamen eas tempore contractûs non fuerat venditurus.*

CAPUT XXX.

Conditiones necessariò servandæ ad aliquid supra sortem justè exigendum, titulo lucri cessantis, damnivè emergentis.

PRima est ut mutuum verè sit causa dam- 364
ni emergentis, lucrivè cessantis, ita ut mutuans damnum non incurrisset, vel lucrum probabiliter consecutus fuisset, si non mutuasset. Mutuum verò non censetur verè causa lucri cessantis, nisi dum mutuans pecuniam negotiationi, vel emptioni rei frugiferæ destinatam, inde distrahit, ut eam tibi mutuet. Quia si aliàs cum illa pecunia non erat negotiaturus, &c. lucrum verè non dicitur illi cessare ex mutuo. Tunc proinde aliquid supra sortem exigere, prætextu lucri cessantis, usura est. Toletus l. 5. c. 33.

Secunda, ut mutuans alias penes se non 365
habeat pecunias otiosas (id est nec destinatas negotiationi, nec familiæ usibus, nec filiarum dotibus, nec casuum fortuitorum provisioni) si enim tales habeat, quas in eamdem applicationem lucrativam commodè substituere queat, quam pecuniam mutuatam, titulus lucri cessantis tunc fictitius est, non verus, quemadmodùm & titulus damni emergentis. Neque enim mutuum tunc verè est causa lucri cessantis, magis quàm damni emergentis, quia mutuum verè non obstat ne lucretur, damnumvè vitet, sed sola voluntas ipsius. Ita Cajetanus, Navarrus, Toletus, &c.

Tertia, quòd spes erat probabilis lucri ex 366
tali pecunia futuri, si non fuisset mutuò da-

ta. Quia ad hoc ut lucrum ex mutuatore ceſſare exiſtimetur, non ſufficit poſſibilitas lucri, ſed neceſſaria eſt probabilis futuritio illius. Quia merè poſſibilium ratio non habetur. Toletus loco citato.

367 Quarta eſt, ut mutuator ab initio mutuatarium admonuerit, de damno ſibi ex mutuo obventuro, vel lucro ceſſaturo, illiuſque compenſationem in pactum deduxerit. Aliàs mutuatarius ad eam non tenebitur. Non enim ex contractu mutui: utpote ex quo ſolùm tenetur ſortem reſtituere. Neque ex natura rei, ſi per culpabilem moram reſtituendi, vel aliter non fuerit injuſta cauſa iſtius damni, vel ceſſationis lucri: quia non tenetur tunc ad illius reſtitutionem titulo injuſtæ damnificationis, ut per ſe patet; neque titulo rei acceptæ: utpote quam reddendo liberat ſe. Sibi proinde mutuator imputare debet quòd damni emergentis, vel lucri ceſſantis compenſationem in pactum non deduxerit: quia, ut S. Thomas ait q. 13. de malo a. 4. ad 14. *debebat ſibi caviſſe, ne detrimentum incurreret; nec ille qui mutuum accipit, debet damnum incurrere de ſtultitia mutuantis*; maximè cùm ab alio fortaſſis mutuum petiiſſet, qui nec lucri ceſſantis, nec damni emergentis titulum allegaſſet, ſi iſto titulo aliquid ultra ſortem ſibi reddi ab initio monuiſſet. Si tamen lucrum ceſſans, vel damnum (non deductum in pactum) poſt præfixum mutui tempus acciderit ex culpabili mora mutuatarii in ſorte reſtituenda, tenetur illud compenſare: utpote injuſta cauſa illius.

368 Quinta eſt, ut titulo lucri ceſſantis non exigatur totum lucrum ſperatum, ſed ſervetur æqualitas, ſolùm exigendo quantum, arbitrio prudentum, ſpectatis omnibus, valet probabilis ſpes illius, deductâ æſtimatione laborum expenſarumque faciendarum in negotiatione. Injuſtum namque foret, tantum exigere pro lucro incerto, varièque impedibili, nec abſque expenſis, ac laboribus acquirendo, quantum pro lucro certo, &c. Atque hoc eſt quod angelicè monet Angelicus Doctor capite præcedenti relatus, & poſt ipſum Major, Adrianus, Sylvius, & Doctores paſſim.

369 Sexta eſt, ut non exigatur compenſatio lucri ceſſantis, facienda tunc dum mutuum datur, neque ex pecuniis mutuatis extrahatur. Si enim in mutuo centum florenorum v. g. velim mihi ſtatim ſolvi decem florenos, titulo lucri ceſſantis, jam reipsâ non mutuo centum, ſed nonaginta dumtaxat. Injuſtè ergo tantum exigo, ac ſi reipsâ mutuarem centum. Ita etiam Doctores paſſim.

370 Septima conditio eſt, ut mutuatarius in illa non ſit neceſſitate conſtitutus, in qua mutuans ipſi gratis mutuare ex charitate teneatur, etiam cum ſuo damno, vel ceſſante lucro. Si enim lex charitatis plerùmque jubeat proximo, graviter indigenti, ſubvenire eleëmoſynam gratis erogando; haud dubium quin etiam quandoque jubeat ipſi ſubvenire, damnum emergens, vel lucrum ceſſans gratis condonando: charitati namque, virtutum reginæ, juſtitia, cæteræque virtutes ſubordinantur. Chriſtus quoque præceptum inculcans dilectionis Dei, vocat illud primum & maximum mandatum; præceptumque dilectionis proximi, ſecundum & ſimile iſti; & in duobus iſtis mandatis aſſerit univerſam pendere legem & Prophetas. Matth. 22. Apoſtolus etiam Rom. 13. oſtendit, juſtitiæ erga proximum officia dependere ex ipſius dilectione, dum ait: *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſiquid eſt aliud mandatum in lege, in hoc verbo inſtauratur, Diliges proximum tuum ſicut teipſum.... Plenitudo ergo legis eſt dilectio.* Ad implendam denique geminam illam legem: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, Tob. 4. &, *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, Matth. 7. (in quibus omnia juſtitiæ officia ita continentur, ut ex eorum intellectu, debitaque applicatione cernere quiſque poſſit, quid, quacumque in materia, alteri præſtare, & à quo cavere teneatur) intellectum luminoſa charitas illuſtrat, & voluntatem dirigit, ut à noxiis ſe liberet concupiſcentiis, interiorem mentis oculum excæcantibus, præſertim ab avaritia, ſeu inordinato lucri, & pecuniarum amore. Cæterùm ubi ſola lex charitatis prohibet exigere compenſationem lucri ceſſantis, vel damni emergentis, illam exigens (ſecundùm communem ſententiam) contra juſtitiæ legem non peccat, ſed contra legem charitatis duntaxat.

Sed quidquid de eo ſit, ex dictis conſe- 371
ctarium eſt primò, multos homines per cæcum ſui amorem, & avaritiæ illecebram decipi, ſæpèque mentiri iniquitatem ſuam ſibi, prætexendo titulos lucri ceſſantis, damnivè emergentis, non veros, ſed fictitios. Unde titulum lucri ceſſantis Authores fatentur ſæpè eſſe pallium multarum uſurarum. Plurimi enim (inquit Cabaſſutius in Theoria & Praxi Juris Canonici l. 6. c. 7.) fundant intereſſe lucri ceſſantis in hoc quòd poterant mutuatam pecuniam legitimo alicui exponere lucro; tametſi nullum ad id efficax habeant propoſitum, nec habuerint, imò repugnantem plerùmque voluntatem, ob pericula quæ reformidant. Iſti quidem identidem affirmant, ſe nunquam commiſſuros, ut ſua ſibi pecunia otioſa maneat in arca; cùm tamen ſolum intendant ex mutuo lucrum, nihil de aliis lucrandi modis certò efficaciterque ſtatuentes, nec pecuniam ſuam diſtrahere proponentes, niſi fidæ perſonæ occurrerent, quibus pecuniam ſuam tutò

cum

cum fœnore concrederent. Quod planè propositum est planè præposterum; nec proinde lucrum verè cessans fundare potest. Nam ut verè obtendi queat cessans lucrum, necesse est, ante mutuum, seu illius voluntatem, completam efficacemque voluntatem præcessisse, legitimis aliis negotiis lucratoriis pecuniam istam applicandi, quam tu à me postulas tibi mutuo tradi, uti Doctores omnes conveniunt, teste Toleto loco citato n. 2. & 5. Plerique tamen eorum, qui lucrum cessans prætexunt, legitimas illius occasiones recusare solent, v. g. prædiorum frugiferorum emptiones, frugum aut fructuum mercimonia, veras (non fucatas) cum mercatoribus societates, census perpetuos, aut vitalitios, &c. in hoc unicè vel primariò intendentes, ut lucrum specioso fallacique prætextu mutuando reportent, cum certissima mutuatæ sortis recuperatione. Quod profectò nihil aliud est nisi magna avaritiæ illecebra, usuraque verissima, illo prætextu larvata.

372 2°. consectarium est, mutuatores, qui pecuniam suam, ante mutuum, negotiationi sponte subduxerunt, malentes utique mutuare cum certo lucro, certaque suæ sortis recuperatione, quàm negotiari cum incerta spe lucri, incerta item recuperatione pecuniæ suæ, paciſci non posse de lucro cessante. Quia mutuum ipsis verè non est causa cessantis lucri, sed sola illa voluntas ipsorum. Ita Sylvius q. 77. a. 1.

373 3°. mercatores illos esse usurarios, qui copiosam pecuniam in nundinis habentes, post emptas merces, quas sibi emere statuerant, pecuniam residuam mutuant, cum voluntate aliquid ultra sortem exigendi, titulo lucri cessantis. Quia nec ipsis lucrum ullum verè cessat ex mutuo: cùm emerint omnia quæ emere proposuerant.

CAPUT XXXI.

An etiam pro probabili periculo sortis, habitâ ratione qualitatis & quantitatis periculi, servatâque proportione inter periculum & auctarium, in foro conscientiæ licitum sit aliquid ultra sortem exigere, gravis est controversia inter Doctores; in qua partem negativam, ob rationes non contemnendas, tenent Doctores Sorbonici, & Lovanienses, cumque ipsis plerique alii, scientiâ & pietate celebres; affirmativam tamen (salvâ lege charitatis, servatisque aliis conditionibus infrà exponendis) tradit Decisio Romana.

374 PRo affirmativa referri solent Scotus in 4. dist. 15. q. 3. a. 2. litt. O, Major, Gabriel, Angelus, Binsfeldius, Corduba, Sylvester, Joannes Medina, Valentia, Salas, Azorius, Salonius, Lessius, Malderus, Wygers, Sylvius, Cardinalis de Lugo, Petrus Navarra, Bonacina, cumque pluribus aliis Prosper Fagnanus in cap. *naviganti* de usuris.

Verùm præcipua authoritas pro affirmativa, est authoritas S. Congregationis de propaganda fide, quæ 12. Septembris 1645. in Responso ad tertium quæsitum Missionariorum Sinensium affirmativam hac de re sententiam approbavit, & Innocentius X. (eâdem Congregatione supplicante) ipsius resolutionem confirmavit, districtè præcipiendo Missionariis omnibus regni Sinensis, ut in prædicatione, & conscientiarum directione, eidem resolutioni sese conformarent. 375

Siquidem inter septemdecim quæsita præfatorum Missionariorum isti Congregationi proposita, tertium quæsitum fuit istud: „ In præfato regno lege stabilitum est, „ ut in mutuo triginta pro centum accipiantur, absque respectu lucri cessantis, aut „ damni emergentis: quæritur, utrùm Chinensibus sit licitum, pro pecuniarum suarum mutuo, licèt non interveniat lucrum „ cessans, aut damnum emergens, prædictam pro centum triginta regni lege taxatam quantitatem accipere? Et causa dubitationis est, quia in recuperanda pecunia „ est aliquod periculum, scilicet quòd qui accipit mutuatum, fugiat, vel quòd tardet in „ solvendo, vel quòd necessarium sit coram Judice repetere, vel propter alia hujusmodi. „ 376

Resolutio verò S. Congregationis ad istud quæsitum est tenoris sequentis: „ Censuerunt, ratione mutui immediatè & præcisè, nihil esse accipiendum ultra sortem „ principalem: si verò aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout „ in casu, non esse inquietandos, dummodò „ habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis ejusdem, ac servatâ proportione „ inter periculum, & id quod accipitur. „

In fine verò quæsitorum ac resolutionum, seu responsorum ad illa factorum à Patribus Qualificatoribus sancti Officii, Decretum S. Congregationis subjunctum est, ut sequitur: *Die 12. Septembris 1645. referente Eminentissimo Domino Cardinale Ginetto, suprascripta quæsita unà cum responsis & resolutionibus Congregationis Theologorum, ad eorumdem quæsitorum examen specialiter institutæ, sacra Congregatio Eminentiss. DD. Cardinalium de propaganda fide, præfata responsa & resolutiones approbavit; & eâdem Congregatione supplicante, Sanctissimus Dominus noster, ad conservandam uniformitatem in prædicatione, ejusque praxi, omnibus & singulis Missionariis, cujuscumque Ordinis, Religionis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, in Regnis Chinarum aut Chinæ, pro tempore existentibus, vel extituris, sub excommunicatione latæ sententiæ, Sanctitati Suæ, & S. Sedi Apostolicæ specialiter reservatæ, districtè præcipiendo mandavit, quatenùs præfata responsa, & resolutiones diligenter observent, illisque in praxi utantur, ac ab*

aliis, ad quos pertinebit, observari & practicari faciant, donec Sanctitas Sua, vel Sedes Apostolica aliud ordinaverit. A. Cardinalis Caponius. Loco ✠ sigilli. Franciscus Angelus Secretarius.

377 Resolutionem illam S. Congregationis, cum subjuncto Decreto Innocentii X. refert Thomas Hurtadus ad calcem suarum Resolutionum Orthodoxarum de Martyrio fidei. Referunt & RR. DD. Curati Galliarum in Theolog. Mor. Novor. Casuistar. p. 1. pag. 131. Mihi nihilominùs in publica disputatione eandem resolutionem alleganti responsum fuit primò de ea non satis constare.

378 Verùm laudatus Hurtadus exhibet illius exemplar authenticatum per Notarium Apostolicum, ut sequitur: „ Ego infrascriptus Notarius Apostolicus fidem facio, „ atque in verbo veritatis attestor, præsens „ impressum assumptum cum suo originali „ omninò concordare, nihilque deesse, aut „ superfluum esse. In cujus rei fidem ac testimonium hanc manu propriâ scripsi & subscripsi, ac solitum sigillum meum Notariatûs posui in hac Civitate Cadacensi anno à „ Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1646. „ Indictione 14. Die verò 9 Mensis Julii, „ Pontificatûs in Christo Patris ac Domini „ Innocentii Papæ X. anno ejus 2°. vocatus „ atque rogatus in testimonium veritatis, Fr. „ Victorius, Richtius, de sancto Raymundo „ nuncupatus, Ordinis Prædicatorum, Notarius Apostolicus. „ Qua de re siquis adhuc dubitet, ipsi facile erit novam copiam authenticam ejusdem decreti ac resolutionis ex Registro dictæ Congregationis comparare. Quo enim folio descripta sit, videre poterit apud Hurtadum.

379 Secundò responsum fuit, resolutionem illam non esse positivam, sed permissivam, seu tolerativam dumtaxat. Ast oppositum certum est ex tenore illius, subjectoque Innocentii X. decreto: sacra namque Congregatio, hac de re interrogata, positivè respondet, inquietandos non esse, recipientes aliquid in terminis istius resolutionis. Innocentius quoque X. omnibus & singulis Missionariis Chinensibus sub tanta pœna non præcepisset, resolutioni affirmativæ sese conformare in prædicationibus, & animarum directione, nisi eam positivè approbasset; saltem usquedum aliter S. Sedi visum esset.

380 Tertiò responsum fuit, resolutionem illam S. Congregationis solùm procedere in casu periculi extraordinarii, seu periculi longè majoris communi periculo, quod mutuo, nullo pignore vel cautione munito, imminere solet. Sed contrà: si sacra Congregatio resolutionem suam ad ejusmodi periculum restrictam esse voluisset, id utique expressisset. Non expressit autem; imò resolutionem suam eâ expressit generalitate, quam postulabat generalitas quæsiti. In qua nulla facta fuit mentio periculi extraordinarii, seu extraordinariè magni, sed communis: utpote cujus rationes communes, seu valdè frequenter accidentes, non extraordinariæ allegantur. Enimverò solum periculum extraordinarium, seu restrictio responsionis ad illud, sufficere non poterat ad excusandam communem ordinariamque Regni illius praxim.

381 Quartò responsum fuit, resolutioni illi obstare caput *naviganti* de usuris. Verùm jura juribus concordanda sunt, & dicendum, quòd Innocentius X. dum resolutionem illam positivè approbavit, ei caput *naviganti* non obstare suâ illâ approbatione satis ostendit.

382 Et reverà non obstare, saltem pro conscientiæ foro, S. Antoninus, Sylvester, Conradus, Major, Cajetanus, & Theologi frequentiùs apud Fagnanum loco citato n. 19. ostendunt, ex eo quòd resolutio capitis *naviganti* solùm procedat in casu, quo mutuans, ad recipiendum aliquid ultra sortem, movetur ratione mutui. Censetur autem (inquiunt) moveri ratione mutui, quando vult & paciscitur, ut sortis periculum ad se pertineat, aliàs non mutuaturus, & sic ex mutuo vult consequi lucrum, mediante istâ susceptione periculi, quod ideò usurarium est, quia mutuatarium cogit ad secum ineundum tale pactum, ipsi liberum non relinquens, vel tale cum ipso pactum inire, vel aliam cautionem aut pignus pro sortis assecuratione præstare.

383 Id ipsum Fagnanus n. 21. ostendit ex eo quòd capite *naviganti* Gregorius IX. non dicat naviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quòd suscipit in se periculum, recepturus aliquid supra sortem, *usurarius est*; sed *usurarius est censendus*; quasi senserit non esse usurarium in foro conscientiæ, sed talem esse censendum in externo foro Ecclesiæ, nisi sufficienter probet, se periculum in se non suscepisse ad palliandam usurariam intentionem suam lucrandi ex pecunia mutuata, sed mutuatori liberum reliquisse aliam sortis assecurationem præstare. Quod nisi sufficienter probet, Ecclesia ex iis quæ plerùmque accidunt, præsumit usurariam intentionem, illo suscepti in se periculi prætextu palliatam; nec audit mutuatores contrarium asserentes, sicut non audit electores, quibus pecunia promissa vel data fuit, si dicant, se non fuisse motos ad eligendum propter pecuniam; quia aliàs electuri erant: sed electionem censet simoniacam fuisse, occultam intentionem, & Ecclesiæ incognitam, ei soli relinquens, qui novit abscondita tenebrarum, & occulta consilia cordium: simoniacam (inquam) censet, non quia semper talis coram Deo sit, sed quia talis esse solet, ut inquit Glossa in cap. *præsentiam* in ver. *istam* 1. q. 1.

Et

Et est simile in cap. *mulier* 15. q. 1.

384 Accedit, quòd ex isto capite *naviganti* Scotus loco citato format argumentum in favorem resolutionis S. Congregationis. Tres namque casus ibi deciduntur. Primus est de mutuante pecuniam naviganti, vel eunti ad nundinas, & recipiente aliquid pro eo quòd periculum in se suscipit. Secundus est de illo, qui numeratâ pecuniâ merces, in futurum tradendas, nunc minoris emit quàm valeant emptionis tempore, quia tunc verisimiliter dubitat an plus vel minùs sint valituræ, dum tradentur. Tertius est de illo, qui propter dubium, quo verisimiliter dubitatur, utrùm merces solutionis tempore plus vel minùs sint valituræ, eas vendit plusquàm tunc valeant, si aliàs eas tunc non erat venditurus. In secundo casu dicitur quòd non sit usurarius; nec in tertio, si merces servaturus erat usque ad istud tempus, ante illud non venditurus.

385 Hinc enim Scotus arguit sic: probabile periculum pretii, tempore traditionis minuendi, in secundo casu titulus est sufficiens ad minuendum pretium rei nunc emptæ; in secundo etiam casu probabile periculum, vel (si magis placeat sic loqui) probabilis spes, pretii tempore solutionis augendi, titulus est sufficiens ad exigendum aliquid supra latitudinem pretii nunc currentis. Similiter ergo probabile periculum sortis non recipiendæ, vel difficulter recipiendæ, in casu nostro, titulus est sufficiens ad exigendum aliquid supra valorem rei mutuatæ.

386 Quòd enim trium illorum casuum par sit ratio, & pro ratione etiam periculi sortis aliquid exigi possit, pluribus aliis exemplis similibus ostendi potest. Primò quia, ut S. Thomas 2. 2. q. 77. a. 4. ad 2. ait; licitum est carius vendere, *propter periculum, cui venditor se exponit, transferendo rem de loco ad locum.* Et opusc. 73. de usuris c. 7. justum est carius vendere ob prævisum *periculum futuræ difficultatis in solutione recipienda.* Par verò ratio est de præviso periculo sortis recipiendæ: quemadmodùm enim solutio præsens, & ab omni periculo immunis, plus valet quàm sors dicto periculo exposita; ita sors præsens, & ab omni periculo immunis, plus valet quàm sors periculo probabili exposita. Tam justè ergo exigitur compensatio istius, quàm illius minoris valoris. Verba S. Doctoris sunt: *Si venditor rem suam intendat vendere carius, propter damnum, quod sibi prævidet imminere ex dilatione solutionis recipiendæ, seu propter vexationem suam redimendam, quam probabiliter timet futuram sibi in repetitione debiti, propter malitiam vel impotentiam debitoris; tunc excusatur a vitio, & fit æquitas æstimationis in hujusmodi contractibus ... quando probabiliter timetur hæc inconvenientia accidere.*

387 Secundò, ratione periculi damni solùm probabiliter emersuri ex mutuo, licitum est supra sortem exigere, & recipere aliquid proportionatum qualitati & quantitati istius periculi. Similiter ergo ratione periculi sortis solùm probabiliter amittendæ, vel nonnisi difficulter recipiendæ à mutuatario, licitum est supra sortem exigere & recipere aliquid proportionatum, &c. Cùm probabile sortis periculum æquè sit titulus à mutuo distinctus, quàm probabile illud periculum damni, nec minùs pretio æstimabilis.

388 Et confirmatur, tum quia ipsa incursio periculi sortis, probabiliter non recipiendæ, damnum quoddam emergens censeri potest, non minus quàm jactura lucri probabiliter futuri: cùm æquè sit jactura boni actu habiti; majoris utique valoris pecuniæ, vel lucri præsentis, quàm futuræ. Minùs namque valere pecuniam probabiliter non recipiendam, vel nonnisi difficulter recipiendam, quàm pecuniam absque periculo & difficultate præsentem, constat ex eo quòd venditor non tantum acciperet pro vendito jure suo, & actione in mutuatarium periculosum, quantum acciperet pro vendito sorte ipsâ præsente; quemadmodùm nec tantum accipit, qui vendit debitum periculosum, quàm qui vendit non periculosum.

389 Tum quia emptor debiti non periculosi, licitè potest illud emere minùs quàm valeat debitum non periculosum, pro eo quòd se exponit periculo debitum illud non recipiendi, vel nonnisi difficulter recipiendi, tametsi posteà contingat illud absque difficultate recipi (prout ostendemus infrà, dum de emptione) similiter ergo mutuator summæ in mutuatarii manu periculosæ, licitè potest ampliùs exigere, quàm si eam committeret manui non periculosæ, pro eo quòd se exponit periculo eam non recipiendi, &c. tametsi posteà contingat eam absque difficultate recipi. Omnis quippe ratio quæ probat unum, probat & alterum.

390 Confirmatur denique hâc ratione, quæ videtur gravissima: Constat ex Evangelio, estque doctrina ab omnibus recepta, usuram tunc solùm committi, cùm aliquid supra sortem exigitur, vel recipitur ratione mutui. At certissimum est, id quod supra sortem exigitur, vel recipitur, pro probabili sortis periculo non exigi, nec recipi ratione mutui. Certissimum namque est, id non exigi ratione mutui, quod non exigitur ratione alicujus intrinseci, sed extrinseci mutuo, ipsique per accidens annexi. Atqui non minùs certum est illud non exigi ratione alicujus intrinseci, sed extrinseci mutuo, ipsique per accidens annexi, quod solùm exigitur pro probabili sortis periculo. Nam certissimum est, probabile sortis periculum non esse mutuo intrinsecum, sed extrinsecum, nec per se, sed per accidens ipsi annexum, prout damnum emergens, & lucrum cessans. Cùm nihil magis sit mutuo extrinsecum, cum ipsoque per accidens con-

nexum, quàm quod à mutuo realiter separabile est, frequenterque ab ipso separatur. Probabile verò sortis periculum à mutuo realiter non minùs separabile est, frequenterque separatum, quàm damnum illud, & lucrum cessans; siquidem ab ipso separatur, quotiescumque mutuans pro assecuratione sortis sufficientem accipit cautionem, vel pignus, aut hypothecam.

391 Periculum quidem aliquod semper annexum est mutuo, nullâ cautione, pignore vel hypothecâ munito. Verùm istius muniminis defectus æquè per accidens se habet ad mutuum, quàm cessatio lucri, vel incursio damni emergentis ex mutuo. Igitur mutuator haud magis tenetur gratis subire defectum istius muniminis in mutuo, quàm cessationem lucri, vel incursionem damni: cùm defectus iste sit æquè pretio æstimabilis; uti constat ex eo quòd fidejussor cum isto defectu fidejubens pro mutuatario periculoso, aliquid isti defectui seu oneri proportionatum, secundùm omnes exigere possit.

392 Hæc ratio, à me in suprà memorata disputatione proposita, adeò placuit R^do. P. Platelio Societatis Jesu doctissimo Professori, ut, in exitu disputationis, suum mihi de ea judicium aperiens, dixerit sibi videri demonstrativam, eamque proinde, unà cum allegata à me S. Congregationis resolutione, inseruerit tertiæ editioni suæ Synopseos p. 3. c. 4. §. 4.

393 Monendus est tamen mutuator, ad hoc ut aliquid supra sortem ratione periculi sortis, in foro conscientiæ exigere possit, quinque præsertim conditiones esse necessarias. Prima est, ut id deduxerit in pactum, prout in simili dictum est cap. 30. Secunda, ut periculum sit verum, & in probabilibus conjecturis fundatum, non verò in levibus & imaginariis. Tertia, ut ratione istius periculi non exigatur plusquàm mutuatarius ipse alteri pro assecuratione similis periculi dare vellet, vel non plusquàm ejusmodi periculum à prudentibus communiter æstimatur. Quarta, ut mutuatarius à mutuante non compellatur ad secum paciscendum de isto periculo, sed plena ipsi libertas relinquatur, vel ad taliter cum ipso paciscendum, vel ad cautionem, aut pignus pro sortis assecuratione præstandum. Quinta, ut auctarium non exigatur contra debitum charitatis, seu eleëmosynæ, sed eo salvo, juxta dicta num. 369. Unde etiam cum periculo sortis in gravi necessitate pauperibus est mutuandum; & si pignus dederint, eo indigentibus ipsum restituendum, juxta illud Exodi 22. *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei ipsum. Ipsum enim est solum quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat.* Et Eccli. 29. Sapiens v. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. dissuadet quidem mutuare, ob pericula & difficultates; versu tamen 11. & seqq. addit: *verùm super humilem* (id est pauperem) *animo fortior esto, & pro eleëmosyna non trahas illum.* Et versu 13. *Perde pecuniam propter fratrem, & amicum tuum; non abscondas illam sub lapide in perditionem.* v. 14. *Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum.* Nam, ut D. Ambrosius l. de Tobia cap. 16. ait: « Date mutuum iis, à quibus non speratis vos quod datum fuerit recepturos. Nullum hîc damnum est, sed compendium: minimum datis, multum recipietis. In terra datis, & id vobis solvetur in cælo. Fœnus amittitis, mercedem magnam habebitis. Fœneratores esse definitis, filii eritis Altissimi... Dicit Salomon: Fœnerat Domino, qui miseretur pauperi; secundùm datum autem ejus retribuet ei. Ecce bonum fœnus de malo factum est. Ecce irreprehensibilis fœnerator. Ecce usura laudabilis. «

CAPUT XXXII.

Occurritur rationibus in contrarium.

394 OBjicies 1°. canonem *naviganti*. Sed ei occurrimus. Eidem canoni aliter occurrunt Fachinæus de controvers. jur. l. 2. in principio. Bernartius de utilit. legendæ historiæ l. 2. in principio, & alii graves Authores, aientes, mendam in textum illius irrepsisse, & loco ejus quod casu primo dicitur, *usurarius est censendus*, legendum esse *usurarius non est censendus*. Quia immediatè subjungitur: *ille quoque, qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini vel olei mensuræ reddantur, quæ licèt tunc plus valeant, utrùm plus vel minùs solutionis tempore sint valituræ, verisimiliter dubitatur, non debet ex eo usurarius judicari.* Quia particula copulativa *quoque* vel duas affirmationes, vel negationes duas inter se debet copulare. Ubi verò copulari, seu inter se connecti non possunt, ponenda non est particula copulativa *quoque*, sed adversativa *tamen*, quod ibi non fit. Unde si in primo casu legendum non esset, *usurarius non est censendus*, in secundo congruè non diceret Pontifex, *ille quoque... usurarius non debet judicari*, sed dicere deberet: *ille tamen*, &c. Neque enim congruè loquitur, qui dicit: Qui facit hoc, usurarius est censendus. Ille quoque qui facit istud, usurarius non debet judicari. Sed quia exemplaria omnia in primo casu habent, *usurarius est censendus*, & ita legunt S. Thomas opusc. 73. S. Antoninus, & Canonistæ passim omnes, insistendum iis, quæ numero illo 380. & seqq. diximus.

395 Objicies 2°. si liceat pro periculo sortis auctarium exigere, licebit & pro periculo istius auctarii exigere aliud auctarium, & pro periculo secundi istius auctarii, tertium auctarium, & sic in infinitum.

Respondeo negando sequelam. Tum quia unicâ compensatione periculum omne compensari potest, secundùm quod prudenter fuerit æstimatum. Tum quia ubi pro periculo sortis centum florenorum v. g. solùm exigitur decima pars ipsius, scilicet decem floreni; pro periculo istius auctarii ad summum poterit etiam exigi decima pars ipsius, scilicet unus florenus; sicque tandem devenietur ad minimam quantitatem, cujus periculum nullâ erit æstimatione dignum. Quia infra minimam pecuniæ quantitatem non proceditur.

Objicies 3°. si vera sit declaratio S. Congregationis de propaganda fide, omnis usura excusabitur, vel soli idiotæ erunt rei illius. Nunquam enim viris doctis & astutis titulus deerit periculi sortis, experientiâ teste, quæ docet, ipsos etiam potentiores, qui vulgò habentur ditiores, foro cedere, præsertim exulcerato hoc tempore.

Respondeo titulum periculi sortis deesse, etiam viris doctis & astutis, quoties mutuatarius offert sufficientem cautionem, vel pignus, aut hypothecam.

396 Objicies 4°. vel mutuans intendit lucrum ex mutuo periculoso, vel solùm intendit suam indemnitatem? Si primum, facit contra legem mutui: *Date mutuum, nihil inde sperantes.* Si secundum, indemnitati suæ illicitè consulit, per medium ad id non opportunum. Vel enim mutuatarius præscripto tempore sortem est redditurus cum auctario; & tunc mutuans habebit plusquàm necessarium erit ad suam indemnitatem. Vel non est redditurus sortem, nec auctarium; & sic pactum de auctario supra sortem præstando nihil serviet ad ipsius indemnitatem.

Respondeo mutuantem solùm intendere suam indemnitatem, seu immunitatem, non à damno probabiliter futuro, sed à damno præsentialiter existente; quod actu incurrit, hoc ipso quòd pecuniam, in manu sua majoris valoris, exponit manui periculosæ in qua minoris est valoris, quàm in manu sua. Nihil itaque refert quòd damnum, quod timetur probabiliter futurum, postea non eveniat; quia pactum de auctario non initur pro futuro illo damno, quod contingit non esse, sed pro probabili illius periculo, quod actu esse supponitur. Simile est in secundo & tertio casu capitis *navigantí*, de quo suprà. Simile item in eo qui vendit spem probabilem capturæ piscium ex jactu retis in flumen, vel spem probabilem fructuum arboris, vel agri, &c. qui profectò non vendit ipsos pisces in futurum capiendos, nec fructus futuros, quos contingit non esse, sed probabilem eorum spem, quæ de facto est.

397 Objicies 5°. si liceat auctarium exigere pro probabili periculo sortis, quantò probabilius erit periculum, tantò majus exigere licebit auctarium; quantò proinde major erit impotentia mutuatarii (ob paupertatem) ad sortem restituendam, tantò ampliùs ab ipso licebit exigere. Hoc autem dici non potest. Aliàs quantò major foret indigentia pauperis, tantò magis ipsum opprimere liceret, foretque licitum ampliùs à pauperibus, quàm à divitibus exigere.

Ista est præcipua sententiæ oppositæ ratio, quâ commota fateor viscera mea, ad quintam conditionem adjiciendam ut suprà n. 392. Dicendum igitur quòd quantò periculum sortis est probabilius, tantò majus auctarium hoc titulo exigere liceat, dum christianæ charitatis debitum aliud non exigit. Id enim allata resolutio S. Congregationis evincit: utpote secundùm quam habenda est ratio probabilitatis periculi, servandaque proportio inter periculum & auctarium. Quamobrem sicut fidejussor tantò ampliùs exigere potest, pro suscepto in se alterius periculo, quantò ampliùs periculum in se suscipit, nisi christiana charitas dictet habendam commiserationem inopiæ ac necessitatis proximi; ita similiter, &c. Charitas itaque erga proximum frequenter jubet misericordiam erga ipsum exerceri, ideòque justam alioqui prætensionem erga ipsum relaxari, juxta laudata ibidem oracula sacra, quibus simile est illud 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo?*

398

CAPUT XXXIII.

Dummodò intentio sit recta, serveturque æquitas in pœna, mutuator pacisci potest, ut mutuatarius, præfixo tempore suâ culpâ non restituens, aliquid ultra sortem solvat in pœnam, etiam secluso lucro cessante, damnoque emergente.

399 Est sententia communis. Quia licèt publicæ authoritatis sit imponere pœnam legalem, vel judicialem; conventionalem tamen sibi invicem contrahentes, ex mutuo consensu, ad majorem contractuum firmitatem, eorumdemque adimplendorum certitudinem, imponere possunt, id ipsis concedente jure naturali, gentium, canonico, & civili. L. *si pacta* Cod. de pactis cap. *dilectus* de arbitris. Taliter impositam verò pœnam in conscientia, ante sententiam Judicis, solvere tenebitur pars, quæ fuerit culpabiliter in mora. Quia justa conventio, jure naturali, ante Judicis sententiam, obligat in conscientia.

400 Dixi 1°. *dummodò intentio sit recta*, sic nempe, ut mutuans verè ac sincerè intendat rem mutuatam condicto sibi tempore restitui. Neque enim recta censetur 1°. si magis optet contrarium, ut mutuatarius in pœnam cogatur solvere auctarium. 2°. si ex industria breve præfigat tempus, sub spe, quòd mutuatarius, eo elapso, ob pecuniæ

carentiam non reſtituet, adeòque pœnam ſolvet. 3°. ſi parùm curet de potentia mutuatarii ad reſtituendum tempore præfixo, ſed vel unicè, vel principaliter curet de lucro ſuo. Iſtud namque ſignum eſt animi uſurarii: utpote lucrum intendentis principaliter ex mutuo, ut notat Gloſſa in can. *plerique* 14. q. 5. & Innocentius in cap. *ſuam* de pœnit.

401 Dixi 2°. *dummodò ſervetur æquitas in pœna*, tam ſcilicet in conſtitutione, quàm in ſolutione ipſius. In conſtitutione quidem, ut conſtitutio fiat ex mutuo conſenſu, ſervatâ proportione inter pœnam & culpam. Aliàs pœna cenſebitur in uſurarum pallium conſtituta, non in contractûs firmitatem. In ſolutione verò pœnæ æquitas poſtulat 1°. ut integrè non exigatur, ſi ſors ex parte reſtituta fuerit mutuanti. 2°. ut non exigatur, niſi propter moram culpabilem: quia non eſt dignus pœnâ, qui non eſt in culpa. Per conſequens requiritur, ut debitor non ſit in impotentia ad ſolvendum tempore præfixo: ſi enim ſine culpa ſua factus eſt impotens, non eſt licitum aliquid ab eo exigere, inquit S. Antoninus p. 2. tit. 1. c. 7. §. 33. 3°. æquitas poſtulat, ut pœna non exigatur, niſi propter moram utcumque notabilem, quæque non reputetur moraliter quaſi pro nulla (ſpectatâ negotii qualitate, receptâque conſuetudine) non exigatur proinde pro mora unius diei, vel hebdomadæ, communiter loquendo, niſi damnum inde emergat mutuanti, vel notabile lucrum ceſſans.

CAPUT XXXIV.

Nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum ſub uſura; licet tamen ab eo qui paratus eſt hoc facere, & uſuram exercere, mutuum accipere ſub uſura, propter aliquod bonum, quod eſt ſubventio ſuæ neceſſitatis, vel alterius.

402 VErba ſunt S. Thomæ q. 78. a. 4. ubi utramque partem probat, quia inducere hominem ad peccandum, nullo modo licet; uti tamen peccato alterius ad bonum licitum eſt; quia & Dominus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum: ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum, ut dicitur in Enchirid. c. 11. Et ideò Auguſtinus Publicolæ quærenti, utrùm liceret uti juramento ejus, qui per falſos deos jurat (in quo jurans manifeſtè peccat, eis divinam reverentiam adhibens) reſpondit, quòd " qui „ utitur fide illius, qui per falſos deos jurat, „ non ad malum, ſed ad bonum, non peccato illius ſe ſociat, quo per dæmonia juravit, ſed pacto ejus bono, quo fidem ſervavit; ſi tamen induceret eum ad jurandum „ per falſos deos, peccaret." Ita etiam in propoſito dicendum eſt. Sicut etiam licet ei, qui incidit in latrones, manifeſtare bona quæ habet (quæ latrones diripiendo peccant) ad hoc quòd non occidatur, exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Iſmaël: *Noli occidere nos, quia theſauros habemus in agro*, uti dicitur Hierem. 41.

Cæterùm duæ conditiones neceſſariæ 403
ſunt, ad hoc ut licitum ſit petere mutuum ab eo qui cognoſcitur daturus ſub uſura. Prima eſt ex parte mutuatarii, ut ad mutuum à tali homine petendum compellatur propriâ, vel proximi neceſſitate, notabilivè utilitate: hoc eſt enim quod ſignificant allata verba S. Thomæ, *propter aliquod bonum, quod eſt ſubventio ſuæ neceſſitatis, vel alterius.* Quòd autem neceſſitas iſta vel utilitas eſſe debeat notabilis, ratio eſt, tum quia cenſeretur interpretativè velle peccatum proximi, qui abſque cauſa notabili occaſionem ipſi præberet peccandi. Tum quia cura divini honoris, ſicut & ſalutis proximi, non permittit pro levibus commodis temporalibus ipſi (licèt ad peccandum parato) peccati hîc & nunc exequendi occaſionem præbere, quod ſine ea non exequeretur. Quamvis enim uſurarius ſemper paratus ſit peccare; quòd tamen hîc & nunc peccatum exequatur, ex oblata accidit occaſione.

Ex quo Sylvius q. 78. a. 3. cum Everar- 404
do, Richardo, Gabriele, &c. benè concludit, eos qui abſque neceſſitate, vel utilitate magna, petunt ab uſurario mutuum, v. g. propter ebrietates, pompas, ludos, aliaſvè cauſas illicitas, vel ſuperfluas, à peccato non excuſari. Si id ob cauſas ſuperfluas licitum non ſit: non igitur præcisè ad acquirendas divitias ſuperfluas.

Secunda conditio eſt ex parte mutuantis, 405
ut mutuum, etiam ex neceſſitate, ſub uſura non accipiatur, ſi præſtò ſit alius, qui abſque uſura dare velit. Et ſi in neceſſitate præſtò ſit ad uſuram dare paratus, ad uſuram non accipiatur à non parato. Quia charitas in Deum & proximum dictat, avertendam Dei offenſam, proximique peccatum, dum facilè poteſt. Et ideò Doctores Sorbonici 6. Julii 1671. duplici ex capite condemnarunt quempiam, qui mutuum centum ſcutorum ſub uſuris acceperat. 1°. quòd ſine magna neceſſitate id feciſſet. 2°. quòd illud accepiſſet ab Eccleſiaſtico, ad id non parato, nec uſuras exercere ſolito.

Alexander quidem III. cap. *ſuper eo* de 406
uſuris, interrogatus, an pro redemptione captivorum apud Sarracenos liceret pecuniam ad uſuram accipere, & ut vellet ſuper hoc diſpenſare, reſpondit: *Cùm uſurarum crimen utriuſque Teſtamenti pagina deteſtetur; ſuper hoc diſpenſationem aliquam fieri poſſe non videmus: quia cùm Scriptura ſacra prohibeat pro alterius vita mentiri; multò magis prohibet pro redimenda vita captivi, uſurarum crimine involvi.* Sed per hoc aſſertionem S. Thomæ non improbat, ſed ſolam praxim eorum, qui licitum putabant fœnerari ob

piam causam. Quia in sensu obvio nihil ampliùs sonant verba ipsius.

CAPUT XXXV.

Qui bonâ fide contractum fecit usurarium, quem si sciviſſet non esse justum, alium feciſſet contractum justum, v. g. societatis, non potest auctarium supra sortem retinere titulo lucri cessantis ex tali justo contractu, si ab initio nullo modo cogitaverit de isto alio contractu justo.

407 COntrarium asserunt Sa verbo *usura* n. 8. Tannerus hîc q. 4. disp. 7. dub. 3. Sanctarellus q. 46. p. 1. Verricelli qq. Moral. tr. 4. q. 2. Tamburinus l. 8. in Decal. tr. 3. c. 8. §. 3. n. 21. Diana p. 11. tr. 7. resol. 24. Quia dum bonâ fide contrahit, & absque voluntate contrahendi sub usura, implicitè vult alium inire contractum justum, ex eoque percipere lucrum. Sed contrà: 1°. si à principio nullo modo cogitaverit de alio contractu justo, quomodò implicitè eum voluit, cùm nihil volitum, quin præcognitum?

408 2°. alius ille contractus iniri non potest absque consensu mutuatarii, qui censeri nequit consentire ad solvendum interesse lucri cessantis ex alio contractu, si hoc nullo modo fuerit ipsi propositum, sed solum mutui pretium.

409 3°. contractus justus, v. g. societatis, nullo modo includitur in contractu usurario quem fecit. Igitur absque fundamento dicitur voluisse justum, dum bonâ fide voluit injustum, seu usurarium. Quòd enim bonâ fide faciens contractum injustum, ideò faciat, quia credit justum, & sic habeat affectum ad justitiam. Nihil est. Quia aliud est habere affectum ad justitiam existimatam contractûs usurarii; aliud ad justitiam veram contractûs societatis v. g. in illo non inclusi; nec qui vult primum, implicitè vult secundum.

410 Quòd etiam usurariè mutuans, ut suprà, animo ita affectus sit, ut si sciret usurariè se contrahere, alio modo justo contrahere vellet. Ipsum non magis juvat. Quia conditionalis illa nihil hîc & nunc ponit in re. Aliàs simili ratione lucrum retinere posset, qui malâ fide contractum usurarium iniisset; saltem in casu quo modo justo contrahere voluisset, si eum cognovisset.

411 Admittit quidem hoc Verricelli loco citato. Sed quâ probabilitate, ipse viderit: si enim isto casu excusabilis esset, omnis usurarius excusari posset, omneque ex contractu usurario lucrum palliari: cùm nullus sit usurarius contractus, qui alio justo modo cum eodem vel alio contrahente fieri non potuisset.

412 Denique Authores, quos impugnamus, frustrà allegant venditorem, qui bonâ fide vendidit aliquid pretio plus vel minùs justo (v. g. duodecim, vel octo quod valet decem) posse contractum reducere ad justum. Hoc enim ideò potest, quia contractus ille ex toto non fuit injustus, sed ex parte duntaxat. Cui nihil simile in præsenti.

CAPUT XXXVI.

Ab usura liberi sunt Montes Pietatis, tam Italici, quam Belgici, & mixti.

413 MOns Pietatis est notabilis cumulus pecuniarum, vel alterius rei mutuabilis, v. g. frumenti, collectus ad subveniendum necessitati indigentium, per mutuum, & ad impediendum ne usuris opprimantur. Alius est collectus ex puris eleëmosynis; alius collectus ex pecuniis ad censum levatis; alius mixtus, sive collectus partim ex eleëmosynis, partim ex censibus.

414 Montes Pietatis primi generis originem habuerunt Perusii, in Italia, & ideò *Italici* vocantur. Ibi namque quidam Concionatores hortati sunt fideles, & Magistratus, ad subveniendum necessitatibus pauperum, per pias eleëmosynas, & legata, ex quibus conflaretur notabilis pecuniarum cumulus, quæ mutuo sub certis darentur conditionibus. Quarum 1ª. erat, ut mutuum solis daretur pauperibus istius loci. 2ª. ut in certa duntaxat quantitate, v. g. non ultra centum libras. 3ª. ut nonnisi ad certum tempus, v. g. ad annum. 4ª. ut mutuatarii darent pignus, ne cumulus defectu restitutionis sortis exhauriretur. 5ª. ut aliquid insuper moderatum solverent pro expensis Ministrorum, quibus cura esset Montes custodiendi, pignora recipiendi, & suo tempore restituendi, atque ex præfato cumulo indigentibus promptè mutuandi. 6ª. ut, si sors præfixo tempore non restitueretur, pignora venderentur, detractisque sorte, ac stipendio Ministrorum, residuum pretii mutuatariis restitueretur.

415 Dictarum eleëmosynarum defectu alterius generis Montes anno 1619. sub Principibus Alberto & Isabella in Belgio erecti sunt, ex levata utique (ex indulto Principum, ac Magistratuum) ingenti summa pecuniarum ad censum annuum, ex quibus per mutuum cuivis subveniretur indigenti, cum onere pendendi aliquid, tum pro solutione censuum, quibus Mons gravaretur; tum etiam pro expensis Ministrorum, erectione, & reparatione domûs, &c. Et isti vocantur *Montes Belgici*.

416 Inventus est alius quoque modus subveniendi pauperum indigentiæ per mensas, ut vocant, fœnebres Mercatorum, seu Lombardorum, qui, habitâ facultate Principum, publicam aperiunt mensam, ex notabilique summa pecuniæ propriæ, aliàs in censum justum, vel negotiationem applicandæ, cuivis indigenti mutuum præstant, sub iisdem ferè conditionibus, quæ servantur in Montibus Pie-

tatis secundi generis, cum hoc tantùm discrimine, quòd Lombardi insuper exigant auctarium aliquod pro Præfecto mensæ, in gratiam pauperum alio lucro justo carentis. Quod auctarium olim erat semissis in hebdomada, pro qualibet libra Flandrica; nunc verò quadrans cum medio, prout Bertrandus Loth testatur de casib. Belg. tr. 9. q. 1.

417 Montes Pietatis primi generis licitos, & ab usura immunes esse, conveniunt Authores (exceptis saltem Cajetano & Soto) tum quia eos approbavit Leo X. cum Concilio Lateranensi, cujus Bullam refert Wigers hîc c. 7. dub. 2. n. 6. Tum quia inter loca pia numerantur à Concilio Tridentino sess. 22. de reform. c. 9. Tum quia in illis auctarium non exigitur titulo mutui, sed alio supradicto titulo justo.

418 Montes etiam Pietatis secundi & tertii generis liciti sunt. Primò, quia etiam in illis auctarium non exigitur titulo mutui, sed titulo indemnitatis Montium, & mercedis Ministrorum; quorum opera, uti & Montium conservatio, seu indemnitas, cùm ordinetur in commodum, utilitatemque accipientium mutuum, ut in omni eventu paratam ad sua negotia pecuniam statim invenire possint, absque necessitate recurrendi ad usurarios, cum majori suo ac Reipublicæ detrimento; æquum est ut pro ea aliquid à mutuatariis accipiant; quia qui sentit onus, debet & commodum sentire.

419 Secundò, cùm Montes illi publicâ erecti sint authoritate, in commune bonum, Principes, tamquam Patres communitatis, habentesque dominium eminentiale in bona subditorum, supplere censentur, siquid aliunde ad eorum justitiam fortè deesset, Montibusque concedere jus in auctarium, non titulo mutui, sed communis boni, & contributionis in illud.

420 Tertiò, cùm Montes illi obligentur quibuscumque petentibus mutuare, omnique curâ satagere, ut ad hoc paratam semper habeant pecuniam, pro illa obligatione & cura, utpote mutuum antecedente, aliquid exigere licet. Nam si ego mutuare non possem, nisi me multiplici antecedenter curâ fatigando, in parandaque ad hoc pecunia expensas faciendo, hoc titulo aliquid exigere possem, inquit Toletus l. 5. c. 8.

421 Difficultas quidem esse potest quoad auctarii quantitatem, quam Montes exigunt: sed cùm eam non exigant nisi publicâ authoritate, quâ eorum indemnitas simul cum aliis dictis titulis tanti æstimatur, non est quòd isto ex capite arguantur: maximè cùm videamus, eâ quantitate non obstante, Montes depauperari, potiùs quàm ditescere.

422 Unde Belgicos etiam Montes approbarunt octo Episcopi pro eorum discussione anno 1619. Mechliniæ congregati, sicut & præcipui Theologi Belgii, tam Lovanienses, quàm Duacenses.

Sed quid de Lombardis, de quibus num. 414.? nec ipsi de usura jure arguuntur. Quia cum Montibus secundi generis conveniunt in oneribus parandæ, & conservandæ pecuniæ, ad sublevandam indigentiam cujuslibet mutuum petentis; solùmque differunt in eo quòd auctarium exigant ratione lucri quod mensæ Præfecto cedat occasione congregationis & asservationis pecuniæ ad mutuum cuilibet præstandum; Montes verò secundi generis ejus loco idem ferè auctarium exigant ratione censuum, quibus gravantur ad subveniendum indigentibus per mutuum. 423

Unde Bertrandus Loth refert Bullam Sixti V. ad Carolum Emmanuelem, Sabaudiæ Ducem, quâ mutuatoribus publicis in ejus terris permittit quotannis accipere octodecim in centum. Pro qua quantitate, quæ aliàs videri potuisset excessiva, credibile est, peculiares circumstantias eam justificantes adfuisse. Neque enim tantus excessus alibi permittitur. Et ideò usurarii olim fuerunt Lombardi illi, qui (teste Lessio c. 30. n. 194.) 33. 44. & 45. in centum aliquando exegerunt. Quod nunquam fecerunt Lombardi, authoritate Caroli V. Philippi II. & Philippi IV. in Belgio admissi, hâc conditione, quòd non acciperent nisi 15. circiter in centum, nec superfluum pignorum venditorum sibi retinerent, sed domino comparenti, vel certè pauperibus restituerent. Quos cum Doctoribus Duacenæ Universitatis fusè excusat Loth q. 1. & 2. 424

Ex dictis facile est respondere ad ea quæ objici solent. Titulum enim lucrandi aliquid diximus non esse mutuum, sed 1°. obligationem, de qua n. 418. 2°. titulum boni communis, ob quod statuerunt Principes, ut præsentes pauperes ampliùs solverent, quàm futuri, ut, diminutâ paulatim auctarii quantitate, facilius ipsis succurri posset. Præsentes namque pro futuris authoritate publicâ, ob commune bonum, gravari posse, constat ex erectione operum publicorum, pontium, fontium, fluminum, &c. Quòd si Montes aliqui ex auctariis accrescant, non tam sibi, quàm pauperibus accrescunt, in quorum sublevamen instituti sunt. Nec tam per se, quàm per accidens accrescunt: cùm enim vix determinari possit quantitas auctarii præcisè necessaria ad Montium conservationem (attentis circumstantiis temporum, locorum, &c.) eorum conservatio postulat, ut potiùs exigatur majus quàm minus. Quòd si exinde contingat melioratio aliquorum Montium, melioratio ista cedet equidem in commune bonum indigentium: nam quò meliores erunt, eò minus exigent, & paulatim diminuetur auctarium; sicut & in casu quo Montes meliorabuntur ex piorum eleëmosynis, & applicatis sibi (tamquam locis piis) pignorum venditorum superfluis. 425

Saltem (inquies) pro conservatione Montium nihil exigi potest. Quia mutuantis, 426

non

non mutuatorum est conservare pecuniam suam. Respondeo ita esse, dum pecunia primariò, & ultimatè ordinatur in privatum bonum mutuantium : secùs, dum primariò, & ultimatè ordinatur in commune bonum mutuatariorum, prout ordinatur pecunia Montium.

CAPUT XXXVII.

Usurarius non acquirit dominium, etiam transiens, usurarum.

427 ITa S. Thomas q. 78. a. 3. in corp. & ad 3. S. Bonaventura in 4. dist. 15. a. 2. q. 1. & alii communiter contra Scotum in 4. dist. 15. q. 2. a. 3. ad 2. Paludanum ibidem a. 5. & nonnullos alios dicentes, usurarium quidem juxta L. *nunquam* ff. de acq. rer. dom. non acquirere usurarium dominium permanens & absolutum ab onere reddendi ; secus dominium transiens & reddendum. Primò, quia dominium transiens benè transfertur absque titulo justo, ut patet in venditione pretio supra summum, quâ venditor acquirit dominium saltem transiens, istius excessûs pretii, sine justo tamen titulo.

Secundò, ex venditione rei furtivæ, licèt injustâ, fur acquirit dominium transiens pretii. L. *qui vas* ff. de furtis.

Tertiò usurarum acceptio non est furtiva. Igitur est dominii translativa. Antecedens probatur, ex eo quòd usuræ non accipiantur invito domino : utpote qui eas voluntariè dat, & ultrò tradit.

Quartò voluntas, quâ mutuatarius liberè solvit usuras, cum acceptatione mutuantis, sufficit ad dominium in ipsum transferendum, saltem transeunter, & cum onere restituendi ; prout in simili patet ex voluntate, quâ viator, coactus à latrone, dat ipsi bursam suam, ad evadendam mortem sibi aliàs comminatam.

Quintò si usurarius non esset dominus usurarum, omnes contractus ex pecunia usuraria ab ipso facti, irriti essent. Hoc autem concedi non potest : quia si de istiusmodi pecunia emat agrum, hic erit ipsius, juxta D. Thomam hîc a. 3. ad 2.

428 Nihilominùs assertionis nostræ veritas probatur 1°. quia nunquam nuda traditio dominium transfert, nisi præcesserit venditio, aut justa aliqua causa. L. *nunquam* citata, cujus verba, cùm generalia sint & indistincta, generaliter & indistinctè accipienda sunt, ut non solùm procedant de dominio absoluto & permanente, sed de dominio quocumque, etiam transeunte. Lex enim generaliter loquens, generaliter est intelligenda ; & ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. L. *de pretio* 8. ff. de public. in rem act. L. 1. §. *siquis* ff. de exercitoria. L. 7. C. de condit. ob causam. L. 1. §. *generaliter* ff. de legat. præstand. Et cap. 22. de privileg. Et ibi Glossa, & Juristæ ac Canonistæ passim.

2°. dominium, sive permanens, sive transiens, est jus quoddam, & quidem jus in re. Atqui jus, etiam transiens, ex injuria nasci non potest, magis quàm virtus ex vitio, justitia ex iniquitate. 429

3°. usurarius est fur cap. *siquis usuram* 14. q. 4. quia scilicet usura est furti species : usurarius namque rei usurariæ dominium sibi invito usurpat domino : utpote qui sic consentit in ejus traditionem, ut in dominii non consentiat translationem, prout infrà videbitur. Atqui fur rei futuræ dominium, etiam transiens, non acquirit ; ut omnes fatentur, colligiturque ex L. *in re furtiva*, & L. *si non manifestus* ff. de condict. furtiva. 430

4°. sicut rei alienæ dominium, etiam transiens, invito domino non acquiritur ; ita nec sine justo titulo : utpote qui tam necessarius est ad dominii, etiam transeuntis, translationem, quàm domini consensus. 431

5°. omnis contractus intrinsecè & formaliter injustus, est intrinsecè & formaliter invalidus. Igitur esse nequit dominii translativus. 432

6°. rei alienæ dominium, etiam transiens, non transfertur invito domino, ut Adversarii fatentur. Ut ergo transferatur, requiritur voluntas, & consensus domini in translationem. At in mutuatario non magis est voluntas & consensus in translationem dominii usurarum transeuntis, quàm permanentis : neque enim magis cogitat de transferendo dominio transeunte, quàm de transferendo permanente ; nec consensus ipsius in traditionem magis est consensus in translationem unius, quàm alterius dominii. Quamvis enim voluntariè tradat, non intendit tamen in mutuatarium transferre, nisi dominium ejus, quod ipsi debetur ratione mutui, sortis utique. Reliquum proinde non tradit, ut ipsius sit, etiam transeunter, sed ut mutuum concedat, conscientiæ ipsius relinquendo, an reliquum ipsi debeatur. 433

7°. usurarius usuram certissimè debet restituere. Non apparet autem quâ ratione eam deberet restituere, si acquireret dominium ipsius. Siquidem omnis ratio, quæ probat ipsum retinere non posse, similiter probat ipsum non posse acquirere ; & omnis ratio, quæ probat dominium absque justo titulo permanere non posse, probat nec posse incipere, nec esse, ne uno quidem instanti. Si enim uno, quidni duobus ? quidni tribus ? &c. 434

Dixi in assertione *per se loquendo*, quia usurarius, secundùm communem Doctorum sententiam, per accidens acquirit dominium usurarum, si eas ita miscuerit cum suis aliis rebus similaribus, non minoris quantitatis, (v. g. pecuniam cum pecunia, frumentum cum frumento) ut ab istis illæ discerni nequeant ; acquirit (inquam) earum dominium 435

titulo mixtionis, vel potiùs (quia & ipsa injusta fuit, si facta malâ fide) titulo juris, suppositâ mixtione sic statuentis in commune bonum, ne incerta sint rerum dominia. §. *quòd si partim* Instit. de rer. divis. L. *si alieni domini* ff. de solut. L. *idem Pomponius* ff. de rei vendit. Dominium tamen obnoxium est oneri restitutionis, ratione injustæ acceptionis.

436 Ex hac doctrina Tamburinus ubi suprà §. 4. n. 26. consequens putat, eum qui aliquid ex illa summa, in qua mixtio facta est, vel totam ipsam summam ab usurario dono accepit, nihil inde antiquo domino debere restituere, quamdiù usurarius (& idem est de fure) potens est ex aliis bonis restituere (licèt nolit) secùs si inde factus fuerit impotens. Quod postremum aliqui solùm procedere putant, quando donatorem donatarius induxit ad donandum.

437 Sed utraque pars mihi à ratione videtur aliena. Quia licèt usurarius istius rei dominium in te transtulerit, non transtulit nisi obnoxium restitutioni, prout ipse in rem illam dominium non habuit nisi ei obnoxium. Neque enim credibile est leges, per dictam mixtionem, aliud dominium usurariis concedere : cùm non concedant nisi dominium ab antiquo domino vendicabile, nec dominium tale concedant, ut de toto acervo usurarius absolutè possit disponere, sed solùm quoad quantitatem, quæ priùs fuit ipsius, uti colligitur ex L. *Marcellus* ff. de rei vendic. ibi : *Siquid, quod ejusdem naturæ est, ita confusum est, atque commixtum, ut deduci & separari non possit, non totum, sed pro parte est vendicandum, ut puta, si meum ac tuum argentum in massam redactum est, erit nobis commune, & unusquisque pro rata ponderis, quam in massa habemus, vendicabimus.*

438 Confirmatur hoc ex verissima doctrina, quam contra Molinam, Lessium, &c. cum Cajetano, Adriano, Gabriele, Paludano, Soto, Navarro, Angelo, Sylvestro, & aliis, tradit Castro-Palao disput. 1. de justit. commut. p. 14. n. 7. utique eum qui, etiam donatione inter vivos, aliquid accepit à debitore, conscius ipsum exinde redditum impotentem ad solvendum, teneri ad restituendum acceptum, quantùm necesse fuerit ad solvendum debitoribus, licet ipsum non induxerit ad donandum. Quia donatio illa eo ipso injusta fuit, quo causa fuit impotentiæ ipsius ad solvendum; ad eam verò injustitiam acceptatio tua æquè (imò magis) efficaciter concurrit, quàm inductio quâ ipsum induxisses; quandoquidem donatio quælibet, ad sui valorem & efficaciam, donatarii requirat acceptationem, non verò inductionem.

439 Supereſt, ut occurramus argumentis n. 425. objectis. Ad 1. itaque ex dictis patet, dominium etiam transiens, sine justo titulo non transferri, nec venditorem acquirere dominium excessûs pretii.

Ad 2. dicendum, venditionem rei furtivæ, vel usurariæ, injustam non esse, quâ parte translativa est dominii pretii ab emptore in venditorem; sed quâ parte translativa est rei usurariæ, vel furtivæ à venditore in emptorem, ideòque pro illa parte validam esse, non pro ista. Hoc est enim quod dicitur L. 1. ff. de rer. permut. quòd in venditione esse possit claudicatio. Nam quòd venditor rei furtivæ acquirat dominium pretii sibi traditi, constat ex L. *qui vas* ff. de furtis, ibi : *nummus qui redactus est ex pretio rei furtivæ, non est furtivus.* Et L. *ex empto* ff. de action. empt. ibi : *emptor autem nummos venditoris facere cogitur.* Emptorem autem rei furtivæ sibi venditæ dominium non acquirere, similiter constat ex eadem L. *ex empto*, & L. *rem alienam* ff. de contrah. empt. Et ratio insinuatur ibidem : quia venditor transferre non potest dominium, quod non habet; rei verò furtivæ dominium fur non habet; emptor verò dominium habet pretii, quod transfert in venditorem. 440

Si quæras 1°. quomodò venditor ille dominium acquirat pretii, quandoquidem emptor illud transferre non intendat, nisi in eum qui rei venditæ dominium in ipsum transfert, nec nisi sub ea conditione? 441

Respondeo non transferre sub ea conditione, sed absolutè (ut ex legibus allegatis patet) sic tamen, ut siquis sit venditionis defectus, vel deceptio, evictionis nomine venditorem obliget, si modò pretium est numeratum, uti dicitur in citata L. *ex empto.* Dummodò tamen emptor bonâ fide professerit, nesciens rem alienam sibi venditam : aliàs venditor de evictione non tenebitur, nisi contrarium expresè deductum fuerit in pactum. L. *si in emptione* ff. de contrah. empt.

Nec refert, quòd rei pretium non transferret, si rei venditæ defectum sciret : quia cùm hîc & nunc non sciat, hîc & nunc absolutè transfert. Maximè cùm ipsi satis consultum sit, per hoc quòd venditor teneatur de evictione, possitque adversus ipsum agere ad totale interesse. 442

Si quæras 2°. cur in venditione rei furtivæ venditor potiùs acquirat dominium pretii, quàm, in venditione supra summum pretium, acquirat dominium excessûs? 443

Respondeo, rationem esse : quia emptor velle censetur translationem dominii legitimi pretii, seu non excedentis valorem rei venditæ, non verò illegitimi. Rei verò furtivæ pretium supponitur legitimum : quia res illa vendita supponitur tanti valere; excessus autem in venditione supra summum non est pretium legitimum, sed illegitimum.

Ad 3. negatur assumptum. Usurariam namque acceptionem esse furtivam, suprà ostendimus. 444

Ad 4. dicendum, quòd si donatio, causa mortis facta latroni, translativa sit dominii, ideò 445

ideò est, quia donator intendit donare, adeòque dominium transferre, quamvis latro, ob injustitiam metûs ipsi incussi, teneatur illud restituere; mutuatarius verò dominium auctarii transferre non intendit, uti probavimus.

446 Ad 5. patet ex dictis. Ad 2. solùm addo, cum S. Thoma ubi suprà, usurarium esse dominum possessionum, aliarumque rerum, de usuris acquisitarum; quia fructus sunt industriæ ipsius, prout habetur cap. *cùm tu* de usuris, & L. 1. & 8. Cod. *si quis alteri.* Enimverò fructus illius sunt, cujus est id unde sunt fructus, ait S. Doctor ibidem in corp. Ergo fructus industriæ illius sunt, cujus est industria.

CAPUT XXXVIII.

Usurariorum pœnæ.

447 USurarii alii publici sunt, occulti alii. Publici, seu notorii, vel tales sunt notorietate juris, quando coram Judice confessi sunt, vel convicti; vel notorietate facti, quando ita palàm exercent usuram, ut eam nullâ possint tergiversatione negare vel celare.

448 Publici itaque usurarii 1°. sunt infames, ac per consequens irregulares, & inhabiles ad officia, & beneficia, &c. can. *infames* 3. q. 7.

2°. repelluntur à sacra Communione cap. *in omnibus* de usur. Non tamen ab Officio divino: quia excommunicati non sunt ex toto. Tametsi Edicto Belgico anni 1610. tempore divini Officii templum intrare prohibeantur.

3°. eorum oblationes non recipiuntur. Ibidem. Qui eas acceperit, ipso facto est suspensus ab officio, & oblationes reddere compellitur.

4°. ad confessionem non admittuntur, nec absolvuntur, nisi antè pro viribus satisfecerint iis, quibus restituere tenentur; saltem sufficientem dando cautionem creditoribus, si sint præsentes; vel Ordinario loci, vel Parocho, coram testibus fide dignis. cap. *quamquam* de usur. in 6. Si periculum mortis non patiatur moram, factâ promissione pro viribus satisfaciendi, absolvendi erunt. Navarrus c. 17. n. 279.

5°. ecclesiasticâ privantur sepulturâ. cap. *quia in omnibus* suprà. Siquis propriæ temeritatis audaciâ ipsos ejusmodi sepulturæ tradiderit, ipso facto est excommunicatus. Clement. 1. de usuris.

6°. eorum testamenta cassantur & annullantur. cap. *nunquam* de usuris in 6.

7°. intra tres menses expellendi sunt è terra, de qua non sunt oriundi, nec ipsis ibi concedendus habitationis locus, nec domus elocanda: siquis elocet, excommunicatur. cap. 1. de usur. in 6.

CAPUT XXXIX.

Quomodò Confessarius se gerere debeat cum usurariis.

449 IPsos ante omnia monere debet, quòd *non tantùm est perfectionis, sed etiam necessitatis, publicè* (si notorii sint) *& in manus Ecclesiæ restitutiones faciendas promittere & firmare.* S. Thomas opusc. 78. c. 16. idoneam scilicet cautionem dando, ut suprà Quòd si eam præstare nequeant, debent jurare se non posse, & se facturos quidquid poterunt ut restitutio fiat. Bonacina de contract. disp. 3. q. 4. p. ult. n. 1. Navarrus ubi suprà. Wiggers de mutuo & usura c. 6. dub. 24.

2°. usurario publico *publicam, pro modo* 450
culpæ, pœnitentiam injungere debet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio *ad rectam revocet viam,* inquit Tridentinum sess. 24. de reform. c. 8. post Apostolum, monentem, *publicè peccantes palàm esse corrigendos.*

3°. beneficium absolutionis ipsis non de- 451
bet impendere, priusquàm appareat publica ipsorum correctio, per publicam satisfactionem, prout Gregorius IX. statuit in Concilio Lugdunensi.

4°. si usurarii non fuerint publici, sed 452
occulti, meminerit sequendam sibi doctrinam S. Thomæ loco citato: *Sic compellendi sunt usurarii ad restitutionem, ut beneficium absolutionis eis denegetur, nisi restitutionem faciant plenam, quantùm potuerint, aut dilationem petierint ab his, quibus tenentur restituere,* si utique nunc impotentes sint ad restitutionem faciendam; promittendo interim se pro possibili restituturos, si facultas ipsis supervenerit. Cujus si apparentia nulla sit, remissionem postulare debent, ab iis quibus restituere tenentur; aliàs non absolvendi. Nec enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Nec hìc molliter agere Confessarius debet, sed sacerdotalem adhibere vigorem, solertemque providentiam; dum usurariorum avaritia mille modis excusare, & palliare se solet, impotentiamque allegare, ubi reverà non est. *Qui* enim *volunt divites fieri* (Apostolo teste 1. Timoth. 8.) *incidunt in laqueum diaboli*, solâ magnâ, imò extraordinariâ gratiâ Dei extricabilem, ita ut *facilius* sit *camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum,* ut Veritas dicit.

5°. debet Confessarius ipsos obligare ad 453
cassandos contractus omnes usurarios quos fecerunt (uti monet sanctus Carolus Borromæus) idque ante absolutionem; maximè si in præcedenti confessione moniti, promissam restitutionem non fecerint.

CAPUT XL.

Ampliùs explicatur obligatio restitutionis, cui obnoxii sunt usurarii, ipsorumque hæredes, ac Notarii.

USurarii non purè mentales, sed qui ali- 454
quid per usuram (licèt absque pacto externo) acceperunt, ad restitutionem teneri, constat ex c. *consuluit* de usur. ubi Urbanus III. definit, eos *pro usuraria intentione ad restitu-*

tionem in animarum judicio efficaciter compellendos esse, qui non aliàs mutuum traduturi, eo proposito mutuam pecuniam crediderunt, ut licèt omni conventione cessante, plus tamen sorte reciperent, sive utique usura mentalis fuerit ex parte mutuantis tantùm, non ex parte mutuatarii (qui auctarium ex mera benevolentia & gratitudine dederit, si mutuans illud acceperit, velut ex gratitudine debitum) sive fuerit ex parte utriusque, ita ut mutuatarius illud dederit, velut coactus metu mutui aliàs non accipiendi; mutuans etiam non mutuasset, nisi lucrum ex mutuo se consecuturum sperasset.

455 Nec ad solam usurarum restitutionem compellendi sunt usurarii, sed & ad restitutionem damnorum, lucrique cessantis, pro valore spei illius, deductis deducendis, si nempe ista mutuatariis acciderint ratione usurarum. Quia istorum usurarii fuerunt causa injusta.

456 Non soli etiam usurarii ad dictorum restitutionem tenentur, sed & hæredes ipsorum, ad quos pervenerunt bona per defuncti usuras acquisita, adeòque restitutioni obnoxia. Quia bona illa ad hæredes transeunt cum suo onere. Videri potest S. Antoninus p. 2. tit. 1. c. 6. §. 3. ubi refert lamentabilem casum patris & filii, ideò damnatorum, quia pater restituere noluit usuras suas, filius verò quia nec eas restituere voluit, sub prætextu quòd eas ipse non fecisset, sed pater.

457 An verò Notarii teneantur ad restitutionem pro usurariis contractibus, quorum instrumenta fecerunt, S. Antoninus ibidem c. 9. §. 6. respondet cum distinctione: *quia si scienter faciunt instrumenta, vel chartas de debito usurarum, ac si esset legitimum debitum, puta quia Notarius facit instrumentum, quòd Martinus mutuaverit Petro centum, hinc ad annum restituendos, cùm sciat non mutuasse, nisi nonaginta; tunc tenetur in solidum, si ipsi* (usurarii) *usuram non restituant. Si tamen instrumentum non fecerit, nisi in favorem receptionis mutui, puta quia ille aliter non volebat mutuare, & Petrus multùm indigebat, nec poterat aliter sibi providere; tunc non tenetur Notarius. Peccaret tamen mortaliter hoc faciens: quia perjurium incurreret, faciens instrumentum falsum, & in fraudem usurarum.* Quia communiter solent jurare Notarii, quòd talia non facient.

458 Quòd Notarius non teneatur mutuatario restituere, quando instrumentum non fecit, nisi rogante utrâque parte, docet etiam Wiggers cum Salas dub. 23. n. 109. Quia scienti & volenti non fecit injuriam. Si tamen principaliter adhibitus fuerit ab usurario, & mutuatarius non consenserit in instrumentum, nisi invitus, tenebitur, sicut & in casu, quo nudè quidem (sine pallio) rem, sicut gesta est, instrumento suo testatus est; conscius tamen, quòd Judex, ex corruptela, quæ in ipsius tribunali servatur, stabit isti instrumento, ipsiusque vigore, mutuatarium coget ad usurarum solutionem. Quia tunc efficaciter cooperatur injustitiæ, quæ fit mutuatario: utpote quam Judex non committeret absque tali instrumento. Ita Petrus Navarra l. 3. de restit. c. 2. n. 433. Sylvester, & alii, contra Medinam Cod. de usur. q. 4. §. de cooperantibus, existimantem, quòd injuria, quæ mutuatario infertur, adscribenda sit Judici, non instrumento.

Hactenùs de mutuo & usura. Nunc transeundum ad alias contractuum species, atque imprimis de promissione agendum.

CAPUT XLI.

Explicantur requisita ad promissionem.

PRomissio est gratuita fidei obligatio, deliberatè alteri facta, de re licita, & possibili præstanda. Dicitur 1°. *gratuita*, quia sermo hîc est de promissione liberali. 2°. *fidei obligatio*, quia per hoc promissio differt à simplici proposito, quod est voluntas aliquid faciendi, absque animo se obligandi. Per fidem autem hîc intelligitur *dictorum, conventorumque constantia & veritas.* Tullius l. de officiis. 3°. *de re licita & possibili.* Quia ad illicitum & impossibile nemo se obligare potest. 459

Ad validam proinde promissionem requiritur 1°. in promittente deliberatio, adeòque usus rationis. 2°. ut res promissa sit in potestate promittentis, ipsique licita. 3°. ut ad eam præstandam animum habeat se obligandi. 4°. ut ei manifestetur, cui fit, & signo quidem sensibili, seu externo, si sit promissio homini facta. Quia aliter nequit alteri homini innotescere, nec ab ipso acceptari. Ad hoc verò ut in ratione contractûs obliget promissio alteri facta, ab ipso debet acceptari: cùm ante ipsius acceptationem non sit contractus, sive duorum in idem consensus. Obligatio namque oriri non potest ex contractu, nisi de consensu duorum. L. 1. ff. de pactis. 460

Dixi ad hoc ut obliget *in ratione contractûs*: quia promissio nondum acceptata, ordinariè obligat ex veracitate, ad verificandum utique quod assertum est promittendo. Nisi promissio ex animo facta sit, ut demum obliget, dum acceptata fuerit. 461

Quæritur tamen an obligatio alteri facta, post acceptationem obliget ex justitia? Plures censent, obligationem fidei, in definitione promissionis, solùm esse obligationem exsolvendi fidem promissario ex fidelitate. Verùm licèt sit obligatio ex fidelitate, & veracitate, videtur quoque esse ex justitia, etsi non ita rigida: tum quia est effectus contractûs, jure gentium instituti, qui justitiæ obligationem ex natura sua parit. Tum quia ex promissione acceptata jus acquiritur promissario, cui promissor fidem suam obli- 462

gavit. Et sicut venditor, venditione factâ, tenetur ex justitia rem à se venditam emptori tradere: quia ad hoc fidem suam obligavit per pactum venditionis; sic & promissor ex justitia tenetur rem promissam promissario præstare: quia ad hoc fidem suam obligavit per pactum promissionis.

463 Hinc sequitur, promissionem, in materia gravi, obligare sub gravi. Quia dum res notabilis, alteri promissa, non præstatur, jus ipsius graviter violatur. Jus quidem illud promissarii non est tam strictum, quàm illud quod ex contractu acquiritur oneroso (neque enim jus tam strictum ipsi conferre communiter intendunt promissores, secundùm communem hominum apprehensionem) ideòque faciliùs potest extingui, v. g. ob ingratitudinem promissarii; est tamen tanti valoris, æstimationisque, quàm si ex contractu oneroso nasceretur, ut patet ex jure quod Deus acquirit in corpus v. g. Religiosi, ex voto castitatis; necnon ex dominio quod promissarius acquirit in aureum v. g. sibi promissum, secutâ traditione: dominium quippe in aureum illum, licèt ex liberali mea promissione acceptum, tanti valoris est, ac si ex venditione illud accepisset.

CAPUT XLII.

Promissio ob turpem causam, nec ante secutum opus vi suâ obligat, nec post illud.

464 DE promissionibus ob turpem causam tria quæruntur. 1°. an obligent promittentem, antequam promissarius posuerit opus turpe, cujus causâ promissio facta fuit. 2°. an promittens solvere teneatur rem promissam, postquam promissarius ex parte sua posuit opus turpe, propter quod rem illam ipse promiserat. 3°. an promissarius, posito illo opere, in conscientia retinere possit rem acceptam ex promissione facta ob turpem causam.

465 Antequam respondeam quæstionibus illis, notandum cum Sinnichio in Saüle Exrege l. 1. cap. 52. quòd quædam licitè promittuntur, v. g. matrimonium, & promissa licitè præstantur; quædam ex adverso illicitè promittuntur, ut occisio innocentis, & illicitè etiam promissa servantur. Quædam iterùm licitè promittuntur, sed illicitè præstantur, ut si post promissum licitè matrimonium, ipsius supervenerit impedimentum. Quædam denique illicitè promittuntur, v. g. matrimonium puellæ, si corporis sui copiam fecerit, sed licitè promissa servantur.

466 Notandum 2°. quosdam esse casus, quibus jura promittenti solvere prohibent, quod ob turpem causam promissum est, prohibent etiam promissario retinere quod propter illam datum est, ut dum quis pecuniam promisit, ob beneficium ecclesiasticum simoniacè sibi conferendum. Alios verò esse casus, quibus jura prohibent quidem promittere aliquid ob turpem causam, sed turpi opere perpetrato, non prohibent accipere quod pro eo promissum est, sive quia opus illud Respublica tolerat ad impedienda majora mala, ut meretricium, sive quia jura promissiones illas usquequaque irritas non reddunt, sed solùm quatenùs opus turpe antecedunt, & ad illud inducunt. Et talis est promissio matrimonii facta puellæ, si corporis sui usum concesserit.

Et lege quidem positivâ irritæ sunt omnes promissiones, quæ fiunt de re legibus prohibita, nec tolerata à Republica. De iis namque L. *pacta* Cod. de pactis dicitur: *Pacta quæ contra leges, constitutionesque, vel quæ contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est.* Verùm communior sententia tenet, non ideò promissiones omnes ob turpem causam, lege positivâ prorsus invalidas decerni, sed solùm ab initio, uti dicitur L. *si plagii* 123. de verbor. obligat. *si plagii* (aliàs *si flagitii*) *faciendi, vel facti causâ concepta sit stipulatio, ab initio non valet*, quatenùs scilicet illud antecedit, & ad illud inducit. Estque clarum exemplum in promissione matrimonii, ob turpem causam suprà dictam. 467

Dicit itaque communior opinio 1°. promissionem omnem ob turpem causam, sive ob opus malum, ante patratum opus esse invalidam, nec obligare promittentem ad præstandum promissum, uti nec promissarium ad exequendum opus turpe. Ratio est clara: quia impossibile est aliquem obligari ad peccatum. Et si promissarius non obligetur, imò nec præstare possit opus promissum, promissor stare non tenetur promissioni, factæ sub conditione operis illius præstandi: maximè cùm in se sit iniqua, & directè inductiva ad peccatum; quam ideò promissor revocare tenetur, ad auferendum scandalum, quod per eam proximo posuit, ad suam, & ipsius ruinam. 468

Dicit 2°. promissionem ob turpem causam, secuto opere, promissarium obligare ad standum promissioni, si res promissa non sit legibus prohibita, nec promissarius ullâ lege prohibeatur accipere, quod pro isto opere promissum est. 469

Probatur ista opinio 1°. quia promissio dandi mercedem meretrici, si det sui copiam, post opus completum, obligat ad dandum, & non repetendum quod datum est, ut patet ex L. 4. §. *sed & quod* ff. de condict. ob turpem causam, ibi: *Sed & quod meretrici datur, repeti non potest.... quia licèt turpiter faciat, quòd sit meretrix, non tamen turpiter accipit, cùm sit meretrix*, id est accipere non prohibetur pretium prostitutionis suæ, postquam patrata est. Idque ex doctrina sancti Thomæ procedere videtur etiam in foro conscientiæ: docet enim 2. 2. q. 32. a. 7.

quòd mulier in conscientia retinere possit acceptum per meretricium (quod non posset, si injustè accepisset) idque probat eâdem ratione: *quòd enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei; sed in eo quod accipit, non injustè agit, nec contra legem.*

470 Et confirmatur ex facto Judæ Patriarchæ, qui, post opus patratum, Genes. 38. narratur solvisse, & misisse Thamar mercedem, quam ipsi sub assumpto meretricio habitu promiserat, ob fornicationem, haud dubiè ratus ad id se teneri. Ipsi enimverò injuriam feciſſet, si non solvisset, uti S. Thomas observat in 4. dist. 33. q. 1. a. 2. ad 1.

471 Probatur 2°. quia licèt promissio matrimonii, facta puellæ aliàs honestæ, sub hac turpi conditione, quòd faceret sui copiam, ante patratum opus non obliget; patrato tamen opere ex parte puellæ, promittentem obligat ad standum promissis, ex communissima Doctorum ferè omnium sententia. Quia (inquiunt) si promissor factæ promissioni non staret, postquam puella ex parte sua implevit conditionem, inter se & illam induceret inæqualitatem, ipsi per consequens faceret injuriam.

472 3°. promissio mercedis, facta Titio, sub conditione laborandi die festo, post laborem, obligat; quia nempe Titius, licèt malè fecerit laborando, jus nihilominùs acquisivit in mercedem laboris; eòquòd laborando non fecerit contra justitiam, licèt fecerit contra obedientiam, vel religionem. Eadem verò vel similis ratio procedit in meretrice, quæ dando sui copiam similiter non fecit contra justitiam, sed contra castitatem duntaxat.

473 4°. promissio ob turpem causam, licèt illicita, non semper est ex toto invalida; nec est ratio dicendi semper esse talem: cùm non omnis promissio illicita sit talis, ut probat axioma ab omnibus receptum; *Multa illicitè fiunt, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* cap. *ad Apostolicam* de regular. Et ista juris regula: *Multa facta tenent, quæ facienda prohibentur.* L. *patre furioso* ff. de iis qui sunt sui vel alien. 46. jur. L. *tutor.* 115. de sponsi. L. *Judex* ff. de judic. Enimverò promissio non occidendi Gabaonitas, ipsis facta ab Israëlitis, illicita fuit, tam ob præcipitem temeritatem, & oraculum Domini non consultum, quàm quia fuit contra præceptum divinum, disperdendi cunctos habitatores terræ Canaan. Num. 33. Et non ineundi cum eis fœdus, nec miserendi eorum. Deuteron. 7. Validam tamen fuisse, constat ex eo quòd prævaricatores illius jubente Deo puniti fuerint. 2. Regum 21.

474 In iis ergo, quæ illicitè quidem, promittuntur, sed licitè promissa præstantur, juxta Patronos illius opinionis non procedit regula 69. juris in 6. *In malis promissis, fidem non expedit observare.* Loquitur enim de malis promissis, quæ sine peccato servari non possunt, non de malis promissionibus, quæ servari possunt absque peccato, salutisque dispendio; maximè si juramento firmatæ fuerint, prout notat Glossa ad cap. *in malis promissis* 22. q. 4

475 Per consequens distinguendas aiunt promissiones ob turpem causam. Nam aliæ sunt, in quibus datio & receptio rei promissæ secundùm se est contra legem. Aliæ, in quibus datio & acceptio secundùm se non est contra legem, licèt contra leges sit promissio illius, quatenùs ad peccatum inducit. Primi quidem generis promissiones, etiam patrato opere, non obligant, quia sunt de re illicita: secùs promissiones secundi generis, ob contrariam rationem.

476 Nec istæ promissiones ab initio sunt ex toto invalidæ, sed ex parte validæ, non absolutè, sed conditionatè, atque ex suppositione quòd compars, ante rescissionem promissionis, impositam sibi conditionem ex parte sua impleverit. Unde quamvis promissio mercedis, pro usu corporis puellæ, ante usum illum, ex tunc pro tunc nullam absolutè inducat obligationem usûs permittendi, nec in promissione illa persistendi; ex tunc nihilominùs, pro tempore sequenti usum permissum, inducit obligationem solvendi mercedem promissam. Quam proinde acceptam promissarius posito opere restituere non tenetur. Ita illi.

477 Verior tamen opinio est, promissiones omnes, ob causam ex se turpem, esse penitùs irritas & nullas, nulloque modo ex se obligatorias, sive ante patratum opus turpe, sive post illud. Ita Adrianus in 4. de restitut. §. *restat inquirere.* Comitolus l. 3. q. 5. Navarrus in Manuali c. 17. n. 41. Wiggers tr. 5. de contract. cap. 2. dub. 6. n. 23. & (ipso teste) plures Doctores, tam Canonum, quàm Legum, ut indicat Covarruvias ad reg. *peccatum* p. 2. §. 2. n. 6.

478 Probatur 1°. quia promissiones omnes, ob causam ex se turpem, sive sub conditione operis per se mali, in jure, tam canonico, quàm civili, absolutè & indistinctè decernuntur *nullius esse momenti, nullam habere vim, nullam obligationem* inducere. Siquidem cap. *pactiones* de pactis Gregorius IX. dicit, quòd, *juxta legitimas sanctiones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis, de jure, vel de facto nullam obligationem inducit.* Et L. *generaliter* ff. de verb. obligat. *Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti.* Et L. *pacti* C. de pactis. *Pacta, quæ contra leges, constitutionesque*, vel *contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est.* Si absolutè & indistinctè verum est, quod jura illa absolutè & indistinctè pronuntiant: ergo absolutè & indistinctè verum est, quòd nullam vim habeant, quòd nullam obligationem inducant, quòd nullius sint momenti. Nec igitur ante, nec post factum opus ex se turpe, vim ullam ha-

bent, &c. Ubi enim jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus, uti ostendi n. 428.

479 2°. promissio de danda mercede, propter opus per se malum, non est liberalis, sed onerosa: ex communi namque sensu hominum, qui Cajo promittit centum, ut occidat, vel si occidat Titium, non promittit animo purè liberali, sed animo ab ipso obtinendi opus illud, pro quo mercedem ipsi promittit. Sed opus ex se malum, esse non potest mercede, nec pretio dignum, nec proinde materia contractûs onerosi. Quia materia contractûs onerosi esse debet aliquid pretio æstimabile. Opus autem per se malum, seu peccatum, esse nequit pretio æstimabile, sive pretio dignum; sed supplicio.

480 Respondet Lessius l. 2. c. 14. dub. 8. n. 52. etsi opus malum, pro quo datur pretium, non sit æstimabile pretio quà malum; tamen quà delectabile, vel utile uni, & alteri damnosum, periculosum, laboriosum, inter homines pretio æstimatur. Et licèt pretium non mereatur quà Deum offendit; meretur tamen propter voluptatem & utilitatem, quam promittenti causat, vel propter laborem & operam quâ in eo servit promittenti.

481 Sed hanc rationem, velut turpem, & manifestè falsam, Comitolus meritò insectatur. 1°. quia quid indignius Christiano Theologo (ait Wendrockius notâ 1. in epistolam 8. §. 2.) quàm turpissimas voluptates, & sceleratissimos actus, utiles illis appellare, quos æterno dignos supplicio faciunt? 2°. quia partitio illa criminum, quâ modò considerantur ut crimina, modò ut voluptuaria & utilia, tota turpis est. Non enim modò interni actus in criminibus, sed & externi, & voluptates illis annexæ, sceleratæ sunt, juxta illud Philosophi: *Voluptates quæ improbas actiones sequuntur, & ipsæ improbæ sunt*; nec divelli ab ipsis potest reipsà improbitas, sed solâ quadàm animi præcisione. Quod qui, ut vendi possint, sufficere arbitratur, censeat idem oportet, posse vendi homicidia, imò & deicidia, parricidia, maleficia, sortilegia, adulteria, judicia, & testimonia injusta, &c. non quà Dei offensiva, sed quà perpetranti laboriosa, periculosa, & ei pro quo perpetrantur utilia, voluptuosa, &c. Concedit quidem hoc Lessius n. 52. de quocumque opere malo, etiamsi sit contra justitiam. Num. 55. de maleficio & sententia injusta. Escobarius quoque tr. 3. exam. 1. n. 23. ait, quòd *solo jure naturali spectato ..... accipi pretium potest ob injustam sententiam, ob homicidium factum..... ob occultam etiam fornicationem.* Et tr. 5. exam. 5. n. 53. luxuriam, homicidium, sententiam injustam affert inter exempla acquisitionis non injustæ, sive propter quæ pretii dominium acquiritur. Filiutius tr. 31. c. 9. n. 231. addit feminam, aliàs honestam, etiam virginem, conjugatam, monialem, in conscientia accipere posse pretium concessi usûs corporis sui, longè magis quàm accipiat meretrix, tamquam jure debitum; nec lege etiam positivâ vetitum: *Occultæ fornicariæ debetur* (inquit) *pretium in conscientia, & multò majore ratione quàm publicæ. Copia enim quam occulta facit mulier sui corporis, multò plus valet, quàm ea quam publica facit meretrix; nec est lex positiva, quæ reddat eam incapacem pretii.* Idem dicit de pretio promisso virgini, conjugatæ, moniali, & cuicumque alii. *Est enim eadem omnium ratio.* Quòdque mulier, quæ putatur honesta, longè plus exigere possit, quàm meretrix. Audi Lessium n. 73. id explicantem: posteaquàm enim dixit, id quòd pro opere malo est acceptum, esse restituendum, siquis communem æstimationem excesserit, ut si meretrix, quæ usuram sui corporis concedere solet uno aureo, ab aliquo juvene extorserit quinquaginta. Addit: *Hoc tamen locum non habet in ea quæ putatur honesta; ut si matrona aliqua, vel filia centum aureos pro usura corporis accipiat ab eo qui dare poterat, retinere potest. Nam tanti, & pluris potest suam pudicitiam æstimare. Res enim quæ certum pretium non habent, neque ad vitam sunt necessariæ, sed voluptatis causâ quæruntur, arbitrio venditoris possunt æstimari.* Verùm ista retulisse, refutasse est; quia tam exorbitantia sunt, ut horrorem piis auribus incutiant.

Sed debetne Hariolus restituere id, quod 482
divinando arte diaboli didicit? Negat Sanchez in Summa lib. 2. c. 38. n. 96. si operam suam apposuit, ut id arte diaboli sciret: *Si nullam operam apposuit, ut arte diaboli id sciret Astrologus, quod nullo alio pacto scire potuit, sive effectus evenerit, sive non, tenetur pretium restituere danti; si verò Astrologus ille, vel Divinator, operam suam apposuit, & arte diaboli ita evenit, non tenetur pretium restituere: quia ipse operam suam, etsi turpem, apposuit. Nec refert, quòd res divinata non evenerit: tametsi enim non evenerit res, non credo* (inquit) *teneri pretium restituere, quando ipse diligentiam adhibuit ad eum effectum necessariam. Quia illa diligentia à Mago illo apposita, est pretio æstimabilis.*

Sed quis oculos habens non videt, quan- 483
ta ex opinionibus illis malorum incentiva pullulare nata sint, in perniciem societatis humanæ? Hâc enim ratione Magi & Harioli maximè inducentur, ut diabolicæ arti suæ addiscendæ non segnem operam navent, & honestæ mulieres, etiam Deo dicatæ, in indigentia constitutæ, ut suam pudicitiam vendant; Judices avari ad vendenda iniqua judicia; homines nefarii ad committenda homicidia, sicut & Judas inductus fuit ad Christum prodendum; milites custodes sepulchri ad falsum de Christi corpore furato testimonium, &c.

Opinionem proinde quæ dicit, senten- 484

tiam injustè prolatam vendi posse, falsam, absurdam, pernicioſam meritò pronuntiavit Archiepiſcopus Senonenſis in cenſura Apologiæ Caſuiſtarum ad articulum 12. Nec Judas ipſe pœnitentiâ ductus, quòd Chriſtum pecuniâ vendidiſſet, credidit eam poſſe à ſe retineri, ſed reſtituit Magiſtratibus templi. Matth. 24. Et S. Thomas 2. 2. q. 32. a. 7. docet, quòd *injustè acquisita, quæ quis per simoniam, aut subversionem justitiæ accepit, in eleëmosynas elargiri tenetur.* Et à Catechiſmo Romano furibus & raptoribus comparantur *nummarii Judices, qui venalia habent judicia, & pretio muneribusque delinti, optimas tenuiorum & egentium causas everiunt.* P. 3. c. 8. §. 8.

485 Et cui non deridicula videatur opinio Molinæ, Leſſii, & Eſcobarii, aientium, teneri Judicem reſtituere quod accepit, ut juſtam ſententiam ferat; non teneri autem, nec jure naturæ, nec poſitivo, reſtituere pecuniam acceptam pro ſententia injuſta? Quam enim ob cauſam Judex vendere nequit ſententiam juſtam, niſi quia eam debet reddere? Ergo nec injuſtam ſententiam vendere poteſt, quia debet eam non reddere. Neque enim Judex alteri magis vendere poteſt quod alienum eſt, quàm quod alteri ex juſtitia debitum eſt.

486 Hinc Auguſtinus epiſt. 153. aliàs 54. ad Macedonium, poſt luculenter demonſtratam reſtitutionis obligationem: *Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur*: inter exempla eorum qui tenentur ad reſtitutionem, exemplificat in Judice ſententiam juſtam, & ſceleratiùs injuſtam vendente. Sic enim diſcurrit: *Non ideò Judex debet vendere justum judicium, aut testis verum testimonium, quia vendit Advocatus justum patrocinium, & Jurisperitus verum consilium. Isti enim ad utramque partem ad examina adhibentur, illi ex una parte consistunt. Cùm autem judicia, & testimonia, quæ nec justa, nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur; multò sceleratiùs utique pecunia sumitur: quia sceleratè etiam, quamvis à volentibus datur.* Exemplificat etiam in Advocato contra veritatem, & juſtitiam ſibi cognitam patrocinante: *Si justitia sinceriùs consulatur, justiùs dicitur Advocato: Redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, Judicem fefellisti, justam causam oppressisti, & falsitate vicisti.... At quis tandem Advocatus, aut ex Advocato ita vir optimus facilè reperitur, qui suscepto suo dicat: Recipe quod mihi, dum tibi malè adessem, dedisti; & redde adversario tuo, quod, me agente, iniquè abstulisti? Et tamen quem prior non rectæ vitæ rectissimè pœnitet, etiam hoc facere debet, ut si ille, qui iniquè litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit habere mercedem: nisi fortè restituendum est alienum, quod per furtum clanculo aufertur; & restituendum est, quod in ipso foro, ubi peccata puniuntur, decepto Judice, & circumventis legibus, obtinetur.*

Ex his Auguſtini verbis perſpicuum eſt, 487
iniquum Advocati auxilium, injuſtamque Judicis ſententiam vendi non poſſe, emptorem ad pretii ſolutionem teneri, & venditorem, quidquid pro ea acceperit, reſtituere debere, non obſtante labore ad id impenſo, non obſtante etiam periculo cui per hoc expoſuit ſe, & famam ſuam; non obſtante denique utilitate, quam emptor inde reportavit. Idem ergo dicendum de quovis alio flagitio, cujus intuitu aliquid promiſſum eſt. Neque enim (ſiſtendo in jure naturali & divino) ulla apparet ratio diſparitatis inter acceptum ex pacto ob turpe opus juſtitiæ repugnans (cujuſmodi ſunt homicidium, ſententia injuſta, injuſtum patrocinium) & acceptum ob turpe opus, aliis repugnans virtutibus, quando ex una parte injuſtitia non eſt per reſpectum ad dantem pretium, ſed per reſpectum ad tertium; ex alia verò parte opus juſtitiæ repugnans non minùs eſſe poteſt utile vel delectabile danti, & laborioſum periculoſumque opus illud exercenti, quàm opus repugnans aliis virtutibus.

Non magis proinde vendibile eſt opus ex 488
ſe impudicum, quàm opus ex ſe injuſtum. *Prorsus, sive opera illa, sive ista, cum nulla re, nisi cum supplicio rectè commutantur*, ut benè Wendrockius. *Non licet* (inquit) *adulterinis nummis quidquam emere, quanto minùs sceleribus? Neque id lex positiva tantùm vetat, sed etiam divina.* Quæſtus ex ſceleribus ſemper habendus eſt illicitus, niſi (ad impedienda majora mala) legibus aliquando permittatur humanis, ut jam quæſtus ille non ſit flagitii merces, ſed publicæ illius utilitatis, propter quam nonnulla à legibus flagitia tolerantur, ut meretricium, de quo Auguſtinus: *Tolle meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus*; nec proinde meretricibus merces tam exiſtimanda ſit dari ab eo qui flagitium emit, quàm à Republica, quæ hoc diſpendio majora vitare, & quodammodò redimere ſtudet flagitia.

Reſponſio ad argumenta in contrarium.

AD 1. ergo cum S. Thoma plurimi cen- 489
ſent, meretricem quidem retinere poſſe mercedem acceptam, non vi promiſſionis, quæ nulla fuit, ſed Reipublicæ dono, quæ rei donatæ dominium in eam transfert, in pœnam ſeu mulctam quidem flagitioſè promittentis, ſic tamen ut meretrici permittat retinere ad majora mala impedienda. Nihilominùs in eo non omnes conveniunt, quia legem, quæ dicit, meretricem turpiter facere, quòd ſit meretrix, non tamen turpiter accipere, cùm ſit meretrix, non pauci procedere putant in foro externo, in quo multa humano jure permittuntur, quæ coram æterna

na justitia non licent. Et certè mercedis illius retentio meretricibus est illicium ad continuationem nefariæ illius turpitudinis, & quædam ipsius, velut mercede dignæ approbatio; vixque potest contingere, quin meretrices, vehementi istius turpis artis pœnitentiæ spiritu concussæ, hæc illius monimenta non oderint, nec à se amoveant, quæ meretrices illæ, quæ ad Christum conversæ, sanctitatis famâ claruerunt, ne digna quidem censuerunt, quæ pauperibus erogarentur, sed quæ flammis abolerentur.

490 Ad confirmationem respondeo, incertum esse, an Judas Patriarcha ad id se obligatum censuerit. Si tamen censuit, non ideò est verum, quia verum ipse censuit, qui in facto illo graviter peccavit, nisi fortè jure gentium solvere debuerit.

491 Ad 2. dicendum quòd promissio matrimonii facta puellæ ad obtinendam usuram corporis ipsius, jure naturæ prorsus irrita sit, nec promissor ad eam ducendam teneatur vi istius promissionis; sed jure gentium, introducto ex eo quòd boni publici interfit, ne tales filiæ maneant innuptæ: ex hoc namque gravissima incommoda sequerentur; ad quæ avertenda, ad eam ducendam promissor ubique à quibuscumque Judicibus compellitur.

492 Ad 3. dicendum promissorem mercedis, pro opere ex se non malo, lege tamen humanâ legitimè prohibito, v. g. pro calceis conficiendis die festo, ad eam solvendam vi istius promissionis non teneri, etiam post eorum confectionem; cæterùm calceos ipsos die festo confectos accepto pretio posteà vendi posse, cùm sint pretio æstimabiles, adeòque esse possint materia contractuum.

493 Ad 4. dicendum quòd licèt non omnis promissio illicita, sit invalida, ut constat in promissione prodiga, quæ sæpè sit vitiosè, at non invalidè; necnon in incircumspecta promissione matrimonii, parentibus inconsultis, quæ tamen plerùmque inducit obligationem ducendi personam, cui matrimonium est promissum: omnis tamen promissio ob turpem causam ex toto est invalida, uti ostendimus à num. 476. Nec talis fuit promissio Gabaonitis facta ab Israëlitis: quia licèt inconsideratè facta fuerit, oraculo Dei non consulto (quod si consuluissent, Gabaonitarum simulationem & calliditatem ab eo didicissent) facta tamen non fuit de re sibi hinc & nunc formaliter prohibita: neque enim cognoverunt, ipsos esse de terra, cujus habitatores interfici præceperat Dominus, cumque ipsis fœdus iniri prohibuerat; sed esse crediderunt de terra valdè longinqua, quæ ipsis forte non deberetur. Ob fraudem tamen ipsorum à promissione resilire potuissent, nisi eam jurejurando firmassent; sed, cognitâ fraude, dixerunt: *Juravimus illis in nomine Domini Dei Israël, & idcirco non possumus eos contingere.*

Supereſt inquirendum cui facienda ſit reſtitutio mercedis pro opere per ſe malo acceptæ? 494

Reſpondeo juxta L. *Lucius* ff. *de jure fiſci* eſſe faciendam fiſco: ſed quia confiſcatio pœna eſt, fiſco reſtituenda non eſt ante ſententiam Judicis. Unde quamdiù per ſententiam fiſco non adjudicatur, ex natura rei reſtituenda videretur domino, uti docere primâ facie videtur Auguſtinus, dum loco citato ait, Advocatum, qui ex iniquo patrocinio lucrum fecit, debere ſuſcepto ſuo dicere: *Recipe quod mihi, cùm tibi malè adeſſem, dediſti.* Videtur tamen ex Eccleſiæ mente reſtitui debere in pias cauſas, ſicut in eas Eccleſia applicari jubet res ſimoniacè acceptas: quia qui dedit eas pro opere turpi, meretur amittere quod dedit (ait S. Thomas 2. 2. q. 62. a. 5. ad 2.) & quia etiam ille qui accepit, contra legem accepit, non debet ſibi retinere, ſed in pios uſus convertere. Vide etiam quod docet q. 37. a. 7. in corp. Saltem Confeſſarius eccleſiaſticas leges de ſimoniacis imitando, id ipſi ſalubriter injunget in pœnitentiæ partem.

CAPUT XLIII.

Caſus, quibus ceſſat obligatio promiſſionis.

PRimus eſt, quando promiſſarius promiſſionem, ſeu ipſius obligationem remittit, ſeu condonat promiſſori. 495

Secundus, dum res promiſſa promiſſario nociva fit, vel inutilis, abſque culpa promittentis. Quia quod ob gratiam alicujus factum eſt, non eſt in ejus diſpendium retorquendum. Reg. 61. juris in 6. Si tamen facta fuerit ipſi nociva culpâ promiſſoris, damnum tenebitur compenſare. 496

Tertius, dum promiſſionis adimpletio promiſſori facta eſt impoſſibilis. Quia ad impoſſibile nemo tenetur. Si tamen non adimpleverit, dum poterat, & debebat, non liberabitur ab obligatione per hoc quòd tempore intermedio factus fuerit impotens; ſed (præterquàm quòd ex delicto ſuo ſubindè tenebitur de damno) tenebitur implere promiſſum dum facultas aderit. Neque enim tempore illo intermedio extincta fuit, ſed ſuſpenſa duntaxat obligatio. 497

Quartus, quando intervenit talis mutatio ex parte promiſſoris, vel promiſſarii, vel rei promiſſæ, ut promiſſio, conſiderata cum circumſtantiis omnibus, in quibus facta eſt, juxta prudens judicium non cenſeatur facta pro circumſtantiis factæ talis mutationis. Sed hoc faciliùs evenit in promiſſione gratuita, quàm in promiſſione oneroſa; cujus cùm arctior ſit obligatio, quàm gratuitæ, per conſequens arctior fit interpretatio. Unde faciliùs in gratuita promiſſione ſubintelligi ſolent aliquæ conditiones, non quales fingit privatus aliquorum intellectus, ſed quales ex communi hominum prudentium ſenſu inef- 498

se censentur. Hinc promissor, ob notabilem indigentiam ex improviso supervenientem, facilius liberatur ab obligatione solvendi alteri notabilem summam gratuitò ipsi promissam, quàm si eam ipsi deberet ex contractu oneroso: sicut & ob notabilem meliorationem rei promissæ antè non prævisam; ob improvisam etiam abundantiam promissarii, cui propter indigentiam summa aliqua gratuitò fuerat promissa.

499 Modificatione tamen, atque explicatione indiget regula, quam plerique adferunt, promissionis obligationem tunc cessare, quoties ita mutatur status rerum, ut si mutatio promissionis tempore prævisa fuisset, promissio facta non fuisset. Fallit enim regula ista, tam in promissionibus, seu votis Deo factis, quàm in iis quæ homini fiunt. Siquidem multi castitatem vovent, vel Religionem solemniter profitentur, qui tales posteà tentationes patiuntur, & difficultates, quas si prævidissent, voti vel professionis tempore, non vovissent. Non ideò tamen cessat obligatio voti ipsorum. Quia potuerunt & debuerunt prævidere quid posteà difficultatis supervenire posset in executione promissionis. Debuerant namque sedisse priùs, & computasse sumptus, qui ad talem turrim ædificandam sufficere possent, uti Salvator monet: & ratio ipsa dictat votum rei tam arduæ id exigere. Si ergo hanc præscientiam & providentiam non adhibuerint, & defectu ipsius difficultates illas non prævideriint, sibimetipsis debent imputare, & interim media convenientia adhibere, ad hoc ut promissionem Deo factam valeant adimplere.

500 In promissionibus etiam, quas homo homini facit, non solùm onerosis, sed etiam gratuitis, certum est nos ad multa teneri, quæ non voluissemus promittere, si hæc & illa prævidissemus, quæ nos à promittendo revocassent. Et ratio horum omnium est, quia obligatio promissionis, uti & aliorum contractuum, desumenda non est ex intentione quæ his vel illis positis fuisset in promittente, vel contrahente; sed ex illa, quæ de facto fuit, dum promisit, vel contraxit, uti sapienter observat Author Supplementi Neesen tr. 2. de contract. q. 2. dub. 4. Unde (inquit) si is qui promittit, stantibus præsentibus circumstantiis, juxta prudens hominum judicium, censeatur velle se obligare ad præstandum id quod promittit, ad id præstandum tenetur, etiamsi aliquid posteà superveniat, quo ab initio cognito non promisisset. Aliud esset, si factæ promissioni superveniret notabilis mutatio rei promissæ, quæ ab initio non potuisset prævideri; ad quam proinde se extendere non potuisset consensus promittentis: ut siquis promisisset matrimonium puellæ sanæ & bonæ famæ; posteà verò contingeret eam fieri leprosam, vel meretricem. Isto namque casu cessaret obligatio promissionis, etiam juramento firmatæ, prout habetur cap. *quemadmodùm* 25. de jurejurando.

CAPUT XLIV.

Donatio, ejusque divisio, & personæ quæ donare possunt.

DOnatio est liberalis rei alicujus datio. 501
Primò alia est purè liberalis, quæ in donante nullam, ne gratitudinis quidem obligationem præsupponit. Alia remuneratoria, quæ nullam quidem præsupponit obligationem justitiæ; benè gratitudinis, & dicitur donatio antidoralis, quâ ex gratitudine compensantur beneficia, officia, obsequia, &c. accepta à donatario.

Secundò, alia est donatio realis, alia ver- 502
balis. Realis, est quæ fit cum reali traditione doni: verbalis, quæ absque reali traditione. Prior parit jus in re, transfertque dominium à donante in donatarium: posterior tantùm parit jus ad rem: quamvis enim sit translativa dominii, illudque de facto transferret, nisi traditionem ad hoc jura requirerent (in quo donatio verbalis differt à promissione) secundùm jura tamen illud de facto non transfert, quamdiù traditio non sequitur.

Tertiò, alia est donatio inter vivos, quâ 503
donator vult rem donatam se vivo fieri alterius: alia donatio causâ mortis, quâ donator solùm post mortem suam vult rem donatam fieri alterius. Quartò denique, alia absoluta, conditionata alia.

Sicut ad promissionis, sic ad donationis 504
validitatem requiritur donatarii acceptatio, saltem implicita, ita ut invalida sit donatio à donatario non solùm repudiata, verùm etiam non acceptata: cùm utraque sit contractus, ad eam proinde necessarius sit utriusque partis consensus.

Acceptata verò revocari nequit pro libi- 505
tu donatoris, regulariter loquendo, etiamsi res donata nondum sit tradita. Quatuor tamen de causis revocari potest à donatore (non ab hæredibus) juxta caput finale de donationibus: 1°. *propter ingratitudinem ejus, in quem liberalitas est collata.* 2°. *si fortè in donatorem impias manus injecerit.* 3°. *si ei atroces injurias irrogarit.* 4°. *si grave rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit.* Quod tamen ad donatoris (qui hoc tacuit) non extenditur successores, ut dicitur ibidem.

Porrò nemo, nisi rei donatæ dominus, 506
eam nomine suo, & propriâ authoritate donare potest. Cùm donatio translativa sit dominii, quod nonnisi ex consensu domini transferri potest. Nec tamen ad donandum sufficit dominium ligatum, sed liberum requiritur & expeditum. Cujus defectu pupilli, absque consensu tutoris; & minores, absque consensu curatoris, donare non possunt; & multò minùs Religiosi, absque consensu

sensu Prælati. Nec Prælatus ipse Religiosus, aut quivis administrator rerum alienarum, vel communium, extra usus sibi concessos, absque consensu Communitatis donare potest.

507 Similiter uxor, absque mariti consensu, donationes, saltem notabiles, facere non potest, nisi habeat bona paraphernalia, quæ sunt bona superaddita doti uxoris, quorum ipsa dominium, & administrationem habet, independenter à marito. Nec filii-familias, absque consensu patris, donationes facere possunt, nisi ex bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, siquæ habeant.

508 Non sufficit ergo rei dominium, ut eam quis donare possit; sed requiritur facultas eam alienandi, quam jura aliquando dominis auferunt. Exempli gratiâ, nemo omnia bona sua, tam futura, quàm præsentia, donatione inter vivos donare potest, nisi in pias causas: eò quòd id contrariâ juris dispositione prohibeatur, ne donator careat potestate testandi, vel hæredes instituendi. Hoc enim apud Jurisperitos habetur pro inconvenienti. Dixi, *nisi in pias causas*: quia donatio omnium bonorum, præsentium, & futurorum, facta Ecclesiæ, valida est. Fagnanus ad cap. *in præsentia* de probat. n. 6.

509 Nec maritus (casibus quibusdam exceptis) validè donare potest uxori, donatione inter vivos, & irrevocabili, nec uxor marito. Quia facultas ista eis adimitur L. *cùm hic status* ff. de donat. inter virum & mulierem, ne utique conjuges nimio erga invicem amore bonis se exspolient. Si tamen maritus, vel uxor in donandi voluntate ad mortem usque persistant, donatio morte confirmatur. cap. *donatio* de donat. Si etiam uxor reciprocè donet marito, & maritus uxori, donatio tenet. L. *quod autem* ff. donat. inter vir. & uxor.

510 Dixi 2°. *casibus quibusdam exceptis*, ut si uxor donationem notabilem faciat marito, ut assequatur aliquam dignitatem, v. g. Consiliarii.

511 Denique donationes à parentibus factæ filiis, nondum emancipatis, nullæ sunt. L. *cùm de bonis* C. de donat. Valent tamen in certis casibus. 1°. dum pater filio donat pro constitutione dotis. L. *Pomponius Philadelphus* familiæ herscisçundæ. 2°. dum pater mobilia donat filio proficiscenti ad bellum. L. *filius-familias* C. familiæ herscisçundæ. 3°. dum pater filio remittit usum-fructum, quem habet in rebus ipsius adventitiis. 4°. dum pater filio donat necessaria pro alimentis. S. Antoninus 3. p. tit. 10. c. 4. §. 4.

512 Donatio etiam inter vivos potest quandoque revocari, etiam post traditionem. Primò, ob causas n. 503. commemoratas. Secundò, quando est inofficiosa, id est, facta contra officium paternæ pietatis erga filios, utique si proles ideò carere deberet portione legitimâ. L. 1. de inofficios. donat. Donatarius tamen ante sententiam Judicis, rem acceptam tunc restituere non tenetur: eò quòd illa juris dispositio sit in pœnam; quæ non debetur ante sententiam.

Ante sententiam tamen donatarius resti- 513
tuere tenetur bona ab alio sibi donata in fraudem creditorum: quia tales donationes, juxta L. *titulum* ff. quæ in fraud. credit. rescinduntur. Nec audiendi Lessius l. 2. c. 20. dub. 19. n. 168. & Molina to. 2. tr. 2. disp. 328. p. 8. contrarium asserentes, hac ratione, quòd ipsis id non videatur esse contra charitatis ordinem, utpote non exigentem, ut quisquam negligat suum commodum, etiamsi per accidens sequatur alteri tantundem damni. Imò id exigit, nedum charitatis, sed & justitiæ ordo, quòd locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel damno. Reg. 48. juris in 6. Nam hoc & natura docet, sive œcumenica ista juris naturalis regula: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Et jus civile confirmat L. *nam hoc natura* ff. de condition. indebit. Estque hoc bona aliena, sive proximo debita, indebitæ donationis pallio sibi surripere. Et ideò alienationes à debitore in fraudem creditorum factæ, juxta L. *titulum* ff. quæ in fraudem creditorum, rescinduntur.

Glossa denique in L. *generaliter* C. de re- 514
voc. donat. docet, donationem inter vivos revocari posse, si donatarius alere renuat donatorem ad inopiam redactum.

CAPUT XLV.

Depositum, ejusque leges, & depositariorum obligationes.

DEpositum (& idem est de commodato 515
& precario) aliquando accipiuntur pro re deposita, commodata, vel precariò data; aliquando pro contractu ipso, sive depositione, commodatione, & precarii concessione. Depositum pro re L. *depositum* ff. depositi sic definitur: depositum est quod custodiendum alicui datum est. Depositum verò pro contractu, est contractus, quo res, nullâ propositâ mercede, alterius custodiæ committitur, eumque in finem traditur, ut deponenti, cùm reposcetur, fideliter reddatur. Dicitur 1°. *nullâ propositâ mercede*; quia hic contractus nullam naturâ suâ mercedem adjici postulat, etiamsi pactum de mercede danda depositario, ei adjici non repugnet. Sed tunc non est depositum purum, sed mixtum cum alio contractu.

Dicitur 2°. *traditur*, quia contractus de- 516
positi, sicut & commodati, & mutui, traditione perficitur. L. 1. ff. de obligat. & act.

Depositi lex est quòd depositarius, absque 517
deponentis consensu expresso vel tacito, rem depositam in usus suos convertere non possit. Qui enim rem depositam, invito domino, sciens prudensque in usus suos converterit, etiam furti delicto succedit. L. *si depo-*

siti C. depositi. Et L. *qui furtum* ff. de condict. furtiva. Si ergo usus fuerit veste apud se depositâ, tenetur ad restitutionem pro rata valoris vestis, per usum illum diminuti. Nec dominus in dubio præsumendus est in usum illum consentire : cùm sit in ipsius præjudicium.

518 Si sacculum, vel argentum cistâ clausâ obseratum, apud se depositum quis habeat, ipsâ obseratione satis ostendit, se usum illius non concedere. Utens proinde reus est furti : utpote rem alienam contrectans invito domino. L. *si sacculum* ff. depositi, ubi dicitur, quòd *& depositi, & furti in eum actio competit* deponenti.

519 Lex altera depositi est, quòd si res deposita apud depositarium pereat absque culpa ipsius, deponenti, utpote domino, pereat; si autem pereat culpâ magnâ depositarii, ad valorem restituendum tenetur. Ita S. Thomas q. 62. a. 6. quia depositarius non tenetur nisi de dolo & lata culpa. L. *depositum* §. *quod autem* ff. depositi.

520 Ad cujus elucidationem, observandum 1°. culpam hîc aliter à Jurisconsultis, aliter à Theologis accipi : siquidem à Theologis culpa accipitur pro peccato; à Jurisperitis pro omissione alicujus diligentiæ, ex qua sequitur alicui damnum.

521 Dividitur in latam, levem, & leviſſimam. *Culpa lata* est omissio illius diligentiæ, quam homines diligentes ejusdem professionis, & conditionis communiter adhibere solent, ut si rem depositam in domo sua dimittens, abeat, relictâ januâ apertâ, ideòque fur intrans eam surripiat. L. *quod Nerva* ff. depositi, ubi dicitur, quòd *dolo*, seu fraude *non caret, qui minorem de re deposita, quàm de sua, diligentiam præstat.* Similiter cap. *bonæ fides* extra. de deposito dicitur, quòd *bona fides abesse præsumitur, si rebus tuis salvis existentibus, depositas amisisti.* Glossa quoque ibidem verbo *de culpa : Præsumitur lata culpa, vel dolus, si non adhibeat diligentiam, qualem in rebus suis, ut si res suas ponebat in arca secura, & res depositas dimittebat in domo super banchas.*

522 *Culpa levis*, est omissio illius diligentiæ, quam diligentior paterfamilias adhibet in rebus suis, ut si depositarius rem depositam relinquat in cubiculo, non obserato ostio, vel cistâ; quod diligentior paterfamilias facere non solet.

523 *Culpa leviſſima*, est omissio diligentiæ, quam diligentissimus paterfamilias in custodia rerum suarum adhibere solet, ut si depositarius rem quidem relinquat in cubiculo, januamque claudat, sed manu non tentet, an benè sit clausa.

524 Porrò Judex ex circumstantiis & conjecturis arbitrari debet, qua in culpa quis fuerit. Neque enim diligentiam in omnibus eandem adhibent, etiam diligentissimi, pro custodia rerum suarum, sed aliam circa res pretiosas, aliam circa res minoris momenti.

Observandum 2°. id quod n. 519. dictum est, depositarium solùm teneri de dolo & culpa lata, intelligi regulariter loquendo. Tum quia depositum regulariter est purum, sive absque pactione mercedis pro custodia. Tum quia si deposito merces accesserit, depositarius non solùm tenetur de culpa lata, sed etiam de levi & leviſſima, juxta L. *si ut certò* ff. commodati §. *nunc videndum.* Et L. *depositum* ff. depositi. Si etiam pactum adjectum fuerit, ut depositarius de culpa leviſſima, levi, & casu fortuito teneatur, rata est contractûs conventio : contractus enim legem ex conventione accipiunt. L. *depositum* §. *si convenit* ff. depositi. Idem dicendum, si depositarius fuerit in mora depositum restituendi, cap. 2. extra. de deposito. Idem quoque, si culpa depositarii præcesserit casum fortuitum : quia pacto, culpâ, vel morâ præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur, uti Gregorius IX. ait cap. finali extra. de deposito. Idem denique, si depositarius seipsum ad depositi custodiam obtulerit. L. *depositum* §. *sed & siquis* ff. depositi, & cap. *bona fides* extra. de deposito. Quod tamen intelligitur dum deponens custodem diligentiſſimum petiit, cui rem suam committeret. Tunc enim de culpa etiam leviſſima tenetur, qui se obtulit. Franciscus Genetus, Episcopus Vasionensis, in Theologia Morali Gratianopolit. to. 1. tr. 5. 525

Hinc nautæ, aurigæ, stabularii, caupones, & similes, tenentur de culpa etiam leviſſima, quando res deposita ipsis commendata est diligentiſſimè custodienda, sicque ab ipsis suscepta. L. 1. ff. depositi. Si tamen ipsis tantùm videntibus res in curru, vel in diversorio deposita fuerit, nec ipsis cura specialis demandata, ab ipsisque suscepta, non tenentur ex culpa levi, sed lata duntaxat. 526

Aliquando etiam depositarius tenetur de damno, quod rei depositæ accidit, sine ulla culpa ipsius, utique 1°. si de eo conventum fuerit, prout antè dixi. 2°. si depositarius rem suam domino non restituerit, dum repetiit. Quia per ipsum stetit quòd se non exemerit ab obligatione conservandi rem illam. Et ideò casus etiam fortuitus ipsi imputatur, juxta cap. finale suprà de deposito. 527

Si tamen dominus rem suam, v. g. gladium, repeteret ad perpetrandum opus criminosum, v. g. ad hominem occidendum, depositarius eam reddere non deberet, nec licitè posset : quia *depositum non est reddendum, ne homo perversam voluntatem habens, malè eo utatur, ut puta si furiosus, vel hostis Reipublicæ arma reposcat.* Sanctus Thomas q. 57. a. 2. ad 1. 528

Sed quid si fur rem mihi furto sublatam deposuerit apud Titium, recognitâ, teneturne Titius eam furi restituere, an mihi? 529

Respondeo, juxta L. *depositum* §. *si prædo* ff. depositi, tenetur restituere furi, qui eam

apud ipsum deposuit : *tamen si dominus cum fure simul petat, domino restitui debet de aequitate.* Glossa in cap. *bona fides* suprà.

530 Quid etiam si dominus, post commissam fidei meæ rem suam, incidisset in crimen, propter quod bona ipsius fisco essent adjudicata, tenererne rem ipsam deponenti illi restituere? an fisco?

Respondeo, *si tantùm naturale, & gentium jus intueamur, ei qui deposuit restituenda est; si civile jus, & legum ordinem, magis in publicum deferenda est : nam malè meritus publicè, ut aliis exemplo ad deterrenda maleficia sit, etiam egestate laborare debet.* L. *bona fides* ff. depositi. Æquum est tamen quòd depositarius legis naturalis benignitatem, civilis legis rigori præferendo, rem illam reddat deponenti; eò quòd ipsius (licèt malè meriti) conditio (in ordine ad depositum) deterior non sit quàm latronis, cui reposcenti secundùm legis dispositionem restituendum est depositum.

531 Quid denique, si famulus monile pretiosum ex parte Titii, heri sui, apud me deposuerit; & ego (Titium non cognoscens) illud bonâ fide restituerim Sejo, putans esse Titium, istius famuli herum, cognito errore, teneorne valorem illius Titio restituere?

Respondeo, *non teneri Celsus ait : quia nullus dolus interceßit.* L. *depositum* §. *si rem* ff. depositi. Hinc etiam hæres, inter res testatoris inveniens rem depositam, ignorans esse talem, si eam bonâ fide distraxerit, vel consumpserit, restituere non tenetur, nisi pro quanto factus inde esset ditior. L. *depositum* §. *quod autem* ff. depositi.

CAPUT XLVI.

Commodatum & precarium.

532 COmmodatum est rei ad certum usum gratuita ad designatum tempus concessio, ante quod repeti non potest. Precarium est rei ad usum gratuita concessio ad nutum concedentis quovis tempore revocabilis. Hinc patet, rei commodatæ, vel precariò datæ, dominium manere apud concedentem; ipsique proinde ordinariè perire, si absque culpa commodatarii pereat. Nec ipsi ordinariè imputatur casus fortuitus, absque culpa contingens; tametsi, cùm gratiâ sui tantùm commodatum accepit, de levissima culpa teneatur. cap. *cum gratia* de commodato. Et L. *si ut certò* §. *nunc videndum* ff. commodati. Vide dicenda cap. 112. n. 1088. & 1089.

533 Nec ad id solùm tenetur commodatarius, verùm etiam 1°. ad non utendum re commodatâ aliter quàm dominus concesserit. Aliàs non solùm commodati, verùm furti quoque tenetur : quemadmodùm qui equo, vel vestimento aliter quàm commodatum est utitur. L. *si ut certò* §. *quinimò* ff. commodati. Quod Justinianus l. 4. Institut. tit. 1. §. *furtum autem fit*; cum hac exponit restrictione, *si se* (commodatarii) *intelligant id invito domino facere, eumque, si intellexisset, non permissurum. At si permissurum credant, extrà crimen videri. Optimâ sanè distinctione : quia furtum sine affectu furandi non committitur.*

2°. ad rem convento tempore restituendam.

3°. ad res commodatas custodiendas pari cum suis diligentia. L. *de restituendis* C. de commodato. Unde si res commodata pereat, vel deterior fiat culpâ ipsius, tenetur de damno. De eo proinde tenetur, si cùm posset res commodatas salvas facere, suas prætulit. Citatâ L. *si ut certò* §. *quod verò*. 534

De precario nihil speciale dicendum occurrit, nisi quòd qui illud precario concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cùm sibi libuerit precarium solvere. L. *precarium* ff. de precario. Ideò n. 532. dixi, quòd ad nutum concedentis sit revocabile. Solvitur proinde 1°. cùm placuerit ei qui precarium concessit. Cap. *precarium* de precariis. 2°. *solvitur obitu ejus cui concessum est*, non verò obitu concedentis. Ibidem. Quia tamdiù subsistit, quamdiù vult qui concessit; tamdiù autem velle censetur, quamdiù per hæredes ipsius non revocatur. 3°. cùm ipsum alienari contingit in favorem alterius, concessum precarium continuare nolentis. Ibidem. 535

CAPUT XLVII.

Locatio & obligationes locatorum.

LOcatio est contractus, quo rei vel personæ usus, vel fructus ad tempus pretio conceditur. Differt 1°. à commodato & precario, quibus rei usus gratis conceditur. 2°. à venditione, per quam non rei duntaxat usus, sed ipsa res conceditur, non ad tempus, sed absolutè. 3°. ab emphyteusi, quòd fieri possit ad tempus minus decennio, non emphyteusis. 536

Locari possunt non solùm res, sed & personæ, v. g. ad servitium, & non solùm res mobiles, sed & immobiles, iis exceptis quæ jure canonico, vel civili locari prohibentur; uti per Concilium Tridentinum sess. 25. de reform. cap. 11. locari prohibentur jurisdictiones ecclesiasticæ, seu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in spiritualibus. Bonorum verò ecclesiasticorum locationes ibidem invalidæ declarantur, si anticipatis solutionibus fiant in præjudicium successorum. Locare etiam domum suam usurario publico sub pœna excommunicationis prohibetur cap. *usurarum* de usuris. 537

Jure autem civili *locare servitutem agri* v. g. *nemo potest.* L. *locare* ff. locati. Et *is qui fundi nudum habet usum, nulli alii jus quod habet locare potest, licèt is qui usum-fructum habet, possit hoc facere.* Justinianus lib. 2. Instit. tit. 5. Denique *si quis patiatur in domo sua quemdam lenonem, & hæc denuntiata cognos-* 538

cens, non ex domo sua expulerit, sciat se & decem libraram auri sustinere pœnam, & (citra ipsam) perduurum habitationem. Authent. de lenonib. §. *præconisamus.*

539 Id verò *quod usu consumitur*, v. g. pecunia, *non potest commodari, nec locari, nisi forte ad pompam, vel ostentationem quis accipiat.* L. *sed mihi videtur* §. ult. ff. commodati. Quia scilicet locans, vel commodans, rei locatæ, vel commodatæ solum usum concedit, retento sibi dominio; qualis usus concedi non potest in rebus quæ ipso usu consumuntur.

540 Porrò locator ad sex tenetur. 1°. ad subeundum rei locatæ periculum, nisi locatarii culpâ pereat, vel aliter conventum sit: quia *siquis fundum locaverit, eâ lege, ut etiam siquid vi majore accidisset, hoc ei præstaretur, pacto standum est.* L. *siquis* ff. locati.

541 2°. ad expensas necessarias, tam ad conservationem, & reparationem rei locatæ, quàm ad convenientem usum, ad quem res locata est, nisi aliter conventum sit. L. 1. C. de locato.

542 3°. ad reparationem viarum adjacentium, solvendaque tributa rei locatæ imposita, nisi vel conventio, aut loci consuetudo aliud exigat, vel res locata sit fructifera, & onera imposita sint fructibus. Tunc enim par est ut onera ferat, qui fructibus gaudet.

543 4°. ad locatarium monendum de defectu rei locatæ: *Siquis enim locat rem vitiosam scienter, puta domum ruinosam, vel equum claudicantem, vel aliquid defectuosum, peccat mortaliter, si inde secutum est, vel verisimiliter sequi poterat notabile damnum conductori, & tenetur ad satisfactionem de damno secuto.* S. Antoninus 2. p. tit. 1. c. 15. §. 6. *Siquis autem dolia vitiosa ignarus locaverit; deinde vinum effluxerit, tenebitur quidem in id quod interest, nec ignorantia ejus erit excusata. Aliter tamen dicendum, si saltum pascuum locasti, in quo herba mala nascebatur: hic enim si pecora vel demortua sunt, vel etiam deteriora facta, quod interest præstabitur, si scisti. Si ignorasti, pensionem non petes.* L. *siquis dolia* ff. locati. Ratio disparitatis est, quia ignorantia vitii doliorum non præsumitur inculpata: cùm vitium istud facilè cognosci posset. Secus vitium herbarum, ex quo proinde causatum damnum, culpâ ipsius non præsumitur accidisse. Hinc colligi videtur, quòd lex illa in conscientia solùm obliget, dum locator doliorum ea locavit pro bonis: secùs si simpliciter locaverit qualia erant, nesciendo, bonane an mala. Tunc quippe non peccat, nec tenetur de damnis; tametsi pensionem recipere non possit; eò quòd locator teneatur ad præstandum necessaria ad convenientem usum rei locatæ.

544 Si quæras, de qua culpa locator teneatur? Respondeo non solùm de lata, sed etiam de levi, non de levissima. Quia dum contractus est in favorem utriusque (prout est contractus locationis) uterque tenetur de culpa lata, & levi, non de levissima. S. Antoninus ibidem.

545 Siquis tamen seipsum locasset ad transferendam rem, exigentem curam diligentissimam ne pereat, v. g. columnam, teneretur de culpa levissima. L. *merces* §. *qui columnam* ff. locati. Alias dum Justinianus l. 3. iisdit. tit. 25. §. *qui pro usu*, à locatario exigit custodiam talem, *quam diligentissimus pater familias rebus suis adhibet*, per ly *diligentissimus* diligentem intelligit, ut Interpretes omnes exponunt.

546 5°. locator tenetur locatario relinquere usum rei locatæ toto tempore, pro quo conventum est inter eos, nec antè potestipsum expellere. Aliàs tenetur ad satisfaciendum pro damnis inde secutis. S. Antoninus ibidem.

547 In quatuor nihilominùs casibus locator ante terminum conventum rem locatam repetere potest. 1°. cùm canonem rei, ad quinque vel plures annos locatæ, per biennium non solvit: si tamen res ad pauciores annos locata fuisset, locatarius canonem non solvens omni tempore expelli potest, nisi alia sit consuetudo loci. Glossa ad can. *propter sterilitatem* §. *verùm de locato.*

548 2°. si rei locatæ dominus propriis eam usibus necessariam esse probaverit, dummodo necessitas ista post locationem supervenerit, quia v. g. post illam domus habitationis ipsius corruit, vel locator uxorem accepit.

549 3°. si res locata ruinam minetur, nisi statim reparetur, & reparatio fieri nequeat conductore inhabitante, idque solùm apparuerit post locationem.

550 4°. si conductor re conductâ abutatur, vel ibidem meretrices alendo, vel furibus refugium præstando, vel locatæ notabiliter nocendo. Quatuor isti casus habentur L. *ade* Cod. de locato.

551 5°. si aliter conventum non fuerit, locator agrorum, pro æstimatione sterilitatis, tenetur conductori remittere pensionem, si sterilitas (absque culpa conductoris) tanta fuerit, ut nullos, vel perpaucos inde fructus perceperit, nisi sterilitas illa compensetur ubertate anni præcedentis, vel subsequentis, ut habetur citato cap. *necnon* L. *ex conducto* §. *si vis tempestatis* ff. locati; tametsi istius compensationis ratio pluribus in locis non habeatur. Per consequens hac in re attendenda sit locorum consuetudo.

552 Et notandum 1°. quòd si pensio solvatur in pecunia, rarò augenda sit ex abundantia fructuum: utpote qui tantò viliores esse solent, quantò abundantiores. 2°. remissionem pensionis non deberi, nisi sterilitas tanta fuerit, ut fundus non reddiderit dimidios fructus quos reddere consuevit: tunc enim solùm immodica, seu extraordinaria censetur, secundùm aliquos; etsi alii communiùs, ac verisimiliùs immodicam, seu extraordinariam censeant, quando, de-

ductis semine, & expensis, non superstant fructus ad dimidiam pensionem solvendam. Quòd si sterilitas immodica, & extraordinaria non fuerit, æquo ipsam animo conductor ferre debet: cùm æquum sit ut aliquod ex sterilitate sentiat incommodum, qui ex magna ubertate sentit commodum.

CAPUT XLVIII.

Obligationes locatariorum, seu conductorum.

553 PRima locatarii obligatio est, re locatâ non uti, nisi ad usum concessum. Quia si is qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, quàm cujus gratiâ ei data est, furtum committit, velut siquis equum, gestandi causâ commodatum sibi, longiùs aliquò duxerit. Justinian. lib. 4. Instit. tit. 1. de obligat. §. *furtum autem fit.* Tunc proinde tenetur de damno secuto.

554 Secunda, rem sibi locatam non dimittere ante tempus pro qua convenit, nisi causa superveniat rationabilem ipsius usum impediens, ut si domus ex parte corruat, vel spiritibus infestetur, vel pestis, aut bellum eam dimittere compellat. Quo casu tenetur locatorem certiorem facere de dimissione, si facilè possit, ut eam alteri locare possit. Aliàs tenebitur de damno.

555 Tertia, rem sibi locatam in eo bono statu dimittere, in quo accepit. Quia *si conductor malè tractavit eam, sic plus, vel minùs peccavit, secundùm lasionem, & præcipuè quando ex malitia, vel crassa negligentia hoc egit, tenetur ad satisfactionem.* S. Antoninus ubi suprà.

556 Quarta, solvere tempore condicto. Quia si tunc non solveret, peccaret, inquit Antoninus ibidem. Quòd si solutioni non defuerit, etiamsi rem locatam locationis tempore dominus vendiderit, moribus Belgii emptor stare debet locationi ab altero factæ, etiamsi juxta L. 9. Cod. de locato ad id non teneatur, sed solus dominus ipsi teneatur ad interesse.

CAPUT XLIX.

Specialia circa locationem operarum, & operariorum.

557 DE locatione operarum & operariorum dicendum 1°. quòd de justitia locator benè laborantibus justum debeat stipendium. Dignus est enim operarius mercede suâ; unumque ex peccatis in cælum clamantibus est, merces operariorum defraudata. Dixi benè laborantibus, quia non benè laborantibus integrum non debetur stipendium, nec operarius in conscientia plus exigere potest, quàm laborando mereatur, sed pro æstimatione laboris, nisi minori stipendio contentus fuisset.

558 Dicendum 2°. quòd dum famuli sese domino sic elocant, ut voluntati ipsius stipendium relinquant, non satisfacit reddendo quodcumque, sed labori proportionatum reddere tenetur, juxta prudentem æstimationem, habitâ ratione obsequiorum, consuetudinis, temporis, aliarumque circumstantiarum. Pro eo namque famulus se elocasse censetur. Quòd si pro solo victu se elocaverint, ut pueri, peccant graviter conductores, ipsos ad laborem summum adigentes, & vix pane satiantes. Quòd si pro victu, & artibus ipsis edocendis, graviter peccant, si artem edocere negligant, quemadmodùm & si ad alios usus ipsos applicent, quàm ad quos conducti sunt, nisi illud aliunde compensent.

559 Dicendum 3°. quòd dum operarius operas suas locat, *vel rem & operam, nec per eum stat, quominùs eis solvat, sed per conductorem, licèt casu fortuito impeditum, mercedem totius temporis pariter consequi debeat, ac si operas impendisset.* Glossa in L. *si uno* ff. locati, verbo *personas.* Quia dum per operarium non stat quominùs locatas operas solvat, fidem contractûs impleri æquum est. L. *sed addes* §. *cùm quidam* ff. locati. *Si verò per locatorem steterit quominùs operas præstaret, tenetur ad interesse.* Quòd *si steterit per casum fortuitum, in persona locatoris contingentem, locator tenetur pensionem remittere, vel reddere, pro rata temporis, quo eas non præstitit.* Glossa ibidem. Imperator tamen Severus *ab hæredibus Advocati, eo mortuo, prohibuit mercedem repeti: quia per ipsum non steterit quominùs causam ageret.* L. *præses* ff. de var. & extraordin. cognition. §. *Divus.*

560 Dicendum 4°. quòd dum Sejus conducit Cajum, ad conficiendum opus aliquod, v. g. domum, statuam, navim, &c. Cajo mortuo, hæredes ipsius tenentur ad opus istud per se vel per alios conficiendum. Similiter hæredes Seji stare tenentur conventionibus ab ipso factis cum Cajo. Quia L. *veteris juris* C. de contrah. & committ. stipulat. generaliter sancitum est, *omnem stipulationem, sive in dando, sive in faciendo, sive mixta ex dando & faciendo inveniatur, & ad hæredes, & contra hæredes transmitti, sive specialis hæredum fiat mentio, sive non.*

561 Dicendum 5°. dum famulus, necessitate compulsus, vili valdè pretio seipsum locavit, dominum instanter rogando, quatenùs ipsum acceptaret, dominus equidem tenetur ipsi solvere justum pretium obsequii sui. Quia, ut Justinianus dicit lib. 3. Instit. tit. 25. *locatio & conductio proxima est emptioni & venditioni, iisdemque legibus consistit.* Quemadmodùm ergo *vilius emere rem quàm valeat, est secundum se injustum & illicitum.* S. Thomas q. 77. a. 1. in corp. Ita & vilius solvere obsequium quàm valeat.

562 Excipe casum, quo dominus obsequio ipsius non indigens, ipsum non tam gratiâ sui, quàm gratiâ ipsius, & ad magnam ipsius instantiam, ipsum acceptaret, eâque ratione

obsequium vilius æstimaret, quòd eo non indigeret : tunc enim non teneretur, nisi ad promissam mercedem. Quia obsequium, istis in circumstantiis, non æstimatur ad valorem rei, secundùm se absolutè consideratæ, sed ad valorem rei, per respectum ad utilitatem, quam dominus inde percipit. Quemadmodùm in casu, quo aliquis multùm indiget habere rem aliquam, & alius læditur, si eâ careat ; justum pretium est, ut non solùm respiciatur ad rem quæ venditur, secundùm se absolutè consideratam, sed habito respectu ad damnum, quod venditor ex venditione incurrit, prout sanctus Thomas ait ibidem.

563 Dicendum 6°. quòd in contractu locationis servandum est pactum conventum : ideòque si dominus, absque magna ratione, proveniente ex parte servi, ipsum dimittat ante tempus condictum, tenetur ipsi stipendium integrum solvere, perinde ac si toto illo tempore ipsi serviisset, nisi servus eo tempore alii servierit. Quia, uti dicitur L. *qui operas* ff. locati, qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non steterit, quominùs operas suas servaret.

564 Dicendum 7°. quòd, seclusâ conventione, vel consuetudine in contrarium, famuli & ancillæ, tempore morbi, sua non lucrentur stipendia : utpote quæ solùm debentur propter operas quotidianas : neque conductor teneatur pensionem solvere, dum uti non potest re sibi locatâ, ob culpam, vel causam se tenentem ex parte locatoris, vel rei locatæ ; nec famulo vel famulæ ægrotanti teneatur de suo inservire, vel medicinas præstare, nisi fortè ex charitate, si foret in gravi necessitate, in qua famulis domesticis potiùs succurrendum est, quàm extraneis, dum utrisque succurri non potest.

565 Dicendum 8°. quòd apparitores & alii justitiæ Ministri, qui plures uno die executiones faciunt adversus plures personas, exigere non possint à singulis taxam sibi præscriptam, perinde ac si diversis diebus adversus singulas executiones fecissent. Neque enim taxa illa ipsis præscribitur pro numero personarum & executionum uno die factarum, sed pro uno quolibet executionis die. Unde Philippus IV. Galliæ Rex anno 1302. a. 5. 22. & 27. sanctionum suarum sic statuit : *Si les sergeans ont pris charge de faire plusieurs executions contre plusieurs personnes, ne recevront pour leur salaire sinon ce qu'ils auroient, si l'execution estoit faite contre un seul, ainsi qu'il est contenu en notre Ordonnance.* Et Franciscus I. anno 1535. cap. 16. a. 10. *Pour obvier aux grandes exactions, que font les Huissiers, ou autres sergeans, qui ne craignent de prendre salaires excessifs de plusieurs journées, selon le nombre des executions faites par un jour : Nous voulons & ordonnons, que lesdits Huissiers & sergeans ne puissent pour un jour, besoignans hors des villes, prendre salaire que d'une journée tant seulement, jaçoit qu'en iceluy jour ils fassent plusieurs executions, & pour plusieurs personnes.*

Nec refert, quòd apparitores illi plures & distinctas tunc contrahant obligationes : quia dum eas uno die exequuntur, iis simul sumptis non debetur nisi unius diei stipendium, saltem iis locis ubi sanctiones illæ urgent, & ubi alia non est consuetudo legitimè præscripta ; sicut est v. g. pro tabellariis plures litteras uni eidemque personæ simul deferentibus, quarum singularum adæquatum jure exigunt stipendium : utpote ipsis taxatum pro numero litterarum. 566

Dicendum 9°. quòd dum operarius adeò deceptus fuit in contractu quo se locavit ad opus aliquod perficiendum, computuque dierum & laborum ad id necessariorum, ut certum sit suos sibi dies mediocriter non solvi, dominus seu conductor tenetur in conscientia stipendio ipsius adjicere, proportionaliter ad laborem quem adhibet ; nisi operarius ipsum decepisset, ad sumptusque illos (aliàs non suscipiendos) induxisset, falsò ipsi persuadendo, quòd opus ipsi amplius non constaret. Ratio est, tum quia sicut vilius emere rem, sic vilius conducere operam alterius, quàm valeat, est secundùm se injustum, & illicitum, uti suprà dictum est ex S. Thoma. Tum quia *qui per dolum* (id est errorem) *obligatus est* (infra justum pretium) *competit ei exceptio, etsi nullus dolus interceserit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habet.* L. *siquis cum altero* ff. de verb. oblig. 567

Dicendum 10°. assertionem præcedentem in foro conscientiæ procedere, etiamsi operarii læsio non fuerit ultra dimidium justi pretii. Quia licèt leges quædam humanæ solùm prohibeant læsionem ultra dimidium justi pretii, *lex divina* (ait S. Thomas q. 77. a. 1. ad 1.) *nihil impunitum relinquit, quod sit virtuti contrarium. Unde secundùm divinam legem illicitum reputatur, si in emptione, & venditione* (vel etiam in conductione & locatione) *non sit æqualitas justitiæ observata, & tenetur ille, qui plus habet, recompensare ei qui damnificatus est, si sit notabile damnum.* Cui conformiter Innocentius IV. in cap. *in civitate* de usur. *Illud quod dicitur, quòd liceat contrahentibus se invicem decipere, intra non dimidium justi pretii, tenet jure fori, sed forsan non jure poli.* 568

CAPUT L.

Fidejussio & assecuratio. Pignus & hypotheca.

569 Fidejussio est alienæ obligationis susceptio, suscipientem obligans ad eam adimplendam, si à principali debitore non impleatur. Unde est tantùm contractus accessorius ad obligationem debitoris principalis, eamque non extinguit, nec in fidejussorem transfert, sed assecurat duntaxat. Si enim obligationem

nem ipsius extingueret, & in fidejussorem transferret, non est fidejussio, sed alius contractus, quo quis se debitorem constitueret loco alterius.

570 Unde ad fidejussionem requiritur 1°. ut principalis verè obligetur, cujus defectu fidejussio pro solutione usurarum est invalida.

2°. ut fidejussor non teneatur plus solvere, quàm principalis. *Nam eorum obligatio accessio est principalis obligationis, nec pejus in accessione potest esse, quàm in principali agente.* L. 3. Instit. tit. 21. ff. fidejussores.

3°. ut nec aliter teneatur, quàm principalis, non utique civiliter, si principalis solùm teneatur naturaliter. Nisi fidejussor arctiùs se obligaverit.

4°. ut fidejussor conveniri non possit, nisi convento principali, id est adhibitâ à creditore diligentiâ ad solutionem à principali obtinendam. Quia, ut habetur in Authent. *præsente* Cod. de fidejuss. *præsente utroque, non permittitur intercessorem conveniri, priusquàm reus* (id est principalis debitor) *inventus est minùs idoneus, sive in totum, sive in partem.*

571 Excipe casum, quo satis constet, principalem non esse solvendo, vel quo fidejussor consenserit se primum conveniri posse, vel se negaverit fidejussorem, tunc excidit privilegio, ut primus conveniri non possit. L. 10. de fidejussion. §. 1.

572 Graviter peccat, qui pro eo fidejubet, quem credit non esse solvendo, sciens se etiam in defectum ipsius solvendo non esse. Quia hoc est dare creditori occasionem damni. At verò *dare alicui occasionem damni, vel periculi, semper illicitum est.* S. Thomas q. 77. a. 3. in corp.

Porrò quoties principalis debitor fidejussori est causa damni, quia v. g. tempore condicto non solvit, tenetur ipsi de damno, cap. *pervenit*, & cap. *constitutus* de fidejussorib. Quoties item quis pro alio fidejubet, *suum hæredem obligatum relinquit; cum rei* (id est principalis debitoris) *locum obtineat.* L. *potest accipere* ff. de fidejussor.

573 Denique fidejussori contra principalem actio pro sua indemnitate competit, quatuor hisce casibus. 1°. dum principalis fuit in mora solvendi tempore condicto. 2°. dum dissipator est bonorum suorum. 3°. dum à Judice compulsus fuit solvere pro principali. 4°. dum cum creditore pactus est de præstanda ipsi solutione. Tres priores casus habentur cap. *eum pro quo* de fidejussor. Quartum Glossa colligit ex lege quæ dicit *servanda esse pacta & conventiones.*

574 Fidejussioni affinis est *assecuratio*, quæ definitur *alieni periculi præstatio*, seu contractus, quo quis alienæ rei, v. g. mercium navi impositarum, periculum suscipiendo, alterum securum facit. Cùm susceptio talis periculi sit pretio æstimabilis, uti dibitur L. *periculi* ff. de naut. fœnore, *exigere, & recipere aliquid, ut pretium periculi, non est usura, sed licitum.* S. Antoninus 2. p. tit. 1. c. 7. §. 21.

575 Sequentes tamen concurrere debent conditiones. 1ª. ut pretium exigatur juxta proportionem periculi, attentâ æstimabilitate rei quæ assecuratur. 2ª. ut periculum verè subsit, saltem probabiliter. 3ª. ut si res pereat, transeat in jus assecuratoris, dummodò satisfaciat assecuratario.

576 Ad majorem assecurationem exigi solent pignus & hypotheca, in eo solùm differentes, quòd pignus sit res mobilis, hypotheca res immobilis, obligata pro debito, dataque in securitatem creditoris, ut ex illa haberi possit solutio, si aliunde deficiat.

CAPUT LI.

Fœdum & Emphyteusis.

577 *Fœdum* est contractus, quo possessio & dominium utile rei immobilis transfertur in alterum, sub onere fidelitatis, & obsequii personalis, retento dominio directo. Onus personale, quod subit feudatarius, vocatur homagium, ad quod obligatur in recognitionem dominii directi. Absque cujus consensu rem in feudum acceptam alienare non potest.

578 *Emphyteusis* est contractus, quo possessio & dominium, non directum, sed utile rei immobilis transfertur in alium, sub onere reali pensionis statutis temporibus solvendæ. Differt à feudo, quòd feudatarius non teneatur ad realem pensionem, sed ad obsequium personale. A locatione verò, quòd per eam solùm transferatur jus ad rem, non jus in re, sicut transfertur per emphyteusim; transfertur (inquam) vel in perpetuum, vel ad tempus non minus decennio. Unde Emphyteuta jus istud sive dominium utile, per donationem, vel permutationem, transferre potest, salvo jure domini directi, quod vocant jus retractûs, & laudemii.

579 *Jus retractûs* est illud, quod domino directo competit, ut rem emphyteuticam eodem pretio sibi vendicare possit, pro quo Emphyteuta rem illam in alterum transtulit. *Laudemium* autem est id, quod persolvendum est domino directo, v. g. fundi, dum fundus ille in novum possessorem transfertur.

580 Rem verò emphyteuticam amittit Emphyteuta, cum meliorationibus quas fecit, si per triennium pensionem solvere cessaverit. Quia L. 2. Cod. de jur. emphyt. cautum est, ut tunc excidat jure suo, si dominus voluerit, nisi aliter expressè partes convenerint. Et hoc quidem in emphyteusi Laïcali: quia in ecclesiastica cessatione solutionis per biennium, jure suo excidit. Authent. *qui rem* C. de sacros. Eccles. & cap. fin. extra. de locato & conducto. nisi Emphyteuta celeri satisfactione consulere studuerit, prout dicitur ibidem. Moribus ta-

men noſtris uſitata non eſt pœna illa, ſed ſolùm onus duplicatum canonem ſolvendi per triennium.

581 Nec re pereunte tantùm ex parte, ſeu etiam in caſu ſterilitatis, Emphyteuta remiſſionem penſionis petere poteſt, ſicut in locatione. Quia in locatione penſio conſtituitur pro modo, & qualitate fructuum, qui ex fundo percipi ſolent; in emphyteuſi autem in recognitionem dominii directi. Si tamen in emphyteuſi quantitas penſionis taxata foret proportionaliter ad quantitatem fructuum, in dictis caſibus diminutio, arbitrio boni viri, peti poſſet; quia tunc locatio potiùs quàm emphyteuſis in re cenſeri poſſet, quidquid ſit de nomine, quo uſi eſſent contrahentes. Neque enim verum eſt quod aliqui dicunt, locationem, factam ultra decennium, eſſe emphyteuſim. Quia per locationem quantivis temporis dominium non transfertur. L. 39. ff. locati.

CAPUT LII.

Ludus & Sponſio.

582 *Sponſio* eſt contractus, quo duo, vel plures de rei eventu aut veritate certantes, ſibi invicem ſpondent aliquod præmium, ut ſit ejus qui veritatem fuerit aſſecutus. Hic contractus (ut benè obſervavit Doctor Huyghenius) non videtur habere multum utilitatis, ſed (frequenter ſaltem) aliquid vanitatis, in eo conſiſtentis, quòd concertantium quilibet videri velit ſuperaſſe alterum in aſſecutione veritatis. Poteſt tamen eſſe utilis, ſi fiat ad hoc ut finis imponatur contentionibus de veritate.

583 Ut ergo licita ſit ſponſio, debet 1°. fieri ex laudabili fine proximè dicto, non ex fine cupiditatis, vel vanæ gloriæ. 2°. debet eſſe de materia licita, qualis non eſt ſponſio cum jactitante ſe crimen aliquod commiſſurum, quòd illud non audebit facere: cùm per eam malus animus alterius obfirmetur, & inflammetur ad illud committendum. Si quis tamen cum eo qui dicit ſe non peccaturum, ſpondeat quòd peccabit, ipſum ad peccandum non ſtimulat, ſed à peccando potiùs retrahit, & ideò licita videtur ſponſio. 3°. abeſſe debet omnis dolus & fraus, quâ quis v. g. ſimulet ſe incertum de veritate conteſtata, cùm certus ſit. 4°. uterque ſpondens eſſe debet de eventu, vel veritate

584 dubius. Quamvis enim Sa verbo *contractus* n. 10. Malderus tr. 1. c. 12. dub. 1. Salas de lud. d. 25. Hurtadus de contract. diſp. 7. diffic. 9. exiſtiment, quòd de victoria certus cum altero ſpondere poſſit, modò alter ipſum abſque dolo, & incertitudinis ſimulatione ad ſponſionem pellexerit, nec tunc ad lucri reſtitutionem teneri. Verius eſt oppoſitum, quod tenent Wiggers tr. 5. c. 4. dub. 1. aliique plures apud Dianam p. 7. tr. 9. reſol. 62. & p. 11. tr. 6. reſol. 9. quia in omni contractu ſervanda eſt æqualitas, quæ non eſt, dum ſpondentium unus eſt certus, & abſque periculo; alter incertus, periculoque expoſitus. Si tamen certus de certitudine ſua incertum monuerit, & iſte nihilominùs certare voluerit, ſcienti & volenti non fit injuria.

Sed quid in caſu, quo quatuor aſpirant ad 585
unam dignitatem exempli gratiâ, poteſtne quiſpiam cum ſingulis certare, quòd non ſint obtenturi, licèt certus ſe lucraturum contra tres? Affirmant Lugo & Diana p. 7. tr. 9. reſol. 64. quia ſingulæ ſponſiones dubiæ ſunt, & diſparatim fiunt. Alii negant, ob inæqualitatem manifeſtè reſultantem ex quatuor illis ſponſionibus, diſparatim quidem factis, ſic tamen ut ob concomitantiam ille qui cum quatuor ſpondet, v. g. cum ſingulis pro centum florenis, tantùm poſſit perdere centum, poſſit verò lucrari, imò certus ſit ſe lucraturum trecentos.

Ultima conditio ad licitam ſponſionem, 586
eſt, ut non miſceantur ſacra profanis; adeòque de eventu vel veritate aliqua temporali non certetur pro Miſſis, precibus, communionibus, &c. Non enim licet miſcere ſacra profanis, nec abuti rebus ſacris ad animi relaxationem. Propterea namque Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. temeritatem illam reprimere volens, quâ *ad profana quaque convertuntur & torquentur verba & ſententiæ S. Scripturæ ..... mandat & præcipit, ad tollendam hujuſmodi irreverentiam & contemptum, ne de cætero quiſquam quomodolibet ad ſimilia audeat uſurpare.* Gregorius quoque Magnus l. 6. Regiſt. epiſt. 7. carpit Clericos quoſdam, quòd in electione Prælati cantaſſent: *Hæc eſt dies quam fecit Dominus*, &c. Ob eandem rationem S. Thomas cit. q. 168. a. 2. ad 1. cum S. Ambroſio docet S. Scripturæ verba non eſſe miſcenda jocis & facetiis; quia *cùm doctrina ſit de rebus maximis, miſceri non debet minimis.*

An factâ duorum inter ſe ſponſione, quòd 587
alter altero velociùs curret, perdidiſſe cenſeatur, qui, uno volente currere, cum ipſo currere non vult? Videtur quòd ſic: quia dum per unum non ſtat, quominùs curſus fiat, per alterum ſtare videtur quòd non impleat conditionem, dum ex parte alterius quaſi impleta cenſetur. Negat tamen Lugo, ſi ſponſio facta ſit per modum ludi; quia ſicut ludens, licèt incœpto ludo non poſſit à ludo deſiſtere, ludo tamen nondum inchoato poteſt à ludendo abſtinere; ita ſimiliter. Verùm exemplum ludi in contrarium videtur poſſe retorqueri; quia poſtquam duo ſponderunt ſe luſuros, uno à ludendo abſtinere nolente, alter abſtinere non poteſt. Sponſio verò, de quâ quæſtio, videtur implicitè hoc importare, quòd uterque curret.

Sed quid ludus? generatim ſumptus eſt 588
jucundum aliquod dictum, vel factum ad laxandum tantiſper animum. Si dictum, vocatur

catur *jocus*; si factum, dicitur *ludus*. Sed speciatim sumptus (prout hic à Theologis & Jurisperitis sumitur) est certamen duorum vel plurium, ad animi relaxationem ex natura sua institutum, cum pacto ut victori res aliqua quasi præmii loco cedat. Est proinde contractus quidam plurium inter se certantium de præmio, victori cessuro, pro fine habens relaxationem animi. Unde ludus sic acceptus nihil illicitum complectitur, sed servatis debito fine, aliisque debitis circumstantiis, esse potest honestus, imò & necessarius. Quia *sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non potest continuè laborare ..... ita etiam ex parte animæ* (inquit S. Thomas q. 168. a. 2.) *nam quando ultra modum suum in aliquas operationes se extendit, laborat, & ex hoc fatigatur; præsertim quia in operationibus animæ simul etiam laborat corpus, in quantum scilicet anima intellectiva utitur viribus per organa corporea operantibus ..... Et ideò quando supra sensibilia elevatur, operibus rationis intenta, nascitur exinde quædam fatigatio animalis ..... Sicut autem fatigatio corporalis solvitur per corporis quietem; ita etiam oportet quòd fatigatio animalis solvatur per animæ quietem: quies autem animæ, est delectatio. Et ideò oportet remedium contra fatigationem animalem adhibere per aliquam delectationem, intermissâ intentione ad insistendum studio rationis ..... Hujusmodi autem dicta, vel facta, in quibus non quæritur nisi delectatio animalis, vocatur ludicra, vel jocosa. Et ideò necesse est talibus interdum uti, quasi ad quamdam quietem animæ, ut scilicet laxato tantisper animo, vegetior quis fiat ad ea quæ sui muneris sunt; hoc enim pertinet ad virtutem discretionis. Quia sicut terræ, etiam pingues, fiunt steriles, si semper colantur, & serantur; ita ingenia, etiam subtilia, torpent & gravantur labore continuo.* Seneca l. 1. de tranquill. vit. cap. 15.

589 Nec solùm necesse est jocis & ludis interdum uti, quasi ad quamdam animæ quietem, verùm etiam ad humanæ societatis honestatem. Quia, ut sanctus Doctor ait a. 4. in corp. *est contra rationem, ut aliquis aliis se onerosum exhibeat, puta dum nihil delectabile exhibet, & etiam eorum delectationes impedit. Unde Seneca dicit:* „ Sic te geras sapienter, „ quòd nullus te habeat tamquam asperum, „ nec contemnat quasi vilem. „ Et sic spectatus ludus, *ad virtutem spectat eutrapelia, seu urbanitatis*, prout idem Sanctus docet a. 2.

590 Ut autem ludus honestus sit & licitus, servanda sunt sequentia. 1°. quòd ludi delectatio non quæratur finaliter propter se. Sicut enim delectatio cibi & potûs propter se finaliter quæri & amari non potest absque peccato, prout Ecclesia definivit; ita nec delectatio ludi. 2°. ut prædicta delectatio *non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel nocivis.* S. Thomas a. 2. citato. 3°. *ne totaliter gravitas animæ resolvatur.* S. Thomas ibidem. Quia S. Ambrosius dicit in 1°. de officiis: *Caveamus, ne, dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum.* Et Tullius dicit in 1°. de officiis, quòd *sicut pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam quæ ab honestis actionibus non sit aliena; sic in ipso joco aliquid probi ingenii lumen eluceat.* 4°. (quod & attendendum est in omnibus humanis actionibus) ut *congruat personæ, tempori, & loco, & secundùm alias circumstantias debitè ordinetur, ut* scilicet sit *tempore, & homine dignus*, ut Tullius dicit ibidem. Ac per consequens sit dignus homine Christiano, Clerico, Religioso, Episcopo, &c. si homo sit Christianus, Clericus, Religiosus, Episcopus qui ludit. Quia, ut rursus sanctus Doctor ait a. 4. ad 1. *contingit in ludis esse peccatum, eò quòd debitæ circumstantiæ non serventur. Nam in talibus aliquid decet unum, quod non decet alium.*

Ex non observantia ergo circumstantia- 591
rum illarum, vel alicujus ex illis, ludus plerùmque vitiari solet, quemadmodùm & ex nimio affectu ad ludum, nimiaque jactura temporis in ludis; necnon ex eo quòd fiat cum periculo vitæ, sicut in torneamentis, & hastiludiis, taurorum agitatione, &c. vel cum periculo perdendi tantum, ut uxor & filii egeant, vel ut ipse ludens fiat impotens ad solvendum debita; vel ludus fiat cum fraude & dolo, vel cum periculo rixandi, blasphemandi, pejerandi, maledicendi, contra Deum murmurandi, pugnandi, &c. Quæ pericula & vitia, quia sæpè solent ludos comitari, ideò ludi acriter à sanctis Patribus solent reprehendi.

Sed maximè ab ipsis reprehenduntur lu- 593
di fortunæ, ut vocant, sive in quibus victoria magis à fortuna, quàm ab arte dependet, cujusmodi sunt ludi alearum. De quibus S. Thomas 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. dicit quòd *circa illa quæ per aleas acquiruntur, videtur esse aliquid illicitum ex divino jure, scilicet quòd aliquis lucretur ab his qui rem suam alienare non possunt ..... & quòd aliquis trahat alium ex cupiditate lucri ad ludum, &c.* Quale verò peccatum sit ludere principaliter ob lucrum, variant Authores. Vega in epitome V. *ludus* casu 1. Turrecremata cap. *Episcop.* dist. 35. Sylvester V. *ludus* q. 4. censent esse mortale, si lucrum notabile principaliter intendatur. Quia est affectus avaritiæ in re gravi, prohibitus præcepto, *non concupisces rem proximi tui.* Alii tamen communiter negant esse mortale, ut Cajetanus, Sotus, Navarrus, &c. licèt Navarrus c. 20. n. 3. & 8. fateatur esse veniale, quia principalis illa intentio est quodammodò contra naturam ludi, cujus finis proximus est principaliter animi relaxatio; lucrum verò, nonnisi quatenùs ipsi subordinatur. Unde quoad hoc aliter philo-

sophandum videtur de ludo, quàm de aliis contractibus, quorum finis principalis proximus non est animi recreatio, sed lucrum legitimè quæsitum, cujus intentio non est contra præceptum, *non concupisces*, &c.

CAPUT LIII.

Ludi aliqui legibus civilibus & canonicis Laïcis prohibiti.

594 LEgibus civilibus & canonicis prohibentur ludi illi, qui magis fortunâ quàm arte reguntur, qui in jure communiter intelliguntur sub nomine *alearum*. Constat hoc ex L. 2. & 3. ff. de aleatoribus, Authent. alearum. Cod. de aleat. & alearum casu. Nec non ex can. *Episcopus* dist. 35. ubi communione privantur, etiam Laïci, ludis illis deservientes, id est frequenter ludentes. Ratio prohibitionis est quòd ex hoc genere ludorum valdè frequenter exoriantur iræ, rixæ, invidiæ, blasphemiæ, iisque facilè tota penè familiarum substantia exhauriatur. Atque hinc rerum domesticarum inopia, familiarum tristissima facies, imprecationes in caput lusorum, uxorum, prolium, officiorum neglectus, temporis perditio, indispositio ad exercitia vitæ christianæ, pertinax ludendi consuetudo difficillimè curabilis, &c. Quibus S. Franciscus Salesius Introduct. ad vit. devot. p. 3. c. 31. & 32. addit 1°. quòd iis ludis lucrum secundùm fortem potiùs quàm secundùm rationem cedat. 2°. quòd contra finem ludi spiritus affligitur, potiùs quàm recreatur. 3°. quòd victor de lucro gaudere non possit, nisi victo par sit causa tristandi de perditione.

595 Unde leges illæ, ubi receptæ, nec contrariâ sunt consuetudine abrogatæ, videntur sub mortali obligare, uti sentit S. Antoninus 2. p. tit. 1. c. 23. §. 2. & sanctus Raymundus apud ipsum, atque post ipsos Wiggers tr. 5. c. 4. dub. 2. eò quòd gravibus ex causis sint emanatæ; nec cessent in particulari, licèt in particularibus ludentibus mala illa non exorirentur. Quia semper equidem verificatur finis legum illarum, quòd utique mala illa in multis frequenter exorirentur, nisi omnibus prohiberentur.

596 Leges tamen illas, saltem respectu Laïcorum, contrariâ consuetudine esse abrogatas, censent Salas, Lessius, & plerique alii Casuistæ. Sed eas in Gallia innovavit Ludovicus XIII. 30. Maii 1611. & in Belgio Carolus II. in Decreto Bruxellis edito anno 1699. die 6. Martii in supremo Brabantiæ Consilio.

597 Quia verò, per prohibitum alearum ludum, Authores intelligere solent eum, qui principaliter fortunâ regitur; talis (inquit Florentius de Cocq de jur. & just. tr. 2. c. 8. sect. 11.) juxta nonnullos non censetur esse lusus *verkier* ac *tickiack* dictus, etsi fiat aleâ: cùm ejusmodi ludus magis arte regi soleat, quàm fortunâ. Unde & Anselmo Tribon. Belg. c. 77. n. 4. eundem lusum illum dicit esse licitum, & generali Belgii consuetudine receptum. Varii tamen Authores (prosequitur Cocquius) etiam condemnant lusum alearum, qui partim arte, partim fortunâ regitur. Et certè in Gallia & Belgio Decretis proximè relatis etiam foliorum pictorum ludi prohibentur, qui partim arte, partim fortunâ perinde reguntur, ac *verkier* & *tickiack*.

CAPUT LIV.

Iidem ludi maximè Clericis prohibiti.

598 NIsi ludi illi Clericis prohiberentur, frustrà prohiberentur Laïcis, quibus ipsi exemplo debent prælucere, ex quo Laïci sumunt quod imitentur. *Nihil est* enim *quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidùè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt* (ait Tridentinum sess. 22. c. 1. de reform.) *cùm à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in quos, tamquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quamobrem sic decet omninò Clericos, in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nihil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant. Levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis offerant venerationem.*

599 Quia igitur ludos aleatorios universim damnant sancti Patres, Apollonius (apud Eusebium lib. 5. Histor. Eccles. c. 18.) Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi c. 11. Basilius homil. 8. in Hexaëmeron. Ambrosius lib. de Tobia c. 11. S. Ephrem. lib. de abrenunt. in baptismo. Chrysostomus homil. 15. ad popul. Antioch. Cæsarius Arelatensis, seu alius Author serm. 141. in append. S. Augustini. Author libri de aleator. inter opera S. Cypriani. Joannes Sarisberiensis l. 1. de nugis Curialium c. 5. S. Raymundus lib. 11. Summæ tit. 8. §. 11. S. Antoninus suprà c. 23. §. 6. ubi dicit, *vix esse actum, ex quo tot mala oriuntur, sicut ex ludo: quot enim in taxillis sunt puncta, tot scelera ex eo procedunt.* Enumeratque viginti & unum mala inde provenientia. *Sicut enim Deus invenit 21. litteras .... ad componenda Biblia, ubi est omnis sapientia revelata; ita invenit diabolus taxillos, & chartas, biblia sua, ubi posuit 21. puncta, litteras suas nigras, ubi reperitur omnis malitia peccati .... Non ergo debet dici Christianus, qui deditus est ludo, cùm vituperet nomen Christi.* Quod ante ipsum hisce verbis dixerat laudatus Author libri de aleatoribus: *Christianus quicumque es, & aleâ ludis, hoc primum in hoc loco credere debet, quia non Christianum, sed ethnicum tibi nomen est .... Aleator quicumque es, Christianum te dicis, quod non es: eò quòd sæculo participes,*

cui in baptismo renuntiasti. Imò inventionem ludi aleæ (ante S. Antoninum) Plato tribuerat dæmoni cuidam dicto *Theutum*, uti refert Florentius Cocquius loco relato, ubi & ostendit, ipsos quoque Gentiles ludum illum damnasse.

600 Propterea sacri Canones, spiritu Dei conditi, & totius orbis reverentiâ consecrati, graviter prohibent Clericis non solùm aleæ deservire, ut loquitur can. *Episcopus* dist. 35. post Canones Apostolicos 42. & 43. sed etiam aleatoriorum ludorum spectatores esse. Siquidem can. 16. Concilii Lateranensis IV. sub Innocentio III., prout alibi me retulisse memini: *Clerici* (inquit) *ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.* Ubi Glossa: *hîc prohibetur Clericis, non tantùm ludere, sed ne intersint ludo*, conformiter utique capiti *inter dilectos* extra. de excess. Prælat. Et Authent. de sanctiss. Episcop. & Cler. ubi sic: *Interdicimus sanctissimis Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, & Subdiaconis, Lectoribus, & omnibus aliis cujuslibet venerandi Collegii, aut schematis constitutis ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes, aut inspectores fieri, aut ad aliquod ejusmodi spectaculorum spectandi gratiâ venire.* Et ne dicas, legem istam, & canones, in desuetudinem abiisse, statuit S. Synodus Tridentina (loco citato) ut *quæ aliàs à Summis Pontificibus, & à sacris Conciliis, de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus ..... necnon sæcularibus negotiis fugiendis copiosè ac salubriter sancita fuerunt, eadem imposterùm sub iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur, nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat.*

601 Idipsum post Concilium Tridentinum prohibuerunt (prout etiam alibi diximus, & hîc repetere non piget) Concilia Provincialia, Mediolanense p. 11. Remense anni 1583. tit. de Clericis. Burdigalense ejusdem anni tit. 21. Bituricense anni 1584. tit. 20. c. 7. Aquense 1585. tit. de vita & honest. Cler. Mexicanum l. 3. tit. 5. cap. de ludis Clericis prohibitis. Aquileïense rubr. 11. Mechliniense anni 1607. tit. 18. c. 6. sicut & Statuta Synodalia Eminentiss. D. Card. le Camus, Episcopi Gratianopol. necnon Eminentiss. D. Cardinalis de Noailles, Archiepiscopi Parisiensis anno 1691. edita.

602 Audiendi proinde non sunt, qui asserunt, ampliùs non vigere sacros Canones, qui clericalis ordinis hominibus, non solùm aleatoriis ludis ludere, sed & ludentium spectatores esse vetant. Audiendum potiùs Concilium Tridentinum canones illos innovans, exactumque illorum observantiam imperans. Audiendus S. Thomas 2. 2. q. 97. a. 7. dicens: *Si maneat ratio eadem, propter quam lex primò utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit.* Audiendus S. Carolus Borromæus in suo Concilio Mediolanensi, totque alii Ecclesiarum Principes, cum Conciliis suis, similiter Clericis vetantes, non solùm iis lusibus ludere, sed & ludentium spectatores esse (id est ex proposito, absque necessitate adire domos, aut societates ludentium, in iisque morari ut eo spectaculo pascant oculos suos) eò quòd utique tales spectatores ludis illis concilient authoritatem, suâque illâ præsentiâ insinuent à se non improbari, sed approbari vetitos illos ludos, dum dignos censent ut recreationis causâ ab ipsis spectentur.

Quale verò peccatum sit iis ludere, vel 603
ludentium spectatores esse, difficile est, imò periculosum generali id regulâ definire, sicut & de aliis ejusmodi multis. Nec propterea non cavendum, quia non semper mortale peccatum. Cùm timoratæ animæ illud sufficere debeat, quòd eo ipso sit contra Deum, quo peccatum. Quippe, ut sapienter S. Franciscus Salesius, *regula sine exceptione est, nihil contra Deum.* Cui hoc curæ non est, paulatim decidet, & paulatim evometur ex ore Dei, uti to. 1. pluribus argumentis probavi.

Cæterùm dubitari non potest, multa pec- 604
cata mortalia in ludis illis frequenter committi. 1°. per enormem, seu nimis magnam in illis temporis jacturam, quam cum sanctis Patribus redarguit S. Antoninus: *O quàm malè poterunt reddere rationem Deo de tempore, qui toto die ludunt, & aliquando etiam noctem adjungunt circa ludum immorantes.* 2°. per dissipationem rei familiaris; eò quòd aleatores ingentes sæpè summas periculo exponant; imò paucarum horarum spatio patrimonium suum fœdè diminuant, in familiæ suæ ruinam, rerumque in ea necessariarum jacturam. Et hinc 3°. per uxoris, filiorum, parentum maledicta in caput ludentium, quorum ipsi causa sunt. 4°. per gravem officiorum magni momenti neglectum. 5°. per neglectum divinorum, violationemque festorum, in quibus *maximè ludendo plura plerùmque peccata & graviora committunt, quàm si terram colerent, quod est festa violare*, inquit S. Antoninus. 6°. per tantum tamque tenacem ad ludos illos affectum, ut sicut plurimorum *Deus venter est*, sic & plurimorum Deus videatur esse ludus; utpote in quo finem suum ultimum constituunt, propter ludum violare non veriti mandata graviter obligantia. 7°. per fraudes & dolos, qui frequenter committuntur in ludis. 8°. per rixas, contumelias, blasphemias, desperationes, in quas plerùmque prorumpunt, qui in ludo perdunt. 9°. per violentas attractiones aliorum ad continuandum ludum. Non rarò enim fit quòd *quasi violenter trahit unus alium ad ludum, vel volentem recedere, invitum tenet* (ait S. Antoninus.) 10°. per contemptum legum ecclesiasticarum & civilium, ludos illos prohibentium, &c.

605 Addit tamen S. Antoninus, quòd *ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem, & moderatè, non videtur mortale*; licèt aleæ deservire, id est frequenter esse deditum isti ludo, ex cupiditate lucri, mortale sit: utpote dictis legibus, sub gravibus pœnis vetitum. Imò vel semel aleis, aut chartis ludere ex cupiditate lucri notabilis, mortale censet sanctus ille Archiepiscopus Florentinus; *sicut* (inquit) *vitium ebrietatis (cui ludus æquiparatur in pœna) etiam semel commissum advertenter, est mortale.*

606 Ex omnibus suprà dictis satis apparet, Principum, & Episcoporum Decretis meritò graviter culpari, & puniri eos, qui domos tenent paratas ad recipiendum aleatores, & non sine magna ratione S. Carolum Borromæum in Instruct. Past. p. 2. c. 16. inter occasiones, quæ suâpte naturâ trahunt in peccatum mortale, non solùm recensere artem profiteri tabellis chartaceis, vel aleis ludendi, sed etiam domum tenere in hunc finem aliis paratam. Et S. Bernardinus Senensis serm. 33. in Dom. 5. Quadrag. dicit, quòd tales *absolvendi non sint, donec removerint domum à tali pessimo usu ludendi; & impossibile est ipsum salvari, nisi relinquat illas suas artes maledictas.*

CAPUT LV.

Injustitia quatuor ex capitibus committitur in ludo. 1°. ratione inæqualitatis. 2°. ratione fraudis. 3°. ratione coactionis. 4°. ratione impotentiæ alienandi quod ludo exponitur.

607 *Ratione inæqualitatis*, duobus potissimùm casibus injustitia committitur. Primus est, dum quispiam certò sciens, se ludendi peritiâ notabiliter excedere alterum, equidem ludit, silens excessum illum. Tametsi enim Dicastillo disp. 5. de lud. sentiat peritiorem, seclusâ fraude & simulatione, posse semper lucrari, maximè in ludo chartarum, & taxillorum: eò quòd ludi isti non pendeant à sola peritia, sed & à fortuna: ideòque sicut lucrari potest fortunatior; ita & peritior. Reverà tamen aliter de peritia philosophandum, sive de industria, quàm de fortuna. Quia de fortuna homo respondere non potest: cùm non sit in libera hominis dispositione. De peritia verò, seu industria homo respondere potest. Hujus ergo rationem potiùs habendam in humanis contractibus, quàm illius, æqualitas videtur postulare. Neque enim negari potest, æqualitatem requiri ad justitiam ludi, prout requiritur ad æqualitatem aliorum contractuum, iis exceptis, in quibus colluſores meritò censentur cedere juri suo, excessumque condonare. Quod imperitior facere meritò non censetur, dum excessum notabilem alterius ignorat. Quia nemo præsumitur jactare rem suam, sive juri suo cedere, nisi sciens. Et ista est communior opinio Doctorum, imò communis etiam sensus & apprehensio hominum, etiam vulgarium, sicut in simili patet ex iis quæ n. 584. dicta sunt de sponsione.

608 Imò imperitior, monitus de majori peritia alterius, non semper præsumitur excessum illum condonare. Non enim tunc, quando per solum dictum colluſoris de excessu illo monitus est, non per experientiam. Si enim lucri cupiditate ductus, velit equidem ludere, præsumitur non credere alteri, se peritiorem asserenti; per consequens non præsumitur condonare, nisi oppositum colligi queat ex parvitate jacturæ, vel animi generositate, inquit Cardinalis de Lugo de justit. disp. 31. n. 50.

609 Secundus casus, quo ludus est injustus ratione inæqualitatis, est dum lusor nihil amittere potest, saltem ad æqualitatem ejus quod colluſor hîc & nunc exponit, ut æquale recipiat, si vincat; vel ludo vetito ludit, animo non solvendi, altero sincerè procedente. Tunc namque colluſorem irremediabiliter decipit, dum ex una parte non potest ad solvendum compelli; ex alia parte se gerit, tamquam paratum pari sorte concurrere, ut victus solvat, & victor lucrum recipiat: cùm econtrà solùm intendat recipere lucrum, si vincat; non solvere, si vincatur. Ita Wiggers ubi suprà dub. 5. cum Bonacina, & Reginaldo.

610 Quia tamen ludo licito ludens, quamvis animum habeat non solvendi, potest ad solutionem compelli, lucrum probabiliter retinere potest, licèt animo injustus sit. Quia eo non obstante victor censetur paris cum ipso conditionis ad lucrum faciendum, inquit Wiggers ibidem. Videri potest Diana p. 11. tr. 6. resol. 9. Ille etiam qui solùm potens amittere quatuor, ludit contra plures, quorum singuli exponunt quatuor, potest à singulis lucrari quatuor. Quia in ejusmodi ludo servatur æqualitas: cùm singuli incerti sint de lucro, & æquali periculo expositi, spesque unius æqualis sit spei cujuslibet alterius.

611 *Ratione fraudis*, injustitiam in ludo committit, quisquis ludo admiscet fraudem, ordinariis ludi legibus, ludentiumque consuetudine non permissam. Talem quippe fraudem colluſores non præsumuntur condonare. Unde qui dicit plura se puncta habere, quàm habeat, vel plures fraudulenter chartas accipit, ut seligat meliores, vel signis eas particularibus notat, &c. tenetur ad restitutionem, non solùm lucri, quod hujusmodi fraude consecutus est, sed etiam valoris spei (habitâ tamen ratione concomitantis periculi perdendi) quam injustè in colluſoribus impedivit. Quia spem æqualem lucri colluſoribus (secundùm leges ludi) relinquere tenebatur.

612 Primò ergo si fraudator, sepositâ fraude, certò vincendus fuisset, præter lucrum, re-

ſtituere debet rem à ſe expoſitam, utpote certò perdendam.

Secundò, ſi, ſepoſitâ fraude, neque vincendus, neque victurus fuiſſet, reſtituere debet lucrum (utpote injuſtè acquiſitum) non rem expoſitam: utpote quam non fuiſſet perditurus.

Tertiò, ſi certò fuiſſet victurus, ad nullam tenebitur reſtitutionem.

Quartò, ſi certum ſit, ipſum non fore vincendum; dubium verò, an fuiſſet victurus, rem à ſe expoſitam retinere poteſt; rei verò alienæ, quam lucratus eſt, reſtituere debet partem, pro ratione dubii: dimidium utique, ſi dubium utrimque æquale; plus, vel minus, pro ratione incertitudinis, ſi inæquale. Ita Navarrus in Summa c. 20. n. 17.

Quintò, ſi certum ſit ipſum (abſque fraude) non fore victurum; dubium verò, an fuiſſet vincendus, reſtituere debet rem alienam, quam fraude lucratus eſt, & de re propria tantum, quanti valebat ſpes victoriæ in colluſore. Navarrus ibidem, contra Dianam p. 4. tr. 3. reſol. 75. & alios, ſolùm obligantes ipſum ad reſtituendum lucrum acquiſitum.

Sextò denique, ſi victoria, ſeclusâ fraude, fuiſſet utrimque æqualiter dubia, & utrimque æquè probabilis, ſolum debebit reſtituere lucrum, non verò rem à ſe expoſitam: ſi verò ſpes colluſoris innocentis fuiſſet major, æſtimationem ipſius fraudator debebit compenſare: utpote quam impedivit injuſtè.

613 Ex his manifeſtum eſt, cum grano ſalis accipiendum, quod vulgò dicitur, luſus eſſe propter abuſus, & in luſu quemlibet agere poſſe partes ſuas: ſubintelligendum enim, ſecundùm receptas leges & conſuetudines ludi. Unde injuſtæ non ſunt aſtutiæ, dictis legibus & conſuetudinibus permiſſæ; injuſtum (inquam) non eſt v. g. aſpicere chartas, à colluſore non benè cuſtoditas, vel eas à tergo dignoſcere, dummodò non ſignaveris eas, nec eas præ altero cognoſcas, propter uſum earumdem cum aliis, ſed ob diligentiorem obſervationem, ludendo cum eodem; item non monere ſocium, dum errat, v. g. in numeratione punctorum; fingere metum, dum es certò, vel probabiliùs victurus; vel etiam tunc colluſorem inducere ad augmentum præmii expoſiti, &c. Ratio iſtorum omnium eſt, quia qui conſentit in ludum, eo ipſo conſentit in ea quæ ludi legibus & conſuetudinibus communi ludentium ſenſu permiſſa cenſentur.

614 *Ratione coactionis*, injuſtitia committitur in ludo, dum v. g. victorem cogit, quamvis ſolis minis, quòd alioqui non ſolvet, ad perſiſtendum in ludo. Hoc namque injuſtum eſſe meritò cenſet S. Antoninus: quia per talem coactionem alteri aufert libertatem, ad quam jus ſtrictum habet. Et ideò tenetur ad compenſationem totius damni inde ſecuti, uti tradunt Doctores communiùs, contra Molinam, Leſſium, Dianam p. 7. tr. 9. reſol. 32. ipſum à reſtitutione excuſantes. Item contra Toletum lib. 5. c. 27. n. 7. & Megalam 2. 2. c. 19. p. 3. n. 16. ipſum ſolùm obligantes ad reſtituendum quod lucratus fuit, ultra id quod priùs amiſerat.

Ratione denique *impotentiæ alienandi*, injuſtitiam committunt, qui id ludo exponunt, quod alienare non poſſunt, ut minores abſque conſenſu Curatorum, Religioſi abſque conſenſu Prælatorum. Quia ſervare nequeunt æqualitatem ludi, dum lucrari poſſunt, amittere non poſſunt. Si tamen colluſores ſciverunt, ipſos alienare non poſſe, Sayrus, Henriquez, Azorius, Bonacina (apud Dianam p. 1. tr. 8. reſol. 67.) ipſos excuſant à reſtituendo lucro: quia tunc cenſentur illud condonare. 615

Nec contra ſolam juſtitiam peccant Religioſi, ludentes pro re pretio æſtimabili, ſed & contra votum paupertatis (etiamſi ludant cum confratribus) utpote quod ipſis non permittit jacturæ exponere, vel in uſus non neceſſarios, nec utiles, expendere res ſibi conceſſas; nec earum uſum ipſis permittit, niſi dependenter à licentia Superioris, ut benè Lezana verbo *ludus* n. 10. Ubi tamen addit, tacitam Superioris licentiam præſumi, ut Religioſus, extra Conventum degens in ſtudiis v. g. honeſtæ recreationis gratiâ ludo decenti exponere poſſit, quod ſibi ad ſimilem recreationem conceditur, vel quatuor aut quinque in centum, de iis quæ ſibi à Superiore conceduntur pro expenſis anni, niſi eandem pecuniæ quantitatem, eodem anno, in aliam recreationem inſumpſerint. Verùm hoc negat Rodriguez qq. regul. to. 2. q. 18. a. 13. Nec facilè admittendum eſt, ſaltem in Religionibus, in quibus ſtrictior viget obſervantia. 616

An Religioſis, ſeu aliis piis perſonis licitum ſit ludere pro precibus, aliqui diſputant. Id tamen probare videtur piorum uſus & pietas, ut dum in Eccleſia militante honeſtam recreationem ſumunt, recreationem aliquam, ſeu ſolatium etiam Eccleſiæ purganti indulgeant. Ita Navarrus, Bonacina, &c. 617

Major eſt difficultas, an ludo exponere liceat preces, Miſſas, &c. pro præmio temporali? Affirmant Rodriguez, Portellus, Lezana, & Joannes Pontius in Curſu Theol. diſp. 56. q. 3. concluſ. 3. n. 9. Sed reverentia rebus ſacris & ſpiritualibus debita, permittere non videtur, ut cum rebus vanis & temporalibus veluti commutentur, uti non permittit ut miſceantur ſacra profanis. Vide dicta num. 586. 618

CAPUT LVI.

Quòd ſine vi & fraude ludo vetito eſt acquiſitum, probabiliter poteſt retineri.

RAtio eſt, quia ludi prohibitio, eum quidem reddit illicitum, non tamen inva- 619

lidum, nisi contrarium lex exprimat; neque contractus ludi ex natura rei est invalidus: quippe multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent. Ille tamen qui tali ludo aliquid perdidit, potest illud in judicio repetere. Quia id ipsi per leges conceditur.

620 De illo qui ludo vetito lusit creditâ pecuniâ, controvertitur, an in conscientia solvere teneatur? Negant nonnulli. 1°. quia leges Imperiales statuunt, ut victus non cogatur solvere. 2°. cui conceditur actio ad repetendum, à fortiori conceditur exceptio ad non solvendum; tali verò conceditur actio ad repetendum, uti proximè diximus.

621 Affirmant nihilominùs Navarrus, Reginaldus, Medina, Valentia, &c. nisi is qui perdidit, Judicem requirat pro debiti sui absolutione, vel nisi alius sit patriæ suæ usus, vel lex specialis, annullans obligationem talis ludi, prout est in Gallia, & pluribus Hispaniæ locis. Quia qui tali ludo lusit, ubi non est talis lex vel consuetudo, validè lusit. Ergo contraxit obligationem standi contractui, quam necessariò infert omnis contractus validus.

622 Et confirmatur 1°. sicut qui validè lusit, non potest ante sententiam Judicis solutum repetere, nec occultâ uti compensatione, ut fatentur Doctores communiter; ita nec potest ante sententiam non solvere. Si enim, ante sententiam, posset non solvere; ante sententiam, posset solutum repetere: eò quòd alter non posset illud retinere: utpote absque jure acceptum. Quomodò enim jus habet ad solutionem, si alter habet jus ad non solutionem?

623 2°. leges objectæ pœnales sunt; pœnam verò ejusmodi nemo subire tenetur, nisi post sententiam. Et sicut leges illæ victo non concedunt privatam soluti repetitionem; ita nec privatam concedunt non solutionem. Unde cùm dicunt: victus non cogatur solvere, subauditur *à Judice*, pro quanto victori in foro judiciali non concedunt actionem. Et sic patet ad objecta.

624 Dixi, *nisi alius sit patriæ mos*, vel *lex specialis*, annullans obligationem talis ludi. Talis namque lex vel consuetudo variis est in locis, scilicet in Gallia & Hispania: pro Gallia quippe Ludovicus XIII. nulla declaravit omnia debita, causâ ludi contracta, omnesque obligationes ac promissiones, lusûs ergo factas, omni tum civili, tum naturali obligatione destitutas. Idem pro regnis Hispaniarum edixisse Carolum V. refert Tamburinus l. 8. in Decal. c. 9. n. 12. Eum qui creditò lusit, non teneri solvere, quorumdam locorum consuetudo habet in Belgio, v. g. Antuerpiæ, ut constat ex tit. 54. a. 20. Consuetudinum urbis illius.

CAPUT LVII.

Emptio & Venditio.

625 EMptio est pactio pretii pro merce, id est contractus, quo quispiam obligat se ad solvendum pretium pro merce. *Venditio* est pactio mercis pro pretio, id est contractus quo se quispiam obligat ad tradendam mercem pro pretio. *Pretium* est nummus, seu pecunia, ad hoc inventa, ut sit mensura rerum, quæ emuntur & venduntur. *Merx* est res, sive mobilis, sive immobilis, pecuniâ æstimabilis, & commensurabilis. Unde non solæ res mobiles & immobiles, sed & actiones, & jura, merces vendibiles esse possunt: cùm pecuniâ æstimari, commensurarique possint.

Post bonorum divisionem, factam paulò 626
post diluvium, inducta fuerat rerum permutatio, quâ alter ab altero obtinebat rem quâ indigebat, pro alia re quâ alter quoque indigebat, v. g. ovem pro veste. Postea, adinvento usu pecuniæ, in locum talis permutationis, jure gentium introducta est emptio & venditio, in eo distincta à permutatione, quòd hæc sit solutio rei pro re, emptio verò solutio pretii pro merce. Quòd si pecunia pro pecunia solvatur, cambium est. Et istorum contractuum notanda est differentia: quia prohibitus vendere, eo ipso prohibitus non est permutare; nec gabella vendentibus imposita, censetur imposita permutantibus, nisi id disertè exprimatur.

Porrò pretium (de quo in definitione 627
venditionis & emptionis) debet esse determinatum, vel à Republica, vel mutuo contrahentium consensu. Aliàs contractus esset nullus. §. *pretium* Instit. de empt. & vendit. Si ergo pretium emptori determinandum relinquatur, venditio nulla est. L. *quod sæpè* ff. de contrah. empt. Angelus tamen de Clavasio valere putat, si dicas: *vendo tibi quanti expertus judicaverit*; modò contrahentes conveniant, penes quem sit determinandi, & judicandi authoritas, cujus judicio stare deceant. Aliàs non valet. L. ult. Cod. de contrah. empt.

Contractui emptionis & venditionis *arrha* 628
plerùmque apponitur (licèt non sit de essentia) in signum contractûs initi, & in pignus illius exequendi, uti dicitur citatâ L. *quod sæpè*. Communiter computari solet in partem pretii: sed hoc pendet à voluntate contrahentium, & consuetudine locorum. Aliquando arrha præstatur necdum perfecto contractu, eò quòd ipsius obligatio ab aliqua dependeat conditione: & tum arrhæ dator eam amittit, si resiliat, ut potest; si verò receptor resiliat, duplum amittit, arrham scilicet, & tantumdem de bonis suis. §. 1. Instit. de vendit. & empt.

Variant Authores, an de ratione vendi- 629
tionis, & emptionis sit traditio. Id enim affirmant aliqui, negant alii. Utrosque redarguit Caramuel Theolog. Intentionalis n. 817. quòd traditionem physicam cum morali confundant. Unde inter utramque ipse distinguens, traditionem physicam negat esse de ratione venditionis, & emptionis, ad eam-

eamque sufficere dicit alterutram, aiens, statim post contractum, ante physicam rei traditionem, dominium mutari, seu transferri.

630 Sed dicendum 1°. emptionem & venditionem, quoad substantiam, perfici nudâ pactione seu conventione partium super merce & pretio; dominium tamen per nudam ejusmodi conventionem non transferri; sed ad id necesse esse, quòd conventioni accedat traditio rei vel pretii, non tamquam pertinens ad substantiam seu essentiam, & rationem formalem emptionis & venditionis; sed tamquam effectus & terminus extrinsecus illius, pro quanto scilicet emptio & venditio ad hoc tendunt, ut tradatur res, reique pretium, & per traditionem, in vim emptionis ac venditionis factam, rei ac pretii dominium transferatur. Neque enim in vim solius venditionis dominium transfertur, sed & in vim præcedentis emptionis ac venditionis, uti dicitur L. *nunquam* ff. de acquir. domin. ibi: *Nunquam nuda traditio dominium transfert, sed ita si venditio ..... præcesserit, propter quam traditio sequeretur.*

631 Ex cujus legis tenore colligitur 1°. venditionem præcedere traditionem, dominiique translationem; traditionemque, unà cum dominii translatione, habere se consecutivè ad illam: per consequens non esse formaliter de ratione seu essentia illius. Quod etiam colligitur ex allata venditionis & emptionis definitione, probarique insuper solet ex §. 1. Instit. de empt. & vendit. sicut & ex L. 1. & 2. ff. de contrah. empt. & L. 2. ff. de obligat. & action. Sicubi tamen locorum consuetudo habeat, vel si contrahentes expressè convenerint, quòd ante traditionem perfecta non censeatur emptio & venditio, illi insistendum est.

632 Colligitur 2°. dominium solâ venditione & emptione non transferri (uti Caramuel putat) nec solâ traditione, sed venditione simul & traditione venditionem consequente: cùm citata Lex dicat, quòd *nunquam nuda traditio dominium transfert, sed ita si venditio præcesserit, propter quam*, id est vi cujus, *traditio sequeretur*. Confer ea quæ habentur infrà n. 633. & 636.

633 Colligitur 3°. eundem Caramuelem rectè non ponere vel supponere, quòd ipsamet venditio sit moralis traditio. Tum quia gratis & absque fundamento hoc ponit, vel supponit. Tum quia hoc ponit, vel supponit contra eandem legem, dum per moralem traditionem intelligit dominii translationem, vel ipsummet venditionis contractum, quem secundùm legem illam, dominii translatio sequitur. Verum est tamen quod addit, statim post contractum, ante physicam traditionem, deberi gabellam vendentibus & ementibus impositam: quia ante physicam traditionem perfectus est contractus emptionis & venditionis. Et ideò gabella illa debetur ei qui gabellarii officium habebat tempore contractûs; non qui tempore traditionis, ut communis est opinio Doctorum.

An autem solvenda sit ante traditionem? 634
non video fundamentum negandi, cùm debeatur ante traditionem. Quòd enim aliqui dicunt, æquum non esse, emptorem obligari super re non sua, inefficax est: quia licèt res nondum sit sua, est tamen à se empta, ipsique emptioni gabella est imposita, ut benè advertit Bonacina.

Colligitur 4°. emptionem & venditionem 635
ob id revocari non posse, quòd nondum facta sit mercis vel pretii traditio, nisi in contrarium sit specialis locorum consuetudo, vel conventio. Quia cùm ante traditionem venditio & emptio perfecta sit, ab ea recedi, alterutro invito, bona fides non patitur. L. 3. ff. de rescind. vendit.

Colligitur 5°. quòd si res vendita Titio, 636
ante traditionem vendatur & tradatur Sempronio, res transit in dominium Sempronii, non Titii; sicut dum quis sponsalia contraxit cum Berta, & posteà in matrimonium se tradit Catharinæ, fit maritus Catharinæ, non Bertæ. *Traditionibus enim dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.* L. *traditionibus* C. de pactis. Unde cùm aliquis rem nondum emptori tradidit, adhuc ipse dominus est. §. *cùm autem* Instit. de empt. & vendit. Venditor tamen tunc tenetur 1°. emptori satisfacere, quanti sua intererat rem illam habere. Et idem est de quocumque complice secundæ venditionis, si conscius fuerit primæ venditionis, & venditor ipse non satisfaciat. Ratio est, quia licèt secunda venditio & emptio non sit intrinsecè injusta & invalida, pro quanto non est venditio & emptio rei alienæ, nec alteri obligatæ obligatione reali; est tamen extrinsecè injusta, pro quanto est venditio & emptio rei obligatæ alteri obligatione personali, & consequenter habenti in illam jus ad rem; istius verò injustitiæ complex est & cooperator efficax, qui ejus rei conscius efficaciter cooperatur secundæ venditioni.

Colligitur 6°. emptionem & venditio- 637
nem perfici ante numerationem pretii. Quia (ut habetur L. 2. ff. de contrah. empt.) sine pretio venditio nulla est: non autem pretii numeratio, sed conventio perficit emptionem, etiam sine scriptura habita.

Dicendum 2°. cum communi, non ob- 638
stantibus præmissis, post perfectam venditionem & emptionem (nisi aliter conventum sit, vel alia specialis sit locorum consuetudo) rem emptam & venditam (si pereat vel fructificet ante traditionem) emptori perire & fructificare, & ab ipso solvendam esse, nisi culpâ venditoris perierit, vel venditor fuerit culpabiliter in mora, vel emptorem deceperit, rei venditæ vitia sibi nota non manifestando. Ratio est, quia licèt, naturaliter loquendo, ubi alia non est legum dispositio, vel locorum consuetudo, res unaquæque pereat domino suo; venditor verò (ante

traditionem) adhuc sit dominus; secundùm leges nihilominùs venditori res vendita tunc non perit, quia §. *cùm autem* Instit. de empt. & vendit. dicitur: *Cùm emptio & venditio contracta sit ..... periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit.* Et L. 1. Cod. de pen. & commod. rei vend. *post perfectum venditionem, omne commodum & incommodum quod rei venditæ contingit, ad emptorem pertinet.* Aliæ leges, cum variis limitationibus, ultra supradicta, videri possunt apud Castropalaum disp. 5. p. 14. 15. & 16. & Dianam p. 11. tr. 7. resol. 32.

639 Dicendum 3°. venditionem conditionatam, non perficiante impletam conditionem; si tamen facta fuerit per verba de præsenti, sub conditione de futuro, dicendo v. g. *vendo tibi hanc domum, si pax ante finem anni venerit*, obligatio retrotrahitur ad diem celebrati contractûs, perinde ac si ab initio absque conditione celebratus fuisset. Lessius lib. 2. c. 21. dub. 1.

CAPUT LVIII.

Negotiatio.

640 NEgotiatio propriè est, dum quispiam rem alienam sibi comparat, ut eam immutatam vendendo vel permutando lucrum acquirat. Unde qui sibi comparat grana, ut inde panes aut cerevisiam conficiat, ex iisque venditis lucretur, non est negotiator, propriè loquendo; uti nec ille qui sibi comparat boves macilentos, ut eos impinguatos vendat, & sic lucretur. Quia non vendit rem immutatam, sed in melius mutatam.

641 Negotiatio non est generatim illicita: cùm neque ex essentia sua, neque ex parte finis, vel alterius circumstantiæ, secum necessariò trahat aliquid mali, tametsi, ut S. Thomas ait q. 77. a. 4. in corp. *justè vituperetur, quia quantum est de se deservit cupiditati lucri, quæ terminum nescit, sed in infinitum tendit.* Et ideò *negotiatio secundùm se considerata quandam turpitudinem habet, in quantum non importat de sui ratione finem honestum, vel necessarium. Lucrum tamen, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestum, vel necessarium, nihil tamen importat in sui ratione vitiosum, vel virtuti contrarium. Unde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, vel etiam honestum. Et sic negotiatio licita reddetur. Sicut cùm aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quærit, ordinat ad domûs suæ sustentationem, vel ad subveniendum indigentibus; vel etiam cum aliquis negotiationi intendit propter publicam utilitatem, ne scilicet res necessariæ ad vitam patriæ desint, & lucrum expetit, non quasi finem, sed quasi stipendium laboris.*

642 Addit S. Doctor in 4. dist. 16. q. 4. a. 2. quæstiunc. 3. ad licitam negotiationem servandas esse conditiones sequentes. 1°. quòd *negotiatores tempore debito mercationes faciant, non diebus festivis, nec tempore quo cariùs inducere possint.* 2°. quòd *modum debitum servent*, utique sine fraude, & secundùm licitum contractum. Tertia conditio est ut fiat fine debito, non utique propter suum lucrum, sed lucrum ipsum ulteriùs ordinando ad familiæ vel pauperum necessitatem, & finaliter ad Deum ipsum; ad quem omnia necessariò esse referenda, demonstratum est to. 1.

Quia verò negotiatores utplurimùm ista 643
cordi non habent, vel adeò tenuiter, ut finis ipsorum ultimus plerùmque sit lucrum, & ideò frequentia sunt negotiatorum vitia, juxta illud Eccli. 26. *difficulter exuitur negotiator à negligentia, sive* (ut textus græcus habet) *à deceptione*, quâ nimirùm seipsum & alios decipit. Quia etiam *negotiatio nimis implicat animum sæcularibus curis, ac per consequens à spiritualibus retrahit* (inquit S. Thomas citatâ q. 77. a. 4. ad 3.) Denique quia Apostolus dicit 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus:* propterea sacri Canones negotiationem Clericis interdicunt, prout videre est apud Gratianum dist. 88. Ipsis etiam Tridentinum sess. 22. de reform. c. 1. (conformiter Apostolo proximè laudato) interdicit sæcularia negotia. Quibus cùm annumerentur tutelæ, curatelæ, & similes curæ, quibus Clerici multis solent difficultatibus intricari, à divinisque functionibus impediri; hinc est quòd Concilium Africanum, à S. Cypriano laudatum, prohibet, *ne quis de Clericis, & Dei Ministris, tutorem vel curatorem testamento suo constituat.* Justinianus quoque Imperator L. 51. C. de Episcop. & Cleric. Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis omnibus immunitatem ab omni tutela & curatela concedit, *ut aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministeriis deserviant.*

CAPUT LIX.

Pretium quo vendendum est, & emendum.

DIcendum 1°. quòd *cariùs vendere, vel* 644
viliùs emere rem, quàm valeat, est secundum se injustum & illicitum. Verba sunt S. Thomæ q. 77. a. 1. in corp. Quia (inquit) *emptio & venditio videtur esse introducta pro communi utilitate utriusque. Quod autem pro communi utilitate inductum est, non debet esse magis in gravamen unius quàm alterius. Et ideò debet secundùm æqualitatem rei inter eos contractus institui. Et ideò si vel pretium excedat quantitatem valoris rei, vel è converso res excedat pretium, tolletur justitiæ æqualitas. Et ideò cariùs vendere, vel viliùs emere rem, quàm valeat, est secundum se injustum, &c.*

Dicendum 2°. justum pretium determi- 645
nandum non esse ex sola æstimatione venditoris: utpote qui Judex esse non debet in propria causa; neque ex naturali dignitate rerum venalium (aliàs mus cariùs vendi posset quàm panis, & pulex plus quàm gem-

gemma pretiosa) sed secundùm quod unaquæque res usibus, utilitatibus, & commoditatibus hominum inserviunt. Cùm enim mundus, & quæ in mundo sunt, propter hominem facta sint, tanti æstimari solent, & debent, quantùm humanis inserviunt usibus, &c. Unde fit, ut *quadam sensu carentia quibusdam sentientibus præponamus* (inquit Augustinus lib. 11. de Civit. c. 16.) *Quis enim non domi suæ panem habere, quàm mures, nummos quàm pulices malit? Sed quid mirum? cùm in ipsorum etiam hominum æstimatione, quorum certa natura tantæ est æstimationis, plerùmque cariùs comparetur equus, quàm servus; gemma, quàm famula.*

646 Dicendum 3°. justum rerum pretium esse duplex, vel ad summum triplex. Primum est legitimum, seu legale, quod Reipublicæ authoritate (consideratis circumstantiis, ex quibus rerum æstimatio pendet) per Principem, vel Magistratum determinatur, prout taxari solet pretium panis, vini, &c. Et istud pretium sine injustitia nec augeri potest, nec diminui.

647 Alterum est naturale, seu commune, quod communi hominum intelligentium æstimatione, non ex affectu, sed ex conscientia determinatur, spectatis communibus usibus, & affectibus hominum, mercium copiâ, vel inopiâ, communibus vendentium expensis, periculis, laboribus, industriâ, & aliis circumstantiis, juxta L. *pretia rerum* ff. ad legem falcidiam, ibi: *Pretia rerum, non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur.* Et istud non consistit in indivisibili, sed in mediocritate quadam, tres gradus complectente (juxta Philosophum l. 2. Ethic. c. 6.) supremum, medium, infimum, ita ut si res v. g. pretio medio valeat centum, valere possit centum quinque pretio summo, nonaginta quinque pretio infimo. *Pretium* quippe istud *non est punctualiter determinatum* (ait S. Thomas a. 1. ad 1.) *sed magis in quadam æstimatione consistit.* Et ita modica additio, vel minutio non videtur tollere æqualitatem justitiæ. Ita etiam S. Antoninus 2. p. tit. 1. c. 8. §. 1.

648 Dixi *communi æstimatione hominum intelligentium*, id est peritorum, & in negotio de quo agitur, secundùm patriæ morem benè versatorum. Quia ipsorum est vulgare pretium communi æstimatione determinare. Unde patet ad id quod Tamburinus c. 7. §. 4. n. 2. objicit, imperitos & imprudentes esse Indos, qui argentum & aurum vilibus commutant tintinnabulis, gemmas vitro, &c. ista tamen in India æstimari justum pretium. Tametsi enim imprudentes forent respectivè ad mores nostros; non tamen respectivè ad mores patriæ suæ, ubi viles sunt merces, quæ hîc caræ sunt; econtrà caræ, quæ hîc viles.

649 Tertium (ut aliquibus placet) pretium est conventionale, sive quod mutuâ determinatur conventione inter venditorem & emptorem. Sed istud ad summum habet locum in iis rebus, quarum pretium nec Reipublicæ authoritate, nec communi fori æstimatione determinatum est; quale ferè est pretium rerum, quæ neque spectant ad necessitatem naturæ, neque ad necessitatem personæ, neque ad decentiam statûs ipsius, sed ad splendorem potiùs & fastum; cujusmodi sunt insignes gemmæ, canes venatici, accipitres, picturæ veteres, simiæ, &c.

Itaque pretium legale, utpote in indivisibili consistens, prætergredi non licet, nec pluris vendere licet panem v. g. cujus pretium lege taxatum est, v. g. sex stuferis, nisi circumstantiæ extraordinariæ superveniant, quæ à Principe, vel Magistratu non potuerint prævideri, extraordinaria v. g. sterilitas, vel abundantia. 650

Quia verò pretium vulgare latitudinem habet, intra limites illius verum est quod lege 1. ff. ad Senatûs consulta, & L. *siquis uxori* ff. de furtis dicitur: *Tantum valet res, quantum vendi potest*; intra latitudinem (inquam) seu limites justi pretii; quos quisquis excedit, injustus est, quamvis excessus non sit ultra medietatem justi pretii. 651

Quantùm verò distare possit infimum vel medium à summo, ut justum sit, ex usu fori, communibusque negotiationibus est determinandum. Nonnullis quidem videtur excessum summi supra medium esse quinque in centum. Sed probabilius videtur, quod docet Filiutius to. 2. tr. 33. c. 3. n. 57. non habendum in omnibus respectum istum quinque in centum. Cùm alia sit communis æstimatio, praxisque intelligentium, etiam timoratorum, non servandam utique proportionem istam in valoribus inæqualibus. Tametsi enim communiter dicatur, latitudinem in centum esse decem, à nonaginta quinque, ad centum quinque, tamen in decem est tria, à novem ad undecim. Alii dicunt esse quatuor, ab octo cum medio ad undecim cum medio. 652

Quod ad res illas attinet, quarum pretium nec à Republica taxatum est, nec à communi foro, Sotus l. 6. q. 2. a. 3. ad 2. Toletus, Bannez, Salonius, Rodriguez, Sa, Valentia, Petrus Navarra, &c. putant tanti vendi posse, quantum ab emptore, citra fraudem, potest obtineri, ita ut nulla sit injustitia accipere multa aurcorum millia pro statua, vel pictura antiqua, &c. dummodò talis sit, qualis venditur. 653

Verùm probabilior videtur opposita sententia Navarri cap. 23. n. 78. Cajetani, Aragonii, Lessii, Sylvii, Tanneri, & aliorum, dicentium, hujusmodi res eo pretio vendi debere, quod judicio mercatorum in talibus peritorum æstimatur justum, ita ut pro gemmis Gemmariorum, pro picturis Pictorum, pro canibus Venatorum, aliorumvè intelligentium sequenda sit æstimatio, & 654

non solius venditoris, qui solus (ut suprà dixi) esse non debet judex in propria causa. Quia res non ideò tanti valet, quia venditori placet tanti vendere; sed quia tanti æstimatur à peritis talium rerum. Aliàs simia vendi licitè posset pretio unius regni (quod probabile non est, licèt admittat Tamburinus n. 20.) eò quòd utique pretium ejusmodi rerum foret illimitatum. Quo dato, nulla dabilis esset regula, per quam dati, & accepti æqualitas dijudicari posset.

CAPUT LX.

Casus quibus licitum est res suas vendere ultra latitudinem vulgaris pretii currentis.

655 PRimus est, dum venditor, in gratiam emptoris, ad magnamque ipsius instantiam, nunc vendit, aliàs servaturus in tempus majoris caritatis. Probat hunc casum Alexander III. cap. *in civitate* de usuris. Probat & S. Antoninus 2. p. tit. 1. c. 8. §. 1. *Secùs* (inquit) *si non intendebat eas servare, sed tunc vendere; vel etiam si non est probabile, seu verisimile quòd eo tempore quo volebat in futurum vendere, tantum debeant valere, quantum nunc vendit.* Crediderim etiam aliquid minuendum de quantitate majoris pretii, dum non certò, sed solùm probabiliter futurum est tempore, ad quod res suas erat servaturus, habitâ scilicet ratione incertitudinis, expensarum, & incommoditatum, in iis ad tempus illud suo periculo servandis.

656 Secundus casus est, dum venditor, ad instantiam pariter emptoris, vendit rem sibi valdè utilem, aut necessariam, cum aliquo damno suo. Quia tunc, ultra ordinarium rei pretium, justè exigit compensationem istius damni. Ita S. Thomas q. 77. a. 1. in corp. hisce verbis: *Cùm aliquis multùm indiget habere rem aliquam, & alius læditur, si eâ careat, in tali casu justum pretium erit, ut non solùm respiciatur ad rem quæ venditur, sed ad damnum quod venditor ex venditione incurrit. Et sic licitè poterit aliquid vendi plus quàm valeat secundùm se, quamvis non vendatur plus quàm valeat habenti.* Aliud est, dum venditor non vendit ad instantiam emptoris, sed ad subveniendum necessitatibus suis. Tunc namque emptor non est causa damni ipsius; & ideò non debet illud compensare. Emptor proinde solùm tenetur solvere quantum valet; *non autem quantum ille qui vendit ex ejus carentia damnificatur*, ait S. Doctor q. 14. de malo a. 4.

657 Tertium casum aliqui probant, alii improbant, dum scilicet venditor, ad solam emptoris instantiam, vendit rem, ad quam magnum habet & peculiarem affectum rationabilem, sive ex rationabili aliqua causa provenientem, ob quam alioqui eam non erat venditurus, qualis erat affectus Nabot in vineam suam: eò quòd foret hæreditas patrum suorum; quam ob causam eam vendere nolebat, ne ipsi quidem Regi. 3. Reg. 21.

Improbat hunc casum Caramuel (aliàs tam benignus) Theol. Intention. n. 837. Si enim (inquit) forum sit plenum mercibus æquè bonis, quid mea, quòd Petrus magis diligat suas? An ideò pretiosiores? Si non pretiosiores, vendi cariùs non possunt. 658

Et confirmari potest ex L. *pretia rerum* ff. ad L. falcidiam: quia pretia rerum non ex particulari affectu, vel utilitate singulorum, sed *communiter funguntur*, id est ex communiter accidentibus æstimantur. Aliàs fur, qui rem à domino valdè dilectam furto consumpsisset, non satisfaceret præcisè restituendo valorem rei secundùm se. 659

Approbant nihilominùs probabiliter Bonacina disp. 3. q. 2. puncto 4. Massonus ad 7. Decal. præcept. tabulæ 2. Serra dub. 3. Castro-Palao disp. 5. puncto 12. n. 3. & alii apud ipsum. Quia licèt ex particulari illo affectu res non valeat plus absolutè secundùm se, nec absolutè sit pretiosior; valet tamen plus habenti, illique pretiosior est, & plerùmque non venalis, uti vidimus in vinea Nabot. Si ergo venditor eam venalem faciat in gratiam emptoris, meritò potest incommoditatem, quam patitur ex carentia rei sibi tam caræ, in pactum deducere, pro eaque aliquid exigere, ultra valorem rei secundùm se; sicut in pactum deducere potest incommoditatem quam patitur ex privatione consolationis, quam habet ex usu & possessione rei raræ atque insignis, eoque titulo eam vendere plus quàm valeat præcisè secundùm se, dum eâ se privat in gratiam emptoris. 660

Hinc patet ad rationem Caramuelis, sicut & ad confirmationem. Tametsi enim pretia rerum absoluta æstimentur ex communiter accidentibus, pretia rerum respectiva plerùmque taxantur ex specialibus titulis, venditionem concomitantibus, vel consequentibus, ob quos plus valent vendenti, v. g. ob lucrum cessans, vel damnum emergens. In hac proinde sententia videtur concedenda sequela de fure, nisi dominus ordinario pretio contentus fuerit. 661

Quamvis hæc sententia probabilis sit, in praxim tamen non est de facili deducenda, ob periculum ne avari inde occasionem accipiant usuras, & injustitias suas palliandi, sub prætextu affectûs peculiaris, non ex justa aliqua causa, sed ex avaritia plerùmque provenientis. 662

Multò minùs practicanda est opinio suprà relata Soti, & aliorum, dicentium, quòd ob peculiarem affectum in res valdè raras, pretioque legitimo & vulgari carentes, dominus eas vendere possit quantum vult. Ut enim benè Cabassutius lib. 6. c. 8. tametsi 663

privatio affectionis & oblectationis de ejusmodi rebus sit pretio æstimabilis, non tamen illimitato, & enormi, sed quali taxaretur à viro prudenti, & harum rerum insigniter perito, qui rei raritatem, ac singularitatem agnoscens, simulque oblectationem & affectionem quam causat possessori suo, intra terminos rationis & moderationis ipsam æstimaret. Affectus namque immoderatus reducendus est ad aliquem discretionis modum, nec unquam enormi pretio redimendus.

664 Si dicat Sotus, nullam emptori fieri injuriam, dum sponte, & citra ullam necessitatem, tanto pretio emere consentit: cùm *unusquisque rerum suarum moderator sit & arbiter*. L. *in re mandata* Cod. mandati. Respondeo, emptorem ideò consentire, quia rem aliter nequit habere. Et si ratio illa subsisteret, simili ratione probaretur licitum, dare mutuum sub usura, quàmlibet enormi, citra necessitatem voluntariè petenti, v. g. ad ganeam, aleam, scorta, &c. insumendum; omnesque à jure contractibus præfixi limites simili ratione eludi possent.

665 Quartum casum allegat Card. de Lugo de just. disp. 26. sect. 5. n. 64. dum merces tuæ sunt longè præstantiores iis, quæ communiter venduntur. Quo casu putat, augeri posse pretium, etiam à lege taxatum. Sed & hîc video periculum abusûs, dum plures, avaritiæ affectu excæcati, facilè sibi imaginantur, suas merces communibus esse præstantiores. Ideò necesse est, Confessarium hac in re circumspectum esse, ne fautor sit avaritiæ, & plus æquo indulgeat immoderati lucri cupidis.

An autem rei extraordinariæ bonitatis, v. g. vino valdè generoso, aliquid liceat immiscere, infrà videbitur.

CAPUT LXI.

Ultra allegatas peculiares causas, quatuor aliæ sunt generales, & communes, ob quas vulgare pretium justè augeri potest vel minui.

666 PRima augendi causa est multitudo emptorum, penuriaque mercium, juxta vulgare effatum, *omne rarum, carum*, desumptum ex Hieronymo epist. 85. ad Evagrium aiente, *omne quod rarum est, plus appetitur; hinc pulegium apud Indos pretiosius est.*

667 Vulgare pretium econtrà minuitur ex mercium copia, emptorumque paucitate. Unde post bella, & devastationes, sæpè etiam in fine nundinarum, res vili venduntur pretio. Quia tunc emptores deficiunt. Et quia in numeroso militum transitu, vel adventu Regis cum aula, emptorum copia crescit, mercatoribus licitum est vendere cariùs,
668 quàm paulò antè, vel post civibus. Imò Lessius c. 21. dub. 4. n. 30. putat, etiam durante militum transitu, licitum esse cariùs exteris vendere quàm civibus; eò quòd fieri soleat civibus gratia, seu gratuita condonatio augmenti, quod ab exteris exigitur. Verùm hoc mihi non probatur, sed injustum videtur. Quia gratuita illa condonatio gratis fingitur, nec in dubio quisquam præsumitur gratis condonare quod sibi justè debetur, nec licet cariùs exteris vendere, quàm civibus, ob eorum necessitatem (ut infrà probabitur) tota verò ratio exteris cariùs vendendi quàm civibus, esse videtur necessitas exterorum.

Secunda augendi causa est pecuniarum a- 669
bundantia in loco venditionis, sicut & causa minuendi, earum est penuria. Propterea namque in Indiis res numerosiore pecuniâ venduntur, quàm hîc, ob majorem ibi, quàm hîc, pecuniarum abundantiam.

Tertia causa, est triplex modus vendendi. 670
Primus est per auctionem, sive subhastationem. Videmus enim in modo illo pretium crescere vel decrescere præcisè ex fervore vel frigore contra licitantium; ideòque res ibi incerto subesse pretio, tantique vendi & emi, quanti potest citra fraudem & subornationem obtineri, etiam infra dimidium justi aliàs pretii; ita ut subinde ematur quadraginta, quod aliàs valet centum. Quia pretium quodcumque illo vendendi modo sine fraude & subornatione obtineri potest, ex communi sensu & usu omnium, etiam timoratorum (in quem publica potestas tacitè videtur consentire) justum est pretium illius fori. Ita Joannes Martinez de Prado Theol. Mor. tr. 2. c. 21. Bannez, Medina, Arragonius, Villalobos, Serra, Bonacina, Cardinalis Lugo, Tannerus, Wadingus, &c.

Dixi, *sine fraude & subornatione*. Quia sub- 671
stantia subhastationis (quæ sola permittit vendere & emere quanti potest) exigit ut omnia ibi sincerè, sine fallacia, sine monopolio, sine subornatione fiant, ut æquale sit periculum, æqualis fortuna & casus venditoris & emptoris. Injustitiam proinde committit, ad restitutionemque (juxta quantitatem & probabilitatem damni injustè illati) tenetur venditor, si fictos supponat offerentes, sicut & emptor, si offerentes per fraudem avertat, vel prece subornet amicos, ut non offerant supra certam summam, & sic ipse infra infimum obtineat pretium (quamvis id justificet Caramuel n. 847.) imò quamvis id solùm faceret, ut pretio infimo obtineret, ut rectè Toletus lib. 8. c. 47. Megala lib. 2. c. 6. q. 5. n. 146. Venditor enim habet jus, ut fraude non impediatur vendere pretio justo supra infimum, ut probat allata ratio: licèt quoad hoc contradicant Reginaldus, Bonacina, & alii quos refert, sequiturque Diana p. 1. tr. 8. resol. 76.

Secundus, est modus vendendi res minu- 672
tatim, sive per partes. Quia ex eo cariùs vendi solent, quàm dum venduntur in grosso, ut vocant, sive in magna quantitate, ob majorem molestiam, majusque periculum in

diuturniore mercium conservatione; sicut & ob majus lucrum interim cessans. Nam qui in grosso, sive summatim vendunt in magna copia, inde fiunt expediti ad comparandas novas & novas merces, novaque inde lucra: à quo minutatim vendentes impediuntur.

673 Tertius, est modus vendendi ultroneè merces, quærendo emptores, ultròque ipsis merces offerendo. Quia sic earum æstimatio minuitur (juxta vulgatum istud: *merces ultroneæ vilescunt*) non per se (si enim, non obstante ultroneitate illâ, tanta foret emptorum copia, tanti emerentur merces ultroneæ, quanti non ultroneæ, prout experientia docet in grano per rusticos ad forum advecto) sed per accidens, ob defectum, vel paucitatem emptorum, dum scilicet defectus iste, vel paucitas contingit.

674 Sed quæritur, quantùm ultroneæ merces vilescant? Cajetanus, Lessius, Bonacina, & alii apud Dianam ibidem resol. 78. aiunt vilescere pro tertia parte. Palatius, Salas, Rebellius, Megala, & alii apud eundem dicunt vilescere quandoque pro media parte. Quod etiam docet Conradus 1. p. resp. q. 130. Quod si verum est, is cui commodum non est emere, solùmque rogatus emit in gratiam emptoris, potest duobus aureis emere, quod aliàs valet quatuor.

675 Inhumanum tamen foret, vilissimo pretio emere res pauperum, quas ipsi necessitate compulsi, offerunt divendendas, v. g. supellectilem suam; & quò gravior est necessitas, eò instantiùs quærunt emptores, qui emere velint. Inhumanum (inquam) & contra charitatem id esset; imò & contra justitiam, si emptor, habens pecunias, quibus (absque incommodo & damno suo) res illas justo pretio emere posset, longè minori pretio emeret, eo solo prætextu, quòd ultrò offeruntur venales; maximè si emptor ille (absque ullo suo interesse) facilè posset res illas aliis justo revendere pretio. Quis enim talibus in circumstantiis, id sibi fieri vellet? Si nolit tunc homo, cui res illæ venales offeruntur, eas emere, quia sibi fortè sunt inutiles, vel emat aliis revendendas, vel faciat misericordiam pauperi, pecuniam necessariam (cùm absque suo interesse potest) ipsi mutuò præstando, resque sibi oblatas in pignus accipiendo, restituendas dum mutuum sibi restitutum fuerit. Qui aliter docent, videant ne divitibus portam aperiant opprimendi pauperes. Quod Scriptura utriusque Testamenti graviter prohibet.

676 Regula proinde illa, *merces ultroneæ vilescunt*, non procedit, dum charitas aliud exigit. Unde etiam in casu quo pudet virum honestum res suas publicè venales exponere (quod si fieret, pretio in foro currenti venderentur) non ideò, quòd ob aliquam necessitatem occultè vendendas offerat, non ideò (inquam) minùs valent; nec ideò infra pretium infimum emi possunt.

Similiter ob necessitatem præcisè, quâ proximus rem suam vendere cogitur, non licet pretium diminuere; nec ob necessitatem emptoris quæ ipsum compellit ad emendum, licitum est pretium augere, ut benè monet Henricus Gandavensis quodlib. 14. q. 14. Venditoris quippe necessitas, absque alio titulo, nihil detrahit valori rei venalis, sicut emptori nihil detrahit utilitatis. Emptoris verò necessitas, ipsius est, non venditoris, qui proinde eam vendere non potest; aliàs venderet quod suum non est. *Si aliquis* ergo *multùm juvetur* ex re alterius (ait S. Thomas q. 77. a. 1.) v. g. ex alterius fundo, in quo vult ædificare; *ille verò qui vendit, non damnificetur carendo re illâ; non debet eam supervendere: quia utilitas, quæ alteri accrescit, non est ex venditione, sed ex conditione ementis: nullus autem debet vendere alteri quod non est suum.* Hoc est dicere, quòd ex hoc quòd res tua mihi valdè utilis sit, vel etiam necessaria, non ideò potes mihi rem illam majori pretio vendere, quàm aliàs valeat: quia utilitas, vel etiam necessitas mea, non est tua, nec provenit ex tua venditione, sed ex mea conditione, quæ cùm ad te non pertineat, ratione illius non debes, nec potes rem illam mihi supervendere. 677

Injusti proinde sunt proprietarii domorum, vel fundorum, Monasteriis vel Ecclesiis vicinorum, dum ex eo præcisè quòd videant fundos illos Monasteriis vel Ecclesiis esse necessarios, cariùs illos vendunt, quàm aliàs venderent. Injusti quoque aurigæ, pro vectura plus exigentes ab iis, quos vident, ob nimiam lassitudinem, non posse absque curru ultrà progredi. Quia, ut rursum S. Thomas ait q. 13. de malo a. 4. ad 7. *non licet vendere alicui, in necessitate constituto, rem aliquam multò amplius quàm valeat; esset enim injusta venditio.* 678

Quarta causa augendi vulgare pretium mercium sumitur ex laboribus, periculis, expensis, & damnis venditorum communiter occurrentibus, in quærendis, transportandis & conservandis mercibus. Dico *communiter occurrentibus*: quia mercator passus particulare damnum ex naufragio v. g. non ideò potest augere pretium; uti posset, si naufragium multis mercatoribus commune fuisset; eoque proinde penuria mercium inducta foret. Communis namque æstimatio (unde justum pretium) sumitur à communiter accidentibus, non à particulari infortunio, non procedente ex venditione, sed ex mala fortuna, vel stultitia aliqua, seu imprudentia venditoris. 679

CAPUT LXII.

Non licet vendere merces supra latitudinem justi aliàs pretii, ex hoc quòd credito vendantur, nisi interveniat alius titulus, lucri cessantis, vel damni emergentis, &c.

ID esse usurarium, definivit Urbanus III. cap. *consuluit* extra. de usuris. Et ratio- 680

nem dat S. Thomas q. 78. a. 2. ad 7. quia *hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui. Unde quidquid ultra justum pretium pro hujusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usuræ.*

681 Et ratio ulterior est 1°. quia numerata pecunia pretiosior non est numerandâ. Ergo injustum est amplius exigere, dum numerandâ pecuniâ venditur, quàm dum numeratâ. Antecedens probatur ex 44ª. propositione ab Innocentio XI. damnata: *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid supra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari*; quam propositionem cùm Pontifex non solùm reprobaverit secundùm se, sive secundùm clausulam finalem, sed etiam damnaverit rationem in qua fundatur: damnavit ergo propositionem, quæ asserit, *quòd numerata pecunia pretiosior sit numerandâ.*

682 2°. quia ità taxa pretii legalis nulla fit distinctio mercium quæ creditò, ab iis quæ numeratò venduntur; sed absque distinctione Magistratus taxat earum pretium, sive creditò, sive numeratò vendantur. Similiter ergo in taxa pretii vulgaris nulla à communi prudentium mercatorum æstimatione facienda est distinctio, &c. cùm enim merces pluris non valeant ratione expectatæ solutionis, ad illarum pretium impertinens est, expecteturne solutio, an non.

683 Et ideò Concilium Mediolanense I. sub S. Carolo Borromæo p. 11. tit. de usuris prohibet, *ne quis rem aliquam, ob dilatam solutionem, carius vendat justo pretio*, sive *carius quam justi alioqui pretii ratio ferat*, ut loquitur Concilium Burdigalense anni 1683. c. 31. de usur. & illicit. contract.

684 Similiter Conventus Melodunensis Ecclesiæ Gallicanæ tit. 31. prohibet, *ne quis rem aliquam, ob dilatam solutionem, justo vendat carius pretio.*

685 Assertioni nostræ nihilominùs, tam solidè stabilitæ, contradicunt Molina, Lessius, & alii. 1°. quia communis hominum sensus est, cariùs creditò, quàm numeratò vendi posse. Justum verò pretium à communi hominum sensu, seu æstimatione sumitur. 2°. modus vendendi creditò excitat copiam emptorum (eò quòd plures sint qui possunt, & volunt creditò emere, quàm numeratò) atqui emptorum copia unà est ex causis, propter quas vulgare pretium mercium communi mercatorum æstimatione augescit.

686 Sed ad objectiones istas facilis est responsio. Ad 1ᵃᵐ. namque respondetur, homines prudentes, qui Deum, & salutem animæ lucris temporalibus anteponunt, non pluris æstimare merces creditò venditas, quàm numeratò; uti non pluris æstimant pecuniam numeratam, quàm numerandam, nisi dum ex numeranda lucrum cessat, vel damnum emergit, &c. Prudentes namque de rebus animæ salutem concernentibus non judicant ratione purè humanâ, sed Christianâ, quæ damnat usuras. Usuræ verò non forent damnatæ, secundùm rationem illam Adversariorum purè humanam.

Ad 2ᵃᵐ. respondetur, copiam ementium 687
numeratò unam esse ex causis propter quas vulgare pretium mercium augetur, non solam copiam ementium creditò. Usus namque fori, ad pretia mercium discernenda, attendit ad valorem quem habet pecunia, quæ pro ea solvitur (cùm pecunia sit pretium ipsius) ejusdem verò valoris, secundùm æstimationem Christianam, est pecunia solvenda (seclusis titulis antè dictis) quàm pecunia, quæ de præsenti solvitur. Si enim plus valeret pecunia præsens, quàm futura, usura foret licita: quia licitum foret mutuò dare de præsenti centum, pro centum quinque v. g. in futurum recipiendis.

CAPUT LXIII.

Siquis emptor velit rem emere vilius, quàm sit justum pretium: eò quòd pecuniam antè solvit, quàm possit ei res tradi, est peccatum usuræ.

VErba sunt sancti Thomæ q. 78. a. 2. 688
ad 7. *Quia* (inquit) *etiam ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui rationem; cujus quoddam pretium est quod diminuitur de justo pretio rei emptæ.* Ita etiam S. Antoninus p. 11. tit. 1. c. 8. §. 1. & 4. Ita denique Concilium Mediolanense I. & Burdigalense anni 1583. locis capite præcedenti relatis. Confer quæ dixi cap. 26.

CAPUT LXIV.

Debitum liquidum, centum florenorum v. g. seclusis titulis lucri cessantis, damni emergentis, & periculi non solutionis, vel saltem difficilis solutionis, non potest minoris emi quàm centum florenis.

ITa S. Antoninus §. 12. Sylvester, Ban- 689
nez, Medina, Sotus, Lessius, & alii communissimè contra Navarrum c. 17. n. 232. Cajetanum, Sanchez, Dianam, oppositum sentientes, quando debitum est immaturum, sive solvendum in futurum. Probatur 1°. quia quod non valet minùs quàm centum florenis, non licet minùs emere. Sed debitum liquidum centum florenorum, seclusis illis titulis, non valet minùs quàm centum florenis. Quamvis enim debitum liquidum centum florenorum, non sint centum floreni, est tamen jus certum & liquidum ad centum florenos. Jus verò certum & liquidum ad centum florenos, absque difficultate, & ullo interesse recipiendos, non valet minùs centum florenis, prout constat ex certo jure ad centum florenos acquisito per venditionem rei valentis centum florenis (de quo cap. 62.)

vel per mutuum centum florenorum; quod certum est non valere minùs centum florenis mutuatis. Aliàs usuræ forent licitæ: quia pro centum florenis mutuatis liceret exigere v. g. centum quinque.

690 Si tamen debitum quidem centum florenorum foret liquidum, sed difficilis solutionis, ob morositatem debitoris, sine labore, molestia, & fortè sine expensis non vincendam, posset minoris emi, quantùm illa difficultas prudentum judicio venit æstimanda. Ita Doctores communiter, teste Wiggers tr. 5. de contract. dub. 9. n. 38. Quia si debita ejusmodi, in foro, publicâ voce præconis, venalia proponerentur, haud dubiè minoris æstimarentur, ob illam difficultatem. Nullus est enim, qui tanti æstimet centum difficulter recipienda, quàm centum absque difficultate jam recepta.

691 Sed quæstio est, an ejusmodi debita possint minoris emi ab eo, qui, ob favorem Principis, vel Officiariorum ipsius, præ cæteris, facilè potest eorum solutionem obtinere? Affirmant Molina disp. 361. cumque ipso Lessius dub. 9. Lugo disp. 26. n. 103. Tum quia potest ejusmodi debita eo emere pretio, quo communiter æstimantur in foro. Tum quia favor Principis, vel Officiariorum ipsius, debet ipsi prodesse, non obesse: cùm pertineat ad bonam fortunam ipsius. Tum quia sicut specialem habens notitiam utilitatis alicujus herbæ, modicæ æstimationis in foro, omnium confessione potest eam emere communi pretio fori, non obstante quòd magis æstimaretur in foro, si aliis, perinde ut ipsi, nota foret utilitas ipsius. Ita similiter.

692 Negant nihilominùs Malderus tr. 5. c. 2. dub. 5. De Graffiis l. 2. c. 111. n. 32. Wiggers n. 43. & alii. Quia non licet rem minoris emere quàm valeat secundùm se, prætextu alicujus annexæ difficultatis diminuentis valorem, si difficultas illa solùm sit respectiva, cessetque hìc & nunc respectivè ad ementem. Quia titulus absolutè non diminuens valorem, sed respectivè duntaxat, solùm eum diminuit respectivè ad eos in quibus locum habet, non respectivè ad alios; uti patet in titulo lucri cessantis, vel damni emergentis, qui solùm diminuit valorem pecuniæ, non præsentis, sed futuræ, respectivè ad eos quibus lucrum cessat, vel damnum emergit ex non præsentia ipsius, prout Doctores communiter fatentur.

693 Nec obstant rationes allegatæ pro sententia affirmativa. Ad 1^am. namque respondetur, debita certa & liquida, quando debitores sunt solvendo, communiter in foro non æstimari minoris absolutè & secundùm se, sed solùm respectivè ad plerosque, qui subire debebunt labores, molestias, & fortè expensas pro solutione.

694 Ad 2^am. respondetur, favorem illum esse iniquum: quia debitores absque acceptione personarum, in solvendo servare debent æqualitatem. Isto proinde favore viros bonos uti non debere, emendo rem minùs quàm valeat secundùm se, absque titulo justificante, qui locum habeat respectu ipsorum.

Ad 3^am. respondetur non esse simile: quia 695
herba, cujus utilitas non est nota communiter, sed specialiter duntaxat uni vel alteri, nullum habet valorem taxatum à lege, nec à communi æstimatione (utpote qui non taxatur, nisi pensatâ, adeòque & cognitâ utilitate ipsius) secùs debitum certum, & liquidum centum florenorum; quod communi sapientum æstimatione haud dubiè valet centum, nec à sapientibus permittitur minoris emi, nisi respectivè ad eos, in quibus specialiter locum habet titulus aliquid diminuens de valore illius.

Quidquid de his sit, non est dubium in- 696
justos esse Officiarios Principis, quibus incumbit debita Principis activa exigere, passiva solvere, si à creditoribus ipsius minoris emant debita difficilis solutionis, dum istius difficultatis ipsi sunt causa injusta, solutionem negando, vel differendo, iis in circumstantiis, in quibus justa non est causa negandi, vel differendi. Quia ex justitia tenentur cautam illam, seu difficultatem tollere, absque mora, & difficultate solvendo. Nec possunt cum noto sibi creditore pacisci, ut intuitu solutionis ipsi factæ, præ alio, æquale jus habente, aliquid remittat de debito, in Registro Principis interim scribendo, se solvisse centum v. g. ubi non solverunt nisi octoginta. Neque enim, ubi æqualia sunt jura, unum alteri præferre possunt (per se loquendo) sed ex officio tenentur omnibus solvere, si non totum (ob impotentiam) ad minus partem, servatâ jurium proportione, & antiquitate.

Et quamvis (speculativè loquendo) acci- 697
pere possint gratuitum donum, sibi à creditore factum, ob specialem ipsius curam, intra justitiæ limites habitam: rectè tamen monet Cardinalis de Lugo, id in praxi valdè periculosum esse. Facilè namque inde fit, quòd similibus donis illecti, creditoribus, ipsique domino injuriam faciant. Et ideò Deuteron. 16. 19. scriptum est: *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.*

Alia hìc quæstio, occasione præmissorum, 698
resolvenda proponitur circa casum sequentem: Cajus debet Principi mille: Princeps debet etiam Titio mille. Cajus sciens debita passiva Principis, ob difficultatem solutionis communiter contingentem, posse minoris emi, hanc ad lucrandum excogitat industriam: impetrat à Principe debiti commutationem, ut scilicet mille florenos, quos debebat Principi, solvat Titio, in se transferendo debitum passivum Principis. Deinde

de creditum, seu chyrographum Titii ab ipso Titio multò minoris emit, v. g. centum. Et sic loco mille, quos Principi debebat, Titio solùm solvit centum. Anne hoc licitè & justè?

699 Negat Molina. Affirmat Lugo. Mihi videtur posse distingui, posseque hoc licitè fieri, si Cajus primò emisset chyrographum Titii, & posteà à Principe impetrasset debiti commutationem: secùs si, post impetratam commutationem, ad Cajum devoluta foret obligatio Principis solvendi sine difficultate, dum fieri potest. Cùm ergo jam deberet ipse sine difficultate solvere, injustè difficultatem redimeret. In priore verò casu obligatio sine difficultate solvendi Titio, non foret in Cajo, sed in Principe: & ideò Cajus posset minoris emere chyrographum Titii, ob annexam difficultatem obtinendæ solutionis à Principe, tanti utique minoris, quanti difficultas ista vulgò æstimatur. Neque enim ipsi nocere deberet futura ipsius industria, bonaque fortuna, modò sincerè, ac sine fraude ac fictione totum perageret.

CAPUT LXV.

Proxenetæ, vel Factores, seu alii, quibus aliquid committitur vendendum, vel emendum nomine committentis, si vendant supra, vel emant infra constitutum sibi pretium, non possunt quod supra, vel infra est, sibi retinere.

700 Manifesta est injustitia ipsorum, si aliquid de pretio sibi retineant, dum non vendiderunt ultra, nec emerunt infra pretium sibi à domino constitutum, dum etiam dominus nullam taxam fecit. Quia intentio domini tunc esse censetur, ut sua res vendatur quanti poterit, & quantò minoris ematur.

701 Manifestam quoque injustitiam committunt, alieno nomine ementes, dum supra latitudinem justi pretii merces emunt in gratiam venditoris, vel mercem malam emunt pro bona, unius qualitatis pro alia, &c. Quia committentem fraudulenter decipiunt, in damnum ipsius: ideòque ipsi restituere tenentur, quanti interest non esse deceptum, ipsumque indemnem reddere, sive damnum inde causatum compensare. Quia causa sunt injusta illius.

702 Quæstio ergo procedit, dum venditio & emptio fit intra latitudinem justi pretii, dum aliquis v. g. vendit rem domini summo pretio, cùm dominus medium, vel infimum taxasset; vel rem ipsi emit infimo pretio, cùm dominus permisisset emi pretio medio, vel summo. Quæstio (inquam) est, utrùm ille, qui alieno nomine taliter vendidit, vel emit, sibi retinere possit illud plus quo vendidit, vel istud minus quo emit supra vel infra taxatum sibi à domino pretium?

703 Respondeo non posse, si ad hoc diligentiam extraordinariam seu indebitam non adhibuerit, & istud plus vel minus ipsi pro mercede dominus non concesserit. Quia nullo legitimo titulo retinere potest, sive illud plus, sive istud minus. Merx quippe vendita non est venditoris, qui non suo, sed domini nomine eam vendidit; pretium proinde ipsius (cùm succedat loco mercis, sitque veluti fructus ipsius) pariter domini est: cùm unaquæque res domino suo debeat fructificare. Nec dici potest fructus magis quàm pretium industriæ venditoris: cùm non detur quia industria, sed quia merx vendita tanti valet.

Accedit, quòd mandatarius, qui mandatum accepit à domino, domini commoda fideliter procurare debeat, qui non præsumitur pretium venditionis taxasse, nisi ut minori vendere non posset, nec pretium emptionis, nisi ut non emeret majori. Unde mandatarius non potest nisi contra officium boni viri taxam illam in sua lucra convertere. Nec id potest nisi injustè. Vel enim mandatum accepit factâ conventione de certo stipendio pro opera & labore suo, vel absque conventione? Si factâ conventione, nihil ipsi ex justitia debetur pro opera sua, utpote quam debet ex officio proxenetæ, seu factoris, vel famuli, si talis sit; præstareque censetur ex amicitia, si talis non sit, juxta L. *obligatio* ff. mandati, ubi sic: *Mandatum .... originem ex officio, atque amicitia trahit. Contrarium porrò est officio merces.* 704

Enimverò, *quid* (absque mercedis conventione) *recipis mandatum* (ait Tullius in Orat. pro Sexto Roscio) *si .... ad tuum commodum conversurus es? Cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officis & obstas? .... idcircò turpis hæc culpa est, quòd duas res sanctissimas violat, amicitiam & fidem. Nam neque mandat quispiam, nisi amico, neque credit, nisi ei quem fidelem putat. Perditissimi igitur est hominis, simul & amicitiam dissolvere, & fallere eum, qui læsus non esset, nisi credidisset*, nec operâ tuâ, velut amici, usus fuisset, sed fidelioris amici operam quæsiisset, si mercedem absque conventione, velle te credidisset. Tibi proinde imputare debes, quòd non conveneris; quia absque conventione ex justitia non debetur operæ merces. Saltem certum est liquidò non deberi tantam, quanta est majoritas vel minoritas pretii, de qua est præsens quæstio. Eam igitur compensationis titulo justè tibi applicare non potes. Cùm certum sit occultam compensationem non habere locum, ubi debitum non est liquidum. 705

Dixi 1°. *si diligentiam extraordinariam & indebitam non adhibuerit.* Quia si eam (absque mandato domini) adhibuisset (v. g. pergendo in aliam civitatem distantem) aliàs non venditurus ultra, vel non empturus infra pretium à domino taxatum, Sylvester, Navarrus, Ledesma, Salas, &c. probabiliter docent posse tunc excessum sibi retinere, 706

velut fructum induſtriæ ſuæ: utpote acquiſitum ultra diligentiam ſibi injunctam, modò interim nihil de debito omiſerit ſervitio. Maximè cùm dominus ab ipſo non cenſeatur exigere niſi pretium, quod per ordinariam acquirere poteſt diligentiam; eò quòd ad extraordinariam regulariter nemo teneatur.

707 Dixi 2°. *ſi iſtud plus vel minus ipſi pro mercede dominus non conceſſerit*, per explicitam ſcilicet vel implicitam conventionem; quam implicitè facere cenſetur cum proxenetis ex officio, dum aliud ipſis ſtipendium non promittit, nec ſolvit (quia ſtipendium ipſis debetur) non autem cum famulis, mercede conductis ad ſerviendum domino, cujus proinde negotia fideliter peragere debent, abſque alia mercede; non etiam cum amicis, quorum operam velut gratuitam dominus admiſit, aliàs non admiſſurus, ſed vel per ſe venditurus, aut empturus, vel uſurus operâ famuli, vel amici non mercenarii. Si tamen dominus facilè advertere potuiſſet, te non offerre gratis operam tuam, ob magnam tuam paupertatem; jus habere videris ad poſtulandam mercedem ſervitii tui, niſi fuerit valdè leve. Verùm ne in hoc quidem caſu aperienda eſt janua occultæ compenſationis, per retentionem exceſsûs ut ſuprà (prout aperit Tamburinus) ſed aliâ viâ merces quærenda eſt, ob ea quæ infrà latiùs exhibebimus, dum de occulta compenſatione.

708 Objicies 1°. ille cui demandata eſt rei alienæ venditio, poteſt illam emere ſibi pretio à domino conſtituto, & ſic, factam ſuam, aliis ſummo revendere pretio. Ergo ſaltem tunc ſibi retinere poterit quod ſupra pretium à domino conſtitutum acceperit, uti poſſe docent Leſſius, Tamburinus, &c.

Reſpondeo id ſpeculativè quidem videri probabile, dummodò omnia ſincerè ac ſeriò fierent; ſed in praxi non admittendum. Tum quia dominus præſumendus non eſt tali modo commiſiſſe rem ſuam divendendam, ut commiſſarius eam ſibi conſtituto emere poſſet pretio, ante factam diligentiam ad inveniendum emptorem plus offerre paratum: cùm domini intentio eſſe ſoleat, ut res ſua vendatur quanti poterit, intra limitem juſti pretii; nec pretium conſtituere ſoleat, ne aſcendatur ſuprà, ſed ne deſcendatur infrà.

Tum quia in praxi periculum eſt palliandi furtum per fictum ſibi emendi animum, qui (à communiter accidentibus) jure timeri poteſt: cùm rarò contingat, talem in ſe rei periculum ſeriò velle ſuſcipere, ſed certum duntaxat lucrum: cujus argumentum eſt, quòd rarò contingat, ejuſmodi hominem ſeriò ac ſincerè decernere ex propriis bonis ſolvere taxatum à domino pretium, quidquid acciderit, illudque de facto ſolvere, dum invenire non potuerunt, qui pretium illud offerret.

709 Objicies 2°. extra illum etiam caſum videtur id fieri poſſe ab eo qui non eſt famulus, nec ſui laboris mercedem accipit: quia plus quod accipit, accipit tamquam fructum induſtriæ ſuæ. Quo titulo id concedit Angelus verbo *emptio*, & probabile dicit Buſembaum l. 3. tr. 5. c. 3. dub. 8.

Reſpondeo, vel ille qui adhibuit induſtriam eſt famulus, ſeu aliàs mercede conductus, vel non? Si primum, induſtriam illam debebat domino, niſi extraordinariam & indebitam adhibuiſſet. Si ſecundum, ſi (inquam) rem alterius gerendam ſuſceperit abſque conventione, gratis præſumitur ſuſcepiſſe, nihilque, velut ex juſtitia ſibi debitum, juſtè poteſt retinere.

Objicies 3°. quidni ſartores, quibus commiſſio data eſt emendi pannum, ſi emerint infra taxam, poſſint illud quod infra taxam eſt, ſibi retinere, titulo temporis in emptione perditi, lucrique inde ceſſantis, ſaltem dum venditor, in gratiam ipſorum, gratiam aliquam ſe facere dicit, ut officinam ipſius frequentent? Iſto caſu poſſe ſibi retinere, quod à venditore condonatum eſt, aſſerunt Filiutius tr. 35. c. 6. n. 14. Lugo diſp. 26. n. 153. Tamburinus §. 10. n. 1. Diana p. 1. tr. 8. reſol. 26. cum tribus tamen limitationibus. 1ª. eſt, ut ſartores illi moralem non omittant diligentiam emendi in gratiam domini, viliori quo poſſunt pretio. 2ª. ut furtum non pallient, reddendo ſe faciles tunc vel aliàs in licitando, ut aliquam inde remunerationem à venditoribus accipiant. 3ª. ut lucrum retinere non poſſint, ſi venditores ſolùm dicant, eo ſe pretio vendere in gratiam ſartorum in generali, & non ipſorum in particulari. Quia tunc ſenſus eſt, quòd eo pretio vendant, ut ſartores in generali frequentent officinam ipſorum. 710

Reſpondeo ſartores aliquid de pretio ſibi retinere non poſſe titulo temporis perditi, lucrique inde ceſſantis, niſi de eo convenerint. Seclusâ quippe iſtâ conventione, cenſentur ſe gratis offerre, ut ipſis potiùs quàm aliis veſtes conficiendæ committantur; nec dominus præſumendus eſt panni emptionem ipſis commiſſurus, ſi ſciret ipſos eo prætextu compenſationem occultè accepturos. Non poſſunt etiam ſibi aliquid retinere, ſub prætextu quòd ab aliis mercatoribus potuiſſent cariùs emere; quia eo ipſo quo mandatum ſuſceperunt, obligationem ſuſceperunt moralem adhibendi diligentiam emendi quoad fieri poterat viliùs. Nec denique ſub prætextu quòd adhibitâ morali diligentiâ, mercatores omnes ſummo vendere volebant pretio, uno excepto, qui dixit ſe medio vendere, vel infimo, in gratiam ipſorum. Tametſi enim in hoc caſu id primâ facie licitum videretur in ſpeculatione, ſervatis tribus conditionibus in objectione memoratis, in praxi vix juſtificari poteſt. Primò, quia emptores iſti utplurimùm adulantur ſibimetipſis, dum credunt lucrum illud ſibi condonari, non committenti. Ipſi etiam mercatores id ſar- 711

toribus

toribus dicentes, ipsis utplurimùm adulantur, fingendo se condonare, quod non condonant, vel id solùm dicendo per modum complimenti, ad alliciendos sartores. Secundò, etiamsi meliori revera pretio emerent, ob id quòd ipsorum officinam frequentarent, scire equidem debent, emendi curam isto intuitu ipsis præ aliis committi, aliàs non committendam: quia committentes per se, vel per gratuitos amicos aliàs emerent. Igitur committentes decipiunt, dum isto prætextu aliquid sibi retinent. Tertiò, ratio ob quam merces viliori ipsis pretio venduntur, est frequentia similium commissionum; quæ cùm non proveniat ex ipsis, sed ex committentibus, ipsis non debet fructificare, sed committentibus.

CAPUT LXVI.

Grandis injustitia rei sunt mercatores, monopoliis caritatem inducentes, vel pretia rerum augentes.

712 *Monopolium* est clandestina machinatio paucorum mercatorum, ex compacto inter se conspirantium, ut ipsi soli certum genus mercium vendant eo, quod ipsi constituerint, pretio. Quod ut assequantur, vel 1°. unus aut pauci, omnes unius generis merces vili pretio emunt tempore abundantiæ, servandas in tempus majoris caritatis, donec scilicet aliæ exhauriantur, ut, inductâ raritate, vel penuriâ, pro suo eas libitu vendant. Vel 2°. plures inter se conspirant de non vendendis mercibus, nisi pretio tali, & non minori. Vel 3°. unus, aut pauci impediunt, ne major copia mercium certi generis aliunde in civitatem inferatur, ut suas istius generis merces cariùs divendant. Vel 4°. falsis prætextibus expositis, per subreptionem impetrant à Principe privilegium, ut ipsi soli merces hujusmodi vendant, earum pretio à Principe, vel Magistratu minimè constituto. Vel 5°. dum mercatores, annonæ, vel aliarum mercium ad humanos usus necessariarum, pretium brevi minuendum prævidentes, eò quòd naves iis onustæ mox ad portum sint adventuræ, falsum rumorem, vel litteras fictitias in vulgus spargunt, naves illas periisse, vel ab hostibus captas esse, ut ejusmodi figmentis mercium pretium augeatur. Vel 6°. monopolium ab artificibus exercetur, dum inter se conspirant, ut ne quis opus ab altero inchoatum perficiat.

713 Omnia ista monopolia prorsus injusta sunt, humano generi exitiosa, commerciorumque æquitati, & sinceritati, juri gentium, divinis & humanis legibus adeò repugnantia, ut eorum authores, & participes, præter enormia peccata contra justitiam, & charitatem proximi (cujus miserias per suam malitiam accumulant) teneantur ad restitutionem tam gravem, ut vix totâ vitâ possint sufficere (ait Massonus ad 7. Decalogi præceptum tabulâ 2.) nam præter excessivum pretium, cui cursum dederunt, tenentur de consequentiis laboris pauperum vilissimo pretio conducti, supellectilis pro obolo venditæ, &c. quæ omnem æstimationem excedunt. Ita ille, maximè loquens de monopolistis caritatem suis monopoliis inducentibus circa necessaria ad vitam.

Porrò omnia monopolia supradicta injusta esse, meritò docent S. Raymundus l. 2 tit. de usur. & pignor. §. 9. Gabriel in 4. dist. 15. q. 10. a. 5. dub. 2. Major ibidem q. 41. Angelus verbo *negotiatio* in fine, Sylvester, Cajetanus, Navarrus, Binsfeldius, & passim Antiqui. Et 714

probatur 1°. ex Scriptura Amos 8. *Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit mensis, & venundabimus merces: & sabbathum, & aperiemus frumentum: ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus.* Quem locum Vatablus, Dionysius Carthusianus, à Castro, & alii exponunt de avaris frumentipolis, qui dum vident frumentum vilis esse pretii, illud recondunt, ut tempus hoc transeat, & succedat tempus inopiæ, quo illud cariùs vendant, hoc pacto frumenti augentes caritatem, juxta illud, *augeamus siclum*, id est augeamus frumenti pretium, *efficiendo ut carius sit*, prout idem Dionysius Carthusianus exponit cum Remigio, Lyrano, aliisque sacris Interpretibus. Quod quale, & quantum sit peccatum, declaratur ibidem, cùm dicitur, quòd sit *contritio*, sive oppressio pauperum, & ibidem ponitur inter alia injustitiæ peccata, scilicet eorum qui mensuris, & stateris utuntur dolosis, fraudulentisque mixtionibus quisquilias & paleas vendunt cum frumento. Unde S. Raymundus loco citato dicit, *tamquam nefandas belluas detestandos, qui eâ intentione emunt aureos, vel alias monetas, vel res venales, & præcipuè victualia, ut de talibus caristiam inducant.*

Secundò, ex Concilio Toletano IV. c. 715
66. ubi sic: *Si illi qui nullas ex rebus suis pauperibus distribuunt, æterni judicii voce condemnabuntur in futuro; quantò magis ii qui auferunt quod non dederunt?* Refertur can. *etsi illo* 12. q. 2. Pauperibus verò auferunt quod non dederunt, id est rapiunt & furantur, qui per monopolia caritatem in rebus ad vitam necessariis inducunt: quia pauperes cogunt pro obolo vendere supellectilem suam, ut habeant unde sibi victualia necessaria comparent.

Tertiò, ex sanctis Patribus, monopolia 716
uno ore vocantibus *latrocinia, diraque crudelis avaritiæ germina, nequitiæ fraudulenta commenta, &c.* Siquidem Ambrosius lib. 3. officior. c. 6. Monopolistam alloquens, frumenta seu aliàs ejusmodi merces coacervas-

tem, & in tempus caritatis asservantem, *Cur* (inquit) *ad fraudem convertis naturæ indulgentiam? Cur invides usibus hominum publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis à pauperibus sterilitatem? Cùm enim non sentiant beneficia fœcunditatis, te auctionante pretium, te condente frumentum, optant potiùs nihil nasci, quàm te de fame publica negotiari. Ambis frumentorum indigentiam..... Tunc messem tuam venisse lætaris. Tunc tibi de omnium miseria congeris opes. Et hanc tu industriam vocas, hanc diligentiam nominas, quæ calliditatis versutia, quæ astutia fraudis est. Et hoc tu remedium vocas, quod est commentum nequitiæ. Latrocinium, an fœnus appellem? Captantur tamquam latrocinii tempora, quibus in visceribus insidiator durus obrepas. Lucrum tuum, damnum publicum est. Joseph sanctus omnibus aperuit horrea, non clausit. Rectè Salomon:* „ Qui continet „ (*inquit*) „ „ frumentum, relinquet illud nationibus, non „ hæredibus; „ *quoniam avaritiæ emolumentum ad successorum jura non pervenit. Quod non legitimè acquiritur, quasi ventis quibusdam, ita extraneis diripientibus dissipatur.*

717 Similia habet Nazianzenus orat. 8. & 15. Isidorus Pelusiota l. 3. epist. 81. hujusmodi Monopolistas *sævos & crudeles Dardanarios* vocat. *Injustos, atque è terra exterminandos*, diù ante ipsum dixit Apollonius epist. 81. *Terra mater est omnium: justa enim est. At vos, cùm injusti sitis, vestram duntaxat matrem eam effecistis; & nisi desisteritis, perficiam ut vobis in ea consistere non liceat.* Maledictos appellat Chrysostomus orat. in calendis habita: *Maledictus, qui rei frumentariæ caritatem auget.*

Alludit ad sacrum istud Oraculum: *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis; benedictio autem super caput vendentium* (Proverb. 11.) Quod idem Chrysostomus Homil. 39. in 1am. ad Corinth. sic vertit: *Qui frumenti auget pretium*, (illud coacervando, & abscondendo) *est populo execrandus*, divinæque in eos ultionis exempla refert ibidem. Videri etiam potest Hieronymus in illud Amos 8. *Audite hoc qui conteritis pauperem*, &c. de quo suprà.

718 Quartò, ex L. *jubemus* l. 4. Cod. tit. 59. de monopoliis, ubi sic: *Jubemus, nequis cujuscumque vestis, vel piscis.... vel cujuslibet alterius ad victum, vel ad quemcumque usum pertinentis speciei.... pro sua authoritate, vel sacro.... Rescripto, aut pragmatica Sanctione.... monopolium audeat exercere; nevè quis illicitis habitis conventionibus conjuret, aut paciscatur, ut species diversorum corporum negotiationis, non minoris quàm inter se convenerunt, venundentur. Ædificiorum quoque artifices.... aliorumque diversorum operum professores, & balneatores, penitùs arceantur pacta inter se componere, ut ne quis, quod alteri commissum sit, opus impleat, aut injunctam alteri necessitudinem alter intercipiat.... Siquis autem monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis exspoliatus, perpetuitate damnetur exilii*, &c.

Quintò, ratione, quia quantùm ex allatis sacris Oraculis, Patrum testimoniis, communique majorum sensu colligimus, nullus habet jus, privatâ authoritate, monopoliis publicam inducendi caritatem, merciumque augendi pretia in publicum damnum: quandoquidem rerum communium divisio, negotiationes, & commercia, jure gentium introducta non fuerunt, ut his in Reipublicæ detrimentum, & publicam inopiam inducendam uti fas esset ac justum, sed sic ut qui rerum, præsertim ad vitam necessariarum, haberent copiam, in sola sua privata lucra, cum publico damno, communem non converterent naturæ indulgentiam, communibus usibus subtrahendo publicos illius partus; auferendo populis abundantiam, quam terra, communis omnium mater, omnibus parit; tunc denique rerum augendo pretia: cùm (secundùm concessam à Deo & natura rerum copiam) forent potiùs minuenda, ut saltem eatenùs omnes communi fruerentur beneficio, qui ab initio communi fruebantur dominio.

Hinc consequens est 1°. eos qui, communem subtrahendo abundantiam, caritatem inducunt & penuriam, defraudare populum beneficio omnibus à Deo, & jure gentium concesso, jurique primævo & naturali plurimùm adversari. 719

2°. populum habere jus, ut dum à Deo, & natura indulta est rerum copia, privatâ tunc authoritate non augeantur earum pretia, nec quispiam privatâ authoritate monopoliis, & similibus machinationibus earum caritatem inducat in publicam calamitatem vertendo publicum communis matris partum. 720

3°. mercatores, qui conspirando, vel collectas merces retinendo, caritatem inducunt, supra summum (quod de facto est) pretium, teneri ad restituendum istud auctarium, sicut & ad compensanda damna omnia inde secuta. Cùm auctarium istud sit injustum: eò quòd pretium justum taxandum sit ex abundantia, vel penuria mercium in loco ubi taxatur; adeòque ubi eadem abundantia, cæteris paribus, idem esse debeat pretium. 721

Nec dici potest, pretium idem esse debere, ubi eadem est abundantia mercium proximè venalium, sive quas mercatores parati sunt hic & nunc vendere. Secùs, si solùm venales sint remotè, & in actu primo: eò quòd mercatores parati non sint eas vendere. Quia ratio allata probat injustitiæ reos esse mercatores, dum monopolio efficiunt proximè, & in actu secundo venalem non esse mercium abundantiam, quam communis mater in publicos usus omnibus peperit. 722

4°. monopolium, quo mercatores inter se conspirant, non vendere merces, nisi supra pretium summum hodie currens, teneri ad 723

restituendum excessum illum & damna. Quia conspiratio ista est de facienda injustitia: cùm vendere supra summum pretium, injustum sit.

724 Sed duplex hinc nascitur quæstio. 1ª. an aucto jam per tale monopolium pretio, alius, qui monopolii non est particeps, possit eo pretio vendere? 2ª. an liceat monopolium istud venditorum, alio repellere monopolio emptorum, conspirantium non emere nisi infra pretium hodie currens?

725 Ad 1am. respondeo negativè cum Lopez, Rebellio, & aliis apud Dianam p. 1. tr. 8. resol. 24. contra Bonacinam, Reginaldum, &c. Quia nemini licet injusto vendere pretio. Pretium verò auctum per tale monopolium, injustum est, solumque illud justum, quod communi æstimatione, absque fraude & monopolio currit, habitâ ratione copiæ vel inopiæ mercium.

726 Nec refert quòd sublatâ per injusta bella & latrocinia, mercium copiâ, liceat augere pretium. Quia non ideò licet illud augere, quamdiù eadem est in loco copia & abundantia quæ fuit antè.

727 Ad 2am. videtur, quòd sic speculativè loquendo, modò id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ; ut utrimque veniatur ad æqualitatem, dum ad eam aliter veniri non potest. Quia tunc peccatum peccato non repellitur, nec injustitia per injustitiam: cùm justum sit vim vi repellere, cum dicto moderamine. Sed casus quo venditorum monopolium aliter repelli non potest, videtur metaphysicus, & ideò negativa responsio in praxi est sustinenda: quidni enim illud venditorum monopolium repelli queat, vel recursu ad Magistratum, vel præcisè monopolio non emendi nisi intra limites currentis hodie pretii?

728 5°. denique ex dictis sequitur, etiam monopolium de non vendendo merces, nisi pretio summo, intra latitudinem justi pretii, esse prorsus injustum. Quia licèt pretium illud summum sit justum; est tamen prorsus injustum, quòd venditores monopolio, adeòque fraude, impediant ne emptores emant pretio inferiori: quia cùm & istud justum sit, jus habent, ut nec vi, nec ullâ fraudulentâ machinatione impediantur eo emere. Et ista communis est doctrina Veterum ac Recentiorum, contra Molinam, Lessium, Arragonium, &c. Quandocumque ergo mercium pretia lege non sunt taxata, nullus privatâ authoritate justè cogi potest ad emendum pretio summo, sed jure gentium æqualis esse debet vendentium, ementiumque fortuna, æqualisque facultas, sive emendi, sive vendendi, modò infimo, modò medio, modò supremo pretio, prout occasio tulerit ex æquo, seclusis utrimque mediis iniquis, & conventionibus æqualitatem illam & facultatem è medio tollentibus.

CAPUT LXVII.

Convelluntur fundamenta contrariarum opinionum.

729 Objicies 1°. cum Molina, Lessio, Dicastillo, Bonacina, injustum non est monopolium, quo unus, vel pauci mercatores, tempore abundantiæ, omnes unius generis merces, absque vi & fraude, vili emunt pretio, asservandas in tempus majoris caritatis. Qui enim jure suo utitur, nemini injuriam facit. Quilibet verò habet jus emendi quantum voluerit, servandi quamdiù voluerit, & cariùs vendendi, dum tempus majoris caritatis venerit: quemadmodùm quilibet habet jus merces alio transportandi, ubi cariores sunt, licèt ex hoc caritas inducatur in loco unde asportantur.

Respondeo negando antecedens: quia tametsi quilibet habeat jus ad ista seorsim; non tamen habet jus ad ista facienda conjunctim, cum inductione publicæ caritatis, quam nemini privato inducere licet, ad seipsum locupletandum. Unde nec licita est asportatio illa mercium, iis in circumstantiis, in quibus causa est publicæ caritatis, calamitatisque. Multæ proinde actiones seorsim licitæ sunt, illicitæ conjunctim, quando ex earum conjunctione resultat aliquid contra jus publicum, vel contra jus proximi privatum. Neque enim illicitum est manu tangere rem alienam, non manum claudere, non aufugere; conjunctim tamen actiones illæ non sunt absque furti scelere. Et ideò res morales cum omnibus circumstantiis suis conjunctim, non seorsim, & quomodolibet sunt considerandæ.

730 Instabis, Joseph Patriarcha, tempore abundantiæ, vili pretio emit omnia frumenta Ægypti, posteà cariùs venditurus.

Respondeo Joseph non coacervasse & asservasse frumenta, ut caritatem induceret (prout faciunt Monopolistæ) sed *majoris dispensationis gratiâ. Utrumque enim norat, nimirum & rectè colligere, & rectè annonam tribuere; quemadmodùm & famen prospicere, & eminùs ei obsistere*, ait Nazianzenus orat. 15. nec ipse cariùs frumentum vendidit, nisi dum absolutè minor fuit illius copia, & major inopia; unde nec causa fuit istius caritatis, nec inopiæ, nonnisi successivo tempore frumentum dispensando; sic enim provida dispensatio in publicum exigebat bonum. Si enim totum primo, vel secundo, vel tertio, &c. vendidisset anno, reliquis sterilitatis annis populus fame periisset.

731 Objicies 2°. cum Caramuele Theol. Intention. n. 849. non videtur magis injustum monopolium, quo viginti mercatores vini v. g. (præter quos vix alius vinum vendit) inter se conspirant, illud non vendere nisi supra summum pretium hodie currens;

quàm injustum sit monopolium, quo viginti emptores (præter quos vix alius vinum emit) inter se conspirant, illud non emere, nisi infra pretium infimum hodie currens. Puto enim (inquit) aliud esse cooperari, ut mutentur pretia, sive ut res majori pretio vendantur, vel minori emantur; aliud cooperari, ut vendantur majoris, vel emantur minoris quàm valeant. Solet namque contingere, ut pretium, quod heri erat minus minimo, hodie sit minimum, summum, vel etiam majus maximo. Quid ergo injustitiæ, imò quid mali, si illi viginti emptores, conspiratione factâ, tamdiù relinquant vinum, donec, ob emptorum penuriam, diminutum sit illius pretium?

Respondeo negando antecedens: quia ex præmissis constat, ejusmodi monopolium, sive ex parte emptorum, sive ex parte venditorum, esse injustum: eò quòd justitia non permittat, privatis machinationibus, & monopoliis, negotiari in publicum damnum; nec efficere ut iis in circumstantiis, rerum augeatur, vel minuatur pretium, in quibus ob earum copiam foret minuendum, vel ob inopiam augendum. Quia sola tunc avaritia fraudulenta iftius augmenti, vel diminutionis est causa. Avaritia verò fraudulenta esse nequit causa justa.

732 Objicies 3°. mercatores, jam habentes copiam frumenti, vini, vel aliarum mercium, conspirare possunt cum exteris, vel saltem ipsos precibus, & suasionibus, absque fraude, & violentia impedire, ne aliud frumentum, vel vinum, &c. importent in civitatem, ut sic eas quas habent merces cariùs vendant. Ergo similiter conspirare possunt inter se, vel saltem se invicem precibus, & suasionibus, absque fraude, & violentia impedire, ne venales exponant quas habent merces, ut sic merces quas habent cariùs vendant. Consequentia bona est à paritate rationis. Antecedens admittitur à Lessio, Filiutio, Palao, Bonacina, Diana, &c. quia cives (inquiunt) non habent jus ad hoc, ut merces illæ importentur in civitatem, nec ad emendum illas, antequam importentur, & venales exponantur. Illi ergo, qui absque vi, & fraude impediunt ne importentur, non faciunt civibus injuriam, magis quàm faciat injuriam Petro, qui sine vi, & fraude impedit amicum, ne beneficium ipsi conferat.

733 Plus audet Caramuel n. 852. Dicit enim quòd etiamsi mercatores vi, vel fraudibus & mendaciis, exteros impedirent, ne frumenta in civitatem importarent, ne tunc quidem civibus injustitiam facerent, nec ad restitutionem ullo modo tenerentur. Quia aliud est capere quod tuum est, aliud impedire ne aliquid fiat tuum. Mercatores verò illi non auferunt civibus aliquid quod suum est, sed faciunt ne fiat suum. Ita ille, subjungens, omnia hæc à se disputando dicta esse.

734 Verùm-enimverò, utinam pro extirpanda potiùs, quàm pro fovenda mercatorum avaritia, disputasset, & pro doctrina Sanctorum propugnanda, potiùs quàm impugnanda. Cùm enim radix omnium malorum avaritia, tam latè, proh dolor! per humanum genus diffusa, cives armet in cives, filios in patres exacerbet, latronibus terram, mare pyratis, urbes tumultibus, omnia confusionibus & injustitiis repleat, ita ut (divinâ testante Scripturâ) *avaro nihil scelestius, & nihil iniquius quàm amare pecuniam*: quid est quòd pro illius veluti patrocinio adeò disputar, ut contra Sanctorum doctrinam justa esse contendat omnia penè monopolia, quæ ipsi vocant latrocinia, diraque crudelis avaritiæ germina?

Ad objectionem ergo respondeo, machi- 735
nationes & conspirationes omnes, quibus publicam caritatem positivè causant privati mercatores, sive impediendo ne merces in civitatem importentur, sive ne importatæ venales exponantur, esse contra justitiam. Quia tametsi cives non habeant jus ad hoc, ut merces ab extraneis importentur, jus habent ne earum importatio, ad inducendam publicam caritatem, ab intraneis positivè impediatur.

Nec refert quòd non sit injurius Petro, 736
qui ipsum, absque vi & fraude impedit à consecutione beneficii. Quia dum de publico non agitur damno, sed de privato duntaxat (prout ibi) justitia non prohibet, proprium, vel amici bonum, alterius privati bono præferre, ipsumque ab acquisitione illius citra vim & fraudem præoccupando impedire; prohibet autem, ne, contra jus gentium, quidpiam negotiatores machinentur in publicum damnum, publicam inducendo caritatem, in solumque privatum emolumentum commune naturæ convertere beneficium.

Quod verò Caramuel addit, injustos non 737
esse mercatores, dum vi & fraude exteros impediunt, ne frumenta in civitatem importent, &c. à Theologo Christiano adeò est alienum, adeò communi sensui dissonum, adeò Patribus, & Doctoribus omnibus adversum, ut refutatione non tam egeat, quàm explosione. Omnibus quippe hactenùs naturæ lumen persuasit, unumquemque habere jus, ne vi & fraude impediatur à consecutione bonorum, quæ justè vult, & potest consequi: quemadmodùm unusquisque habet jus, ne acquisitis, vi & fraude privetur. Sed de hoc aliàs.

Objicies 4°. saltem injusti non sunt mer- 738
catores, quando ex ipsis unus vel pauci impetrant à Principe privilegium, quo sibi solis liceat certum genus mercium in patriam, vel in civitatem inferre, vel ibi divendere.

Respondeo in eo injustos non esse, si id obtineant veris & bonis rationibus (v. g. ob graviores expensas, probabiliaque ingentis damni pericula, quæ ipsos subire oportet ad mer-

ces illas inferendas, quibus mercatores se exponere nollent, nisi accepto simili privilegio: eò quòd nullo lucro, & magno fortè dispendio id facerent, si earumdem mercium illatio & venditio aliis permitteretur) nec per hoc ipsi caritatem inducunt, nec merces ultra justum pretium vendunt; sic enim Typographi, magnarum expensarum impressionem aliquam suscipientes, absque ulla injustitia impetrant à Principe privilegium, ut ipsi soli librum talis vel talem imprimant, & divendant, ne alioqui dispendium magnum incurrant, &c.

CAPUT LXVIII.

Variæ recensentur injustitiæ mercatorum, res defectuosas vendentium.

739 REi venalis triplex vitium contingit, vel scilicet in substantia, sive quoad speciem; vel in quantitate; vel in qualitate. In substantia, dum venditur quid pro quo, sive res unius speciei pro re alterius speciei, v. g. vitrum pro gemma. In quantitate, dum quantitas minor pro majore venditur. In qualitate, dum id quod non est tale, venditur pro tali, v. g. equus defectuosus pro non defectuoso.

740 Prima ergo injustitia mercatorum est, dum scienter vendunt rem defectuosam in substantia; quem defectum si emptor ignoraverit, contractus est nullus, ob defectum consensûs & voluntarii. Et *si eum venditor cognoscat in re quam vendit, fraudem committit in venditione, unde venditio illicita redditur.* S. Thomas q. 77. a. 2. id probans ex IIa. 1. ubi dicitur contra quosdam: *Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aquâ. Quod enim permixtum est* (prosequitur S. Thomas) *patitur defectum quantùm ad speciem.* Nec solùm in hoc casu *venditor peccat, injustam venditionem faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur. Si verò ex ignorantia id fecerit, venditor quidem non peccat, quia facit injustum materialiter .... tenetur tamen, cum ad ejus notitiam pervenerit, damnum recompensare emptori.*

741 Injustitiam ergo committunt caupones, miscentes vinum aquâ, uti constat ex citato Isaïæ loco; sicut & mercatores tritici, qui ei alia miscent semina, vel paleas, aut quisquilias, quos Amos cap. 8. arguit, dicens in persona ipsorum: *Quisquilias frumenti vendamus.* Enimverò priores aquam pro vino, posteriores pro tritico vendunt quisquilias, vel alia semina; atque ita quid pro quo. Quod manifestè injustum est, dum vinum, vel frumentum sic mixtum tanti venditur, ac si foret purum. Et in hoc omnes conveniunt: cùm aquam vendant pretio vini; quisquilias, vel aliud inferius semen pretio tritici.

742 Nec excusantur ex hoc quòd vinum, sic mixtum, æquè vel fortasse meliùs emptori sapiat, quàm si foret purum. Hoc enim per accidens est; sicut per accidens caro porcina rustico æquè vel fortasse meliùs sapit quàm cervina; nec tamen ideò licet ipsi porcinam tanti vendere, quanti cervinam, eò quòd utique secundùm se minoris sit æstimabilitatis & valoris. Atqui vinum aquâ mixtum minoris similiter est æstimabilitatis & valoris, secundùm se, quàm vinum purum. De pretio ergo illius detrahi vult justitia, pro ratione mixtionis.

743 Sed quid in casu quo res ex mixtione non est facta deterior iis quæ communiter venduntur, liceatne tunc eam communi vendere pretio? Affirmant Lopez, Lessius, Bonacina, Serra, & alii apud Dianam p. 4. tr. 4. resol. 51. & probabile videtur in speculatione: quia res æqualis bonitatis, æqualis est valoris; æquali proinde vendi potest pretio. Et quemadmodùm si per alchimiam fieret aurum verum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere (ut S. Thomas docet ibidem ad 1.) sic si frumentum, vel vinum, per admixtionem verè fiat tam bonum, quàm est commune, licet illud communi pretio velut commune vendere.

744 Praxis tamen istius opinionis regulariter non est permittenda, ut benè monent Cardinalis de Lugo, Palao, Layman, &c. Tum quia rarissimè contingit, quòd res per admixtionem non fiat in se deterior, &c. Nam vinum aquâ dilutum faciliùs acescit, &c. Tum quia res mixtas pro puris communi vendere pretio, est contra bonam fidem contractûs: cùm sit emptorem decipere, qui res puras, non mixtas, emere intendit. Tum denique quia praxis illius opinionis mille fraudibus & injustitiis januam aperit: eò quòd lucri cupiditas, in hoc statu naturæ corruptæ, mercatores facillimè excæcet in propria causa, & excæcando efficiat, ut contra veritatem judicent res suas, propter ejusmodi mixtionem, non reddi deteriores iis, quæ passim ab aliis venduntur. Ideòque Facultas Theologica Parisiensis propositionem hanc: *Licitum est tabernariis vinum aquâ miscere, & agricolis triticum paleis, & communi pretio vendere, dummodò deteriora non reddantur eis, quæ communiter venduntur.* Anno 1665. hâc censurâ notavit: *Hæc propositio falsa est, bonæ fidei & publicæ justitiæ contraria.*

745 Dixi *regulariter*: quia D. Antoninus 2. p. tit. 1. c. 17. §. 4. sic habet: *Cùm aliqui sophisticant ea quæ vendunt, ut se servent indemnes, & cum aliquo lucro congruo: quia si venderent puras res, emptores non vellent dare justum pretium, quia alii vendunt alia sic sophisticata, & mixta minori pretio; videntur posse excusari, dummodò non fiant tales mixturæ, quæ noceant humanis corporibus: quod accidere potest in his quæ venduntur in cibum, & potum hominum, & præcipuè medicinalibus.* Sed & hoc in praxi est plerùmque periculosum.

746 Secunda injustitia mercatorum est, dum scienter vendunt res defectuosas in quantitate. De quo casu S. Thomas loco citato sic ait : *Si quis scienter utatur deficienti mensurâ in vendendo, fraudem committit, & est illicita venditio. Unde dicitur Deuteron. 25.* „ Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus, nec erit in domo tua modius major & minor. „ *Et posteà subditur* : „ Abominatur enim „ Dominus eum qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam. „ *Et Proverb. 11. dicitur quòd* „ statera dolosa abominatio est apud Deum. „ Similia habentur c. 20. & Micheæ 6.

747 Et ratio est, quia dum res, deficiens in quantitate, scienter venditur eo pretio, ac si non deficeret, aperta est violatio æqualitatis : eò quòd defectus iste faciat rem minùs valere, quàm alioqui valeret.

748 Unde propter istum defectum, proportionaliter ad illum, semper est de pretio minuendum, sive defectus iste ex aliquo accidenti proveniat, sive venditor ad augendam rei suæ quantitatem, aliquid circa eam fecerit. Quare peccant contra justitiam, qui triticum, sive casu, sive arte madefactum, tanti vendunt, quanti aliàs æstimaretur. Tum quia est corruptioni magis obnoxium. Tum quia per madefactionem turgescit, emptorque in mensura decipitur. Ita cum communi Lopez p. 2. c. 4. in fine. Aliud ejusdem injustitiæ exemplum S. Antoninus ubi suprà §. 5. profert in lanificibus, *qui faciunt trahere pannos ad tractorium ultra debitum : unde posteà madefactus, & tonsus, ut moris est, retrahitur ad longè minorem mensuram. Et isti* (inquit) *fraudem faciunt.*

749 Tertia mercatorum injustitia est, dum vendunt res defectuosas in qualitate, puta (inquit S. Thomas) si aliquod animal infirmum vendatur quasi sanum, vel (ut S. Antoninus §. 6.) *si vendantur carnes infectæ pro sanis, aromata antiquata, & sic virtute debilitata, pro recentibus, liber corruptus & falsus pro fideli, corium fragile pro durabili, vinum corruptum pro sano, domus ruitura pro stabili & firma, pannus defectuosus pro indefectuoso, & hujusmodi.* Et *in omnibus* (prosequitur S. Thomas) *non solùm aliquis peccat, injustam venditionem faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur.*

750 Et quamvis error in quantitate, & qualitate contractum non efficiat nullum; eò quòd non sit error circa substantiam, sed circa accidentia; ideòque non tollat consensum in substantiam. Si tamen vitium erat occultum, emptori conceditur actio redhibitoria (ita ut pro arbitrio contractum rescindere possit, sive recuperare datum à se pretium, merce redditâ venditori) sicut & actio in id quod interest non esse deceptum, ita ut deceptor resarcire teneatur damna omnia, etiam lucri cessantis, quæ deceptus ex tali venditione contraxit. L. *Julianus* suprà, & L. *si vina* ff. de periculo & commodo rei venditæ. Intellige dum dolus causam dedit contractui. Quia si causam ei non dederit, eò quòd emptor nihilominùs emisset, licèt minori pretio, tunc ipsi non competit *actio redhibitoria*, sed solùm *actio quanti minoris*, id est ad recuperandam pretii partem, quantò minoris emisset, si vitium cognovisset. L. *Julianus* citatâ §. *si venditor.* Et L. 1. ff. de ædilitio edicto.

CAPUT LXIX.

Venditor aliquando tenetur rei vitium aperire, non semper. Explicantur casus quibus tenetur, & non tenetur.

751 SUppono aliud esse tacere rei vitium, aliud celare. Quia, ut Diogenes ait apud Tullium lib. 3. offic. *celas, dum quod pandere teneris, non prodis; taces, dum loqui jure non cogeris.* Unde etiam aliud est tacere, sive negativè se habere; aliud verbali, vel reali artificio vitium positivè tegere. Quisquis enim verbali, vel reali artificio vitium tegit, deceptor est : qui autem tacet, negativè se habendo, non censetur deceptor, nisi vitium aperire teneatur, prout colligitur ex S. Thoma quodlib. 2. a. 10. ad 2. dicente, quòd *deceptio non est, si id quod tacetur de re vendita, non facit rem minùs valere, quàm pretium quod pro ea accipitur.*

752 Quòd si venditor èx ignorantia taceat vitium, ad quod aperiendum tenetur, deceptio dicitur intervenire *in ipsa re*; si ex certa scientia, dicitur intervenire *à proposito.* Et hoc duobus modis accidere potest, cum dolo, & sine dolo. *Cum dolo*, dum venditor fingit, vel mentitur aliquid, unde alter decipiatur. *Sine dolo*, dum nihil fingens, nec mentiens, rem quam scit ratione vitii minùs valere, eo pretio vendit, quo venderet absque vitio.

753 De dolo quidem venditor non tenetur, quando nullo verbali vel reali artificio celans rei vitium, solùm in genere extollit eam supra meritum; eò quòd omnibus notum sit, venditores, ad alliciendos emptores, sic communiter loqui per exaggerationem; ipsis proinde omnimodè non credatur; sicut nec emptoribus, rem venalem vituperantibus, juxta illud Prov. 11. *Malum est, malum est, dicit omnis emptor.* De dolo tamen tenetur venditor, quicumque verbali vel reali artificio celat venalis rei vitium, sicque à proposito decipit emptorem, eam ipsi vendendo velut integram, & bonam, quam scit non esse talem, sive emptor de vitio interrogaverit, sive non. In materia proinde gravi mortaliter peccat contra justitiam, sicut & contra veracitatem ac sinceritatem, necnon contra religionem, si addiderit juramentum, teneturque non solùm de pretio injusto, sed & de omni damno secuto, ut si morbidas vendidit oves, à quibus aliæ infe-

ctæ

ctæ sunt; si tigna vitiosa, unde exstructa domus corruit, &c. nisi emptorem post venditionem sat citò monuerit, ita ut jam negligentiæ ipsius, seu neglectæ monitioni damnum imputetur; quo casu de pretio tenetur, non de damno.

754 Tenentur itaque de dolo, adeòque de pretio, & damno, 1°. qui in aures equi, vel asini pigri, guttam infundunt mercurii, vel ranam vivam in ventrem equi trajiciunt, ut, ad motum ipsius in ventre, saltibus lasciviat, reputeturque generosus, qui, mortuâ ranâ, ad pristinam redit segnitiem. 2°. qui oleo, vel mangonio merces apparere faciunt meliores quàm sint, venduntque ut meliores, vel in summitate sacci triticum melius collocant quàm sit inferiùs, totumque nihilominùs saccum vendunt pretio istius tritici melioris. Et idem est de iis, qui in extremitate dolii pisces meliores, in reliqua parte deteriores ponunt. 3°. qui de nocte, vel sub tenebris ex industria merces vendunt defectuosas, ut occultent defectum. 4°. qui ex astutia verum vitium recensent inter vitia manifestè falsa, ut illud occultent; tales sunt qui v. g. dicunt, se equum vendere qualis est, cæcum, claudum, mordacem, &c. siquidem hoc pacto virtualiter negant defectum occultum, dum recensent inter defectus, quos emptor videt non esse.

755 Nunquam ergo venditori licet mercis vitium celare, licèt non semper teneatur illud emptori manifestare. Pro quo

Dicendum 1°. quando vitium est manifestum, emptorque facilè potest illud ex se videre, venditor non tenetur illud ipsi non interroganti aperire, maximè dum judicio suo fidens, nihilque de rei qualitate interrogans, ex mercibus sibi præsentatis aliquam eligit, emitque. Tunc enim venditor, nihil dicendo, eam ipsi vendere potest, eam pretii partem detrahendo, quam defectus meretur. Ita sanctus Thomas communiter receptus q. 77. a. 3. hisce verbis: *Si vitium sit manifestum, puta cùm equus est monoculus, &c. & si venditor ipse, propter hujusmodi vitium, subtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei: quia fortè propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quàm esset subtrahendum. Unde potest licitè venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo.* Et ratio (præter allatam à S. Doctore) est quia venditor, ejusmodi vitium reticens, non decipit emptorem (cùm non teneatur agere partes ipsius, ostendendo ea quæ per se patent, quæque ipse facilè per se dignoscere potest, debitam diligentiam adhibendo, & in casu dubii interrogando) & aliunde vendit ipsi pretio justo. Sibi proinde emptor suam imputare debet deceptionem, si contingat ipsum decipi, dum se reputans intelligentem, omissâ diligentiâ & interrogatione, rem emit vitiosam.

Dicendum 2°. quòd si venditor animadvertat, emptorem inculpatâ laborare ignorantiâ, vel non advertentiâ vitii aliàs manifesti, ob suam rusticitatem, hebetudinem, simplicitatem, vel visûs debilitatem, venditor, etiam non interrogatus, tenetur illud ipsi manifestare, iis casibus, quibus occulta vitia manifestare tenetur. Quia ejusmodi vitium, licèt absolutè manifestum, respectivè ad talem hominem reputatur occultum. Ita Major in 4. dist. 15. q. 40. Arragonius, Toletus, Sylvius, &c. 756

Dicendum 3°. quòd si venditor, interrogatus de vitio, etiam manifesto, illud reticuerit, injustitiam committit. Ita Sylvius ad citatum locum S. Thomæ: quia dum emptor interrogat de vitio, satis manifestat, se illud non animadvertere; & ideò venditor ex justitia tenetur illud manifestare; præsertim dum emptor declarat, se nolle rem vitiosam emere. Imò tametsi emptor, judicio suo fidens, nihil interroget, possitque ipse vitium (ex se manifestum) advertere, esse potest peccatum, etiam grave, contra charitatem, ipsum (ante contractum) non monere, inquit Sylvius post Sylvestrum, Valentiam, Lessium, &c. dum utique venditor videt emptorem ex simplicitate decipi, remque illam fore ipsi inutilem, si emat. Tunc enim charitas exigit ut doceatur. 757

Dicendum 4°. in quatuor casibus venditorem ex justitia teneri manifestare vitium occultum. 1°. dum emptor ipsum interrogat, an res bona sit. 2°. dum exprimit se emere vellè v. g. pharmacum ad certum usum, ad quem res, cum vitio illo, est parum vel nihil utilis. 3°. dum vitium futurum est emptori damnosum, ut si militi vendatur equus, cum vitio suo allaturus ipsi vitæ periculum in bello, vel vinum parum duraturum vendatur ementi ad diù servandum, vel actio vendatur in eum, quem scis non esse solvendo, vel vendatur census alteri hypothecatus. 4°. dum venditor probabiliter cognoscit emptorem emere ad revendendum, revenditurum proinde majori pretio, quàm valeat cum tali vitio. In istis (inquam) casibus venditor ex justitia tenetur vitium occultum manifestare, vel à venditione se excusare, si damnum sibi timeat ex manifestatione. Ita Doctores communiter cum S. Thoma. 758

Probatur 1°. ex Scriptura 1. Thessal. 4. prohibente, *ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Deus de his.* 759

2°. exemplo Raguelis, qui rogatus à juniore Tobia, ut sibi daret filiam suam in conjugem, ne circumvenire petitorem videretur tacendo (inquit Ambrosius l. 3. de offic. c. 14.) *respondit lege quidem ipsi eam deberi, tamquam propinquo, sed dedisse se eam jam sex viris, & omnes eos esse mortuos. Justus itaque vir plus alienis timebat, & malebat innuptam sibi manere filiam, quàm propter nuptias* 760

ejus extraneos periclitari. Quàm breviter absolvit omnes quæstiones Philosophorum! Illi de vitiis tractant domorum, tegenda an prodenda à venditore videantur? Hic noster nec filiæ vitia celanda arbitratus est.

761 3°. quia, ut rursum Ambrosius ibidem c. 10. ait: *utique honestatis præponderat consideratio, quæ dolum excludit, fraudem ejicit..... Itaque in contractibus..... vitia eorum quæ veneunt, prodi jubentur, ac nisi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris transcripserit, doli actione vacuantur.*

762 4°. quia (ut Glossa ait in cap. *injustum* de rer. permut.) *vendens animal, non patefaciens vitium latens, tenetur redhibitoriâ L. redhibere* ff. de ædilitio edicto.

763 5°. quia *dare alicui occasionem periculi, vel damni, semper est illicitum*, ait S. Thomas loco citato (eò quòd utique *qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur* can. *si culpa* de pœnis) *venditor autem qui rem vendendam proponit, hoc ipso dat emptori damni vel periculi occasionem, quòd rem vitiosam ei offert, si ex ejus vitio damnum vel periculum incurrere possit; damnum quidem, si propter hujusmodi vitium, res, quæ vendenda proponitur, minoris sit pretii; ipse verò propter hujusmodi vitium nihil de pretio subtrahat. Periculum autem, si propter hujusmodi vitium usus rei reddatur impeditus, vel noxius.... Unde si vitia hujusmodi sint occulta, & ipse non detegat, erit illicita & dolosa venditio, & tenetur venditor ad damni compensationem.* Imò tenetur se offerre ad rescindendum contractum, si res adhuc sit integra: quia deceptor tenetur, quantùm potest, infectam reddere injuriam, deceptum proinde in pristinum statum restituere, si deceptus velit. Denique venditor ex officio tenetur rei suæ conditionem occultam aperire petenti, vel quatenùs eam scire emptoris interest, vel dum̃ periculum est ne emptor alteri cum ipsius damno vel periculo revendat. Ergo contra officium, adeòque contra justitiam peccat, si non aperiat.

764 Dicendum 5°. quòd quando occultum rei vitium eam non reddit emptori noxiam, vel parum utilem ad finem, cujus gratiâ emitur, & venditor cavet, ne alteri cum ipsius damno vel periculo revendatur, venditor peccare non videtur contra justitiam, si illud non aperiat emptori non interroganti, modò diminuat de pretio pro ratione vitii. Ita S. Thomas suprà dicens: *Cùm usus rei est conveniens emptori, si venditor propter hujusmodi vitium subtrahat quantùm oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei.* Et quodlib. 2. a. 2. *Si vitium non faciat rem minùs valere* (ementi) *quàm pretium impositum.... tunc non peccat tacens vitium.* Ita etiam sanctus Antoninus 2. p. tit. 1. c. 7. §. 6. Major, Victoria, Sotus, & Doctores communiter aientes, id procedere, tametsi venditor probè sciat emptorem non empturum, si nosset rei vitium. Quia ex una parte conditionatum istud involuntarium non impedit sufficiens de præsenti voluntarium absolutum; aliàs nutaret omnis penè contractus: cùm cantilena ista, *si scirem, non facerem*, vel, *si sciviſſem, non feciſſem*, frequentissimè habeat locum, præsertim in matrimonio. Ex alia parte negotiationi mercatores valedicere deberent, si quælibet mercium vitia quâlibet occasione deberent non interrogantibus aperire: eò quòd funditùs à fortuna caderent, dum nonnisi merces indefectuosas vendere possent; ipsi verò omnis generis & qualitatis emere deberent, unde varias haud dubiè jacturas absque culpa sua pati cogerentur. Nec enim merces comparare & conservare possunt, prout volunt. Dum ergo venditor non interrogatur, *potest licitè indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo*, ait S. Thomas. Siquidem emptor interrogare potest, si scire velit.

CAPUT LXX.

Satisfit objectionibus, & earum occasione varii casus resolvuntur.

765 Objicies 1°. puella occulto laborans vitio (v. g. amissæ virginitatis) non tenetur illud aperire volenti ipsam ducere, quando vitium istud non est ipsi damnosum. Ergo nec venditor, &c.

Respondeo, dissimulato pro nunc antecedente, negando consequentiam. Est enim duplex disparitas. Prima, quòd puella vitium suum aperire non possit, nisi seipsam diffamando (ad quod extra confessionem, & juridicam interrogationem, regulariter nemo tenetur) aperire autem vitium mercis suæ, non est seipsum diffamare, sed mercem ad summum: quod profectò longè minus est, quàm diffamare seipsum. Non est verò consequens, ex eo quòd quispiam non teneatur ad plus, non teneri ad minus. Secunda, quòd finis intrinsecus matrimonii sit mutuus amor, ac dominium seu potestas in mutua corpora; effectus verò ipsius est æqualitas obligationis ad amorem illum, & corporis usum; non æqualitas inter personas quæ contrahunt: finis verò intrinsecus venditionis & emptionis, est æqualitas dati & accepti.

766 Objicies 2°. emptor non tenetur latentem rei bonitatem venditori manifestare: ergo nec venditor emptori latens rei vitium. Consequentia bona est à paritate rationis. Probatur antecedens, tum quia emptor, sciens thesaurum absconditum in fundo venali, vel herbam pretiosissimam latentem in fasciculo herbarum communium, non tenetur ista venditoribus manifestare. Tum quia aliàs bona fortuna exterminaretur è mundo.

Respondeo cum communi, emptorem, qui advertit venditorem ignorare bonitatem

&

& valorem rei, quam venalem exponit, teneri eam ipsi manifestare, vel certè justo emere pretio, quod solum venditor solet intendere. Unde qui gemmam pretiosam pro vili bonâ fide ab ignorante emit rustico, justi pretii defectum tenetur compensare. Non est tamen eadem ratio de emente fundum, in quo scit absconditum thesaurum: quia fundum illum licitè currenti emit pretio, nihil manifestando de thesauro, ut docet sanctus Thomas q. 66. a. 5. ad 2. & nos probavimus cap. 9. Ratio disparitatis est, quia thesaurus non venditur una cum fundo, cùm non sit domini fundi (juxta L. *tamquam* ff. de rei vendit.) sed inventoris; res proinde, ratione illius, non plus valeat, quàm communi pretio.

767 Similis est disparitas de emente fasciculum herbarum, venùm expositum ad pabulum animalium, in quo scit absconditam herbam pretiosam: quia herba ista, taliter exposita, non censetur venùm exposita secundùm rationem suam specialem, sed secundùm communem rationem pabuli animalium. Sub illo verò vendendi modo, herba non plus æstimatur, quàm reliquæ herbæ fasciculi, ad pabulum animalium venùm expositi: quia non solent homines herbas taliter expositas seorsim investigare, solvere, emere, sed confusim, & permixtim cum reliquis herbis absque delectu, totum simul emere fasciculum. Qui sub eodem vendendi modo non pluris æstimatur, etiam à peritis, quàm communi pretio, quo similes fasciculi ad pascenda animalia venùm expositi, æstimari solent. Ita Sylvius q. 77. a. 2. concluf. 7. post Lessium, Tannerum, & alios passim.

768 Sed quid ad duos casus sequentes? Primus est iste: miles in bello justo excussit hosti saccum capuli, in quo reconditæ erant laminæ aureæ; eumque posteà, inscius laminarum, communi vendidit pretio, potestne emptor laminas retinere sibi, gratias agens Deo, bonæque fortunæ ipsius? Secundus est talis: vir nobilis exiguo pretio vendidit vas antiquum prægrande, rudis aspectûs, atque, ut putabatur, ex communi, vulgarique metallo. Voluit deinde emptor ex vase illo, centum circiter librarum ponderis, aliud elegantioris formæ conflare, sed inter fundendum, adverterunt periti artifices, illud constare ex ære Corinthio pretiosissimo. Quare separaverunt auri purissimi quasi libras triginta, argenti totidem, reliquum æris & stanni; teneturne emptor vas istud, sive materiam restituere, vel pretii defectum compensare?

769 Ad priorem casum respondeo negativè: quia laminas illas computare debet inter bona inventa; ac per consequens in pauperes, vel alias pias causas erogare, nisi prior dominus compareat, à quo miles excussit, & respectu cujus emptor non habet titulum retinendi jure belli. Quia dum comparet, ipsi, vel hæredibus restituere debet, perinde ac si vestem emisset, in qua aurum repositum invenisset; neque enim illius taliter inventi emptor efficitur dominus: cùm aurum istud, propter ignorantiam, non venerit in contractum venditionis, uti habetur L. *à tutore* ff. de rei vendicat.

Sed cur (inquis) laminæ illæ non sunt 770
restituendæ militi, qui saccum ab hoste excusserat jure belli? Respondeo, quia miles ille factus non est dominus laminarum: quas in sacco absconditas esse nescivit. Quippe dominium ordinariè non acquiritur ab inscio; eò quòd mediâ possessione acquiratur, quæ cùm sit voluntaria rei detentio, sine scientia ordinariè esse nequit. *Is* enim *qui nescit, non possidet.* L. 3. §. *Nevatius* ff. de acquir. possess. Ita Cardinalis de Lugo disp. 6. n. 129. Castropalao disp. un. de just. in genere p. 17. n. 13.

Ad posteriorem casum, Tamburinus c. 771
7. §. 11. n. 41. & 42. similiter respondet negativè: quia ex una parte error in illo contractu non fuit in substantia, quamvis aurum, argentumque, pro ære emptum, venditumque fuerit; eò quòd emptum venditumque fuerit hoc vas, quod erat in prospectu, manibusque contrectabatur, quæcumque tandem foret materia illius. Ex alia verò parte, dum vas illud emit, communi peritorum judicio reputabatur ex communi metallo; illud proinde emit secundùm vulgarem æstimationem & valorem quem tunc habebat.

Accedit quòd cùm aurum argentumque, 772
ex quo vas illud conflatur, incognitum fuerit, usquedum vas funderetur; nemo ipsius dominium habuit, nisi qui primus illud novit, occupavitque.

Nihilominùs ista responsio non placet: 773
quia vir ille nobilis, accipiendo possessionem illius vasis, hæreditariè à majoribus suis acceptæ, omninò præsumendus est voluisse illud esse suum, qualiter fuerat majorum suorum: talem proinde possessionem ipsius accepisse, qualem majores habuerant. Quod sufficit ad acquirendum dominium ipsius, non solùm quoad materiam distinctè cognitam; sed etiam quoad materiam auri, argentique, solùm confusè cognitam sub ratione vasis talis; quale possessum relictumque sibi à majoribus fuerat. Quia ex una parte, illius, etiam quoad materiam auri & argenti, possessionem dominiumque majores aliquando habuerant; ex alia parte ad acquirendum hæreditatis dominium, ac possessionem, sufficit illam acceptare & adire simpliciter & generaliter, sicut à majoribus possessa, sibique relicta sunt, sine distinctiori cognitione: cujusmodi etiam voluntas & apprehensio si fuisset in milite supradicto, ipsi acquisitæ fuissent laminæ aureæ, de quibus in priore casu.

Cùm igitur nobilis, de quo in præsenti 778
casu, fuerit dominus vasis illius, etiam quoad

materiam auri & argenti, videndum, an dominium istud transtulerit in emptorem, & an justum illius acceperit pretium? Primum non satis probat Tamburinus: quia parum credibile est, nobilem illum habuisse intentionem vas illud in prospectu positum vendendi, qualecumque, & ex quacumque materia foret conflatum; imò prorsus credibile est vendere voluisse illud vas, quod putabat esse ex ære communi; errorem proinde in substantia dedisse causam illi contractui, quemadmodùm si gemmam veram pro adulterina vendidisset, putans adulterinam.

775 Secundum verum esset, si pro tempore, quo vas illud venditum fuit, adhibiti fuissent in arte periti, qui post factam diligentem inquisitionem (qualis in simili casu potest & debet fieri) deprehendere non potuissent nisi commune metallum. Verùm omninò credibile est, de ea inquisitione nec venditorem, nec emptorem cogitasse: eò quòd tunc insolitum esset, tam rudis, & grandis formæ vasa confici ex alio, quàm communi metallo. Quo dato, verum esse non potest, quòd vas illud emerit secundùm æstimationem, quam (factâ debitâ inquisitione) tunc habebat; verum proinde esse non potest, quòd justum dederit illius pretium. Vel ergo debet vas illud, seu materiam restituere, si fieri possit, & dominus velit, ob contractûs nullitatem; vel (si hoc vel non possit, vel dominus non velit) pretii defectum compensare, prout in casu quo emisset gemmam veram pro adulterina, aurum pro auricalco, argentum pro stanno.

776 Objicies 3°. frequenter contingit, venditorem ipsum, merces emendo, fuisse deceptum: ergo saltem tunc defectum earum reticere potest, ut se indemnem servet.

Nego consequentiam: quia deceptus non potest decipere, ut suæ consulat indemnitati; neque enim ab eo indemnizari debet, à quo deceptus non fuit, nec damni causam accepit.

777 Objicies 4°. si venditor teneretur rei suæ vitia aperire, teneretur ad id unde venditio ipsius impediretur. Hoc autem absurdum esse Tullius dicit lib. 3. offic. hisce verbis: *Quid tam absurdum est, quàm si domini jussu ita prædicet præco: domum pestilentem vendo?*

Respondeo cum S. Thoma q. 77. a. 3. ad 2. venditorem regulariter non teneri ad id, unde venditio rei suæ impediretur in universum, sic ut omnes passim emptores ab emendo terrerentur; & ideò *non oportet* (inquit) *quòd aliquis per præconem vitium rei vendendæ prænuntiet. Quia si taliter prædiceret vitium, exterrerentur emptores ab emendo, dum ignorarent alias conditiones rei, secundùm quas est bona & utilis; sed singulariter est dicendum vitium rei ei qui ad emendum accedit, qui potest simul omnes conditiones ad invicem comparare, bonas & malas. Nihil enim prohibet rem, in aliquo vitiosam, in multis aliis utilem esse.*

Objicies 5°. dum venditor emptorem ad emendum non cogit, videtur ipsius judicio rem venalem exponere: sibi ergo imputare debet emptor, si suo in judicio decipiatur, absque diligenti inquisitione emendo. 778

Respondeo cum eodem S. Doctore ibidem ad 1. *quòd judicium non potest fieri, nisi de re manifesta: unusquisque enim judicat secundùm quod cognoscit, ut dicitur in 1. Ethic. Unde si vitia rei, quæ vendenda proponitur, sint occulta, nisi per venditorem manifestentur, non sufficienter committitur emptori* (plerùmque in istis imperito) *judicium: secus autem esset, si essent vitia manifesta.*

Objicies 6°. ergo mercator, sciens proximè diminuendum mercis suæ pretium, tenetur id emptori manifestare; nec jam potest eam pretio currenti vendere. Nego consequentiam: quia aliud est de futura pretii diminutione, aliud de præsenti vitio. Nam (ut rursus sanctus Doctor ait ibidem ad 4.) *vitium rei præsens facit rem in præsenti esse minoris valoris. Sed* (in casu objecto) *in futurum res expectatur esse minoris valoris, per superventum negotiatorum, qui ab ementibus ignorantur. Unde venditor, qui vendit rem secundùm pretium quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si quod futurum est non exponat.* Ad cujus uberiorem manifestationem sit 779

CAPUT LXXI.

Venditor privatum sciens rem brevi minùs valituram, ob superventuram mercium & mercatorum copiam, non tenetur hoc emptori manifestare, nec aliquid de pretio nunc currenti diminuere.

ITa sanctus Thomas proximè laudatus, Sylvester, Cajetanus, Toletus, & alii communiter. 1°. quia res justè tanti emitur nunc, quanti valet nunc: sicut enim justum pretium legale est illud quod taxatum est à lege præsenti, & tamdiù durat, quamdiù durat lex taxans illud; sic justum pretium vulgare est illud quod taxatum est à communi æstimatione præsenti, & tamdiù durat, quamdiù durat communis æstimatio ista. Sicut etiam lex posterior, augens vel minuens pretium, non derogat priori, antequam fit; ita nec communis æstimatio posterior, &c. 780

2°. Joseph Genes. 41. pretio currenti justè emit frumenta Ægypti, quorum pretium sciebat (ob sterilitatem superventuram) brevi augendum: ergo justè etiam pretio currenti venditur frumentum, cujus pretium scitur (ob copiam superventuram) brevi minuendum. 781

3°. privata scientia emptoris, vel venditoris, non immutat communem æstimationem hodiernam, à qua sumitur hodiernum pretium. Aliàs varia sequerentur absurda, nimirùm quòd mercator intendens brevi venalem exponere ingentem tritici copiam, 782

hodie triticum suum communi non posset vendere pretio. Quòd etiam mercator, qui, ex ignorantia futuræ copiæ, hodie merces communi pretio vendidisset, teneretur excessum inde lucratum restituere, saltem si fuisset inde factus ditior. Et alia hujusmodi sequerentur, quæ communi sensu hominum reputantur absurda.

783 Objiciunt nihilominùs Medina, & alii, 1°. qui occultè scit debitorem suum non esse solvendo, non potest debitum istud hodie communi vendere pretio: ergo similiter, &c.

Nego consequentiam: quia in casu antecedentis debitum de præsenti moraliter est vitiatum, sive de præsenti minoris, vel nullius est valoris; in casu verò consequentis res de præsenti non est minoris valoris, sed solùm futura est talis.

784 Objiciunt 2°. res brevi corrumpenda, hodie communi æstimatione minùs valet, quàm alia. Similiter ergo res brevi minùs valitura, hodie minùs valet, &c.

Nego iterùm consequentiam. 1°. quia ne antecedens quidem est verum, si res de præsenti nullum habeat vitium latens, propter quod sit brevi corrumpenda. Nam si equus meus hodie valeat peroptimè, cur non possim hodie pro valente vendere? Cur debeo vendere hodie ut defectuosum, qui nullum hodie habet defectum, licèt, Deo revelante, sciam posteà habiturum? 2°. causa diminutionis pretii, si non sit præsens, sed futura, in præsenti nihil operatur, nihilque immutat de præsenti pretio, sed relinquit in præsenti omnia ut sunt. 3°. aliàs bonum esset mirabile istud ratiocinium: res brevi minùs valebit: ergo jam minùs valet. Non est autem bonum: quemadmodùm enim non sequitur: *res brevi magis valebit: ergo jam magis valet*; ita similiter, &c. Sint enim duæ leges brevi promulgandæ, una augens, altera minuens monetæ valorem, posterior non derogat priori antequam sit; nec vitrum brevi vendendum pretio gemmæ, in præsenti potest eo pretio vendi.

785 Objiciunt 3°. si communiter notum esset, rem brevi minùs valituram, hodie communi sensu non tanti æstimaretur. Quòd autem circumstantia ista ignoretur, vendentem non excusat: quia communis æstimatio præsens non est prudens: cùm ex errore & ignorantia procedat.

Respondeo 1°. licèt communiter notum esset, brevi publicandam legem minuentem monetæ valorem, non ideò moneta communi sensu hodie minùs valeret. 2°. sicut pro valore monetæ attendenda est lex hodie vigens, non futura; sic pro valore frumenti v. g. attendenda est communis æstimatio præsens, non futura. 3°. communis æstimatio præsens non ideò est imprudens, aut erronea, quòd procedat ex ignorantia copiæ superventuræ: quia, ut prudens sit, sufficit quòd facta sit ex certa, & vera cognitione circumstantiarum præsentium, quæ communiter sciri possunt, tametsi facta non sit ex cognitione futurorum eventuum, qui communiter sciri non possunt; prout communiter sciri non potest futura copia ex mercatorum extrancorum superventu.

Objiciunt 4°. si emptores scirent rem 786
brevi minùs valituram, hodie non emerent pretio currenti.

Quid inde? si dominus fundi sciret thesaurum in fundo suo absconditum, fundum illum non venderet pretio currenti; dum tamen, thesaurum ignorans, fundum communi pretio vendit voluntariè, prudenter & justè vendit, sicut & emptor justè & prudenter emit. Et sicut emptores justè monetam expendunt secundùm valorem præsentem, licèt sciant eum brevi minuendum; ita rem justè emunt secundùm valorem præsentem, licèt sciant, &c.

Objiciunt 5°. ex assertione sequeretur 1°. 787
licitum esse pretio currenti vendere domum, quæ scitur intra paucos dies ab hoste diruenda. 2°. eum qui scit Curiam ex hoc loco brevi discessuram, posse domum suam, inibi existentem, eodem locare pretio, ac si sciret ibi permansuram. 3°. Senatores, scientes brevi promulgandam legem, quâ minuetur valor monetæ, vel mercium, posse modò merces currenti vendere pretio, monetamque, uti nunc currit, expendere. At ista sunt absurda.

Respondeo negando minorem: quamvis aliqui secùs sentiant de locatione domûs in dicta circumstantia: eò quòd per locationem non concedatur præsens habitatio, sed futura, cujus valor à futuris pendet eventibus. Verùm licèt per eam fortasse præsens non concedatur habitatio, sed futura; saltem conceditur jus præsens ad domum illam inhabitandam; quod jus de præsenti tanti, non minoris, æstimatur & valet.

Lessius etiam, Molina, & Salas non ad- 788
mittunt sequelam de Senatoribus. At verò æquum non est Senatores deterioris esse conditionis, quàm reliquos: cùm nec naturali, nec positivo jure prohibeantur in commodum suum uti scientiâ futuræ legis, nec procurare commoda civium, nisi juxta leges, & consuetudines vigentes. Et ideò currenti pretio videntur vendere posse, non obstante scientiâ brevi promulgandæ legis diminuentis pretium. Quòd enim id cedat in damnum emptorum, per accidens est: utpote non proveniens ex venditione quam faciunt, sed ex lege superventura. Ita Covarruvias, Corduba, Turrianus, Cardinalis Lugo, Castro-Palao disp. 5. p. 15. n. 6. Non licet tamen ipsis ex industria differre promulgationem legis, nec futuram promulgationem amicis præ aliis revelare: quia hoc iniquum foret, & contra officii debitum, quo tenentur servare secretum, ne unus præ alio gravetur. Ita Doctores communiter.

789 Objicies 6°. videtur saltem contra charitatem pretio currenti vendere res brevi minùs valituras. Quia charitas vetat, ne quis cum aliorum jactura lucrum quærat.

Respondeo negando antecedens: quia charitas non vetat, ne quis utatur jure quod habet ad consulendum sibi, & filiis suis secundùm leges, & justam rerum æstimationem, tametsi inde per accidens damnum aliquod aliis eveniat, dummodò tale non sit per quod proximus in necessitatem redigatur. Si enim inde depauperandus foret, vel in necessitatem gravem conjiciendus, sicut charitas juberet ipsi succurrere, etiam cum aliqua bonorum tuorum jactura; sic vetaret ne in illam proximum conjiceres, ipsumque redderes inopem, ut te faceres divitem, ut benè Wiggers, & alii viri doctissimi sentiunt.

CAPUT LXXII.

Licita est venditio cum pacto retrovenditionis, servatis certis conditionibus.

790 PAtet 1°. ex Levit. ubi dicitur: *Cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione venaetur.* 2°. ex venditione censuum redimibilium, approbata à Martino V. & Pio V. 3°. ex eo quòd in tali contractu servari possit æqualitas, & de facto servetur, dummodò serventur conditiones sequentes.

791 Prima, ut nihil fiat in pallium usurarum, animo scilicet mutuandi potiùs quàm vendendi. Aliàs foret usura palliata.

792 Secunda, ut pretii diminutione, vel auctione (prout in favorem emptoris, vel venditoris, retrovenditionis onus impositum fuerit) onus istud compensetur, atque hoc pacto æqualitas servetur pretii cum merce, habitâ gravaminis ratione. Merx enim cum tali pacto minoris valet: cùm onus istud pretium ipsius minuat: eò quòd mercem non constituat in dominio tam pleno emptoris, aut venditoris, quàm constitueret absque illo pacto.

793 Ex quo patet, quòd dum emptor in sui favorem onus illud imponit, eam infimo non possit emere pretio; nec venditor, in sui favorem imponens, vendere summo: quantò verò minoris res valeat ratione talis oneris, determinandum prudentis arbitrio, pensatis circumstantiis, maximè termino retrovenditioni vel redemptioni præfixo.

794 Tertia conditio est, ut non addatur pactum, quòd res posteà pluris retrovendatur, cùm possit minoris valere; neque quòd retrovendatur minoris, cùm possit valere pluris.

795 An ergo fieri potest cum pacto ut retrovendetur eodem quo vendita est pretio? Affirmat Lessius l. 2. c. 21. dub. 14. Sed hoc non caret difficultate, quia res quæ retrovenditur absque onere, plus valet quàm res quæ vendita fuit cum onere supradicto.

796 Respondet Lessius rem, quæ per novum contractum absolutè retrovenditur absque onere, plus valere, quàm primò venditam sub retrovenditionis onere; secùs rem quæ retrovenditur per distractum, id est per prioris contractûs dissolutionem, absque novi contractûs celebratione. Quidni enim hoc pacto utraque pars in pristinum statum restitui queat, ita ut eâdem re ad venditionem redeunte, idem quoque pretium ad emptorem redeat? Quidni etiam vendere liceat cum pacto, ut venditor retineat potestatem contractum post aliquot sumptus dissolvendi?

797 Audio; sed quàm proclivis ad usuram, venditionis nomine palliatam, est hujusmodi venditio! quàm periculosa proinde in praxi! Et ut ad usuram non esset proclivis, alia difficultas occurrit, quòd justum non videatur, quòd, mutatis rerum circumstantiis, in pristinum uterque redeat statum, dum scilicet longè aliud est justum rei pretium retrovenditionis tempore, quàm fuit tempore venditionis. Non videtur ergo justum pactum, quòd res quæ jam venditur, retrovendatur eodem pretio, dum vel moraliter certò, vel verisimiliùs valebit longè pluris. Tutius est ergo quòd res retrovendatur pretio currenti tempore retrovenditionis.

798 Speciale tamen est in retractu, gallicè *retrait*, quòd res immobilis vendita, eodem pretio possit à consanguineis venditoris infra tempus à lege definitum recuperari. Introductus namque est omnium ferè nationum moribus, Principumque & Legum authoritate retractus, justâ sanguinis, & familiæ conservandæ ratione; hac quidem apud nos lege, ut intentaretur infra annum à die adhæritantiæ in voluntariis, vel à decreto Judicis in judiciariis venditionibus, & infra tres proclamationes publicas, nisi fortè retrahens legitimè abesset è patria. Videri possunt hac de re Zypæus in notitia Juris Belgici, de jure retractûs, & Christinæus ad Bugnion. l. 1. c. 157.

CAPUT LXXIII.

Justa & licita est emptio & venditio censûs realis, sive novi, sive antiqui, sive pecuniarii, sive fructuarii, sive temporalis, sive perpetui, servatis servandis.

799 SOlemnis olim hac de re disceptatio fuit inter Henricum Gandavensem, & Godefridum de Fontibus; Henrico nimirùm contendente illicitam esse emptionem reditûs pecuniarii, saltem novi, sive perpetui, sive temporalis, seu vitalitii. Siquidem omnes hujusmodi emptiones censebat usurarias, eò majori usurâ, quò emptor censûs perpetui constituebat se in statu exercendi usuras in perpetuum, id est in finem usque mundi. At

perperàm, ad cujus evidentiam præmittenda est definitio ac divisio censûs.

800 Census itaque, secundùm hodiernam definitionem, est jus percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius, utili vel fructifera. Dicitur 1°. *jus*, id est facultas exigendi & percipiendi pensionem. Quam qui debet, censuarius dicitur; qui verò jus habet ad illam, dicitur *censualista*. Pensio, aliter *canon*, est id quod debetur ex vi juris illius: quod quia quotannis redit, & redditur, alio quoque nomine annuus vocatur *reditus*, vel *redditus*. Qui pecunias, vel aliud pretio æstimabile dat ad acquirendum jus annuæ pensionis, dicitur censum emere. Qui verò ad annuam se pensionem obstringit, dicitur censum vendere.

801 Dicitur 2°. *ex re, vel persona alterius*: quia res, vel persona est fundamentum super quo constituitur, & ex quo exigitur census; quem quia nemo habet super re, vel persona sua, dicitur ex re, vel persona alterius, ad differentiam censûs à locatione & emphiteusi, per quos contractus benè exigitur pensio ex re sua, non per contractum censûs.

802 Dicitur 3°. *utili, vel fructiferâ*: quia nec super re sterili, & infructuosa, nec super persona inutili census constitui potest, ut communis praxis docet, & Summi Pontifices declararunt.

803 Census dividitur in reservativum, & consignativum. *Reservativus* est, quando quis, translato in alterum rei suæ dominio utili ac directo, reservat sibi super ea pensionem quotannis solvendam, sive jus ad illam. Ad hanc speciem plerùmque pertinent census, quos *dominicales* vocant, gallicè *seigneuriaux*, qui dominis, maximè antiquis, competunt ex hoc quòd certorum fundorum dominium in aliquos particulares transferendo, reservaverint sibi, velut in recognitionem, annuam quamdam pensionem.

804 *Consignativus* est, quando quis, retento rerum suarum dominio utili ac directo, super illis, vel super persona sua consignat alteri jus percipiendi annuam pensionem, res suas, vel personam obligando ad eam solvendam. De solo censu consignativo est præsens quæstio, quia extra controversiam est, & semper fuit, reservativum esse licitum, constatque ex Genes. 47. ubi practicatus legitur à Joseph, qui Ægyptiorum bona, cum tritico permutata, & in dominium Pharaonis asserta, postmodùm Ægyptiis restituit, annuâ super iis pensione Pharaoni reservatâ.

805 Consignativus subdividitur 1°. ex parte fundamenti super quo constituitur, in realem, personalem, & mixtum. 2°. ex parte debitæ pensionis, in pecuniarium, & fructuarium. 3°. ex parte temporis quo durat, in temporalem, seu vitalitium, & perpetuum. 4°. ex parte modi, quo creatur, in redimibilem & irredimibilem. *Realis* est ille, qui constitutus est super re aliqua fructifera, v. g. domo, vel terra aliqua, eamque immediatè afficit; ac perpetuò comitatur; ita ut ad quemcumque res illa transit, cum isto transeat annexo sibi onere, donec legitimè redimatur: re autem pereunte, ex parte, vel toto (nisi alius contractus accesserit) pereat etiam census pro rata. Quia, destructo fundamento, corruit ædificium. *Personalis* est ille, qui immediatè constitutus est super ipsa persona, quæ sibi, vel suis etiam hæredibus ex pacto obligationem imponit solvendi ex industria, & labore suo, vel etiam ex bonis suis (si habeat) certam pensionem: unde immediatè afficit, comitatur, & sequitur personam, non certam aliquam rem à persona distinctam: pereunte proinde re, seu bonis ipsius, non perit, sed sopitur duntaxat, usquedum melior fortuna redierit. Et quamvis ordinariè pro assecuratione illius detur hypotheca, non ideò transit in realem: quia non ideò res hypothecæ subjecta manet immediatè, & primo loco obligata, sed in defectum personæ duntaxat.

Mixtus est ille, qui tam super re, quàm super persona immediatè constitutus est. Et tales ut plurimùm sunt census hodierni.

Pecuniarius est ille, qui solvendus est in pe- 806
cunia. *Fructuarius*, qui in fructibus. *Temporalis*, qui solùm ad tempus est constitutus, sive certum, v. g. ad 20. annos; sive incertum, v. g. ad vitam alicujus hominis; quo tempore finito expirat.

Perpetuus est ille, qui constitutus est in perpetuum, ita ut per se nunquam expiret.

Redimibilis est ille, qui redimi potest, arbitrio censualistæ, vel censuarii, vel utriusque, prout conventum fuerit. *Irredimibilis* est, qui redimi non potest.

Jam quòd licita & justa sit emptio & ven- 807
ditio censûs realis, sive novi, sive antiqui, &c. sententia hodie est omnium Doctorum, à legibus civilibus & canonicis, Summisque Pontificibus Martino V. Calixto III. Nicolao V. Pio V. Gregorio XIII. & universali Ecclesiarum omnium, Monasteriorum, fidelium, imò nationum omnium consuetudine approbata.

Et ratione probatur. 1°. quia, in rebus 808
fructiferis, usus & fructus distinguitur à substantia rei, dominiumque directum ab utili, potestque alterum ab altero separari, & justo pretio separatim, & conjunctim vendi: cùm utrumque, separatum, & conjunctum, sit pretio æstimabile. Ergo pro certo pretio, annuatim percipiendo, dominus vendere potest jus percipiendi annuè integros fructus. Ergo & certam portionem eorum. Ergo licita est venditio & emptio censûs fructuarii. Si fructuarii, ergo & pecuniarii. Quia portio fructuum annuè percipienda, est pecuniâ æstimabilis: pecuniâ proinde commutabilis.

2°. quilibet potest alteri legare vel do- 809

nare jus ad pensionem, sive fructuariam, sive pecuniariam, ex re sua annuatim recipiendam, in perpetuum, vel ad tempus, v. g. ad vitam hominis. Ergo potest etiam jus illud vendere: cùm sit pretio æstimabile.

810 3°. in venditione censûs realis, sive fructuarii, sive pecuniarii, sive temporalis, sive perpetui, nullum intercedit mutuum, etiam virtuale. Nulla igitur, etiam virtualis, usura. Probatur antecedens, quia emptor illius sortem alienat in perpetuum, sicque in censuarium transfert, ut eam repetere non possit, quantumcumque eâ indigeat, nec ipsum ad eam restituendam compellere. Est autem de natura mutui, quòd sors repeti queat, nec alienetur, nisi cum onere, ut eadem mutuanti restituatur. Deinde in mutuo, durante contractu, res mutuata non perit, nec periclitatur mutuanti, sive creditori, sed mutuatario, sive debitori; in emptione verò censûs realis, res censita, seu censui subjecta, perit & periclitatur emptori, seu creditori, ita ut si pereat, census pereat, ut suprà dictum est.

811 4°. in emptione vel venditione censûs realis, non solùm nulla intervenit usura, sed nec inæqualitas ulla; nulla proinde injustitia. Quòd enim emptor censûs successivè per partes, & longa temporum intervalla, recipiat plusquàm dedit, nulla inæqualitas est; quia illud plus, successivè per partes, & longa temporum intervalla receptum, secundùm communem hominum sapientum & timoratorum æstimationem, pluris non valet, quàm omnium partium illarum summa, simul & semel soluta; quemadmodùm receptio fructuum agri per partes, & longa temporum intervalla, non plus valet quàm valeat ager ipse; licèt longè plus valeret, si fructus illi simul & semel reciperentur. Et ratio est, quia multa pecunia, simul habita, ex una parte opportunior est & utilior ad quamlibet negotiationem: ex alia parte per se exposita non est tot & tantis incommodis, quibus exposita est successivè recipienda per partes, & longa temporum intervalla, ob multos casus, expensas, molestias, difficultates, lucra cessantia, damna emergentia, reique emptæ, & consequenter pensionum recipiendarum pericula, communiter per se concurrentia.

812 5°. jus ad 100. florenos v. g. in tempus infinitum quotannis recipiendos, finito & determinato pretio, v. g. 1600 florenorum, tam justè æstimari potest, quàm usus-fructus perpetuus agri fertilis; adeòque jus ad fructus ex ipso in tempus infinitum quotannis recipiendos, finito & determinato pretio, v. g. 1600. florenorum justè æstimari possit. Quam profectò æstimationem justam esse, declaratur L. *necessario* §. ult. ff. de periculo & commodo rei venditæ. Et si non solùm usus-fructus, seu dominium utile, sed & dominium directum unà cum utili cujuspiam agri ad valorem 100. florenorum quotannis in tempus infinitum fructificativi, justè æstimari possit 1600. florenis simul & semel solvendis; sicut & domus, ex cujus locatione locator quotannis in tempus infinitum recipere potest 100. florenos; quidni similiter census 100. florenorum, in tempus infinitum quotannis recipiendorum, 1600. florenis simul & semel recipiendis justè æstimetur?

Contrariis argumentis obviam itur.

Objicies 1°. emptio censûs realis pecuniarii non tam emptio est, quàm mutuum. Emptor namque dat v. g. 1600. florenos, pro centum in singulos annos recipiendis. At isti 100. floreni annui emi non possunt: cùm pecunia non sit capax emptionis, sed mutui. Quod enim emitur, habet rationem mercis; pecunia verò habet rationem pretii, non mercis. L. 1. ff. de contrah. empt. 813

Respondeo negando antecedens. Ad ejus probationem respondeo emptores censûs pecuniarii non emere pecuniam (saltem primariò) sed jus ad illam; quod jus tam distinguitur à pecunia, quàm jus exigendi pecuniam ex locatione ab ipsa distinguatur, vel jus transeundi per alienum agrum distinguatur à transitu ipso. Unde & jus illud, seu census pecuniarius, inter bona immobilia computatur; pecunia inter mobilia.

Objicies 2°. si venditio & emptio censûs pecuniarii foret licita, præcluderetur via mutuo, & aperiretur usuræ palliatæ. Quia à quo mutuum peteretur, recusato mutuo, pecuniam ad censum daret, ut pro censu lucrum supra sortem consequi posset. 814

Nego antecedens: cùm enim census constitui non possit, nisi ad longum tempus, nemo cordatus pecuniam suam in censum dabit pauperi, non habenti hypothecam, quam dare possit in assecurationem; sed modicam potiùs quantitatem ad breve tempus mutuabit, cum jure recuperandi sortem, quod jus non habet in censu.

Objicies 3°. venditor censûs illum extinguere non potest, nisi reddat summam capitalem primò acceptam, seu aliquid illi æquivalens, tametsi (durante censu) tanto jam tempore, v. g. centum annorum, solverit canones annuos, summam illam capitalem simul longè excedentem. Hoc autem non videtur justum. 815

Nego minorem: cùm æquè justum videri debeat, quàm quòd homo, qui agrum suum à centum annis vendidit Titio, eum redimere non possit, nisi redditâ Titio summâ suâ capitali, etsi toto illo tempore 100. annorum, Titius perceperit fructus agri illius, summam capitalem simul longè excedentes. Imò persæpè contingit, quòd post tot fructus tanto tempore perceptos, ager ille cariùs revendatur, quàm primitùs fuerat emptus.

Obji-

816 Objicies 4°. quidquid sit de censibus antiquis, saltem novus census non videtur emi posse, nec vendi: quia prius est aliquid esse, quàm emi, aut vendi. Census autem novus priùs non est, quàm ematur & vendatur: cùm emptione ipsâ & venditione constituatur. Cùmque nullus habeat censum super re sua, nemo potest illum vendere. Nemo quippe vendere potest quod non habet.

Respondeo 1°. si non liceat censum per emptionem & venditionem de novo constituere, nec licebit constitutum, seu antiquum vendere & emere. Nam census antiqui, seu jam antè constituti, à principio novi fuerunt. Vel ergo à principio justi & liciti fuerunt, vel non? Si primum, ergo justa & licita est emptio & constitutio censûs novi. Si secundum, census antiqui non magis erunt justi & liciti successu temporis, quàm initio tales fuerint, juxta hanc juris regulam: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.*

817 Respondeo 2°. ut census jam primò ematur, & constituatur, non debet priùs fuisse formaliter sub nomine censûs (ut à simili patet in servitute stillicidii v. g. per fundum Titii, quam Titius vendere, & constituere potest, licèt sub eo nomine priùs non fuerit) sufficit ergo, quòd priùs fuerit virtualiter, hoc sensu, quòd venditor habuerit virtutem, seu potestatem illum creandi super bonis suis, sive per donationem, sive per venditionem, &c.

CAPUT LXXIV.

Conditiones requisitæ ad justitiam censûs realis.

818 PRima conditio est, ut ex libero contrahentium consensu, fide bonâ, detur justum pretium, pro ipso censu qui emitur; nec proinde census pluris vendatur, nec minoris ematur, quàm valet secundùm consuetudinem loci, vel æstimationem lege taxatam. Justum namque pretium censûs illud est, quod lex, vel consuetudo, seu communis proborum ac intelligentium praxis & æstimatio, perspectis rerum ac locorum circumstantiis, temporum occurrentiis, commerciorum, & pecuniarum, vel copiâ, vel raritate, approbat.

819 Cæterùm ad justitiam pretii spectat, ut majori pretio census ematur perpetuus, quàm temporalis, & plurium annorum census, quàm pauciorum; majori etiam census irredimibilis, quàm redimibilis; uno verbo, in æstimatione censuum ratio habeatur onerum, graviorum, vel leviorum, quæ venditori, vel emptori imponuntur.

820 Hinc Covarruvias, Sotus, Bannez, Toletus, Navarrus, Binsfeldius, Sylvius, & Doctores communiter, injustitiæ arguunt emptorem censûs, si venditorem obliget ad eum redimendum, restituto integro capitali, in eum non computatis nec restitutis pensionibus acceptis. Quia in effectu videtur virtuale mutuum, potiùs quàm emptio; ex quo emptor ultra sortem lucrari videtur pensiones: utpote certus de sorte recipienda, atque insuper de pensionibus annuis. Saltem res ista in praxi lubrica est, ac periculosa.

Exempla justi pretii censuum non profero: cùm idem ubique justum pretium nequeat assignari: eò quòd pretii justitia ex legibus, consuetudinibus, & circumstantiis locorum ac temporum dependeat, uti dixi; adeòque pro locorum, ac temporum varietate varietur. 821

Pretium tamen censûs vitalitii esse solet dimidium censûs perpetui redimibilis. Pretium verò censûs perpetui redimibilis in Belgio nostro (ubi omnes novi census sunt redimibiles ex parte venditoris, irredimibiliumque censuum emptio prohibita est per Constitutionem Caroli V. Bruxellis editam anno 1528.) est unum pro sexdecim, octodecim, viginti (aliquando ascenditur usque ad 22. 24. & 30.) prohibitumque est minoris emere, quàm ad rationem unius pro quatuordecim. Vitalitii verò unum pro septem cum medio, octo, vel novem. 822

Secunda conditio est, ut res, super qua constituitur census realis, verè sit in libera dispositione vendentis. Cùm *nemo plus juris in alterum transferre possit, quàm ipse habeat.* L. *nemo* ff. de reg. juris. Nec sufficit, ut in libera sit dispositione ipsius utcumque, sed usque ad eum valorem, ut ad ejusmodi censum sufficere queat; per consequens ut censibus anterioribus, vel aliis oneribus non sit ita gravata, ut jam non sufficiat ad censum tanti valoris de novo sustinendum. Aliàs contractus est injustus, & venditor tenetur ad restitutionem capitalis & damnorum. 823

Tertia, ut res illa in se, vel in aliquo conjuncto verè sit fructifera, seu idonea reddere illos fructus, ad quos jus emitur, & quidem tot & tantos, ut jus ad illos adæquet pretium datum. Aliàs venditur jus quod non est, vel majus eo quod est. Unde super agro solùm fructificante quinque vel sex, vendi nequit census decem; nec res sterilis censui reali subjici potest. 824

Quarta, ut si res censita pereat, vel sterilis evadat, census pereat, si sit purè realis, ita ut cesset obligatio annuæ pensionis, in totum, vel pro parte, si res censita pereat, vel sterilis fiat in totum, vel pro parte. Quia naturale est, ut pereunte fundamento, corruat ædificium, ut dictum est capite præcedenti. Cùmque censualis contractus sit emptio quædam, emptionis leges sequi debet, juxta quas res empta perit emptori. Idem est proportionaliter, dum fructus pereunt: tunc enim perit jus ad illos. Cùm subsistere nequeat jus ad nihil. Si tamen census non sit purè realis, sed personalis, aut mixtus (quomodò ferè nunc cen- 825

sus in Belgio nostro creantur) ita nempe ut pereunte re, quæ locum habet hypothecæ, debitor nihilominùs debeat solvere, inquit Sylvius hic.

826 His adde quòd Martinus V. & Calixtus III. in extravagantibus relatis inter extravagantes communes, Joan. XXII. l. 3. tit. de empt. & vendit. ad hoc ut contractus censualis sit justus, conditiones sequentes requirunt. 1°. ut certa bona assignentur, obligenturque pro solutione censûs. 2°. ut pretium pro censu conventum, integrum numeretur & persolvatur. 3°. ut venditori facultas integra relinquatur, censum totum, vel partes ejus, quando & ubi ipsi placuerit, redimendi. 4°. ut venditor ad redimendum cogi non possit. 5°. ut pereuntibus bonis censui subjectis, census extinguatur.

827 Similiter Pius V. anno 1569. Bullam edidit, quæ incipit *cùm omnis*, in qua ad obviandum usuris, sub nomine censûs palliatis, præscribit conditiones in posterum servandas ab emptoribus & venditoribus censuum, quibus non servatis declarat contractus censuales usurarios. 1ª. est ut census constituatur in re aliqua certa, immobili & frugifera ex natura sua. 2ª. ut re illâ pereunte, vel sterili factâ, census pereat ut suprà. 3ª. ut pretium in pecunia numeretur in ipso actu celebrationis contractûs, coram Notario & testibus, ita ut solutio fieri nequeat anticipatâ, nec creditâ pecuniâ. 4ª. ut non fiant pacta directè vel indirectè ad casus fortuitos obligantia eum, qui aliàs ex natura contractûs non obligatur. 5ª. ut nulla etiam pacta fiant auferentia vel restringentia facultatem alienandi rem censui subjectam. 6ª. neque fiant pacta obligantia morosum debitorem ad interesse lucri cessantis, vel ad aliam pœnam. 7ª. ne census augeatur ex non solutis canonibus jam decursis. 8ª. ne apponatur pactum, ut capitale à debitore invito repeti possit in pœnam non solutorum canonum, vel ob aliam aliquam causam, &c.

828 Conditiones illæ sine dubio sunt valdè rationabiles, & necessariò servandæ in locis ubi promulgatæ & receptæ sunt Constitutiones laudatorum Pontificum. Ad id namque sacra ipsorum Authoritas fideles omnes in locis illis adstringit. Sed quia solo humano jure, non divino nec naturali sunt necessariæ, in conscientia non obligant in locis ubi non sunt promulgatæ, vel usu non sunt receptæ, uti reverà usu receptas non esse in Gallia, Hispania, Germania, Sicilia, & Belgio, passim testantur illorum locorum Scriptores, specialiter pro Belgio nostro Malderus, Lessius, Wiggers, Sylvius, Gudelinus, &c. constatque ex quotidiano usu contrario, cui nullus contradicit. Ne Romæ quidem omnes illæ conditiones servantur: cùm ibi etiam post tempora Pii V. census vitalitii & personales in frequenti usu esse dicantur, non renitentibus Summis Pontificibus. Sed & census illi passim ubique terrarum approbantur, & sunt in usu; quotidie namque videmus in Belgio census personales creari, sicut & vitalitios, etsi nec certam habeant hypothecam, nec constituantur super re immobili. Reditus etiam perpetui in Belgio nostro velut justi approbantur, & quotidie practicantur. Et quamvis Piana non permittat, ut re in totum, vel ex parte pereunte, totus adhuc exigatur, secundùm mores nihilominùs Belgarum, etsi perierit vel infructuosa facta sit hypotheca, in censibus mixtis adhuc conceditur actio in personam.

829 Denique frequenter etiam in Belgio census creantur ex pecunia in præsenti non numerata, sed antè mutuata, vel aliter credita, v. g. dum mutuò Petrus Paulo dedit mille florenos, post annum restituendos, si post annum Paulus eos restituere non valeat, ex pecunia illa fit contractus censualis, correspondens summæ mutuatæ. Similiter siquis alteri vendiderit creditò merces, solvendas v. g. post bimestre, si tunc emptor non habeat pecuniam ad solvendum, vendit mihi censum supra domum suam vel agrum. Quæ etsi per Pianam reprobentur, in Belgio tamen illicita & prohibita non censentur, nec usuraria reputantur; etsi talia à Pio V. declarentur, usurâ utique juris humani, solùm habente locum ubi jus illud humanum viget.

CAPUT LXXV.

In locis ubi Piana non viget, licita & justa est emptio ac venditio censûs personalis, dummodò persona, super qua constituitur, sit fructifera per industriam, vel per res suas.

830 ITa Gerson, Gabriel, Major, Conradus, Medina, Covarruvias, Sotus, Bannez, Toletus, Arragonius, Valentia, Sylvius, & alii communissimè, contra Navarrum, Cardinalem de Lugo, Rosignolum, &c.

Probatur 1°. quia census iste approbatus fuit in Concilio Constantiensi, uti videre est apud Binsfeldium, approbationis verba referentem in cap. *de civitate* de usuris.

831 2°. approbatus etiam fuit à Nicolao V. in quadam Extravaganti laudata à nostro Andræa à Matre Dei tract. XIV. de contract. c. 4. n. 26. quâ Siculis concessit, quòd eorum personæ, perinde ut eorum bona, censu obligari possint.

832 3°. imò probatus videtur à Scriptura sacra 2. Esdræ 10. ubi filii Israël, qui fœdus cum Deo inierant, obligaverunt personas suas ad solvendam tertiam partem sicli in censum personalem, pro ædificatione templi, & sacrificio sempiterno.

833 4°. lege & statuto imponi potest personæ obligatio solvendi quotannis determinatam quantitatem, v. g. pro tributo, vel pro decima ecclesiastica, ut patet in regiis capitationibus, & decimis personalibus, cap. *Apo-*

postolica, & cap. *Pastoralis* de decimis, necnon L. *usura* ff. de contrah. empt. Potest etiam idipsum testamento statui, v. g. imponi hæredi obligatio personalis solvendi alteri annuam pensionem. L. *si legatum* ff. de annuis legatis. Potest denique quilibet gratis alteri donare jus annuæ pensionis super persona sua. Igitur potest etiam jus illud, seu obligatio imponi partium conventione, seu emptione & venditione: cùm obligatio illa pretio sit æstimabilis, adeòque vendibilis.

834 5°. census illos Belgarum mores, & Principum nostrorum Edicta probant. Et meritò: quia persona, per suam industriam, & laborem, non minùs esse potest fructifera, quàm ager, aut domus. Cùm ergo absque injustitia pretio justo emi possit jus percipiendi annuam pensionem ex agro, vel domo, seu fructibus illius; quidni similiter ex lucro, quod persona acquiret ex industria sua, vel labore, vel etiam ex bonis suis, seu aliis justis titulis quibuscumque?

835 Objicies 1°. cum Rosignolo, ad essentiam emptionis requiruntur duo distincta, pretium, & merx. Sed in sensu personali hæc duo non distinguuntur. Nam pretium est pecunia, quæ per emptorem solvitur; merx non est ipsa persona (quæ profectò non emitur; aliàs fieret quasi mancipium constrictum ad operas) sed pecunia illa, ad quam singulis annis reddendam persona se obligat. Nec dicas mercem non esse ipsam pecuniam, sed jus ad ipsam, sive ad exigendas annuas pensiones. Nam jus istud nihil aliud est, quàm ipsæ annuæ pensiones, per partiales solutiones distributivè in futurum præstandæ.

836 Respondeo negando minorem. Ad ejus probationem respondeo, mercem non esse personam ipsam, nec pecuniam, sed jus ad annuam pensionem ex fructibus, seu lucris, quæ persona percipit ex industria sua, vel labore, vel bonis, &c. Quod jus ab annua ipsa pensione distinguitur, sicut jus ad domum habitandam, ab ipsa habitatione, jus ad transitum per alienam terram, ab ipso transitu, &c.

837 Objicies 2°. emptio censûs personalis non videtur esse nisi emptio debiti personalis, successivè per partes solvendi. Atqui tale debitum minoris non valet, quàm summa totalis ex partibus illis conflata, sive omnes illæ annuæ pensiones simul sumptæ. Ergo saltem emptio censûs personalis non potest minoris emi, quàm valeant omnes annuæ pensiones simul sumptæ, sive summa totalis ex illis collecta. Probatur minor, quia debitum reddendi rem mutuatam successivè per partes, minoris non valet, quàm omnium istarum partium simultanea collectio (aliàs mutuans cum pacto restituendi sortem successivè per partes, posset ultra sortem mutuatam aliquid exigere pro ejusmodi mutuo; & sic usura foret licita) ergo similiter, &c.

Respondeo, debitum solvendi per multas partes, multaque & longa temporum intervalla divisas, minoris valere, quàm simultaneam omnium istarum partium collectionem, uti visum est cap. 73. Non ideò tamen mutuare licet sub usura, sive ratione mutui aliquid supra sortem exigere: quia si mutuum sit factum, cum addito pacto, quòd mutuatarius non tenebitur pecuniam mutuatam simul & semel restituere, sed per multas partes, in multa & longa temporum intervalla divisas, fieri poterit, quòd non exiget supra sortem, si tantum de ejusmodi partibus, taliter divisis, exigat quantum necesse est ad adæquandam quantitatem, seu valorem pecuniæ mutuatæ. Hoc namque pacto non plus in valore exiget, quàm mutuavit.

Longè alia nihilominùs est ratio & æsti- 838
mabilitas pecuniæ mutuatæ, licèt per multas successivè partes, & longa temporum intervalla divisas restituendæ; alia pecuniæ ad censum datæ, per multas successivè pensiones, & intervalla solvendæ. Nec tale mutuum est, vel vocari potest emptio virtualis, nec emptio censûs mutuum virtuale. 1°. quia contractus mutui fieri potest cum quacumque persona, absque ullo ordine ad rem ipsius, vel personam fructiferam, velut fundamentum in quo fundetur; census autem tale fundamentum essentialiter requirit; ideòque eo pereunte perit. 2°. res mutuata potest omni casu repeti, quantùm est ex natura contractûs mutui; secùs pecunia ad censum data. 3°. non obstante mutuo taliter concesso, prout in objectione tangitur, si contigerit mutuantem gravissimè indigere pecuniâ mutuatâ, potest citiùs & collectiùs eam repetere; non sic censualista pensiones, nec pecunias ad censum datas. 4°. in mutuo nihil emi, argumento est, quòd res mutuata absolutè non transeat in dominium mutuatarii, sed cum onere eam restituendi priori domino; in censu verò emitur jus pensionum, & pecunia pro pretio data absolutè transfertur in dominium Censuarii, ita ut pro libitu possit eam restituere, vel non restituere. 5°. pensiones quæ percipiuntur ex censu, non habent rationem sortis restituendæ, prout id quod refunditur in mutuo; sed rationem fructûs mercis emptæ, juris utique ad illas. Unde si merx illa pereat, emptori perit; ipsique fructificat, dum fructificat; sors verò restituenda, si pereat aut fructificet, mutuanti non perit, nec fructificat, sed mutuatario. Ex quibus omnibus considerationibus perspicuum est censualistam longè potiori jure percipere lucrum, sive fructum ex contractu censûs, quàm mutuatorem ex contractu mutui.

Objicies 3°. persona adstringi non potest 839
solutioni pensionis censualis, sicut potest ager v. g. Ergo census super persona constitui nequit. Probatur antecedens, quia aliàs

persona taliter adstricta vendi posset, dum in solutione deficit, prout ager censui reali adstrictus.

Respondeo negando antecedens. Ad ejus probationem dico censum eodem modo non constitui super persona, sicut super agro v. g. quia super agro sic constituitur, ut si dominus pensiones non solvat, possit ager evinci, & vendi à creditore, ut capitale, & pensiones insolutas recuperet. Census verò personalis, prout apud Christianos est in usu, non sic constituitur super persona, ut deficiente pensionis solutione, persona vendi possit, vel in dominium creditoris redigi, sed solùm ponit obligationem personalem in venditore, & hæredibus ipsius (si hæreditas ferat) ad præstandam pensionis solutionem, ita ut debitor actione personali coram Judice conveniri possit, & ad solutionem faciendam compelli. Sicut pro aliis obligationibus personalibus non solùm persona debitoris, sed & hæredes conveniri possunt, in quantum hæreditas potest ferre, v. g. pro non soluto pretio mercium, quas defunctus habuit titulo emptionis.

CAPUT LXXVI.

Census perpetui jure naturali non sunt prohibiti.

840 RAtio est, quia jus ad percipiendam utilitatem fundi frugiferi, jure naturali non minùs est vendibile & emibile irredimibiliter in perpetuum, quàm fundus ipse frugiferus, vel usus-fructus illius, quem in perpetuum irredimibiliter vendi & emi posse, Doctores omnes conveniunt. Nec finitum pretium minùs esse potest pretium justum istius juris, quàm ipsiusmet fundi in perpetuum fructiferi. Nec denique, sistendo in jure naturæ, quidquam magis objici potest contra unum, quàm contra alterum, ut constat ex dictis n. 812.

841 Census tamen irredimibiles in Belgio deinceps prohibiti sunt per legem Caroli V. anno 1528. Bruxellis editam; & additur 1°. quòd si tales census, anteà constituti, deinceps vendantur, hæres retrotrahere possit emptionem, sive emptorem ab emptione eodem pretio removere, & rem isti censui subjectam à dicto censu redimere. 2°. quòd manus mortuæ acquirere non possint bona immobilia, inter quæ licèt expresè nominentur census, statim tamen ab illo edicto invaluit, quòd reditus redimibiles, eo non comprehenderentur, ut notant Peckius de amortisatione c. 35. & Stockmans decis. 73. eò quòd per census redimibiles non fiat alienatio perpetua in manus mortuas: cùm reditus extinguatur redditione capitalis; & sic cesset ratio finalis Edicti.

CAPUT LXXVII.

Spectato jure naturali, licitus quoque est census temporalis; sive ad tempus determinatum, dummodò sit longum, v. g. viginti annorum; sive ad indeterminatum, v. g. ad vitam alicujus hominis.

PRima pars procedit, etiamsi summa capitalis, quæ pro tali censu datur, sit minor, quàm sint omnes pensiones simul, ut si centum florenis emam censum ad viginti annos duraturum, eâ lege ut quotannis recipiam decem, & post viginti annos nihil prætendere possim, ne quidem summam capitalem. Et ratio est, quia licèt tota collectio pensionum summam superet capitalem, jus tamen ad illas per partes, & tot annorum intervalla recipiendas, pluris non æstimatur, quàm centum florenis simul & semel numerandis. Ob rationes suprà assignatas. 842

Posterior pars ostenditur à simili: quia usus fructus agri fructiferi licitè & justè vendi potest ad vitam alicujus hominis, v. g. usufructuarii, ut habetur L. *necessario* §. 1. *cùm usum fructum* ff. de peric. & commod. rei venditæ. Similiter ergo vendi potest jus percipiendi fructus ex agro illo, ad vitam alicujus hominis, v. g. censualistæ. Nullo quippe ex capite apparet injustitia talis venditionis: cùm periculum damni utrimque sit æquale, & æqualis spes lucri. Videri potest S. Thomas, vel quisquis est Author opusc. 73. de usur. cap. 9. ubi latè probat justitiam censuum vitalitiorum. Vide etiam Clementinam de reb. eccles. non alien. ubi permittitur Prælato, ob necessitatem, vel utilitatem Monasterii, vendere annuum reditum alicujus possessionis ad vitam alicujus. 843

CAPUT LXXVIII.

Illicita tamen est emptio censûs trium vel quatuor annorum, seclusis titulis, quibus licitum est minoris emere debitum in futurum solvendum; illicita à fortiori emptio censûs ad annum, eâ lege, ut eo elapso venditor emptori sortem integram refundere teneatur, pensione in eam non computatâ. Illicita denique emptio censûs redimibilis ad arbitrium emptoris, pensionibus in sortem non computatis.

IN omnem partem humana se vertit cupiditas ad quærendas excusationes in peccatis. Nec desunt fautores illius. Quidam enim novi in Gallia Casuistæ, paucis abhinc annis, utrumque illum modum suggessérunt nolentibus mutuare gratis. Et hanc ipsorum opinionem justificat Casuistarum Apologista Pirotius fol. 108. eo prætextu, quòd licita sit emptio censûs redimibilis ex parte emptoris ad arbitrium ipsius, ita ut venditor teneatur sortem restituere, cùm placuerit emp- 844

tori. Cùm enim aliæ emptiones fieri queant cum pacto retrovenditionis, etiam ad arbitrium emptoris, quidni & emptio censûs? Si verò census emi possit cum pacto retrovenditionis ad emptoris arbitrium, quidni & cum pacto retrovenditionis ad annum?

845 Verùm emptionem istam censûs ad annum Facultas Theologica Parisiensis 16. Julii 1658. meritò improbavit, dum Apologiæ doctrinam, eam justificantem, gravi censurâ perstrinxit, velut *inducentem ad exercendas usuras, variasque suggerentem fallacias, ad eas palliandas.* Similiter Vicarii Generales Ecclesiæ Parisiensis 23. Augusti ejusdem anni, *velut falsam, scandalosam, apertè usurariam, & suggerentem diversos modos usuram palliandi.* Et Illustrissimus D. Gondrinus, Archiepiscopus Senonensis, cum Synodo sua Generali 4. Septembris ejusdem anni, *tamquam divinis humanisque adversus usuras Legibus adversantem, & Christianos ad illas malitiosis artibus eludendas erudientem.* Et Illustrissimus D. Alanus de Solminiac Episcopus Cadurcensis, 24. Decembris ejusdem anni, velut *falsam, scandalosam, perniciosam, divinis & humanis Legibus contrariam, ad usuras inducentem, eamque committendi modos suggerentem.* Enimverò ubicumque traditur pecunia, vel usus rei consumptibilis, cum obligatione eamdem reddendi, est mutuum, & si addatur obligatio aliquid ultra sortem recipiendi, est usura. At hoc fit in prætensa emptione censûs ad annum. Traditur enim pecunia, v. g. centum floreni, cum obligatione eam reddendi post annum, & insuper recipiendi pro annua pensione v. g. quinque. Est igitur usura.

846 Et ideò talem censum meritò inhibuit Carolus V. in Constitutione Augustæ edita in Comitiis anni 1548. Estque communis sententia Doctorum quòd, ut absit mutuum, omnisque usuræ suspicio in contractu censualitio, sors absolutè alienari debeat, absque obligatione venditori imposita in favorem emptoris eam restituendi, saltem post brevè tempus, per censûs redemptionem. Aliàs est virtuale mutuum, censûs nomine palliatum, ex quo emptor ultra sortem lucratur unius vel trium, aut quatuor annorum pensionem. Ideòque Martinus V. & Calixtus III. in sua Constitutione *regimini* extrav. commun. de empt. & vendit. approbant quidem contractum censualitium, sed hâc lege, ut emptores censûs pecuniarii summam capitalem repetere non valeant, nec ad eam refundendam venditores obligare.

847 Ideò etiam communis sententia licitum negat censum utrimque redimibilem, vel fic redimibilem ad arbitrium emptoris, ut pensiones non computentur in sortem. Ita Sotus, Tapia, Prado, Arragonius, Covarruvias, Trullenck, Villalobos, Salonius, Lopez, quos citatos sequitur noster Andræas à Matre Dei tr. 11. c. 4. n. 41. Quia talis censûs emptio, est mutuum, emptionis nomine palliatum, ex quo capitale certò recipitur, cum annuis pensionibus ultra illud receptis. Est igitur usura.

848 Similiter dicendum, licitam non esse emptionem horti v. g. vel agri, cum pacto redemptionis ad arbitrium emptoris, nisi tantum de pretio in redemptione minuatur, quantum valent fructus. Nam si à te mille florenis emam agrum v. g. quos dederim cum pacto, ut eos mihi restituas cùm voluero, & interim percipiam fructus ex agro, nec eorum valor computetur in redditione illorum mille florenorum, committo palliatam usuram: quia nihil aliud volo nisi lucrari fructus illos, ultra summam illam, quam absolutè non alienavi, sed volui ut mihi restituerentur dum repetiero. Est proinde ibi verè mutuum usurarium, sub venditionis nomine palliatum, ut benè notant Tapia l. 5. q. 16. a. 4. n. 5. Villalobos tr. 21. diffic. 18. n. 10. Andræas à Matre Dei ubi suprà c. 2. n. 61. Et sic patet ad fundamentum contrariæ opinionis.

849 Denique meritò plures Sorbonici Doctores anno 1673. *contractum, quo minoris emitur census quatuor annorum, v. g. trecentis florenis præsentialiter numeratis emitur pensio centum florenorum, quotannis solvenda per quatuor annos, aliumque similem, quocumque nomine appelletur, planè injustum esse, nec omninò ab usuræ vitio liberum; atque ideò eos, qui hujusmodi nundinationibus quæstum faciunt, ad restitutionem teneri.* Reverà namque emptio ista, licèt per subtilitatem quandam, & aridam speculationem distingui possit à mutuo, moraliter, & æquipollenter, quoad usum & praxim est virtuale mutuum; quo trecenti floreni præsentialiter numerantur, pro quadringentis in futurum per quatuor annos successivè solvendis. Moraliter proinde est usura.

CAPUT LXXIX.

Dubiorum nonnullorum solutio, de aliquibus pactionum formulis, de quibus aliquando disceptatur, an pro censu, an pro usura accipiendæ sint.

850 AD confirmationem eorum quæ diximus capite præcedenti, & majorem elucidationem discriminis inter contractum verè censualem, & mutuum usurarium, decisiones nonnullas Consilii Brabantiæ describit Clarissimus Dominus Stockmans dec. 74. & 75.

Dubitatum (inquit) subinde de hisce cautionibus, an pro reditu, an pro usura essent habendæ. 1°. *debitor scripsit, se mille aureos accepisse ad reditum à Sempronio, & annuum interesse se soluturum ad ratam sex in centum, donec pecunia restituatur.* Hæc formula visa est non habere vitium usuræ: quia nihil expressum de reservata facultate repetendæ pe-

„ cuniæ; & quod dicitur, *donec pecunia restituatur*, interpretandum est de restitutione
„ facienda arbitrio debitoris, seu quando volet
„ restituere debitor. Id enim fluit ex natura
„ reditûs, quem partes se constituere dixerunt:
„ unde benigna interpretatio ei accommodanda potiùs, quàm res detorquenda sine necessi-
„ tate in vitium.

851 „ 2°. alius scripsit, *se accepisse mutuam pecuniam, & soluturum interesse annuum, usque dum ei fuerit visum sortem reddere.* Videtur
„ quidem restitutio sortis relinqui arbitrio debitoris; turbat tamen, quòd mutuum voca-
„ verint contrahentes. Sed civili interpreta-
„ tione placuit pro reditu rem habendam, &
„ potiùs respiciendum esse quod actum, quàm
„ ipsum nomen mutui. L. *quoniam indignum* Cod. de testam. Restitutionem nummo-
„ rum pendere à debitoris placito, non con-
„ sistit cum mutuo. Potiùs verò recedimus ab
„ isto vocabulo, quàm à re quæ agitur, ut in
„ simili respondit Wamesius Cent. 3. Civil. Consil. 89.

852 „ 3°. frequentissima formula hodie est, quâ
„ *debitor, acceptâ pecuniâ, promittit creditori intra annum nummos restituere cum eo quod interest, aut idoneam hypothecam assignare pro reditu.* Hâc pactione initâ, per plures annos
„ sine hypotheca res procedit, & solvitur interesse annuum sine nota usuræ: quia cre-
„ ditor præcisè ipsam sortem non potest repe-
„ tere, sed agere tantùm alternativè, vel ad
„ sortis restitutionem, vel ad constituendam
„ hypothecam, & semper defungitur debitor
„ assignando hypothecam: unde dici nequit,
„ creditorem mansisse dominum sortis. Et in
„ hac specie nihil etiam interest, an mutuum,
„ an reditum vocaverint contrahentes: cùm
„ res ipsa potiùs inspicienda sit, quàm verba
„ dicta. L. *quoniam indignum.* Quoties verò ap-
„ paret hoc actum, ut creditori maneat jus re-
„ petendæ pecuniæ, incidit res in usuram, li-
„ cèt nomen reditûs usurpaverint paciscentes.

853 „ Neque potest dici pactum illud de repe-
„ tenda sorte vitiari, & non vitiari reditum.
„ Quia, ut tradit Covarruvias, doctrina de re-
„ jiciendis pactis inutilibus, non habet locum,
„ quoties pactum, subjunctum contractui, im-
„ pingit in substantialia ipsius contractûs:
„ tunc enim inficit & destruit actum ipsum.

854 „ Si contineatur syngraphâ, *debitorem accepisse mutuam pecuniam, & soluturum annuè quod interest, donec pecunia sit restituta*, id vix po-
„ test ab usuraria labe eximi: cùm enim mu-
„ tuum esse syngrapha dicat, restitutio pecu-
„ niæ, quæ nullius arbitrio expresè adscripta
„ est, accipi debet secundùm naturam con-
„ tractûs mutui, scilicet petente creditore:
„ quo casu stipulatio annui interesse improba
„ & fœneratitia est. Hactenùs vir ille clarissi-
„ mus.

855 „ Ex decisionibus itaque Consilii Brabanti-
„ ni ab ipso laudatis, patet, in foro externo,
„ quoties tradens alteri pecuniam, cum obligatione solvendi ipsi annuam pensionem, retinet facultatem repetendi sortem integram, eam proinde absolutè non alienat, licèt contrahentes utantur nomine censûs, non mutui, contractum non reputari censualitium, sed contractum mutui; econtrà censualitium reputari, licèt mutui nomine utantur, quoties facultatem illam non retinet, quia (uti dictum est n. 851.) restitutionem nummorum capitalium pendere à debitoris (qui eos accepit) placito, non consistit cum mutuo, de cujus natura & essentia est, quòd mutuatarius nummos acceptos restituere teneatur, & ad id cogi possit. Unde decis. 76. n. 1. laudatus Author dicit, quòd *hæc est substantialis inter annuum reditum & mutuum differentia, quòd in constitutione reditûs sors prorsus alienetur ab eo qui nummos numerat, in mutuo remaneat pecuniæ repetendæ facultas.*

CAPUT LXXX.

Specialiter observanda, juxta Consuetudines & Edicta Principum Belgii, circa redituum emptionem, præscriptionem, solutionem.

OBservandum 1°. in Belgio, ubi recep- 856
ta non est Constitutio Pii V. ad hoc ut valida sit emptio censûs, necessarium non esse ut super bono aliquo immobili constituatur, sed legitimos esse census personales, pretio à legitima authoritate constituto creatos, etiam absque hypotheca.

2°. hæreditarios etiam reditus, licèt hy- 857
pothecâ assecuratos, moribus nostris magis esse debitos obligatione personali, quàm reali, ita ut hypothecâ pereunte, persona venditoris, & hæres maneat obligatus, tametsi, dum hypotheca est alienata, consuetudo obtineat, quòd novus possessor priùs conveniatur, ut ab ipso exigi queat solutio censûs super hypotheca illa fundati, nisi per litteras à Principe obtentas fundus fuerit purgatus.

3°. Consuetudines nostras passim obti- 858
nere, ut nulla fiat dominii rerum immobilium translatio, nisi per solemnitatem investituræ coram Dominis & Magistratibus loci; & quamvis census, conventione partium, constitutus sit super hac vel illa re immobili, velut hypotheca, ista quidem hypotheca propriè non afficiatur censui, nisi coram Dominis & Magistratibus loci, vel coram Curia Feudali, aliâvè competente, census recognitus sit, seu realisatus; sine qua realisatione, nulli reditus, nullæque obligationes afficiunt hypothecas, juxta Edictum 10. Februarii 1538. Et per Edictum mensis Decembris 1586. iterùm declaratum fuit, res immobiles non affici obligatione, nisi coram Magistratu loci, mandatumque ut omnium alienationum obligationumque registrum Secretarii locorum conscriberent, insertis bonorum oneribus, contrahentiumque & Judicum nominibus, ut inde omnes, quorum interest,

copiam habere possint. Quod rursum statutum fuit per Edictum 12. Julii 1611. Quia tamen contractus aliter facti per Edicta illa non irritantur; debitor ob ea in foro conscientiæ non excusatur à solvendo quotannis reditu, tametsi modo dicto non realisato.

859 4°. dum census aliquis super certa hypotheca legitimè est realisatus, eum cui talis census debetur, præferri iis, quorum census non est realisatus; etsi duo vel plures habeant census ab eadem persona sibi debitos, & legitimè realisatos super eadem hypotheca; eum qui prior est, super illa habere actionem, ante illum cujus census super ea posteriùs est realisatus.

860 An autem taliter anteriores quoad realisationem, jure sic anteriores sint quoad canones cessos, ut ad eorum solutionem exhaurire possint omnia realia & personalia debitoris, nihilque posterioribus relinquere? Variant quoad hoc locorum consuetudines in Belgio; nam quibusdam in locis plus, in aliis minùs tribuit authoritas realisationis.

861 5°. Philippum II. 5. Martii 1571. statuisse, ut in constitutione censûs, sive redimibilis, sive irredimibilis, qui pecuniâ emetur, unusquisque quoad taxam pretii se conformet Edictis, & consuetudinibus, in quavis Provincia approbatis & receptis, sub pœna nullitatis contractûs; prohibuisse etiam sub pœna nullitatis, confiscationis capitalis nummi, & aliis arbitrariis, ne certâ pecuniâ emerentur census persolvendi in certis speciebus fructuum, v. g. tritico, siligine, oleo, &c. Et tales contractus declarasse Reipublicæ noxios, debitoribus nimiùm graves, & de usura suspectos. Denique nullam authorisandam esse constitutionem censûs, nisi in litteris constitutionis disertè exprimatur pretium empti censûs, sub pœna nullitatis, & arbitrariæ correctionis.

862 6°. census dominicales nullâ præscriptione, etiam centenâriâ, tolli, neque fundum censualem unquam desinere esse censualem, etiamsi ab omni memoria ut liber possessus fuerit, modò probetur olim censui obnoxium fuisse. Ita Stockmansius decis. 80. quia (inquit) „ qui talem fundum possidet, non „ tam sibi, quàm directo domino possidet, in „ cujus rei recognitionem, annuam pensionem „ solvit. Nec refert, si posteà incœperit sibi „ possidere. Id enim illi non proderit: quia „ nemo sibi potest causam possessionis mutare. Sed licèt non possit præscribi jus radicale censûs, præscribi tamen possunt annuæ „ pensiones, ultra triginta annos debitæ, si „ tanto tempore dominus directus neglexerit „ interpellare debitorem..... Item præscribi „ potest quota, vel mensura censûs dominicalis, vel genus monetæ, frumenti, aut animalis, vel aliquid tale accidentarium, quo „ mutatur tantùm forma censûs, v. g. si olim „ solvi debebat, & solebat mensura tritici, & per triginta annos, sine contradictione domini, soluta fuerit mensura siliginis, aut " speltæ; si loco capi soluta sit per tot annos " gallina, &c. Circa hoc tamen variant Juris- " consultorum opiniones. "

Census emptitii, spatio triginta annorum 863
non exacti, præscribuntur, tam quoad capitale, quàm quoad pensiones cessas. Dumque census per triginta annos non exactus præscribitur, simul præscribuntur canones omnes, non solùm ante triginta annos debiti (ut aliqui putant) sed etiam citra triginta annos. Sic enim praxim fori jam pridem obtinuisse testatur Stockmansius. Cum sorte proinde principali, per triginta annorum præscriptionem extincta, annuæ pensiones, etiam recentiores extinguuntur. Quia sunt velut accessoriæ sortis. Accessorium autem sequitur suum principale.

Quoad solutionem annuarum pensionum, 864
Edicto de 5. Martii 1571. statuitur, ut earum creditores in posterum à debitoribus exigere non possint plusquàm cessos canones trium annorum, nisi juridicè interpellaverint debitores de solutione præstanda, vel dilatione petitâ se solvturos promiserint. Quod generaliter extenditur ad quoscumque census, etiam fundiarios & dominicales, cujuscumque naturæ & conditionis fuerint. Quoad census tamen dominicales, dominus sufficienter interpellare censetur, si constitutâ die, in loco solemni territorii sui (ubi de more recipere & expectare solet) solutionem ritu consueto expectavit. Neque enim mores nostri aliam interpellationem requirunt.

Edicto etiam de ultima Octobris 1587. 865
statuit Rex 1°. ut quorum bona devastata fuerint, & possessiones per bella redditæ inutiles, creditores non possint adversus ipsos, vel bona ipsorum, procedere per arresta, aut executiones, sed adire teneantur per libellum Consilia Regia, quæ per Commissarios datos examinabunt partes; &, compertâ veritate damni, per remissionem, aut dilationem debiti, partes concordabunt. 2°. ut quando reditibus non suberat personalis obligatio, & hypotheca facta fuerit inutilis, daretur remissio omnium annorum, quibus seri, meti, aut habitari non potuerat. Exceptis exiguis canonibus, in dominii recognitionem debitis. Statuit 3°. ut annuæ præstationes rerum conductarum integræ remitterentur, ubi nihil fructuum haberi potuerat; pro parte, ubi pars fructuum obvenerat, & pars perierat. Statuit 4°. pro reditibus, quibus personalis suberat obligatio, ut ubi debitoribus jactura notabilis obvenit, dilatio congrua tribuatur; ubi autem proventibus omnibus caruerint, remissio fiat ad ratam temporis, & proportionem jacturæ, habitâ ratione statûs, conditionisque creditorum & debitorum. Ista tunc quidem provisionaliter statuta sunt. pro tempore

istius belli ; in aliis tamen similibus casibus ex æquitate meritò practicanda viderentur, ne afflicti debitores nimis inhumaniter à rigorosis creditoribus urgerentur.

866 Quidquid de eo sit, Gudelinus l. 3. de jure noviss. c. 3. n. 31. rectè monet, censuum creditores ex debitis pensionibus reditum pristinum augere non posse, nec novum creare, eas in sortem computando. Id enim sæpè judicatum est, teste Papon. l. 12. arrest. 9. argumento deducto ab usuris, quarum reductio in sortem legibus prohibetur. Ita etiam Stockmansius decis. 79.

CAPUT LXXXI.

Definitio & divisio contractûs societatis, & conditiones ad justitiam ipsius requisita.

867 SOcietas est conventio duorum, vel plurium, de contribuendo aliquid pretio æstimabile, in commune lucrum, & damnum pro rata.

Dicitur 1°. *conventio duorum, vel plurium:* quia essentialiter postulat celebrari inter plures, & saltem duos, perficiturque solo convenientium consensu, signis exterioribus manifestato, etiam citra scripturam, traditionem, vel aliam solemnitatem. L. 4. ff. pro socio.

2°. *de contribuendo aliquid*, puta pecuniam, operam, industriam, instrumenta negotiationis, scilicet navim, equum, &c. sive singuli idem, sive diversum contribuant, v. g. unus pecuniam, alter operam, &c.

3°. *aliquid pecuniâ æstimabile*: quia id quod contribuitur, esse debet idoneum ad lucrum & negotiationem, sive interim sit pecunia, sive animalia, sive aliud quidpiam.

868 4°. *in commune lucrum*: iste est enim finis proximus societatis negotiatoriæ, de qua potissimùm hîc.

Dicitur 5°. *& damnum*: quia æquum est, ut cui commune est lucrum, ei commune sit damnum. *Qui* enim *sentit commodum, debet & onus sentire*, ut habet Reg. 55. juris in 6. Nam dum societas contrahitur, tam lucri, quàm damni communio initur. L. *si unus est* ff. pro socio. Aliàs foret societas leonina, per leges reprobata. L. *si non fuerint* ff. eod. ibi: *Aristo refert, Cassium respondisse, societatem talem coiri non posse, ut alter lucrum tantùm, alter damnum sentiat, & hanc societatem leoninam solitum appellare*, ab Apologo leonis, qui cum reliquis feris pactum inierat, ut de omnibus earum prædis participaret, non tamen periculum & laborem ipse subiret. Unde subditur in citata lege: *Et nos consentimus, talem societatem nullam esse, ut alter lucrum sentiret, alter verò nullum lucrum, sed damnum sentiret: iniquissimum enim genus societatis est, ex qua quis damnum, non etiam lucrum expectet.*

869 Dicitur 6°. *pro rata*, id est secundùm proportionem geometricam eorum quæ quisque in commune contulerit.

Societas alia est *animalium*; alia *vectigalium* & officiorum; alia *omnium bonorum*; alia *negotiationis*, quæ *quæstuosa* seu *lucratoria* dicitur. Regulariter initur quoad solum lucrum & damnum ex sorte proveniens, dominio sortis manente sub dominio conferentis, juxta L. *si tibi* ff. de præscrib. verb. & in fact. action. ibi: *Nemo societatem contrahendo rei suæ dominus esse desinit.* Cui conformiter S. Thomas q. 78. a. 2. ad 5. *Qui committit pecuniam suam mercatori, per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum* (regulariter loquendo, nisi contrarium diserte exprimat) *sed remanet ejus, ita quòd cum periculo ejus mercator de ea negotiatur.* Et ratio est, quia quod in societatem confertur, non donatur. L. *societatem* ff. eod. Et societas, simpliciter inita, non præsumitur inita, quoad communicationem bonorum, sed tantùm quoad communicationem quæstûs. L. 7. ff. eod. ibi: *Coiri societatem & simpliciter placet; & si non fuerit distinctum, videtur coita esse universorum quæ in quæstu veniunt, hoc est, siquod lucrum ex emptione, locatione, conductione* (vel *operâ cujusque*, prout dicitur L. seq.) *descendit.* Et hinc conferens pecuniam suam in societatem, potest ex ea lucrum reportare, potiùs quàm conferens eam in mutuum: quia cùm retineat dominium illius, lucri ex illa partem potest exigere.

870 Tres modi vulgares sunt istius societatis negotiatoriæ, dominio sortis penes conferentem remanente. Primus, quando omnes & singuli socii ponunt industriam, laborem & pecuniam. Secundus, quando unus ponit pecuniam, alter industriam, tertius laborem. Tertius, quando unus pecuniam confert, alius industriam & laborem: quod justè fieri posse declaratur §. *de illa* Instit. de sorte. Omnes isti modi liciti sunt, modò conditiones sequentes observentur.

871 Prima, ut pecunia collata verè in negotiationem exponatur. Si enim pecuniam conferens sciret, nullam secuturam negotiationem, non esset societas, sed mutuum, ex quo, sub ficto societatis nomine, lucrum ultra sortem exigeret. Et sic foret usura. Ita Doctores communiter.

Secunda, ut negotiatio vel opificium sit honestum. Alioqui societas nulla esset, seu irrita. L. *nec permittendum* ff. eod.

Tertia, ut pecunia collata subjaceat periculo conferentis, ipsi peritura, si eam perire contingat. Quia nullum alium habet justum lucrandi titulum (dum solam pecuniam confert) nisi periculum istud.

Quarta, ut per omnia servetur æqualitas inter socios, proportionaliter ad id quod quisque in societatem confert. Unde quò plus in societatem quis contulit, tantò plus de lucro recipere debet. §. *illud expeditum* instit. de

de societate. Si ergo unus ex sociis pecuniam, alter industriam contulerit, considerandum, an in ordine ad negotiationem & lucrum tanti æstimetur industria, quanti pecunia; & tunc lucrum æqualiter est dividendum. Et idem esse de damno, constat ex definitione societatis: hoc tamen servato discrimine, quòd in societate, in qua solius lucri & damni, non sortis fit communio, sors soli pereat conferenti, tamquam domino (sive in principio, sive in medio, sive in fine societatis pereat) ut suprà dictum est. In societate verò, in qua sors etiam ipsa, seu dominium illius communicatur, si, eâ durante, sors pereat, perit omnibus sociis, pro rata.

872 Nec aliud exigit æqualitas hujus contractûs: utpote solùm servanda in iis quæ communicantur in societate (in quibus commoda & incommoda esse debent communia) non verò in iis quæ non communicantur. Dum igitur sors, v. g. pecunia, non communicatur quoad se, sed solùm quoad usum & lucrum, æqualitas hujus contractûs non postulat ut commune sit illius periculum quoad se, sed solùm quoad usum & lucrum.

873 Atque hinc patet, quomodò, salvâ æqualitate hujus contractûs, dum unus pecuniam confert, alter operam, seu industriam (pecuniæ dominio non communicato) ille qui pecuniam confert, duplici subjaceat periculo, amittendi scilicet pecuniam, & amittendi lucrum illius, ubi conferens industriam solùm subjacet uni periculo, scilicet lucrum amittendi: semper enim retinet facultatem ad similes industrias, ubi amittens pecuniam non retinet facultatem ad similes usus illius.

CAPUT LXXXII.

Justa & legitima non est societas cum pacto, ut capitale salvum sit ei qui pecuniam in societatem confert, lucrum verò communiter dividatur.

874 ITa Concilium Mediolanense I. sub S. Carolo Borromæo tit. de usuris ubi prohibet, *ne in societate, in quam alter pecuniam confert, alter operas, lucri distributio constituatur, nisi per quotas partes; nec ultra eas certa pecuniarum summa, vel quid aliud conferenti pecuniam conferatur; neque fiat pactio, ut sors salva sit, fructus verò communiter dividatur.* Idem prohibet Concilium Burdigalense anni 1583. tit. de usur. & illicit. contract. Et generalis Ecclesiæ Gallicanæ Conventus Melodunensis tit. 34. de usuris. Et ratio sumitur tum ex dictis n. 871. quia una ex conditionibus justæ & legitimæ societatis est, ut pecunia collata subjaceat periculo conferentis: tum ex discrimine, quod inter mutuum & societatem intercedit; quia namque mutuans non est dominus pecuniæ mutuatæ, ex ea lucrum non potest percipere, eò quòd unaquæque res domino suo pereat aut fructificet; quia verò conferens pecuniam in societatem, pecuniæ sic collatæ dominus est, ex ea lucrum percipere potest. Ob eandem rationem. Et hoc est quod S. Thomas ait loco citato: *Ille qui committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici, per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet ejus; ità quòd cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur; & ideò sic licitè potest partem lucri inde provenientis expetere, tamquam de re sua.* Societas ergo in mutuum usurarium degenerat, dum pecunia in societatem confertur cum pacto, ut si pereat, quamvis absque dolo & culpa associati, vel associatorum, non pereat conferenti, & nihilominùs lucrum inde captet.

Dixi, *si pecunia pereat absque dolo, & culpa associati, vel associatorum*: utpote qui tantam diligentiam communicatis rebus adhibere tenentur, quantam suis adhibere solent, ut Justinianus ait lib. 3. Instit. 26. & ideò respondere debent de dolo suo & culpa. 875

Neque societas sic iniri legitimè potest, ut damnum commune non sit, sicut commune est lucrum, vel sic ut sociorum unus lucrum percipiat, ultra quotam partem suam: Quia & utrumque istud est contra naturam definitionemque societatis. Unde L. 52. ff. pro socio dicitur, quòd sicuti lucrum, ita damnum quoque *sociis commune esse oportet, quod non culpâ socii contingit.* Confer quæ dixi n. 868. commune utique pro rata, seu quota parte pecuniæ, & operæ collatæ in societatem. Et ideò Concilium Burdigalense vetat, *ne in societate, in qua alter pecuniam confert, alter operam, lucrum aliter, quàm ex aquis partibus dividatur.* 876

CAPUT LXXXIII.

Contractui societatis adjicere non licet duplex aliud pactum; primum, quo sociorum alter sortem in omnem eventum assecuret pecuniam conferenti; alterum, quo vendatur ipsi lucrum incertum pro certo. Nec proinde licitus est contractus trium (ut vocant) cum eodem.

877 REm hîc aggredimur celebertimam, in qua universi fatentur, eum qui pecuniam contulit in societatem, non posse, ex vi contractûs societatis, ab alio associato exigere præstandam sortis securitatem: cùm ex definitione, & essentia societatis, in qua dominium pecuniæ non communicatur, sed usus & fructus duntaxat, damnum quidem & lucrum commune esse debeat, sed collatæ pecuniæ periculum soli maneat conferenti, tamquam domino. Verùm quæstio est, an contractui societatis licitè adjici queant duo alii contractus, scilicet venditionis lucri in-

certi pro certo, & assecurationis sortis, quo sociorum alter, pro certo pretio, sortis periculum in se suscipiat, & incertum lucrum majus pro minori certo emat, ab eo qui pecuniam contulit, & hoc pacto pecuniæ collator certus sit de lucro aliquo percipiendo, absque ullo sortis periculo ?

878 Id licitum affirmant Major, Navarrus, Lessius, Tannerus, Malderus, Mastrius, Rosignolus, & Recentiores benè multi, dicentes tres illos contractus, societatis, assecurationis, & emptionis, seu venditionis, cum eodem iniri posse, non solùm successivè, sed simul & semel, etiam per modum unius contractûs innominati, qui sit virtualiter triplex, seu virtualiter tres illi contractus, sub hac v. g. formula : *Infrascriptus attestor me recepisse à N. summam tot flor. in societatem legitimæ negotiationis, quam summam ipsi assecuro, & loco lucri incerti majoris, quod eidem ratione societatis posset obvenire, promitto ipsi solvere cum summa capitali tot florenos, infra tale tempus, ita quòd lucrum majus inde obventurum mihi cedet. In quorum fidem, &c.* Hâc viâ putant Titium, qui non valet, vel non audet pecuniam suam exponere negotiationi, nec venales invenit annuos reditus prædiales, sibi idoneos, posse ad conservationem & augmentum pecuniæ suæ, eam conferre mercatori in societatem negotiationis, cum adjectis duobus aliis illis pactis.

879 Verùm enimverò Doctores illos in eam sententiam non pertraxit humana ratio consequens documenta Sanctorum, præscriptaque Summorum Pontificum, & sacrorum Canonum, ac Legum; sed humana ratio antecedens, nimis lubrica & erratica, ut ipsi committatur animarum salus & directio, in re tanti momenti. Ob ea quæ dixi to. 1. Prolegomeno. 1.

880 Contrarium proinde dicendum cum S. Thoma, S. Bonaventura, S. Antonino, S. Bernardino Senensi, S. Carolo Borromæo, Sixto V. pluribus Conciliis, necnon cum Ecclesia Gallicana, S. Facultate Parisiensi, Cajetano, Sylvestro, Soto, Geneto Episcopo Vasionensi, aliisque Theologis gravissimis, atque innumeris, tum Canonici, tum Civilis Juris Interpretibus, teste Rosignolo de contract. disquisit. 3. §. 8. n. 3.

Verba S. Thomæ habes n. 869. & 874. rationem enim, cur potiùs in societate lucrari liceat ex collata pecunia, quàm in mutuo, unicè petit ex eo, quòd socius cum periculo ipsius de ea negotietur.

881 Verba S. Bonaventuræ to. 2. opusc. c. 2. in opusculo cui titulus, *Opusculum animæ*, sic se habent : *Item est usura, cum quis aliquid commune habet cum aliquo, quidquid sit illud, & periculum & damnum non est commune.*

882 Verba S. Antonini perspicua sunt p. 2. tit. 1. c. 7. §. 37. *Quæritur, an dans pecuniam mercatori ad mercandum, vel artifici ad materias emendum, ut ex eis artificiata faciat, cum pacto, vel etiam sine pacto, sed cum hac intentione principali, quòd capitale sit salvum, & partem lucri habeat : nunquid talis est usurarius ?* Post allatam sententiam Glossæ, sic ipse quæstionem resolvit : *In aliis contractibus valet pactum appositum præter naturam contractûs, ut damnum spectet ad suscipientem, ut in commodato, & similibus. Contrarium tamen dicendum in societate, cùm sit contra ejus naturam. Societas enim est quædam fraternitas. ff. pro socio L. verum. Unde sequitur, quòd tale pactum non sit præter, sed contra naturam contractûs societatis. Unde non valet.* Eadem ferè sunt verba S. Bernardini Senensis p. 2. serm. 39. a. 1. c. 1. versu *primus casus.*

Nec satisfacit Rosignolus, dicens, Sanctos illos intelligendos, sic ut id non liceat ex vi contractûs societatis, præciso quocumque alio contractu. Cùm manifestè dicant non valere alium ejusmodi contractum, adjunctum societati, licèt valeat in aliis contractibus, in quibus non est contra, sed præter eorum naturam. Atqui contractus adjunctus aliis contractibus, præter eorum naturam, non est adjunctus ex vi ipsorum, præciso quocumque alio contractu. Igitur dicunt ejusmodi contractum adjici non posse contractui societatis, licèt adjici queat aliis contractibus. 883

Verba S. Caroli Borromæi cum suo Concilio I. Mediolanensi cap. de usuris, sunt ista : *Ne in societate, in qua alter pecuniam confert, alter operas, lucri distributio constituatur, nisi per quotas, nec ultra eas certa pecuniarum summa, vel quid aliud conferenti summam persolvatur, neque fiat pactio, ut sors salva sit, fructus verò communiter dividatur.* Item : *In societate animalium, quæ inæstimata alicui dantur ad custodiam, sive ut operas præstet, omnes casus, etiam fortuiti, semper sint periculo ejus qui dederit, nisi id alterum sociò dolo, vel magnâ negligentiâ accidisse constiterit, nec fiat pactum, ut sors sit semper salva, etiam ex primis fœtibus. Si autem animalia dentur æstimata, ita ut sors danti salva sit, nihil omninò percipi possit.* Idem iisdem verbis habetur in Concilio Melodunensi anni 1578. Ecclesiam Gallicanam repræsentante, & in Concilio Burdigalensi anni 1585. 884

Verba Sixti V. in Bulla *detestabilis* anni 1586. sic habent : *Damnamus & reprobamus omnes & quoscumque contractus, & conventiones, & pactiones, post hac ineundos, seu ineundas, per quos, seu quas cavebitur personis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res, societatis nomine tradentibus, ut etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa, seu capitale semper salvum sit, & integrum à socio recipiente restituatur, sive ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos, aut menses, durante societate respondeatur. Statuimusque hujusmodi contractus, conventiones, & pactiones usurarios & illicitos post hac censeri debere, atque impostèrum non licere* 885

cere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo inter se pacisci, & concordare. Neque etiam, sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerint, socios, qui ea recipient, ad sortem, seu capitale salvum & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quovis pacto aut promissione se obligare. Ac ne de cætero societates ineantur sub hujusmodi pactis & conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiunt, districtè interdicimus & prohibemus.

886 His conformiter Facultas Theologica Parisiensis hanc propositionem: *Si contractui societatis adjungatur contractus assecurationis capitalis, ac venditionis lucri, incerti pro certo, virtute trium horum contractuum licitum est exigere lucrum certum, cum assecuratione capitalis*: anno 1664. hâc censurâ notavit: *Falsa est, scandalosa, inducens ad usuras committendas, variasque aperit artes eas palliandi, justitiam & charitatem violandi, & a sacra Facultate jam damnata.*

887 Assertio itaque nostra probatur 1°. ex doctrina Sanctorum, quorum verba protulimus, sicut & Conciliorum Mediolanensis, Melodunensis, & Burdigalensis; necnon ex censura Facultatis Parisiensis. Sed maximè ex Pontificia declaratione Sixti V. quæ peremptoria videtur hac in causa. Cùm enim Martinus Navarrus contractum trium acerrimè tueretur, ipsique Dominicus Soto, toto conatu magno cum fervore resisteret, tresque illos contractus, cum sociorum altero initos, velut usurarios reprobaret, certamine inter ipsos in dies efferveſcente, Navarrus ad Sixtum V. recursum habuit, ab ipsoque istius controversiæ definitionem enixè flagitavit. Sixtus V. controversiam hanc, post accuratum examen, determinavit, & præter Navarri expectationem, tres illos contractus illicitos usurariosque declaravit; opinionemque Navarri deinceps practicari prohibuit, pro ratione in principio Bullæ suæ allegans, quòd per eam *irrepit versutè & callide antiquus humani generis hostis, per varios dolos* & fallacias, seu ludificationes, ac fallaces erraticæ rationis humanæ subtilitates, *& incautos homines, quastûs dulcedine captos & delinitos opprimit, atque eò perducit, ut seipsos in usurarum voraginem, Deo hominibusque odiosam, sacris Canonibus damnatam, & Christianæ charitati contrariam, fœdè immergant, &, cùm vanas & terrenas divitias quærunt, veras & cælestes amittant.*

888 Cùm igitur Sixti V. judicium, velut supremi Ecclesiæ Judicis, hac in re postulatum fuerit, & contra Navarri opinionem Pontifex sententiam protulerit: quis non exclamet (cum Augustino) *Româ rescripta venerunt, causa finita est?* Quis non miretur, post hæc adhuc Navarri opinionem defendi, contractumque trium (quem Pontifex disertis verbis damnat, velut usurarium, versutiâque humani generis hostis inductum) adhuc propugnari?

889 Non desunt interim malè feriati homines, Metaphysicis argutiis Sixtinam eludere conantes (inquit Natalis Alexander Th. Dogm. & Mor. to. 7. c. 7. a. 2. reg. 23.) Aiunt ipsi 1°. Sixtinam non esse in Belgio receptam. 2°. quòd Sixtina non improbat contractum trium, velut jure naturæ illicitum: solùm enim dicit *posthac, in futurum*, &c. fieri non debere. 3°. solùm servit pro foro externo, ob præsumptionem, vel periculum usuræ. 4°. solùm damnat societatem, in qua periculum summæ capitalis, & lucri in alium socium rejicitur, ex vi solius contractûs societatis: secùs ex vi duorum aliorum contractuum ei superadditorum, scilicet venditionis & assecurationis. Hunc namque Sixtinæ sensum esse Cardinalis Toletus, & Cardinalis S. Severinæ (qui eam mandato Sixti V. composuerunt) P. Stephano Tullio, Societatis Theologo, testificati sunt, prout refert Comitolus lib. 3. respons. moral. q. 12. n. 3.

890 At imprimis Sixtinam in Belgio receptam esse, testatur Anselmo in Tribon. Belgico c. 46. n. 3. dicens eam ibi mandatam executioni; eamque executioni mandari voluit Synodus Antuerpiensis sub Miræo anno 1609. tit. 5. c. 15. circa finem, ut obediret Sacræ Congregationi, quæ eam publicari, & observari præceperat 29. Septemb. 1608. Et reverà, cùm per eam Pontifex jus divinum & naturale interpretetur, omnes omninò fideles eam recipere tenentur. 2°. ex verbis 891 Bullæ, & ratione n. 887. allatâ (quâ nititur Pontifex) constat quòd contractum trium improbet & damnet, tamquam noviter adinventum, ad palliandam usuræ injustitiam, ibi reverà delitescentem: ideò namque contractum illum damnat; quia, eum suggerendo, *irrepit versutè & callidè humani generis hostis per varios dolos & fallacias, ut incautos homines..... in usurarum voraginem, Deo hominibusque exosam, sacris Canonibus damnatam, & christianæ charitati contrariam fœdè immergat.... Sicut nuper cum magno dolore audivimus hoc malum in quasdam provincias irrepsisse.... contra æquitatem & societatis justitiam..... Proinde nos.... ut Gregem Dominicum.... ab omni offensione, & vitæ æternæ discrimine tutum in viam salutis dirigere nitamur, hujusmodi morbi contagionem, antequam in communem fidelium perniciem latiùs serpat.... tollere cupientes... damnamus, &c.* Igitur damnat illum, tamquam ex se injustum, usurarium, pernicioſum, immergentem homines in usurarum voraginem, Deo exosum, sacris Canonibus damnatum, & tamquam contagionem, usurariam pravitatem sapientem, prout eadem Bulla loquitur. Nec refert, quòd damnando prohibeat ejusmodi contractum *posthac* sive *in futurum* iniri; neque enim hoc dicit, quasi ejusmodi contractus antè initos usurarios non

censeat (cùm sub Bullæ finem usurarios haberi velit eos, qui, *prætextu similium contractuum, societatis nomine initorum, qui huc usque durant, ad exactionem dictæ sortis, postquam casu fortuito perierit, in futurum procedere ausi fuerint*; suam proinde declarationem ad similes contractus jam antè celebratos extendat) sed ideò sic loquitur, quia plerique hactenùs se excusatos prætendebant, ex hoc quòd invalescere cœpisset opinio plurium Doctorum, praxim illam justificantium. At justificari non posse Pontifex declaravit, dum praxim illam damnavit. Ideòque prohibuit, ne quis imposterùm sic sentiat, nec praxim illam justificet, vel se justificatum putet, ejusmodi opinionem contra S. Sedis declarationem practicando. Unde Azorius p. 3. l. 19. c. 4. *Optabat* (inquit) *Navarrus, ut Pontifex declararet, pactum tale in societate licitum esse. At contrarium Pontifex declaravit, ac definivit.* Et ideò non video quomodò excusari possint, qui post Bullam illam Navarri opinionem sequuntur. Sanè eos, qui aliàs illam propugnarunt, Azorius ibidem non videt aliter excusari posse, nisi quia ante Bullam illam sua scripta ediderunt.

892 3°. si Pontifex contractum illum trium damnet, velut ex se *injustum, & usurarium, divinisque & canonicis Legibus contrarium*: damnat ergo pro foro etiam interno, & ne hujusmodi morbi contagio in communem fidelium perniciem latiùs serpat, prout ibidem dicit. Ad quod ampliùs significandum, dicit, nullam ex ejusmodi contractu obligationem civilem aut naturalem oriri.

893 4°. certum est Pontificem non dicere, damnari à se assecurationem capitalis, & lucri certi pro incerto, factam in vim societatis, sed à se damnari seu reprobari *omnes & quoscumque contractus, conventiones & pacta .... per quos seu quas cavebitur personis, pecunias ... societatis nomine tradentibus, ut etiamsi fortuito casu .... amissionem sequi contingat, sors ipsa, seu capitale semper salvum sit, & integrum a socio recipiente restituatur, &c.* Et aliàs Pontifex causam Navarri, ab ipso ad se delatam, non determinasset; imò ne attigisset quidem: cùm Navarri cum Soto controversia nunquam fuerit, an assecuratio illa in vim contractûs societatis fieri posset; sed an fieri posset in vim additorum saltem virtualiter duorum aliorum contractuum.

CAPUT LXXXIV.

Multiplici ratione (laudatas authoritates consequente) contractus trium illicitus ostenditur.

894 PRima ratio est, quia per trium illorum contractuum conjunctionem, societatis, assecurationis sortis, & venditionis lucri incerti pro certo, reverà destruitur societas, & conjunctio ista reverà definit in mutuum lucrativum, adeòque in mutuum usurarium. Per adjectam namque assecurationem, venditionemque lucri incerti pro certo, destruitur lucri, damnique communio & æqualitas, quæ sunt de natura, & legibus essentialibus societatis. Totum namque damnum, ex fortuitis casibus forsitan eventurum, in sociorum alterum rejicitur; & qui sic contrahit, nihil aliud intendit, nisi tradere alteri pecuniam suam ad certum interesse, absque ullo periculo sortis, & lucri, cujus etiam periculi communio est de natura societatis. Reverà ergo non tradit alteri pecuniam in societatem, sed in mutuum, societatis nomine palliatum. Tradit enim v. g. mille, sub spe lucrandi centum quinquaginta; pro assecuratione verò capitalis, ex isto lucro sperato cedit socio sexaginta; & rursus cedit ipsi residuum lucrum speratum, pro assecuratione lucri quadraginta; quod quid est aliud, nisi per ambages mutuò dare mille sexaginta, ut quadraginta supra sortem recipiat? Tradit enim mille, eâ lege quòd socius ea recipiens tenebitur ei mille restituere, quidquid demum acciderit; eâ item lege, quòd tenebitur mille restituere cum auctario quadraginta. Quod reverà est tradere mille in mutuum, cum auctario restituendum, non in societatem. Quia, ut dixi, duplex ista obligatio certi lucri in omnem eventum præstandi, sortisque in omnem etiam eventum restituendæ, societati adjecta, naturam & essentiam ipsius destruit, hoc ipso quòd destruit communionem, & æqualitatem, tam in damno, quàm in lucro. Tam ergo societas nulla est, ubi socius cum socio communicat in lucro, non in damno, quàm mutuum nullum est, ubi non est dominii translatio, remque eamdem, seu ejusdem speciei ac bonitatis reddendi obligatio. Vide infrà responsionem ad objectionem tertiam.

Nec argumenti vis evacuatur, dicendo, 895
quòd ex vi quidem societatis uterque socius communicare debeat in damno, sicut in lucro; communionem tamen in damno esse à sociorum uno separabilem ex vi alterius contractûs superadditi. Quemadmodùm enim per nullum contractum superadditum fieri potest, quòd res mutuata non transeat in dominium mutuatarii, eamque restituendi obligatio ab ipso separetur; ita similiter, &c.

Neque verò fas est de moralibus istis phi- 896
losophari, sicut de intentionalibus & formalitatibus Metaphysicis, aut actibus scientiæ & opinionis; quasi ex eo quòd (in probabili Philosophia) incertus de re aliqua, ex vi & motivo opinionis, de eadem (salvâ opinionis essentiâ) simul certus esse queat ex vi & motivo scientiæ; similiter fieri queat, quòd damni cum altero communionem habens ex vi societatis, ab ista communione (salvâ societatis essentiâ) immunis esse queat ex vi alterius contractûs. De moralibus

namque moraliter, non intentionaliter, aut metaphysicaliter philosophandum; per consequens potiùs à paritate aliorum moralium, quàm à paritate intentionalium, aut metaphysicalium. De societate ergo potiùs philosophandum à paritate mutui (uti proximè arguebamus) quàm à paritate opinionis & scientiæ.

897 Secunda ratio: quidquid sit, an societas taliter contracta desinat in mutuum, saltem non est ratio justior lucrandi titulo talis societatis, quàm titulo mutui. Tunc enim (aliàs non) societas justior est causa lucrandi, quàm mutuum, quando pecuniam conferens in societatem, eam exponit periculo, ita quòd cum periculo ipsius mercator de ea negotietur, uti ex S. Thoma vidimus n. 872. Istam quippe, non aliam rationem S. Doctor ibi assignat. Et reverà ita esse perspiciet, quisquis attentâ mente pensaverit, pecuniam ex natura sua esse sterilem, nec aliâ ratione fructiferam, nisi vel per industriam utentis, vel per hoc quòd periculo exponatur ad legitimum usum lucrativum. Duabus igitur solùm de causis licitum est lucrum ex societate, potiùs quàm ex mutuo; vel quia industriam suam quis confert; vel quia pecuniam suam periculo exponit. Ergo qui solam pecuniam, & nullo modo industriam suam confert in societatem, nullam habet justam inde lucrandi causam, nisi pecuniam suam periculo exponat.

898 Tertia ratio, & præcedentis confirmatio, est quia quandocumque pecuniam solam confert quis in societatem, nullam verò operam, nec industriam, non potest, salvâ æqualitate inter socios requisitâ, sic velle participare de lucro, ut nihil participare velit de periculo, nec de damno: æqualitas namque ista postulat, ut qui non vult participare de periculo, nec de damno, nihil etiam participet de lucro. Quippe postulat, ut non participet de lucro, in quo nulla est lucrandi ratio; ac per consequens postulat, ut totum lucrum, uti totum periculum & damnum socio relinquat, qui nullum periculum nec damnum subire vult, nec ullam operam conferre; nullam proinde lucrandi rationem participare; prout à simili videre est in socio nullam pecuniam conferente, qui si nollet saltem operam & industriam ponere, sed per alium contractum ab illius ponendæ obligatione se liberare, salvâ æqualitate, non posset vellé participationem lucri, qui particeps esse nollet rationis, seu tituli lucrandi.

Verum quidem est, quòd tunc nihil omninò supereset, quod in societatem conferret; in casu verò (de quo agimus) supersit pecunia conferentis illam. Ast istud discrimen nihil facit ad enervandam vim argumenti. Cùm enim pecunia sola (id est seorsim ab industria, labore, periculique incursione) sterilis sit, & infructuosa, illam solam conferre seorsim, &c. in ordine ad lucrum percipiendum perinde est ac nihil conferre.

Quarta ratio est, quia contraria opinio 899
viam aperit usuris palliandis, excusandæque praxi, quâ pupillorum, viduarum, ancillarum, imò & nobilium pecuniæ, mercatori, vel alteri traduntur ad interesse, v. g. quinque in centum per singulos annos, quasi per modum commercii, retentâ facultate repetendæ sortis, quando ad majorem ætatem pupilli, & minores pervenerint, vel quando matrimonium, vel statum ecclesiasticum, aut religiosum suscipient, vel aliàs ad illorum arbitrium. Poterunt namque id practicantes allegare, se interesse illud non prætendere pro mutuo, sed pro commercio, sive pro triplici illo contractu, virtualiter inito, cujus intuitu non exigunt interesse majus, cùm possent. Quamvis enim de triplici illo contractu explicitè non cogitent, cogitant implicitè, volendo interesse illud lucri omni meliori modo quo fieri potest. Quod sufficere docent Lessius, aliique triplicis contractûs patroni. Illam nihilominùs praxim tutorum & curatorum, pleraque damnant Concilia, Mediolanense I. Burdigalense anni 1583. Mechlinienſe anni 1570. Cameracense anni 1586. Audomarense anni 1583. Iprense anni 1587. Atrebatense sub Moulartio. Ecclesia quoque Gallicana in Conventu Melodunensi anni 1578. Denique pro Belgio nostro Philippus II. in Diplomate super executione laudati Concilii Cameracensis art. 21. declarat tales contractus irritos & nullos. Et S. Antoninus p. 2. tit. 1. c. 7. §. 21. usurarios, restitutionique obnoxios.

CAPUT LXXXV.

Solvuntur objectiones.

OBjicies 1°. cap. *per vestras* de donat. 900
inter virum & uxorem Innocentius III. jubet, ut dum maritus dilapidator vergit ad inopiam, dos uxoris deponatur in manus negotiatoris, ut honesto lucro inde comparato, matrimonii onera subleventur. Respondeo, nihil inde confici posse pro contractu trium: utpote cujus praxis tunc temporis nondum erat nata. Nec certè Pontifex mentionem ullam facit de adjiciendo pacto assecurationis dotis: tametsi enim voluerit dotem eripi è manibus mariti dilapidatoris; hoc ideò non voluit, ut dos assecuraretur, sed ut tutior esset in societatem data prudenti mercatori, quàm relicta in potestate mariti prodigi: eò quòd utique eo modo esset in manu prudentis mercatoris, quo in manu mariti divitis, qui sua prudenter administraret, non quidem absque omni periculo, sed nec absque spe lucri ad portanda matrimonii onera.

Objicies 2°. L. *si non fuerint* ff. pro socio 901
dicitur, ita coiri societatem posse, ut nullius partem damni alter sentiat, lucrum verò

commune sit. Ergo licitum est societati addere pactum assecurationis sortis, stante interim communione lucri.

Nego consequentiam: utpotè quam Adversarii non inferrent, si legem totam allegaret; sequitur enim immediatè post verba objecta, *quòd hoc ita demum valebit, si tanti sit opera, quanti damnum est. Plerumque enim tanta est industria socii, ut plus societati conferat, quàm pecunia. Item si solus naviget, si solus peregrinetur, pericula subeat solus.* Lex ergo illa manifestè agit de casu, quo unus pecuniam confert in societatem, alter verò operam seu industriam æquivalentem. Quo casu lucrum vult esse commune, licèt alter socius, qui solam operam & industriam confert, nullam sentiat partem damni illius pecuniæ, si casu fortuito pereat: quia dum unus sociorum illorum pecuniam suam perdit, alter suas etiam operas (pecuniæ æquivalentes) perdit. Et ideò majorem haberet communionem damni, quàm lucri (contra æqualitatem societatis) si partem aliquam sustineret damni istius pecuniæ: solùm enim reciperet medietatem lucri, sentiret autem tres partes damni, dum sentiret & operæ jacturam, & medietatem amissæ pecuniæ. Istam verò inæqualitatem lex illa removere intendit. Et ideò magis valet ad assertionem nostram confirmandam, quàm ad eam infirmandam.

902. Objicies 3°. non est verum quod suprà diximus, contractus utique trium desinere in mutuum: quia de essentia mutui est translatio dominii à mutuante in mutuatarium. Pecunia verò, quæ mercatori confertur in societatem negotiationis, non transit in dominium istius mercatoris, licèt ipsi pereat, si pereat; eamque in omnem eventum cum lucro restituere debeat: quia mercator ille equidem de ea disponere non potest ad quem vult usum, sed ad negotiationem; nec eâ uti nomine proprio, sed conferentis; nec ideò censendus est dominus istius pecuniæ, quòd periculo ipsius subjaceat, ipsique pereat, si pereat. Quia vulgatum istud, *unaquæque res domino suo perit*, universaliter verum non est; uti nec istud, *unaquæque res domino suo fructificat*, uti constat ex eo quòd res empta, si pereat, aut fructificet ante traditionem, pereat aut fructificet emptori, licèt nondum sit sub dominio ipsius. Item ex eo quòd res deposita, commodata, locata, non sit sub dominio depositarii, commodatarii, locatarii, quorum tamen periculo nonnunquam subest, vi contractûs assecurationis adjecti depositi, commodato, &c.

Confirmatur 1°. quia pecuniæ dominium non transfertur nisi collator velit. In casu verò, de quo agitur, non vult illud transferre, sed pecuniæ duntaxat usum concedere. 2°. si contingat assecuratorem, cui pecuniam contulit, non esse solvendo, collator semper potest collatam à se pecuniam extrahere, ante alios omnes creditores, in bonis istius assecuratoris hypothecam habentes; potest quoque eandem furto sublatam, ubicumque repertam, actione reali vendicare. Quæ omnia sunt aperta indicia retentionis dominii.

Respondeo 1°. sive contractus ille triplex desinat in mutuum, sive non, non magis equidem justus adest titulus lucrandi ex prætensa societate, taliter inita, quàm ex mutuo. Ob ea quæ dixi num. 895. & 896. 903

Respondeo 2°. negando antecedens. Ad ejus probationem nego subsumptum: quia mercator pecuniam illam periculo suo sic recipit, ut eam distrahere, adeòque moraliter destruere possit, nec teneatur eandem ipsi restituere, sed valorem duntaxat; nec denique collatoris interest in quem usum à mercatore impendatur, modò eam vel valorem ipsius cum lucro recipiat, dum ad id mercatorem obligat; dum (inquam) obligat ipsum ad eam cum lucro restituendam, vel valorem ipsius, in quemcumque usum applicata fuerit, & quocumque tandem modo perierit, & sive negotiatio successum habuerit, sive non. Quod profectò signum est, quòd in mercatorem transtulerit potestatem eâ utendi ad omnem usum sibi placitum, adeòque mercator habeat illius dominium, potiùs quàm depositarius, commodatarius, &c. de quibus suprà. Ipsi enim tenentur rem eamdem in individuo restituere, mercator solùm eamdem in specie; ipsi etiam re illâ uti non possunt, nisi salvâ rei substantiâ; non proinde ad placitum: secùs mercator ille.

Dicunt quidem Adversarii, mercatorem eâ pecuniâ solùm uti posse ad negotiationem, ejusque finem. Sed contrà: si pecuniæ collator ad eum solum finem & usum, pecuniam suam ei concessisset, cur ipsum obligasset ad certum lucrum sibi pendendum in omnem eventum, etiam quo negotiatio lucrum nullum pareret, sed potiùs damnum? Hinc ergo convincitur voluisse sibi à mercatore pendi lucrum, sive ex negotiatione proveniens, sive undecumque; adeòque quemcumque placitum pecuniæ usum mercatori concessisse. Si enim solum intendisset lucrum ex negotiatione, non perstitisset in volendo lucrum, negotiatione non succedente. Quidquid ergo verbotenus, vel specietenus in contrarium asserat, reipsà non vult efficaciter societatem, nec negotiationem, sed lucrum ex pecunia sua, mercatori ad usum, sive negotiationis, sive alium quemcumque concessa, & in omnem eventum cum lucro restituenda: quod est velle lucrum ex mutuo. 904

Et hinc ad 1^sm. confirmationem nego subsumptum: tametsi enim specietenus non velit, reipsà vult mutuare, atque ex mutuo lucrum referre; non autem ex sola negotiatione (uti proximè audivimus) neque ex 905

vera societate, prout n. 897. & 898. ostendimus.

906 Ad 2am. confirmationem respondeo, ea quæ ibi dicuntur, non esse signa sufficientia retentionis dominii, sed specialis duntaxat obligationis, quâ pecunia illa specialiter obligata manet collatori suo, ante alios creditores omnes. Sic enim res vendita, in se adhuc extans apud emptorem, factum impotentem ad solvendum, manet specialiter obligata venditori (licèt non retinenti dominium ipsius) eamque ipse extrahere potest ante omnes alios creditores. Similiter pecunia mutuata ad refectionem domûs, vel navis, in casu similis impotentiæ mutuatarii, manet specialiter obligata mutuanti; res quoque empta ex pecuniis pupulli, manet specialiter obligata pupillo, dominium non retinenti, &c. Videri potest Lessius lib. 2. c. 15. dub. 4.

907 Objicies 4°. non est cur contractui societatis adjici nequeat pactum, quo pecuniæ collator, retento illius dominio, in alterum socium rejiciat sortis periculum, justo pretio onus istud ipsi compensando; quemadmodùm simile pactum, cum justa oneris compensatione, adjici potest contractui depositi, commodati, locationis, juxta L. 1. ff. depositi.

Respondeo constare ex Ecclesiæ declaratione, doctrinaque plurium Conciliorum ac Sanctorum, atque ex rationibus cap. præcedenti allatis, tale pactum adjici non posse societati. Unde magnum quoad hoc est discrimen inter contractum societatis & depositi, vel etiam commodati & locationis. Nam etiamsi periculum rei depositæ, commodatæ, locatæ, regulariter maneat apud deponentem, commodantem, locantem, tamquam dominum; id non est de essentia istorum contractuum, sicut est de essentia societatis: cùm de essentia depositi solùm sit committere rem suam alteri custodiendam; de essentia commodati gratuitò ipsi concedere usum rei suæ, salvâ ejus substantiâ; de essentia locationis, rei suæ usum alteri concedere pro justo pretio. Et ideò dum contractibus istis pactum adjicitur assecurationis rei depositæ, &c. adjicitur præter, non contra naturam eorum; dum verò adjicitur societati, adjicitur contra naturam ipsius: eò quòd de societatis essentia sit communio in damno, sicut in lucro, ut S. Antoninus observavit suprà, idque adeò certum fuit toti Antiquitati, ut Zonaras & Theodorus Balsamon id deduci censeant ex Canone XVII. Concilii Nicæni I. ubi sic: *Siquis inventus fuerit post statutum hoc usuras ex mutuo sumere, vel eam rem aliter persequi.... vel aliquid excogitare turpis lucri gratiâ, è Clero deponatur, & sit alienus à Canone.* Quorum verborum Zonaras sensum esse dicit: *Si quem, post ea quæ nunc statuta sunt, usuras ex tractatione, hoc est quasi instar negotiationis.... aut aliâ quâcumque ratione exigere compertum fuerit, è Clero deponatur, &c. fœneratorum enim nomen & infamiam aliqui declinantes, pecuniam ita dant mutuam, ut sibi lucri partem ex ea paciscantur, nec se fœneratores, sed socios denominent, ac emolumentorum tantùm participes, nullum interea jactura periculum subeant. Hæc igitur, & hujusmodi omnia Canon vetat.* Theodorus quoque Balsamon in Commentario ad eundem Canonem XVII. Concilii Nicæni: *Quidam* (inquit) *Sacerdotum Canonem intelligentes, & ipsum circumscribentes, eique fraudem facientes, verba quidem servant; mentem autem negligunt. Dant autem nonnullis pecuniam, & tantam ex lucro partem se capturos paciscuntur, periculum autem agnituros qui eam accipiunt; & cùm sint reverà fœneratores, verbo tamen societatem prætexunt; quia reverà lucrum ex mutuo, non ex societate*, absque legitimo titulo exigunt, & sic in Canonem illum mutato nomine impingunt, *quasi mutato nomine culpa transferatur, & pœna, & vox possit abolere reatum*, ait Innocentius III. in epist. ad Archiepiscopum.

Objicies 5°. tres contractus, de quibus 908
quæstio, justè fieri possunt cum diversis personis, modò servetur æqualitas pretii. Ergo etiam cum eadem persona, servatâ eâdem æqualitate. In ea quippe justitia consistit, non in habitudine ad personas.

Respondeo 1°. antecedens concedi quidem à Sylvio, sed à non paucis negari, signanter ab Illustrissimo Geneto, Vasionensi Episcopo, in Th. Mor. Gratianopolit. to. 1. tr. 4. c. 14. in fine. *Nisi* (inquit) *pecuniæ collator jus societatis*, à se initæ cum mercatore, *transferat in assecuratorem sortis, certique lucri.* Quia totum jus lucrandi aliquid in conferente pecuniam, non industriam, in societate; juxta S. Thomam sæpiùs laudatum, fundatur in periculo, cui pecuniam suam exponit. Cessante ergo periculo isto, cessat in ipso justus lucrandi titulus. Atqui cessat periculum istud, sive pecuniæ collator cum socio, sive cum alio ineat contractum assecurationis sortis & lucri. Nec hoc tantùm, sed insuper per contractum illum natura & essentia societatis destruitur, dum destruitur communio in damno, solaque restat communio in lucro: neque enim cum socio communicat in damno, quia per contractum illum assecurationis, ipse, non socius, securus est de non damno.

Respondeo 2°. dato, non concesso an- 909
tecedente, negando consequentiam: quia societas, inita prout in antecedente, non desinit in mutuum, uti juxta Ecclesiæ declarationem desinit societas inita prout in consequente. Quia dum tres contractus non fiunt cum socio, sed unus cum socio, duo alii cum aliquo tertio, socius non tenetur ad dandam ipsi partem lucri, nisi casu quo negotiatio succedat, nec pecuniâ sibi collatâ uti potest, nisi ad negotiationem, ad quam solam

pecunia ipsi confertur per contractum societatis, à duobus aliis contractibus separatum. Secùs dum pecunia ipsi confertur per contractum triplicem. Quam ob causam Sixtus V. declarat, triplicem illum contractum, cum socio initum, usurariam sapere pravitatem, societatesque, ut *ab omni usurariæ pravitatis labe, aut suspicione immunes sint, dum annus pecuniam..... alter verò operam & industriam confert*, sic incundas, seu contrahendas esse, ut non ad certam summam, aut quantitatem, ab omni periculo & damno per adjectum assecurationis contractum (uti fieri posse Navarrus putabat) immunem, lucri nomine persolvendam; neque capitale, si casu fortuito perierit, restituendum, per tertium ut suprà contractum socius accipiens teneatur. Istam quippe Sixti V. mentem manifestam facit circumstantia, in qua Bullam suam edidit, ut scilicet controversiam inter Navarrum & Sotum dirimeret. Et istam Pontificis mentem, saltem in praxi amplectendam esse, constat ex eo quòd opinio contraria Adversariorum, ipsis fatentibus, in praxi sit plena periculis: quia conditiones ab ipsis requisitæ, ab iis qui pecuniam suam committunt ad interesse, parum curantur in praxi, teste Lopez p. 2. c. 72.

910 Et ideò Zypæus in Notit. Jur. Belg. tit. de usuris, etsi opinioni illi faveat, ait tamen, quòd, quidquid sit de speculatione, praxis contractûs triplicis non facilè in judiciis approbabitur, & aliquando in Magno Consilio improbata fuerit. Rota etiam Romana decis. 552. n. 11. dicit, omni jure improbatum esse genus societatis, quo aliquis lucretur æquales fructus, & non subeat æquale periculum amissionis capitalis, sicut socius.

911 Consuetudines quidem in contrarium plurimi allegant, sed audiant Sixtum V. in laudata Bulla universis & singulis locorum Ordinariis per quascumque provincias & regna Christiani Orbis constitutis præcipientem, *ut in suis quisque civitatibus, Diœcesibus, provinciis, & locis præsentem suam Constitutionem observari curent, & contra personas contrarium practicantes, tamquam publicos usurarios & fœneratores.... procedant.... non obstantibus quarumcumque civitatum, provinciarum, locorum.... statutis, & consuetudinibus.* Audiant & Innocentium III. c. *inter dilectos*, de excess. Prælat. in simili dicentem: *Pestes hujusmodi.... penitùs improbamus, excusationem prædictam, quæ per pravam consuetudinem (quæ corruptela dicenda est) palliatur, frivolam reputantes: cùm in illis magis plectibilis sit offensa, per quos ad excusandas excusationes in culpis delinquendi authoritas, sub consuetudinis prætextu, usurpatur.* Audiant denique Joannem Taulerum, unctione Spiritûs sancti excellenter illuminatum, qui (ut refertur in vita ipsius in latinum à Laurentio Surio translata fol. 38.) *cùm diviti mercatori dixisset, certum habe, quidquid propter dilationem temporis amplius acceperis, quàm pro pecunia ex mercimonio accepturus eras, id omne injustum esse, & licèt coram hominibus usuræ nomen non obtinuerit, coram vero tamen justoque Dei judicio usura vocatur.* Frustrà verò ille reponeret, rem secùs se habere: *hic enim mos & consuetudo regionum est ut ita fiat.* Respondet namque Taulerus: *Nihil refert, nec propterea justum & æquum est. Vosne consuetudines Deo contrarias, legem facere vultis? Ergo etiam consuetudo erit descendere in infernum.... His auditis, ait ille ad me: certè durus es homo; Confessor meus semper id mihi permisit. Cui ego: Confessor tuus, aiebam, fortè capit pecunias tuas, & permittit tibi, quod nec ipse Deus cum omnipotentia sua permittere valet. Videte hîc charissimi, quàm pernicioſa res avaritia sit. Dives ille mercator sic à me recessit, ut ne verbo quidem testaretur, se unquam in melius commutaturum vitam suam.* Quàm multos hodie ad non dimittendam praxim, hîc improbatam, mercatorum avarorum damnata consuetudo inducit! Vel ipse Valentia to. 3. disp. 25. puncto 2. fatetur, praxim illam *propter periculum nemini esse suadendam.* Azorius quoque, & Lessius, aliique patroni illius de opinionis suæ veritate diffidunt, prout Natalis Alexander ostendit in suis Paralipom. Moral. pag. 331. & 332.

CAPUT LXXXVI.

Variorum casuum circa societatem animalium ex antè dictis resolutio.

EX dictis sequitur 1°. quòd animalia in 912
societatem licitè tradi non possint, hoc pacto, ut in omnem eventum sors semper salva sit, tradentique ex integro restituenda, tametsi casu fortuito, absque accipientis dolo, & negligentia pereat. Hoc enim usurarium Sixtus V. ubi suprà declarat, & Concilia c. 85. citata prohibent. Ob rationes cap. 86. allatas, quæ hîc etiam militant.

Sequitur 2°. quòd si animalia in societatem dentur æstimata hoc pacto ut sors danti salva sit, qui ea sic dat, nihil de lucro participare possit, uti Concilium Mediolanense, cum S. Carolo Borromæo declaravit. Et ratio est, quia de ratione societatis est, ut non participet de lucro, qui non participat de damno & periculo. Ergo qui sic dat animalia sua, de lucro participare non potest ut socius. Si ergo paciscatur de lucro, pactum istud vel mutuum est, vel venditio. Si mutuum, usura est manifesta ex eo lucrum exigere. Si venditio, nihil ultra æstimationem exigere potest. Mutuum esse tacitum & implicitum dici potest, quia animalia, æstimata ad tempus sic dare, ut accipiens iis ad placitum uti possit, modò statuto tempore totidem in bonitate, vel valorem æstimatum restituat, perinde est atque ad tempus dare tantum pecuniæ, quanti pecus istud æstima- 913

tum

tum est, cum obligatione post tempus illud restituendi quantum acceptum fuit. Dici etiam potest, venditionem esse: quia æstimatio venditionem facit. L. *æstimata* ff. soluto matrimonio. Et L. *plerumque* ff. de jure dotium.

914 Sequitur 3°. eumdem contractum, qui latinè *bestiæ redditio*, gallicè *redbeslie* dicitur, injustum esse, si animalia dans modicissimum duntaxat periculum, magnum verò lucrum inde referat. Quia magnum lucrum pro modicissimo periculo recipere, æqualitas non patitur, nec proinde justitia.

915 Sequitur 4°. verissimè S. Antoninum præmissa confirmando p. 2. tit. 1. c. 7. §. 39. dicere: *Cùm quis dat rustico viginti capita, v. g. boum, vaccarum, ovium, cum pacto ut sint firma in numero, vel in pretio ipsorum, in omnem eventum; si totum lucrum sit rustici, sicut est damnum, licitum est: quia idem est ac si mutuasset ei pecuniam, de qua emisset tot capita.* SI AUTEM VULT PARTEM LUCRI, SALVO SUO CAPITALI, USURA EST: *quia illud lucrum vult ratione mutui. Et siquis vellet hunc contractum soccidam* (id est societatem) *vocare, erit injusta, & obligabitur talis ad restitutionem.*

916 Alios casus huc pertinentes ibidem resolvit sanctus Archipræsul. Imprimis dicit pecora multipliciter alicui tradi posse. „ Primò ad custodiam, puta cùm alicui dantur „ viginti capita pascenda, sub certa mercede, „ vel etiam sub certa participatione de pro„ ventu gregis. Et tunc si dominus ipsorum „ retinet sibi periculum animalium, est con„ tractus locationis, & de se licitus. Sed si „ non retinet sibi periculum, sed imputat con„ ductori, est illicitus, nisi fortè illud dam„ num procederet merè ex negligentia custo„ diæ.

„ Secundò possunt tradi alicui animalia, „ quasi per modum mutui, puta cùm quis dat „ alicui rustico viginti capita, cum pacto ut „ sint firma in numero, vel in pretio, in omnem eventum. „ Et hunc casum resolvit in fine resolutionis præcedentis.

917 Tertiò, traduntur alicui pecora per mo„ dum locationis, vel quasi venditionis modifi„ catæ, puta cùm quis tradit certas oves alicui „ Monasterio sub hoc pacto, quòd pro quali„ bet ove accipiat annuatim duos solidos, cùm „ tamen fructus cuilibet valeat quinque vel „ quatuor, & cum hoc quòd etsi oves traditæ „ moriantur, nihilominùs remaneat Monaste„ rium obligatum, toto tempore vitæ traden„ tis, ac si omnes viverent, sed post mortem „ ejus omnes oves sint Monasterii, etiamsi esset „ numerus centuplicatus. Et tunc secundùm „ Hostiensem, & Joannem de Ligano contra„ ctus est licitus, adeò ut si eventus mortali„ tatis sequatur, Monasterium ..... non possit „ petere restitutionem; cùm non sit læsum in „ traditione; & hoc nisi jam oves essent infe„ ctæ, & ad mortem paratæ, & Monasterium „ non advertit. Consulit tamen idem Hostiensis, quòd in hoc casu sentiat damnum, ne cum jactura Monasterii valeat locupletari.

Dum tamen animalia conceduntur ad usum-fructum, pro certo pretio, si absque culpa, vel negligentia accipientis deteriorà fiant, id semper esse debet cum damno ejusdem accipientis, ut ex dictis patet. 918

Quartò, pecora traduntur alicui in societatem, quandoque justè, quandoque injustè. 919
Justè quidem, ut cùm unus habet viginti capita, alius totidem, vel etiam decem, & communicant ad invicem ea, & periculum, & emolumentum, & expensas communicant æqualiter, si æqualiter ponunt in societate; vel pro rata, secundùm quod ponunt; & possunt etiam tales convenire, quòd de fœtibus recuperentur capita mortua, vel de velleribus emantur capita ad augendum gregem. Injustè autem fit hujusmodi societas, cùm quis dat certa capita ovium æstimata certo pretio, hoc pacto quòd rusticus non accipiat aliquam utilitatem, donec tradens receperit priùs totam sortem. Hoc enim pactum est valdè iniquum. Sicut etiam siquis paciscatur quòd antequam rusticus recipiat aliqua, restaurabit de fœtibus omnia mortua. Hoc enim pacto est quasi tradere oves immortales.

Hinc consequenter resolvit esse illicitum, 920
dare pecora rustico, cum pacto, quòd tradens recipiat omnes fructus pecorum, quousque consequatur totum suum capitale, & ex tunc sint pecora communia. *Id* (inquam) *esse illicitum, si tradens dicta pecora, velit capitale suum salvum, grege pereunte; & si non perit in præsenti, vult nihilominùs priùs de fructu pecorum suum capitale. Si verò pereunte grege, totus pereat tradenti ipsa pecora; sed si non perit, vult tradens priùs de fructu trahere capitale, & exinde facere pecora communia;* hoc postremum dicit esse licitum. *Sed ubi periculum esset conductoris totum, esse usuram. Si autem periculum esset commune utrique, tunc etsi non esset usura, videretur tamen injustus contractus. Sed tutius esset quòd traderet pro quatuor vel tribus annis pecora, & in fine temporis æqualiter dividerent fructum cum capitali, ita quòd tradens subiret pericula casuum fortuitorum, & recipiens pericula seu damna ex negligentia.*

Confirmat ista omnia S. Antoninus ex 921
hoc quòd communis sit conditio societatis, ut inter socios sit æqualis participatio lucri & damni, proportione servatâ; societatis proinde jura violentur, ubi melior est conditio unius quàm alterius. *Unde cùm dantur oves sub isto pacto, quòd ubi perirent, pro medietate pereant tradenti, & pro alia medietate recipienti, in omni casu; ubi autem non pereant, prius debeat tradens ex fructibus suum trahere capitale, & ex inde sint communes: non videtur licitum, ex eo quòd recipiens pecora nimis gravatur. Nam ubi malè fortunentur, ipse amittit duo, scilicet medietatem pretii pecorum, & laborem suæ custodiæ; tradens autem amittit u-*

num, scilicet medietatem pretii pecorum. Ex quo igitur rusticus recipiens, seu conducens pecora, subsistat majori periculo, debet etiam plus participare de lucro.

922 *In societate itaque animalium, damnum procedens ex natura, pertinet ad tradentem; procedens ex culpa negligentiæ, vel dolo recipientis, pertinet ad recipientem; procedens ex fortuna, spectat ad utrumque, quantum est ex ipso contractu. Secùs est, si aliter pactum fuerit inter partes..... si pacta justa sunt, ut non gravetur magis una pars, quàm altera.*

923 Ibidem §. 41. S. Antoninus quosdam alios casus resolvit circa animalia, ad arandum apta, & 1°. quidem licitum esse contractum, quo Cajus Titio boves duos locat, hoc pacto, ut duo tritici sestertia quolibet mense persolvat, retento penes se istorum animalium periculo. Quia contractus iste locationis est & justus, dummodò lucrum respondeat utilitati, quæ ex bobus provenit recipienti: si enim nullam ex iis utilitatem perciperet, nihil dare deberet locanti; & si minus inde lucrum (deductis frumenti sestertiis) perciperet, minus solvere deberet. Aliàs æqualitas & justitia violaretur.

924 2°. legitimum esse contractum, quo Cajus Titio locat duos boves æstimatos, cum onere, ut anno integro cum bobus illis, colat sibi duodecim perticas terræ: evoluto autem anno boves vendantur; & tunc Cajus totum capitale suum priùs recipiat, ex inde Titius medietatem habeat ejus quod reliquum fuerit. Sed in hoc casu servandas esse duas conditiones. 1ª. est, quòd Cajus retineat sibi periculum istorum animalium. Altera, ut justam Titio (ad arbitrium prudentis & probi viri) promittat mercedem laboris in terra sua colenda, deductâ lucri quod percipit medietate. Si autem nullum lucrum ex bobus proveniret, Cajus ex sorte sua resarcire deberet impensas factas à Titio. Aliquâ verò conditionum istarum deficiente, contractum illicitum esse dicit, & usurarium.

925 3°. iniquum esse contractum, quo Cajus vaccam unam, decem libris æstimatam, Titio tradit eâ pactione, ut Titius eam, omnemque fructum & fœtum ipsius diligenter servet, sumptibus suis, nec fructum & fœtum alienet absque Caji assensu, atque insuper teneatur Cajo certam de fructibus & fœtibus prioribus quantitatem consignare, donec vaccæ pretium integrum receperit, ex inde etiam dimidium fructuum fœtuumque ipsi dare; sic tamen ut si vacca, vel fœtus ejus, culpâ Titii, aut ejus bubulci perierit, Titius integrè restituere teneatur; si verò divino judicio, vel fortuito casu, damnum totum in Cajum redundet. Ratio injustitiæ hujus contractûs est, quia multò potior est conditio Caji, quàm Titii; eò quòd contingere possit, quòd, postquam Cajus sortem suam receperit, vacca cum omni fœtu fructuque pereat; sicque Titius damnum patiatur impensarum omnium, & laborum, in vacca pascenda & custodienda factarum.

926 4°. justum esse contractum, quo Cajus Titio locat duos boves, æstimatos viginti florenis, eâ conditione, ut ubi consuetum est dare pro duobus bobus duodecim sextarios frumenti, det ipse Cajo tantùm octo, ita tamen ut Titius in se suscipiat periculum tertiæ partis animalium. Quia supponitur quòd quatuor sextarii residui justum sint pretium assecurationis istius tertiæ partis. Alioqui non servaretur æqualitas.

927 5°. licitum esse contractum, quo boves rustico ad arandum traduntur eâ conditione, ut pro eis viginti sextarii frumenti quovis anno tradenti solvantur. Quia boum opera locatur, & periculum deteriorationis locator in se suscipit; boves enim arando deteriores fiunt. Addit, iniquum & usurarium fore contractum, si locator vellet animalia recuperare pretio quo fuerunt æstimata, cùm illa tradidit, nec deteriorationis periculum, seu damnum sentire. Qui enim justum locationis pretium recipit, debet & damnum, seu deteriorationem sentire. Et res in societatem traditæ, domino suo deteriorantur & pereunt. Debet insuper pensio quotannis solvenda deduci ex lucro conductoris (inquit S. Antoninus) ita ut ipsi ultra valorem præfatorum viginti sextariorum maneat aliquid lucri. Quia contractus societatis postulat, ut partes sint æquales, habito respectu ad quotam in societate positam: cùm sit quoddam jus fraternitatis. Quænam verò æqualitas foret, quænam fraternitas, si recipiens animalia, nihil ex illis lucraretur, & nihilominùs viginti sextarios frumenti de suo solvere deberet, nihilque lucri, deducto valore viginti illorum sextariorum, ipsi remaneret. Resultaret potiùs ex tali contractu mutuum, quàm fraternitas.

928 Recensitis injustitiis, quæ committuntur ab iis qui animalia rustico tradunt in societatem, illud etiam advertere debent Confessarii, rusticos, qui pecora alenda curandaque ad tempus suscipiunt, injustitiam quoque ex parte sua committere, si ea minore studio & diligentiâ curent, quàm propria; si pinguiora sibi subtrahant, & alia macilentiora, vilioriſque pretii substituant; si pecora sibi tradita à lupis devorata falsò affirment, ut ea in suam utilitatem convertant, vel animalium à lupis occisorum pelles abscondant, sibique retineant, &c.

CAPUT LXXXVII.

Regulæ secundùm quas in fine societatis faciendæ est divisio, dum unus sociorum operam, alter pecuniam contulit.

929 NOnnullorum opinio est, inter ejusmodi socios, in fine societatis, non solùm faciendam esse divisionem lucri, verùm etiam pecuniæ capitalis, ab uno sociorum in societatem

tatem collatæ, juxta æstimationem operæ ab altero exhibitæ, ita ut ex tota summa, ex lucro simul & capitali conflata, socius, qui solam operam contulit, tantum sibi extrahere debeat, quantum si loco operæ pecuniam ad operæ valorem contulisset. Ita Lessius, Amicus, Tannerus, aliique Recentiores. Pro decisione sit

Regula I.

930 NIsi aliter conventum sit, vel in contractu societatis facta fuerit communicatio sortis, seu pecuniæ in societatem collatæ; hæc in fine societatis dividenda non est, sed integra reddenda collatori. Ita Cajetanus verbo *societas* n. 2. Sotus lib. 6. q. 6. a. 1. ad 1. Navarrus c. 17. & alii communiùs.

931 1°. quia Sixtus V. in Bulla sæpiùs memorata absolutè declarat, quòd si, finitâ societate, ipsum capitale extat, ei qui illud in societatem contulerit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipsos contrahentes super eo legitimè conventum sit. Quæ est ipsissima regula nostra.

932 2°. si sors illa pereat, soli perit conferenti: si igitur salva sit, soli ipsi salva est.

3°. divisio solùm facienda est de eo quod in societate fuit communicatum (hoc enim solum postulat æqualitas hujus contractûs) si ergo sors communicata non fuerit, uti supponimus, de ea facienda non est divisio.

933 4°. alias, si Titius in societatem contulisset mille florenos, Cajus verò operam pariter æstimatam mille florenis, & lucrum tandem esset quingentorum florenorum, in fine societatis Cajo debitum foret dimidium totius summæ restantis, utique 750. floreni, qui faciunt dimidium mille quingentorum florenorum. Et sic Titio non supereſſent nisi pariter 750. floreni. Quo profectò notabiliter violaretur æqualitas. Sic enim nullum lucrum, imò jacturam 250. florenorum Titius reportaret, Cajo jacturam nullam, imò lucrum 750. florenorum reportante.

934 5°. nullus apparet titulus, quo Cajus prætendere queat partem pecuniæ capitalis, qui non illam, sed operam solam contulit. Considerare namque debet 1°. Titium, qui pecuniam illam solus contulit, duplici se periculo exposuisse, perdendi scilicet pecuniam, perdendi etiam usum negotiatorium illius pecuniæ, tanto tempore eam tali negotio in vanum applicatam detinendo. Ex hoc enim fit, quòd secundùm justitiæ leges ei salva ex toto esse debeat, cui ex toto periret. 2°. considerare debet, quòd ipse, qui solam operam contulit, uni tantùm se exposuerit periculo, perdendi scilicet operam suam actualem in illa negotiatione, non verò perdendi operam radicalem, seu facultatem ad similem operam. 3°. considerare debet, quòd opera sua actualis non tam pereat ex vi societatis, quàm ex naturæ suæ necessitate, eo quòd ex se sit fluxæ naturæ, in motu successivo consistentis. Si enim foret res permanens, sicut facultas ad illam, ipsi maneret, sicut facultas illa manet.

Regula II.

SOlius lucri, in fine societatis, facienda 935
est divisio, dum societas absque lucro non fuit. Sequitur ex priore regula. Sed ad majorem evidentiam, notandum cum Cajetano loco citato, triplicem esse posse societatis eventum. Vel enim 1°. lucrum in fine societatis invenitur; vel 2°. sine lucro solum capitale, mille florenorum v. g.; vel 3°. damnum seu jactura istius capitalis, in toto, vel in parte. Si damnum, seu jactura capitalis, quodcumque fuerit istud damnum, solus collator istius capitalis illud sentiet. Si capitale, absque lucro, salvum sit, æquum est ut ei soli salvum sit, cui soli periisset, si periisset. Si denique lucrum, v. g. quingentorum florenorum, in fine societatis inveniatur, ante omnia capitale integrum collatori restituendum est; deinde quingenti floreni restantes inter socios dividendi æqualiter, vel inæqualiter, pro rata æstimationis operæ, prout scilicet opera æqualis, vel inæqualis fuerit æstimationis cum pecunia capitali collata. Sic enim unicuique reddetur quod suum est; sic justitia salvabitur, dum ei capitale salvum erit, cui periret; sic denique servabitur æqualitas, dum pro rata dividetur, quod in commune collatum est; & uni pecuniæ, alteri operæ fructus reddetur.

Regula III.

ETiam in casu quo socii opera majoris æ- 936
stimationis est quàm pecunia, si hæc sola salva sit, nihil ex ea debetur collatori operæ, nisi aliter conventum fuerit. Quemadmodùm enim collator operæ nihil omninò compensare deberet collatori pecuniæ, si hæc tota periisset, etiamsi pecunia collata majoris æstimationis fuisset quàm opera; sic pecuniæ collator nihil omninò compensare debet collatori operæ, dum totus periit fructus ipsius, etiamsi opera majoris æstimationis fuisset quàm pecunia.

Regula IV.

SI in contractu societatis communicatum 937
fuerit dominium sortis, ea in fine dividenda est, ita ut operæ collator ex tota summa, conflata ex sorte & lucro, tantum accipiat, quanti æstimatur opera, æqualiter utique cum pecuniæ collatore, si operæ æstimatio sit æqualis cum æstimatione pecuniæ; inæqualiter (pro rata) si inæqualis. Hoc enim justitia æquè postulat, quàm si loco operæ pecuniam contulisset; attento quòd cùm in casu communicati dominii, hæc utrique so-

cio periisset, si periissent; utrique etiam salva esse debeat, dum salva est.

Solvuntur objectiones.

938 OBjicies 1°. æqualitas postulat, ut in casu trium priorum regularum sors dividatur. Cùm enim opera transeat, collator operæ eam amitteret, ubi pecuniæ collator, præter lucrum, eam salvam haberet. Nec refert quòd operæ collator lucri particeps foret: tum quia lucrum sæpè non ascendit ad valorem operæ. Tum quia contingit lucrum non esse: quo tamen casu alter socius pecuniam suam recipit.

Respondeo negando antecedens. Ad ejus probationem nego consequentiam; semper enim præ oculis habendum æqualitatem societatis solùm esse servandam, in iis quæ communicata sunt in societate; in quibus æqualitas servatur juxta regulas illas. Dum enim lucrum contingit, illius particeps est. Dum non contingit, vel contingit lucrum minus æstimatione operarum, fortuna est, cui similem patitur collator pecuniæ: utpote qui etiam tunc non refert fructum applicationis pecuniæ suæ, vel refert minorem æstimatione illius. Nec prior aliter perdit operam, quàm posterior applicationem pecuniæ suæ, quæ applicatio transiens est sicut opera. Per consequens utrumque magis perit ex naturæ necessitate, quàm ex ipsa societate. Denique sicut isti, salvâ pecuniâ, salva manet facultas ad similes applicationes; sic illi salva manet facultas ad similes operas.

939 Objicies 2°. saltem in casu quo opera pluris æstimatur, quàm spes fructûs applicationis pecuniæ, hujus collator tenetur majorem illam æstimationem, vel pecuniæ collatæ communicatione, vel aliter compensare. Aliàs non servatur æqualitas. Ad quam servandam aliqui sic procedendum putant, ut initio societatis ex una parte spes lucri pecuniæ, attentis periculo sortis, & expensis; ex alia parte spes lucri operarum, deductis expensis, æstimentur pecunia; ex qua fiat una sors, seu capitale, cujus dominium sociis cedat ad negotiandum; & in fine societatis, unà cum lucro dividatur proportionaliter ad id quod formaliter vel æquivalenter quisque contulerit.

Respondeo negando antecedens, quia major æstimatio operæ satis compensatur spe majoris lucri, propter majorem æstimationem istam, à collatore operæ percipiendi, Perinde ac si loco operæ pecuniam majoris æstimationis contulisset. Nec verum est operam subinde pluris æstimari, quàm spem lucri: quia æstimatio operæ fit in ordine ad fructum, quem hîc & nunc speratur probabiliter relatura; adeòque eâ proportione crescit & decrescit, quâ crescit vel decrescit spes fructûs ipsius.

CAPUT LXXXVIII.

Definitio & divisio cambii.

CAmbium est permutatio pecuniæ cum 940
pecunia, quoad quantitatem, vel speciem, vel locum diversa, cum lucro campsoris.

Dicitur 1°. *permutatio*, quia cambium dictum est à verbo cambire, quod est permutare. Unde excluduntur contractus, quibus non fit permutatio.

2°. *pecuniæ cum pecunia*, ut excludantur permutationes rerum à pecunia diversarum, v. g. frumenti pro vino, sicut & permutationes pecuniæ cum merce, quæ ad contractum emptionis & venditionis pertinent.

3°. *quoad quantitatem, vel speciem, vel locum diversa*, per quod distinguitur à mutuo, quo reddi potest pecunia eadem, & in cambio reddi debet aliquo modo diversa, saltem quoad locum. Ab eo quoque differt, quòd cambium circa pecuniam tantùm, mutuum etiam circa alia versetur. Denique quòd in mutuo sors diverso tempore necessariò restituatur, in cambio verò reddi possit eodem tempore.

4°. *cum lucro campsoris* (qui aliter nummularius, bancarius, & colibista dicitur) quia, ut S. Thomas opusc. 73. ait, *actus campsarius non debet fieri gratis, sicut actus mutui.*

Cambium aliud verum, aliud fictum. Ve- 941
rum, seu reale, est quod verè, id est sine fictione celebratur. Fictum, seu siccum (inde dictum, quia caret humore ad fructificandum, sive titulo ad lucrandum) est quo quis pecuniam pro pecunia permutare se fingit; reverà tamen mutuat, sive cambii nomine mutuum palliat: quia v. g. fingit pecuniam alibi à se numerandam, quam tamen hîc reverà numerat. Unde patet, cambium istud usurarium esse.

Cambium reale dividitur in manuale, seu 942
minutum; & locale, seu per litteras; & temporale, sive ad terminum. *Minutum* est permutatio pecuniæ pro pecunia diversæ monetæ, minoris utique monetæ pro majori eodem loco. *Locale* est permutatio pecuniæ extantis uno loco, pro pecunia extante alio loco, ut si campsor accipiat pecuniam Bruxellis pro pecunia numeranda Romæ. *Temporale* est quo præsentialiter numeratur pecunia, pro pecunia in futurum, sive ad condictum terminum numeranda, v. g. in nundinis Francofurtensibus.

CAPUT LXXXIX.

Rationes, seu tituli justificantes lucrum ex cambio reali, sive minuto, sive locali.

PRimus titulus, utrique cambio commu- 943
nis, est ratione officii cambiendi, sive pu-

blicâ, sive privatâ authoritate susceptî : eò quòd utique in commodum campsariorum laborem, & industriam diligentem campsores impendant, ad hoc, ut sive hîc, sive aliis locis à campsario petitis, pecuniam omnis generis & cursûs (neque enim pecunia hîc cursum habens, ubique habet) præsentem habeant, & ad hoc non modicis se plerùmque periculis exponant, mutationis utique valoris in monetis, infidelitatis in servis, vel correspondentibus, spoliationis domûs, variis denique lucris cessantibus, & damnis emergentibus, æquum est, ut istorum consideratione aliquid exigere possint, quo suæ, suorumque sustentationi ac fortunæ campsores consulant.

944 Secundus titulus est, quia campsores se privant utilitate vel commoditate certarum monetarum in gratiam campsariorum, dum numerant v. g. monetas aureas pro argenteis, vel æreis, difficiliùs numerabilibus, adeòque minùs commodis ad permutationes.

945 Notandum enim 1°. quòd pecunia tripliciter considerari possit. 1°. ratione materiæ suæ, ut metallum quoddam est. 2°. ratione formæ, ut pretium est. 3°. ratione facilitatis vel difficultatis ad permutationes, quomodò consideratur in cambiis.

2°. quòd licèt pecunia secundo modo considerata, ut pretium est, indivisibilem habeat valorem lege taxatum; non tamen considerata primo & tertio modo : ut sic enim, sive ratione ponderis, sive ratione qualitatis, sive ob varios usus, & utilitates unius præ alia ad permutationes, frequenter una plus æstimatur, quàm alia ejusdem pretii legalis; ut puta quia una sit purior, commodior ad transportandum, utilior ad conficiendum vasa, vel ad medicinam; vel præstantior in raritate, antiquitate, pulchritudine; securior ne reprobetur, vel ne valor ipsius minuatur; generalior, sive cursum habens generaliorem (quia v. g. cursum habet ubique, non sic pecunia campsarii) vel ob alias justas causas, ob quas domino suo specialiter adeò chara esse potest, quia v. g. ab avis & proavis accepta, ut eam permutare nollet nisi ob necessitatem, & obsequium proximi. Istis namque de causis valor pecuniæ, in ratione pretii unus & idem, in ordine ad permutationes communi hominum judicio varius esse potest.

946 Tertius titulus est ratione operæ impensæ in obsequium & commodum campsarii. In cambio locali titulus iste maximè procedit, in quo per industriam campsoris in gratiam campsarii, fit virtualis quædam trajectio & assecuratio pecuniæ, quâ campsarius absque periculis itinerum, expensisque aliis, & incommodis, paratam eo loco pecuniam invenit, ubi postulat, idemque in effectu obsequium, & æquè commodum ac securum ipsi præstat campsor, ac si pecuniam illam localiter de loco ad locum transferret. Quod sanè obsequium pretio æstimabile est, licèt virtualem istam trajectionem aliqui censeant non esse nisi mutuationem pecuniæ in uno loco, reddendæ in alio loco.

Hoc titulo pecuniam localiter absentem, 947
certis in circumstantiis esse vilioris æstimationis seipsâ præsente, docent Cajetanus, Sylvester, Salonius, Prado, & Doctores communiter, contra Sotum; eò quòd localiter absens, ex se requirat laborem, impensam & periculum, vel certè industriam in transportando ad locum, ubi eâ quis indiget. Et quamvis contingat pecuniam absentem mercatoribus commodiorem esse, per accidens est respectivè ad ipsos, ipsorumque conditioni, industriæ, ac bonæ fortunæ tribuitur; sicut & quòd plerùmque absque periculo eam numerari faciant in loco distanti; non enim ideò pecunia absens à loco ubi eâ campsarius indiget, per se desinit subjacere expensis & periculis, quantùm est ex natura cambii, & respectivè ad conditionem campsarii.

Quartus titulus, pro locali cambio, est 948
ratione majoris æstimationis, seu valoris pecuniæ, in loco, ad quem campsor eam virtualiter trajicit. Quo ex capite licèt Sotus l. 7. q. 5. a. 2. dicat iniquè aliud exigi lucrum, quàm trajectionis, oppositum videtur probabilius : quia lucrum trajectionis exigi potest, dum idem utroque loco pecuniæ valor est; ergo plus exigere potest, qui suscipit onus trajiciendi ad locum, ubi plus valet : cùm titulus iste diversus sit ab illo, diversoque pretio æstimabilis.

Propter hos itaque titulos, vel aliquos 949
saltem ex illis, S. Thomas, vel quisquis alius est Author opusc. 73. de usuris cap. 13. dicit, quòd *ars campsoria de se est justa, & est ratio, quia illud plus, quod accipitur à campsoribus, in tali permutatione moneta, non accipitur ratione moneta, quæ de se est invendibilis, sed ratione periculi, vel interesse, ut subveniatur salariis pensionum, domorum, ministrorumque, & laboribus, & expensis in arte necessaria & licita, ne frustrà ponant operam, & sudorem suum, in re licita, ad utilitatem aliorum.*

Quia tamen cambium plerùmque oppor- 950
tunum est ad palliandas usuras, ideòque habet speciem mali, & adjectis conditionibus iniquis, non rarò à mercatoribus vitiatur; ideò benè videant qui cambium exercent, ut exactè servent sequentes justitiæ leges. Prima est, ut absit omnis fraus, vel simulatio, ne cambium sit siccum, & desinat esse reale. Secunda, ut nihil exigatur pro sola dilatione solutionis accipiendæ, nec amplius pro ea recipiatur, quàm aliàs reciperetur. Id enim non minùs in cambio usurarium foret (seclusis titulis lucri cessantis, vel damni emergentis) quàm in mutuo, prout declarat Pius V. in Bulla, quæ incipit, *in eam pro nostra*, quæ videri potest apud Navarrum c. 17. n. 300. Et ratio est, quia, ut S.

Thomas dicit q. 78. a. 2. ad 7. *expectatio pretii solvendi habet rationem mutui: unde quidquid ultra justum pretium pro hujusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usuræ.*

Tertia justitiæ lex pro cambiis, est ut servetur justum pretium, id est lege, vel communi consuetudine, vel proborum hominum in arte campsoria peritorum judicio taxatum.

CAPUT XC.

Usurarium est lucrum ex cambio Francofurtensi, *sive ad nundinas, præcisè fundatum in expectata solutione.*

951 CAmbium Francofurtense est quo campsor numerat hîc pecuniam, à campsario reddendam Francofurti peractis nundinis, cum lucro tantò ampliori, quantò longiori tempore distant nundinæ. Hoc usurarium esse constat ex proximè dictis: quia dum lucrum exigitur tantò majus, quantò longiùs tempore distant nundinæ, præcisè exigitur ratione dilatæ solutionis. Quæ dilatio, seu expectatio, cùm habeat rationem mutui, lucrum exigitur ex mutuo. Quod est usura.

952 Cambium proinde Francofurtense justificari nequit ex ista temporis dilatione præcisè, sed solùm ex titulis lucri cessantis, vel damni emergentis. Sed neque hoc titulo lucrum exigi potest, nisi servatis conditionibus ad hoc in mutuo requisitis. Quas vix unquam à mercatoribus observari dicit Illustrissimus Genetus ubi suprà tr. 5. c. 1. quia vix unquam cambiunt dilatâ solutione, nisi dum pecunia ipsis alioqui manet inutilis in arca, deficiente aliâ occasione ad lucrum. Et sic lucrum ex cambio ad terminum ferè semper (inquit) est ipsis usurarium: quia cambium istud vix unquam ipsis est causa alterius lucri cessantis, vel damni emergentis.

CAPUT XCI.

Ab usura etiam vix, aut ne vix quidem excusari potest cambium cum recambio, quod Itali vocant Con la ricorsa, *aliterque appellari solet* Bizontinum, *aut* Placentinum.

953 PRaxis istius cambii est talis: Titius hîc, v. g. Leodii, indigens aureis mille, petit eos mutuò à Sempronio. Recusat Sempronius mutuum, sed offert cambium, ut peccatum usuræ subtiliter effugiat. Scit hominem istum non habere pecuniam Bizontii vel Placentiæ, offert tamen ipsi cambium, paratus ipsi Leodii numerare mille aureos, Bizontii vel Placentiæ restituendos. Respondet Titius se ibi nec pecunias habere, sive in re, sive in spe, sive sub credito, nec per se, nec per amicum, vel correspondentem, aut procuratorem, paratum nomine ipsius solvere. Habeo (inquit Sempronius) meum ibi procuratorem, illum tibi assigno, ut sit procurator, & meus, & tuus, & mihi ibidem pro te respondeat, susceptumque in se debitum tuum sibi tamquam procuratori mihi solvat, eandemque deinde pecuniam mihi per recambium Leodium remittat. Et sic Sempronius mille florenos, à se Leodii datos, sub speciosò titulo cambii localis, Leodii quoque recipit, sub titulo recambii, cum lucro tam cambii, quàm recambii. Quæritur an licitè & justè?

Sylvester, Navarrus, Salonius aiunt id esse 954
speculativè licitum, sed prorsus in praxi dissuadendum: quia valdè periculosum, & palliandis usuris obnoxium.

Alii verò speculativè & practicè dicunt prorsus esse illicitum. Et reverà ita est. Quia dum Sempronius, videns Titium hîc, v. g. Leodii, summâ illâ indigere, non vult ipsi dare, nisi sub circuitu cambii & recambii pecuniam illam Leodii restituat, moraliter & in effectu non vult verum & reale cambium locale, sed mutuum, ex quo vult duplex lucrum cambii & recambii, non utique veri, sed ficti & larvati. Videt enim Titium non indigere cambio & recambio, sed mutuo; videt ipsum non indigere pecuniâ virtualiter trajectâ Bizontium vel Placentiam, atque inde remissâ Leodium; ad istos tamen circuitus & ambages, ad ista (inquam) onera indebita moraliter cogit ipsum, dum nec summam illam mutuo dare vult, & ne quidem sub onere cambii, nisi simul acceptet & onus recambii. Quis non videt usurarium ipsius animum mentientem sibi? Quis non videt ista omnia geri fictè, non seriò? Reverà enim nec est ibi locale cambium, nec recambium: cùm pecuniam numeret & recipiat eodem in loco. Est ergo purum putum mutuum, per subtiles ambages, seu potiùs inanes larvas illas palliatum, ac ratione duplicis lucri cambii & recambii dupliciter usurarium. Aliud esset, si tam campsarius, quàm campsor, verè intenderent cambium & recambium; at certum est campsarium id non intendere, nec petere, cùm non egeat summâ illâ Placentiæ, nec remissione illius Placentiâ Leodium; propterea campsarius, seu potiùs Titius, id non petiit, sed mutuum. Quod dum Sempronius dare noluit, nisi sub onere cambii localis, reverà tamen non intendit localiter cambire, sed pecuniam eodem in loco recipere. Intentio quippe ipsius alia non fuit, quàm dandi pecuniam Leodii, cum obligatione eam reddendi Leodii, sub duplici lucro illo, fictis prætextibus cambii & recambii palliato. Nam reverà prætextus illi cambii & recambii fictitii sunt: certumque est in eos Titium non consentire, nisi necessitatum, & ad hoc à Sempronio pecuniam necessariam aliter dare nolente coactum.

955 Prætereà Sempronii injuſtitia manifeſta videtur, in eo quòd licèt recambii onus fortè non deducat in pactum, dum cambium, ſeu pecuniam Placentiæ recipiendam offert Titio, ſciens Titium eâ ibi non indigere: ad iſtud nihilominùs onus moraliter, & in effectu ipſum cogit, ut avarum animum ſuum, duplici lucro inhiantem, paſcat, dum poſtulatam ſummam aliter dare non vult, niſi per cambium ad Placentiam, ſciens ſic datam ſublevandæ Titii neceſſitati proficuam eſſe non poſſe, niſi rurſus Placentiâ Leodium trajiciatur. Atqui perinde injuſtum eſt cambio recambii onus adjicere morali coactione, quàm illud adjicere pacto. Quod certum eſt, ſalvâ juſtitiâ, fieri non poſſe: utpote quæ non permittit contractui propriam æqualitatem, propriaque onera habenti, aliud onus indebitum pretio æſtimabile ſuperaddere, niſi onus iſtud aliunde compenſetur. Videnda quæ in ſimili dicta ſunt de eo qui petenti mutuum vendit aliquid cum pacto retrovenditionis. Videndus item ſanctus Antoninus 3. p. tit. 8. c. 3. §. de negotiatoribus, ubi ſic: *Campſor committit uſuram, ſi principaliter intendit exercere tale mutuum, quod cambium vocat, non ut ſerviat, ſed ut magis lucretur: quia magis per viam illam lucratur, quàm per viam negotiationis; & intentio lucri ex mutuo, implicito vel explicito, facit uſurarium.*

CAPUT XCII.

Definitio teſtamenti, ejuſque ſpecies.

956 TEſtamentum l. *teſtamentum* ff. de teſtamentis, definitur, voluntatis noſtræ juſta ſententia, de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri vult.

Dicitur 1°. *juſta ſententia*, ſeu *diſpoſitio*: quia ad teſtamenti valorem neceſſe eſt ut eo ſerventur conditiones jure requiſitæ, v. g. numerus teſtium, &c.

2°. *voluntatis noſtræ*: quia teſtari non poſſunt, qui ſuæ voluntatis, ſuique juris non ſunt, ut mancipia, filii-familias, inſenſati, prodigi, & quicumque ſub aliena ſunt poteſtate.

3°. *de eo quod poſt mortem ſuam fieri vult*: quia, ut valeat Teſtamentum, *mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris*, Hebr. 9. utpote cujus voluntas uſque ad mortem ambulatoria eſt, & revocabilis, ut dicitur L. 4. ff. de adimend. vel transferend. legat.

957 Hinc conſtat, teſtamentum eſſe diſpoſitionem, & quaſi contractum ultimæ voluntatis. Ultimæ namque voluntatis ſpecies ſunt teſtamentum, codicillus, legatum, fideicommiſſum, & donatio cauſâ mortis. Quatuor poſteriores dici etiam ſolent ſpecies teſtamenti: quia ſunt juſta voluntatis noſtræ ſententia de eo quod poſt mortem noſtram fieri deſideramus.

Codicillus eſt ultimæ voluntatis diſpoſitio, quâ circa teſtamentum aliquid explicatur, demitur, additur, aut aliter immutatur, citra hæredis inſtitutionem.

Circa hoc tamen eſt advertendum, quòd 958
licèt teſtamentum de jure communi in hoc differat à codicillo; moribus tamen noſtris teſtamentum in Belgio nullam requirit hæredis inſtitutionem. Quippe *ſine hæſitatione tenendum eſt* (ait Clariſſimus Stockmanſius deciſ. 2.) *etiam valere teſtamentum ſine aliqua hæredis inſtitutione, adeò ut hodie non diſtinguatur inter teſtamentum & codicillum, confuſo jure utriuſque ultimæ voluntatis, & dicitur communiter, omnia teſtamenta eſſe codicillata; adeò ut ſiquis condat teſtamentum, nullo hærede inſtituto, valebit ut codicillus: ſi verò codicillus, inſtituto hærede, valebit ut teſtamentum.* Ita etiam Gudelinus de jure noviſſ. l. 2. c. 5.

Legatum eſt ultimæ voluntatis diſpoſitio, 959
quâ teſtator aliquid alteri ab hærede directè donat de re, quæ aliàs hæredis foret.

Fidei-commiſſum eſt ultimæ voluntatis diſpoſitio, quâ teſtator ſui hæredis, vel legatarii fidei committit aliquid tradendum alteri. Differt à legato, quòd per illud aliquid alteri ſolùm detur indirectè, & mediatè, mediante ſcilicet hærede, vel legatario.

Teſtamentum dividitur etiam in clauſum, 960
& apertum; in ſolemne, & non ſolemne. *Clauſum* dicitur, quod fit quidem in ſcriptis, ſed ſecretò à teſtatore, vocatis ad illud Notario & teſtibus, teſtamenti contentum ignorantibus iis, quibus traditur approbandum. *Apertum*, ſeu nuncupativum, eſt quod fit præſentibus teſtibus, ſed ſic ut ipſis apertè contentum declaretur.

Solemne, vel *non ſolemne* dicitur, prout habet vel non habet ſolemnitates jure requiſitas.

Teſtamentorum cognitionem Anſelmo 961
Trib. c. 26. dicit toto ferè Belgio ſpectare ad Epiſcopum, exceptâ Hannoniâ, in qua Archiepiſcopus Cameracenſis cognoſcit de teſtamentis Clericorum, de Laïcorum teſtamentis Judex ſæcularis.

CAPUT XCIII.

Solemnitates ad teſtamentum requiſitæ.

JUre communi neceſſe eſt ut ei ſubſcri- 962
bant ſeptem teſtes, maſculi, & puberes, ad id rogati, ſimul concurrentes, & ipſe etiam teſtator ei ſubſcribat (ſi ſciat ſcribere) & hæredem directè inſtituat, & nullum liberorum excludat, niſi legitimè exhæredatum. L. 2. Inſtit. tit. 10. §. ult. & L. *ſi unus* Cod. de teſtam. L. *hac conſultiſſima* §. per nuncupationem Cod. eod.

Jure autem proprio Belgii noſtri iſta non 963
requiruntur: quia anno 1611. Albertus & Iſabella ſtatuerunt, ut ubique in condendis teſtamentis ſervarentur locorum conſuetudines; aliàs ſtaretur Edicto perpetuo, quo ſta-

tuitur 1°. ut testamenta scribantur, & subsignentur à testatore, & duobus testibus ad id rogatis, quorum in testamento mentio fiat à Notario, Pastore, aut vice-Pastore: isti enim duo Notarii officio fungi possunt in testamentis, juxta Edictum Caroli V. anni 1553. qui nihil sibi, suisque usque ad quartum gradum, juxta leges civiles computandum, adscribere valeant. 2°. si locorum consuetudines variæ essent, servarentur jura loci, ubi sita est res, de qua fit testamentum.

Anno etiam 1620. iidem Principes declararunt, nulla esse testamenta, in quibus deest signatura Notarii, testatoris, aut testium; nisi testator non posset scribere, quo casu id exprimendum esset à Notario sub pœna nullitatis. Valere tamen testamentum factum apud acta, id est coram duobus Scabinis, & Graphiario, aut Secretario. Anno tamen 1631. declararunt, ad testamentum peste infectorum sufficere posse testem unicum, etiam feminam.

964 Circa id tamen quod dictum est, servanda esse jura loci, ubi res est sita, Stockmansius decis. 9. *Hodie* (inquit) *sine hæsitatione judicamus, sufficere solemnitates, quæ obtinent in loco confectionis, ut ubique, & quoad omnia bona, vim habeat testamentum.* Quam etiam sententiam communi Doctorum calculo receptam dicit Anselmo in art. 4. Edicti perpetui Alberti & Isabellæ 1611. Unde Consilium Brabantiæ anno 1645. censuit, testamentum Leodii confectum à Brabanto, licèt ab ipso non subscriptum, effectum habere quoad bona sita in Brabantia, tametsi in Brabantia requiratur subscriptio. Codex quoque Belgicus verb. *testamentum* n. 25. valere dicit testamenta ad pias causas, etiamsi testator non subscripserit, & Notarius non expresserit in testamento, testatorem scribere non posse.

965 Testem in testamento posse esse Clericum, uti & Monachum, docent Anselmo ad Edict. perpet. a. 11. 13. §. 16. Stockmansius decis. 5. ubi refert ita judicatum esse. Et decis. 6. addit, legatarium posse adhiberi in testem, licèt non possit petere suum legatum: eò quòd detracto suo testimonio non superfit legitima probatio; & ita in Galliis observari. Decis. 7. ipsum etiam testamenti executorem dicit adhiberi posse in testem, dummodò non sit executor universalis, & loco hæredum, sed minister dumtaxat ad præstanda legata, & fidei-commissa. Quia talis nullum ex suo testimonio refert commodum, sed potiùs onus. Et ideò judicatum, valere testamentum, in quo unus testium erat testamenti executor.

CAPUT XCIV.

Testamentum, legatum, & qualibet ultima voluntas, ad pias causas, valet absque solemnitatibus Jure Civili requisitis.

EST sententia communis, fundata in cap. 966
relatum de testam. ubi Alexander III. sic ait: *Relatum est, quòd cùm ad vestrum examen super relictis Ecclesiæ causa deducitur, vos nisi septem, vel quinque idonei testes intervenerint, inde postponitis judicare, &c. Mandamus, quatenùs cùm aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundùm leges, sed secundùm Decretorum statuta tractetis, tribus, vel duobus legitimis testibus requisitis. Quoniam scriptum est:* "In ore duorum vel trium " testium stabit omne verbum." Valet ergo testamentum ad pias causas, etiam in foro externo, independenter à præsentia Parochi, aut Notarii, modò adsint duo testes. In foro verò conscientiæ, etiam sine teste, dummodò constet de ultima defuncti voluntate. Ideòque hæres in conscientia solvere tenetur legata pia, dum ipsi quovis modo sufficienter constat eam esse voluntatem defuncti, v. g. per schedam propriâ manu ipsius subscriptam. Imò ultima dispositio captatoria, ut vocant, quâ testator suam voluntatem alterius dispositioni committit, valet ad pias causas. Quia solo jure civili irritatur; jure verò naturali & canonico sufficiens est, juxta illud cap. *cùm tibi* de testam. *Qui externam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus.* In similibus autem causis leges civiles attendi non debent, uti dicitur citato cap. *relatum.* Videri possunt Covarruvias c. 11. de testam. n. 9. Julius Clarus §. *testamentum* q. 6. n. 1. & seq. Fagnanus ad citatum c. *relatum*, ubi n. 2. dicit, legata pia peti posse coram Judice sæculari, eumque teneri causam decidere secundùm leges canonicas. Num. 8. testes duos in testamenta ad pias causas non esse de solemnitate substantiali, sed probatoria. Num. 9. testamentum illud valere scriptum manu testatoris, sine ullo teste. Num. 12. testes non debere esse rogatos, &c.

CAPUT XCV.

Testamentum ad causas profanas, licèt in foro externo non valeat absque solemnitatibus juris, probabiliùs valet & obligat in foro conscientiæ.

PRobatur 1°. quia can. *ultima* 13. q. 2. S. 967
Gregorius dicit, quòd *ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet.* Enimverò nihil magis æquum, quàm ultimas hominum voluntates impleri, cùm de iis sufficienter constat, etsi quædam solemnitates Juris Civilis eis desint: utpote quæ ad probationem potiùs testamenti, quàm ad ejus in foro poli substantiam censendæ sunt pertinere.

2°. quia cap. *indicante* de testam. *Cognovi-*

mus

mus (ait Gregorius IX.) *quòd moriens uxor conchàm argenteam nudis verbis jussit venundari, & suis dari liberis, & scutellam argenteam cuidam Monasterio reliquisse, in quibus voluntatem ejus per omnia volumus adimpleri.*

3°. quia lib. 2. Instit. tit. 23. §. ult. Justinianus Imperator dicit, quòd *si is, à quo relictum esse dicitur, confiteatur quidem aliquid à se relictum esse, sed ad legis subtilitatem recurrat, omninò solvere cogendus est.* Et L. *etsi inutiliter* de fidei-commissis dicitur: *Et si inutiliter*, id est scripturâ minùs solemni, *fidei-commissum relictum est; tamen si hæredes, compertâ voluntate defuncti, prædia ex causa fidei-commissi avo tuo præstiterunt; frustrà ab hæredibus ejus de ea re quæstio tibi movetur: cùm non ex ea sola scriptura, sed ex conscientia relicti fidei-commissi, defuncti voluntati satisfactum esse videatur.* Ecce solutum ex testamento minùs solemni dicitur non posse repeti. Non censetur ergo indebitè solutum. Denique L. fin. eod. dicitur, quòd *dum is qui aliquid ex testamento lucratur.... dicere compellitur veritatem per sacramenti religionem, locus testibus per leges requisitis non relinquitur, nec ad extraneam fidem recurritur, propriâ, & indubitatâ fide relictâ, cùm leges....justis dispositionibus testatorum omninò hæredes obedire compellunt, & sic tristius causam exigunt, ut etiam amittere lucrum hæreditatis sanciant eos qui testatoribus suis minimè paruerint.* Ubi proinde isto casu datur actio ad repetendum hæreditatem ab eo qui testamento non solemni non paruerit.

969 4°. S. Antoninus 3. p. tit. 10. c. 3. §. ult. dicit, quòd *cùm quis sanus vel infirmus, qui est sanæ mentis, ultimò disponit de bonis suis, de quibus potest disponere, per simplicem scripturam, vel verba solùm, non violentatus, nec circumventus, sed liberè, sine Notario, & testibus debitis, standum est ejus tali dispositioni in foro conscientiæ; & hæredes, quibus hoc constat certitudinaliter, tenentur ad observandum illud, etiamsi priùs per solemne testamentum aliter disposuerat.*

970 5°. probatur ratione, tum illâ quæ data est n. 965. estque desumpta ex §. *per traditionem* Instit. de rer. divis. tum quia, ut Adrianus VI. quodlib. 6. a. 1. concluf. 2. ait, *lex justa, seu præceptum justum Superioris Laici, aut etiam Ecclesiastici, ligat in foro conscientiæ solùm ad metas rationis, seu causæ finalis, quæ prætenditur* (id est propter quam lex lata est) sed causa finalis solemnitatum positivarum hæc est, ut doli ac fraudes vitentur. Ergo cùm hæ sublatæ fuerint, non valdè sollicitos nos in foro conscientiæ solemnia juris humani habere debent.

971 Propterea assertioni nostræ, præter sanctum Antoninum, & Adrianum, patrocinantur Angelus, Tabiena, Sylvester, Joannes Medina, Lopez, Sotus, Bannez, Molina; quos refert, sequiturque Lessius lib. 2. c. 19. dub. 3. ubi eam solidè probat, & ad objecta solidè respondet: tametsi oppositam Covarruviæ sententiam probabilem esse fateatur: eò quòd Principes videantur testamenta illa suis legibus declarasse planè irrita. Nec ipsis ad hoc declarandum justa defuerit causa, nec potestas; sicut ipsis deest potestas ad tale quid statuendum circa ea quæ concernunt finem spiritualem animæ; quam quia concernunt testamenta & legata ad pias causas; Summus Pontifex in ejusmodi superior est Principibus sæcularibus; ideòque justè declarare potuit, & de facto declaravit, in testamentis ad pias causas, necessarias non esse solemnitates per leges Principum requisitas, easque revocavit, velut spirituali bono animarum adversantes. Et ideò licèt quoad cætera probabiliter non valeant testamenta non solemnia, ad causas profanas; valent tamen quoadlegata pia, siqua iis contineantur, ut benè Lessius dub. 2. aliique apud ipsum.

CAPUT XCVI.

Non omnia testamenta, quæ videntur pia, verè coram Deo pia sunt, etiamsi à Jurisconsultis fortasse vocentur ad pias causas.

PRobatur, quia non omnia testamenta, 972
quæ videri possunt ad pias causas facta, ex hoc quòd per ea hæreditas relinquatur Ecclesiæ, vel Monasterio, Deo probantur, imò aliqua ejusmodi certis in circumstantiis improbantur, illa v. g. quibus totum Ecclesiæ, nihilque liberis indigentibus relinquitur, quibus parentes saltem legitimam debent; alioquin ipsis sine causa sufficienti præteritis conceditur querela inofficiosi testamenti. Apostolus etiam 1. Timoth. 5. *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit.* Estque contra ordinem charitatis præferre templa Dei mortua, templis vivis, præsertim si ista graviter indigeant, non illa. Et ideò Augustinus Serm. 1. de communi vita Clericor. qui nunc est 355. plurimùm extollit *laudabile factum sancti ac venerabilis Episcopi Aurelii Cartaginensis... Quidam enim* (inquit) *cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes, retento sibi usu-fructu, donavit Ecclesiæ. Nati sunt illi filii, & reddidit Episcopus nec opinanti, quæ ille donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere; sed jure fori, non jure poli.* Cùmque Augustinum ipsum aliqui reprehenderent, quòd exemplum istud imitando, causa esset, quòd Ecclesiæ Hipponensi nemo aliquid relinqueret, iis respondens, *planè profiteor* (inquit) *me suscipere oblationes, oblationes sanctas. Siquis autem irascitur filio suo, & moriens exhæredat illum, si viveret, non placarem eum? Non ei filium suum reconciliare deberem? Quomodò ergo volo, ut cum filio suo habeat pacem, cujus appeto hæreditatem? Sed planè si faciat, quod sæpè hortatus sum, unum filium habet, putet Christum alte-*

rum; duos habet, patet Christum tertium; decem habet, Christum undecimum faciat, & suscipio. Quia ergo hoc feci in quibusdam rebus, jam volunt bonitatem meam, vel commendationem famæ meæ in aliud vertere, ut alio modo me reprehendant, quia devotorum hominum nolo hæreditatem suscipere. Considerent quam multa susceperim..... Filii Juliani hæreditatem suscepi: quare? quia sine filiis defunctus est. Bonifacii hæreditatem suscipere nolui, non misericordiâ, sed timore..... Planè quando donavi filio, quod iratus pater moriens abstulit, benè feci. Laudent qui volunt, parcant qui laudare nolunt. Quicumque vult exhæredato filio hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum qui suscipiat, non Augustinum, imò Deo propitio neminem inveniat.

974 Ideò etiam constans est Sanctorum praxis & doctrina, pauperes (maximè sanguine junctos) in gravi necessitate constitutos priùs sublevandos esse, quàm bona Templis, & Monasteriis graviter non indigentibus elargienda. Hinc S. Augustinus vasa dominica frangi jubebat, ut captivos redimeret, & pauperes sublevaret. Idem fecit S. Ambrosius, ab Augustino laudatus, apud Possidonium in ejus vita c. 24. Et Acarius Episcopus apud Socratem l. 7. c. 21. Cæsarius Arelat. apud Surium 27. Augusti. Et can. *aurum* 12. q. 2. Ambrosius dicit: *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus ad alimoniam pauperum & redemptionem captivorum.* Nec piam esse excusationem dicentis: *Timui, ne templo Dei ornatus deesset..... Quia aurum Sacramenta non quærunt: neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus Sacramentorum, redemptio captivorum est; & verè vasa illa sunt pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur quod sanguis ejus operatus est.*

975 Et cui non probetur memorabilis ista S. Elizabethæ sententia: *plus curæ habendum esse templorum Dei vivorum, quàm mortuorum?* Sicut & ista Hieronymi epist. 8. ad Demetriadem: *Melius est Christum vestire in pauperibus, quàm Ecclesias ædificare, & ebore argentoque valvas, & gemmis aurata distinguere altaria, & parietes marmorum crustis vestire. Vis domum Dei ædificare?* (aiebat Chrysostomus Homil 45. in cap. 23. Matth.) *da fidelibus pauperibus unde vivant, & ædificasti rationabilem domum Dei, qui dixit: Misericordiam volo, non sacrificium, istud nolens, illâ neglectâ.*

976 Templi Dei quidem, etiam materialis, nullus ornatus per se loquendo esse potest nimius; ideòque magnificentissimum sibi templum Deus extrui voluit à Salomone. Certis tamen in circumstantiis, templi materialis ornatus per accidens esse potest nimius, dum scilicet negligitur necessitas pauperum maximè propinquorum, ut auro & lapidibus pretiosis, non necessariis, ornetur materiale Dei templum. Hoc est enim quod *vanitatem non vaniorem quàm insaniorem* appellat Bernardus Apologiâ ad Guilielmum Abbatem, circa finem dicens: *O vanitas vanitatum, sed non vanior, quàm insanior! Fulget Ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget; suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit. De sumptibus egenorum servitur oculis divitum. Inveniunt curiosi quò delectentur, & non inveniunt miseri quo sustententur, &c.*

Neque verò mihi aliquis opponat dives in 977
Judæa templum (ait Hieronymus ad Nepotianum) *mensam, lucernas, thuribula, patellas, scyphos, mortariola, &c. ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecorum erat redemptio peccatorum, hoc est quando carnalis lex vigebat, quæ in præmium observationis suæ promittebat abundantiam rerum temporalium; & ideò congruebat illam ædificatione templi sumptuosissimi ostentari. Nunc autem Deus non tam politis marmoribus, quàm ornatis moribus delectatur* (ait Bernardus ad milites templi cap. 5.) *& puras magis diligit mentes, quàm superauratos parietes.* Propterea etiam Salvator Marci 7. redarguit eos, qui Deo vovent, vel templo donant ea quæ parentibus sustentandis necessaria sunt. Videatur Drexelius de eleëmosyna p. 2. c. 2. §. 2. ubi ita scribit: *Objicies tertio, ego templis do. Non reprehendimus: sed templa viva potiùs ac priùs curanda sunt, quàm ea quibus nihil est vitæ. Sunt qui sacerdotia augeant, cœnobia condant, templa, aut sacella erigant; parentes, aut cognatos summè pauperes destituant. O munificentiam magnam, sed malè ordinatam!*

Sanctum quidem est, & christianum, si 978
testator aliquam partem de bonis suis donet Ecclesiæ, vel Monasterio, dummodò per istud non obligatorium donum, nullam negligat de obligationibus suis, necessaria providendi filiis, parentibus, & aliis propinquis, in egestate constitutis. Sed sanctum non est, nec christianum, imò sordida potiùs avaritia, quòd *sacri homines velut vultures inhient præda* (verba sunt Theophyli Raynaudi l. 1. sect. 1. c. 8. de interverf. testam.) *& testamenta captent, licèt Ecclesiæ, aut pio Cœtui suo profutura, neglectis filiis, seu aliis propinquis indigentibus*, contra allatum exemplum, doctrinamque Sanctorum. Contra vultures illos graviter invehitur D. Hieronymus, & post ipsum Molanus Compend. Theol. pract. fol. mihi 181. & Joannes Polancus c. 3. Methodi juvandi infirmos. *Apage* (inquit Pater Mantelius Augustinianus de officio Pastor. lib. 2. c. 16.) *apage quoque eos qui piis ex composito obsequiis ægrorum domos vulturum more obsident, quo defunctorum hæreditates depascantur, & legitimos sæpè successores specie quâdam majoris boni excludunt, & ablegant ad manticam.* Si non imitentur exempla, nec audiant verba Sanctorum, saltem non sint imitatores Pharisæorum, prætextu religionis in lucra sua convertentium ea quæ debita erant necessi-

cessitatibus parentum, & audiant id quod Pertinax Imperator Ethnicus, apud Jul. Capitolinum, in orat. ad Senatum dixit, se nullius hæreditatem aditurum, quæ vel adulatione delata esset, vel lite perplexa, ut legitimi ac necessarii hæredes privarentur: *satius enim est inopem obtinere Rempublicam, quàm ad divitiarum cumulum per discrimina, atque dedecorum vestigia pervenire.*

CAPUT XCVII.

Personæ quæ possunt, & non possunt testamentum condere.

979 OMnes, ratione utentes, bonorum temporalium dominium habentes, de iis testari, seu testamentum condere possunt, nisi lege prohibeantur, inquit S. Antoninus 3. p. tit. 10. c. 8. §. 17. Non possunt verò imprimis qui carent usu rationis, ut insensati & deliri, nisi lucida habeant intervalla, & lucente tali intervallo, testentur. 2°. impuberes, quia sat firmi judicii non sunt ad disponendum de rebus suis. 3°. nec surdi & muti à nativitate, vel qui infortunio facti sunt tales, antequam litteras noverint. 4°. nec prodigi, post interdictam bonorum administrationem. 5°. nec servi. 6°. nec usurarii publici, nisi anteà pro usuris satisfecerint, vel sufficientem de satisfaciendo dederint cautionem. 7°. nec damnati ad mortem, seu civilem, seu naturalem. 8°. nec filii-familias necdum emancipati. Quia, uti dicitur L. 2. Instit. tit. 12. *qui alieno juri subjecti sunt, testamenti faciendi jus non habent, adeò quidem ut quamvis parentes eis permiserint, nihilo magis jure testari possunt.* Unde cap. *licèt* de sepulturis in 6. dicitur, quòd *filius-familias, etiam pro anima sua, præter patris assensum (nisi peculium castrense, aut quasi castrense habeat) aliquid judicare non potest.* 9°. juxta cap. *quia nos* de testam. *licèt Clerici de his quæ paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, liberè disponere valeant; de his tamen quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure facere possunt testamentum.*

980 Hæc omnia vera sunt de jure communi. Sed moribus nostris, pluriumque aliarum regionum, multi aliter opinantur de surdis & mutis, valere utique testamentum ipsorum si coram Notario voluntatem suam signis externis sufficienter aperire queant. Cæcos quoque, licèt subscribere nequeant, testari posse, tradit Stockmansius Decis. 16. Prodigi in favorem cognatorum & egenorum juxta prudentiæ regulas disponentis, testamentum est validum, juxta Novellam Leonis 39. Quod quia conforme est æquitati naturali, receptum est in Gallia, & nonnullis Belgii Provinciis.

De servis nihil circa hoc habent Belgarum consuetudines, secundùm quas servitus dudum abiit in desuetudinem.

Filius-familias, si pubes sit, testari potest 981
de bonis, quorum habet dominium, etsi pater habeat usum-fructum, v. g. de bonis maternis, cæterisque adventitiis, etiam absque consensu patris. Stockmansius decis. 8.

Etiam damnatus ad mortem testari potest, modò omnia ipsius bona per sententiam publicata non sint. Bannitum tamen in perpetuum testari non posse docent Authores Galli.

Clericos, etiam de proventibus Ecclesia- 982
sticis, etiam in gratiam cognatorum, validè testari, communis obtinuit, tam Galliæ quàm Belgii, & aliarum regionum consuetudo, uti testantur Covarruvias ad tit. de testam. n. 23. Boëtius Epo ad cap. 12. de testam. n. 52. Zypæus Jur. Pontif. tit. de testam. adeò ut Clericis, etiam ab intestato, succedant hæredes consanguinei, quamvis in mobilibus Episcopi & Capitula succedant in Belgio.

Verùm, ut sapienter monet Fagnanus ad 983
cap. *siquis* de peculio Clericorum, neque consuetudo, imò nec Papæ dispensatio Clericis dare potest potestatem, ut fructibus beneficiorum abutantur, in profanos usus eos expendendo, vel dissipando. Testaturque Navarrus (apud Huyghenium de contract. c. 29.) quòd de hac opinione admonitus Pius V. antequam licentia eam imprimendi fieret, responderit, esse *justam & sanctam opinionem.* Concilium etiam delectorum Cardinalium sub Paulo V. Pontificem monuit, quòd *licentia testandi Clericis de bonis Ecclesiæ non esset danda, nisi pro causa urgenti; ne bona pauperum converterentur in privatas delicias, & amplificationes domorum.* Clerici enim, sub peccato mortali, obligantur superflua ex bonis ecclesiasticis erogare, aut de iis disponere in necessitates pauperum, vel alias causas pias, ut *communis est doctrina* (inquit Wiggers de Instit. tr. 1. c. 3. dub. 9. n. 31.) *& omninò certa, ita ut opposita ne quidem reputetur ullo modo probabilis.* Vide quæ hac de re dixi in superioribus.

Quæ cùm ita sint, hoc unum efficere po- 984
test dicta consuetudo, aut dispensatio testandi de ecclesiasticis bonis, ut de iis licitè condatur testamentum ad pias causas, non ut de iis testator licitè disponat ad causas profanas in favorem consanguineorum, vel amicorum non indigentium. Hoc enim Tridentinum omninò interdicit sess. 25. de reform. c. 1. non obstante (quam non ignoravit) consuetudine multorum regnorum, testamenta Clericorum de bonis ecclesiasticis, etiam in favorem parentum tolerantium, & valida reputantium. Enimverò si de bonis illis Clerici ad usus profanos licitè disponere nequeant in vita; profectò nec in morte. Tam enim in morte sub mortali tenentur

superflua, ex bonis illis, in causas pias expendere, quàm in vita; sive interim obligatio ista sit justitiæ (uti existimamus cum melioribus Doctoribus, & Antiquis ferè omnibus, qui negant Clericos superfluorum illorum esse dominos, vel affirmant non habere dominium eorum absolutum, sed vinculatum, instar fidei-commissi) sive sit charitatis tantùm: cùm etiam sola charitatis obligatio, in materia gravi, sufficiat ad æternam damnationem contrafacientium. Viderint proinde quò ituri sint Clerici, qui mox ad tribunal Christi rapiendi, nihil de salute sua solliciti, totum quod habent, divitibus consanguineis suis, nihil pauperibus (sui immemores) relinquunt: tanta in ipsis est hujus sæculi fascinatio, tanta in ipsos potestas principis hujus mundi, corda ipsorum excæcantis.

985 Siqua proinde certis in locis Clericorum consuetudo sit de bonis illis testandi ad causas profanas, pro corruptela haud dubiè habenda est, non pro consuetudine legitima, etiamsi dispositio testamentaria, conformiter ad eam facta, in foro externo eo titulo impugnari non posset: non enim ideò coram Deo licita, ut à simili videre est in collatione beneficii, præcipuè Curati, facta minùs digno, digniori prætermisso. Quæ licèt certissimè illicita sit, impugnari non potest in foro externo. Non omne ergo quod toleratur in foro fori, toleratur & permittitur in foro poli, sive coram Deo.

986 Propterea in Synodo Diœcesana Antuerpiensi, sub Francisco Sonnio anno 1576. tit. de testam. c. 3. monentur omnes Clerici, *ne in testamentis suis faciendis nimium tribuant carni & sanguini; sed meminerint, ea quæ necessitatibus suis superfunt ex fructibus suorum beneficiorum, esse verè pauperum & Ecclesiæ, ac de jure ex omnibus beneficiis eos tantùm posse capere stipendia vitæ suæ: cùm non habeantur ut proprietarii, sed tantùm ut usuarii*, &c.

987 Errant igitur, qui putant, canones, quibus Clericis interdictum est de bonis ecclesiasticis in usus profanos, vel ad ditandos parentes insumere, ob contrariam consuetudinem ampliùs non obligare. *Absit ut non obligent*, ait Christianus Lupus to. 1. Schol. in canones pag. 484. *Nemo* (sub falso illo prætextu) *se seducat: Deus non irridetur*. Olim, cùm Clericis intestatis in semissem ex consuetudine succederent Flandriæ Comites, & Robertus Frisius super hoc correptus fuisset ab Urbano II. ipsi scribente: *Scire debes, Creatorem tuum dixisse: Ego sum veritas; non autem usus vel consuetudo*. Robertus Comes isti prætenso juri renuntiavit; testeque Lessio in opere posthumo, verbo *testamentum* casu 8. n. 21. *hac in re Doctores Lovanienses dant aliis bonum exemplum; qui, etsi pleraque sua bona labore & industriâ sibi comparaverint, tamen, quia simul aliquod beneficium ecclesiasticum habuerunt, ferè omnia relinquunt ad pias causas, pro salute animæ suæ, & bono Ecclesiæ; & parùm relinquunt suis consanguineis, etsi tenuibus.*

CAPUT XCVIII.

Personæ quæ possunt & non possunt hæredes instituí.

GEneraliter possunt omnes dominii capaces, quibus id jure non est interdictum. L. 2. Instit. tit. 14. de hæredibus instituendis. 988

Non possunt verò spurii, sive nati ex adulterio, vel parentibus inter quos matrimonium esse non poterat. L. *licèt* Cod. de naturalibus liberis, ibi: *Qui ex damnato sunt coitu, omni prorsus beneficio secluduntur*, tametsi parentes in conscientia teneantur ipsis alimenta largiri, prout Clemens III. cap. *cum haberet* de eo qui duxit in matrim. quam poll. per adult. declarat, dicens: *Sollicitudinis tamen tuæ intererit, ut uterque liberis suis, secundùm quod eis suppetunt facultates, necessaria subministret*. Eò quòd utique *necare videtur, qui alimenta denegat*. L. *necare* de liberis agnoscendis.

Si testator tertium aliquem instituisset hæredem, hâc lege, ut hæreditatem spurio testatoris redderet, & hæreditas excederet summam necessariam ad alimenta ipsius, eam ipsi reddere in conscientia non posset, sed legitimis hæredibus, nec spurius ipse in conscientia retinere posset bona sibi à patre data contra leges. Quia pater non potuit illa dare juxta leges illas; quæ cùm justæ sint, obligant in conscientia, juxta S. Thomam 1. 2. q. 96. a. 4. nec potuit testari ut suprà: quia certum est quòd *is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem*. Regulâ 88. juris in sexto. 989

De quibuscumque illegitimis regula generalis est in Belgio & Gallia, quòd propinquis suis succedere non possint, ne quidem patri & matri, nec ipsis succedent propinqui ipsorum, sed fiscus. Stockmansius decis. 67. dumque legitimantur à Principe, nullum aliud ex hoc beneficium consequuntur, quàm quòd parentum testamento hæredes possint instituí, non, ut præteriti, querelam inofficiosi testamenti facere, nec legitimam, seu illius supplementum petere, vel patri naturali ab intestato succedere. Atque ita judicatum refert decis. 68. 990

Religiosi solemniter professi, in Gallia & Belgio non succedunt parentibus ab intestato, quoad ulla bona. Extat enim Constitutio Caroli V. de 21. Februarii 1528. quæ statuit, ut nulli Religiosi professi, neque ulla Monasteria, vel Claustra pro iis se poterunt dicere hæredes in aliqua domo mortuaria, neque titulo successionis habere, aut apprehendere ulla bona. Refert nihilominùs Stockmans decis. 4. aliquoties judicatum à Supremo Brabantiæ Consilio, istam Caroli 991

V. Constitutionem non prohibere successionem ex testamento.

992 Sed rarissimum quòd filiis Religiosis parentes aliquid testamento relinquant; imò dum illos Deo ac religioni offerunt, utplurimùm id faciunt quod Salvianus lib. 3. ad Eccles. vehementer reprehendit, dicens: *Qui à parentibus filii offeruntur Deo, omnibus filiis postponuntur; indigni judicantur hæreditate, qui digni fuerant consecratione; ac per hoc unâ tantùm re parentibus viles sunt, quia cæperint Deo esse pretiosi. Ex quo intelligi potest, quòd nullus penè apud homines vilior sit, quàm Deus.*

CAPUT XCIX.

Testamenti executio.

993 *Ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet.* D. Gregorius relatus 13. q. 2. hæres proinde institutus hæreditatem adire tenetur tempore per leges, vel locorum consuetudinem, vel per Judicem constituto. Minimum spatium, quod moribus nostris concedi solet, est centum dierum; summum, novem mensium. Medium temporis in Judicis est arbitrio. Gudelinus Jur. Novis. lib. 2. c. 10. n. 10. Tempus illud conceditur, ut hæredes interea deliberent, velint-ne hæreditatem suscipere, an repudiare? eò quòd hominum facultates plerùmque fallant, spes hominum confundant, & debita vires hæreditatis excedant.

994 Huic periculo remedium legibus conceditur, beneficium scilicet inventarii, quo id consequitur hæres. 1°. quòd ultra hæreditatis vires conveniri non possit. 2°. quòd detrahere possit falcidiam, (id est quartam bonorum partem, quæ ipsi manere debeat salva, si hæreditas ultra eam gravata sit legatis) sicut & trebellianicam, id est eandem quartam partem, si gravata sit fidei-commissis. Tam istius quàm illius usum in Belgio & Gallia esse tradit Stockmansius Decis. 38. & 39. Eam tamen legatis piis detrahendam non esse tradunt Authores communiter, juxta Authent. *similiter* Cod. ad leg. falcid. 3°. beneficio inventarii hæres habet jus ante omnia deducendi expensas funeris, & ipsiusmet inventarii, quòdque de ordine creditorum esse non debeat sollicitus, &c.

995 Circa hoc tamen, Edictum perpetuum anni 1611. statuit 1°. ut hoc beneficium ab ipso Principe obtineri debeat intra trimestre ab obitu testatoris. 2°. ut inventarium perficiatur intra 40. dies ab impetratis litteris. 3°. ut detur cautio super mobilia inventa. 4°. ut posteà infra 50. dies obtineatur actio citatoria, quâ creditores omnes citentur, suas prætensiones & actiones prolaturi & probaturi; intra sex menses, si in patria; infra annum, si extra degant. 5°. factâ proclamatione, mobilia vendantur, eorumque pretium mox creditoribus distribuatur, datâ cautione, quòd illud restituent, si necesse fuerit. 6°. elapso anno, hæres declarare debet, an velit testamento sub inventarii beneficio stare. Si affirmet, immobilia distrahuntur, nisi videantur debitis sufficientia, vel eorum æstimationem hæres fieri desideraret.

996 Si testamenti executor nullus à testatore esset relictus, executio ad hæredes devolveretur, vel executor à Magistratu designandus esset, juxta varias locorum consuetudines. Quoad legata tamen pia, ad captivorum redemptionem, & pauperum eleëmosynas relicta, executio pertineret ad Episcopum. Authent. *licèt testator* Cod. de Episc. & Cler. Et ideò Synodus Cameracensis anni 1586. statuit ut *executores testamentorum ad pias causas à Parochis moneantur, & si post annum negligentes sint, ab ipsis deferantur ad Episcopum, à quo compellantur, juxta Concilium Tridentinum sess. 22. c. 8. & 9.* Sunt & varii alii canones, qui pias fundationes Episcopis subjiciunt: quibus conforme est Edictum anni 1608. de 3. Augusti. Unde ne iis quidem in locis, in quibus regimen Nosocomiorum, Hospitalium, & Xenodochiorum Magistratui attribuitur, ideò excluso censetur Episcopus, ut rectè Anselmo Tribon. c. 36.

997 Enim-verò si *ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet*, ut suprà dictum est, maximè quoad legata pia, à defuncto relicta in honorem Dei, salutemque animæ suæ. Et ideò ne per Episcopum quidem in alios usus, quàm à testatore declaratos, mutari possunt, si testatoris voluntas commodè adimpleri possit. Tridentinum namque loco citato cap. 6. declarat, commutationes ultimarum voluntatum nonnisi justa & necessaria de causa fieri posse. Talis nihilominùs causa ex incidenti subinde præsumi potest, dum tale incidens occurrit, ob quod rationabiliter præsumi potest, testatorem ipsum id probatum iri, si talis ipsi usus occurrisset; tametsi de facili hoc præsumendum non sit.

998 Advertant hîc Parochi, & alii animarum Directores, suadendum testatori, ut si commodè possit, potiùs in vita donet pauperibus, quæ ipsis donare vult, quàm post mortem: cùm id longè majoris sit meriti, magis etiam satisfactorium, dum in morte solum datur, quod ampliùs retineri non potest; proinde non tam voluntariè, quàm velut ex quadam necessitate. Unde Eccli. 14. scriptum est: *Ante obitum benefac amico tuo, & secundùm vires tuas exporrigens da pauperi.*

999 Suadendum quoque, ut testamentum fiat initio morbi, nisi priùs factum fuerit: quia non leviter errant, qui de eo non cogitant, nisi dum, ingravescente morbo, à cognatis, vel amicis ad id quodammodò compelluntur; quo etiam tempore non eâ prudentiâ de rebus suis disponunt, sicut ante morbum, vel ipsius initio, ut rectè Bellar-

minus lib. 2. de arte benè moriendi c. 5. ubi & illud maximi momenti esse monet, si fiat in gratia. Quia hoc necesse est, ut sit meritorium.

1000 Grave verò peccatum incurrunt testamentorum executores, si nullo detenti justo impedimento, legatorum piorum solutionem notabili differant tempore. Cùm hoc saluti animæ defuncti notabiliter obesse possit.

1001 Nec refert, quòd certus executionis terminus certis in locis à sæculari potestate præscribi soleat. Quia terminus iste non statuitur pro foro poli, sed pro foro fori, ut executor sciat, se à Judice mulctari posse, si solutionem ultra eum terminum differat.

1002 Solvenda supereſt duplex quæstio. Prima, quid censendum sit de legato per testamentum relicto puellæ, si mundum reliquerit, vel certum statum susceperit; an legatum istud solvendum sit puellæ, quæ elegit statum Begginæ, vel filiæ devotæ? Si legatum relictum sit puellæ, quæ mundum reliquerit, Zypæus lib. 3. consult. canon. consult. 1. censet eo frui non debere Begginam: utpote quæ non videatur mundum absolutè reliquisse, cùm ad eum reverti possit, sicut Novitii & Novitiæ Religiosorum Ordinum. Si verò relictum sit puellæ, quæ statum elegerit, lib. 3. respons. jur. ad respons. 1. censet frui debere Begginam, eò quòd censeri debeat statum elegisse, cùm Begginæ habeantur pro personis Ecclesiasticis, & tales vocentur à Joanne XXII. earumque ædes sacræ, & Episcopis subjectæ. Idem censet Bertrandus Loth qq. Belgic. tr. 8. q. 1. a. 3. Sed mihi videtur, Begginas eodem modo censeri posse mundum reliquisse. Unde etiam censeo, puellas devotas statum illum amplexas, animo in eo ad mortem usque perseverandi, censeri posse mundo mortuas, maximè, si Deo se devoverint per votum absolutum castitatis usque ad mortem. Et consentit Zypæus, eas in favorabilibus venire debere sub nomine earum, quæ statum elegerunt, non autem in odiosis. Unde (inquit) cùm testator vetuisset liberis bonorum suorum alienationem, si ad statum ecclesiasticum veniissent, *respondi in ista odiosa clausula Begginam & Devotam non comprehendi: eò quòd licèt statum ecclesiasticum elegerint in ampla significatione, non in stricta & propriissima. At verò favores sunt ampliandi, odia verò restringenda.*

1003 Secunda quæstio, an legatum relictum determinatæ puellæ, ut matrimonium decenter ineat, ei tradendum sit, si statum religiosum elegerit? Respondeo affirmativè, nisi aliud de testatoris mente constiterit. Quia sic habetur Authent. de SS. Episcop. §. *& hoc præsenti.* Et Authent. *nisi rogati C.* ad Trebell. Et ratio est, vel quia præsumendum non est, quòd testator voluerit eam impedire, ne meliorem statum eligeret. Vel quia sic in favorem vitæ religiosæ legibus illis est constitutum. Ita Covarruvias 1. variar. c. 19. n. 10. Villalobos tr. 30. diffic. 30. n. 11. Menochius l. 4. de præsumpt. 148.

Sed quid de legato relicto generaliter ad 1004
nubendas virgines, potestne tradi iis quæ fieri volunt Religiosæ? Negant Sanchez, Lugo, Bonacina, Barbosa, &c. Affirmant Basilius Legionensis, Lessius, & alii apud nostrum Andræam à Matre Dei hic c. 5. n. 185. ubi & ipse subscribit. Sed non video firmam hujus rationem. Fateor quidem, quòd si quis legasset Petro ducentos florenos, si uxorem ducat, nullâ factâ mentione Religionis, debebuntur ei 200. etiamsi uxorem non ducat, sed Religionem ingrediatur. Ita enim tenent omnes, & Lex *quidam habetur* in dicta Authentica eundem favorem esse voluit matrimonii spiritualis, qui carnalis. Et reverà leges usque adeò favent matrimonio spirituali, ut si testator per hanc conditionem, *si uxorem ducat*, excludere voluisset statum religiosum, haberetur pro conditione turpi, ac proinde pro non adjecta. L. *reprehendenda* Cod. de Instit. & Substit. L. *quidam* ff. de condit. appos. L. *tu pia* ff. de legatis.

Excipe, nisi testator justam habuerit causam relinquendi aliquid generaliter pro maritandis virginibus, quæ locum non habet in iis quæ Religionem amplectuntur, quæque per leges non habeatur pro impeditiva statûs religiosi, v. g. si testator sic disposuerit, ut eæ quæ de Religione non cogitant, decenter maritatæ, sint extra periculum incontinentiæ.

Unde casu quo testator legasset Petro 1005
200. flor. si uxorem ducat, 100. si Religionem ingrediatur, non est ratio dicendi, quòd posterior ista conditio censenda sit adjecta, ut Petrus à Religione retrahatur: cùm satis occurrant aliæ justæ, & honestæ causæ, quæ testatoris animum rationabiliter movere potuerunt ad sic disponendum, v. g. quia paucioribus indigent qui statum religiosum amplectuntur, quàm qui carnale ineunt matrimonium, ob majora matrimonii carnalis, quàm spiritualis onera. Et ideò in dicto casu videtur probabilius, quòd Petro Religionem ingredienti solùm debeantur 100. uti docent Covarruvias, Lopez, Malderus, Wiggers tr. 5. de contract. c. 2. dub. 10. n. 53. & alii contra Angelum, Sylvestrum, &c. qui putant Petro tunc perinde deberi 200. ac si uxorem duceret.

CAPUT C.

Definitio injustitiæ, seu injuriæ, justitiæ oppositæ.

POsteaquam de justitia egimus, materiæ 1006
ordo postulat, ut ad vitium illi oppositum

tum transeamus. Injustitia itaque sive injuria, est voluntaria juris alieni violatio. Dico *voluntaria:* quia si quis inadvertenter, ac præter intentionem, jus alterius lædat, injustum quidem facit, sed non injustitiam seu injuriam, propriè & formaliter loquendo. Undè Philosophus 3. Ethic. 9. distinguit inter agere injustum, & agere injustè: injustum namque injustè non fit, nisi à volente, saltem indirectè & interpretativè, juxta illud S. Thomæ 2. 2. q. 59. a. 3. *Injustum per se, & formaliter nemo potest facere, nisi volens*; nec injustè facere censetur, nisi qui facit injustum formaliter, non materialiter præcisè.

CAPUT CI.

Scienti, & invalidè consentienti, id est juri suo cedere non valenti, fieri potest injuria; secùs, si juri suo cedere validè possit.

1007 PRobatur prima pars, quia invalidus consensus, sive invalida cessio juris, perinde est ac consensus nullus, cessio nulla; & qui taliter consentit ac cedit, perinde est, moraliter loquendo, ac si non consentiret, nec cederet. Talis proinde verè retinet jus suum. Qui ergo contra illud voluntariè facit, est formaliter injustus, & formaliter injuriosus. Unde meritò ab Innocentio XI. damnata est propositio ista: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Non esset verò adulterium, si non foret injuriosa marito; ideò verò est injuriosa marito: quia contra jus matrimoniale, sive contra fidem conjugalem, cui maritus validè cedere non potest, nec eam remittere, magis quàm matrimonium dissolvere.

1008 Objicies 1°. injuria hoc est in moralibus, quod violentia in physicis. Atqui violentia non fit, nisi subjecto physicè reluctanti: ergo nec injuria fit, nisi subjecto moraliter reluctanti, seu contrariam habenti voluntatem.

Respondeo, majorem non esse veram de quacumque injuria, sed de sola injuria strictiùs accepta pro morali violentia.

1009 Objicies 2°. injuria alicui infertur, dum jus ipsius violatur; sed non violatur jus consentientis: cùm hoc ipso quo consentit, cedat juri suo.

Respondeo, jus consentientis violari, dum invalidè illi cedit: eò quòd cessio invalida perinde sit ac non cessio.

1010 Objicies 3°. si nulla foret voluntas, quæ violatur, nulla foret injuria (utpote quæ inferri nequit subjecto voluntatem non habenti, v. g. bruto) atqui dum voluntas consentit, nulla est voluntas quæ violatur.

Nego subsumptum: quia voluntas invalidè consentiens, moraliter perinde est ac voluntas non consentiens.

1011 Objicies 4°. si volenti injuria fieri possit, maximè dum uxor corporis sui usum concedit alieno, consentiente marito. At nulla tunc marito fit injuria; aliàs ipsi deberetur injuriæ reparatio.

Respondeo, injuriæ reparationem tunc debitam esse marito, quantum est ex natura adulterii; adulterum tamen & adulteram ab ea per accidens excusari, ex condonatione mariti: qui licèt jus ad fidem conjugalem abdicare non possit, injuriam contra jus illud factam condonare potest.

CAPUT CII.

Restitutionis definitio, & discrimen à solutione & satisfactione.

DUplex est præceptum justitiæ. Primum, non inferendi injuriam; alterum, eam, si illata fuerit, reparandi per restitutionem, quæ est reparatio juris violati. Quod tunc reparatur, dum ille, cujus jus est violatum, in pristinum statum restituitur. Verùm quia restitutio non semper supponit juris alieni violationem, restitutio meliùs definitur, actus justitiæ commutativæ, quo alteri redditur res sua, in se scilicèt si extet; vel in æquivalenti, si non extet, sed per incendium, vel aliam damnificationem destructa sit. *Restituere* namque (ut S. Thomas ait q. 62. a. 1.) *nihil aliud esse videtur, quam iteratò aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ. Et ita in restitutione attenditur æqualitas justitiæ secundùm recompensationem rei ad rem; quod pertinet ad justitiam commutativam. Et ideò restitutio est actus commutativæ justitiæ, quando scilicet res unius ab alio habetur, vel per voluntatem ejus, sicut in mutuo, vel deposito; vel contra voluntatem ejus, sicut in rapina, vel furto.* 1012

Restitutio differt à solutione & satisfactione. A solutione quidem, quòd restitutio supponat, rem restituendam antè fuisse in potestate alterius; solutio verò est præstatio rei, quæ nondum fuit in potestate ejus, cui solvitur. A satisfactione verò differt 1°. quòd hæc generaliter sit magis latè patens, quàm restitutio: omnis quippe restitutio est satisfactio; non econtrà: quia solvens pretium equi, quem emit, satisfacere dicitur, non restituere. 2°. quia, ut S. Thomas ait in 4. dist. 15. q. 1. a. 5. quæstiunc. 1. *restitutio est reparatio inæqualitatis existentis in rebus; reparatio autem inæqualitatis existentis in actionibus & passionibus, satisfactio nominatur.* Et ideò satisfactio propriè respicit personam, cui satisfit, præstando quod satis est, etsi non ad æqualitatem debiti. Deo namque satisfacimus pro peccatis nos humiliando, etsi non ad æqualitatem debiti pro peccatis nostris: hoc enim non possumus. Restitutio autem respicit rem ab alio acceptam, ipsique in se, vel in æquivalente restituendam. Denique satisfactio propriissimè 1013

accepta consistit in compensatione injuriæ personalis; injuriam proinde supponit, non restitutio, quæ propterea aliquando est sine satisfactione taliter accepta, ut cùm quis mutuum reddit.

CAPUT CIII.

Restitutio ad salutem necessaria est necessitate præcepti, non medii.

1014 ITa communiter omnes cum S. Augustino relato can. 1. 14. q. 6. dicente: *Si res aliena, cùm reddi potest, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Sed, ut dixi, cùm restitui potest: si enim non habet unde restituat, huic certè non possumus dicere, redde quod abstulisti.* Et S. Gregorio relato can. *falsas* de pœnit. dist. 6. *Qui bona alterius injustè detinet, agnoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam pervenire valeat, nisi bona, quæ injustè abstulit, restituat.* Similia habet S. Bernardus epist. 77.

1015 Probatur itaque assertio nostra 1°. ex Ezech. 13. ubi impio vita quidem promittitur æterna, sed sub hac conditione, *si egerit pœnitentiam, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit.* 2°. ex Augustino proximè relato. 3°. ratione: quia non restituere, dum restitui potest, est furtum continuare: *non enim multùm interest, quoad forum animæ, injustè detinere, & invadere alienum.* cap. *sæpè* de restit. spoliat. ubi Glossa: *Pro eodem reputant jura, auferre, & detinere injustè.* 4°. *cùm conservare justitiam sit de necessitate salutis* (ait S. Thomas q. 62. a. 2.) *consequens est, quòd restituere id quod injustè ablatum est alicui, sit de necessitate salutis.*

1016 Non est tamen de necessitate medii: quia illud est necessarium necessitate medii, quo, etiam inculpabiliter omisso, non potest obtineri salus. Atqui salus obtineri potest omissâ inculpabiliter restitutione, ut constat ex Augustino relato.

1017 Nec dicas, plures defunctorum animas detineri in Purgatorio, donec restitutio ab hæredibus facta sit: eò quòd à peccato aliter liberari nequeant, uti colligitur ex cap. 5. de raptoribus, ubi hæredes defuncti restituere jubentur, ut sic à peccato valeat liberari.

Ad hoc namque dicendum, errorem esse insipientium, defuncti animam in Purgatorio tamdiù detineri, cæloque excludi, quamdiù ab hæredibus non restituitur id quod injustè abstulit, & non potuit, vel oblitus fuit restituere. Neque hoc colligitur ex capite illo 1. Tum quia alia editio pro ly *valeat*, habet *valeant*. Tum quia si legendum *valeat*, ly *à peccato*, juxta usitatum Ecclesiæ, & sanctorum Patrum loquendi modum, ibi sumitur pro eo ac si diceretur, *à pœna peccati*; à qua pœna defunctorum animæ subinde liberantur per restitutiones ab hæredibus factas, tamquam opera pro ipsis satisfactoria; quâ satisfactione privatæ, diutiùs subinde in pœnis detinentur. Et ideò vivis in eo negligentibus subinde apparentes, dicunt à Purgatorio se non liberandas, nisi fiat restitutio, per quam fruantur beneficio præfatæ satisfactionis.

CAPUT CIV.

Quilibet injustus alienæ rei detentor, vel damnificator, eam tenetur statim restituere, si potest, vel petere dilationem ab eo cujus rem detinet, vel quem damnificavit.

1018 ITa sanctus Thomas q. 62. a 8. *Quia* (inquit.) *sicut accipere rem alienam, est peccatum contra justitiam; ita etiam detinere eam: quia per hoc quòd aliquis detinet rem alienam invito domino, impedit eum ab usu rei suæ; & sic ei facit injuriam. Manifestum est autem, quòd nec modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere, secundùm illud Eccles. 21.* " Quasi à facie colubri fuge peccatum. " *Et ideò quilibet tenetur statim restituere, si potest, vel petere dilationem ab eo qui habet usum rei concedere.*

1019 Idque confirmat in argum. *sed contrà:* quia *eadem ratio esse videtur in omnibus quæ sunt restituenda. Sed ille qui conducit opera mercenarii, non potest differre restitutionem, ut patet per illud quod habetur Levit. 19.* Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque manè. " *Ergo neque in aliis restitutionibus faciendis potest fieri dilatio, sed statim restituere oportet.*

1020 Objicit sibi sanctus Doctor 1°. præceptum restitutionis est affirmativum. Ergo non obligat ad statim.

Respondet, *quòd præceptum de restitutione facienda, quamvis secundùm formam sit affirmativum* (pro quanto scilicet fieri jubet restitutionem rei alienæ) *implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere*, fundaturque in negativo isto: *non furtum facies.*

1021 Objicit 2°. quandoque aliquis non potest statim restituere; nullus autem tenetur ad impossibile.

Respondet, *quòd quando non potest statim restituere, ipsa impotentia absolvit eum ab instanti restitutione facienda; sicut etiam totaliter à restitutione absolvitur, si omninò sit impotens. Debet tamen remissionem, vel dilationem petere ab eo cui debet, aut per se, aut per alium.*

1022 Ex his facilè colligas (inquit Soto lib. 4. de just. q. 7. a. 4.) in quàm aperto ver" sentur periculo, imò in quàm manifesto ja" ceant peccato, qui restitutionem usque ad " mortis articulum procrastinant. Imprimis " enim certum est, quòd quicumque pro com" perto habet, se ære gravari alieno, & non " habet propositum restituendi ante mortem, "

licèt

licèt firmissimum illud habeat tunc restituendi, aut restitutionem in testamento præcipiendi, perdurat in peccato mortali, neque est absolutionis beneficio donandus. Et ratio est, quia, habitâ opportunitate, per nullum tempus licet retinere alienum invito domino. Quare si subitâ morte fuerit correptus (qualiter utplurimùm similibus hominibus accidere solet) in statu decedit damnationis. Et idem est censendum de illis, qui, ambigentes, an id quod habent, alteri debeant, nolunt, superstite illis vitâ, in judicio decernere, sed satis dicunt, in testamento id hæredi suo demandare.

1023 „Atque idem omninò de illis judicandum, qui sub mortis articulum, cùm ipsi per se possint restitutionem facere, id renuunt, arbitrantes satis esse, id hæredibus jubere: quoniam illi reverà non habent sincerum & candidum animum restituendi. Nam qui tunc non restituunt, indicium apertum perhibent, quòd neque, si vixerint, restituent; atque adeò restituendi intentio in illis non est, nisi conditionalis, si moriantur; quæ profectò ad pœnitentiam non sufficit. Atque periculum istud potissimùm in Magnatibus imminet, quorum testamenta nunquam, aut ferè nunquam hæredes complent; sed satis se fecisse arbitrantur, ut quam restitutionem avus patri, & pater sibi testamento præcepit, eamdem ipse aliis recentibus debitis onustam filio jubeat, quam ipse posteà committit nepoti.

1024 Videant ergo Confessarii, ne restitutioni, vel legatorum piorum solutioni obnoxiis citò manus imponentes, peccatis communicent alienis. Et ideò *caveant, ne, ante debitam satisfactionem, illos absolvant, quibus, cùm facultas adsit aliena restituendi, vel legata, quæ ad pias causas facta sunt, persolvendi, illisque, ut id facerent, superiori confessione præceptum sit, præstare tamen neglexerunt.* Tales namque, antequam id actu præstiterint, absolvendos non esse, docent Concilia, Mediolanense I. sub S. Carolo Borromæo, Neapolitanum anni 1576. à Gregorio XIII. confirmatum cap. 16. de pœnit. Burdigalense anni 1583. ab eodem Gregorio XIII. pariter confirmatum. Concordiense anni 1587. p. 3. de pœnit. Volaterranum anni 1590. de pœnit. c. 7. Anagniense anni 1597. c. 10. de pœnit.

1025 Laudatis Conciliis concinit S. Thomas opusc. 42. aliàs 73. de usuris p. ult. cap. ult. ubi sic: *In foro pœnitentiali, ubi de correctione peccati agitur, maximè in quantum est contra legem Dei, sic compellendi sunt usurarii* (eadem est ratio aliorum injustorum detentorum rerum alienarum) *ad restitutionem, ut beneficium absolutionis eis denegetur, nisi restitutionem faciant plenam, quantum potuerint, aut dilationem petierint ab iis quibus tenentur restituere.*

1026 Concinit etiam sanctus Antoninus 2. p. tit. 2. c. 1. §. 28. ubi dicit, quòd hac in re stupenda sit omnium cæcitas: tales namque homines volunt statim sibi reddi gratiam, quâ spoliati sunt; creditori autem statim restituere nolunt illud, propter quod gratiâ spoliati sunt: cùm creditorem priùs temporali spoliaverint substantiâ, quàm ipsi privati fuerint spirituali gratiâ.

Sed quæret aliquis quomodò Confessarius 1027
se gerere debeat cum moribundo, quem invenit obnoxium restitutioni? Respondeo cum Sylvio hîc, ne moribundum quidem ordinariè absolvendum, nisi statim restituat, si res benè ferat tantam moram; neque satis esse, quòd restitutionem hæredibus injungat, quando per ipsummet ægrum fieri potest. Tum quia experientiâ constat, hæredes esse negligentes in ejusmodi rebus. Tum quia non videtur verè pœnitens, qui habens tempus & facultatem statim restituendi, non restituit, sed hoc post mortem faciendum aliis committit.

Dixi *ordinariè:* si enim moribundus per 1028
seipsum restituere non posset absque nota infamiæ, dare debet sufficientem cautionem de ea, quamprimùm poterit, facienda, vel rem restituendam in manus Confessarii consignando; vel potiùs eam consignando tertiæ alicui personæ, de cujus probitate & fidelitate nullum est dubium; vel accersito Notario, vel Pastore, & duobus testibus, declarando, se absolutè velle, ut ex sua hæreditate primò, & ante omnia tollatur pecuniæ summa, per Confessarium suum statim applicanda ad finem ipsi declaratum. Quòd si nihil horum tempus permittat, & interim promptum ad ista facienda animum ægrotus præ se ferat, absolvendus erit. Si etiam non habeat unde restituat, satis erit, si firmum habeat propositum restituendi, si supervivendo facultatem habuerit; nec tamen hoc satis erit, si spes sit fore ut hæredes posteà habituri sint facultatem satisfaciendi. Quia hoc illis tunc debebit injungere, si fortè gavisi fuerint rebus injustè possessis, vel fortè gavisuri sint rebus à moribundo relictis. Quia justum est, ut qui senserunt, vel sensuri sunt commodum, & onus sentiant.

Conformia ista sunt Decreto Eugenii III. 1029
cap. 2. de raptoribus, statuentis, ut *quicumque violenter surrexerit in rapinam ..... nisi priùs ablata restituat, si poterit; vel emendandi firmam & plenam securitatem fecerit, pœnitentiæ remedium ei penitùs denegetur.*

CAPUT CV.

Casus quibus restitutio differri potest.

ETiamsi restitutio statim, & absque mo- 1030
ra facienda sit, dum fieri potest; certi tamen sunt casus, quibus licitè differri potest.

Primus est casus impotentiæ ad eam sta-

tim faciendam. Quia ad impossibile nemo tenetur. Vide suprà num. 1021.

1031 Secundus, quando res restituenda appareret esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda est, vel alteri; *non ei debet tunc restitui* (ait S. Thomas q. 62. a. 5. ad 1.) *quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui restituitur: omnia enim quæ possidentur, sub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille, qui detinet rem alienam (v. g. gladium) sibi appropriare, sed vel reservare, ut congruo tempore restituat, vel etiam alii tradere tutiùs conservandam.*

1032 Vide tamen, ne hinc inferas, generaliter esse licitum restitutionem differre, quotiescumque dominus scitur re suâ abusurus: „ comprehenduntur enim sub ista generalita- „ te casus admodùm varii (inquit Hughenius in suis brevibus observationibus de justit. c. 52. n. 12.) „ multa proinde hîc consideran- „ da sunt, ac imprimis, quòd abusus aliquan- „ do sit contra justitiam, & in nocumentum „ proximi, quem abusum, cæteris paribus, „ magis cavere debemus, quàm eum qui est „ contra temperantiam potùs v. g. Videndum „ etiam est, an abusus futurus sit enormiter „ gravis; quo titulo possimus magis existere „ obligati ad impediendum abusum talem, et- „ si tantummodò contra castitatem, quàm ad „ impediendum alium longè minorem contra „ justitiam. Ex quo etiam collige, quòd ali- „ quis abusus contra justitiam possit ad dictam „ excusationem esse sufficiens, alius insufficiens.

1033 „ Considerandum etiam, quàm propinquè... „ quis in abusum illum restituendo influat; an „ etiam specialis aliqua obligatio abusum im- „ pediendi debitori sit injecta, an secùs; quæ „ item, quantaque mala ex restitutionis omis- „ sione secutura sint. Multùm quoque inter- „ est, an abusus impediri possit per solam re- „ stitutionis dilationem; an verò tantùm per „ omnimodam restitutionis omissionem.

1034 „ Quibus præmissis, veniemus nunc ad ca- „ sus particulares, recensebimusque imprimis „ aliquos, in quibus, non obstante quòd domi- „ nus re suâ abusurus sit, ei tamen restituen- „ da sit. Deinde allegabimus alios, quibus id- „ circò restitui non debet.

„ „ Restitui debet, quod furto ablatum est, „ aut ex contractu licito debitum, etsi sciatur „ dominus prodigaliter alteri donaturus; item „ etsi noscatur, ut solet, in luxum, & comes- „ sationes, quod solutum fuerit, absumpturus, „ aut allâ quâcumque ratione culpabiliter, pro „ more suo, decocturus. Dictum est, ut so- „ let, item pro more suo: quia si ex aliqua „ brevi, ac transitura animi, vel cerebri indis- „ positione, rei dominus id facturus prævide- „ retur, meritò ei differetur solutio, donec „ mente, aut capite sit saniori.

1035 „ Ex adverso gladius v. g. domino suo re- „ stitui non debet, dum ille est in rixa, vel „ in proxima dispositione ad invadendum a- „ lium; imò peccabit restituens, etiam contra justitiam; non quidem contra dominum « gladii, sed contra illum qui ab eo injustè « invaditur. «

Si dominus, aut creditor repetat rem, aut « 1036 debitum suum, & videam, si tunc reddam, « aut solvam, quòd eam mox in libidines ab- « sumet, vel aliter abutetur, quamvis citra « injuriam cujusquam, & probabiliter sperem, « differendo restitutionem, sive solutionem, « me posse ista mala impedire, non tantùm « mihi licebit, sed etiam lege charitatis tene- « bor differre solutionem, nisi alia majora, « aut æqualia incommoda ex dilatione timean- « tur. " Hactenùs vir ille doctissimus.

Tertius casus est, dum restitutio statim 1037 fieri non potest absque gravi periculo vitæ, vel famæ, vel notabilis scandali, aut mortalis peccati in se vel suis. Ita S. Antoninus 2. p. tit. 2. c. 8. sequiturque ex proximè dictis. Enimverò *creditor* (inquit) *magis debet velle in hujusmodi casibus, ut maximum incommodum, seu damnum ejus qui habet restituere, evitetur modicâ restitutionis dilatione, quàm velle evitare incommodum modicum, vel damnum ex carentia rei suæ.* Nec rationabiliter velle potest sibi statim restitui, *cùm imminet ex hujusmodi restitutione subita periculum damni incomparabiliter prævalentis damno quod ipse habet ex carentia rei suæ.*

Hinc deducit sanctus Archipræsul, 1038 quòd dum ex subita restitutione quis incurreret infamiam, eò quòd furtum ipsius detegeretur, restitutionem differre possit: *cùm fama sit quid nobilius, quàm substantia temporalis. Cùm ergo quilibet debeat providere conservationi famæ suæ, potest talis differre solutionem usque ad tempus, quo non deprehendatur in crimine, & diffametur, si aliter provideri non potest*, v. g. restituendo per Confessarium, seu aliam fidam personam. *Idem dicendum, quando mulier habuit filium per adulterium, nesciente viro, vel supposuit sibi alienum partum, qui nutritur de bonis viri, vel hæres etiam admittitur, ut filius proprius: cùm teneatur mater talis de omnibus quæ percipit filius ille putatii patris; non tamen debet revelare factum, quando ex hoc sequeretur, seu sequi probabiliter posset mors sua, vel prolis talis, vel etiam notabilis infamia, vel alia gravia scandala, secundùm Raymundum, & Joannem de Neapoli in quodlibetis.*

Similiter *quando ex hujusmodi restitutione* 1039 *subita sequi probabiliter posset mors spiritualis, seu peccatum mortale in restituente, vel familia ejus; puta, restituendo quæ habet aliena, ad tantam venit paupertatem vel miseriam, quòd non potest vivere, vel providere filiis de victu & vestitu; &, cùm sint nobilis conditionis, mendicare nimis erubescunt.... laborare nesciunt, vel non possunt, quia parvuli, vel infirmi; & sic restituendo, exponitur periculo ipse cum familia sua furandi, vel prostituendi filias, vel desperationis, ubi, retinendo alienum, cum ipso, ex industria sua, provideat, & parcit sibi & familiæ,*

miliæ, & disponitur ad satisfaciendum paulatim. Idem videtur dicendum, *cùm quis habet instrumenta artis suæ, unde ex labore suo gubernat se & suos, & vendendo, vel tradendo ea, ut restituat suis creditoribus, non potest lucrari. Laborando autem cum prædictis, ultra sustentationem suam, poterit paulatim satisfacere.....*

1040 *Hæc tamen non sunt prædicanda, ne paretur via detentioni alienorum, ad quod nimis personæ sunt inclinatæ; sed cum magna discretione in Confessione, & consiliis tractanda, & cum multis circumstantiis considerandæ, quæ honestent actum.*

1041 Quartus casus est, quando restitutio tam citò fieri non potest absque detrimento rerum suarum justè acquisitarum, longè majori quàm sit detrimentum creditoris, v. g. si centum floreni restitui non possint absque detrimento ducentorum, vel nisi restitutioni obnoxius vilissimo pretio vendat prædia justè acquisita, vel nisi è statu nobili ad plebeium redigatur. Quia subita restitutio tunc reputatur moraliter impossibilis; & creditor circa dilationem tunc non censetur rationabiliter invitus: cùm restitutio sit actus justitiæ, quæ in quadam æqualitate consistit. Æqualitas verò non esset, si cum dispendio longè majori statim fieri deberet restitutio rei longè minoris.

1042 Si tamen creditor æquale dispendium incurreret ex dilata restitutione, statim fieri deberet, cum dicto dispendio rerum, vel statûs sui. Quia extra casum necessitatis extremæ, aut velut extremæ, in pari causa damni, potior esse debet causa creditoris, quàm debitoris.

1043 Ille tamen, cujus bona non sunt justè acquisita, nec status justè comparatus, à restitutione statim facienda non excusatur, etiamsi statim restituere non possit absque gravi rerum suarum detrimento, vel etiam talis statûs eversione. Reverà enim non amittunt suum, qui justè non acquisierunt, nec proinde fecerunt suum, juxta regulam 83. juris in Digestis: *Non videntur rem amittere, quibus propria non fuit.*

1044 Idem dic de iis qui ludis, compotationibus, amoribus meretriciis, nimio luxu, sumptibus superfluis bona sua decoquendo, ad eas sese angustias redegerunt, ut absque gravi suo damno, vel statûs diminutione, restituere statim non possint. Quia sibi imputare debent suum illud damnum, & diminutionem: & ideò justam non habent causam, quæ ipsos excuset à restitutione statim facienda, nisi à creditoribus obtineant inducias, quas certè non merentur.

1045 Cæteri autem qui suâ se culpâ non conjecerunt in impotentiam statim restituendi, *etsi retineant sibi quodammodò necessaria pro sustentatione sui, & familiæ, ad vitandum multa pericula animæ & corporis, quæ verisimiliter sequi possent bonis suis cedendo, & omnibus se*

spoliando, pro restitutione facienda (etiamsi utiùs fortè facerent statim restituendo, & in Deo confidendo, licèt oporteret mendicare, secundùm Raymundum) ad hoc tamen non teneri de necessitate salutis, docet sanctus Antoninus ubi suprà. *Tamen* (inquit) *non debent tales ita lautè vivere, & pomposè vestiri cum familiis suis, & filias suas cum magnis dotibus nuptui tradere, sicut si non essent obligati ad restitutionem, sed parcè vivere, & parvas dotes tradere, & si non possint nobili, vel mercatori nuptui dare, artifici & plebeio debent tradere, & alia superflua resecare. Cum multa ergo prudentia hoc negotium agendum est. Dum autem efficaciter videntur facere quod possunt ad restituendum, & in aliis benè se habere, & cum timore Dei, credo, quòd possunt absolvi, & communicare. Qui autem de eo semper procrastinant, & annuatim reperiuntur promittere Confessori restituere, & postèa non faciunt, non videntur absolvendi, nisi priùs faciant, vel disponant efficaciter negotium, ut habeat executionem.*

Cæterùm, quando justa de causa restitutio differtur, ei obnoxius tenetur equidem creditori compensare damnum emergens, & lucrum cessans ex illa dilatione, si restituere teneatur ex delicto. Quia causam illius injustam posuit; & non est æquum, creditorem pati damnum, ob delictum debitoris. Si tamen restituere non teneatur ex delicto, sed ex contractu, ad id non tenetur, nisi fuerit culpabiliter in mora; in qua culpabiliter non est, qui justa de causa restitutionem differt. 1046

CAPUT CVI.

Duo, vel si vis, tres sunt tituli, ex quibus restitutionis exurgit obligatio, scilicet res accepta, reique acceptio, justa & injusta.

DUos titulos assignat sanctus Thomas q. 62. a. 6. & 7. ratione quorum tenetur quis restituere, scilicet *ratione rei acceptæ*, & *ratione injustæ acceptionis.* Dicit enim, *quòd ad restitutionem tenetur aliquis, non solùm ratione rei alienæ quam accepit, sed etiam ratione injuriosæ acceptionis.* Verùm istis duobus non malè tertius additur, nimirùm *ratione contractûs*, expliciti, vel impliciti: quia is qui mutuò pecuniam accepit, etsi fortuito casu eam perdiderit, tenetur eam restituere, non ratione rei acceptæ: utpote quæ apud ipsum ampliùs non extat; nec ratione injustæ acceptionis: quia non accepit injustè. Solùm ergo tenetur ratione contractûs. Et idem est de eo qui commodatò equum alterius accepit, qui si à latronibus in via capiatur, equidem tenetur restituere: cùm æquum non sit, ut damnum equi sustineat dominus, quandoquidem equus in commodum & utilitatem ipsius non fuerit periculo expositus, sed in commodum & utilitatem commodatarii. Unde tertium istum titulum, scilicet 1047

ratione contractûs, agnoscit sanctus Thomas quodlib. 5. a. 15. & citato a. 6.

1048 Tres nihilominùs tituli illi ad duos possunt revocari, ad rationem scilicet rei acceptæ, & ad rationem acceptionis, sub ea comprehendendo, tam justam acceptionem, quàm injustam, prout idem sanctus Doctor insinuat eod. a. 6. Nam qui ex contractu justo tenetur, si rem casu, vel furto amiserit, tenetur eam restituere, non ratione rei acceptæ, sed ratione acceptionis; non injustæ, sed justæ, uti expresè habet S. Thomas ibidem dicens: *Circa illum qui rem alienam accepit, duo sunt consideranda, scilicet ipsa res accepta, & ipsa acceptio.... Sed ipsa acceptio rei alienæ potest tripliciter se habere. Quandoque enim est injuriosa.... Alio modo aliquis accipit rem alterius in utilitatem suam, absque injuria, cum voluntate scilicet ejus cujus est res, sicut patet in mutuis. Et ille qui accepit, tenetur ad restitutionem ejus quod accepit, non solùm ratione rei, sed etiam ratione acceptionis, etiamsi rem amiserit. Tertio modo aliquis accipit rem alterius absque injuria, non pro sua utilitate, sicut patet in depositis. Et ideò ille qui sic accepit, in nullo tenetur ratione acceptionis; quinimò accipiendo impendit obsequium. Tenetur autem ratione rei, & propter hoc si ei subtrahatur res absque sua culpa, non tenetur ad restitutionem; secùs esset, si cum magna sua culpa rem depositam amitteret.*

1049 Quicumque ergo tenetur ad restitutionem, tenetur aliquo ex tribus illis titulis, vel ratione rei acceptæ, vel ratione injustæ acceptionis, vel ratione acceptionis justæ, sive ex contractu explicito, vel implicito, ex natura sua obligante ad restitutionem.

CAPUT CVII.

Declarantur personæ, ex titulis illis obligatæ ad restitutionem; sicut & quantitas, seu mensura faciendæ ab ipsis restitutionis.

1050 AD restitutionem itaque, ratione rei acceptæ, tenetur omnis homo, apud quem res aliena existit, sive eam ipse abstulerit, sive non; sive etiam bonâ, sive malâ fide eam habeat; sive denique eam habeat in se, sive in aliquo, quod loco rei succedit, pro quanto scilicet habet pretium ejus, vel fructus ex ea perceptos, vel aliquid unde factus sit ditior, ita ut ratione rei alienæ præcisè aliquid inveniat in bonis suis, quod aliàs non haberet. Omnis (inquam) homo talis tenetur ad restitutionem, ratione rei alienæ, etiam posito quòd nullam injuriam alteri fecerit: quia habet plus quàm suum est, & verus rei dominus habet tantundem minus de suo. Denique res unaquæque ex natura sua clamat ad dominum suum, sive ad eum redire postulat.

1051 Ratione injustæ acceptionis tenetur quicumque alteri injustè damnum intulit, sive rem ipsius auferendo, v. g. per furtum, sive destruendo, v. g. per incendium, sive injustè impediendo ne acquireret. Omnis proinde injustus damnificator tenetur ratione injustæ acceptionis (eo quippe nomine injusta damnificatio intelligitur) sive rem alienam apud se habeat, sive non; si verò eam apud se habeat, tenetur utroque titulo, ratione scilicet rei acceptæ, & ratione injustæ acceptionis.

Ratione denique justæ acceptionis tenetur quisquis rem alienam accepit justo titulo, scilicet per legitimum contractum ex natura sua obligantem ad restitutionem. Nec alius titulus præter illos assignabilis est. Nam siquis alius foret, foret sententia Judicis. At sententia Judicis semper fundatur in aliquo ex dictis titulis. 1052

Multùm verò interest scire, quo ex titulo quis teneatur. Si enim ex titulo injustæ acceptionis, re destructâ vel sublatâ, adhuc tenetur, licèt non sit inde factus ditior. Quia manet equidem ratio, seu fundamentum obligationis ipsius, nimirùm injusta proximi damnificatio. Manet (inquam) quamdiù damnum per restitutionem non est reparatum. Si autem ex solo titulo rei acceptæ, ipsâ (absque culpa ipsius) destructâ vel sublatâ, non tenetur, nisi quantum inde factus est ditior. Quia totum fundamentum obligationis ipsius est, quia habet rem alienam in se, vel in aliquo quod loco ipsius succedit. Est autem differentia inter rem ipsam secundùm se, & id quod loco ejus succedit (ait Cajetanus q. 66. a. 6.) *quòd res ipsa obligat possessorem simpliciter & absolutè; id verò quod loco rei succedit, obligat possessorem ejus solùm in casu, quando scilicet ex hoc factus est locupletior, & ad tantum, quantum est factus locupletior, ut benè Jus Civile decernit*, utique L. *item veneum*, & L. *sed etsi* ff. de petit. hæredit. 1053

Unde qui rem alienam, sibi à fure donatam, vendidit bonâ fide, tenetur pretium ejus domino restituere, ex quo factus est ditior; secùs, si illam à se bonâ fide emptam, eodem revendiderit pretio, vel pretium ex ea sibi donata comparatum in liberales donationes, aliàs non faciendas, vel in vitam lautiorem, &c. bonâ fide impenderit. Tunc namque ex re aliena nihil plus habet in bonis suis, quàm aliàs haberet. Nec plus habere censetur, etiamsi easdem fortè pecunias in individuo non expenderit, quas in pretium acceperat, dummodò earum valorem expenderit, aliàs non expensurus. Quia valor, non materia attenditur in pretio. 1054

Quòd si quispiam, à fure invitatus ad cœnam, bonâ fide cibos comederit furtivos, & ideò propriis pepercerit; tenetur, non quantum de furtivis comedit, sed quantum propriis pepercit (quidquid in contrarium dixerit Lugo) quia ex hoc factus est ditior. Justitia verò non patitur quemquam ex alieno ditescere. Aliud esset, si tantum nihilo- 10

minùs domi expendisset, ac si ad cœnam illam non accessisset, vel si in hoc casu nihil equidem de suis consumpturus fuisset. Quia tunc inde ditior factus non esset.

1056 Porrò mensura restitutionis faciendæ ex titulo rei acceptæ, est quantitas possessionis, id est, tantum debet quis restituere, quantum de alieno possidet, vel in se, vel in aliquo ex quo inde factus sit ditior, sive dominus inde passus sit majus damnum, sive non. Mensura verò restitutionis faciendæ ex titulo injustæ acceptionis, est quantitas damni per ipsam illati, id est, tantum debet quis restituere, quantum est damnum, quod injustè alteri intulit, etiamsi inde parum, vel nihil ipse emolumenti accepisset. Per consequens non solùm tenetur ipsi restituere rem suam, sed etiam fructus, quos inde dominus percepisset (prout expressè habetur cap. *gravis* de restit. spoliat.) damna etiam quæ ipsi emerserunt ex ablatione rei suæ, & lucra quæ ipsi inde cessarunt, pro ratione certitudinis vel incertitudinis, sive pro valore spei illorum, deductis expensis faciendis, &c.

1057 Unde venatores, & alii qui alienas segetes perdunt, licèt non debeant tantum restituere, quanti valerent messis tempore, vel in horreum collectæ, debent tamen restituere tantum quantum æstimantur, spectatis omnibus circumstantiis, deductis expensis ad messem necessariis. Restituendum quoque lucrum quod dominus fecisset ex locatione rei furto sublatæ, vel destructæ. Et si fur diripuerit pecuniam negotiationi expositam, vel ad censum dandam, vel ad emptionem fundi fructuosi, ultra pecuniam, restituere debet lucrum omne quod intercepit. Siquis verò pecuniam furto sublatam in negotiationem exponat, lucrum ex ea reportatum (utpote fructum industriæ suæ) restituere non debet (nisi dominus pariter retulisset) sed pecuniam ipsam.

1058 Denique mensura restitutionis ex titulo contractûs, est quantitas rei, quæ ex natura contractûs restituenda est, conformiter ad ea quæ diximus de mutuo, commodato, &c. Hæc tamen sunt particulariùs explicanda. Quare sit

CAPUT CVIII.

Uberiùs explicatur obligatio restitutionis ex titulo rei acceptæ, atque imprimis obligatio possessoris bonæ fidei.

1059 QUi bonâ fide hactenùs possedit rem alienam, 1°. statim atque cognoverit esse certò alienam, tenetur eamdem in individuo apud se extantem, domino restituere, si moraliter possit; aliàs quamprimùm moraliter poterit. Ita S. Thomas q. 62. a. 6. Et hoc (inquit) ex titulo rei alienæ, quam habet apud se. Quia *quod habet ultra id quod suum est, debet ei subtrahi, & dari ei cui deest, secundùm formam commutativæ justitiæ*; quæ non solùm postulat, ut res similis, vel ejusdem bonitatis, aut valoris, sed ut ipsamet reddatur: cùm ut sic domini sit, & unaquæque res, ubicumque, & apud quemcumque sit, clamet ad dominum, sive ex natura rei postulet ad eum reverti.

Nec qui eam hactenùs possedit, potest 1060
illius pretium à domino exigere, licèt eam emerit, nisi fortè eam, aliàs domino perituram, vili emerit pretio; ut eam ipsi restitueret. Quo casu æquitas naturalis postulat, ut qui rem domini utiliter egit, rem ipsius, aliàs perituram, vili pretio redimendo, ex tali beneficio non reportet damnum. Extra hunc verò casum, non est unde dominus teneatur ad solvendum pretium rei suæ: non enim ex contractu, neque ex delicto, &c.

2°. bonæ fidei possessor, si eâdem bonâ 1061
fide rem alienam consumpserit, vel alienaverit, nihil titulo rei acceptæ restituere tenetur (nec enim rem habet alienam) nisi si, & quantùm factus est inde ditior. Tunc enim divino & naturali jure constitutum est, neminem cum alterius injuria locupletiorem debere fieri. Ea enim summa juris ratio est, hoc particulare justitiæ officium. Unde regula juris 48. in 6. *locupletari* (inquit) *quis non debet cum alterius jactura.* Siquis tamen bonâ fide, negotiando cum pecunia aliena, lucratus inde fuerit, lucrum istud restituere non debet: quia fructus non est pecuniæ alienæ (utpote ex se sterilis) sed industriæ suæ, ut suprà dixi.

3°. si rem alienam, bonâ fide emptam à 1062
fure, eâdem fide revendiderit alteri, domino eam repetente, contractum revenditionis cum emptore suo initum tenetur rescindere, si inveniri possit, eidemque emptori pretium restituere. Non titulo rei acceptæ (si non sit factus inde ditior) neque titulo injustæ acceptionis (quia nullam injustitiam supponitur commisisse) sed titulo contractûs venditionis, vi cujus emptori venditor tenetur de evictione, id est emptorem indemnem reddere tenetur, si evincatur; nec satis est, quòd emptori suo cedat actionem suam in furem, à quo priùs emerat: quia cùm secundus emptor nullum habuerit negotium cum fure, æquum non est, ut debeat sumptus & molestias subire, ut à fure pecuniam suam recipiat.

Quòd si, comparente domino, secundus 1063
emptor non compareat, nec ex revenditione venditor factus fuerit ditior, non tenetur (juxta Authores num. sequenti referendos) pretium acceptum domino restituere (licèt ad hoc ipsum teneri censeant Bannez, Salonius, Sylvius, &c.) quia pretium rei venditæ acquiritur venditori bonæ fidei (secundùm leges quæ statuunt, quòd in venditione possit esse claudicatio. L. 1. ff. de rer. permut. ita ut venditio rei furtivæ valida sit ad transferendum dominium pretii, licèt non rei, quando vel uterque contrahens, vel so-

lus emptor ignorat rem esse furtivam) nec semper succedit loco rei, sed solùm quando, & in quantum venditor inde factus est ditior, & (secundùm Glossam in L. *si & rem* ff. de petit. hæredit. Bartolum ibidem, & Doctores communiter interpretantes Legem *mater* cod. de rei vendit.) in iis quæ Legisperiti vocant universalia, cujusmodi sunt dos, hæreditas, &c.

1064 4°. si post rem alienam bonâ fide emptam, & bonâ fide revenditam, periculum sit evictionis, revenditor tenetur quidem consulere indemnitati sui emptoris, uti dixi, traditque S. Thomas q. 77. a. 2. ubi docet eo casu teneri damnum compensare emptori. Sed si periculum non sit evictionis, nec inde factus sit ditior, non tenetur quidquam manifestare, vel restituere domino, nec emptori suo, cum periculo amissionis pretii sui. Ad id namque non tenetur ratione rei acceptæ: utpote apud ipsum, nec extantis in se, nec in aliquo unde factus sit ditior. Nec ratione injustæ acceptionis: utpote quæ supponitur non interveniisse. Nec denique ratione contractûs: quia nullum contractum, nec negotium habuit cum domino, sed solùm cum emptore suo. Emptori verò solùm tenetur de evictione, cujus supponitur nullum esse periculum. Idque verum est, etsi dominus compareat, & veniat in notitiam rei suæ, si emptor (cui res illius domini bonâ fide revendita fuit) non possit inveniri, vel rem illam bonâ fide consumpserit, in nullo factus inde ditior. Ita Sotus lib. 4. q. 7. a. 2. Azorius, Vasquez, Lessius, &c.

CAPUT CIX.

Bonæ fidei possessor restituere tenetur fructus naturales rei alienæ, & ex parte mixtos, non verò merè industriales.

1065 FRuctus in triplici sunt differentia, naturales, industriales, & mixti. *Naturales* ex ipsa re naturaliter procedunt, absque humana industria, ut fœtus animalium, herbæ ex terra non culta. *Industriales* ex sola hominum industria proveniunt, re, tamquam instrumento, passivè concurrente, ut lucrum ex negotiatione pecuniæ, quæ ex se sterilis est. *Mixti* partim oriuntur ex ipsa rei natura, partim ex industria, ut segetes. Et isti, juxta Sanchez lib. 2. in Decal. c. 33. n. 48. à prævalenti denominationem accipiunt, ita ut simpliciter industriales dicendi sint, ubi plus est industriæ, quàm naturæ; naturales, ubi plus naturæ. Sed hoc non probo, nisi ubi penè totum est naturæ, & ferè nihil industriæ, ut in fructibus arborum, ita ut locum habeat vulgatum axioma: *Parum pro nihilo reputatur.* Nam ubi non parum est industriæ, licèt plus sit naturæ, cur nulla istius industriæ ratio haberetur? Mixtis accensendi sunt fructus civiles, sive pretia locationis domorum, equorum, &c. quæ secundùm L. *prædiorum* ff. de usuris, fructus propriè non sunt, sed solùm fictione Juris Civilis, propter quod civiles appellantur. Mixtis (inquam) potiùs accensendi sunt, quàm simpliciter industrialibus (quibus eos accenset Navarrus) cùm ad pretia illa non sola concurrat industria, sed res ipsa, sive domus, equus, &c.

Possessor itaque bonæ fidei restituere non 1066
tenetur fructus merè industriales: quia non sunt fructus rei alienæ, sed industriæ propriæ. Tenetur tamen restituere fructus naturales (nisi eos instar rerum mobilium triennio præscripserit) & mixtos, apud se extantes in se, vel in æquivalenti, quatenùs inde factus est ditior; deductis tamen expensis, & æstimatione operarum. Quia, iis deductis, quod supereſt, censetur fructus rei. Ejus proinde sunt, cujus est res. Quia res unaquæque domino suo fructificat.

Sed quid de fructibus civilibus? cùm ex 1067
dictis in fine numeri 1065. accensendi sint fructibus mixtis, idem de iis ac de mixtis dicendum. Scio, quòd Navarrus, Lopez, & alii, à restitutione excusent eum, qui lucrum accepit ex locatione equi alieni v. g. à se bonâ fide possessi, si eum dominus locaturus non erat; vel ex locatione fundi, quem dominus relicturus erat infructuosum.

Sed talem non excusandum probabiliùs 1068
docere videtur Layman lib. 3. tr. 2. c. 3. n. 6. quòd enim res apud dominum fructificatura non erat, per accidens est; bonæque fortunæ domini tribuendum, quòd in manu aliena fructificet, prout omnes fatentur in casu quo fructificat in manu iniqui possessoris, non fructificatura in manu domini. In quacumque enim manu res aliena fructificat, domino fructificat, sive apud dominum similiter fructificatura, sive non. Quia semper equidem fructus rei sunt, nec novum est, quòd res apud alienum possessorem plus fructificet, quàm si apud dominum remansisset.

Major est difficultas, an in casu quo rem 1069
alienam, bonâ fide viliùs emptam à fure, eâdem fide Titius cariùs revendidisset, teneretur excessum restituere? Negant Molina, & alii apud Dianam p. 3. tr. 5. resol. 41. quia excessus iste, fructus est industriæ, non rei, uti colligitur ex eo quòd si fur ipse rem illam ab emptore Titii redimeret, illæsamque domino restitueret, domino plenè satisfeciisse censeretur, etiamsi totum pretium sibi Titius retineret.

Sed contrà est, quòd excessus nec sem- 1070
per, nec regulariter sit fructus industriæ, sed partim etiam rei venditæ. Regulariter namque non sola industria vendentis, sed & circumstantiæ rei venditæ ipsam cariorem efficiunt, ut quia res illa hic & nunc rara est. Et ideò totus excessus regulariter censendus non est immunis à restitutione, sed

solùm id quod prudentis arbitrio respondet labori, & industriæ vendentis, ut rectè Sanchez ubi suprà n. 28. Et ideò Titius, qui equum alienum, hîc valentem 50. aureis, alibi (ubi equi rariores erant) 100. aureis vendidit, non satisfacit restituendo 50. domino, qui equum eò non erat ducturus (quidquid aliqui dixerint) quia quòd equus ibi valeat 100. non est ratione tui laboris & industriæ (sine qua equidem ibi valeret 100.) sed ob equorum ibi penuriam, vel ob emptorum frequentiam, &c. Titius ergo solùm retinere potest æstimationem laboris, industriæ, & expensarum in equo illuc transferendo. De cætero namque res, ubicumque est, semper domini est, & domino valet, quod ibi valet, sive interim tanti valuisset in manu domini, sive non. Quia equidem res, extra manum domini meliorata, sive intrinsecè, sive extrinsecè, ipsi meliorata est, deductis expensis, operâ, & industriâ ad eam meliorandam, etiamsi in manu domini meliorata non fuisset.

1071 Dixi, *etiamsi in manu domini meliorata non fuisset*: quia res unaquæque domino crescit & decrescit, sicut domino conservatur & perit, &c. Quemadmodùm ergo si in manu alieni possessoris bonæ fidei periisset, vel deteriorata fuisset, domino periisset, & deteriorata fuisset, licèt in manu domini non peritura, nec deterior futura; ita similiter, &c. Æquum est enim, ut, deductis deducendis, ex re sua sentiat commodum melioritionis, & conservationis, omnibus iis casibus, quibus ex ea onus sentiret deteriorationis & interitûs.

1072 Dixi etiam, *deductis expensis melioritionis*. Nequis tamen in eo, & antedictis decipiatur, observandum 1°. ex Palao disp. un. de just. in genere p. 24. §. 11. triplicis generis esse melioramenta, necessaria, utilia, merè voluptuaria. *Necessaria*, sine quibus res nullos, vel deteriores fructus dedisset. *Utilia*, sine quibus non dedisset tam multos. *Voluptuaria*, quæ merè serviunt ad ornatum, & voluptatem, absque hoc quòd res ideò plus reddat. Quando ergo dixi, deducendas esse melioritionis expensas, intellige de expensis melioramentorum necessariorum & utilium (quas exigere non potest malæ fidei possessor: utpote eo jure in pœnam delicti privatus per L. *si ex argento* ff. de condition. furti) non merè voluptuariorum. Quia æquum non est, dominum cogi ad emendum voluptuaria, quibus libentiùs caruisset, quàm pecuniâ pro iis solvendâ.

1073 Observandum 2°. possessori bonæ fidei, ob bonam fidem, concedi actionem, quâ dominum (repetentem rem suam) in judicio compellere possit ad solutionem pro valore expensarum melioritionis, non autem pro valore melioritionis. L. *si ex fundo* ff. de rei vindicat. Quòd si expensæ illæ superent valorem melioritionis, dominus non tenetur eam emere plusquàm valeat. Si denique melioratio domino non constitisset, nisi dimidium expensarum, solùm tenebitur ad dimidium. Imò ad nihil, si possessor ex fructibus rei tantum perceperit, & consumpserit, quantum expendit. Quia per hoc censetur sibi compensasse. Videri potest Sanchez suprà n. 41. & seqq.

Observandum 3°. quòd si fructus bonâ fi- 1074
de percepti à possessore bonæ fidei, durante eâdem bonâ fide, perierint absque culpa ipsius, quæ sit formalis injustitia, eos restituere non teneatur. Quia nullus apparet titulus, quo teneatur. Non enim ratione rei acceptæ, neque ratione injustæ acceptionis, &c.

Observandum 4°. contra dicta n. 1066. 1075
objici posse Legem *bonæ fidei* ff. de acquir. dom. ubi dicitur, quòd *bonæ fidei emptor, percipiendo fructus, etiam ex re aliena, suos interim facit, non tantùm eos, qui diligentiâ, & operâ ejus provenerunt, sed omnes*. Quâ objectione Cardinalis de Lugo suprà n. 47. adeò se torquet, ut dicat leges civiles hoc in puncto sibi invicem contrarias esse: quia L. *fructus percipiendo* ff. de usuris ex adverso dicitur: *suos facit illos tantùm, quos operis acquisierit*. Sed nulla est contrarietas: quia lex *bonæ fidei* non dicit absolutè, quòd possessor bonæ fidei fructus omnes facit suos, sed cum addito, *interim*, additâ hâc ratione: *quia quod fructus attinet, loco domini penè est*. Quod Sylvester verbo *fructus* q. 1. & Theologi communiter procedere dicunt in foro externo, in quo fructus illos, etiam naturales, restituere non tenetur, priusquàm lis ipsi moveatur, sed potest eos, usque ad Judicis sententiam, per interim retinere beneficio legis illius, quæ eo in foro concedit ipsi quasi dominium eorum, non absolutum, & perfectum (de quo loquitur lex *fructus percipiendo*) sed secundùm quid, & cum onere restituendi, cùm in judicio repetentur. Vel dic legem *bonæ fidei* hoc sensu dicere, quòd bonæ fidei possessor fructus rei possessæ, etiam naturales, etiam in foro conscientiæ, per interim facit suos, & respectu eorum quasi domini loco penè sit; quòd si eos, durante bonâ fide, alienaverit, vel consumpserit, ad nihil teneatur, nisi quatenùs inde factus est ditior. Possessorem namque bonæ fidei, ante juridicam repetitionem, in foro conscientiæ debere restituere fructus naturales, & mixtos, bonâ fide consumptos, quatenùs inde factus est ditior, nulla lex negat; imò lex *item veniunt*, & lex *si & rem* ff. de petit. hæreditatis in simili affirmat, cùm dicit, quòd possessor hæreditatis alienæ, quam bonâ fide putat esse suam, si aliquid ex ea bonâ fide consumpserit, ante repetitionem restituere teneatur, quatenùs inde ditior evasit. Quod quidem ita est de jure communi. Sed in Gallia fructus omnes indistinctè à quocumque possess-

sore restituuntur à tempore litis motæ .... In Belgio verò nostro, in judiciis obtinet sententia eorum, qui bonæ fidei possessori tribuunt fructus omnes, etiam naturales, indistinctè, id est non distinguendo, an inde ditior evaserit, an non. Videri potest Stockmansius decis. 127.

CAPUT CX.

Bonæ fidei possessor, ex quo cognoscit se rem alienam bonâ fide emisse à fure, tenetur eam immediatè reddere domino, etiam cum periculo amittendi pretium à se persolutum, nec potest reddere furi, à quo scit domino non restituendam.

1076 ITa Major in 4. dist. 15. q. 26. Armilla, Joannes Medina, Ledesma, Covarruvias, Cajetanus, Sotus, Azorius, Sylvius, Layman, &c. contra Sylvestrum, Navarrum, Vasquez, Lessium, Wiggers, Malderum, Card. de Lugo, Dicastillum, &c.

Probatur 1°. ex doctrina sancti Thomæ q. 62. a. 6. ubi de illo qui rem alienam accepit, etiam absque alterius injuria, dicit, quòd ratione rei tenetur eam restituere, quamdiù eam apud se habet: *quia quod habet ultra id quod suum est, debet ei subtrahi, & dari ei cui deest, secundùm formam commutativæ justitiæ.* Non sufficit ergo reddere furi; sed restituere debet ei, cui debita est ex justitia.

1077 2°. dominus habet jus, ut sua sibi res immediatè restituatur ab emptore bonæ fidei, non obstante jacturâ pretii quod emptor incurret. Cùm res unaquæque, apud quemcumque sit, immediatè clamet ad dominum suum; qui propterea, si sciret rem suam esse apud emptorem bonæ fidei, illam ab ipso immediatè repetere posset, sive per se, sive per Judicem; nec teneretur consentire, ut immediatè redderetur furi, ad recuperationem pretii ipsi dati; quinimò, non obstante jacturâ pretii, quam emptor ille subiret, eam ab ipso immediatè vendicare posset. L. *mater*, & L. *adversus* Cod. de rei vendicat.

1078 Respondent Adversarii, dominum quidem habere jus repetendi rem suam, ubicumque repertam, & ut sibi repetenti non resistatur; non tamen habere jus ad hoc, ut emptor bonæ fidei eam sibi non repetenti ultrò reddat cum jactura pretii sui, quando fur, à quo accepit, potens est eam restituere.

Sed contrà; si dominus habet jus, ut sibi repetenti immediatè restituatur ab emptore bonæ fidei, non obstante jacturâ pretii: igitur etiam habet jus, ut sibi, ob facti ignorantiam non repetenti, immediatè restituatur, &c. Si enim non repetat, ignorantia facti in causa est, quæ cùm domino non adimat jus, ut sua sibi res immediatè restituatur; jus etiam illud ipsi non adimit non repetitio, ex illa facti ignorantia procedens: maximè cùm jus illud ipsi etiam non adimat jactura pretii, quam emptor bonæ fidei incurreret, rem ipsi immediatè restituendo. Si enim, non obstante jacturâ illâ, bonæ fidei emptor teneatur illam immediatè restituere domino repetenti; signum est quòd jactura illa ipsum non excuset ab immediata restitutione. Et si jactura illa non obliget dominum ad consentiendum, ut emptor rem illam reddat furi, à quo dominus eam non est recepturus; signum est, quòd non obstante jacturâ illâ, dominus retineat jus, ut res illa sibi, etiam ex facti ignorantia non repetenti, immediatè restituatur.

Probatur 3°. si dominus ipse rem alterius 1079
extorsisset è manu furis, putans esse suam, sibi ab eodem fure sublatam; cognitâ veritate, non posset eam furi reddere, ad hoc ut suam sibi fur restitueret. Similiter ergo, dum res alterius est apud emptorem, emptor non potest eam furi reddere, ad hoc ut pretium suum sibi fur restituat.

4°. emptor ille, rem reponendo in ma- 1080
nus furis, à quo scit domino non restituendam, positivè concurreret ad injustam damnificationem domini; perinde ac si rem alterius (in casu proximè dicto) extortam è manibus furis, in manus ejusdem reponeret, ut suam recuperaret: in utroque enim casu, invito domino, rem ipsius reponeret in pejori statu, quàm jam sit apud se: in eo utique statu in quo scit eam domino perituram; concurreret proinde moraliter ad istam deperitionem.

5°. rem reponendo in manus furis, æ- 1081
què cooperaretur iniquæ detentioni ipsius, atque cooperaretur furto, si ad recuperandum equum suum, sibi à latrone surreptum, ipsi traderet equum vicini sui, in stabulo suo casualiter repertum; vel eumdem in finem traderet ipsi gemmam alienam, publico à se inventam loco, sciens cujus sit; vel eam (ad instantiam debitoris mei, minantis se alioqui non satisfacturum, sed aufugiturum) ad recuperandum debitum, eo reponerem loco, ubi ab eodem debitore surripiendam cognoscerem.

6°. nihil æquius, rationabiliusque natu- 1082
ralissimâ istâ divini juris regulâ: *Quod tibi non vis fieri, ne feceris alteri.* Nullus verò Adversariorum vellet rem suam, ab aliquo tertio bonâ fide emptam à fure, ad recuperandum pretium, restitui furi, à quo eam non esset recepturus.

CAPUT CXI.

Respondetur ad ea quæ objiciuntur.

OBjicies 1°. emptor bonæ fidei habet 1083
jus rescindendi contractum cum fure initum, utpote injustum ex parte furis, & ex parte emptoris initum ex errore dante causam contractui. Ergo non facit domino

injuriam, si eum rescindat, rescindendoque omnia reponat in statum pristinum. Qui enim jure suo utitur, nemini facit injuriam.

Respondeo emptorem illum non habere jus rescindendi contractum cum injuria tertii: quia injustitia furis, & deceptio, quæ dedit causam contractui, solùm tribuit emptori jus repetendi pretium à fure, & contra ipsum jure agendi; non verò dominum damnificandi, moraliter causando interitum rei ipsius, per repositionem in manus furis, à quo eam non est recepturus. Maximè cùm dominus nullam dederit causam allegatæ injustitiæ, & deceptionis.

1084 Objicies 2°. rescindendo contractum, remque reponendo in manus furis, eam non ponit pejori in loco, quàm fuit ante emptionem; nec eo loco ponit, ubi damnum domino sequitur per se, sed per accidens, ex malitia furis, quam emptor non intendit, sed solùm recuperationem pretii sui.

Respondeo, quamvis emptor tunc non ponat rem pejori in loco, quàm fuit ante emptionem, ponere tamen pejori in loco, quàm fuit post emptionem: quia res domini securè erat in manu emptoris; nullo verò modo securè in manu furis. Meliùs ergo erat in manu emptoris, & illud melioramentum, sicut & omne aliud melioramentum intrinsecum & extrinsecum, domino erat acquisitum. Ergo emptor non potest sine injustitia dominum privare melioramento isto.

1085 Nec refert, quòd ex repositione in manus furis, damnum domino non sequatur per se, sed per accidens. Quia sive per se, sive per accidens, sequitur equidem, & ad consecutionem illius emptor moraliter cooperari censetur, rem alienam in manus furis voluntariè reponendo, iis in circumstantiis, in quibus cognoscit eam domino perituram. Deinde per illam repositionem dominus per se privatur dicto melioramento, licèt accidentali: per se ergo damnificatur.

1086 Objicies 3°. in pari causa, & innocentia, æquum est, ut emptor sibi potiùs consulat, quàm alteri. Par verò est innocentia emptoris bonæ fidei, & domini, ut supponitur; par etiam causa: cùm æquale sit jus emptoris ad pretium suum, quàm domini ad rem suam.

Respondeo parem quidem esse innocentiam utriusque, parem etiam causam secundùm quid (quatenùs emptor æquale jus habet ad pretium suum, quàm dominus ad rem suam) sed non parem causam absolutè, & per omnia. Imò multiplici ex capite meliorem esse causam domini, quàm emptoris. 1°. in eo quòd emptor non sit dominus pretii dati, prout alter est dominus rei suæ. 2°. in eo quòd emptor non habeat jus immediatum in pretium suum; secùs dominus in rem suam. 3°. in eo quòd ex nullo capite dominus velle debeat rem suam ab emptore redi furi ad recuperandum pretium suum; emptor verò ex titulo rei acceptæ velle debeat eam domino restituere, quamdiù eam scienter habet apud se. 4°. in eo quòd res domini in manu emptoris bonæ fidei sit meliori in statu, quàm pretium in manu furis. Quod quidem provenit ex probitate emptoris, quæ non debet ipsi nocere; sed est malitia furis, quæ ipsi nocet, sicut & emptio rei furtivæ quam fecit, non probitas sua. 5°. in eo quòd dominus sibi ipsi nullo modo causa sit jacturæ rei suæ; emptor verò sibi ipsi causa sit jacturæ pretii sui per contractum emptionis, quem ignoranter fecit cum fure, qui rem alienam non poterat justè vendere. Sibi proinde, id est vel negligentiæ suæ, vel infortunio adscribere debet jacturam pretii sui: cùm omnis emptor scire debeat rem quamque posse à suo domino vendicari. 6°. in eo quòd dominus emptori nullo modo causa sit jacturæ sui pretii, sed sola emptio sua, & venditoris malitia; emptor autem domino causa esset jacturæ rei suæ, si eam furi redderet, sciens à fure non restituendam.

Objicies 4°. possessor bonæ fidei non te- 1087
netur rem domino restituere, quando non potest absque notabili suo damno: cùm non teneatur damnum alterius impedire cum æquali, vel ferè æquali suo damno.

Respondeo, possessorem bonæ fidei non semper quidem teneri rem alienam statim restituere, quando non potest absque notabili damno suo; ad id tamen teneri in casu nostro, in quo restitutio non est ipsi causa damni, sed inconsiderata sua emptio, & venditoris malitia, adversus quem nihilominùs emptor bonæ fidei retinet actionem ex empto. Et ratio, cur in casu nostro teneatur, est quia non restituendo domino, sed furi, domino innocenti foret moralis causa damni. At verò licèt (communiter loquendo) nemo damnum alterius impedire teneatur cum æquali suo damno; nemo tamen alteri innocenti esse potest causa moralis damni, etiam ad vitandum æquale proprium. Quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

Objicies 5°. si fur vellet me occidere, 1088
vel bursâ spoliare meâ longè majoris valoris, nisi ei redderem rem alienam, ab ipso emptam, possem eam ipsi reddere. Ergo similiter.

Nego consequentiam: quia in casu antecedentis dominus censeri non potest rationabiliter invitus; secùs in casu consequentis. Neque ex eo quòd extrema necessitas vitæ, & periculum evidens mali longè majoris, redditionem illam aliquando excuset; consequens est, quòd eam quoque excuset necessitas longè minor, vel periculum mali longè minoris, uti patet in sarcina aliena naufragante, quam si nauta in navim suam receperit, in mare projicere potest, ingruente necessitate, ne suo pondere causet naufragium; sed non ad vitandum quodcumque malum.

1089 Objicies 6°. emptor bonæ fidei rem furtivam, bonâ fide emptam, ejicere potest è domo sua, si ob illam, apud se repertam, timeat accusari de furto, nec alius modus appareat evadendi accusationem & condemnationem. Ergo similiter, &c.

Rursus nego consequentiam: quia periculum amissionis famæ, ex illa accusatione, est periculum mali longè majoris, quàm sit amissio pecuniæ v. g. vel pallii, &c. Cum periculo verò mali longè majoris nemo tenetur conservare rem alienam, nec illi se periculo exponere, ne proximus incurrat damnum longè minus; nec hoc jure exigere potest; secùs in casu nostro.

1090 Objicies 7°. leges canonicæ & civiles statuunt possessorem, etiam malæ fidei, ante omnia restituendum in possessionem, cap. *in litteris* de restit. spoliat. & L. 3. §. 3. ff. quod vi aut clàm. Similiter L. *bona fides* 3. ff. depositi dicitur, quòd *si fur apud me* (ignarum furti) *rem furtivam deposuerit, eam ipsi debeam restituere.*

Respondeo, leges illas agere de spoliato, seu violentè dejecto ex possessione, qui secundùm jura, ante omnia restituendus est. Lex verò *bona fides*, licèt de eo non agat, non agit etiam de casu nostro, quo emptor bonæ fidei cognoscit rem esse furtivam; sed de depositario hoc ignorante: quo casu restituendum est furi depositum reposcenti. Si autem dominus cum fure concurreret in repetitione depositi, restituenda foret domino, non furi, qui deposuerat, ut eâdem lege dicitur.

CAPUT CXII.

Ad obligationem restitutionis ratione contractûs generaliter non requiritur culpa, sive theologica, sive juridica.

1091 PAtet evidenter: quia commodator, & commodatarius v. g. possunt contractu explicito sic convenire, quòd commodatarius equum commodatum, seu pretium ipsius restituere debebit, si contingat ipsum capi, vel perire in via, quomodocumque id contingat, etiam absque ulla commodatarii culpa.

1092 Imò quamvis de eo expressè non convenerint, commodatarius aliquando tenetur equum restituere, etiamsi nulla intervenerit culpa ipsius, ut dum capitur ab hostibus. Ad id tamen teneri non videtur omni casu, v. g. quo contingit equum perire ex intrinseco quem habet defectu, ut si tibiam sibi frangat cespitando, vel si moriatur ex aliquo morbo, absque commodatarii culpa contracto. Ita Huyghenius c. 25. n. 2.

CAPUT CXIII.

Regulæ tres circa obligationem restituendi ex contractu.

Regula I.

1093 SI res in tui solius utilitatem sit tibi commodata, & illa vel perierit, vel deterior facta sit, teneris commodanti restituere, ex culpa etiam levissima. Constat ex cap. unic. de commodato, ubi dicitur: *Cùm gratiâ sui tantùm quis habet commodatum, de levissima sua culpa tenetur.* Necnon ex L. *in rebus* ff. commodati, ubi dicitur, quòd *in rebus commodatis talis diligentia præstanda est, qualem diligentissimus pater-familias suis adhibet.* Idem habetur §. *item is* Instit. quibus modis re contrahitur obligatio, ubi adeò exacta custodiendæ rei requiritur diligentia, ut non sufficiat *tantam diligentiam adhibuisse, quantam suis rebus adhibere solet, si modò alius diligentior poterat eam custodire.*

Lege itaque restitutionis tenetur commodatarius, siqua illius culpa præcesserit, licèt fortuitò res commodata perierit. Absente autem omni culpâ, & pacto in contractum, res commodanti perit, dum fortuitò perit. At si quis equum v. g. commodatò acceperit Parisios usque, & cum eo longiùs profectus, ibi à latronibus sublatus fuerit; vel si candelabra argentea commodatò acceperit, ut iis domi uteretur, & ea foras elata latro furatus fuerit, restituere debet. Si denique commodatarius in mora fuerit restituendi rem commodatam tempore præfixo, & interim res illa perierit, vel deterior facta sit, idque verisimiliter non contigisset, nisi in mora fuisset, tenetur ad restitutionem. 1094

Sed licèt is qui rem commodatò accepit in sui utilitatem, teneatur de culpa levissima; si tamen rem precariò acceperit in sui utilitatem, vi precarii solùm tenetur ex dolo, vel culpa lata. L. *optata* ff. de precario. Enimverò videtur æquum, ut majori diligentiâ custodiatur commodatum, quàm precarium, ob majorem favorem quem dominus accipienti præstat concedendo usum rei suæ commodatò, quàm precariò: nam commodatò concedit usum solùm revocabilem post certum tempus; precariò verò concedit usum revocabilem quandocumque placuerit. 1095

Regula II.

1096 IN contractu, qui fit in solius dantis utilitatem, quale est depositum, accipiens, ratione illius, ad restitutionem non tenetur, nisi ex dolo, & culpa lata, non aliter. Ita habetur L. *depositum* §. *quod autem* ff. depositi, vel contrà. Et L. 3. Instit. tit. 15. §. 3. Et L. 1. ff. de oblig. & act. §. *is quoque*, ubi sic: Depositarius, *etiamsi negligenter* (negligentiâ parvâ) *rem custoditam amiserit, securus est: quia enim suâ gratiâ non accepit, sed ejus à quo accepit, in eo solo tenetur, si quid dolo perierit. Negligentia verò* parvæ *nomine ideò non tenetur: quia qui negligenti amico rem custodiendam committit, de se queri debet*, id est, suæ facilitati imputare debet. *Magnam autem negligentiam placuit in doli crimine cadere.* Doli etiam reus præsumitur, qui rebus suis salvis, res apud se depositas amittit, cap. *bona fides* extrav. de deposito. Nisi res suæ multò

multò sint pretiosiores, & utrasque ab incendio v. g. servare non potuerit. Tunc enim naturalis æquitas, & ordo amoris postulat, ut potiùs res suas custodiat.

Regula III.

1097 IN contractu, qui sit in utilitatem utriusque, v. g. locati, accipiens tenetur ad restitutionem ex culpa lata, non ex levissima. Constat ex L. *contractus* 23. ff. de reg. jur. colligiturque ex §. *creditor* Instit. quibus mors contrah. oblig. ibi: *Quia pignus utriusque gratiâ datur.... placuit sufficere, si ad eam rem custodiendam, exactam diligentiam* (majorem proinde communi) *adhibeat, quam si præstiterit, & aliquo fortuito casu rem amiserit, securum esse.* Et ratio est, quia dum non in solam accipientis, sed & in dantis utilitatem res traditur, æquum est quidem ut accipiens diligentem illius curam habeat; non tamen diligentissimam, sicut teneretur, si ob solam suam utilitatem acciperet.

1098 Obligatio tamen omnium regularum illarum esse non videtur de jure naturæ: cùm commodatarius de jure naturæ non obliget se ad majorem diligentiam, quàm ipse adhibere soleat propriis rebus custodiendis. Quam proinde si adhibuerit, licèt majorem, vel maximam omiserit, naturali obligationi, & justitiæ satisfecit; jure proinde naturæ non tenetur ad restitutionem.

CAPUT CXIV.

Ad obligationem restitutionis, ratione injustæ acceptionis, requiritur formalis culpa theologica contra justitiam commutativam.

1099 EST sententia communior, licèt ei contradicant Adrianus, Angelus, &c. Et nota 1°. nos hìc loqui de obligatione restitutionis, ratione solius injustæ acceptionis, sepositis aliis titulis restituendi, ratione rei acceptæ, & ratione contractûs, sive expliciti, sive impliciti. Omnes namque conveniunt, sine culpa, tam theologica, quàm juridica, posse esse obligationem restitutionis, ratione rei acceptæ; aliquando etiam ratione contractûs, si sic partes convenerint.

1100 Nota 2°. culpam aliam esse theologicam, aliam juridicam. Culpa theologica est peccatum formale contra legem æternam, sive mortale, sive veniale. Culpa juridica, est omissio diligentiæ, & circumspectionis requisitæ per leges, ad vitandum damnum alterius, sive talis omissio sit formaliter peccatum, sive non.

1101 Culpa juridica est quintuplex, scilicet latissima, latior, lata, levis, levissima. *Latissima* est dolus apertus, sive manifesta voluntas alteri damnum inferendi: ut dum furem quis positivè adjuvat ad inferendum alteri damnum.

Latior est dolus præsumptus, ut dum potens impedire, ne fur furripiat rem apud me depositam, scienter non impediam.

Lata est omissio diligentiæ, quam prudentes ejusdem conditionis in rebus ejusmodi solent communiter adhibere.

Levis est omissio diligentiæ, quam diligentiores. *Levissima*, omissio diligentiæ, quam diligentissimi tantùm adhibent. Exempla alibi dedimus. His notatis, probatur 1102 assertio nostra. 1°. quia nullus tenetur ratione injustæ acceptionis, nisi qui injuriam seu injustitiam fecit, ut per se patet. Atqui *injuriam facere, est sponte lædere, & cum scientia ejus quod fit*, ait Philosophus 5. Ethic. 6. & 9. *Si aliquis* ergo *faciat aliquid, quod est injustum, non intendens injustum facere* (uti contingit, dum ignoranter injustum facit, non existimans se injustum facere) *tunc non facit injustum per se, & formaliter loquendo; sed solum per accidens, & quasi materialiter* (ait S. Thomas q. 59. a. 2.) *faciens id quod est injustum. Unde & talis operatio non denominatur injustificatio.* Ergo non denominatur injusta, seu injuriosa acceptio. Quia *actus, prout & habitus, denominantur, seu specificantur ab objecto per se, & formaliter, non per accidens, & materialiter spectato*, inquit S. Doctor ibidem ad 1^um.

2°. si ad obligationem restitutionis, ratione 1103 injustæ acceptionis, seu damnificationis, non requireretur damnificatio formaliter injusta; sed sufficeret injusta materialiter, qui bonâ fide rem consumpsisset alienam, teneretur ad restitutionem, ratione injustæ acceptionis; sicut & Judex, qui ex opinione probabilissima, sed falsa, tulisset sententiam materialiter injustam; similiter Advocatus tali causæ patrocinatus; Medicus, qui secutus opiniones probabilissimas peritiorum suæ artis, hominem occidisset, &c. At ista sunt contra communem sensum omnium. Probatur nihilominùs sequela: quia licèt bona fides, & probabilissima opinio eximeret ipsos ab injustitia formali, non eximit à materiali; quæ si esset ratio sufficienter obligans ad restitutionem, ad eam teneretur vel ipse amens, qui in amentia hominem occideret, sicut & quicumque, absque minima culpa formali, etiam juridica, damnum materialiter injustum alteri intulisset. Cujus oppositum constat ex cap. finali de injuriis, & L. 5. ff. ad L. Aquiliam. *Si culpâ tuâ datum est damnum* (verba sunt citati cap. fin.) *vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ, sive negligentiâ evenerunt, jure super his satisfacere te oportet; nec ignorantia te excusat à culpa, nec à* formali injuria, *si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam..... Sanè licèt qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse; secùs tamen est in illo dicendum, qui, ut non accideret, de contingentibus nihil omisit, ideòque nullam culpabilem negligentiam commisit, ex qua damnum illud secutum fuisset.* Culpam

ergo formalem, & saltem negligentiam formaliter culpabilem Gregorius IX. (Author istius canonis) requirit.

1104 3°. damnum ex facto formaliter inculpabili secutum, non est imputabile operanti, tamquam voluntarium, utpote nec formaliter, nec virtualiter præcognitum: nullo enim modo prævideri potuit, per eam prudentiam, quam poterat, & debebat adhibere, quamque de facto adhibuit. Ergo non est imputabile operanti, tamquam causæ morali illius. At nullus tenetur ad restitutionem damni ratione injustæ damnificationis, nisi fuerit causa moralis illius. Non enim sufficit esse, vel fuisse causam illius physicam. Aliàs qui in somno, vel amentia ædes alterius incendisset, teneretur de damno, ratione injustæ acceptionis. Quod nullus admittit.

1105 4°. dum damnificatio alterius coram Deo est inculpata, pro ea non tenemur Deo satisfacere per contritionem, & pœnitentiam. Ergo nec proximo per restitutionem.

1106 5°. ut obligemur coram Deo, ratione injustæ acceptionis, debemus coram Deo injustè damnificasse. Coram Deo verò non damnificavit injustè, nisi qui saltem interpretativè voluit damnificare. Quæ enim omninò præter intentionem eveniunt, à Deo, & coram Deo nullo modo imputantur; nec homo, ex cujus facto sequuntur, propter ea injustitiæ à Deo arguitur, magis quàm propter ea quæ merè fortuitò sequuntur.

1107 Dixi in assertione, culpam theologicam debere esse *contra justitiam commutativam*: quia, cùm restitutio sit actus justitiæ commutativæ, & in ea attendatur æqualitas justitiæ secundùm recompensationem rei ad rem, ait S. Thomas q. 62. a. 1. non est facienda restitutio ex justitia commutativa, ob damnificationem injustam, nisi ista injustitia fuerit contra justitiam commutativam, ideòque reparari debeat secundùm recompensationem rei ad rem.

1108 Nec tamen sufficit culpa interna contra justitiam commutativam, sed externa requiritur. Quia nulla est obligatio restitutionis ob injustam damnificationem, nisi hæc realiter, & effectivè fuerit subsecuta; non subsequitur autem effectivè, & realiter, sed affectivè duntaxat, ex solo affectu interno.

1109 Hinc Bonacina de restit. disp. 1. q. 1. p. 1. n. 4. cum Vasquez, Azorio, & Clave-regia, colligit (contra Sotum) ad restitutionem non teneri reum, qui legitimè interrogatus, negavit veritatem. Unde secutum est alteri damnum. Quia non tenebatur ex justitia commutativa dicere veritatem, nec alterius procurare utilitatem.

1110 2°. Suarez to. 4. de pœnit. disp. 32. sect. 6. colligit, ad eam etiam non teneri Confessarium, etiam Parochum, culpabiliter omittentem monere pœnitentem de obligatione restituendi, quam habet, modò eum positivè non inducat ad non restituendum. Quia licèt Parochus ex justitia commutativa teneatur procurare bonum spirituale pœnitentis; non tamen temporale tertii, cui pœnitens restituere debet.

1111 3°. Lessius c. 9. dub. 16. n. 210. concludit, homicidam non teneri restituere innocenti, cui homicidium à se patratum imputatur, dummodò imputationem istam non procuraverit, nec ad eam positivè concurrerit: quia imputationem istam ex justitia commutativa impedire non tenetur.

1112 4°. Dicastillus disp. 3. n. 68. 70. & 72. censet ad restitutionem non teneri furem, qui domum alienam nocte ingressus, laternam, vel facem accensam manu præferens, domum casu, ac præter intentionem incendit, vel è domo egrediens, eam apertam omninò inadvertenter reliquit; unde factum est, ut alii fures eam ingressi, multa surripuerint. Verùm hoc admitti non potest, nisi exactissimam, seu diligentissimam ad illa damna præcavenda diligentiam adhibuisset: ad eam quippe si teneatur, qui rebus alienis de consensu domini utitur in sui utilitatem; majori ratione ad eam tenetur, qui domum domini malitiosè ingreditur ad furandum contra domini voluntatem. Inexcusabilis proinde est à culpa theologica, si domum in egressu non clauserit, nec diligentiam tantam adhibuerit, ut aliena domus non incenderetur: cùm ex justitia teneretur id diligentissimè præcavere. Quod si fecisset, domus nec incensa fuisset, nec spoliata. Quòd verò non fecerit, imputandum majori studio ipsius ad furandum, vel (post furtum) è domo illa se subducendum, quàm ad damnum domini vitandum. Nec enim domum nocte claudere omittunt domûs suæ diligentes custodes; multò minùs diligentiores, & diligentissimi, nec id unquam obliviscuntur.

CAPUT CXV.

Objecta dissolvuntur.

1113 OBjicies 1°. (cum Adriano, dicente ad obligationem restitutionis ratione damni illati, sufficere illatum fuisse ex culpa juridica) qui culpabiliter, saltem culpâ juridicâ, damnificavit proximum in bonis, causavit inæqualitatem in rebus ipsius, sive id fecerit culpabiliter coram Deo, sive non. Ergo tenetur inæqualitatem illam tollere per restitutionem.

Nego consequentiam: quia nec ad id tenetur ratione rei acceptæ, nec ratione contractûs (ut supponitur) nec ratione injustæ acceptionis, uti probavimus.

1114 Objicies 2°. omnes fatentur, quòd quicumque latâ culpâ juridicâ alteri damnum fecit, obligetur eidem pro quantitate damni restituere. Atqui culpa lata juridica esse potest absque culpa theologica.

Nego majorem, si lata culpa juridica fuerit absque theologica, & sermo sit de obligatione restitutionis, ratione injustæ acceptionis præcisè, non ratione contractûs.

1115 Objicies 3°. Exodi 21. dicitur : *Siquis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, ceciderintque bos vel asinus in eam, dominus cisternæ reddet pretium jumentorum.* Et cap. 22. *Si egressus ignis comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit.*

Respondeo 1°. in principio capitis 21. dicitur : *Hæc sunt judicia*, id est judicialia præcepta, *quæ propones eis* ; adeòque leges illas esse judiciales, id est directivas judiciorum ; cujusmodi aliæ inveniuntur ibidem, scilicet lex talionis, *oculum pro oculo, dentem pro dente* ; lex de occisione furis nocturni, & diurni ; lex de reddendo quinque boves pro uno, & quatuor oves pro una ; quam S. Thomas q. 62. a. 3. ad 1. dicit esse judicialem, ad cujus observantiam nullus tenetur post Christi adventum. 2°. leges illas fundari in præsumptione, quòd damna illa acciderint ex negligentia theologicè culpabili operiendi cisternam, cavendique ne ignis succensus vicinis noceret segetibus, prout frequenter contingit, sic quidem, ut licèt negligentia non sit directè voluntaria, sit tamen talis indirectè, & interpretativè.

1116 Objicies 4°. cap. finali de injuriis Gregorius IX. dicit : *Si culpâ tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata..... aut hæc imperitiâ tuâ, aut negligentiâ evenerunt, jure super his satisfacere oportet. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam. Quòd si animalia tua nocuisse proponas, nihilominùs ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum, teipsum liberare velis ; quod tamen ad liberationem non sufficit, si fera animalia, vel quæ consueverant nocere, fuissent ; & quam debueras, non curasti diligentiam adhibere. Sanè licèt qui occasionem damni dat, damnum dedisse videatur ; secùs tamen est in illo dicendum, qui, ut non accideret, de contingentibus nihil omisit.* Ubi Pontifex 1°. distinguit culpam & injuriam ab imperitia & negligentia, ac nihilominùs ex utraque dicit oriri obligationem satisfaciendi pro damno. 2°. distinguit inter animalia fera, & non fera, sive consueta, vel non consueta nocere, & dicit etiam pro damno à non feris causato esse satisfaciendum. 3°. eum solum excusat à non restituendo damno illato, qui, ut non contingeret, de contingentibus nihil omisit.

Respondeo Gregorium IX. ibi firmare potiùs assertionem nostram, quàm infirmare : cùm requirat culpam theologicam, ad hoc ut restituendum sit damnum illatum, uti vidimus n. 1100. Nec obstat 1^um^. in contrarium : solùm enim distinguit culpam latissimam, vel latiorem, & injuriam ex ea illatam, ab imperitia, & negligentia proveniente ex culpa lata, uti colligitur ex eo quod subdit : *Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere.* Manifestè ergo loquitur de ignorantia, quam debuit depellere, quamque alii similis conditionis præcavere solent, quamque proinde ille non præcavit ex culpa lata. Non obstat etiam 2^um^. quia ibi etiam dicit, restituendum non esse ad æqualitatem, nisi dum animalia erant consueta nocere ; si autem id non consueverant, teneri quidem dicit ad aliquam satisfactionem, non æqualem damno ; sed hoc non ex naturali obligatione restitutionis, quæ postulat damnum ad æqualitatem reparari ; sed jure positivo humano, pœnali utique, quod non obligat ante Judicis sententiam. Non denique 3^um^. quia ibi Pontifex de omnibus omninò contingentibus, seu eventibus non loquitur, sed de iis contingentibus, quæ vir prudens illius conditionis præcavet : quorum proinde præcautio omitti non solet, nisi ex culpa lata. Si enim de omnibus omninò contingentibus loqueretur, etiam de fortuitis loqueretur. Apud omnes verò certum est, neminem teneri ex casu planè fortuito, ne levissimè quidem culpabili.

Objicies 5°. naturalis æquitas postulare 1117
videtur, ut damnum potiùs luat nocens, quàm innocens, id est potiùs ille qui damnum intulit, quàm qui passus est : quandoquidem obligatio restitutionis non oriatur ex culpa, quasi pœna illius, sed ex inæqualitate quam induxit qui damnum intulit. Idque significare videtur L. *multa jura* §. *injuria* Instit. de obligat. quæ ex delicto nascuntur. L. *qui occidit* §. *in hac quoque actione* ff. ad Legem Aquiliam. Unde Glossa ibi dicit, *lædentem etiam ex culpa levissima teneri.* Lege etiam *si servus* ff. de noxial. action. dicitur, quòd *si animal tuum, vel servus, te inscio, damnum intulerit, sata depascendo, animal proximi, vel servum occidendo, &c. teneris animal tuum, vel servum tradere damnificato, licèt damnum acciderit absque culpa, & negligentia tua.*

Respondeo, naturalem quidem æquitatem postulare, ut damnum potiùs luat qui illud culpabiliter intulit, quàm qui inculpatè passus est ; non autem ut illud luat qui inculpatè coram Deo damnum intulit, adeòque coram Deo innocens est. Unde obligatio restitutionis coram Deo non oritur ex inæqualitate quacumque, sive quomodocumque causata ; aliàs oriretur ex inæqualitate casu omninò fortuito, absque ulla culpa, etiam juridica, causata ; quod ne ipsi quidem Adversarii concedunt. Sicut verò ipsi culpam ad hoc requirunt juridicam, nos theologicam requirimus ad obligationem coram Deo. Nec contraria sunt jura objecta, utpote pœnalia, & non procedentia in foro poli, sed in foro fori, nec obligantia ante

Judicis sententiam, quâ latâ, sæpè quidem punitur quis sine culpa theologica, sed non sine causa : sic enim statuunt ad cautelam, ut quisque diligentior sit in præcavendo proximi damno, sicut & in custodia suorum animalium, & servorum, ne aliis inferant nocumentum.

1118 Objicies 6°. si vera esset assertio nostra, sequeretur, neminem, etiam obligatum ex officio, v. g. Judicem, Advocatum, Medicum, Architectum, restituere debere damna inconsideranter illata ; uti nec Parochum, aut Consiliarium, qui inconsiderato consilio suo alteri fuit causa positiva damni.

1119 Respondeo 1°. Lessium quidem, Vasquez, Cardinalem de Lugo, Wiggers, Amicum, &c. admittere, nullum ex prædictis ad restitutionem teneri sub mortali, nisi ex culpa theologica mortali. Sed hoc non videtur mihi verum. Aliàs nemo, etiam obligatus ex contractu, restituere deberet damna, nisi causata per culpam suam theologicè mortalem (cujus oppositum probatum est cap. 113. & 114.) esse enim videtur par ratio eorum qui ex officio, atque eorum qui ex contractu tenentur : cùm obligati ex officio, obligentur ex quasi contractu, imò ex contractu quodam implicito. Impliciti verò contractûs atque expliciti par est ratio. Cùmque officiorum (sicut & contractuum) alia gratis suscipiantur, ad solam aliorum utilitatem, ut dum quis ad solam requisitionem mandantis, & in solam ipsius utilitatem, negotia ipsius gerit, vel fundum ei emit ; alia tam ad utilitatem suscipientium, quàm aliorum, ut officium Judicis, Advocati, Medici, & eorum omnium, qui ex officio stipendium accipiunt. De iis, ob tantam similitudinem, & rationis paritatem, omninò videtur philosophandum sicut de obligatis ex contractu. Unde etiam de utrisque pariformiter statuunt leges. Nam tutores, curatores, & alii negotiorum alienorum gestores, qui ad officia ista sponte se non obtulerunt, solùm tenentur de lata culpa & dolo. L. *aut prætor* ff. de negotiis gestis. Si se ingesserint, seu sponte obtulerint, etiam de levi. L. *tutori* Cod. eod. tit. Et L. *quidquid tutoris* Cod. *At arbitrium tutelæ*. Et §. 1. tit. 28. Instit. de obligat. quæ quasi ex contractu nascuntur. Imò aliqui tenentur ex culpa levissima, ut nautæ, aurigæ, &c. L. *ad hoc nautæ*, quam refert ipsemet Dicastillus l. 2. tr. 3. n. 410.

Respondeo itaque 2°. negando sequelam. Tum quia licèt obligati ex officio ad præcavenda proximi damna, ratione injustæ acceptionis, non teneantur ad compensanda damna inconsideratè illata, absque culpa theologica ; tenentur ratione contractûs impliciti, vel quasi contractûs, ut proximè vidimus, fateturque Dicastillus n. 84. docetque Tannerus disp. 4. q. 6. n. 55. dicens, communem hanc esse sententiam. Tum quia inconsideratio, seu imprudentia in ipsis vix, aut ne vix quidem contingit absque culpâ theologica. Et ideò S. Raymundus lib. 2. tit. de præscription. §. 35. monet, quòd *dum Judices ferunt iniquam sententiam per imprudentiam.... in judicio animæ teneantur ad restitutionem : in culpa enim fuit ipsis sua imprudentia :* quia scilicet debitam considerationem non adhibuerunt.

Objicies 7°. saltem sequeretur, cum ad 1120
restitutionem non teneri, qui volens occidere Petrum, præter intentionem occidit Paulum, quem per errorem putabat esse Petrum. Nec eum qui combusit domum Titii, quam putabat Caji : cùm occisio Pauli, & incensio domûs Titii tunc non sit theologicè culpabilis, defectu cognitionis, & voluntarii. At istud dici non potest. Tum quia L. *cùm innocentem* ff. de injuriis dicitur : *Si injuria mihi fiat ab eo cui sum ignotus, aut siquis putat me Titium esse, cùm sim Cajus, prævalet quod principale est, injuriam eum mihi facere velle, & ideò injuriarum habeo actionem.* Tum quia occidens ex errore Petrum Clericum, pro Paulo similiter Clerico, incurrit excommunicationem, ut rectè docet noster Petrus Cornejo disp. ult. de censur. dub. 2. cum aliis communiter.

Respondet Cardinalis de Lugo disput. 7. sect. 3. talem dignum quidem esse condemnatione in pœnam, sed ante sententiam non teneri ad restitutionem, si per errorem invincibilem occiderit Paulum loco Petri, &c. quia non fecit injuriam externam, & effectivam Petro : utpote quem non occidit, quamvis occidere voluerit. Nec Paulo : quia ipsius occisio non fuit ipsi voluntaria : non enim processit ex voluntate occidendi Paulum, sed Petrum.

Sed meliùs respondetur negando sequelam. 1121
Quia (quidquid sit de speculatione metaphysica) in praxi moraliter non contingit, quòd occidens Paulum pro Petro, id faciat per errorem prorsus invincibilem, & theologicè inculpatam. Malitiosa namque voluntas, & passio ipsius in Petrum, causa est istius erroris, sicut & incircumspectionis, præcipitationis, &c. causa (inquam) quòd præcipitanter prorumpat ad inferendum ictum, non adhibitâ debitâ circumspectione & præcautione, ne unum pro alio occideret, ne combureret domum unius pro domo alterius, &c. Unde, in illa causa, ipsi voluntaria est occisio Pauli, combustio domûs Titii, &c. Et hoc est quod dicitur Lege *cùm innocentem*, videlicet *injuriam eum mihi facere voluisse*, &c. Hoc etiam confirmat doctrina S. Thomæ proximè referenda, sicut & doctrina satis communiter recepta, quòd inconsideratio & inadvertentia proveniens ex causa culpabili, sit culpabilis.

Talis proinde à Judice meritò condem- 1122
natur ad restituendum Paulo & Titio, cùm ad id etiam ante sententiam teneatur. A

fortiori ille qui Petrum Clericum pro Paulo Clerico per errorem occidit, excommunicationem incurrit: quia secundùm canones illam incurrit, qui Clericum voluntariè occidit. Ipse verò Clericum voluntariè occidit: scivit enim Clericum esse, quem occidere voluit; exteriaque occisio Petri Clerici processit ab interna voluntate occidendi Clericum. Atqui excommunicatio annexa non est occisioni Clerici, propter rationem individualem hujus, vel illius Clerici, sed propter dignitatem statûs clericalis, quam eo ipso violavit, quo Clericum occidere voluit. Nec dubium quin talis contrahat irregularitatem; maximè cùm S. Thomas in 4. dist. 25. q. 2. a. 2. q. 2. ad 3. dicat, quòd *ille qui ignoranter occidit hominem, homicidio casuali dicitur homicida, & irregularitatem incurrit, si dederit operam rei illicitæ, vel omiserit debitam diligentiam: quia jam quodammodo efficitur voluntarium.* Et 2. 2. q. 64. a. 8. *Ille qui non removet ea, ex quibus sequitur homicidium, si debeat removere, erit quodammodo homicidium voluntarium. Hoc autem contingit dupliciter. Uno modo, quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit. Alio modo, quando non adhibet debitam sollicitudinem. Et ideò, secundum jura, si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, non incurrit homicidii reatum. Si verò det operam rei illicitæ* (prout in omnibus casibus objectis) *vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum* (nec proinde irregularitatem) *si ex ejus opere mors hominis sequatur.* Et ad 3. *Secundùm canones imponitur pœna his qui casualiter occidunt, dantes operam rei illicitæ, vel non adhibentes diligentiam debitam.*

CAPUT CXVI.

Culpam theologicam (quam necessariam diximus ad obligationem restitutionis, ratione injustæ acceptionis, seu damnificationis) mortalem esse debere, ut obligatio sit sub mortali, aliqui probabiliter affirmant, alii probabiliter negant; pari (ut videtur) utrimque probabilitate. In praxi proinde pars aeterior, seu obligatio sub mortali supponenda est.

1123 EUm, qui ex culpa theologica mortali proximum graviter damnificavit, teneri ad restitutionem sub mortali, nemo est qui dubitet: quia cùm damnificatio fuerit plenè voluntaria, eaque in materia gravi; nihil ei deest ad inducendam gravem restitutionis obligationem.

1124 Eum etiam, qui ex culpa theologica veniali proximum leviter damnificavit, sive in materia levi, teneri ad restitutionem, seu damni istius reparationem sub veniali, communis est sententia, licèt ei contradicat Vasquez de restit. c. 2. §. 2. n. 10. Et ratio id suadet: quia quisquis voluntariè justitiam commutativam violavit, inter se & proximum inæqualitatem ponendo, debet inæqualitatem illam tollere, domino non condonante. Qui certè condonare censeri non potest, ubicumque materia est parva: quis enim dixerit, communem divitem nolle sibi restitui 12. vel 15. asses sibi furto sublatos?

Eum denique, qui in materia gravi proximum damnificavit ex culpa theologica, solùm veniali ob defectum plenæ & perfectæ deliberationis, saltem sub veniali obligatum esse ad restitutionem, negant quidem plerique Noviores, Sotus, Lessius, Henriquez, Sanchez, & cum ipsis Tamburinus lib. 8. tr. 3. c. 2. §. 5. Sed graviores Authores affirmant, Adrianus quodlib. 11. supposito 2. Corduba, Rebellus, aliique multi, quorum opinio videtur longè probabilior. Quia sicut deliberationis imperfectio diminuit quidem, sed non tollit rationem veræ culpæ theologicæ, contra justitiam commutativam; ita diminuit, sed non tollit obligationem restitutionis, ratione injustæ damnificationis. 1125

Tota igitur quæstio est, an qui graviter proximum damnificavit ex culpa theologica contra justitiam commutativam, sed nonnisi veniali, ob defectum plenæ deliberationis, ad restitutionem teneatur sub mortali? Sub veniali dumtaxat teneri plerique docent, & probabiliter docent. Quia obligatio restitutionis, ex radice injustæ acceptionis, seu damnificationis, commensurari debet injustæ acceptioni, seu damnificationi, non materiæ acceptæ. Igitur ex acceptione solùm venialiter injusta solùm exurgit obligatio venialis. Nam ex radice levi, levis, non gravis exurgit obligatio: cùm oporteat effectum esse proportionatum causæ, sicut pœnam culpæ. Et sicut sub nulla culpa theologica ad restitutionem tenetur, qui grave damnum intulit ex culpa theologicè nulla; sic ad restitutionem sub solo veniali tenetur, qui grave damnum intulit ex culpa theologicè solùm veniali. 1126

Nihilominùs sub mortali ad restitutionem teneri docent etiam non pauci: quia licèt obligatio restituendi originem suam sumat ex injusta damnificatione; suppositâ tamen injustâ damnificatione, quantitatem, seu magnitudinem obligationis ex natura rei sumit à quantitate damni voluntariè, & culpabiliter illati: quemadmodùm obligatio voti, licèt originem suam sumat à voluntate voventis, sicut & obligatio legis à voluntate Legislatoris; suppositâ tamen voventis, & Legislatoris voluntate, quantitatem, seu magnitudinem obligationis ex natura rei sumit à quantitate, seu magnitudine rei per votum promissæ, vel per legem præceptæ, uti ostendimus in materia de legibus. 1127

Et hoc indicare videtur Gregorius IX. cap. finali de injuriis, cùm dicit, quòd *qui occasionem damni dat, damnum dedisse vide-* 1128

tur, nisi quando, ut non accideret, de contingentibus nihil omisit. Ergo occasionem damni dedisse censetur, qui ex culpa solùm veniali (ob defectum plenæ deliberationis) aliquid omisit de contingentibus, sive de diligentia adhibenda ad damnum præcavendum. Illum ergo Pontifex censet obligatum ad restitutionem pro ratione damni dati, suppositâ damni occasione, seu causâ datâ.

1129 Et alioqui siquis alterum ad peccatum mortale, fornicationis v. g. cum semiplena deliberatione perduxisset, sub peccato mortali non teneretur damnum illatum reparare, hominem lapsum ad pœnitentiam pro posse adducendo.

1130 Denique si, supposito veniali commisso, justè nascatur obligatio subeundi gravissima Purgatorii tormenta, & venialis vanitas Davidis justè punita fuit gravissimâ pœnâ pestis, quæ absumpsit 70. millia virorum; quare, supposito peccato veniali, justè non nasceretur obligatio reparandi gravia damna inde causata? Atqui obligatio subeundi gravissima Purgatorii tormenta est gravis, peccaretque graviter, qui ad ea pro peccato veniali condemnatus, ea subire recusaret, si hoc fieri posset; peccassetque graviter David, si subire recusasset pœnam gravem, ad quam divinitùs condemnatus fuit pro suo illo veniali peccato.

Quemadmodùm ergo, supposito peccato veniali, dum quæritur de obligatione subeundi pœnam illius, non tantùm attendenda est causa, ex qua obligatio ista nascitur, sed potissimùm quantitas pœnæ, quæ propter causam illam luenda est, ut judicetur, utrùm obligatio pœnæ subeundæ sit gravis, an levis; sic, suppositâ injustâ damnificatione, dum quæritur de obligatione restituendi, non tantùm attendenda est causa, ex qua oritur obligatio damni reparandi, sed potissimùm quantitas damni, quod reparandum est, ut judicetur, an obligatio ista gravis sit, an levis.

1131 Ecce fundamentum posterioris opinionis, si non probabilius, saltem æquè probabile est, quàm fundamentum prioris opinionis. In pari verò utrimque probabilitate, dubium est, sitne, an non sit gravis obligatio restituendi grave damnum per peccatum veniale illatum. Dubitatur enim necessariò, dum utraque pars contradictionis æquè probabilis apparet, uti vidimus to. 1. lib. 11. cùm de conscientia dubia & probabili disseruimus. *In dubiis* autem ejusmodi *cùm debemus aliquibus malis adhibere remedium, sive nostris, sive alienis, expedit ad hoc ut securius remedium apponatur, quòd supponatur id quod deterius est* (ait S. Thomas q. 60. a. 4. ad 3. ubi hoc vocat interpretari aliquid in deteriorem partem, *non definiendo, seu determinando, sed supponendo*) *quia remedium quod est efficax contrà majus malum, multò magis est efficax contra minus malum.* Atqui in ejusmodi dubitationibus, sitne hoc faciendum sub mortali, an sub veniali dumtaxat peccato; debemus malis nostris adhibere remedium; debemus (inquam) adhibere remedium nostræ pronitati ac negligendum facere id, ad quod supponimus nos solùm obligatos sub veniali. Tanta quippe est ista pronitas, ut major pars hominum, etiam tepidorum Religiosorum, parum curet ejusmodi negligentiam: *ipsis* namque *sufficit ut in mortale peccatum per inobedientiam non incidant, ne damnationem incurrant; & hoc est valdè periculosum* (ait S. Bonaventura de profectu relig. lib. 2. c. 41.) igitur *expedit, ad hoc ut securius remedium apponatur, quòd supponatur quod deterius est*; adeòque quòd interpretemur esse obligationem sub mortali, non definiendo, sed supponendo, ut sic diligentiùs caveamus prætermittere restitutionem, seu reparationem gravis damni, per injustitiam nostram, etsi solùm venialem, illati. Id enim conforme est regulæ de tutiori parte in dubiis sectanda. Conforme etiam doctrinæ Sanctorum, quâ edocemur, Deum idcircò peccatorum confinia nobis apertè indicare noluisse, sintne utique gravia, an non, non ut nobis licentiam concederet judicandi pro arbitratu nostro; sed (ut Augustinus dicit lib. 21. de Civit. c. ult.) *ne studium proficiendi ad omnia peccata pigresceat: quoniam si scirentur, quæ, vel qualia sint delicta, pro quibus, etiam permanentibus, nec profectu vitæ melioris absumptis, intercessio sit inquirenda, & speranda justorum, eis speranda se involveret humana segnities; nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret, sed tantummodò quæreret aliorum meritis liberari, quos amicos sibi de mammona iniquitatis eleëmosynarum largitione fecisset. Nunc verò dum venialis iniquitatis, etiamsi perseveret, ignoratur modus, profectò & studium in meliora proficiendi, orationi insistendo vigilantius adhibetur, & faciendi de mammona iniquitatis sanctos amicos*, & illata siquæ à nobis sunt damna reparandi *cura non spernitur.*

Et partem quidem deteriorem in casu 1132
præsenti tantò prudentiùs supponimus, & secundùm eam in praxi nos gerimus, quod etiam plures ex sequacibus adversæ sententiæ (teste Wiggers cap. 1. de injuriis num. 20.) monent, quòd quando damnum est grave, censeatur ordinariè peccatum mortale interveniisse; rarò autem veniale tantùm. Quia in extrema damnificatione, & generaliter in operibus externis, citra subitaneam passionem vehementem, rariùs accidit consideratio imperfecta: cùm materia ipsa facilè se prodat, mentemque ad sui considerationem excitet.

CA-

CAPUT CXVII.

Fur, & quicumque malæ fidei possessor, rem alienam, ratione injustæ acceptionis, restituere debet, secundùm optimum statum, & summum valorem, quo dominus eâ usurus erat, vendendo, locando, alendo, &c. Et si ante restitutionem meliorata fuerit, cum sua melioratione restituenda est.

1133 RAtio primæ partis est, quia dominus alioqui non redderetur indemnis. Unde si vitulum furripuisti, qui apud dominum evasurus erat in vaccam, vaccam reddere debes.

1134 Secunda pars vera est, licèt res illa apud dominum meliorata non fuisset, sed ante melioratione consumenda, vel distrahenda. Et ita docent Major, Gabriel, Angelus, Sylvester, Navarrus. Et ratio est, quia res in manu furis meliorata, non furi, sed domino meliorata est: igitur domino cum sua melioratione restituenda est. Et ita statuitur L. *in re furtiva* ff. de conditione furtiva, ibi: *Si ex causa furtiva res condicatur, cujus temporis æstimatio fiat, quæritur? placet tamen id tempus spectandum, quo res nunquam plurimi fuit; maximè cùm deteriorem factam fur reddendo non liberatur: semper enim moram fur facere videtur.*

1135 Ita etiam S. Raymundus, assertionem insigniter explicans l. 11. tit. de raptor. §. 21. his verbis: *Quando malâ fide emit, tenetur indistincte ad restitutionem, nec liberatur vendendo, vel aliàs alienando rem alteri, vel etiamsi res pereat morte, vel alio casu, vel si sibi violenter auferatur, vel furtivè subtrahatur, vel alio simile modo. Et est ratio, quia furtum committit contrectando rem alienam invito domino; & fur semper est in mora restituendi. Unde nec pretium, quod dedit, potest repetere ab illo cujus res est; nec expensas, quas ibi fecit, & omnem utilitatem quam ex illa habuit, tenetur restituere. Si restituat etiam rem deteriorem, quàm ad ipsum pervenit, non liberatur. Sed si aliquo tempore medio melior fuerit res, quàm tempore emptionis, sive cùm postea vendidit alteri, ejus quod plurimi fuerit, erit æstimatio facienda*, ff. de furtis L. *qui jumenta* ff. de condit. furt. L. *in re furtiva* ff. commodati. L. *si ut certo* §. *sed interdum* C. de rei vendit. L. *certum. Quod dixi de primo emptore, intelligo de secundo, & millesimo, si per tot manus transierit res cum mala fide.*

1136 Similiter Libellus Synodicus Ecclesiæ Nemausensis (anno 1284. editus) tit. de pœnitentia: *Tenentur etiam ad restitutionem omnes illi, qui scienter rem raptam, vel alienam emerunt cum mala fide.... Nec taliter amentes possunt recuperare, seu retinere expensas, si quas fecerunt, ipsam rem custodiendo, vel meliorando, & hoc propter malam fidem, quam habuerunt emendo. Debet etiam restitui res non deteriorata. Sed si deteriorata fuerit, vel casu fortuito perierit, vel restitui non possit, restituatur integrè quantum valet, cum omni utilitate, quam consecuti sunt ex ipsa re, si cum mala fide pervenerit ad ipsos.*

Ex doctrina S. Raymundi, Ecclesiæque 1137
Nemausensis, videt cordatus Lector 1°. nec furem, nec quemcumque malæ fidei emptorem, deducere posse expensas, laborem, & industriam, quas rei meliorandæ impendit (quidquid plures in contrarium dixerint.) Enimverò qui agrum, seu hortum alterius, absque prævia conventione, coluit, & injecto fimo meliorem reddidit, nihil à domino, tamquam ex justitia debitum, exigere potest. Multò ergo minùs fur: si enim agrum alienum, absque prævia conventione de danda sibi mercede excolens, jure suo decidit; quantò magis fur, qui (præterquàm quòd nullam cum domino de mercede conventionem fecit) ipso invito se injustè gessit ut dominum rei ipsius.

2°. quamvis res apud dominum peritura 1138
fuisset, vel deterior futura, si apud furem incolumis, vel melior evaserit, incolumis, vel melior evasit domino; eique proinde in statu illo meliori restituenda est.

3°. si res apud furem meliorata, apud eun- 1139
dem iterùm ante restitutionem deteriorata fuerit, restituenda est secundùm optimum statum quem habuit tempore injustæ detentionis. Ita etiam Gabriel in 4. dist. 15. q. 2. a. 3. Angelus verbo *furtum* §. 44. Sylvester ibidem q. 6. Tabiena verbo *restitutio* 1. §. *utrùm scienter*. Navarrus c. 17. & 26.

Et ratio est 1°. quia dum fur rem alienam 1140
detinuit tempore illo intermedio, ex tunc obligationem contraxit (ratione injustæ detentionis) eam restituendi, secundùm valorem quem tunc habebat, perinde ac si primò tunc accepisset. Obligatio verò, ratione injustæ detentionis semel contracta, non extinguitur per fortuitum rei interitum, vel deteriorationem subsequentem, sed per solam restitutionem, vel domini condonationem.

2°. si fur tempore illo intermedio rem 1141
primò accepisset, teneretur eam secundùm valorem temporis illius restituere, non obstante fortuito interitu, vel deterioratione subsequente; tam tsi dominus eâ tunc non fuisset usurus: eò quòd res equidem domino tunc tanti valeret, v. g. 20. florenis, & qui injustè accepit rem valentem 20. florenis, non satisfaciat reddendo valorem 10. vel 12. florenorum. Atqui *non multùm interest, quoad forum animæ, injustè detinere, & invadere alienum*, cap. *sæpè* de restit. spoliat. Nam *detinere id quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habet cum acceptione injustâ*, ait S. Thomas q. 66. a. 3. ad 3. Ergo injustus detentor perinde tenetur restituere, secundùm valorem quem tunc habuit, ac si primò tunc accepisset.

3°. si fur intermedio illo tempore rem, 1142

vel donasset, vel consumpsisset, eam restituere deberet secundùm valorem 20. quem tunc habebat, non obstante, &c. (quia nimirùm secundùm illum valorem domini erat) sed obligatio illa extincta non fuit per hoc quòd illam tunc donaverit, vel consumpserit; nec per hoc quòd dominus servaturus erat in præsens. Alias si servaturus fuisset in tempus quo nihil valuisset, vel eam in mare, vel in ignem projecturus fuisset, fur ad nihil teneretur. Quod nullus dicere audet.

1143 4°. aliud insuper absurdum ex opinione contraria sequeretur, videlicet, quòd si fur intermedio illo tempore rem vendidisset viginti florenis, modò non teneretur nisi reddere decem, vel duodecim, si usque modò dominus servaturus fuisset, & modò non valeat nisi decem, vel duodecim. Illud verò absurdum non potest admitti: quia sic fur ex iniquitate sua lucrum reportaret; cùm tamen nemini debeat sua fraus & injustitia patrocinari.

1144 Nec dici potest, furem isto casu solùm debere restituere excessum illum ratione rei acceptæ. Si enim pretium donasset, vel sic consumpsisset, ut inde ditior non evasisset, illud restituere non teneretur ratione rei acceptæ. Solùm ergo teneretur ratione injustæ damnificationis.

1145 Nec solùm eam restituere tenetur secundùm optimum statum, quem apud furem habuit, sed & secundùm optimum statum, quem habitura erat apud dominum, si fur eam ipsi injustè non surripuisset, vel non alienasset, aut consumpsisset. Quia per injustam suam ablationem, vel consumptionem, aut alienationem, meliorationem ipsius apud dominum injustè impedivit. Ergo tenetur ex justitia privationem illius compensare.

1146 Quid si futuræ apud dominum meliorationis incrementum erat incertum? Azorius, Vasquez, & alii existimant, restitutionem equidem faciendam secundùm summum incrementum quod sperabatur apud dominum. Sed hoc non videtur verum: quia incrementum incertum tanti non valet, quanti incrementum certum (cùm ubi est incertitudo illius, æquè accidere queat non incrementum, imo etiam æquè decrementum, quàm incrementum) solùm ergo facienda est restitutio secundùm valorem spei, seu æstimationem incrementi sperati.

1147 Superest ut breviter ostendamus, solida non esse argumenta, propter quæ Vasquez, Bonacina, Molina, Lessius, Layman, & Dicastillo putant malæ fidei possessorem non teneri restituere rem alienam secundùm optimum statum, quando apud ipsum casu periit, & dominus eâ usurus non erat secundùm optimum illum statum, nec juxta summum valorem venditurus, sed in tempus minoris valoris, vel deterioris statûs servaturus.

Arguunt ergo ipsi 1°. possessor malæ fi- 1148
dei, quo tempore res accepit incrementum bonitatis, aut valoris, eam secundùm istud incrementum restituere non tenebatur ratione injustæ damnificationis: cùm dominus ex privatione istius incrementi nullum damnum acceperit. Solùm ergo tenetur ratione rei acceptæ. Atqui obligatus ad restitutionem incrementi, ratione solius rei acceptæ, ad eam non tenetur, postquam incrementum illud cessavit. 2°. solùm damnificavit secundùm illum statum, secundùm quem dominus eâ usurus erat. 3°. si res illa adhuc extaret in se, satis esset ipsam reddere ut est de præsenti.

Respondeo ad 1^um. negando antecedens. 1149
Quia dum illam secundùm illum valorem non restituit, secundùm illum valorem dominum injustè damnificavit, non obstante quòd dominus eâ tunc usurus non fuisset: cùm non usus rei, ejus valorem seu æstimationem non diminuat. Dum ergo valuit 20. domino valuit 20. Tunc ergo non restituendo, dominum damnificavit 20. Unde patet ad 2^um. & 3^um. quia verum non est quod in utroque assumitur. Dum enim res apud malæ fidei possessorem meliorata fuit, vel secundùm se, vel secundùm valorem suum domino meliorata fuit, ipsique debita secundùm illam meliorationem & valorem: tunc ergo non restituendo, sed tempore quo deterior facta est, non compensatur omne damnum illatum; uti nec ipsam deteriorem factam, secundùm se restituendo; sed necesse est aliquid superaddere, quo compensetur incrementum bonitatis, aut valoris.

CAPUT CXVIII.

Res quæ casu periit apud furem, similiter certò peritura apud dominum, ipsi restituenda est.

FUr, exempli gratiâ, equum alienum eri- 1150
puit ex incendio, aliàs igne periturum, sibique retinuit, & ad se deductum per simile incendium amisit, teneturne eum restituere? Teneretur haud dubiè, si per injuriam tertii periturus fuisset apud dominum. Si enim tertius ille, per injuriam eum surripiendo, obligatus fuisset: ergo tu priùs injuriam faciendo, priùs obligationem contraxisti: siquidem ipsum in injuria præveniendo, in restituendi obligatione prævenisti.

At si sermo sit de re certò apud do- 1151
minum peritura, non per injuriam tertii, sed casu fortuito, vel naturali interitu, furem, apud quem simili casu periit, non teneri eam restituere, docent Vasquez, Bonacina, Lessius, Sylvius, Amicus, Meratius, Dicastillo, & alii, idipsum aientes, etiamsi apud furem periisset ex negligentia, vel malitia ipsius, modò inde ditior non evasisset.

Sed imprimis furem teneri restituere 1152
rem, quæ apud ipsum periit ex culpabili ne-

negligentia, vel malitia ipsius, licèt apud dominum fortuitò alioqui peritura, docent (præter Authores n. 1156. referendos) Petrus Navarra lib. 4. c. 1. n. 17. Layman lib. 3. tr. 2. c. 4. n. 2. Castro-Palao disp. un. punct. 24. Fagundez lib. 7. in Decal. c. 17. &c. Primò, quia quisquis voluntariè est causa efficax interitûs rei alienæ, invito domino, tenetur eam, seu valorem ipsius restituere, ratione injustæ damnificationis, tametsi damnum illud aliâ viâ dominus subiturus fuisset: hoc enim non obstante, ipse voluntariè est causa efficax damni: facit enim quòd damnum, aliàs fortuito casu apud dominum eventurum, per culpam suam & injustitiam apud se eveniat.

1153 Secundò, sicut omnis ille est causa efficax rei absolutè, per cujus actionem res absolutè ponitur in esse (sive aliàs per actionem alterius causæ ponenda in esse; sive non;) sic omnis ille est causa efficax interitûs rei absolutè, per cujus actionem res absolutè esse desinit, sive aliàs per actionem alterius causæ desitura, sive non. Siquidem esse causam rei efficacem absolutè, non est esse id sine quo res non haberet esse (cùm ejusdem rei plures esse possint causæ efficaces, saltem successivè;) sed est esse id, per quod res efficaciter habet esse. Fur ergo non desinit esse causa efficax damni, ex hoc quòd damnum equidem per aliam causam haberet esse; sed eo ipso talis causa est, quo damnum per injustam actionem ipsius habet esse, sive efficaciter sequitur ex via actionis ipsius, licèt aliàs adhuc secuturum. Ad cujus confirmationem faciunt ea quæ num. 1159. dicturi sumus.

1154 Tertiò, tam certum est quòd fur efficaciter damnificaverit dominum, rem ipsius (fortuito incendio alioqui apud dominum perituram) malitioso incendio consumendo, quàm rem domini, aliàs apud dominum furtivè surripiendam, furtivè ipse surripiendo: certum est enim in utroque casu graviter peccasse contra justitiam, peccato injustæ damnificationis; certum proinde, quòd utroque casu restituendi contraxerit obligationem, à qua non liberatur per hoc quòd res equidem apud dominum surripienda, vel fortuitò peritura fuisset: id enim meræ per accidens est; nec à restitutione magis excusatur per hoc quòd res equidem apud dominum peritura, vel inutilis futura fuisset, quàm à peccato furti: alioquin excusandi forent famuli & famulæ, in magnis familiis aliqua notabilia surripientes, eo prætextu quòd ea dominis usui futura non essent, vel corrumperentur. Quod dici non potest.

1155 Quartò, depositarius restituere tenetur rem, quæ apud ipsum periit ex lata culpa ipsius. S. Thomas q. 62. a. 6. Theologique, Canonistæ, & Juristæ omnes. Et habetur L. *depositum* §. *quod autem* ff. depositi. Ergo à fortiori fur. Quemadmodùm enim depositarius rem depositam custodire tenetur ex contractu; ita fur ex delicto; ratione cujus periculum rei furtim sublatæ (secundùm omnes Theologos, & utriusque juris Peritos) ad ipsum pertinet, non minùs, imò magis quàm periculum rei depositæ ad depositarium: cùm non solùm teneatur de culpa, verùm etiam de casu fortuito; eò quòd utique fur, sicut & quivis alius malæ fidei possessor, semper sit in mora restituendi, quamdiù non restituit. Quisquis verò est in mora restituendi, tenetur de casu etiam fortuito cap. *decimæ* ib. q. 1. & L. 18. ff. commodati.

Ex his facile est conjicere, verum esse 1156
quod docent Paludanus in 4. dist. 15. q. 2. a. 1. Covarruvias in reg. *peccatum* p. 2. §. 6. in fine, & (ipso teste) Juristæ omnes, furem teneri etiam ad restituendum rem furto sublatam, quæ apud se casu fortuito periit, simili casu peritura apud dominum. Dixi, Juristæ omnes: de iis enim loquens Covarruvias loco citato: *Frequenti* (inquit) *omnium consensu receptum est, occupantem rem alienam malâ fide, per crimen & delictum, teneri omninò ad restitutionem, & æstimationem, re peremptâ apud ipsum, eodem penitùs modo, quo & apud dominum foret peritura.*

Et probatur 1°. quia hoc ipso quo fur 1157
rem injustè surripuit ac detinuit, ratione injustæ damnificationis contraxit obligationem restituendi; quam non extinguit fortuitus eventus subsequens, uti probavimus cap. præcedenti.

2°. fur de casu fortuito tenetur, uti vi- 1158
dimus n. 1155. tenetur (inquam) eo etiam casu quo res simili casu peritura erat apud dominum, uti patet à simili ex dictis laudato capite præcedenti, ubi probavimus, eum qui injustè sustulit ac detinuit rem valentem 20. quæ paulò post decrevit usque ad 10. vel 12. non satisfacere reddendo 19. vel 12. etiamsi decrementum istud simili modo contigisset apud dominum. Quemadmodùm ergo fur non solùm tenetur restituere melioramentum, seu valorem quem dominus ex re sua percepturus fuisset, sed absolutè melioramentum omne quod sua res habuit apud injustum detentorem; sic non solùm restituere tenetur damnum, quod dominus ex re sua subiturus non fuisset, sed & absolutè omne damnum quod ipsi accidit ex iniqua mora restituendi domino rem suam: utpote quam injustè detinuit, omni instanti quo detinuit.

3°. hoc ipso fur ex justitia tenetur repara- 1159
re damnum injustè alteri illatum, quo illud efficaciter intulit. Non enim dimittitur peccatum, nisi reparetur damnum cum injuria efficaciter illatum. Atqui cum injuria damnum efficaciter intulit, hoc ipso quo dominum rationabiliter invitum eâ spoliavit, nec restituit; sive dominus aliunde re illâ equidem spoliandus, ipsiusque proinde damnum

subiturus fuisset, sive non. Quòd enim dominus cras v. g. vel post horam aliunde spoliandus fuisset re illâ, damnumque illius subiturus, non facit quòd fur (aliam causam præveniens) illud ei efficaciter non inferat; sed solùm facit quòd damnum cras, vel post horam imputandum alteri causæ, v. g. igni, vel naufragio, hodie, vel ante horam imputetur furi: quemadmodùm quòd Titius hodie occidatur à Cajo, alioqui cras, vel post horam occidendus à fera, non facit quòd Cajus hodie non sit verus homicida, sive efficax damnificator in vita; sed solùm facit quòd occisio illa hodie imputetur Cajo, cras alioqui feræ imputanda. Sic etiam quòd virgo, cras amissura virginitatem casu fortuito, vel necessariâ medici curatione (de qua videri potest Ventilabrum Medico-Theologicum Michaëlis Boudewinsii p. 1. q. 21.) non facit quòd eam hodie constuprans ipsi efficaciter non inferat damnum virginitatis; sed quòd damnum istud, cras alteri causæ imputandum, hodie imputetur constupranti. Denique sicut quòd Petrus cras damnum passurus erat injuriâ Pauli, non facit quòd hodie damnum illud verè non patiatur à Joanne, Paulum in furto præveniente; sed solùm quòd damnum illud hodie imputetur Joanni, cras alioqui imputandum Paulo. Sic quòd dominus cras rei suæ damnum passurus erat ab igne, vel naufragio, non facit quòd illud hodie verè non patiatur à fure, ignem in damno præveniente, &c. Aliàs restituere non teneretur, qui ex igne, vel naufragio rem alienam eripuisset, & in usus suos consumpsisset, alias non erepturus, sed in igne, vel naufragio perituram relicturus.

1160 4°. probatur ex absurdis, quæ ex opposita sententia consequuntur. Sequitur enim 1°. quòd fur hodie furatus totam supellectilem Titii, quam alioqui contigisset sequenti die cum tota domo ipsius incendio perituram, non teneri ad restitutionem. Quod meritò reputatur absurdum. Quamvis enim cras cum tota domo Titii periisset, fur equidem hodie eam injustè surripuit, & surripiendo damnum intulit; quod moraliter pro nullo non potest reputari, quoad esse etiam nocumenti, saltem ubi communiter ignorabatur futurus ille eventus: tunc enim res illa hodie moraliter non est nullius pretii. Aliàs qui hodie emisset equum, cras apud se incendio pereuntem, æquè incendio periturum apud venditorem (eò quòd v. g. contigerit domum utriusque, & omnia in eis existentia sequenti incendio consumi) non teneretur solvere. Non enim solvere tenetur, qui rem emit nullius pretii.

1161 Sequitur 2°. à restitutione excusari eos, qui in navi res alienas surripiunt animo furtivo, & statim consumunt, v. g. vinum, frumentum, &c. si postero die improvisa tempestas navem, salvis solis hominibus, submerserit: quia res illæ equidem dominis suis erant postero die perituræ. Hoc autem pariter est absurdum: quia fur ex facto injusto præstare tenetur casum fortuitum, ut suprà ex legibus dictum est. Unde Judices in tali casu, ex legum præscripto, furem illum damnare solent ad reddendam æstimationem rei furtivæ, quamlibet alleget exceptionem fortuiti illius casûs, quo res certò peritura erat apud dominum.

CAPUT CXIX.

Satisfit objectionibus.

OBjicies 1°. justitiæ æqualitas solùm 1162
postulat compensari damnum effectivè illatum, quod dominus alioqui passurus non erat.

Respondeo id absurdè, & irrationabiliter dici, uti probant argumenta nostra.

Objicies 2°. injusta acceptio ad restitu- 1163
tionem non obligat, nisi ratione damni cum injuria efficaciter illati (cùm injuria, absque damno, secundùm communem sententiam, non obliget ad restitutionem.) Sed fur in casu, de quo agimus, efficaciter non infert damnum. Siquidem damnum efficaciter non infert, nisi qui dominum damnificat in eo, quod plus habiturus fuisset, si suam ipsi rem reliquisset.

Respondeo negando minorem, sicut & illud quod assumptum est in probationem illius. Quia oppositum solidè probavimus.

Objicies 3°. qui injustè consumit, vel de- 1164
struit rem alienam, apud dominum proximè certò perituram, non est causa interitûs rei absolutè, sed interitûs apud se dumtaxat.

Nego antecedens. Ob ea quæ dixi n. 1153.

Objicies 4°. homicida non tenetur hæ- 1165
redibus defuncti restituere sumptus & expensas funeris: quia ea in parte damnum ipsis non intulit, quod aliàs ipsis non contigisset. Ergo nec alia damna, &c.

Nego consequentiam: quòd enim homicida non teneatur ad expensas funeris, non est præcisè ob rationem objectam; sed quia illæ non tam sequuntur ex vi occisionis ipsius, quàm ex libera voluntate hæredum, eas facientium ad defuncti honorem & solatium.

Objicies 5°. res jamjam peritura mora- 1166
liter nullius est valoris: ergo fur illam surripiens, & consumens, moraliter non damnificat, ut si comburat segetes, quas certò scit alluvione proximâ subvertendas. Exemplum aliud suggerit Lessius, in occidente hominem, quem certò scit paulò post moriturum. Medina autem, in consumente res divitis, sciens apud ipsum proximè corrumpendas.

Respondeo negando antecedens, quando communiter ignoratur proximus rei interi-

tus: tunc enim tanti valet de præsenti, quanti valeret, si proximè interitura non esset, uti probavimus agendo de venditione. Unde quemadmodùm emptor ex contractu solvere debet pretium illius sibi de præsenti venditæ; ita fur ex delicto valorem illius restituere debet. Neque enim furis obligatio magis extinguitur per rei interitum proximè subsequentem, quàm obligatio emptoris. Accedit, quòd si res proximè peritura nullius modò esset valoris, moraliter loquendo, illicitum non esset, multò minùs mortale, furtum illius. Quomodò enim mortale furtum rei nullius moraliter valoris?

1167 Objicies 6°. saltem milites, spoliantes domos & villas, ab hostibus alioqui diripiendas, ad restitutionem non tenentur.

Respondeo teneri, si privatâ spolient authoritate, nisi dominus rationabiliter præsumatur consentire, ut non hostes præ hostibus habeant. Sed hoc semper præsumi non potest: cur enim potiùs quàm ut proximus habeat præ igne alioquin consumpturò?

CAPUT CXX.

Sicut ex injusta rei alienæ acceptione, vel detentione; sic ex injusta boni alteri obventuri impeditione restituendi provenit obligatio.

1168 Assertio est certa, si proximus impediatur à consecutione boni sibi debiti ex justitia commutativa, quamvis à consecutione illius solis precibus, aut consilio, absque vi, fraude, & falsa informatione impediretur. Quia solis precibus, vel consiliis impediens, equidem foret ipsi causa injusta damni: nam, uti S. Thomas q. 62. a. 2 ad 4. ait, perinde facit, ipsum impediendo à consecutione talis boni, ac si jam habitum ei auferret.

1169 Similiter assertio est certa, si proximus vi, fraude, vel dolo, seu calumniis, & falsis informationibus impediatur à consecutione boni, ipsi quidem ex justitia non debiti, ad quod tamen consequendum erat idoneus, & spem habebat probabilem illud consequendi. Quia licèt non haberet jus ad ejusmodi bonum, habebat tamen jus, ne vi, fraude, vel dolo, seu falsâ informatione impediretur ab illius consecutione.

1170 Sed quid de eo qui sine vi, fraude, dolo, &c. sed solis precibus, & consiliis, ex odio, seu animo ipsi nocendi, impedit alterum à consecutione boni (v. g. beneficii, vel præbendæ, vel legati, &c.) ad quod jus non habet? Talem ad restitutionem teneri putat noster Andræas à Matre Dei tr. 13. de restit. c. 1. n. 103. quia putat pravum illum animum, conjunctum cum externa illa impeditione, ex se non injusta, eam reddere injustam. Sed non probat pravum illum animum nocendi, per medium justitiæ non contrarium, sed contrarium soli charitati, vel alteri virtuti, esse injustum. Nec revera magis est talis, quàm odium ipsum proximi præcisè, quod charitati contrariatur, non justitiæ. Et ideò verius videtur, talem ad restitutionem non teneri. Et ita docent Navarrus cap. 17. Vasquez tr. de benef. c. 2. §. 3. n. 120. Lessius, Bonacina, Villalobos, & alii communiter.

Difficultas est quidem propter sequentia 1171
verba S. Thomæ q. 62. a. 2. ad 4. *Dicendum quòd aliquis potest impedire aliquem, ne habeat præbendam, multipliciter. Uno modo juste, puta si intendens honorem Dei, vel utilitatem Ecclesiæ, procuret quòd detur alicui personæ digniori; & tunc nullo modo tenetur ad restitutionem. . . . Alio modo injustè, puta si intendat ejus nocumentum quem impedit, propter odium, vel vindictam, aut aliquid hujusmodi. Et tunc si impedit, ne præbenda detur digno, consulens quòd non detur, antequam sit firmatum* (id est firmiter decretum) *quòd ei detur . . . . . non tenetur ad æquale: quia illud nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si verò jam firmatum sit, quòd alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam causam procuret quòd revocetur, idem est ac si rem habitam ei auferret; & ideò tenetur ad restitutionem æqualis.* Sed (ut videre est apud Sotum, & Sylvium hic) non vult S. Doctor, quòd contra justitiam egerit, precibus, vel consiliis, non autem fraudibus, calumniis, vel aliis injustis mediis, avertendo Collatorem præbendæ, v. g. ab ea conferenda homini, qui ad eam nondum acquisivit jus in re, nec ad rem, & cui proinde Collator eam ex justitia non debebat, quamvis ex odio fortè ipsum averterit. Siquidem hoc non est avertere injustè, sive illicitè contra justitiam. Solùm ergo vult, ad restitutionem teneri eum, qui ex odio, vel animo vindictæ, impedit alterum injustè, sive per medium externè injustum, à consecutione præbendæ, vel impedit ipsum à consecutione præbendæ, ad quam jus acquisivit per firmatum decretum, quo præbenda ipsi collata est. Loquitur enim de impediente injustè.

Nec refert quòd sanctus Doctor hoc 1172
quod est impedire injustè, explicet his verbis: *puta, si intendat ejus nocumentum propter odium, vel vindictam.* Cùm enim certum sit, odium proximi, juxta sanctum Doctorem, per se non opponi justitiæ, sed charitati; non vult eo ipso præcisè proximum injustè impediri à consecutione præbendæ, quo impeditur ex odio; sed ideò sic loquitur: quia odium ordinariè, sive utplurimùm est causa movens ad impediendum injustè, sive ad impediendum vel bonum ex justitia debitum, vel ad impediendum per media externè injusta bonum ex justitia non debitum.

Ex dictis collige 1°. eum ad restitutio- 1173
nem non teneri, qui sine vi, fraude, calumniis, &c. author fuit Titio, ut testamentum,

quo Cajum hæredem instituerat, revocaret, vel legatum (quod ipsi legarat) alteri legaret, &c. Quia hæredes, & legatarii jus non habent ad successionem, quamdiù testamentum non est morte confirmatum: cùm testator liberam usque tunc habeat revocandi testamenti sui potestatem. Si verò fraude, dolo, calumniis, &c. ipsum ad id induxerit, restitutionis lege tenetur; sicut & si volentem condere testamentum, vel codicillum in favorem Caji, per vim, vel fraudem impedierit, impediendo accessum Notarii & testium v. g. Quia justitiam violavit.

1174 Collige 2°. restitutionis lege teneri eum, qui litteras secretas alterius aperiens, ex earumque lectura deprehendens prætensionem ipsius ad aliquod officium, vel beneficium, eas detinet, ut ipse præveniat. Imò quamvis litteras (iterùm clausas) æquè citò deferri curaret, ac si non aperuisset; si tamen interim potentiorum amicorum interventu beneficium obtinuerit, restituere tenetur Cajo: utpote cui, litteras ipsius aperiendo, earumque secreto utendo, causa fuit injusta damni, ut rectè Lugo disp. 18. n. 104. contra Dianam p. 3. tract. 6. miscell. resol. 32.

1175 Nec refert quòd illa injuriosa apertio non sit nisi causa remota damni. Quia dum causæ damni proximæ & intermediæ ex causa remota proficiscuntur, tamquam à primo movente, per cujus applicationem ipsæ moventur & operantur; damnum reparare non solùm tenetur qui proximè impedit, sed & qui remotè: eò quòd causa remota tunc sit vera causa damni, uti patet in consulente, qui Titium induxit ad occidendum Cajum. Enimverò Cajus habet jus, ne per fraudem, proximè, vel remotè impediatur à consecutione boni, sibi aliàs obventuri. Unde dum duo, vel plures pro aliquo officio vel beneficio concurrunt, ad restitutionem non solùm tenetur qui corrivalem suum, idoneum, ab illius consecutione per calumniam proximè impedivit; sed & qui per laserationem schedulæ, ad publicandum concursum valvis affixæ, causâ injusta fuit, quòd ipsi dies examinis & concursûs non innotuerit.

1176 Collige 3°. eum qui prece, vel consilio, absque vi, & dolo, impedit adimpletionem promissionis alteri factæ & acceptatæ, teneri restituere: quia injustè impedivit habentem jus ad rem. Idem dic de eo, qui mendaciter dicendo, Titium non esse pauperem, Cajum impedivit à danda ipsi eleëmosyna. Quia Titio causa injusta fuit istius damni, seu jacturæ eleëmosynæ; ad quam licèt absolutè non haberet jus, habebat tamen jus, ne calumniâ, vel mendaci informatione, ab ea percipienda impediretur.

1177 Collige 4°. eum non teneri restituere, qui absque vi, fraude, calumnia, seu alio medio injusto, proximum impedit à consecutione boni, sibi debiti ex sola justitia distributiva, apud publicorum officiorum, vel beneficiorum distributorem intercedendo, ne officium, vel beneficium huic, quamvis digniori, det in circumstantiis, in quibus ei solùm dare tenetur ex justitia distributiva. Cùm enim distributor, ipsum prætermittendo, supponatur ad restitutionem non teneri, sequitur nec eum teneri, qui sine medio injusto, ad id distributorem induxit. Cæterùm ubi, & quando distributor ex justitia commutativa tenetur digniori dare, sicut ipsum prætereundo ad restitutionem tenetur; ita & ille qui iniquæ distributionis ipsius cooperator fuit consilio suo, vel inductione. Ad cujus uberiorem explanationem sit

CAPUT CXXI.

Bonorum publicorum distributor non tenetur ad restitutionem, quando ea distribuit contra justitiam distributivam præcisè; sæpè tamen tenetur, quatenùs simul violavit justitiam commutativam, cum distributiva concurrentem.

ITa S. Thomas q. 62. a. 1. ad 3. hisce 1178
verbis: *Recompensatio, quam facit distribuens ei cui dedit minùs quàm debuit, fit per comparationem rei ad rem, ut quantò minùs habuit, quàm debuit, tantò plus ei detur. Et ideò jam pertinet ad justitiam commutativam.*

Ad cujus evidentiam notandum 1°. quòd 1179
quamvis justitia distributiva, & commutativa differant, sæpissimè tamen concurrunt. Exemplificat Sylvius in eo, qui ex officio distribuit ærarium publicum, aliaque ejusmodi bona, principaliter ordinata in bonum eorum, quibus facienda est distributio. Si is qui ex officio distribuere debet, iis qui plus habere debebant, distribuerit minùs, tenetur eis restituere. Non quia in ea distributione justitiam violavit distributivam, sed quia violavit commutativam. Tametsi enim communia essent bona, quæ debebat distribuere, postquam tamen, vel ex lege, vel ex consuetudine, vel ex pacto, vel ex voluntate Superioris, talia bona distribuenda erant, v. g. unicuique militum, vel civium, proportionatè ad merita, servitia, vel indigentiam singulorum, saltem hoc sensu transierant in privata, quòd ex ipsis singuli respectu ad illa jam habebant jus ad rem, proportionatè ad sua merita, servitia, indigentiam, &c. Et hâc ratione iniquus distributor non solùm violavit commune debitum, sed & privatum, in quo attenditur æqualitas rei ad rem; per consequens violavit justitiam commutativam, ut optimè docet S. Thomas.

Notandum tamen 2°. bona publica, quæ 1180
sunt objectum justitiæ distributivæ, esse duplicis generis. Nam alia principaliter, & per se primò destinata sunt in commune bo-

num ipsius Communitatis, seu Ecclesiæ, vel Reipublicæ, ut officia publica, & ecclesiastica beneficia. Alia principaliter, & per se primò in bonum, & utilitatem singulorum de Communitate, ut proventus aliquarum Civitatum, vel Communitatum, ad hoc legati, ut singulis incolis distribuantur proportionaliter ad indigentiam, merita, vel dignitates singulorum; vel ingens pecuniæ summa à Principe in præmium consignata militibus, qui in bello se benè gesserunt, singulis distribuenda proportionatè ad merita uniuscujusque. Et idem est de spoliis hostium, quæ belli Dux dividi jussit inter milites, pro singulorum meritis ac dignitate.

1181 Distributor bonorum secundi generis peccat contra justitiam commutativam, si ea non distribuat proportionatè ad cujusque merita, dignitatem, &c. teneturque restituere iis quos defraudavit, juxta S. Thomam in eo communiter receptum. Distributor verò bonorum primi generis regulariter restituere non tenetur iis quorum majora merita præterivit, v. g. dignioribus, ut benè Navarrus, Sotus, Sylvius, & optimè Gutierrez lib. 2. canon. qq. c. 11. n. 47. contra Bannez, Salonium, & alios: quamvis restituere teneatur Communitati, seu Ecclesiæ, vel Reipublicæ damna ipsi exinde secuta, quæ ex justitia commutativa avertere tenebatur, ex quo distributio ipsi ex officio commissa fuerat.

1182 Quòd autem distributor bonorum primi generis restituere non teneatur iis quorum majora merita præterivit, ratio est, quia publica illa officia, vel beneficia eo ipso ipsis debita non erant ex justitia commutativa, quò majora erant ipsorum merita; sed ex justitia distributiva dumtaxat, ex cujus solius violatione, restitutionis non provenit obligatio, uti ex S. Thoma vidimus. Jam quòd publica illa officia eo ipso ex justitia commutativa debita non essent habentibus majora merita, seu dignioribus, dupliciter ostenditur, tum quia nec ipsis debita erant tamquam propria bona ipsorum, neque tamquam præmia ipsis onerosè promissa, sed solùm tamquam bona communia, non in privatam ipsorum utilitatem, sed in commune bonum principaliter, & per se primò ordinata, uti docet S. Thomas q. 63. a. 2. & q. 185. a. 3. Injustitia verò commutativa est quâ *redditur unicuique res propria secundùm equalitatem rei reddita ad rem debitam in commutationibus*, ait idem S. Doctor q. 61. a. 3. Tum quia aliàs sequeretur, minùs dignum, digno tamen, cui collatum est officium, vel beneficium, digniori prætermisso, statim atque id resciret, debere illud dimittere (utpote acceptum contra justitiam commutativam) Episcopum quoque, seu alium Collatorem, debere illud in digniorem transferre, statim atque cognosceret se fuisse deceptum. At istud est contra communem sensum, & praxim, etiam timoratorum, & contra cap. *cùm nobis olim*, & cap. *cùm dilectus* de elect. ubi ratæ habentur dignorum electiones. Et meritò: quia magna alioqui Ecclesiarum sequeretur perturbatio, & infinitis litibus aperta foret janua.

Dixi, *regulariter non teneri restituere dignioribus*, &c. Quia probatissimi Authores (quos inter Navarrus c. 17. n. 74. Malderus tr. 9. c. 2. dub. 8.) docent hoc non procedere, dum vel ex consuetudine, vel ex statuto Ecclesiæ, beneficia conferenda sunt per examinis antecedentis oppositionem, sive per concursum. Tunc enim Collator peccat contra justitiam commutativam, si beneficia non conferat iis qui in examine inventi sunt notabiliter digniores, ipsisque strictam facit injuriam: quippe quibus ex lege, & onerosa Ecclesiæ promissione, saltem tacita, acquisitum est jus in beneficium. Ipsis proinde tenetur ad restitutionem. 1183 1183

CAPUT CXXII.

Qui seductoriâ deceptione proximum damnificavit in bonis spiritualibus, ipsum pertrahendo in peccatum, tenetur ad restitutionem, quantùm ipsi possibile est.

ITa veteres passim Doctores, Scotus in 4. dist. 15. q. 3. Richardus, Paludanus, Gabriel, Gerson, Adrianus, Major; Angelus apud Mastrium disp. 8. de restit. n. 5. 1184

Et probatur 1°. ex can. *deteriores* 6. q. 1. dicente: *Deteriores sunt, qui vitam, moresque bonorum corrumpunt, his qui substantias aliorum, prædiaque diripiunt*: quia scilicet damnificant in bonis longè superioris ordinis, & injustè damnificant, dum seducendo, & decipiendo damnificant; sicut injustè virginem defforat, qui seducendo, & decipiendo ipsam in suæ defforationis consensum inducit. Quemadmodùm ergo iste peccat contra justitiam commutativam, teneturque ad eam quam potest restitutionem, juxta illud Exodi 22. *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem*; sic ille contra justitiam commutativam peccat, teneturque modo sibi possibili damna illa compensare, procurando salutem ejus, inducendo seductum ad pœnitentiam, errorem ipsi auferendo, salutaribusque monitis, & instructionibus ad veritatem, & bonum statum reducendo.

2°. probatur ex doctrina Sanctorum: siquidem S. Bernardinus Senensis serm. 19. c. 1. a. 1. *Cùm secundùm Augustinum* (inquit) *lib. 1. Retract. c. 9. virtutum bona maxima sint, plus damnificat, qui in istis damnificat, quàm in quibuscumque aliis, & per consequens plus secundùm justitiam obligatur ad restituendum proximo animæ bonum, quantùm sibi possibile est.* Similiter S. Antoninus 2. p. tit. .... c. 2. §. 1. *Qui inducit alium ad malum, suaden-* 1185

do, consulendo, præcipiendo quod est mortale, est occasio perditionis illius: quia per hæc auferuntur ei gratia, & virtutes ab anima. Unde Augustinus: Si fratri tuo mala persuades, occidisti scilicet illum quoad animam, can. noli de pœnit. dist. 1. Et talis damnificans, secundum Scotum in 4. sent. tenetur restituere damnum modo sibi possibili, scilicet inducendo eum efficaciter ad pœnitentiam, & ad actus virtuosos; & si sola inductio per verba non sufficit (quia facilius est pervertere, quam convertere) tenetur quantum potest per orationes suas, & ab aliis procuratas, & per aliorum suasiones efficaces, dum tamen non prodat illis peccatum occultum prædicti.

1186 Ecce S. Antoninus etiam illum qui solo consilio, suasione, vel præcepto, absque fraude, & dolo, seu deceptione induxit ad peccatum mortale, juxta Scotum, obligat ad restitutionem. Quod & faciunt Authores omnes n. 1184. laudati, & saltem verum est de inducente ad peccatum justitiæ oppositum. Solo quippe consilio, vel precibus inducere ad peccatum solùm oppositum castitati v. g. non videtur esse contra justitiam commutativam, sed contra castitatem dumtaxat, seu contra virtutem cui opponitur peccatum, ad quod inducit, nisi 1811 consilio, precibus, & suasioni dolum addat, seu seductionem & deceptionem, uti docent Sylvester, uterque Soto, Navarrus, Bonacina, Lessius, Valentia, Azorius, Card. de Lugo, & communiter Recentiores; consequenter aientes, eum qui sine vi, dolo, & deceptione, solis suasionibus proximum induxit in mortale peccatum justitiæ non oppositum, ex justitia non teneri movere ipsum ad pœnitentiam, sed benè ex charitate. Eò quòd sola violatio justitiæ stricta inferat obligationem restitutionis. Et ideò reg. 62. juris in 6. dicit, quòd *nullus ex consilio, dummodò fraudulentum non fuerit, obligatur.* Quod & dicitur L. 2. §. fin. ff. *mandati*, & §. *mandatum* Instit. de mandat. juncta L. *quòd si cùm scires* 8. ff. de dolo malo, ibi: *Quòd si cùm scires Titium facultatibus labi, tuis lucris gratiâ, affirmasti mihi idoneum esse, meritò adversum te dolo judicium dabitur.* Unde qui sine dolo, & deceptione suasit alteri, ut dissiparet bona sua, non tenetur ad restitutionem.

1187 Collige 1°. Hæresiarcham ex justitia teneri ad revocandos errores, quibus seduxit populum. 2°. eum qui induxit alterum ad 1811 faciendum contractum usurarium, ipsi persuadendo quòd usurarius non esset, ex justitia teneri ipsum liberare ab errore, in quem ipsum perduxit, ipsum seducendo. 3°. eum qui falsis relationibus seminavit inter aliquos discordias, similiter ex justitia teneri causam carum tollere, monendo ipsos falsum esse quod dixit. 4°. eum qui falsam tradidit doctrinam contra fidem, vel bonos mores, ex justitia teneri ad eam retractandam, ad sic reparandum spirituale damnum à se causatum, si revera secutum esse cognoverit. Quia illius est causa injusta, nisi retractet. 5°. eum qui solo exemplo malo, absque ulla deceptione, alterum induxit in peccatum, ex stricta justitia non teneri ad istius damni reparationem, benè ex charitate, conformiter Tridentino sess. 24. de reform. c. 8. ubi sic: *Quando ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportere,* UT QUOS EXEMPLO SUO AD MALOS MORES PROVOCAVIT, SUÆ EMENDATIONIS TESTIMONIO AD RECTAM REVOCET VITAM.

Siquis objiciat 1°. eum qui docet errores contra fidem, vel bonos mores, plerùmque id facere ex ignorantia invincibili; ideòque ad retractationem non teneri. 2°. eum qui seductione inducit aliquem in peccatum, non esse ipsi causam sufficientem damni spiritualis: quia, ut S. Thomas ait 1. 2. q. 73. a. 8. ad 3. *spiritualis mortis nullus potest esse alteri causa sufficiens: quia nullus spiritualiter moritur, nisi propriâ voluntate peccando.* 1187

Ad 1um. respondeo ignorantiam invincibilem in ejusmodi tam frequentem non esse, quàm aliqui putant, propter voluntaria quæ in ipsis sunt impedimenta cognoscendæ veritatis, prout to. 1. ostendimus agendo de peccatis ignorantiæ. Cæterùm supposito quòd aliquis ex ignorantia invincibili errores docuerit contra fidem, & bonos mores, saltem tenetur ad eos retractandos coram iis quos decepit, quamprimùm cognoverit errores esse; aliàs ex tunc spirituale damnum, ipsis à se causatum, esset ipsi voluntarium, atque ex tunc conferetur causa injuriosa illius, manente moraliter actione per quam damnificavit. Unde videant in quàm periculoso statu sint, qui fraudulentis artificiis suis, calumniis, & informationibus à veritate alienis, Principes & Magnates decipiendo, saniorem & verè christianam de fide & moribus doctrinam tradentes, eique oppositam repudiantes, è Cathedris, & Universitatibus ejici curant, ut in iis (nemine contradicente) tradantur opiniones novæ, christianæque disciplinæ relaxativæ, atque alienæ omninò ab evangelica simplicitate, & sanctorum Patrum doctrina, quam dum pro recta morum regula fideles in praxi sequuntur, ingens irrepit vitæ christianæ corruptela. Videant (inquam) tales, quam rationem reddituri sint de injustitia sua magna (quam nunquam reparant) deque tot animarum strage, quam hoc pacto causant per mundum universum.

Ad 2um. respondeo neminem quidem esse 1189 posse alteri causam sufficientem mortis spiritualis, absque consensu ipsius: quia nullus spiritualiter moritur, nisi propriâ voluntate; posse tamen esse veram causam moralem mor-

mortis spiritualis plurimorum, ipsos seducendo, in errorem mittendo, suadendo ut consentiant, &c. ut patet in Hæresiarchis, discordiarum authoribus, virgines seducentibus, mandantibus, vel consulentibus homicidia, &c.

CAPUT CXXIII.

Qui vi, fraude, vel seductione Novitium abduxit è Religione, in qua profiteri meditabatur, ex justitia non tenetur loco ipsius eam ingredi; tenetur tamen ipsi Novitio pro posse compensare spirituale damnum, sicut & Religioni damnum temporale inde secutum, pro valore spei quâ temporale commodum ex ipsius donatione, vel industria expectabat.

1190 ITa Scotus citatâ q. 3. in solutione ad 3. Rebellius l. 4. q. ult. Malderus tr. 8. dub. 3. Wiggers tr. 4. c. 3. dub. 4. n. 12. Mastrius disp. 8. q. 1. a. 2. Franciscus Genetus Th. Mor. to. 6. tr. 8. c. 5. Quia suâ seductione Novitium injustè damnificavit in spiritualibus, & Religionem in dictis temporalibus. Quemadmodùm ergo qui vi, vel fraude Titium impedivit, ne per testamentum Caji hæres vel legatarius institueretur, ipsi restituere tenetur pro valore spei, quâ hæreditatem vel legatum expectabat; ita similiter, &c. Et ratio à priori est, quia Religio, & homo quilibet à natura jus habet, ne vi, vel fraude damnificetur, vel bono aliquo spirituali vel temporali privetur.

1191 Quòd tamen ex justitia non teneatur loco ipsius Religionem ingredi, nec alium loco ipsius substituere (ut putat Paludanus, fecisseque dicitur Raymundus, Generalis Prædicat.) ratio est, quia status Religionis, utpote status perfectionis, qui solis liberis actionibus acquiritur, omninò liberè debet acceptari, nec par est ad eum ex delicto cogi; sed æquum est, ut voluntate spontaneâ quisque illi se tradat, juxta illud: *Voluntariè sacrificabo tibi*, Psal. 53. Quod ad præsens intentum citat Nicolaus Papa can. *præsens* 20. q. 3.

1192 Siquis verò Novitium, absque vi & fraude, solo consilio retraxisset è Religione, vel juvenem, meditantem ingressum in Religionem, ab ingressu, suis suasionibus, absque ulla fraude & violentia revocasset, absque rationabili causa non teneretur aliquid restituere. Quia nihil contra justitiam fecisset. Imò laudabiliter fecisset, si justa & rationabili de causa id fecisset, v. g. eò quòd Religioni ineptus esset, vel ibi non esset regularis disciplina, vel ibi invidia, & mundana vigeret politia, ambitio, &c. Quo casu veræ charitatis actum esse plerique censent, ab ingressu talis Religionis juvenem revocare. Siquis ergo averteret aliquem à Religionis ingressu, non simpliciter, sed ab ea ubi dissolutè vivitur, intendens providere saluti illius, in nullo tenetur, inquit S. Antoninus p. 2. tit. 2. c. 2. §. .... Plura hac de re videri possunt apud Sotum lib. 4. de justit. q. 6. a. 3. & Sylvium to. 3. n. 22. q. 62. a. 2. q. 2.

CAPUT CXXIV.

Simoniacè accepta sunt restituenda.

IMprimis restituendum est pretium, pro 1193
conferenda re spirituali acceptum. Quia injustè est acceptum, & injustè retineretur: cùm desit justus titulus illud accipiendi, & retinendi: neque enim pretium gratis datur, sed tamquam retributio pro re spirituali; per consequens tamquam commutatio rei temporalis cum spirituali. Atqui res spirituales temporali pretio non possunt commutari. Deinde Collator non est dominus rei spiritualis, sed solus Deus. Igitur res spiritualis à Collatore vendi non potest. Cùm ergo nemo fiat dominus pecuniæ acceptæ pro rebus quæ vendibiles non sunt; nemo per consequens fit dominus pecuniæ acceptæ pro re spirituali, quam vendere non potuit.

Secundò, retineri etiam non potest bene- 1194
ficium, interventu pecuniæ acceptum: quia, ut sanctus Thomas ait 2. 2. q. 100. a. 6. *nullus potest licitè retinere id quod contra voluntatem domini acquisivit, puta si aliquis dispensator de rebus domini sui daret aliquid contra voluntatem & ordinationem domini sui, ille qui acciperet, licitè retinere non posset. Dominus autem, cujus Ecclesiæ Prælati sunt dispensatores & ministri, ordinavit ut spiritualia gratis darentur, secundùm illud Matth. 10.* "Gratis accepistis, gratis date." *Et ideò qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licitè retinere non potest.*

Tertiò, hoc quod dixi restituendum esse 1195
pretium acceptum pro beneficio ecclesiastico alteri collato, vel resignato, colligitur ex cap. *de hoc autem* de simonia, & cap. *siquis dator* 1. q. 3. Nec retineri posse beneficium simoniacè acceptum, sed necessariò esse dimittendum, expressè habetur extrav. *cùm detestabilis* de simonia (ubi & dicitur restituendos esse omnes fructus ex hujusmodi beneficio perceptos) & utrumque istud non solùm verum est jure ecclesiastico, verùm etiam jure divino & naturali; ac per consequens obligat etiam ante sententiam Judicis. Ita contra Navarrum, Toletum, Covarruviam, Victoriam, S. Thomas 2. 2. q. 32. a. 7. dicens, quòd in simoniia, tam dans, quàm accipiens, peccet contra justitiam legis divinæ, ideòque pretium per eam acceptum non possit ille qui accepit retinere. Ita etiam Adrianus quodlib. 9. concluf. 3. Molanus Theol. Pract. tr. 2. c. 43. Cajetanus q. 100. a. 6. Dom. Sotus l. 9. q. 8. a. 1. Sylvius q. 100. a. 6. Estius in 4. dist. 26. §. 18. id probans (sicut & S. Thomas suprà) ex hac Domini sententia, *Gratis acce-*

pistis, gratis date. Necnon hâc ratione, fundatâ in jure naturali : quia *qui rem tali modo accepit, non est factus ejus rei dominus. Neque enim ibi transfertur dominium eo modo quo transferri potest & debet. Nam cùm Ecclesiasticum beneficium vendibile non sit, fieri non potest, ut per venditionem in potestatem alterius transeat, sed tantùm per gratuitam donationem, vel collationem. Inde consequens est, ut ne pueri quidem simoniacè sibi à parentibus acquisita beneficia licitè retineant, etiamsi ipsi in acquirendo beneficio fuerint extra omnem culpam. Siquidem restitutio non tam pœna est peccati, quàm legis naturalis vinculum, seu effectus acquisitionis injustæ, & naturâ suâ invalidæ.* Unde sanctus Gregorius Magnus can. *siquis* 1. q. 1. *Siquis* (inquit) *fraudulento munusculo episcopalem, seu sacerdotalem dignitatem acceperit, & in vita sua non sponte reliquerit, eumque insperata mors pœnitentem non invenerit, procul dubio in æternum peribit.*

1197 Si objicias cum subtili Recentiore disp. 21. n. 23. pretium pro re spirituali, ut temporaliter fructifera, acceptum, stante æqualitate inter pretium, & valorem fructuum, non esse contra justitiam naturalem, adeòque pretium illud jure naturali non esse restituendum. Aliàs Papa super hoc non posset dispensare.

Respondeo injustitiam quæ hîc committitur, non peti ex inæqualitate inter pretium & valorem fructuum, sed ex eo quòd sit pretium rei invendibilis. Jus verò ad fructus illos invendibile est, quamdiù Papali authoritate separatum non est à spirituali titulo, ex quo provenit ; sine quo proinde vendi non potest, ut optimè declaratur can. *siquis objecerit* 1. q. 3. *Siquis objecerit, non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt, penitùs despere probatur.... Nam quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* De Papa dicetur num. 1201.

1198 Quartò, pretium simoniacè acceptum, sistendo in jure naturali, reddi quidem deberet ei à quo acceptum est : quia cùm dominium illius translatum non fuerit in accipientem, mansit apud dantem. Juxta sanctum Thomam tamen 2. 2. q. 32. a. 7. & q. 62. a. 5. ad 2. ex dispositione Ecclesiæ, in pœnam simoniæ, piis usibus est applicandum. Ita colligitur ex cap. *de hoc autem* de simonia, ubi dicitur, *Regem & Principes restituere debere Ecclesiæ Exoniensi, quæ ab Episcopo acceperant, ut ejus electioni assentirentur : cùm ea sine gravi salutis suæ periculo retinere non possint.*

1199 Quintò, beneficium simoniacè acceptum, nisi adsit dispensatio, relinquendum est in manibus Collatoris : cùm collatio simoniaca ex dictis naturâ suâ sit invalida. Et ita Doctores communiter tradunt in cap. *dilectus* de simonia, & extrav. *cùm detestabilis* eod. tit.

Sextò, etiam simoniacæ electiones ad officia ecclesiastica sunt ipso jure nullæ, cap. *nobis* de simonia : taliter proinde electus, invalidè est electus ; per consequens officium non potest sine gravi salutis suæ periculo retinere ; sed in conscientia tenetur dimittere, etiamsi unius solùm eligentis votum munere comparasset, ut habetur ibidem. Sed hoc postremum solùm de jure ecclesiastico. 1200

Septimò, non solùm simoniacus realis, 1202
sed etiam mentalis, si non sit purè talis (quia scilicet intendit quidem simoniacè aliquid dare, vel accipere ; nihil tamen exteriùs dedit, vel accepit : quia beneficii v. g. venditorem non invenit) sed sic ut aliquid temporale dederit, vel acceperit pro beneficio, vel alia re spirituali, absque ullo tamen pacto ; talis (inquam) tenetur ad restitutionem, ut docent S. Thomas, Adrianus, Molanus, Ettius, Sylvius, Boudartius, Natalis Alexander, & alii, contra Petrum Navarram, Fagnanum, & plures alios Canonistas. Et probatur 1°. ex can. *siquis* 1. q. 1. cujus verba retulimus n. 1195. ibi namque Gregorius Magnus ad restitutionem obligat eum qui fraudulento munusculo ecclesiasticam dignitatem accepit. Fraudulentum verò munusculum, in sensu magis naturali & obvio, est illud quod nullâ conventione præviâ, quasi ex mera, gratuitaque liberalitate datum est ; ideò tamen aliquo modo fraudulentè : quia datum, vel acceptum est animo per illud dignitatem illam assequendi, sive ut intuitu ipsius, dignitas illa, vel beneficium ecclesiasticum ipsi conferretur. 2°. quia usurarius mentalis, qui aliquid supra sortem ob mutuum absque ullo pacto accepit, tenetur ad restitutionem, uti colligitur ex cap. *consuluit* de usura ; pari ergo ratione simoniacus mentalis : tam enim ille, quàm ille, aliquid pretio æstimabile accepit pro re quæ non est pretio æstimabilis : usurarius utique pro mutuo (quod pretio æstimabile non est supra sortem ;) simoniacus pro re spirituali, vel saltem pro commodo temporali ei annexo, ex Dei ordinatione inseparabili à spirituali.

Opponitur quidem Gregorius IX. cap. 1203
mandato de simonia, ubi videtur innuere simoniacos mentales, qui absque omni pacto aliquid dederant, & acceperant pro re spirituali, per solam pœnitentiam Creatori suo satisfacere debere. Sed Gregorius IX. non opponitur Gregorio Magno, nec assertioni nostræ. Quod enim ibi dicit, dicit, suppositâ dispensatione, quâ dispensarat cum Monachis simoniacè admissis in Monasterium, ut illud (emissâ ibi validè professione) dimittere, & ad aliud, ad agendam pœnitentiam detrudi non compellerentur, uti compellebantur secundùm jura. Dispensarat item cum Monasterio, ut pecuniam acceptam restituere non teneretur, sed eam posset sibi in usus pios applicare. Sic verò dis-

dispensando cum Monachis & Monasterio, satis innuit eos contra justitiam peccasse, dispensationeque indiguisse, ut à restitutionis obligatione liberarentur. Et quia pecunia, simoniacè accepta, restituenda est Ecclesiæ, cujus bonorum summus dispensator est Papa, potest ex justa causa eam assignare illi ipsi, qui injustè accepit.

CAPUT CXXV.

Beneficiati, non implentes officia beneficiorum suorum, ad fructuum restitutionem tenentur pro rata.

1203 RAtio est, quia beneficium, sive jus percipiendi fructus, non datur nisi propter officium, cap. *quia per ambitiosum* de rescript. in 6. Ille ergo qui non implet officium, jus non habet ad percipiendos beneficii fructus. Jure proinde eos retinere non potest.

1204 Hinc Parochi absentes à Parochiis suis (juxta Concilii Tridentini sess. 23. de reform. c. 1. decretum) pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciunt; nec tutâ conscientiâ, aliâ etiam declaratione non secutâ, illos sibi detinere possunt; sed tenentur illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, uti declarat ibidem.

1205 Nec sufficit, quòd in Parochiis suis præsentes sint corpore, nisi oves suas agnoscant, pascantque Sacramentorum administratione, verbique divini prædicatione, & in cætera pastoralia munia incumbant: quia, ut optimè Synodus Ebroïcensis anni 1576. *scimus in residentia Curatorum potiùs requiri personæ industriam & diligentiam, quàm corporis in eodem loco desidiam & inertiam; atque inter residentes numerandos potiùs, qui absentes corpore, spiritu, & assiduâ speculatione gregi invigilant, quàm qui præsentes corpore, seipsos pascunt potiùs, quam gregem, cui scandalo sunt.*

1206 Canonici etiam, & quicumque in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis dignitates, præbendas, aut portiones obtinent, ultra tres menses quolibet anno ab eisdem Ecclesiis absentes, juxta idem Concilium sess. 24. c. 12. primo anno privandi sunt dimidiâ parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ fecerunt suos. Quòd si iterùm eâdem usi fuerint negligentiâ, privandi sunt omnibus fructibus, quos eodem anno lucrati fuerint.

1207 Et quia distributiones quotidianæ tribui non debent, nisi iis qui Officiis adfuerunt, exceptis illis quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret, cap. *consuetudinem* de Cler. non resid. in 6. *reliqui, quâvis collusione aut remissione exclusâ, his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit* consuetudinem, *ubi additur, quòd qui aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit, ad omnium restitutionem teneatur*, idque extenditur ad distributiones etiam pro anniversariis defunctorum recipiendas

Sed quid si Choro quidem adsint corpore, sed Officii tempore fabulantes? Canonicos in Choro confabulantes lucrari distributiones, docet Sanchez l. 2. Consil. c. 2. dub. 100. n. 2. *Ista enim* (inquit) *illis dantur pro assistentia in Choro, & ut Chorum suâ præsentiâ authorizent; sicut Clerici funus aliquod comitantes, licèt confabulentur, licitè acquirunt stipendium: quia datur illis ut comitentur & authorizent.* Sic ille; sed non sic Tridentinum sess. 24. c. 1. de reform. ubi sic: *Omnes verò divina per se, & non per substitutos, compellantur obire officia, atque in Choro ad psallendum instituto Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare.* Ecce quomodò eos oporteat Choro assistere ut distributiones licitè percipiant: utpote institutas ad promovendum Dei cultum, qui profectò fabulationibus in Choro non promovetur. Ineptà verò est Sancheziana comparatio: quia Canonici ad comitandum funus adhibentur honoris causâ; Choro verò primariò intersunt, non honoris, sed orationis, & divini cultûs reverenter ac devotè peragendi causâ; quamquam nec illud videatur verum, Canonicos adhiberi ad comitandum funus solius honoris causâ; imò etiam adhiberi videntur, ut pro defuncto orent, non ut fabulentur.

1208

Punctator etiam, sive ille cui ex officio incumbit notare eos qui absque causa legitima non assistunt Choro, tenetur ad restitutionem, si eos non notet. Quia causa est quòd distributiones absentibus dentur, quibus non debentur, cum eorum præjudicio, quibus jure debentur. Ipsis ergo de suo tenetur restituere; sicut & ille qui distributiones solvit, si solvat iis qui notati sunt à punctatore, juxta illud Concilii Mediolanensis IV. sub sancto Carolo Borromæo tit. de distributionibus: *Distributiones dividens non solvat iis qui notati sunt à punctatore; alioquin eas de suo tenetur Ecclesiæ restituere.* Quare iste tenetur, nisi quia solvit iis quibus distributiones non debentur? At punctator causa est quòd ipsis solvantur. Tam ergo peccat contra justitiam, quàm distributor: tam ergo punctator restituere tenetur, quàm distributor.

1209

CAPUT CXXVI.

Quicumque habens beneficium ecclesiasticum, cum Cura, vel sine Cura, si post sex menses quàm illud obtinuerit, divinum Officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissæ recitationis Officii, & temporis, suos non facit; sed eos, tamquam injustè perceptos, in fabricas Ecclesiarum hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleëmosynas erogare tenetur.

1210 VErba sunt Pii V. Constitutione 135. quibus innovat id quod Leo X. in

Concilio Lateranensi, Bullâ quæ incipit *superna dispositionis* §. 38. statuerat ut sequitur: *Statuimus quoque & ordinamus, ut quilibet habens beneficium cum Cura, vel sine Cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissionis recitationis Officii & temporis; sed eos,* TAMQUAM INJUSTE PERCEPTOS, *in fabricas Ecclesiarum hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleëmosynas erogare teneatur.*

1211 Circa quæ verba cùm controverteretur, quid ibi beneficiorum nomine intelligeretur, Pius V. in prædicta Constitutione declaravit, præstimoniales portiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omninò servitium habentia, obtinentes, cum prædictis pariter contineri. *At quicumque pensionem, fructus, aut alias res ecclesiasticas, ut Clericus percipit, eum modo præscripto ad dicendum Officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.* Unde Toletus l. 2. c. 12. n. 2. per beneficium intelligi dicit quemcumque reditum ecclesiasticum, qui recipitur titulo clericali, & non potest nisi Clericis dari.

1212 Cùm insuper dubitaretur, cujusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda, idem Pontifex eâdem Constitutione statuit, *ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidiæ dividerentur; qui verò Matutinum tantùm, dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum hujus diei amittat, tametsi aliquis Choro addictus, non recitans, omnibus Horis Canonicis cum aliis præsens adsit.*

1213 Quæ cùm tam dilucidè sint à Pontifice explicata, mirum est tam varias, tamque à Pontificia declaratione alienas propositiones apud noviores Casuistas legi, exempli gratiâ apud Gobat de Sacram. tr. 5. sect. 1. Siquidem talis est propositio Escobarii, quam refert n. 583. à restitutione eximens Beneficiarium, qui post primum semestre Officium negligit semel bisvè in anno. Sicut & opinio Joannis à Cruce, Possevini, & Lopez, pariter eximens culpabiliter omittentem totum Officium octies vel decies in anno. Cùm enim istos Pontifex non excipiat, nec ipsi excipere debuerunt, nec privatâ authoritate restringere generale Ecclesiæ præceptum.

1214 Talis quoque est propositio Henriquez, Sanchez, Tanneri, Bonacinæ (apud eumdem n. 584.) à restitutione liberans Parochum, Officium omittentem, sicut & omnem alium Beneficiatum, qui, præter Officium Canonicum, habet alias functiones, quæ reverà merentur mercedem seu stipendium. Hanc opinionem non improbat Gobatus, imò probat hâc ratione: esset enim nimis inæqualis seu conditio, seu pœna Curionis, & Canonici, si ille, præter conciones, & Sacramentorum administrationem, obligatus facere ter Sacrum quothebdomadis, colligenique annuatim nonnisi 150. ducatos, ac per duos menses non recitans Breviarium, deberet in fine anni spoliari sextâ parte illorum 150. ducatorum, id est 25. ducatis, æquè ac Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ, qui idem delictum commisisset. Curionum onus supra onus Canonicorum non ignoravit Concilium Lateranense, non ignoravit Pius V. nec tamen irrationabile, nec injustum judicarunt, tam illos, quàm istos obligare ad restitutionem fructuum beneficiorum suorum, pro rata, &c. ideòque, non obstante onerum inæqualitate, declararunt, tam habentes beneficium cum Cura, quàm sine Cura, ad dictam restitutionem teneri. Igitur Authores isti Concilio Lateranensi, & Constitutioni Pii V. in faciem contradicunt, ob ratiunculam, cujus imbecillitatem agnoviissent, si perpendissent, nullum Beneficiatum, sive Curatum, sive non Curatum, ex Ecclesiæ dispositione habere jus ad fructus beneficii, nisi Horas recitet, uti constat ex allegatis verbis Pii V. & Concilii Lateranensis, aientis, *eos injustè percipi à non recitante*: tametsi enim Curatus alia insuper onera præstare debeat, equidem nisi & istis, & recitationis oneri satisfaciat, jus ad beneficii fructus ipsi Ecclesia non confert. Si jus non habeat, nisi recitet: injustè ergo fructus percipit, dum non recitat. Atqui fructus injustè (id est absque jure) perceptos retinere non potest. Debet ergo restituere.

1215 Hâc ratione convicti nonnulli, fatentur quidem ipsum debere restituere; sed cavillantur, dicentes cum Henriquez de excommunic. c. 13. n. 2. Episcopum, vel Parochum non teneri ad restituendum omnes fructus diei quo recitationem omisit, sed quintam dumtaxat partem, possèque reliquas partes in aliorum onerum compensationem retinere. Quam etiam doctrinam secutus est Trullench in Bullam l. 3. casu 2. & probabilissimam censet noster Lumbierus in suis observation. ad propositiones ab Alexandro VII. & Innocentio XI. damnatas n. 730. Sed manifesta videntur Pii V. verba in contrarium: siquidem loquens de Beneficiato, etiam cum Cura, expressè dicit, quòd qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, OMNES BENEFICII . . . . FRUCTUS, QUI ILLI VEL ILLIS DIEBUS CORRESPONDENT . . . . AMITTAT. Non ergo quintam dumtaxat partem.

1216 A fortiori improbanda est opinio, quam n. 588. refert, probatque Gobat, post Sanchez, Medinam, & alium virum (inquit) doctum è Societate, quòd utique Caneni-

cus Tolètanus, qui toto biennio ferias fecit Breviario suo, & tamen collegit quotannis è suo Canonicatu bis mille ducatos, tutus sit in conscientia, restituendo in universum quingentos, id est quartam partem fructuum. Quia etiam contra hoc nimis expressa sunt verba Pii V. & Concilii Lateranensis.

1217 Improbanda etiam 1°. opinio Filiutii, & Dianæ apud eumdem n. 590. eximentium à restitutione eum qui omisit notabilem partem unius Horæ, at non æquivalentem Horæ integræ. Hoc quidem *displicèt Suario, & Palao*, inquit Gobat; *at non mihi, consideranti, pœnalem legem, qualis est de restitutione fructuum (hanc enim non imperat jus naturæ) esse strictè intelligendam; adeòque de actu consummato & perfecto moraliter: ideòque ad restitutionem non compellit Diana p. 5. tr. 14. resol. 46. illum qui totas Laudes omittit: cùm sint tantùm pars Matutini.* At ista videntur luxuriantium ingeniorum placita, aliena à christiana simplicitate, quâ Concilii Lateranensis, & Pii V. Constitutiones planè (ut jacent) absque tot cavillationibus accipi debent. Enimverò à veritate aberrat Gobatus, aiens legem de restitutione fructuum esse pœnalem. Quia, ut benè Lumbierus noster n. 729. „ non in pœnam fieri debet „ restitutio, sed quia sic delinquens nullum „ habet legitimum jus ad eos fructus. Cùm „ enim titulus retentionis & acquisitionis eorum sit recitatio quotidiana; hâc deficiente, „ bono titulo possideri non possunt. Alieni „ ergo sunt, debentque vero domino restitui. Unde ab Alexandro VII. damnata est (cum sua probatione) propositio dicens, quòd *restitutio à Pio V. impositæ Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis: eò quòd sit pœna.*

1218 2°. improbanda est opinio Layman, & Tamburini, ab Officii recitatione liberantium eum, qui novus est Canonicus, atque ex consuetudine Capituli sui, nullos fructus recipit primo aut secundo anno. Quia hoc ipso quòd beneficium acceptavit, & habet possessionem illius, ex Ecclesiæ præscripto tenetur Officium recitare, sive fructus percipiat, sive non, ut proximè videbitur.

1219 3°. improbanda videtur opinio, inter Noviores satis communis, quæ dicit Beneficiatum, cujus beneficium tenue est (id est quod tertiam congruæ & mediocris sustentationis partem non fructificat) nec teneri Horas recitare, nec restituere, si omittat. Hanc opinionem meritò rejiciunt Navarrus, Sylvester, Illustrissimus Genetus, Castro-Palao, & communiter Antiqui. Talem profectò teneri ad Horarum recitationem docet S. Antoninus 3. p. tit. 13. c. 4. §. 42. his verbis: *Tenentur ex præcepto ad Horas Canonicas quilibet Clerici Beneficiati, etiam non existentes in sacris; nec excusare se possunt ratione exiguitatis beneficii, si ex eo non percipiant sibi necessaria; sed imputent sibi ex quo se fecerunt ad illud intitulari.* Ita etiam Glossa in cap. *Clericus* dist. 91. Et ratio est; quia beneficium datur propter officium. Et ideò Concilium Lateranense generaliter, & absque exceptione, Beneficiatos obligat ad Horarum Canonicarum recitationem, & ad restitutionem, si non recitent. Mens itaquè Ecclesiæ est, ut ecclesiastica beneficia nèn conferantur, & fructus eorum non percipiantur, nisi cum onere recitandi divinum Officium; sicut Ecclesiæ mens est, ut sacri Ordines non conferantur, nisi cum onere servandi castitatem. Et ideò quisquis consentit in susceptionem beneficii, sive tenuis, sive pinguis, consentit in onus illud; sicut in onus servandæ castitatis consentit, quisquis consentit in susceptionem Ordinis sacri. Quia beneficium tenue equidem est beneficium, cap. 16. de præbend. in 6. recitationisque obligatio non sequitur beneficii tenuitatem vel pinguedinem, sed beneficium; quod quisquis sponte acceptat, eo ipso acceptat onera illi annexa, sicut qui sciens & volens acceptat onus Missæ cum incongruo stipendio, vel pro parvo stipendio nomen dat militiæ, vel pauperem ducit uxorem: siquidem eo ipso acceptat onera matrimonii cum illa, onera militiæ, &c. Denique sicut Beneficiatus non excusatur à residentia beneficio annexa, ex eo quòd vitæ necessaria ex beneficio non recipiat (inquit Fagnanus ad cap. *conquerente* de Cler. non resid.) *Sicut etiam vir tenetur ministrare necessaria uxori, quæ tamen est talis, quòd ei debitum reddere non valet* (ait laudata Glossa) *ita Clericus Beneficiatus, qui non percipit necessaria ab Ecclesia, tenetur officiare Ecclesiam, licèt pauper sit, & dicere cum Apostolo:* "Scio abundare, & penuriam pati." Quam comparationem Hostiensis sic illustrat ad tit. de consecr. Eccles. §. 22. "Etiamsi ab Ecclesia tenuem habeant sustentationem, sibi imputent quòd semel consenserunt: nam sicut vir tenetur ministrare necessaria uxori, etiamsi debitum reddere non possit, 32. q. 5. can. *quod proposuisti*; sic talis Clericus, quamvis à sponsa sua spirituali debitum sustentationis non percipiat, tenetur eam officiare, &c."

Hinc consequenter dicendum, ad Horas 1220
recitandas etiam teneri Beneficiatum, qui voluntariè suscepit, vel voluntariè retinet beneficium quod nullos fructus reddit. Sibi enim imputare debet quòd ob voluntariam illam susceptionem, vel retentionem, sine fructuum perceptione, teneatur ad Horas: cùm in istud onus annexum eo ipso consenserit, quo se fecit illi beneficio intitulari, eique insistit; cui tamen licèt Ecclesia Horarum recitandarum onus non compenset per sustentationem; compensat per privilegia & honores, quibus Beneficiati gaudent.

Per consequens audiendi non sunt novio- 1221

res Casuistæ, satis communiter aientes, ad Horas non teneri Beneficiatum, qui ob furtum, sterilitatem anni, aquarum inundationem, grandinem, hostium incursionem, &c. nihil percipit uno, alterovè anno; vel (ut Layman l. 4. tr. 2. c. 5.) si prædia præbent quidem aliquid, sed non æstimabilem partem honestæ sustentationis, nec spem acquirendi brevi plus.

1222 Meminerint etiam pensionem habentes super beneficio, sese, sub onere restitutionis, teneri ad dicendum Officium B. Virginis Mariæ, uti decernit Pius V. ubi suprà. Beneficiati autem meminerint se officio non satisfacere, Horas per alium recitando, etiamsi studio litterarum vacent. Contrariam namque propositionem Alexander VII. condemnavit. Sicut & hanc: *Restitutio fructuum, ob omissionem Horarum, suppleri potest per quascumque eleëmosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus beneficii sui fecerit.*

1223 Denique meminerint Beneficiati, sese esse obligatos ad restitutionem omnium fructuum perceptorum ex beneficio, quo legitimè provisi non fuerunt. Quòd etiam legitimè provisi, Ecclesiæ, vel pauperibus restituere teneantur quidquid de superfluo beneficiorum suorum malè impenderunt in usus profanos, vel ad ditandos consanguineos suos, probatum habes suprà cap....

1224 Siquis contra hactenùs dicta objiciat 1°. perceptionem unius, vel duorum ducatorum, non esse proportionatam tanto oneri, quotidianæ scilicet recitationis Horarum. 2°. Apostolum 1. Cor. 9. dicere, quòd *nemo militat suis stipendiis unquam.... Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari serviunt, cum altari participant.*

Ad 1^um. respondeo negando suppositum, quòd utique recitationis onus impositum sit ratione fructuum, eorumque perceptio causa sit istius oneris. Non est sic: quia prima causa, ex qua profluit obligatio recitationis Horarum, est titulus beneficii, & conditio statûs Beneficiati. Siquidem beneficium datur propter officium; ipsa verò fructuum perceptio, sicut posterior est beneficio, ita & officio: siquidem fructus beneficiales dantur propter officium, non contrà. Quòdque Ecclesia obligare possit ad officium, nullâ habitâ ratione proportionis officii cum fructibus, vel eorum quantitatis, patet in insignitis Ordine sacro, quos ad Officium quotidie recitandum obligat, etiamsi nullum beneficium, nullosque proventus ab Ecclesia habeant, nec de altari, sed suis stipendiis vivant. Et hinc

1225 Ad 2^um. respondeo, ex loco illo Apostoli esse quidem consequens, quòd æquum sit ut Clerici Beneficiati, aliunde non habentes unde sustententur, aliquid sustentationis ab Ecclesia accipiant, quia Officium recitant: sed quia Officii recitandi obligatio primariò oritur ex beneficii titulo, conditioneque, & statu Beneficiatorum, uti dixi; ab obligatione illa liberi non sunt, hoc ipso quòd congruam sustentationem ab Ecclesia non recipiunt.

CAPUT CXXVII.

Quicumque non solvunt decimas legitimè debitas, vel eas fraudant in quantitate, vel qualitate requisita, tenentur ad restitutionem.

RAtio est, quia negari non potest, decimas jure divino & humano Ecclesiæ debitas esse; eosque contra justitiam peccare, furtique quodammodò sacrilegi reos esse, qui non solvunt: cùm Deo & Ecclesiæ id surripiant quod ipsi consecratum est. Nam, ut Augustinus ait serm. 219. de temp. *decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas (quæ Dei sunt) invasit.* Refertur can. *decima* 16. q. 1. Et can. *in legibus* 12. q. 11. *Siquis quod Deo consecratum est, rapuerit, vel consenserit facientibus, ut sacrilegus judicetur, & damnum in quadruplum restituat, & canonicè pœniteat.* Et can. *qui abstulerit* ibidem: *Qui Christi pecunias (id est oblationes, & eadem ratio est de decimis) & Ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est.* Nec à restitutione immunes sunt, qui decimas quidem solvunt ex parte, sed non in debita mensura, vel qualitate; sed de deterioribus granis, quæ habent in area sua, vel debitam mensuram non implent, &c. Videant ipsi, num sic tractandus sit Deus: cùm decimarum solutio debita sit Deo, uti declaratur in Concilio Tridentino sess. 25. de reform. c. 12. ubi & Augustini sententia proximè memorata refertur & confirmatur. 1226

CAPUT CXXVIII.

Quisquis hominem injustè occidit, mutilavit, vulneravit, verberavit, tenetur ad restitutionem.

PEr injustum homicidium & mutilationem duplex infertur damnum, personale scilicet & reale. *Personale* est ipsa ablatio vitæ per homicidium, vel membri per mutilationem, vel convenientis usûs membri per vulnerationem. *Reale* est privatio commodorum realium, quæ acquisita fuissent per continuationem vitæ, vel illæsam corporis integritatem, cujusmodi damna sunt operarum jactura, lucra cessantia, damna emergentia, &c. 1227

Quòd ergo homicida, &c. teneatur adrestitutionem damnorum realium, Authores satis conveniunt, & à nobis probabitur infrà. Et in eodem quidem bonorum genere non teneri, constat ex eo quòd vita semel ablata, sicut & brachium semel abscissum, reddi non possit. Sed controversia solemnis est, an restituere teneatur aliquid in alio bonorum genere pro damno personali, sive pro 1228

damno vitæ, vel membri præcisè? Negant Magister sententiarum in 4. dist. 15. sub finem, Navarrus c. 17. n. 20. Bannez q. 62. a. 2. dub. 4. concluf. 2. Vasquez, Sanchez, Lessius, & Recentiores communissimè, ob argumenta sequentia, profectò non contemnenda.

1229 Quia Exodi 21. dicitur: *Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo, si surrexerit, & ambulaverit foris super baculum suum, innoxius erit qui percusserit; ita tamen ut operas ejus, & impensas in medicos restituat.* Quæ sententia refertur c. 1. de injuriis, & damno dato. Ergo vulnerator solùm tenetur ad damna realia, non ad personalia: aliàs istorum etiam ibi fieret mentio. Idem ergo de occisore, & mutilatore dicendum.

1230 2°. vita, & membra hominis non subsunt dominio ipsius, sed solius Dei. Soli ergo Deo pro illis ablatis satisfaciendum est per pœnitentiam.

1231 3°. vita, & integritas corporis sunt supra omne pretium & æstimationem. L. ult. ff. de his qui effuderint. Et L. *hâc lege* ff. si quadrupes, ibi: *liberi hominis corpus nullam recipit æstimationem.* Igitur impossibile est vitæ, & membrorum damnum pecuniâ reparare. Ad impossibile verò nemo tenetur.

1232 4°. bona superioris ordinis, dum in suo, vel æquali ordine non possunt, in bonis inferioris ordinis restitui non debent. Sed vita, & membra liberi hominis, respectivè ad honorem & pecuniam, habent se sicut bona superioris ordinis ad bona inferioris ordinis. Ergo per honorem & pecuniam restitui non debent. Et ratio est, tum quia nec in parte, nec in toto valens restituere bonum injustè sublatum, ob impotentiam excusatur. Per honorem verò & pecuniam, & quodcumque aliud bonum inferioris ordinis, damnum vitæ, vel membri, nec in parte, nec in toto restitui potest. Quia, ut S. Thomas ait q. 62. a. 2. *restitutio est actus justitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate consistit.* Æqualitas verò inter bonum superioris, & bonum inferioris ordinis, ne quidem in parte esse potest; aliàs bonum istud in infinitum augendo, illud tandem ex toto adæquare posset. Et sic bonum spirituale pretio infinito vendi posset.

1233 5°. impossibile est determinare quantitatem pecuniæ v. g. pro vita, vel membro restituendam: tametsi enim homicida possideret totam pecuniam de mundo, nunquam tantum daret, ut adæquaret damnum vitæ illatum, etiam quoad minimam ipsius partem.

1234 6°. hæres homicidæ non tenetur ex bonis ipsius compensare damnum vitæ, vel membrorum, magis quàm damnum honoris & famæ: ergo nec homicida. Si enim homicida ex bonis suis teneretur, teneretur & hæres, sicut ad cætera debita ipsius: cùm successor in bonis & juribus, succedat & in oneribus.

Quamvis hæc sententia sit valdè probabilis, non minùs probabilis est contraria sententia S. Thomæ proximè referendi, Scoti in 4. dist. 15. q. 3. Richardi, Paludani, Gabrielis, Majoris, Sylvestri, Adriani, Cajetani, Dominici Soto, Lopez, Arragonii, Salonii, Valentiæ, Azorii, Rebelli, Sylvii. Estque ista communissima sententia Veterum. S. Thomæ q. 62. a. 2. ad 1. verba sunt ista: *Quando id quod ablatum est, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est; puta cùm aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore, consideratâ conditione utriusque personæ, secundùm arbitrium boni viri.* Similiter loquitur in 4. dist. 15. q.... a. 5. q. 2. ubi ad argumentum quod objicitur, damna personalia restitui non posse: *Dicendum* (inquit) *quòd restitutio principaliter inventa est in damnis, quæ inferuntur in bonis fortunæ, quæ restitui possunt; in his autem quæ objectio tangit, quæ non possunt ad simile bonum restitui, debet fieri restitutio, qualis possibilis est, scilicet ad arbitrium bonorum.* 1235

Rationes pro sententia ista sunt 1°. quia injuria, & restitutionis obligatio sunt correlativa, ut patet ex definitione, quâ injuria ab Ethicis & Theologis passim definitur, seu describitur, actio, vel omissio adversus alterum, ratione cujus satisfactio, vel compensatio debeatur. Ergo injuria (v. g. injuriosa occisio, vel mutilatio hominis) sine satisfactionis, vel compensationis obligatione non est. 1236

2°. quisquis damnificavit injustè, nec in eodem bonorum ordine restituere potest, debet quomodò potest, saltem in æquivalenti alterius ordinis, dummodò ex hoc longè gravius ipse non damnificetur. Nam æquivalens sic reddi potest, & justitia semper obligat ad restituendum in æquivalenti, quando res ipsa in specie reddi non potest. Et ideò Scotus ubi suprà dicit, restitutionem fieri debere in bonis spiritualibus per pecuniam procuratis vel factis, v. g. in eleëmosynis, & suffragiis Missarum & precum. Quod optimè concordat cum laudata sententia S. Thomæ, & id sine dubio æquitas dictat: quia sic occisor sine graviori suo damno restituit in æquivalenti quomodò potest, in commodum, & salutem animæ occisi. 1237

3°. si homicida per pecuniam occiso restituere posset vitam, v. g. procurando medicinam ipsius resuscitativam (si daretur) ad id haud dubiè teneretur, eumque in finem omnes facultates suas expendere teneretur, si necesse foret. Cùm ergo per pecunias ipsi procurare possit spirituales satis- 1238

factiones æquivalentes vitæ, idque possit cum minori suo damno, quàm subire deberet, in hypothesi quòd talis daretur medicina, non est cur ad id non teneatur: maximè cùm injustè auferendo ipsi vitam, injustè abstulerit facultatem pro seipso personaliter satisfaciendi; pro qua injustitia ad restitutionem in isto ordine tenetur, uti proximè dicturi sumus.

1239 4°. per injustam ablationem vitæ, vel membrorum, occiso vel mutilato personalem fecit injuriam & offensam reparabilem, si non pecuniâ, saltem humiliatione, veniæque petitione, honorificis obsequiis, aliisque submissionis signis, aptis ad placandum offensum. Ad id ergo ex justitia tenetur, quamdiù offensus vivit, ad tantùm utique se humiliandum infra ipsum, quantùm occidendo, vel mutilando ipsum contempsit, & supra ipsum se extulit. Vel certè, si conditio personæ quæ offendit, non ferat ista humiliationis signa, & offensus placari possit recompensatione pecuniariâ, saltem hoc modo, velut quodam submissionis argumento (quo se offendisse fateatur) offensum ante mortem placare tenetur, uti docent sanctus Anselmus, & sanctus Antoninus n. 1251. referendi. Et ratio est, quia quemadmodùm occisor, vel mutilator teneretur honore, vel pecuniâ vitam, vel membrum ablatum restituere, si posset; sic tenetur honore, vel pecuniâ offensum placare, offensamque ipsi illatam tollere, si possit; tametsi non teneatur determinatè ad placationem pecuniariam, si possit, & velit placare per honorariam. Quia nemo satisfacere tenetur in bonis inæqualibus, & inferioris ordinis, dum vult, & potest in bonis æqualibus, & ejusdem ordinis. Et quamvis per dictas humiliationes non restituatur damnum vitæ; restituitur tamen damnum offensæ, & despectus personæ occisæ, sive restituitur damnum vitæ, non quà damnosum in ordine vitæ, sed quà offensivum, despectivum, & injuriosum personæ occisæ. Quæ tamen offensa, quia personalis est, & restitutio pro offensa seu injuria personali facienda non est nisi personæ offensæ; restitutio ista soli occiso (quamdiù vivit) vel mutilato facienda est, non hæredibus.

1240 Istæ rationes videntur mihi valdè probabiles, reddereque sententiam Veterum saltem æquè probabilem, atque est sententia Modernorum: maximè cùm per eas facile sit occurrere rationibus pro ea adductis. Unde cùm saltem dubium sit, an homicida, vel mutilator ad istam non teneatur, in ejusmodi dubio quod tutius est sequendum, uti demonstravimus to. 1. agendo de conscientia dubia.

1241 Dixi, per rationes hujus sententiæ facilè occurri rationibus in contrarium adductis: utpote quæ solùm probant pro damno vitæ, vel membrorum, restitutionem non esse faciendam in pecunia, quando per eam non potest procurari bonum æquivalens damno illato; secùs, dum potest. Vel solùm probant restitutionem in pecunia, vel honore non esse faciendam pro damno vitæ, vel membrorum, secundùm se præcisè: secùs pro annexa isti damno injuria & offensa personæ occisæ, vel mutilatæ: cùm offensa ista ad æqualitatem reparabilis sit, etiam in suo ordine, ut suprà. Hæredes tamen defuncti pro ea satisfacere non tenentur: eò quòd merè personalis sit, tam activè, quàm passivè.

Nec locus allegatus ex Exodi 21. contra 1242
hanc sententiam concludit: quia nihil pro nec contrà dicit. Imò aliquid dicit pro: siquidem compensationem pro mutilatione in alio bonorum genere faciendam dicit, dum in eodem non potest. *Siquis percusserit oculum servi, vel ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittat eos liberos, pro oculo quem eruit.*

CAPUT CXXIX.

Homicida tenetur per preces, sacrificia, & alia opera pia, pro posse resarcire damnum spirituale satisfactionum, saltem juxta æstimationem verisimilitudinis earum, quas occisus per se, vel per alios, erat verisimiliter facturus, si non fuisset occisus.

ITa sentio cum Petro Navarra, & aliis, 1243
contra Lessium, Amicum, & Dicastillum. Et ratio est, quia homicida injustè privavit occisum facultate similium operum verisimiliter præstandorum; est proinde causa injusta spiritualium istorum damnorum, perinde ac temporalium. Quemadmodùm ergo tenetur ex justitia pro posse reparare omne damnum temporale emergens ex injusta sua occisione; ita & omne damnum spirituale inde pariter emergens, saltem reparabile.

Hinc solvitur casus sequens: Condiderat 1244
Petrus testamentum, quo statuebat, ut ex annua pensione, quam exacturus erat super censu suo vitalitio, centum Missæ pro ipso celebrarentur; sed ante finem anni illius injustè occisus est à Paulo. Et ista occisio causa fuit, quòd, defectu pensionis, quæ ipsius morte cessavit, Missæ non fuerunt celebratæ. Teneturne Paulus curare, ut Missæ istæ pro Petro celebrentur?

Respondeo affirmativè cum Salonio apud Cardinalem de Lugo disp. 11. sect. 1. n. 3. Si enim opifici restituere teneris temporale damnum, quod injustè tuâ causâ invitus incurrit; cur restituere non teneris spirituale damnum, quod injustè tuâ causâ invitus incurrit?

At (inquit Lessius) 1°. determinari non 1245
potest quantum in hoc genere restitui debeat. 2°. restitutio fieri non potest pro bonis spiritualibus ut meritoriis: cùm unius creaturæ merita ab ipsa alteri nequeant dari; nec fieri debet pro iis ut satisfactoriis:

quia

quia imprimis non constat, an occisus indigeat satisfactione ; nec constat quòd opera satisfactoria ipse feciſſet, ſi vixiſſet ; nec quòd satisfactio homicidæ pro ipso sit ipsi profutura.

1246 Ad 1um. respondeo, determinationem fieri posse & debere juxta æstimationem verisimilitudinis, &c. ut suprà.

Ad 2um. dicendum, quòd dum non constat an indigeat, sed dubium est ; periculum esse ne indigeat, imò (à communiter accidentibus) præsumendum quòd indigeat : præsumendum enim quod tutius est, ut securius remedium apponatur. Quare etiam in dubio, an pro se satisfactiones ipse feciſſet, ſi vixiſſet, vel an satisfactio pro ipso sit ipsi profutura, in favorem ipsius præsumendum est ; non solùm quia in dubio præsumendum in favorem innocentis, potiùs quàm nocentis ; sed & quia ubi de contrario non constat, de nullo piè defuncto præsumendum, quòd satisfactio pro ipso ipsi non proderit. Et ideò pro omnibus fidelibus defunctis orandum, & sacrificium satisfactorium Missæ, orationum, eleëmosynarum offerendum, ut Augustinus dicit. Accedit quòd de nullo fideli præsumendum, quòd se neglexiſſet, ſi vixiſſet, & occisus habet jus, ne de ipso malè judicetur, præsumaturque seipsum neglecturus. Quia ergo injustè privatus est facultate pro se satisfaciendi, jus habet ut sibi recompensetur satisfactione alienâ, sibi verisimiliter profuturâ.

CAPUT CXXX.

Homicida, mutilator, vulnerator injustus, citra omne dubium, restituere tenentur temporalia omnia damna realia, ex homicidio, mutilatione, vulneratione secuta.

1247 REstituere (inquam) tenentur expensas omnes curationis, lucra inde cessantia, damna emergentia, &c. juxta cap. *si culpa* de injur. & damno dato. Cùm enim resarcibilia sint per bona ejusdem ordinis, ab eo resarciri debent, qui occidendo, mutilando, vulnerando, eorum causa fuit efficax injusta. Restituendæ tamen non sunt expensæ funeris ordinariæ (quia ex occisione non proveniunt) benè extraordinariæ, siquæ ratione hujusmodi occisionis fieri debuerint solito majores.

1248 Porrò licèt aliqui velint, æstimationem lucrorum cessantium faciendam esse usque ad sexagesimum ætatis annum ; meliùs id relinquitur æstimandum judicio prudentum arbitrorum, consideratâ hominis occisi ætate, valetudine, robore, in agendis dexteritate, laborandi assiduitate, &c. necnon rerum ejus statu, modo vivendi ac negotiandi, deductis quidem expensis, quas ad lucrandum fuerat facturus ; sed non deductâ æstimatione laboris ad id impendendi (ut benè Lessius, & alii communiter, contra Molinam, Rebellium, &c.) præsertim si occisus homo erat mæchanicus, qui laborare maluiſſet, quàm lucrum vel ex parte perdere. Enimverò tunc æquum non est deducere æstimationem laboris : cùm injustè ab eo fuerit impeditus ; & alioqui mæchanico vix unquam aliquid restituendum esset : cùm lucrum ipsius utplurimùm non excedat æstimationem laboris. Et sicut opificem injustè privans instrumento, quo sibi & familiæ suæ victum laborando comparabat, secundùm omnes, tenetur ad totum damnum, non obstante cessatione laboris ; ita & injustè privans ipsum facultate laborandi.

Cæterùm quia arbitri, quàmlibet prudentes, vix unquam, aut ne vix quidem præcisam facere possunt æstimationem dictorum damnorum, nec præcisè taxare quantum de jure sit restituendum ; omninò expedit, ut pro eorum æstimatione compositio fiat inter partes. 1249

Itaque *si interfectus sustentabat aliquas personas, ut patrem, filios, uxorem, & hujusmodi, operibus manuum suarum, tenetur interfector omninò illis ad tantum, quantum illis abstulit subsidii, propter occisionem ejus*, ait sanctus Antoninus p. 2. tit. 2. c. 2. §. 2. Et si interfectus favorem obtinebat Principis, vel Magnatis, à quo verisimiliter in mundo erat admodùm promovendus, interfector tenetur restituere quanti spes illa probabilis æstimatur à viris prudentibus. Si Advocatus, Medicus, vel artifex, qui lucrabatur ultra expensas necessarias pro sua suorumque sustentatione ; interfectori incumbit obligatio restituendi omnem valorem lucri quod feciſſet, deductis expensis, ut suprà. Si homo erat de negotiis suis admodùm sollicitus, & in statu defendendi se fortiter contra injustas lites, quæ ipsi potuiſſent intentari, ipso verò interfecto, vidua ipsius, vel filii, sese defendere non valentes, litem amiserint magni momenti, justitia postulat damnum istud emergens reparari secundùm æstimationem sollicitudinis & industriæ, quæ istis in circumstantiis ab interfecto adhibita fuisset. Si denique interfectus obtinebat officium valdè lucrosum, interfector non solùm restituere debet lucrum quod inde comparasset, sed & illud quod verisimiliter sibi & familiæ acquisiſſet, officium illud vendendo, vel filiis, aut aliis relinquendo. Quia interfector omnium lucrorum istorum cessantium causa est injusta. 1250

Addit S. Antoninus loco citato, cum Scoto, quòd restitutio pro mutilatione debet respondere non solùm damno, quod quis intulit per mutilationem, pro toto tempore futuro, quo usurus quis fuisset membro abscisso, sed etiam expensis appositis in curatione, ut habetur cap. *si culpa* de injur. & damno dato. Et ultra hoc tenetur ad placationem læsi, quantum in ipso est. Per quod confirmat id quod n. 1240. diximus, sicut & idipsum 1251

confirmat S. Anſelmus l. *Cur Deus Homo* c. 11. dicens : *qui ſalutem alterius læſit, non ſufficere, ſi ſalutem reſtituat, niſi pro illata doloris injuria aliquid recompenſet. Plus autem ponderanda eſt mutilatio pauperis* (pergit ſanctus Antoninus) *quam divitis, ſi magis egebat parte abſciſſâ ad victum neceſſarium : puta, ſi abſciſſa eſt manus dextera Scriptoris, qui de illa arte vivebat. Tunc enim magis tenetur.*

CAPUT CXXXI.

Perſonæ quibus homicida reſtituere tenetur pro damnis realibus, ex homicidio ſecutis vel ſecuturis.

1252 PRimò reſtituere debet hæredibus, etiam extraneis : utpote ſuccedentibus in omnia jura defuncti, perſonamque ipſius repræſentantibus.

1253 Secundò tenetur etiam reſtituere creditoribus defuncti, hoc ſenſu, quòd ſi bona defuncti non ſufficiant ad ſolutionem ipſorum, quam tamen defunctus præſtare potuiſſet ex lucro ſuo (quod ex officio ſuo, vel negotiatione comparaſſet, ſi vixiſſet) lucrum iſtud homicida præſtare debet creditoribus iſtis, vel certè hæredibus. Ita Doctores communiter.

1254 Tertiò reſtituere tenetur omne damnum ex homicidio cauſatum uxori, liberis, & aliis quos interfectus ex juſtitia, ſecundùm conditionem ſuam, alere, & juvare tenebatur. Similiter reſtituere debet alimenta, & ſuſtentationem parentibus ipſius, quos ipſe ex obligatione alebat. Ita etiam Doctores communiter.

1255 Quoad alias autem perſonas, quibus benefacere ſolebat, v. g. ipſis alimenta præbendo, licèt plures Recentiores exiſtiment, homicidam ex juſtitia non teneri ipſis alimenta, ſeu alia bona reſtituere, contrarium probabiliùs docere videntur Scotus, Navarrus, Azorius, Vaſquez, Turrianus, Sayrus, Amicus, Maſtrius, Faber Faventinus, Caſpenſis, & Urbanus noſter ab Aſcenſione : quia qui injuſto facto ſuo proximum impedit à conſequendo bono, quod alioqui conſecutus fuiſſet, licèt per liberalitatem alterius, ad reſtitutionem tenetur : utpote cauſa injuſta iſtius damni. Quiſquis verò alteri eſt cauſa injuſta damni, pro eo ſatisfacere tenetur, juxta illud cap. fin. de injur. & damno dato : *Si tuâ culpâ datum eſt damnum, vel injuria irrogata.... jure ſuper his te ſatisfacere oportet ; nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam.* Atqui homicida injuſto ſuo facto perſonas illas impedit à conſecutione alimentorum, ſeu aliorum bonorum, aliàs conſequendorum ex ſolita defuncti liberalitate. Ergo, &c.

1256 Confirmatur : quia quiſquis vi proximum impedit à conſecutione boni rationabiliter prætenſi, & probabiliter ſperati, tenetur ad æſtimationem iſtius ſpei, ut conſtat ex dictis n. 1166.

Si dicas, ejuſmodi damnum omninò per accidens, ac præter intentionem ſequi ex homicidio ; ideò non cenſeri volitum, etiam interpretativè, & implicitè ab homicida.

Contrà eſt 1°. quòd damnum iſtud ſequi natum ſit ex homicidio, de factoque ſequatur ex vi illius. 1257 Quod autem per accidens ſequitur ad homicidium, non ſequitur ex vi illius, nec ſequi natum eſt ex illo. 2°. privatio eleëmoſynæ, ſeu alterius doni liberalis, per ſe ſequitur ex ſublata injuſtè potentia faciendi eleëmoſynam, ſeu aliud liberale donum. 3°. ſi ejuſmodi damnum per ſe non ſequeretur ex homicidio, ſed per accidens dumtaxat, homicida non teneretur illud reſarcire, licèt expreſsè, formaliter, & directè illud intendiſſet (hâc enim ratione, homicida non tenetur de damnis ſecutis ex hoc quòd homicidium ſuum imputatum fuerit innocenti, licèt ea expreſsè intenderit, dummodò ad imputationem non concurrerit : quia damna illa ſecuta non ſunt ex vi homicidii.) Iſtud autem in tantum abhorret à communi ſenſu, & veritate, ut oppoſitum vel ipſe Tamburinus (aliàs tam benignus) non dubitet eſſe certum. 4°. ejuſmodi damnum non magis per accidens, ac præter intentionem ſequitur ex homicidio, quàm damnum amiſſæ ſuſtentationis in uxore, & liberis occiſi. Quòd enim amiſſio iſta, non illa, ſit amiſſio rei debitæ ex juſtitia, non facit iſtam præ illa per ſe ſequi ex vi homicidii. Ergo vel utraque, vel neutra per ſe ſequitur ex homicidio, nec una magis proximè quàm altera, ſed utraque pari modo.

CAPUT CXXXII.

Caſus, in quibus ceſſat, vel non ceſſat obligatio reſtitutionis ob homicidium, vel mutilationem.

1258 PRimò non ceſſat, dum lethaliter læſus, à Confeſſario interrogatus, utrùm injuriam ſibi illatam homicidæ remittat, reſpondet ſe remittere, vel ad exhortationem amicorum dicit ſe mortem condonare, vel (fine addito) ſe homicidæ ignoſcere. Quia per hoc (niſi aliud addatur) remittere non cenſetur damna, ſed offenſam dumtaxat : ita ut ſolùm ſignificet ſe odio non proſequi occiſorem, nec adverſus ipſum moveri privatæ ultionis appetitu, ſed inimicum diligere, ſicut Deus jubet. Imò, licèt prohiberet homicidam ab hæredibus moleſtari, per hoc præcisè non cenſeretur damna illa remittere, ſed ſolùm remittere, & prohibere actionem criminalem adverſus ipſum.

1259 Secundò non ceſſat, dum homicida per ſententiam Judicis capite plectitur, niſi hæredes condonent. Quia per judicialem illam punitionem ſatisfit juſtitiæ vindicativæ, non commutativæ, prout à ſimili patet, dum fur

fur suspenditur. Si tamen hæredes sint nobiles, vel valdè divites, ut plurimùm esse solent contenti solâ morte homicidæ, nihilque ultrà pro damnorum compensatione exigere: secùs alii, qui ex vulgo sunt.

1260 Cessat tamen, dum occisus in sui occisionem consensit expresè, vel tacitè, ad pugnam lethalem provocando, vel illam voluntariè admittendo. Quia in pugnam lethalem consentiendo, censetur in mortem consentire, adeòque & in damna mortem consequentia. Qui consensus, licèt quoad mortem sit invalidus (ob inabdicabilitatem juris ad vitam) valet tamen quoad damna illa. Nec refert, quòd scopus ipsius sit occidere, non occidi. Quia equidem in pugnam consentiendo, vel ad eam, v. g. ad duellum, provocando, concedit alteri facultatem contra se agendi quod potest.

1261 Si tamen injustè invasus excesserit moderamen inculpatæ tutelæ, juxta Navarrum, Lessium, Vasquez, Rodriguez, tenetur ad totum damnum. Juxta Sylvestrum, Angelum, Sotum, Azorium, Sylvium, ad partem. Ast, salvo meliori judicio, probabile mihi videtur, nec ad totum, nec ad partem teneri. Quia licèt sit causa injusta damni vitæ; non tamen damnorum consequentium: eò quòd ista non causet invito, sed volenti (cui non fit injuria:) siquidem invadens eo ipso censetur illa velle, quo se sponte exponit periculo illorum; quod facit injustè invadendo ad mortem, sciens invaso difficillimum esse, justum sic temperare dolorem, quin inculpatæ tutelæ tantisper excedat moderamen: censetur namque ipsum ad excessum istum quodammodò provocare.

1262 A fortiori damna illa restituere non tenetur, qui injustum vitæ aggressorem, servato moderamine quod leges humanæ requirunt, ad salvandam vitam suam occidit. Quia licèt peccet, juxta doctrinam Sanctorum, (ad quintum Decalogi præceptum exponendam) rationem tamen peccati, in tali facto, Sancti non constituunt in injustitia erga proximum; sed in amore inordinato vitæ suæ, & ad summum in injustitia erga Deum. Vel siquam in tali occisione agnoscunt injustitiam erga proximum, ad summum est in ordine ad vitam ipsius, non in ordine ad damna ex occisione ipsius secuta: utpote ipsi volenti illata; ipsi consequenter imputanda, juxta reg. 86. juris in 6. *Damnum quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis, imputare.*

1263 Tertiò non cessat, dum quis, verbis contumeliosis provocatus, contumeliosum occidit, vel occidit injustum invasorem, non vitæ, sed bursæ, vel pudicitiæ. Quia hoc pari injustitiâ facit, ac si nitentem vi ipsi auferre pomum, vi auferret brachium. Si tamen suam pudicitiam, vel bursam defendendo, præter intentionem occideret invasorem, non teneretur: quia homicidium ipsi non imputaretur.

1264 Cessat tamen restitutionis obligatio, quoties ex accepto vulnere jam morituro, consideratâ homicidæ paupertate, damnorum realium compensationem ipsi remittit. Quia sicut moriturus, ante mortem de bonis suis pro libitu potest disponere; ita & bona sibi restituenda, sive obligationem reparandi damna remittere.

1265 An etiam validè remittere potest compensationem lucri cessantis, necessarii ad sustentationem uxoris & liberorum? Videtur quòd sic, si sustentationem ipsis non debeat ex justitia. Sed quia magis providere tenetur uxori & liberis, quàm homicidæ, certum est quòd talis condonatio inofficiosa foret & illicita: utpote saltem contra ordinem charitatis.

1266 Quartò non cessat dicta obligatio, dum supremus Princeps, ex causis concedit homicidæ veniam, remissionem, & abolitionem delicti, ut capitali pœnâ non plectatur. Tametsi enim Princeps, ex potestatis plenitudine, justa de causa absolvere possit homicidam, nunquam tamen id facere censetur in præjudicium privatorum, interesse habentium: quia naturalis æquitas id non permittit. Unde nec id facere solet, nisi pacatis priùs consanguineis, prout habent jura & consuetudines Provinciarum Belgii nostri, & ipsamet Principum Edicta. Pacatis (inquam) consanguineis: quia moribus nostris non sufficit pacificatio cum defuncto inita dum adhuc viveret: quia pacificationem etiam cum consanguineis Provinciarum consuetudines & Edicta requirunt: alioqui his permittunt civiliter agere ad recuperandum interesse, & criminaliter ad condemnationem pro delicto. Nec in foro conscientiæ vulneratus (ut suprà dixi) censetur damnorum realium reparationem condonare, per hoc quòd ex corde injuriam seu offensam sibi factam remittat; imò sæpè non potest, sine quadam injustitia, & immisericordia in suos, quibus debet succurrere.

CAPUT CXXXIII.

Corruptor virginis, sponte consentientis, id est nec vi, nec fraude, vel dolo, nec importunis precibus inductæ, sed ultrò se offerentis, vel leviter rogatæ, non tenetur aliquid ipsi restituere; tenetur tamen parentibus satisfacere pro injuria, si fuerint inviti, & virgo sub eorum extiterit potestate.

1267 SAnctus Thomas q. 154. a. 6. docet stuprum, seu corruptionem virginis extra matrimonium, ultra malitiam simplicis fornicationis, specialem habere malitiam injustitiæ; unam ex parte virginis: utpote quæ, amissâ extra matrimonium virginitate, amittit pudorem, & pudore amisso, exponitur periculo relabendi, sive (ut sanctus Doctor loquitur) ponitur in via meretricandi. Alteram ex parte parentum, vel tutorum, sub

quorum est custodia : quamvis enim parentes jus non habeant potestatis, vel usûs in corpus filiæ suæ, habent tamen jus custodiæ, & quasi depositi naturalis : cùm de jure naturali custodes sint & depositarii corporis, & integritatis ipsius usque ad matrimonium. Unde quemadmodùm injuriam facit custodi & depositario horti, qui (ipso invito) violat sepes, vel muros illius; ita similiter, &c.

1268 Quòd autem parentes jure naturali custodes sint, ac velut depositarii corporis, & integritatis filiarum suarum, ita ut, ipsis invitis, nequeant, absque injuria ipsorum, se violandas tradere extra matrimonium, communis est doctrina Majorum, quam Spiritus sanctus insinuat Eccli. 7. dicens: *Filiæ tibi sunt? custodi corpus earum.* Et c. 42. *Super filiam luxuriosam confirma custodiam, nequando faciat te in opprobrium venire inimicis.* Idipsum naturale lumen ipsismet Ethnicis ostendit, quorum unus propterea sic cecinit :

Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est;
Tertia pars data patri, pars data tertia matri;
Tertia sola tua est.

1269 Et declaratur à simili : quia ipsi sunt custodes ac depositarii libertatis filiarum suarum eundi foras, ita ut, ipsis invitis, nequeant, usque ad matrimonium, vel emancipationem, absque ipsorum injuria, exire ad locum, qui sit moraliter extra potestatem ipsorum, ut omnes fatentur. Ergo similiter, &c. Atque ideò S. Thomas loco citato ad 3. dicit, quòd *ille, qui virginem, etiam consentientem, corrumpit, injuriam facit patri puellæ.* Estque ista communis sententia Thomistarum, & Doctorum antiquorum, apud Sylvium ad laudatum locum S. Thomæ.

1270 Porrò ex ea consequens est, corruptorem virginis, licèt sponte consentientis, injuriam facere parentibus ipsius; pro ea proinde teneri ipsis satisfacere, prout docet S. Thomas ibidem: *unde* (inquit) *ei secundùm legem tenetur ad pœnam. Dicitur enim Deuteron.* 23. „ Si tenuerit vir puellam virginem, quæ non „ habet sponsum, & apprehendens concubue„ rit cum illa, & res ad judicium venerit : da„ bit, qui dormivit cum ea, patri puellæ quin„ quaginta siclos argenti, & habebit eam uxo„ rem. „ Quæ lex, utpote judicialis, licèt ex se non obliget in novo Testamento, satis tamen indicat injuriam factam patri puellæ. Et ideò *in foro conscientiæ* (inquit S. Antoninus p. 2. t. 5. c. 6. de stupro §. 1.) *sic agendum videtur secundum Guilielmum : si defloret eam voluntariam, non tenetur ei; patri autem tenetur : quia injuriatus est ei. Unde in aliquo satisfaciat, vel saltem eum placet, sive per honorariam satisfactionem, sive per alia signa doloris, & submissionis.* Notum est enim, quàm graviter sentire soleant honesti parentes filiarum suarum lapsum, dum devenit ad notitiam ipsorum. Imò damnum parentibus inde subsecutum, matrimonio, vel dotatione regulariter est reparandum, si res ad notitiam hominum venerit.

Quòd autem corruptor virginis, sponte 1274
consentientis, non teneatur aliquid restituere ipsi virgini, ratio est, quia nec virginitatem ipsi restituere potest, nec restituere tenetur damna ex virginitatis amissione subsecuta : quia in sui violationem sponte consentiendo, cessisse censetur juri, quod alioqui habebat ad reparationem damnorum ex sui violatione consequentium. Quoad hoc autem cedere potest juri suo, etsi non juri ad integritatem corporis sui extra matrimonium. Non enim habet potestatem, saltem expeditam, tradendi cuiquam usum corporis sui extra matrimonium, sed impeditam per jus custodiæ, & depositi parentum filiæ suæ, ut suprà dictum est.

CAPUT CXXXIV.

Qui virginem vi, vel fraude corrupit, jure naturæ tenetur ad reparationem damnorum inde secutorum.

RAtio est manifesta : quia damnorum isto- 1274
rum causa est injusta. Tenetur ergo ratione injustæ damnificationis. Quia verò damna sæpè reparari non possunt, nisi matrimonio, ex justitia tenetur eam ducere, si ipsa velit. Si nolit, tenetur eam sic dotare, ut æquè benè nubat, ac si non fuisset corrupta. Et si nec sic nuptias æquè convenientes, commodas, & quietas invenire possit, tenetur insuper earum jacturam resarcire, ac pro injuria, ignominiaque, ipsi & parentibus illata, petitione veniæ, aliisque doloris, atque submissionis signis, ipsis satisfacere.

Addit Bonaventura Barp in Scoto defen- 1275
so Apologiâ ult. act. 3. teneri, quantùm potest, restituere virginitatem corporis, quam injuriosè abstulit. Hoc enim possibile esse putat. Quia corporis virginitas duo dicit, 1°. integritatem clausuri. 2°. non esse cognitam à viro. Hoc quidem 2^um. irreparabile esse fatetur. 1^um. verò non dubitat reparari posse, & quandoque reparari. Quod (inquit) in Italia meo tempore scio tentatum, nec dubitare debeo perfectum : quia virginitatis hujus violatio consistit in ruptura signaculi virginalis; adeòque reparatio ejus consistit in integritate ejusdem. Jam verò quid impedit quominùs illud integretur, sicut aliæ scissuræ & vulnera in carne hominis, &c. ? Unde non insulsè dixit, me præsente, quidam hodie Eminentissimus, aliquas ex suis conterraneis esse plusquàm semel virgines. Hactenùs ille, subjungens corruptorem ad talem reparationem teneri sumptu suo, non operâ.

Sed quæ honesta puella parum honestam 1276
istam, ac physicè difficillimam, valdèque dolorosam, frequenter etiam infamem, repa-

rationem admittat, vel exigat, talivè reparatione contenta sit? Ideò eâ dimissâ, hoc solum addo, 1°. quòd licèt virgo, vi, vel fraude stuprata, cogi non possit invita, ad ducendum eum, à quo tam atrocem stupri injuriam passa est; stuprator tamen ex hoc non evadit restitutionis obligationem, quòd se paratum offert ad eam ducendam, si ipsa nolit: quia justum non est, ut maneat sine debita satisfactione, dum justè non vult ipsum in maritum acceptare. Si tamen nullum aliud damnum, quàm virginitatis, ex stupro incurrisset, eò quòd paulò post obiisset, vel Religionem ingressa esset, vel res adeò occultà mansisset, ut æquè benè, decenterque nupsisset; ad nihil aliud teneretur, nisi ad satisfaciendum ipsi, & parentibus, per dicta signa doloris, veniæ petitionem, &c. Est enim regula generalis, quòd pro injuria ab omni alio damno reparabili separata, ex justitia non debeatur nisi ejusmodi satisfactio. Si tamen jam nupta damnum aliquod pateretur, ex hoc quòd jactura virginitatis marito jam innotuisset, damnum illud arbitrio prudentum compensare teneretur.

1275 Addo 2°. quòd si stuprator virginem quidem vi non corruperit, seduxerit tamen falsis persuasionibus, vel fictis promissionibus, ipsi injuriam fecit, *& sic tenetur ei satisfacere* (ait S. Thomas ubi suprà ad 3.) *Unde dicitur Exodi 22. Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, &c. dotabit eam, & habebit eam uxorem. Si autem pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.* Quæ lex cùm inserta sit juri canonico cap. 1. de adult. & stupro, etiam nunc obligat, & secundùm eam judicatur in foro externo. In foro autem conscientiæ jus naturæ postulat, ut si damnum sic sufficienter non reparetur, alio convenienti modo, juxta prudentum æstimationem, reparetur.

1276 Addo 3°. quòd si stuprator virginem corruperit sub promissione matrimonii, licèt promissio ejusmodi, sub conditione actûs, jure naturæ invalida sit; jure tamen gentium, & consuetudine omnium populorum vim habeat, opere perpetrato, & ideò tenetur promissum suum implere, sive verè, sive fictè promiserit, sive juratâ, sive non juratâ promissione. Quia si verè promiserit, sub conditione consensûs ipsius in opus, tenetur ratione promissionis onerosæ, postquam puella conditionem ex parte sua implevit. Si verò fictè, puellâ sincerè ex parte sua procedente, ex justitia tenetur fictionem tollere, eâque sublatâ, stare contractui. Ita Sylvester, Navarrus, Scotus, & alii communiter, contra Doctores quos citat, sequiturque Diana p. 11. tr. 6. resol. 56. dicens, fictum promissorem, si possit damnum aliter compensare, non teneri ducere, sed solùm convenienter dotare; & si interrogetur à Judice, an promiserit, posse negare, intelligendo de promissione vera & obligatoria. Sed hoc prorsus est improbandum: quia responsio esse debet ad mentem Judicis legitimè interrogantis. Mens autem ipsius non tam est interrogare de interna, quàm de externa promissione: utpote quæ sola cognitioni patet humanæ, & cui interna voluntas vel est, vel debet esse conjuncta.

Sunt tamen casus aliqui, quibus virginem 1277
à se seductam ducere non tenetur, etiam qui verè promisit. 1°. si puella nolit ei nubere, vel parentes eam nolint ipsi tradere. 2°. si ex matrimonio cum ipsa rationabiliter timeatur grave scandalum, vel infelices exitus, per graves discordias, lites, &c. 3°. si puella se finxit virginem, nobilem, divitem, cùm non esset. Idem plures censent, licèt puella positivè non deceperit virum, sed seipsum ipse deceperit, putans virginem, cùm non esset. Ita Corduba in suo Quæstionario l. 1. q. 13. Quia cùm ista sit causa sufficiens ad sponsalia dissolvenda, est quoque sufficiens ad recedendum à promissione, modò aliunde compenset damna per stuprum illata (ad quod ipsum tunc, sicut & in duobus casibus præcedentibus, meritò obligat Malderus hic c. 4. dub. 5.) quia ipsa non decepit eum fraude aliquâ. 4°. si puella postmodùm permittat se ab alio seduci. Quia & ista est causa sufficiens dissolvendi sponsalia. 5o. si stuprator esset valdè nobilis, ipsa verò plebeia, id non ignorans, facilè suspicari potuisset, ipsum fictè nuptias promittere, ut eâ frueretur. Ita Navarrus c. 16. n. 17. Malderus ubi suprà. Verùm iste non est casus veræ, sed fictæ promissionis. Si enim nobilis, aut valdè dives, ignobili, vel pauperi, cognitæ ut tali, equidem verè ac sincerè nuptias promisisset, teneretur promisso (quidquid in contrarium asserat Marcus Serra q. 62. a. 2.) quia verè ac sincerè promittendo, cessisset juri suo, excessuique renuntiasset.

Sextum casum ponunt Navarrus lib. 4. 1278
consil. 1. Valentia, & alii, si stuprator, ante matrimonii promissionem, jam ligatus erat simplici voto castitatis, vel ingrediendæ Religionis. Quia promissio Deo facta per votum, etiam simplex, magis obligat, quàm promissio facta homini. Verùm-enimverò si votum istud puella ignoraverit, contraria opinio (quam tenent Lessius, Wiggers, & alii communissimè) videtur probabilior. Quia obligatio justitiæ, fundata in jure tertiæ personæ, strictam alioqui injuriam passuræ, prævalet obligationi voti simplicis, fundati in gratuita voluntate voventis. Siquis enim post votum dandi Ecclesiæ gratuitam eleëmosynam centum florenorum, furatus centum florenos, restituere non posset, nisi dando illos centum florenos Ecclesiæ promissos, ex communi Doctorum sententia, teneretur illos potiùs dare proximo injustè damnificato, quàm Ecclesiæ. Con-

fultò tamen tunc peteretur dispensatio super voto, si obtineri posset. Quia id tutius: etsi fortè non videretur absolutè necessaria: eò quòd voti executio jam facta esset illicita.

CAPUT CXXXV.

Dum ex adulterio secuta est proles, adulter & adultera tenentur ad restitutionem damnorum omnium, tam legitimis filiis, quàm etiam marito, & hæredibus ipsius.

1279 DUm adulterium sic est occultum, ut soli Deo, & adulteris sit cognitum, ex eoque secuta non est proles, adulteros ad nihil teneri, nisi ad satisfaciendum Deo per pœnitentiam, Doctores conveniunt: nullam enim satisfactionem debent marito, nisi factum noverit. Tum quia hoc periculosum foret, maritique animum exacerbaret. Tum quia satisfactio pro injuria non debetur, nisi scienti se injuriam passum. Si verò adulterium marito innotuerit, satis constat à similì ex dictis de stupro, ipsos teneri ad præstandam ipsi honorariam satisfactionem pro offensa, & contumelia. Secutâ verò prole ex adulterio, adulteram & adulterum teneri ad restitutionem damnorum inde provenientium legitimis prolibus, marito, & hæredibus ipsius, ex eo manifestum est, quòd eorum ipsi sint causa injusta.

1280 Damna porrò ista sunt: 1°. quòd proles ista cum prolibus legitimis ejusdem mulieris educetur ex bonis patris putatitii, vel Hospitalis, si exposita ibi fuerit. 2°. quòd bonorum legitimis prolibus, & (istarum defectu) legitimis hæredibus competentium hæreditatem perinde sortiatur, ac si foret legitima. 3°. quòd hæreditates, legata, donationes ipsi ex consanguineis patris vel matris, tamquam legitim æproli, obveniant, in præjudicium legitimarum prolium, quibus aliàs relinquerentur.

1281 Et damna quidem primi generis, id est sumptos factos pro victu & vestitu prolis, adultera tenetur primò & principaliter resarcire usque ad tertium annum ætatis ipsius inclusivè; adulter verò à tertio anno & deinceps. Quia matris est alere prolem à partu ad tertium annum inclusivè; à tertio & deinceps, est patris, cap. 2. de convers. conjugat. & *L. nec filium* Cod. de patria potest. In defectum tamen matris tenetur pater, & è converso. Ad aliorum damnorum secundi & tertii generis reparationem adulter & adultera tenentur æquè principaliter, teneturque adulter, deficiente adulterâ, in solidum, & similiter adultera, deficiente adultero.

1282 Hoc tamen limitant Sotus, Henriquez, &c. 1°. ut non procedat in damnis provenientibus ex eo quòd adultera spurium marito supposuerit, si suppositionem istam adulter nec procuraverit, nec suaserit, nec ei immediatè cooperatus fuerit; quo casu dicunt, adulterum de ejusmodi damnis solùm teneri in defectum adulteræ.

Aft limitationem istam meritò rejiciunt Corduba, Navarrus, Azorius, Lessius, & passim alii: quia sive adulter suppositionem suaserit, sive non, eo ipso quòd adulter & adultera æquè primò & immediatè concurrerunt ad hoc ut proles spuria nasceretur mulieri in conjugio existenti, & individuam cum marito domûs, & thalami societatem habenti, uterque (seclusâ adulterii suspicione) æquè primò est causa, quòd proles ista credatur esse mariti. Igitur uterque æquè primò est causa damnorum, quæ ex ista credulitate nata sunt sequi.

Limitat 2°. Tamburinus l. 7. in Decal. 1283
c. 3. §. 4. n. 8. ut non procedat in iis quæ liberaliter donantur spurio, eò quòd putetur legitimus, etsi aliàs ipsi non donarentur, sed legitimis filiis. Cujusmodi damna negat ipse legitimis prolibus restituenda. Sed sicut eleëmosyna data ficto pauperi, ab eo qui credit verè esse pauperem, aliàs ipsi non daturus, restituenda est verè pauperi, ut Tamburinus fatetur l. 8. tr. 4. c. 1. §. 1. Ita similiter.

Pari ratione si proles adulterina à paren- 1284
tibus adulteris exposita fuerit domui hospitali, ei tenentur ad restitutionem singuli pro rata, si communi consensu ad expositionem concurrerint, nisi domus hospitalis generaliter, & indistinctè fundata fuerit pro expositis suscipiendis, & non solùm pro expositis filiis pauperum. Quod colligi potest vel ex instrumentis fundationis, vel ex usu domûs hospitalis, à tempore fundationis solitæ generaliter suscipere quoscumque, expensas non repetendo, etiam post acceptam notitiam parentum divitum.

Hactenùs tamen dicta procedunt in casu 1285
quo certum est prolem ex adulterio esse natam. Si enim adulter certus quidem sit de adulterio à se commisso, & prole nata, dubius tamen, an ex se, an ex marito, Natalis Alexander Th. Dogm. & Moral. to. 10. l. 4. c. 8. a. 2. reg. 2. cum pluribus aliis censet, nihil debere restituere: quia in dubio melior est conditio possidentis. Res autem dubia censetur (inquit) nisi vel maritus toto conceptionis tempore abfuerit, vel alia sint adulterini conceptûs signa, non solùm probabilia, sed omninò certa. Aliàs enim ex legitimo matrimonio natus judicatur, qui in domo legitimorum conjugum natus est, si maritus eo tempore habitabat cum matre, tamquam cum uxore. Nec refert quòd adultero similis sit, non putatitio patri: similitudo enim illa ex aliis causis oriri potest, adeòque fallax signum est. Quamobrem in favorem matrimonii judicatur.

Verùm ex alibi dictis pro indubitato ha- 1286
bemus, eum non omninò excusari ab obligatione restitutionis. Nam, ut benè doctissimus Author Supplementi Neesen tr. 3. de just. q. 3. de injur. per stupr. & adulter.

dub. 5. si reverà proles sit ex facto ipsius procreata, quis dubitet quin à parte rei teneatur? Constat de adulterio perpetrato, & de prole nata, & dubium solùm est, an ex adulterio nata sit. Judicat probabiliter quòd sic, licèt non certò. Ergo debet etiam probabiliter judicare se ad restitutionem obligari. Non enim habet certum motivum ad deponendum illud probabile dubium. Ergo, stante illâ probabilitate, non potest prudenter dubium illud deponere: nec enim potest, illâ stante, de oppositio certus esse. Ergo non potest prudenter deponere dubium circa obligationem restituendi. Ergo tenetur aliquid restituere pro ratione dubii: alioqui manifestè exponit se periculo committendi veram injustitiam. Ideò Ecclesia, in ejusmodi dubiis, non utitur regulâ illâ: in dubio melior est conditio possidentis; sed istâ: in dubiis via tutior est eligenda, uti fusè demonstravimus to. 1. agendo de conscientia dubia. Tutius verò est, in tali dubio, restituere pro ratione dubii, quàm non restituere: cùm in restituendo nullum sit peccati periculum; secùs in non restituendo.

1287 Et quare maritus solus in tali dubio portare deberet totum pondus alendi prolem, eique providendi, quando æquè probabile est prolem ex adultero, quàm ex marito natam? Quâ item justitiâ & æquitate solus illud portare debet, cùm probabilius est prolem ex adulterio esse, quàm ex conjugio? Certum igitur esse debet, in pari utrimque probabilitate, adulterum obligari ad medietatem damnorum; in casu verò majoris probabilitatis, seu verisimilitudinis quòd proles ex adulterio nata sit, tantò majorem esse ipsius esse obligationem, quantò major est de eo verisimilitudo. Et si adulter objiciat, meliorem esse conditionem possidentis; maritus meliori ratione ei reponere potest, meliorem esse conditionem innocentis, quàm nocentis. Si adulter replicet, in dubio de fundamento obligationis, meliorem esse conditionem negantis, quàm affirmantis; jure maritus respondebit, hoc non procedere, dum constat de causa damni posita, & dubium est de damno secuto. Quia tunc qui injustè causam illam posuit, tenetur ad æstimationem incertitudinis, licèt damnum non præsumatur secutum, ut benè probat Ludovicus de Scildere in suo Tract. de Principiis conscientiæ formandæ tr. 3. n. 52. Quia (inquit) ita dictat jus naturæ. Neque jus positivum in hoc puncto ab eo recessit. Imò statuit ut venditor aleæ, vel jactûs, qui contra initum contractum noluit jacere, debeat præstare æstimationem eventûs incerti, v. g. piscium, qui fortè capti fuissent. L. *si jactum* 12. ff. de action. empti. Et quidem sic ut tunc, etiam in foro externo, daretur actio ex empto. Atqui inde argumentandum est ad alios casus, in quibus non est quidem initus contractus de præstanda alicui spe alicujus lucri; sed voluntariè posita est causa; positivè illativa damni injusti; v. g. vi impediendo piscatorem ne piscaretur. Quisquis enim hoc facit, non minùs gravi, imò graviori injustitiâ ponit causam ex se damnificativam, seu etiam lucri impeditivam, quàm si non satisfaceret promissioni, omittendo jactum retis. Nec lex naturalis censeri debet magis favere adultero, qui thorum alienum injustè violavit; quàm debitori, qui opus promissum non præstando, spem alterius injustè elusit.

Et hinc tria deducuntur principia mora- 1288
liter certa in materia de restitutione, ex quibus manifesta videtur veritas assertionis nostræ.

Primum est, quòd certus de posita à se voluntariè causa injustè damnificativa, dubius verò de damno ex ea secuto, teneatur (saltem in foro conscientiæ) ad æstimationem istius incertitudinis. Lex quippe naturæ dictat, cum qui injustè ponit causam ex se impeditivam lucri, licèt certus non sit; quòd alioqui subsecutum fuisset, v. g. impediendo agricolam ne ferat, vel sementem ipsius destruendo, teneri ad restitutionem pro valore spei consequendæ messis, uti fatentur Lessius & Diana p. 3. tr. 6. resol. 6. Similiter ergo dictat, eum qui injustè ponit causam ex se inductivam damni; licèt certus non sit quòd damnum sit subsecutum, teneri ad restitutionem pro æstimatione apparentiæ, licèt incertæ, quòd damnum sit subsecutum.

Secundum principium: certus de posita 1289
causa ex se damnificativa, damnoque de facto secuto, sed dubius an secutum sit ex causa illa, restituere tenetur pro ratione dubii, & æstimatione probabilitatis quòd inde secutum sit. Sequitur à fortiori ex primo principio. Adulter proinde certus de adulterio, & de prole nata, dubius an ex se nata sit, an ex marito, marito restituere tenetur damnum pro ratione dubii, inquit Ludovicus Scildere, cum Molina, Layman, Rebello, contra Dianam p. 7. tr. 11. resol. 36. & p. 11. tr. 5. resol. 27. Quia justum non est, quòd in ejusmodi dubiis debeat unus, isque innocens, alimenta omnia præstare solus, & alius, licèt certò nocens, sit immunis; imò cùm adulter sit causa injusta quòd maritus det alimenta filio, tamquam certo, qui tamen est dubius, damnum istud marito debet compensare.

Nec refert quòd proles tunc præsumatur 1290
esse legitima, & à marito ali debeat. Quia præsumptio ista est in gratiam prolis innocentis, non in gratiam adulteri, qui nullam meretur præsumptionem sibi favorabilem. Et licèt proli fortè nihil debeat, iis tamen debet aliquid, qui propter adulterium ipsius coguntur ad id quod probabiliter non debent.

Tertium principium: si duo certi sint de 1291

posita ab utroque causa injustè damnificativa, damnoque ex alterutra causa secuto, dubii verò ex qua, uterque pro ratione dubii, tenetur ad resarciendam partem damni. Ita Cagnolus ad L. *semper in obscuris* ff. de reg. jur. Molina disp. 736. Lugo de just. disp. 19. sect. 1. n. 22. Franciscus Bardi discept. 6. c. 9. §. 21. Scildere n. 352. id probans ex L. *Aquilia* L. *item Mela* §. 2. ff. ad L. Aquil. Et L. *item vulneratus* 51. §. 1. ff. eod. ubi sic: *Cùm à pluribus idem servus ita vulneratus esset, ut non appareret, cujus ictu periisset, omnes Lege Aquilia teneri judicaverunt*, teneri utique ad pœnam. A fortiori ergo ad resarciendum damnum, seu partem damni. Argum. L. 1. §. fin. de his qui effuderint, ibi: *omnes præstaturi partem damni.*

1292 Collige, quòd si duo cum eadem femina adulterati, certi sint de prole nata ex adulterio, sed dubii an ex suo, an ex alterius, singuli tenentur ad partem damnorum, pro ratione dubii, etiamsi ne quidem ex parte prolem, tamquam suam, alere teneantur. Neque enim ex eo tenentur, quòd quisque prolem agnoscere debeat pro sua, & ut talem alere; sed ex eo quòd quisque injustè posuerit causam, ob quam proles aliena marito supponitur alenda, tamquam propria.

1293 Atque ex his confirmatur quod suprà dixi, infundatam esse applicationem regulæ, de meliori conditione possidentis, ad casum de quo præsentialiter agimus. Quid enim dicerent illam regulam allegantes; quid (inquam) dicerent in casu, quo duo illi adulteri contenderent cum marito, certo de commisso ab ambobus adulterio, secutaque prole non ex se, sed ex alterutro, sed id probare non valente, & ideò obligato per leges ad prolem alendam? Ego (in dubio an proles sit mea) non tenear, diceret unus: quia melior est conditio possidentis. Similiter nec ego, diceret alter, eamdem allegans regulam. Multò minùs ego, diceret maritus: quia multò melior est mea conditio possidentis certitudinem quòd non sit mea. Ergone totum onus vel rejiciendum in mulierem, vel proles omni auxilio destituenda? Neutrum admittitur, nec admitti potest ab Adversariis. Ergo in ejusmodi casibus sequenda est canonica regula: *In dubiis via tutior est sequenda.*

CAPUT CXXXVI.

Adultera impotens ex se reparare damna, marito, legitimis filiis, vel hæredibus provenientia ex suppositione spurii, non tenetur, cum periculo gravioris mali, spurium marito, vel filiis legitimis, ad impediendа damna illa, revelare.

1294 SUb istis terminis assertio communiter à Doctoribus admittitur. Ad casum namque quo adulter non vult, vel non potest restituere, & adultera non habet etiam media, per quæ damna compenset, an adultera tunc teneatur in conscientia, ut eviten-tur ulteriora damna in legitimis successoribus, declarare illam prolem esse illegitimam? Respondent, si illa declaratio sciatur futura ad id efficax, neque secutura sint graviora mala ex ea, ut quòd maritus, vel consanguinei uxorem, aut adulterum occident, &c. (quæ ex circumstantiis judicanda sunt) teneri mulierem ad illam declarationem eo modo faciendam, quem sapiens Confessarius judicabit sufficientem fore ad injustitiam impediendam, aut resarciendam. At si, spectatis omnibus, declaratio illa fieri non possit cum effectu sperato, vel nisi cum gravi periculo, ne ex ea contingant graviora mala, quàm sint damna illa, docent mulierem non teneri ad faciendam illam declarationem. Tum quia prodigeret suum & familiæ honorem. Tum quia per illam declarationem esset causa graviorum illorum malorum. Unde in talibus circumstantiis restitutio à Doctoribus reputatur moraliter impossibilis; adeòque rationabiliter exigi non potest ab iis quorum interest.

Sed quid si mulier judicet revelationem 1295
habituram effectum, nec ex ea secuturum aliud gravius malum, nisi quòd ipsa per hoc sese diffamabit? In isto casu H. Sellius in explicat. 6. præcept. Decal. c. 3. Adrianus in 4. de restit. pag. 30. & alii docent, adulteram ad id obligari. Quod saltem Authores proximè laudandi verum esse censent, si & maritus, & filius forent homines valdè boni, ac prudentes, qui crimen illud silentio forent compressuri, neque ideò adulteram vexaturi. Ita D. Antonius, Rebellus, Lessius, Dicastillo, Joannes Martinez de Prado, quos refert, sequiturque noster Andræas à Matre Dei tr. 13. de restit. c. 3. n. 40. sequitur etiam Wiggers tr. 2. c. 4. dub. 6. sive quia mulier tunc non censetur se diffamare: quia infamia, ut Rebellus ait, non intelligitur respectu unius vel alterius viri boni ac prudentis, sed respectu multorum: sive quia siqua tunc sit infamia, certè non tanta, quin in tali casu postponenda sit gravissimis innocentium damnis, quorum ipsa causam posuit injustam. Neque enim infamia, siqua sit apud unam vel alteram personam talem, reputatur malum longè gravius, quam sint damna quæcumque temporalia, prout colligitur ex eo quòd non censeatur infamator injustus, qui occultam mulieris alicujus (licèt pudica ibi habeatur) impudi- 1296
citiam secretò revelat amico, vel consanguineo, volenti eam ducere, ad eum avertendum à matrimonio, quod scit ab ipso nunquam ineundum, si sciret eam sui corporis quæstum fecisse, ut ex communi sententia rectè docet Morinus l. 2. de pœnit. c. 17. n. 9. Sic etiam non censetur quis injustè diffamare proximum, qui se-

cretò sciens famulam aliquam furacem esse, de eo occultè monet amicum vel consanguineum, deliberantem de ea in famulam suam accipienda, ne ipsi in temporalibus noceat. Distinguenda ergo fama nocentis à fama innocentis, nec illa semper anteponenda est bonis temporalibus innocentum : quia (ut Morinus ibidem) crimen voluntariè admissum, illius reum saltem eatenus reddit infamiâ dignum, ut non peccet qui illud secretò revelat uni vel alteri viro prudenti, ad avertendum grave aliquod damnum, seu incommodum ipsius. Manifestum ergo videtur mulieris adulteræ, licèt publicè habeatur honesta, jus ad famam non esse tantum, quin ipsa teneatur illud postponere juri quod habent innocentes, ut ob adulterium ipsius graviter in temporalibus non damnificentur, dum damna ista cavere potest sine alio malo suo, quàm talis qualis infamiæ, provenientis ex eo quòd factum suum secretò revelet uni vel alteri viro probo & prudenti, ut suprà. Imò si nec sic posset damna illa avertere, saltem teneretur à marito per se, vel per alium, veniam petere, & damnorum illorum remissionem, si maritum haberet tam bonum ac prudentem, ut inde graviora non timeret mala, quàm occultam sui criminis revelationem, ipsi soli factam, ut rectè docet Hesselius loco citato.

1297 Quia tamen adultera utplurimùm revelare non potest factum suum marito, nec legitimis prolibus, absque periculo vitæ, vel graviorum aliorum malorum, grandium scilicet discordiarum, odiorum, homicidiorum, & mutuorum adulteriorum, si maritus dimitteret eam, & tam ipse, quàm illa, non valentes forsitan continere, utrique adulterarentur, & alia multa pericula inde possent oriri ; ideò utplurimùm *non expedit adulterium revelare marito, vel etiam ipsi spurio* (inquit sanctus Raymundus in Summa l. 2. tit. de raptor. §. 10. : *quia tamen non videtur quòd possit . . . . esse in statu salvandorum, durante tali deceptione* : quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, 14. q. 6. can *si res aliena*. Ex altera parte verò *propter hoc non est ei pœnitentia deneganda* (ut ait Innocentius extrav. de pœnit. cap. *officii*) *ita procedat : revelet in pœnitentia factum suo Sacerdoti Parochiali, vel, de licentia ipsius, alteri magis perito ; & postea cum ipso, vel etiam sine ipso, si vult, revelet Episcopo suo similiter in pœnitentia. Et tunc Episcopus, vel etiam Sacerdos (si tantæ discretionis, vel maturitatis sit) vel, quod tutius est, ambo simul inquirant diligenter & cautè, si ille spurius sit homo spiritualis, & timens Deum. Quo invento, vocent eum secretè, & coram muliere ; &, si videbitur expedire, recepto prius sacramento ab ipsa, quòd calumniosè non procedat, & etiam ab illo quòd factum secretum teneat, poterunt revelare sibi, & inde consulere ut ingrediatur Religionem, vel transferat se ad longinquam regionem, ut sic nihil percipiat de bonis illius, quem credebat esse patrem suum. Ea autem quæ consumpsit de bonis prædictis, dum habebat bonam fidem, credens se esse filium legitimum, ipse non tenetur restituere, sed mater adultera, si possit. Quòd si illi spurio non potest revelari sine periculo, vel etiam facto sibi revelato, secundùm formam prædictam, non vult acquiescere consilio ; tunc etiam injungatur mulieri, quòd de sponsalitio suo, & aliis rebus quas habet, vel etiam in futurum habere poterit, diligentiùs laborando, sumptus ornatumque suum minuendo, quantùm servato decoro fieri potest, ut parcimoniâ suâ legitimorum hæredum sortem meliorem faciat, & sic satisfaciat juxta posse, dolens semper de peccato ; & quia non potest plenè satisfacere, proponens firmiter in animo, quòd satisfaciet quam citò poterit.* Et tunc ad amplius non tenebitur : quia amplior satisfactio ipsi censebitur impossibilis ; nec tunc innocentes damnificati esse poterunt rationabiliter inviti.

Cæterùm dum adultera non potest quidem marito, vel legitimis prolibus factum 1298
suum revelare absque dicto periculo ; potest autem spurio, modo proximè dicto, vel simili, ad id tenetur, dum id ipsi certò probare potest (v. g. ex eo quòd toto suæ conceptionis tempore maritus abfuerit) quia tunc tenetur credere, ac per consequens se non ampliùs immiscere iis quæ ad alios pertinent. Neque tunc sequi nata sunt graviora mala. Si autem non possit ipsi certò probare, quòd legitimus non sit, Adrianus adhuc equidem putat teneri id ipsi revelare, etiamsi credat id non crediturum : quia tenetur ipsa facere quidquid moraliter potest ad vitanda, vel resarcienda injusta damna ; & licèt spurius tunc non sit crediturus, fortè postea crediturus est, & ita tandem cessabit ulterius damnum.

Sed teneturne spurius credere matri, 1299
sine certa probatione asserenti ipsum esse spurium ? Negant Theologi, Canonistæ, & Legistæ multi, id probantes ex variis Legibus, & cap. *officii* de pœnit. & remiss. Sed hoc ibi expressè non definitur, & contrarium pro foro conscientiæ videtur verisimilius, casu quo mater id assereret talibus in circumstantiis, quæ fidem astruerent, nec aliæ essent quæ illam destruerent, ut si mater effectu semper testata fuisset tenerrimum affectum erga illam prolem, & in mortis articulo, receptis Sacramentis, jam comparitura ante tremendum Judicem, sanâ adhuc mente, sub juramento id ipsi manifestaret.

Videri potest Illustrissimus Fagnanus ad 1300
caput *officii* de pœnit. & remiss. ubi multa habet digna quæ legantur. " Ea mulier (in- "
quit) aut dives est, & habet unde satisfa- "
ciat his, ad quos bona mariti pervenirent, "
si ejusmodi partus non adesset ; aut non ha- "
bet unde satisfaciat. "

„ Primo casu, aut mulier scit, vel potest
„ verisimiliter opinari, quos hæredes maritus
„ ab intestato, vel ex testamento habuisset,
„ aut quibus bona sua reliquisset? Et tunc
„ debet tantundem eis dare de propriis bonis,
„ quantum illi hâc occasione amisissent, arg.
„ cap. *si res* 14. q. 6..... Et quod restituen-
„ dum est, poterit tradere Episcopo in pœ-
„ nitentia, qui exinde satisfaciat quibus opor-
„ tuerit, adeò ut ignoretur unde provenit.....
1301 „ Aut mulier ignorat qui sint illi, nec po-
„ test hoc probabiliter opinari? Et tunc debet
„ tantundem pauperibus erogare, secundùm
„ id quod legitur, & notatur in cap. *cum tu*
„ §. 1. sup. de usur.

Secundo casu, id est cùm mulier non habet unde satisfaciat, tunc aut habet probationes paratas partûs ex adulterio susceptî, per quas posset succedentes ab intestato relevare à damno, quod ex sua occasione, & fraude illi reciperent, aut non habet?

1302 „ In primo casu, aut potest sine periculo
„ hanc fraudem revelare? Et debet eam de-
„ tegere, & de illa fidem facere. Aut non po-
„ test revelare sine gravi periculo, fortè quia
„ verisimiliter hinc orirentur scandala maxi-
„ ma, & homicidia? Et tunc conteratur, &
„ taceat, arg. cap. *nequis* 22. q. 2. Nam in
„ hoc casu, cùm ex una parte immineat jac-
„ tura rerum dumtaxat; ex altera verò peri-
„ culum animarum & corporum, si revelet:
„ cùm utrumque evitare non possit, inter hæc
„ duo mala tenetur eligere quod minus est,
„ arg. cap. *duo*, & cap. *nervi* 13. dist. Taceat
„ ergo cum damno rerum: quia illud minus
„ malum est, ut legitur in cap. 1. de pignor.
„ & in cap. *suscepimus* de homicid.

1303 Addit quidem Fagnanus, idem se arbitra-
ri dicendum, „ si ex revelatione immineat
„ sibi, aut alteri periculum infamiæ..... quia
„ non tenetur mulier crimen suum prodere
„ cum gravi honoris & famæ detrimento:
„ eò quòd viris bonis metus ignominiæ ma-
„ jor, quam mortis esse debet. L. *isti*. ff. quod
met. causâ. Et non tenetur quis restituere bonum inferioris ordinis cum jactura boni ordinis superioris; fama autem superioris ordinis est quàm res familiaris. Quia *melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*, Prov. 22. Verùm id Salomon non intelligit de falso nomine bono, sed de vero, sive quod à virtute & veritate ortum suum habet, prout intelligunt sacri Interpretes. Unde Rabbi Levi proverbium istud explicans: *Constat inter omnes* (inquit) *famam viro parari morum probitate, ac rectè factis; quod lectius est, quàm si opulentissimis facultatibus instructus esset.* Fama itaque falsa non videtur bonum superioris ordinis, quàm res temporales, sicut nec falsus honor, & gloria falsa, seu purè mundana, quâ v. g. gloriosi habentur divites, & pro qua tam multi duello certantes, animas suas perdunt. Mulieris verò adulteræ fama bona non est vera; & ideò amissio illius apud unam vel alteram personam prudentem, facta ad avertendum grave damnum ipsius, non potest verè censeri majus malum, quàm sit grave damnum temporale, prout ostensum est n. 1296. per consequens metus illius viris bonis major quàm mortis rationabiliter esse non potest. Nec proinde sine grano salis verum esse videtur istud Fagnani, pluriumque aliorum additamentum. Sed legantur sequentia apud Fagnanum.

In secundo, inquit, casu, id est cùm non „ 1304
habet probationes paratas, debet potiùs si- „
lere, quàm fraudem patefacere. cap. *plerum- „*
que 2. q. 7. „ Intellige, nisi tales sint circum- „
stantiæ, quibus filius spurius credere tenetur
matri (ut sup. n. 1299.) quo casu videtur spu-
rio debere patefacere, dum id potest absque
periculo graviorum malorum, ut ibi dixi.

Sacerdos itaque super hoc consultus, 1305
considerare debet qualitates personarum „
(prosequitur Fagnanus) tam mariti, quàm „
mulieris, & filii putativi. Nam si mulier „
dominetur viro, & periculum ex revelatione „
non immineat, poterit ei consulere, ut frau- „
dem patefaciat marito (non obstante sui apud „
ipsum diffamatione) quo consentiente, erit „
mulier à restitutione absoluta: quia concef- „
sum est marito de rebus suis ad libitum dis- „
ponere. L. *nemo externus* Cod. de Judæis. L. „
in re mandata C. mandati..... nisi habeat „
descendentes, quibus tenetur dimittere le- „
gitimam.... . „

Si verò ex revelatione marito facienda ti- „ 1306
meat periculum (gravioris utique mali, quàm „
sit suipsius apud ipsum diffamatio) tunc si „
filius putativus sit homo simplex, spiritualis, „
& timens Deum; recepto juramento à mu- „
liere, quòd malitiosè hoc non proponat, & „
à filio putativo, quòd secretum tenebit, re- „
velabitur hoc filio (ecce confirmat Fagna- „
nus totum quod suprà dixi) eique suadebi- „
tur, ut intret Religionem, vel ad partes re- „
motas, seu ultramarinas se conferat, & de „
hæreditate nihil attingat: quibus peractis, „
mulier erit in tuto. Quòd si filius non sit „
talis, nec velit matri fidem adhibere, vel „
mulieri periculum sit revelare; tunc nullum „
supereſt remedium, nisi ut, si proprium ha- „
beat, hæredibus..... satisfaciat competen- „
ter, &c. „ ut suprà dictum est ex S. Ray-
mundo.

CAPUT CXXXVII.

Sive quis proximum injustè diffamaverit falsum dicendo, sive verum injustè revelando, tenetur ad restitutionem famæ injustè ablatæ, quo meliori modo fieri potest; sicut & ad restitutionem omnium damnorum realium inde causatorum.

ITa S. Thomas q. 62. a. 2. ad 2. & 1307
probatur generali regulâ, quam tradit S.
Augustinus epist. 153. aliàs 54. ad Macedo-
nium,

nium, *si res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed ut dixi, cùm restitui potest.* Enimverò *quod vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*; famam verò injustè ablatam nobis restitui volumus. Et si fortunæ bona, injustè ablata, necessariò restituenda sunt; restituenda quoque sunt famæ bona injustè ablata: utpote tam nostra, quàm fortunæ bona, imò pretiosiora quàm illa, saltem si fama sit vera, fundata utique in vera coram Deo probitate; quo sensu dicitur Prov. 22. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ:* nomen quippe bonum ibi sumitur fundamentaliter, pro fundamento utique veri & christiani honoris & famæ; quo sensu fama bona melior quoque est quàm vita. Sed sive fama bona melior sit quàm divitiæ & vita, sive non sit, quisquis eam injustè alicui aufert, injustè ipsum damnificat. Igitur ad restitutionem tenetur ratione injustæ damnificationis.

1308 Confirmat hoc S. Thomas a. 2°. citato: quia *restitutio est actus justitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate consistit. Et ideò restituere importat reddditionem illius rei, quæ injustè ablata est. Cùm ergo conservare justitiam sit de necessitate salutis; consequens est quòd restituere id quod injustè ablatum est alteri, sit. de necessitate salutis.* Hinc ad 2. dicit: *Aliquis potest alicui famam tripliciter auferre: uno modo verum dicendo, & justè, puta cùm aliquis crimen alterius prodit, ordine debito servato; & tunc non tenetur ad restitutionem famæ. Alio modo falsum dicendo, & injustè; & tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse. Tertio modo, verum dicendo, sed injustè, puta cùm aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum; & tunc tenetur ad restitutionem famæ, quantùm potest, sine mendacio tamen: utpote quòd dicat se malè dixisse, vel quod injustè eum diffamaverit. Vel, si non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare.*

1309 Homo itaque qui proximum suum diffamavit, falsum ipsi crimen imponendo, *debet ipsi restituere famam (retractando se) & hoc ita in publico, sicut publicè diffamavit* (ait sanctus Bernardinus Senensis serm. 56. cap. 3.) *alias non servat justitiam, reddendo proximo suo quod suum est.* Debet (inquam) ipsi restituere famam apud omnes, ad quos diffamatio pervenit, confitendo *se falsum dixisse*, ut ait sanctus Thomas; imò, si opus sit, se mentitum esse, idque juramento firmare, si ad excutiendam malam de ipso opinionem simplex non sufficiat retractatio; vel etiam adhibitis, si necesse fuerit, sui mendacii & falsitatis testibus, adhibitis etiam tantis expressionibus, ut nasutis ipsis (si alioqui suspicentur id totum dici in sensu minùs vulgari, solùm ad finem restituendi famam) ut ipsis sufficienter appareat ita esse. Non obstante, quòd calumniator vel detractor ista præstare nequeat absque æquali, vel paulò majori famæ propriæ detrimento. Quia ex una parte parum pro nihilo reputandum est in favorem innocentis; ex alia verò parte in pari causa potior est conditio innocentis, quàm nocentis.

Et hinc manifestè sequitur, quòd si pro- 1310
ximum quis in proximum vitæ periculum
conjecisset, falsum ipsi crimen imponendo,
teneretur ex justitia se retractare, etiam cum 1311
proximo periculo propriæ vitæ. Cùm enim
potior sit innocentis, quàm nocentis conditio, ubi necesse est alterutrum pati dispendium vitæ, justum est ut illud potiùs patiatur nocens, qui istius dispendii injustam posuit causam, quàm innocens, qui causam non posuit. Se enim dignum reddidit morte, proximum injustè exponendo proximo periculo mortis.

Væ ergo testibus falsis, qui si falso suo 1312
testimonio proximi vitam in discrimen adduxerint, tenentur se retractare, etiam cum æquali, vel paulò majori vitæ suæ discrimine, quando aliter non possunt innocentem ab eo liberare discrimine. Aliàs forent causa injusta mortis innocenti inferendæ. Aliæ tamen viæ (si tempus permittat) tentandæ sunt, ad innocentem (si fieri potest) absque vitæ suæ periculo liberandum, adeundo Judicem per Confessarium; vel (si Confessarius tantæ non sit authoritatis apud Judicem) per Episcopum, qui Judici contestetur certò se scire hominem istum talis criminis falsò esse accusatum, & à falsis testibus oppressum, quamvis innocentiam ipsius juridicis mediis probare non possit: quia id fieri non potest, salvâ religione arcani, quod lex naturalis & divina revelare vetat; ideòque suâ authoritate Judicem interpellet, ut modis omnibus innocentem liberare conetur, ne de manu ipsius sanguinem innocentis Deus requirat.

Quoad detractorem, qui proximum in- 1313
justè diffamavit, non falsum ipsi crimen imponendo; sed verum, occultum tamen, injustè propalando, tenetur quidem etiam ipse ad restitutionem famæ, quantùm potest, sine mendacio tamen, inquit S. Thomas. Et propterea dicere non debet se falsum dixisse, vel mentitum se esse: tametsi enim vero aliquo sensu hoc dicere posset, sive quia dixit falsum falsitate publicâ, sive quia *ipsa peccata quæcumque falsitates & mendacia dicuntur in Scripturis*, ait sanctus Doctor 1. p. q. 17. art. uno; non sic tamen accipi solet in communi colloquio, sed sic, quòd falsum innocenti per calumniam imposuerit: aliis proinde modis famam ipsius resarcire debet, vel utique dicendo 1°. *Ne credite iis quæ de Titio dixi, nec talem habeatis: quia temerè, & leviter, vel ex passione dixi, ipsique injuriam feci.* Vel 2°. suaviùs: *Quando tale quid dixi,*

verum existimabam, sed posteà comperi errasse id dicendo. Quod totum verum est : dum enim dixit, verum se dicere existimavit ; erravit tamen dicendo : quia *errant qui operantur iniquitatem.* Prov. 11. Vel 3°. tacendo de priori dicto, eique quem diffamavit, exhibitione honoris, commendatione virtutum, familiari cum ipso conversatione, & laudabili testimonio, quòd ipsum habeat ut virum bonum, dando etiam operam, ut alii ipsum pro tali habeant.

1313 Hic modus certis in circumstantiis haud dubiè bonus est ; sed non semper sufficiens, nec semper aliis præferendus (quidquid Diana cum aliis dixerit) si enim ex duobus modis prioribus homines nasuti facilè suspicaturi sint, ista solùm dici ad finem restituendi famam ; idem de tertio isto modo pari facilitate suspicabuntur, atque insuper colligent, te vel inconstantem esse, vel aliàs detractorem. Unde hac in re cautè est procedendum, ne vel audientes magis confirmentur, vel certè ad rem curiosius investigandam provocentur. Et quia hominum versutia eò jam devenit, ut frequenter suspicentur, dictas restituendi formulas solùm adhiberi ad finem restituendi, videndum quis ex prædictis modis hìc & nunc aptior sit ad evellendam malam de proximo opinionem. Quòd si nullus ex illis existimetur hìc & nunc effectum habiturus, aliò confugiendum, & (si alia via non occurrat) petenda est à diffamato venia, & restitutionis condonatio ; à quo tamen per accidens regulariter excusatur superior respectu inferioris, pater respectu filii, magister respectu discipuli, vir illustris respectu plebeii : quia, ut Augustinus dicit epist. 109. *non a vobis exigitur, ut ab eis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur authoritas.* Nec tamen à restitutione excusatur superior, &c. qui injustè diffamavit inferiorem, maximè falsum imponendo : quamvis enim non teneatur veniam petere, nec dicere se mentitum ; debet tamen dicere se deceptum, v. g. hoc modo : *deceptus hoc dixi de tali, modo mihi falsum esse constat.*

1314 Nec illud est omittendum, quòd fama injustè ablata non solùm restituenda sit apud auditores immediatos, ut aliqui putant ; sed etiam quantùm fieri potest apud mediatos, quibus immediati auditores crimen auditum narraverunt, nisi immediati auditores (in quorum prudentia, & taciturnitate detractor non leviter confidebat) id ab ipso audivissent mediâ stipulatione secreti. Aliàs enim scire poterat, vel debebat, attentâ communissimâ ad id proclivitate hominum, labilitateque linguæ ipsorum, esse natum sequi, ut res ulterius propalaretur ; seque proinde, moraliter loquendo, fore causam per se ulterioris istius propalationis : utpote qui quasi posuerit ignem detractionis in manu eorum, quos vel sciebat, vel scire debebat obnoxios periculo ulteriùs incendendi bonam segetem famæ alterius ; qui quidem ignis licet per omnia similis non sit igni naturali (ultrà enim non serpit, nisi libere ab auditoribus diffundatur) est tamen ad id causa moraliter efficax, attentâ (ut dixi) communi conditione hominum, secretum in ejusmodi raro servantium.

Atque ex his omnibus apparet, quàm 1315
grande, quàm periculosum peccatum sit detractio, quamque difficilis restitutio, ad quam detractores, calumniatores, libellorum famosorum authores tenentur, & non solùm illi qui innocenti falsò imponunt crimen in materia morum ; sed etiam errorem vel hæresim in materia doctrinæ, falsò nimirùm imponendo, sive verbis, sive scriptis, vel libellis sparsis, quòd hæc vel illa dogmata ab Ecclesia damnata tradant, quæ non tradunt. Quod vitium hodie frequentissimum est : quotidie namque videmus, per ejusmodi falsitates diffamari homines probatissimæ vitæ, sanioriseque doctrinæ, etiam apud Reges & Principes, vel etiam apud Episcopos, & apud ipsummet Episcopum Episcoporum, cum maximo Ecclesiæ ac Reipublicæ damno. O quàm difficilè salvantur qui ista & similia faciunt ! O quàm ipsis arduum est idoneam, damnoque illato proportionatam de istis facere restitutionem ! Quam tamen nisi fecerint, actum est de salute ipsorum. *Cum* enim *peccatum, quod inferendo falsa crimina, aut proximi famæ, aut existimationi obtrectando commissum sit, non remittatur, nisi calumniator ei, quem criminatus fuerit, satisfaciat* (inquit Concilii Tridentini Catechismus p. 3. c. 9. §. 13.) *id autem difficile fiat ab hominibus, pudore, & inani quadam dignitatis opinione deterritis, qui in eo peccato sit, hunc addictum esse æternis inferorum pœnis, dubitare non possumus. Neque enim quisquam speret, se calumniarum, vel obtrectationis veniam consequi posse, nisi priùs ei satisfaciat, de cujus dignitate, & fama, aut publicè in judicio, aut etiam in privatis & familiaribus congressibus aliquid detraxerit.* Audiri hìc etiam meretur Venerabilis Gersonius in responsione ad qq. quatuor q. 1. dicens : *Nonnunquam facilius satisfit pro homicidio corporali & furto, quàm pro hujusmodi homicidio & furto spirituali, scilicet detractione. Quia in illis quantitas damni æstimari potest, & sic correspondens emenda subsequi. In istis autem nequit : cùm non satis constare possit, in quot hominum cordibus, mediatè vel immediatè detrahens, bonam opinionem & famam ejus cui detraxit, occiderit, atque furtivè bonum famæ (quod inter omnia alia corporalia, & hujus vitæ bona multùm est pretiosum) subtraxerit. Unde & difficulter satisfacere ipsi laso potest. Cùm tamen, juxta B. Augustinum, peccatum non dimittatur, nisi ablatum restituatur. Quomo-*

dò autem restituet, cùm ignoret quantum debet?

1316 Difficultatem istius restitutionis auget obligatio, non solùm restituendi famam injustè ablatam (sive imponendo falsum, sive verum injustè revelando) sed & insuper reparandi ex integro damna omnia realia inde subsecuta. Quamvis enim hoc neget Bonaventura Baro (in Scoto defenso Apolog. ult. act. 4. n. 7.) in totum absolvens veri criminis occulti revelatorem, nisi ex officio, vel contractu consulere teneatur famæ alterius; aliàs, inquit, non peccat contra justitiam, sed contra charitatem dumtaxat: in contrarium est communis doctrina Sanctorum, sicut & Theologorum, Canonistarumque, uti ostendemus ad octavum Decalogi præceptum. Quamvis etiam Sotus l. 4. de justit. q. 6. a. 3. ad 4. existimet, injustum revelatorem veri criminis non teneri ad damna reparanda in totum, sed in partem, arbitrio viri prudentis: eò quòd causa proxima illorum non sit revelatio (ut ipse putat) sed crimen revelatum, seu perpetratio illius; quæ non est à revelante, à quo sola est revelatio, quæ respectivè ad damna illa solùm est conditio sine qua non, prout applicatio ignis in physicis. Unde (inquit) damnum quod taliter diffamatus incurrit, non tam incurrit, quia crimen ipsius est ab alio revelatum, quàm quia est à se perpetratum: quemadmodùm, dum diffamatus à Judice punitur, punitur ob perpetrationem, non ob revelationem. Contrà est, quòd damna illa directè & formaliter non sequantur ex crimine, sed ex sinistra opinione quam injustus diffamator ingerit animis audientium, crimen illud revelando. Atqui istius opinionis causa principalis & proxima est revelatio, sive ipse revelans quà talis. Tum quia opinio ista non causatur ex crimine, quamdiù ignoratur; benè ex revelatione, etiam ubi nullum est crimen (ex quo habemus revelationem in moralibus non habere se, ut se habet applicatio ignis in physicis: hæc enim fieri nequit, ubi nullus est ignis; benè revelatio criminis, ubi nullum est crimen.) Tum quia revelatio criminis, ubi verè est crimen, eo modo causa est sinistræ opinionis, quo revelatio criminis, ubi verè nullum est crimen, sed nullitas ista ignoratur; in hoc verò casu nullus negat revelationem esse veram, directam, & principalem causam sinistræ opinionis. Tum quia sicut depositio testium, in judicio non est mera conditio, sed vera causa sententiæ contra illum, seu vera, seu falsa deponant; ita similiter, &c. Tum denique quia quidquid sit, an revelatio, physicè loquendo, causa sit dictorum damnorum, an conditio sine qua non; moraliter loquendo, negari non potest, quòd sit causa, quòdque revelans perinde de illis teneatur, ac si causa esset, & non solùm conditio sine qua non. Quia licèt ista duo distinguantur in physicis; vix aut ne vix quidem distinguuntur in moralibus. Quandoquidem applicans ignem ad domum, vel segetem alienam, verè est causa moralis, verè proinde reus incendii illius, licèt applicatio ista physicè loquendo, non sit causa, sed conditio duntaxat.

1317 Nec dicas cum Bonaventura Barone, quòd homo aliter esse nequeat causa incendii, quàm ignem applicando. Quia similiter esse nequit causa sinistræ opinionis in animis audientium detractionem, quam crimen, verum, vel falsum, ipsis applicando, seu revelando.

1318 Nec dubium quin asserta obligatio reparandi damna realia etiam transeat ad hæredes detractoris (sicuti transeunt cætera debita realia ipsius) & facienda sit hæredibus illius, cui detraxit, si facta non fuerit ipsi, dum viveret, etiamsi famæ restitutio facienda non sit hæredibus diffamati, nisi in ipsos infamia redundaverit. Quia famæ restitutio personalis est, damnorum verò realis.

1319 Siquis ergo per injustam diffamationem causa fuerit quòd proximus privatus fuerit officio, vel beneficio obtento, vel obtinendo, vel pulsus servitio, tenetur illi, vel (ipso defuncto) hæredibus restituere, quanti officium, beneficium, vel servitium obtentum valebat, vel quanti valebat spes illud obtinendi. Siqua tamen damna secuta sint, non vi diffamationis injustæ, sed omninò per accidens ad illam, ex errore malitiavè aliorum, de iis non tenetur diffamator; uti nec de secutis ex sua diffamatione solùm materialiter injusta: utpote de quibus nec tenetur ex re accepta, nec ex injusta damnificatione, nisi fuerit formaliter injusta, uti probavimus cap. 115.

1320 Verùm-tamen ex quo detractor materialiter injustus incipit habere notitiam se posuisse causam, ex qua læsio famæ proximi secuta est, atque ex ista læsione secuturum ipsi damnum, si non amoveatur, tenetur ex justitia (& non solùm ex charitate, prout aliqui putant) causam illam amovere, famam restituendo, si possit. Aliàs injustitia, quæ ab initio fuit materialis, transibit in formalem, in sui continuatione. Quisquis enim ab initio, sive per inculpatum errorem, sive per ignorantiam, vel inadvertentiam facti, vel personæ, narravit aliquid de aliquo, per quod fama ipsius graviter læsa fuit, cognito errore, si non tollat causam illam, ut cesset damnum ex ea aliàs secuturum, damnum istud ipsi verè imputabitur, tamquam voluntariè, adeòque injustè formaliter continuanti causam illius, licèt ab initio ignoranter, vel inadvertenter, vel ex errore inculpato positam. Adeòque tenebitur ad restitutionem, ut patet à simili in eo qui non amovet ignem, priùs à se inadvertenter injectum stramini, dum animadvertit inde comburendam domum proximi, si

non amoveat, dum potest; necnon in eo qui per inadvertentiam, vel errorem inculpatum, dedit alteri venenum, qui si non faciat quod potest, ne sequatur nocumentum, dum errorem agnoscit, ipsi imputabitur, tamquam causæ formaliter injustæ.

1321 Si tamen causam illam tollere jam non possit, quia auditores, apud quos famam proximi læsit, ipsi se retractanti credere nolunt, habere debet firmum propositum imposterùm faciendi quidquid poterit ad famam ipsi restituendam, vel certè ad impetrandam à persona læsa injuriæ & damni compensationem, ipsi offerendo, & præstando (si requirat) compensationem in pecunia, vel aliis rebus, juxta regulam S. Thomæ q. 62. a. 2. ad 2. *Cùm aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum, tenetur ad compensationem famæ, quantum potest .. vel si non possit famam restituere, debet ei aliter compensare*, sicut & in aliis dictum est, utique ad 1. ubi sic: *Quando id quod ablatum est, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est, puta cùm aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore, consideratâ conditione utriusque personæ, secundùm arbitrium boni viri.* Si contingat ergo filiam aliquam pauperem, aliàs castam, casu aliquo infortunato & extraordinario lapsam esse in impudicitiam, de eaque per detractionem manere enormiter diffamatam; detractor, si dives sit, videtur obligandus ad hoc ut (mediante compositione) pecuniis, juxta prudentum arbitrium, modo sibi possibili compenset damnum, quod isti filiæ intulit, licèt ad æqualitatem fortè non possit. Enimverò Deo pro injuria per peccatum mortale irrogata, satisfacere non possumus per aliquid æquale; ab omni tamen satisfactione non ideò exempti sumus.

CAPUT CXXXVIII.

Causæ excusantes à restitutione famæ.

1322 PLurimas refert Diana p. 11. tr. 6. resol. 57. Legitimæ causæ colligi debent ex conditionibus requisitis ad hoc ut lex restitutionis obliget. Quarum

Prima est, quòd sit possibilis, nec nimiùm difficilis; qualis est dum restitutio fieri non potest absque dispendio longè majori.

Secunda, quòd sit utilis, id est cum spe profectûs; quâ proinde cessante, cessat restitutionis obligatio. Quia cessante fine, cessat lex. Quo ex capite detractor excusatur, dum aliâ viâ crimen justè, v. g. per sententiam Judicis, publicum evasit.

Tertia, quòd infamia reipsà subsecuta sit. Unde si crimen prævie notum erat, vel auditores detractori non adhibuerunt fidem, sed ipsum repulerunt, non est obligatio restituendi.

Quarta, quòd infamia per detractionem causata, adhuc perseveret: si enim oblivione deleta sit, vel infamatus aliunde famam suam recuperaverit, obligatio cessat, nisi infamatus intermedio tempore, ratione diffamationis passus fuerit aliud damnum: tunc enim pro illo detractor satisfacere debet.

Quinta, quòd infamatus velit sibi famam restitui. Quod velle tamdiù præsumitur, quamdiù de restitutionis condonatione non constat. Unius tamen particularis condonatio non sufficit, dum infamia in alios etiam redundat: quo casu unus particularis condonare non potest restitutionis obligationem, absque aliorum consensu: quia de aliorum fama disponere non potest.

Sextam causam nonnulli adferunt, justam 1323
scilicet compensationem, ut si prior detraxeris famæ alterius, & ille posteà tantundem tuæ. Ita Lessius, Bonacina, Malderus, Sylvius, &c. aientes, tunc te non teneri famam alteri restituere, nisi alter viciſſim tibi paratus sit restituere. Verùm eam causam non admittit noster Urbanus ab Ascensione, nec certè facilè est admittenda. 1°. quia non licet detractionem detractione ulcisci. 2°. videndum, an ex parte læsæ famæ, vel damni ex læsione illa secuti, utrimque sit æqualitas: non enim licet minorem detractionem graviore repellere, multò minùs falsum crimen ei imponere, qui verum crimen occultum alterius revelavit. 3°. dum alter alteri falsi criminis impositione detraxit, quisque tenetur ad retractationem: utpote sine qua non tollitur damnum. Unde hic eadem non est ratio, sicut in compensationibus pecuniariis: quia ex hoc quod tu me dixeris fornicatum, non recuperas famam amissam per hoc quòd te priùs dixerim esse furem. 4°. injuriam injuriâ repellere non est Christianum, imò Christianissimi regulis contrarium: utpote exigentibus non malum pro malo reddere, sed pro malo illato satisfacere, de eoque displicere, se cum injuriante reconciliare, ipsumque benevolo affectu seriò excipere. Propterea Confessarius facilis esse non debet in excusandis à restitutione detractoribus, eo mutuæ detractionis prætextu; sed ipsos efficaciter inducere ad retractandum quod malè de proximo dixerunt, seriòque dolendum de offenso per detractionem proximo, deque dato aliis scandalo.

CAPUT CXXXIX.

Quicumque est causa efficax injustæ damnificationis, ad eam positivè cooperando, tenetur ad restitutionem.

ITa S. Thomas q. 62. a. 7. ubi sic: *Di-* 1324
cendum quòd ad restitutionem tenetur aliquis, non solum ratione rei alienæ, quam accepit, sed etiam ratione injuriosæ acceptionis. Et ideo quicumque est causa (efficax, ut posteà patebit) *injustæ acceptionis, tenetur ad restitu-*

tionem. Quod quidem contingit dupliciter, directè scilicet, & indirectè. Directè quidem, quando inducit aliquis alium ad accipiendum. Et hoc iterùm tripliciter: primò movendo ad ipsam acceptionem, quod sit præcipiendo, consulendo, consentiendo expresè, & laudando aliquem tamquam strenuum, de hoc quòd aliena accipit. Alio modo ex parte accipientis: quia scilicet eum receptat, vel qualitercumque ei auxilium fert. Tertio modo ex parte rei acceptæ: quia scilicet particeps est furti, vel rapinæ, vel quasi socius maleficii.

1325 *Indirectè verò, quandocumque non impedit, cùm possit & debeat impedire, vel quia subtrahit præceptum, sive consilium, impediens furtum vel rapinam; vel quia subtrahit suum auxilium, cùm possit obsistere; vel quia occultat post factum. Quæ his versibus comprehenduntur:*

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

1326 *Sciendum tamen quòd quinque præmissorum semper obligant ad restitutionem. Primò jussio: quia ille qui jubet, est principaliter movens: unde ipse principaliter tenetur ad restituendum. Secundò consensus: in eo scilicet sine quo rapina fieri non potest. Tertiò recursus: quia scilicet aliquis est receptator latrorum, & eis patrocinium præstat. Quartò participatio: quando scilicet aliquis participat in crimine latrocinii, & in præda. Quintò tenetur ille qui non obstat, cùm obstare (ex officio) teneatur; sicut Principes, qui tenentur custodire justitiam in terra, si per eorum defectum latrones increscunt, ad restitutionem tenentur: quia reditus quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc constituta, ut justitiam conservent in terra.*

1327 *In aliis autem casibus enumeratis non semper obligatur aliquis ad restituendum. Non enim semper consilium, vel adulatio, vel aliquid ejusmodi, est efficax causa rapinæ. Unde tunc solùm tenetur consiliarius, aut palpo, id est adulator, ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quòd ex ejusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta.* Quia solùm tunc est causa efficax damnificationis injustæ.

1328 Igitur juxta sanctum Doctorem non omnis, qui ad injustam cooperatur damnificationem, tenetur ad restitutionem; sed ille solus, qui suâ cooperatione efficax est causa damni, vel probabiliter existimari potest talis. Certum proinde est, juxta sanctum Doctorem, quòd cooperantes, sive jubendo, sive consentiendo, sive non obstando, non tenentur ad restituendum, si eorum jussio, consensus, &c. non fuerit causa efficax damni, id est si ex eorum jussione, consensu, &c. secutum non fuerit damnum; vel quia nullum damnum secutum est, vel saltem non ex vi jussionis, consensûs, &c. sed aliunde secutum est. Unde fieri potest, quòd quis fieri jusserit homicidium v. g. & secutum fuerit homicidium; sed sic ut jussio nullo modo moverit homicidam ad occisionem: & tunc non tenetur ad restitutionem, tametsi qui jubet, præsertim subdito, esse soleat author & causa efficax maleficii; & ideò quinque ex cooperantibus à S. Thoma dicuntur ad eam semper obligari, communiter utique loquendo.

Siquis roget, an cooperantes ad injustam 1329
damnificationem, esse debeant causa sine qua non, ut censeantur causa efficax damni; adeoque teneantur ad restitutionem? Richardus, Sylvester, Adrianus, Navarrus, affirmativè quidem respondent; sed Cajetanus q. 62. a. 7. dicit, quòd, *salvâ horum reverentiâ, valdè isti errant.* Et reverà opinio
ipsorum non videtur, ut sonat, posse sustineri. 1°. quia ut quispiam sit causa efficax damni, adeoque restitutioni obnoxius, sufficit quòd absolutè influat in damnificationem injustam, esto alius idem damnum illaturus fuisset, casu quo in illud ipse absolutè non influxisset.

2°. qui sic consilio suo ad furtum v. g. 1330
concurrit, ut ad illud committendum alterum verè permoverit, verè est causa efficax furti, etsi absque ipsius consilio res equidem furto sublata fuisset: siquidem, eo non obstante, verè causam damni dedit; quemadmodùm si Titius ignem applicet, ut exurat domum proximi, verè est causa istius combustionis, damnique secuti, tametsi non defuturus erat alius, qui pari injustitiâ domum equidem incendisset. Similiter verè est causa mortis Sempronii, qui illum occidit; quamvis alius latro ipsum alioqui occidisset.

3°. si domino multis famulis præcipiente 1331
ut occidant Petrum, singulis ad hoc paratis, ac sufficientibus ad id exequendum, unus solus exequatur, sine dubio est causa efficax damni vitæ, nec magis excusatur à restitutionis obligatione, quam à pœna mortis, quamvis ipso non occidente, alii absque ipso occidissent.

4°. executor occidendo, spoliando, &c. 1332
causa est efficax damni, quamvis absque ipso alii id feciissent: similiter ergo cooperator, &c.

5°. dum ex duobus ignibus A. & B. stuppæ propinquis, A. stuppam comburit, non ideo esse desinit causa efficax istius combustionis, quia absque ipso B. equidem combussisset: ergo similiter, &c.

6°. alias sequeretur quòd prædo, alios præveniens in rapienda præda, non teneretur ad restitutionem, dum sciret alios equidem id facturos, si non faceret ipse. At sicut alios ipse prævenit in rapina, prævenit & in restitutionis obligatione.

Objicies 1°. S. Thomas in 4. dist. 15. 1334
q. 1. a. 5. solùm obligat consulentem, quando probabiliter credit, quòd consilium fuit efficax, & quòd aliàs injusta ablatio commissa non fuisset. Similiter §. *ope* Instit.

de obligat. ex delicto, & cap. *nuper* de sent. excomm. aliisque juribus relatis à Covarruvia in reg. *peccatum* p. 2. §. 12. n. 1. consulens solùm dicitur obligatus, dum constat fuisse causam sine qua non.

Respondeo argumentum istud esse ab authoritate negata: quamvis enim ibi sanctus Doctor dicat consulentem teneri, quando *aliàs injusta ablatio commissa non fuisset*, non dicit tunc solùm teneri, vel aliàs non teneri. Imò 2. 2. q. 62. a. 7. ad hoc ut teneatur, solùm requirit quòd ex vi consilii ipsius injusta acceptio fuerit subsecuta, quod esse potest, etiamsi absque consilio ipsius adhuc subsecuta fuisset.

1333 Similiter jura citata non dicunt, quòd consulens in foro conscientiæ ad restitutionem non teneatur, quando damnum aliàs illatum fuisset; sed solùm quòd non teneatur ad pœnam furti in foro externo.

1334 Objicies 2°. licèt mandatum, consilium, &c. tunc sit causa actionis quà injuriosæ; non est causa illius quà damnosæ: eò quòd dominus rei supponatur damnum equidem aliunde passurus.

Respondeo, sicut mandatum, consilium, &c. esse non desinit causa actionis quà injuriosæ, ex eo quòd dominus supponatur injuriam equidem aliunde passurus; ita nec esse desinit causa actionis quà damnosæ, &c.

1335 Objicies 3°. ad damnum nihil refert, quòd ex vi istius vel illius actionis sequatur, vel quòd inferatur à Petro vel à Paulo: hoc enim domini parum interest, dum equidem ipse damnificatur.

Respondeo, licèt hoc nihil referat ad damnum, refert tamen ad causam habentem respondere de damno; prout de eo respondere habet, quisquis suâ vel actione, vel cooperatione, verè realiter influxit in damnum. Unde à restitutione non ideò excusatur Titius, quòd eodem tempore & loco equidem furaturus erat Cajus, ut omnes fatentur.

1336 Collige 1°. quòd ad dignoscendum, an cooperator sit causa efficax damni, respiciendum non sit ad hanc negativam, an sine ipso damnum illatum non fuisset; sed ad affirmativam istam, an cooperatio ipsius physicè vel moraliter influxerit in actionem damnificativam, sive an actio damnificativa physicè vel moraliter procedat ex vi cooperationis ipsius. Causa namque efficax non est causa sine qua non, nec definiri solet per negationem, sed per affirmationem, hoc vel simili modo: Causa efficax est illa, quæ per suam actionem influit esse in aliud, sive per cujus actionem effectus physicè vel moraliter accipit esse. Ad quod necesse non est quòd effectus sine ipsa non acciperet esse: quandoquidem ejusdem effectûs plures esse queant causæ totales, diversis saltem instantibus; imò idem actus virtutis vel vitii, simul elici queant ex duobus motivis totalibus, prout docent Suarez, & alii passim.

Accedit quòd eo ipso, omnique alio præciso, quispiam esse intelligitur causa efficax alicujus effectûs, quo effectus iste intelligitur habere esse ex vi actionis, vel cooperationis ipsius. Igitur eo ipso, omnique alio præciso, quis intelligitur esse causa efficax damni, quo actio damnificativa intelligitur esse ex vi ipsius. 1337

Collige 2°. quòd sicut ad hoc ut cooperator esse censeatur causa efficax damni quoad substantiam, necesse non est quòd sit causa sine qua non illius quoad substantiam; ita ut sit causa efficax damni quoad modum, necesse non est quòd sit causa sine qua non illius quoad modum. Est enim par ratio. Quamvis igitur executor absque tua vel etiam simili cooperatione, eodem modo, sive æquè citò, & æquè animosè homicidium vel furtum executus fuisset; si tamen cooperatione tuâ, v. g. mandato, vel consilio verè motus fuerit ad damnum tali modo inferendum, mandatum tuum, vel consilium verè est causa efficax damni, etiam quoad modum. 1338

Collige 3°. quòd dum aliqui sic ad damnificandum cooperantur, ut cooperatio ipsorum, v. g. mandatum, vel consilium, hic & nunc nullo modo moveat executorem, ad nihil teneantur: quia nullo modo sunt causa efficax damni. Quòd si eorum cooperatio moveat ad partem damni, non ad totum; tenentur ad partem, non ad totum. Quia sunt causa efficax partis, non totius. Si denique nec moveant ad partem damni quoad substantiam, nec ad totum; moveant tamen ad aliquem modum, aut circumstantiam damni, v. g. ut citiùs, vel atrociùs fiat; tenentur quantùm damnificato interest, damnum tam citò, vel tam atrociter, &c. non esse illatum: unusquisque enim tenetur pro ratione damni efficaciter illati. Ergo si circumstantia damni est damnosa proximo, quisquis causa est efficax istius circumstantiæ, tenetur pro ratione hujus circumstantiæ damnosæ. 1339

CAPUT CXL.

Cooperantes negativè, videlicet mutus, non obstans, non manifestans, ad restitutionem non tenentur, nisi dum proximi damnum non impediunt, dum absque notabili suo periculo, vel damno, impedire possunt, & ad id ex justitia tenentur, non ex sola charitate.

ITa Navarrus c. 17. n. 18. & Doctores communiter, contra Cajetanum verbo *restitutio* cap. 1. n. 7. dicentem, regulariter quidem solos eos teneri, quibus ex officio incumbit loqui, obstare, vel manifestare; urgente tamen necessitate, teneri omnes, qui possunt absque suo damno & periculo, in co- 1340

eoque exemplificantem, qui sciens furem invasurum domum alterius, furtumque secuturum, nisi præsignificet; & furtum non secuturum, si præsignificet, bonum istud officium præstare negligit, licèt absque ullo periculo suo vel damno præstare possit. Talis (inquit) si non præsignificet, reus est furti; sicut reus esset homicidii, si pari modo sciret homicidium secuturum, & posset illud impedire, monendo proximum ut sibi caveat, monere equidem non curaret. Unde tenetur ad restitutionem. 1°. quia est causa damni, actionisque injustæ.

2°. quia Alexander III. cap. *sicut dignum* de homicidio dicit, quòd *qui potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, eum occidit.* Et infrà: *Non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.*

3°. quia Innocentius III. cap. *quantis* de sent. excom. declarat excommunicatos, qui non obstant injicientibus manus violentas in Clericos, eò quòd *facientes & consentientes pari pœnâ plectendos Catholica condemnat authoritas: eos verò delinquentibus favere interpretamur, qui, cùm possint, manifesto facinori desinunt obviare.*

1341 Verùm assertio nostra probatur ex doctrina Sanctorum. Siquidem S. Thomas q. 62. a. 7. ad 3. dicit, quòd *non semper ille qui non manifestat latronem, tenetur ad restitutionem; aut qui non reprehendit; sed solùm quando incumbit alicui ex officio: sicut Principibus terræ, quibus ex hoc non multùm imminet periculi. Propter hoc enim potestate publicâ potiuntur, ut sint justitiæ custodes.* Et sanctus Bernardinus Senensis serm. 34. in Domin. 4. Quadrages. *Siquis ex officio suo tenetur à damno alterum defensare, non tantùm si ex malitia, verùm etiam si ex notabili negligentia, vel incuria, aut imperitia, officio suo notabiliter indebita, contingit illum damnificari, cui sic tenetur, totum illud damnum restituere obligatur... Si tamen ad hominis officium non spectat, & malis, seu aliorum damnis, cùm possit, non obstat, licèt mortaliter peccet (quia non diligit proximum sicut seipsum) non tamen satisfacere obligatur. Insuper quamvis ad hominis officium pertineat obviare; si tamen obviatio vergeret ad Reipublicæ malum, seu ex hoc evidens propriæ personæ periculum immineret; tunc non obvians nec satisfacere tenetur, nec insuper hoc peccaret, si obviare in corde paratus esset.*

1342 Tria itaque, juxta doctrinam Sanctorum, requiruntur ad hoc ut mutus, non obstans, non manifestans, ad damni restitutionem teneantur. 1°. quòd proximi damnum impedire possint absque notabili suo periculo vel damno. 2°. quòd ad id teneantur ex officio, adeòque ex justitia: quia solius justitiæ violatio obligat ad restitutionem. 3°. quòd id nihilominùs negligant. Et tales contra justitiam peccare, adeòque ad restitutionem teneri, S. Bernardinus Senensis probat ex can. *facientis* distinct. 86. ubi Joannes VIII. post Gregorium Magnum l. 7. Registri epist. 114. indict. 2. dicit: *Facientis culpam procul dubio habet; qui quod potest corrigere, negligit emendare. Scriptum quippe est: non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, participes judicantur.... Et negligere, cùm possis deturbare perversos, nihil aliud est quàm fovere. Nec caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.*

Probatur & ratione: quia ex justitia obligatus ad impediendum proximi damnum, si non impediat, cùm possit, est causa injusta damni, suo modo efficax: utpote quod non eveniret, si impediret, dum impedire potest & debet. Quisquis verò est causa injusta efficax damni, tenetur de damno. 1343

Porrò damnum proximi ex justitia impedire tenentur, non solùm qui ad hoc tenentur ex officio, ut Principes & Magistratus, Duces belli, aliique Officiales, ad impedienda maleficia constituti; sed & quicumque ad id tenentur ex contractu, vel quasi contractu, ut Tutores & Curatores respectu pupillorum & minorum; custodes pecorum, vinearum, sylvarum, vectigalium; œconomi & famuli, respectu rerum sibi commissarum; &c. 1344

Hinc S. Bernardinus Senensis loco citato 1345 sequentia suggerit exempla eorum, qui ex justitia tenentur aliorum damna impedire, & non impediendo tenentur ad restitutionem, v. g. (inquit) *qui ex assumpto officio tueri tenentur pupillos & viduas. Hujusmodi etiam sunt domini, qui cùm redditu dominii habeant, ex officio tenentur subditos suos tueri. Stipendiarii etiam, qui ex officio obligantur defendere eos, à quibus in bello justo stipendium habent. Medici etiam corporum & animarum, & maximè Confessores ignari & negligentes, qui scilicet ex officio, non ex sola charitate, confessiones excipiunt. Notarii, qui nesciunt tradere Instrumenta: unde multi perdunt jura sua. Judices, & Assessores, qui ex ignorantia, vel incuria injustas proferunt sententias. Procuratores, & Advocati, qui ex eisdem causis amittunt causas justas. Atque* (ex officio) *consilia dantes his etiam possunt annumerari. Insuper nautæ, & architectores, & consimiles omnes.*

Tales, inquam, si ex eorum imperitia, 1346 vel negligentia quidam damnificantur, satisfacere debent. *Cujus ratio est triplex. Prima, quia ex justitia tenentur talia præcavere. Secunda, quia unusquisque* (ex justitia) *tenetur sufficienter scire, & exequi diligenter artem, quam profitetur; maximè quando vergit in periculum alterius error suus. Tertia, quia eorum imperitia, & negligentia habent quandam efficacem causalitatem damnificationis illorum, juxta modum quo privatio est causa privationis. Quòd etiam talis ignorantia seu negligentia non excuset, patet extrav. de injur. & damno dato cap. si culpa.* Et 1. q. 1. *quidquid.*

1347 *Id etiam verum est de custodibus .... si videant fieri damnum, & non reclament, potissimè quando de tali custodia mercedem habent, de suo proprio satisfacere obligantur. Et si à damnificatore aliquid acceperunt, debent pauperibus dispensare. Idem per omnia dicendum est de his, qui ex officio positi sunt ad custodiam vinearum, atque possessionum, & ista officia injustè agunt, non accusando damnificantes, & non obviando malis, & proximorum damnis. Et hoc quando homini de injuria constat, & obviare potest, & sibi ex officio competit & incumbit..... Tales, inquam, non obviantes, in solidum restituere obligantur.*

1348 *Insuper est notandum, quòd siquis Dux multos stipendiarios habet, ad restitutionem tenetur de omni damno, quod inferunt injustè subditi sui, si obviare potest, & non facit. Et, secundùm Scotum, cum quis requisitus in judicio, ut sententialiter res furto sublata, vel aliter injustè detenta, possit restitui domino suo; & tamen veritatem dicendo non imminet sibi periculum statûs, seu personæ suæ: talis, inquam, non manifestando, omne damnum, quod inde sequitur, læso satisfacere obligatur.*

Ex his patet, quòd negans in judicio testimonium perhibere in alterius detrimentum, et ad restitutionem recepti damni obligatus est. Hactenùs S. Bernardinus Senensis.

1349 Et certè quòd à Judice legitimè citatus ad testimonium ferendum, ab eoque legitimè interrogatus, ex justitia testimonium reddere teneatur veritati, ad impediendum proximi damnum, colligitur ex L. *siquando* Cod. de testibus, totoque titulo de testibus cogendis, ubi habetur ad id à Judice pœnalibus mandatis cogi posse, & pro foro conscientiæ docere videtur S. Thomas q. 70. a. 1. cùm ait: *Dum requiritur testimonium alicujus subditi authoritate Superioris, cui in his quæ ad justitiam pertinent, obedire tenatur, non est dubium, quin teneatur testimonium ferre in his, in quibus secundùm ordinem juris, testimonium ab eo exigitur.*

1350 Quoad custodes sylvarum, vectigalium, &c. quæritur, an non solùm teneantur restituere damnum illatum à defraudantibus vectigalia, lignantibus, &c. sed & ad restituendas mulctas, ad quas solvendas compellerentur, si à custodibus denuntiarentur? Sylvester, Navarrus, Lessius, Malderus, & cum ipsis Sylvius q. 62. a. 7. existimant non teneri ad restituendas mulctas. Quia non tenentur eos denuntiare ad hoc ut dominus habeat mulctas, sed solùm ut non patiatur damnum in vectigalium defraudatione, lignatione, &c. Oppositum tamen probabiliter docet Bonæ-Spei disp. 18. n. 47. tum quia officii ipsorum est, non solùm cavere damna illa, sed & periculum eorum, aliàs frequenter futurorum. Quod non cavetur, nisi per mulctam, mulctandorumque denuntiationem. Cujus denuntiationis defectus meritò reputatur damnum quoddam emergens. Tum quia aliàs sequeretur, Judicem non teneri ad restitutionem mulctæ, dum absque rationabili causa, reum ad eam non condemnat.

Quæritur etiam de famulis domesticis, 1351
quibus commissa non est specialis cura rei vel loci, an teneantur de damno, ab aliis conservis domesticis illato, dum illud non impediunt, cùm possent? Doctrina satis communis est quòd non: tametsi enim hoc ipso quo domestici fiunt, ex officio domum teneantur custodire, & ab extraneorum injuriis defendere, eâque ratione omnes famuli domestici censeantur custodes domûs domini, respectivè ad extraneos; ideòque teneantur de damno ab ipsis illato, si non impediant, cùm possunt, uti docent Navarrus l. 3. Consil. c. 1. n. 224. Lessius c. 13. dub. 10. Lugo disp. 29. sect. 3. contra Azorium, & Bonacinam; respectivè tamen ad domesticos solus ille censetur custos, cui res, vel domus, v. g. clavis caveæ specialiter commissa est.

Cæterùm dum famulus extra domum co- 1352
mitatur dominum, ex justitia tenetur impedire furem, quem videt furripientem domino bursam. Quia famuli tunc ex officio sunt velut custodes, defensoresque dominorum suorum. Ita Cardinalis de Lugo, & cum ipso Diana p. 11. tr. 6. resol. 6.

Quæritur denique, an iii, qui ex justitia 1353
non tenentur injustum proximi damnum impedire, sed ex sola charitate, possint absque injustitia, restitutionisque obligatione, latroni promittere quòd non impedient? Affirmat Lugo, addens non teneri de damno, quamvis à latrone pecuniam accepissent, ut clamore, auxilio, &c. non impedirent, cùm possent. Sed contrà est quòd tales jam non merè negativè se habeant; sed in effectu sint causa positivè concurrens ad injustam damnificationem: dum enim promissione, imò solo verbo vel nutu, aut alio signo, malefactori significant se tacituros, vel non auxiliaturos, per hoc malefactoris animum excitant, aut firmant ad nocendum, qui alioqui nocere autus non fuisset. Ergo tenentur ad restitutionem. Ita doctissimus Author Supplementi Neesen tr. 3. de injur. &c. q. 1. in fine dubii 4.

Superest ut aliquid dicamus ad argumen- 1354
ta n. 1340. allegata pro opinione Cajetani. Ad 1^um. ergo dicendum, quòd licèt ille de quo ibi, aliquo modo causa sit damni injusti, non est tamen causa injusta: quia solùm eatenùs est causa, quatenùs non impedit; ex justitia verò non tenetur impedire, sed ex charitate dumtaxat.

Ad 2^um. dicendum 1°. quòd non liberans 1355
hominem à morte, cùm possit, & ad id ex sola charitate tenetur, reus est occisionis negativè, non positivè; per consequens reus non est contra justitiam, sed contra charitatem; sicut non pascens fame morientem,

dum

dum ex sola charitate tenetur. De quo Ambrosius dicit: *Si non pavisti, occidisti.* Dicendum 2°. quòd textus canonis objecti de iis non agit, qui merè negativè se habuerunt in occisione S. Thomæ Cantuariensis, illam non impediendo, cùm possent; sed de iis, qui ad ipsum occidendum venerunt, non ut ferirent, sed ut percussoribus opem ferrent, prout dicitur ibidem.

1356 Ad 3^um^. dicendum, ex eo quòd ab Ecclesia pari afficiantur pœnâ excommunicationis, consequens non esse, quòd pari teneantur obligatione restitutionis: utpote quæ non oritur nisi ex violatione justitiæ; cùm tamen excommunicatio etiam incurratur ex sola violatione charitatis, vel obedientiæ. Omitto quòd Glossa textum illum exponat de iis, qui ex officio tenentur obstare.

CAPUT CXLI.

Casus, in quibus positivè cooperantes per mandatum, consilium, &c. tenentur in dubio, an per suum mandatum, consilium, &c. fuerint causa efficax damni.

1357 UNa est doctrina omnium, positivè cooperantes tunc solùm teneri, quando sunt causa efficax damni de facto secuti, ita ut per suum mandatum, consilium, adulationem, &c. verè influxerint in actionem damnificativam, id est verè moverint animum executoris ad actionem illam ponendam, vel primam voluntatem ipsius excitando, vel præhabitam resuscitando, eamvè roborando, audaciam addendo, vel in facto auxiliando, &c.

Sed quid in dubio, an mandans, consulens, &c. per mandatum suum, vel consilium, &c. verè ad hoc moverit executoris voluntatem? Diana p. 3. tr. 5. resol. 84. p. 4. tr. 3. resol. 28. & alii apud ipsum, censent in ejusmodi dubio non teneri ad restitutionem: quia melior est conditio possidentis; possessio verò tunc est pro non efficacia cooperationis: cùm prius sit efficaciter cooperatum non esse, quàm esse.

1358 Sed quàm inane sit argumentum istud, constat ex dictis agendo de conscientia dubia. Hic solùm addo, dubitantem non esse in possessione, quando præsumptio juris est contra ipsum. Præsumptio verò contra ipsum est, dum præcepit, vel consuluit aliquid, & alter fecit: tunc enim præsumitur causa efficax istius facti, uti proximè videbitur.

1359 Dicendum itaque 1°. quòd dubius, an dederit mandatum, vel consilium, vel auxilium executori damnificationis injustæ, non tenetur: quia mandatum, consilium, &c. de maleficio non præsumitur. L. 2. ff. de noxalibus action.

1360 Dicendum 2°. quòd certus se dedisse mandatum, consilium, &c. damnificationis injustæ, in dubio an damnum secutum sit, tenetur ad æstimationem incertitudinis, licèt damnum non præsumatur secutum. Ita Ludovicus de Scildere tr. 3. de princip. conse. form. in dub. n. 52. Et tr. 4. n. 345. & 346. referens Molinam, Rebellum, Layman, contra Lessium, Bonacinam, &c. Quia dum causa damnificativa certò est posita, & dubium est an damnum secutum sit, periculum est ne reverà secutum sit: periculum ergo est incurrendi reatum injustitiæ, si pro æstimatione incertitudinis non reparetur. Isti verò periculo se exponere, jus naturale & divinum non permittit. Imò nec id permittit jus humanum: cùm ad vitandum periculum istud, statuat ut venditor jactûs aleæ, vel jactûs retis, si jacere noluit, præstet æstimationem eventûs incerti, v. g. piscium, qui fortè capti fuissent. L. *si jactum* 12. ff. de action. empti, ibi: *Si jactum retis emero, & jactare retia piscator noluit, incertum ejus rei æstimandum est.* Quòd si ad hoc teneatur omittens opus ex justitia debitum: similiter ergo maleficus causam ponens ex se injustè damnificativam, scilicet mandatum, consilium, &c. 1361

Dicendum 3°. quòd certus de dato à se mandato, consilio, seu alia causa ex se damnificativa, simul & de damno secuto (v. g. homicidio, vel furto) in dubio an hoc secutum sit ex vi illius, tenetur pro ratione dubii ad æstimationem istius incertitudinis. Sequitur à fortiori ex proximè dictis, docetque Franciscus Bardi de conse. discept. 6. c. 9. §. 13. n. 6.

Imò valdè probabiliter tenetur ad totum damnum, prout docent Covarruvias, Molina, Bonacina, Merolla, Salas, Lessius, uterque Sanchez, Maschardus, Bossius, Arriaga, Cabassutius, contra Sylvestrum, Petrum Navarram, Tannerum, Dicastillum, Filiutium, Dianam p. 3. tr. 5. resol. 84. p. 4. tr. 5. resol. 28. p. 7. tr. 11. resol. 36. & p. 11. tr. 5. resol. 27. 1362

Probatur 1°. ex S. Thoma q. 67. a. 7. ubi consiliatorem & palponem absolutè obligat ad restitutionem, *quando probabiliter æstimari potest, quòd ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta*; certitudinem proinde non requirit quòd damnum injustum ex tali causa fuerit subsecutum, sed probabilitatem dumtaxat. 1363

2°. quia præsumptio juris sequenda est, quamdiù de contraria veritate non constat. At dum certum est Titium posuisse causam efficaciter ex se damnificativam, damnum quoque esse secutum, præsumptio juris (in dubio) est damnum ex causa illa secutum esse, uti constat ex L. *qui in aliena* §. 4. ff. de acquir. hæredit. ubi mandatarius præsumitur egisse ex mandato præcedente. Et ratio est quia *inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerùmque fieri consuevit.* Reg. juris 45. in 6. Atqui dum mandatarius exe- 1364

quitur mandatum, verisimiliùs exequitur in vim mandati. Quia sic utplurimùm fieri consuevit. Siquidem mandatarius non solet ponere actionem mandatam, nisi in vim mandati, præsertim si actio sit onerosa, periculosa, vel inutilis exequenti. Unde non admitteretur in judicio, qui convictus de dato à se mandato, deque occisione secuta, excuseret secutam non esse ex vi mandati.

1365 3°. cap. *ad audientiam* 12. & cap. *significasti* 18. de homicid. homicida, & ideò irregularis præsumitur, qui certus se vulnerasse, secutâque morte, dubitat an ex inflicto à se vulnere secuta fuerit, an ex vulnere inflicto ab aliis, vel ex graviori infirmitate superveniente? Et ratio redditur, quòd in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem. Quemadmodùm verò in tali dubio tutius est se gerere velut homicidam, & irregularem, quàm non gerere; ita tutius est restituere, quàm non restituere: *pro eo quòd in altero nullum* (ait Innocentius III. citato cap. *significasti*) *in reliquo verò magnum periculum timeatur.*

1366 Fateor tamen 1°. mihi probabilem quoque videri opinionem Bardi, quòd non teneatur ad totum, sed ad partem damni, pro quantitate dubii. Quia æquum non videtur æqualiter teneri eum, qui solùm tenetur ex probabili præsumptione, quàm qui ex certa scientia: cùm minoris æstimetur damnum solùm probabiliter, quàm certitudinaliter illatum; sicut minoris æstimatur spes probabilis, quàm spes certa lucri. Et sicut æquum est minori pœnâ punire reos criminis præsumpti, quàm reos criminis certò commissi, ideòque tales à Judice puniri non solent pœnâ ordinariâ, sed extraordinariâ; sic æquum est ad minorem restitutionem obligare damnificatores solùm probabiliter præsumptos, quàm certò tales.

1367 Fateor 2°. plures esse casus, in quibus præsumptio ista eliditur per vehementes conjecturas, & circumstantias in contrarium, ut 1°. si homicidii executor, antecedenter ad consilium, habebat capitale odium erga occisum, ex quo efficacem formaverat intentionem occidendi ipsum, idque jam minatus erat, vel omnia ad executionem necessaria disposuerat, eratque audax & potens ad exequendum. 2°. si post consilium datum, illud oblatâ occasione neglexerit, solùmque ad executionem venerit, novis inter utrumque inimicitiis ortis, vel antiquis ex nova occasione auctis. 3°. si homicida testetur se motum non fuisse alterius consilio, & circumstantiæ suadeant id ab ipso non dici in gratiam consulentis, ad ipsum à pœna, vel restitutione liberandum; adeòque ipsum ea in re fide dignum. De quibus videri possunt Farinacius to. 4. prax. crim. q. 139. n. 145. Ildefonsus Baptista 1. 2. n. 1187. Oviedo ibidem tr. 5. controv. 4. n. 25.

1368 Dicendum 4°. quòd certus de causa damni à se posita, damnoque secuto, v. g. violenta constupratione, dubius an majus, an minus damnum secutum sit (v. g. an constuprata fuerit virgo) tenetur ad æstimationem istius incertitudinis; imò valdè probabiliter ad majus, quando præsumptio juris est pro majori, prout in casu dicto, in quo proinde constuprator satisfacere tenetur pro ablata virginitate. Ita passim Juristæ & Canonistæ, Abbas, Baldus, Menochius, Julius Clarus, & cum ipsis Molina disput. 104. n. 14. Bardi §. 23. Scildere n. 350. Quia virginitas, quæ fuit ab initio, non præsumitur antecà fuisse ablata: virginitas namque est qualitas quæ puellis ab initio infuit. Mutatio verò ejus quod manere potest non præsumitur, v. g. homo non præsumitur innatam libertatem amisisse, sed id asserentis est probare. §. *jus gentium* Instit. de jur. nat. gent. & civ. Et L. *altius* Cod. de servit. L. *si in ædibus* Cod. eod. ibi: *Si te servitutem habuisse non probetur, tollendi altius ædificium vicino non est interdictum.* Sic etiam amissio possessionis non præsumitur, nisi probetur. L. 3. §. *in amittenda.* Et §. *quòd si servus* ff. de acquir possess. & virginitas extra conjugium non præsumitur voluntariè amissa: cùm sic amitti nequeat absque delicto, quod in dubio non præsumitur. Videri potest Menochius l. 6. præs. 49.

Dicendum 5°. quòd dum constat injustæ 1369
damnificationis causam ab uno ex pluribus certis esse positam, & nescitur à quo, omnes dubii tenentur ad partem damni, pro ratione damni illati. Ita Molina disp. 736. n. 6. Scildere tr. 4. n. 351. Quia (inquit) sicut in dubio, quinam è certo numero damnum injustè sit passus, omnes dubii recipere debent partem ejus quod restituitur; sic plures dubii, quis ex illis damnum intulerit, tenentur pro ratione dubii ad resarciendam partem damni, ut eorum sit incommodum, quorum in casu proximè dicto commodum foret. Idque significat Lex *si* §. fin. ff. de his qui effuderint, ibi: *Si plures in eodem cœnaculo habitent, unde dejectum est quidpiam, ex quo casuatum est damnum, si dubium sit à quo ex illis, in quemvis hæc actio dabitur.* Et L. 2. *Cùm sanè impossibile est scire, quis dejecisset, aut effudisset, omnes tenentur. Et quidem in solidum*, uti dicitur L. 3. ita tamen, ut *si cum uno actum fuerit, cæteri liberabuntur*; *præstaturi* tamen *partem damni ei qui solvit*, uti dicitur L. 4. Simile quid dicitur L. *si verò* §. *interdum* ff. eod. Quam Legem cùm Baldus ad L. 3. ff. de offic. præf. vigil. expliçet de maleficio, extendenda est ad omnes similes casus maleficii: eò quòd in omnibus eadem militet ratio, quòd impossibile sit scire, quis fecerit, nec æquum sit omnes à resarciendi damni obligatione liberari.

Dicendum 6°. à fortiori, dum constat 1370
causam damni à pluribus certis esse positam, & damnum esse secutum ex uno ex illis, si-

ve operantibus, sive cooperantibus, & dubitatur ex cujus opere, vel cooperatione, omnes dubii tenentur ad partem damni, pro ratione dubii. Ita Molina ibidem. Scildere n. 352. Card. de Lugo disp. 19. sect. 1. n. 22. Bardi §. 21. n. 6. Estque communis apud Juristas, nominatim Cagnolum ad L. *semper in obscuris* ff. de reg. jur. n. 20. contra Dianam p. 4. tr. 3. resol. 63. & alios apud ipsum. Et colligitur tum ex cap. *significasti* suprà relato, tum ex L. *Mela* & L. *ita vulneratus* ff. ad L. Aquil. ibi: *Cùm à pluribus idem servus ita vulneratus esset, ut non appareret cujus ictu periisset, omnes L. Aquiliâ teneri.* Rationem dat citata Lex *Mela: cùm nec impunita maleficia esse oporteat, nec facilè constitui possit, uter lege teneatur.* Quòd si propter hanc rationem omnes tenentur ad pœnam; multò magis ad illati damni reparationem.

1371 Injustè tamen quidam Nobiles, certi de furto ab aliquo famulorum suorum commisso, sed incerti à quo, prætendunt à singulis famulis pro rata restituendum, subductâ à singulis parte salarii, nisi restituant. Injustè (inquam) dum singuli nec associarunt furem, nec posuerunt causam damni, sicut posuisse supponuntur illi, de quibus num. præcedenti.

1372 Barbarum proinde fuit factum Principis illius, qui cùm nesciret, quis ex tribus famulis ficus pretiosissimas comedisset, singulos secari jussit, ut appareret in cujus stomacho invenirentur, prout inventæ sunt in secundo.

CAPUT CXLII.

Dum plures ad injustè damnificandum positivè sic cooperati sunt, ut singulorum cooperatio non fuerit efficax, nisi conjuncta cum cooperatione aliorum, singuli tenentur ad totum, aliis pro parte, vel toto non restituentibus.

1373 ITa Doctores communiter contra Alardum Wielium, Doctorem Lovanienſem, qui anno 1615. docuit, non teneri ad totum, sed solùm ad partem. Cui postmodùm, etsi dubitanter, subscripsit Henricus Stroversdorff in 2. 2. q. 62. a. 3. disp. 4. concluſ. 2. ubi de assertione nostra loquens: „ Ut verum fatear (inquit) mihi non videtur hæc sententia (quamvis sit communis) „ universaliter omninò certa. Nam etsi pluribus concurrentibus, ut suprà, singuli sint „ causa totius damni, non sunt tamen causa „ adæquata totius damni, sed partialis, & inadæquata: quia concursus iste, quem singuli „ conferunt, seorsim ab aliis, non est sufficiens „ ad inferendum damnum, sed ex omnibus simul junctis fit unus concursus sufficiens, „ prout apertè patet in pluribus auferentibus „ unum marmoreum lapidem, quem singuli „ auferre non poterant.

Confirmatur: quia quando plures unam 1374
navem trahunt, quam unus trahere non poterat, non sunt singuli totalis causa promotionis navis; neque singulis debetur integra merces, quæ danda est pro tractione navis, sed debent illam inter se dividere. Ergo si dum prosunt, non debeatur singulis integrum præmium; neque cùm obsunt, debebunt singuli integrum damnum. Et ideò secundùm hanc sententiam existimo plures ferentes suffragium ad aliquod injustum opus, non teneri singulos fortè restituere in integrum. Idem dico de pluribus eamdem injustitiam suadentibus, quando singulorum consilium sine consilio aliorum non fuisset efficax. " Huc usque Stroversdorffius.

Nihilominùs assertio nostra probatur, & 1375
ratio in contrarium allegata refellitur: quia licèt singuli tunc non sint causa damni totalis totalitate causæ, sunt tamen causa damni totalis totalitate effectûs. Atqui communis mensura restitutionis, ex radice injustæ damnificationis, est quantitas damni injustè illati, ut vidimus num. 1054.

Et hinc corruit argumentum Stroversdorffii: quia pro restitutionis obligatione attenditur ad quantitatem, adeòque ad totalitatem effectûs, seu damni injustè illati, potiùs quàm ad quantitatem, seu totalitatem influxûs & causalitatis. In præmiatione econtrà attenditur ad operam conductam potiùs quàm ad effectum. Unde fit, ut ei qui operam præstitit, merces debeatur, etiam effectu non secuto; restitutio verò, seu compensatio damni non debetur, effectu, seu damno non secuto. 1376

Et confirmatur assertio nostra ex L. *ita* 1377
vulneratus ff. ad L. Aquil. & L. *vulgaris* ff. de furtis, ubi dicitur, quòd *si duo, vel plures eamdem trabem furto asportaverint, quam quilibet ferre non posset, unusquisque illorum tenetur in totum actione furti.*

CAPUT CXLIII.

Specialia de Mandante.

INter positivè cooperantes ad damnificationem injustam, ordine primus, & causalitate præcipuus, est mandans, dum authoritate suâ, & potestate subditum quodammodò cogit, & voluntatem ipsius efficaciter movet ad exequendam actionem injustè damnificativam, velut causa principalis causam subordinatam, & instrumentalem. Et ideò actio ex mandato facta magis tribuenda est mandanti, quàm executori, sicut & damnum ex mandati executione secutum. Quo fit, ut in ordine restituendi mandans priùs teneatur, quàm mandatarius simpliciter exequens, juxta illud S. Thomæ q. 62. a. 7. *Ille qui jubet est principaliter movens: unde ipse principaliter tenetur ad restitutionem.* 1378

Sive autem mandans expresè jusserit, si- 1379

ve implicitè, signo aliquo manifestando inferiori voluntatem suam esse, vel gratum sibi fore, quòd actio damnificativa fiat, tenetur de mandato: quia mandatum implicitum sæpè non minùs movet ad executionem, quàm expressum. Sic enim Henrico II. Angliæ Regi, tamquam mandanti, imputata fuit occisio S. Thomæ Cantuariensis, ex hoc solo, quòd coram Aulicis suis conquestus fuisset, quòd in regno suo cum uno Sacerdote pacem habere non posset; ex eaque Regis querimonia aliqui ex ipsis, sperantes gratum se Regi facturos, si Thomam è medio tollerent, id executi fuerunt.

1380 Idque verum est, sive hoc modo implicitè mandans expresè intenderit damnificam executionem, sive implicitè duntaxat: tametsi enim Henricus ille II. suâ illâ querimoniâ expresè non intenderit mandare illam executionem (uti post factum solemniter protestatus est) poterat tamen, & debebat prævidere periculum, ne id fieret. Et hoc sufficiens fuit, ut ipsi, velut implicitè mandanti, occisio illa imputaretur.

1381 Hinc etiam de homicidio tenetur dominus, qui mandavit famulis, ut aliquem insigniter baculi ictibus exciperent, si usque ad occisionem exceperint, licèt eam dominus non intendisset, imò fortè prohibuisset, si equidem ex circumstantiis facti, & personarum, &c. prævidere poterat, & debebat periculum, ne sequeretur. Unde cap. ult. de homicid. in 6. Innocentius IV. dicit, quòd *is qui mandat aliquem verberari, licèt expresè inhibeat, ne occidatur ullatenùs, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius, fines mandati excedens, mutilet, vel occidat: cùm mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.*

1382 Ex dictis etiam cap. 139. mandans non excusatur ab onere restitutionis, ex hoc quòd mandato cessante, damnum equidem illatum fuisset: quia ad onus istud incurrendum sufficit quòd mandatum verè hîc & nunc influxerit in actionem damnificativam. Unde dum dux prædonum suis mandat, ut talem vel talem domum spolient, vel incendant, non excusatur à restitutione damni, licèt prædones illi damnum istud, cessante mandato, equidem intulissent.

1383 Sed quid si mandans, ante executionem, mandatum revocaverit, teneturne tunc ad restitutionem?

Respondeo variis adhuc casibus teneri. 1°. si mandati revocatio non innotuerit mandatario: eò quòd v. g nuntius missus ad eam notificandam, suâ incuriâ, oblivione, vel malignitate, ad mandatarium non pervenerit, nisi post executionem. Tametsi enim mandans fortasse tunc ampliùs non peccet, damnum equidem sequitur vi mandati ipsius, etsi tunc ampliùs non existentis in re, sed solùm in effectu, quem causat in exequente. Quod non debet videri mirum: siquis enim venenum alteri propinaverit, homicidii reus est, teneturque ad restitutionem damni ex homicidio secuti, licèt, antequam sequeretur, facti pœnituerit, conatusque fuerit, licèt in vanum, veneni effectum impedire.

2°. etiamsi mandati revocatio ante exe- 1384
cutionem notificata fuerit mandatario, si tamen revocatio tam flaccidè facta fuerit, ut mandatarius existimaverit serio factam non esse, mandans adhuc tenetur de damno: utpote causa efficax illius.

3°. idem dicendum in casu quo mandans suo mandato sic depravavit voluntatem mandatarii, in eaque tantam fecit impressionem, ut vis ipsius sublata non fuerit per notificatam sibi simplicem mandati revocationem, magis quàm operatio veneni per propinantis pœnitentiam.

4°. mandans, revocato mandato, alio adhuc titulo manere potest obligatus ad damni reparationem: quia scilicet illi damno non obstitit, impediendo efficaciter famulum, sicut ex justitia tenebatur, ne illud inferret.

Ex his consectarium est 1° frequenter ac- 1385
cidere, quòd mandans per mandati revocationem non sustulerit datam à se damni causam, nec vim, seu efficaciam, influxumque ipsius impedierit. 2°. quòd mandatum subinde efficaciter influat in damnificationem injustam, etiamsi mandans non obliget, seu necessitet mandatarium ad satisfaciendum mandantis imperio. Imò mandatum, etiam revocatum, subinde adhuc influit, per modum utique consilii, & mandans per modum non obstantis. 4°. ut effectus imputetur ei, qui voluntariè posuit causam, non esse necesse quòd sit volitus actu vel virtute, dum actu sequitur; sed satis esse quòd damnum efficaciter sequatur vi malæ voluntatis præcedentis, licèt eam quis per pœnitentiam revocaverit, confessusque Sacerdoti, absolutionem ab ipso obtinuerit; imò fortè in cælum sublatus sit. Quo casu hæredes ipsius pro ipso restituere tenentur; sicut in casu veneni, de quo suprà. 5°. si domino sciente servus male fecerit, dominus præsumitur mandasse; sicut is qui scivit amicum pro se velle sumere vindictam, & non impedivit, præsumitur consensisse in factum. cap. *Petrus* de homicidio.

CAPUT CXLIV.

De Consulente.

1386 COnsulens, licèt ut talis authoritativè non impellat ad actionem injustam, sicut mandans; ordinariè proinde minùs influat; influit tamen, & aliquando magis, quàm flaccidè mandans, qui apud mandatarium tantæ non est authoritatis. Unde si actionem damnificativam non solùm consuluerit ex opinione falsa (quam ex errore vel ignorantia putavit veram) sed ex malitia,

ostendendo verum modum illam exequendi, commoditatemque, vel gloriam apud homines ex illius perpetratione reportandam; econtrà ignaviæ notam, nisi vindictam sumat, occidendo, comburendo, &c. non evadet obligationem restitutionis, consilium revocando, vel factum dissuadendo, si alter nihilominùs, istâ ostensione excitatus, opus exequatur. Cùm enim revocatio tunc non tollat incitamenta ista, quæ consilium post se reliquit, non tollit efficaciam consilii; sed consulens eo casu se habet ut ille qui furioso arma dedit ad aliquem interficiendum; qui licèt posteà conetur arma ipsi eripere, non liberatur à restitutionis onere, si interfectio sequatur; uti nec ille, qui alteri venenum propinavit, quo hausto effectus est inevitabilis. Consulens namque istis incitamentis quasi venenavit voluntatem ejus, cui tale consilium dedit; ideòque non magis excusatur, consilium ante effectum revocando, quàm venenator pœnitendo. Sibi namque imputare debet effectûs inevitabilitatem, quam potuit, & debuit prævidere, vel saltem periculum illius, nec potuit inculpatè ignorare, sicut nec impossibilitatem revocandi efficaciter vim motivam incitamentorum illorum. Jure proinde optimo censetur causa efficax damnificationis injustæ, non obstante inefficaci illâ revocatione. Atque ita docent noster Cornejo in 3. p. tr. 5. disput. 1. dub. 2. noster Urbanus ab Ascensione, noster Franciscus Bonæ-Spei, Vasquez, Sylvius, Bonacina, & alii communiter, contra Præpositum in 3. p. q. 5. dub. 3. Petrum Navarram, Salonium, & nonnullos alios, à restitutione generaliter excusantes consulentem, revocato ante executionem consilio.

1387 Duplex alia hîc movetur quæstio. Prima, an consulens minus malum contra justitiam, ad avertendum majus, ad quod inferendum alter alioqui est paratus, peccet contra justitiam, teneaturque ad restitutionem? Secunda, an qui malum consilium dedit absque dolo, teneatur de damno inde secuto?

Ad 1^am. respondeo 1°. si malefactori jam parato inferre majus damnum Petro (v. g. 200. florenorum) consulas ut majori prætermisso, ipsi potiùs inferat minus, non peccas, nec ad restitutionem teneris, dum majus ipsius damnum aliter avertere non potes. Quia utiliter agis negotium Petri, nec existimare ipse potest, sibi a te injuriam inferri, sed potiùs beneficium impendi; nec à te suaderi minus damnum, quà damnum suum, sed quà impeditivum majoris damni.

1388 Et hoc modo Augustinus, relatus cap. *quod verius* 23. q. 2. dicit: *Si* quispiam *facturus est quod non licet, jam faciat adulterium* (quod est minus damnum) *ut non faciat homicidium* (quod est damnorum temporalium maximum) *vivente uxore suâ, adulteram ducat, & non humanum uxoris sanguinem fundat.* Et ideò responsioni nostræ subscribunt Doctores communiter, Angelus, Sylvester, Navarrus, Dominicus Soto, Medina, Barbosa, Vasquez, Turrianus, Basilius Pontius, Wiggers, Sylvius, &c.

Respondeo 2°. si malefactori parato inferre majus damnum Petro, consulas ut minus damnum potiùs inferat Joanni, de quo malefactor non cogitabat, peccas contra justitiam, teneriseque ad restitutionem, licèt gravius damnum Petri aliter avertere nequeas. Ita etiam Doctores communiter, Sotus, Arragonius, Sanchez, Lessius, Dicastillo, Sylvius, Bonæ-Spei, & cum ipsis Diana p. 11. tr. 6. resol. 8. Quia tuo consilio causa es quòd fur injustè damnificet Joannem, qui in eo rationabiliter est invitus; licèt id facias ad avertendum majus damnum Petri. Quia non licet impedire majus damnum unius cum injuria alterius; nec quisquam privatus habet jus causandi damnum uni innocenti, ad avertendum majus damnum alterius innocentis. Siquidem Joannes tam habet jus ut servetur illæsus à minori illo damno, quàm Petrus ut illæsus servetur à majori. Denique non sunt facienda mala, ut eveniant bona. 1389

Scio contrariam esse opinionem Vasquez, Turriani, Basilii & Joannis Pontii, Tamburini l. 5. in Decal. c. 1. §. 4. propter argumenta sequentia. 1°. non peccat contra castitatem, qui in materia illius consulit minus malum cum una persona, v. g. fornicationem, ad avertendum majus cum alia persona, v. g. sodomiam (hoc enim fecit Loth, Gen. 19. filias suas offerens libidini Sodomitarum, ad avertendam sodomiam ipsorum cum juvenibus hospitio susceptis, nec tamen propterea ibi reprehenditur; econtrà 2. Petri 2. *justus* fuisse dicitur, cùm egressus est de Sodomis.) similiter ergo non peccat contra justitiam, qui in materia illius consulit minus damnum unius, ad avertendum majus alterius. 3°. qui malefactori determinato ad inferendum majus damnum Petro, ad hoc avertendum (dum aliter non potest) consulit ut potiùs inferat minus damnum Joanni, non censetur consulere minus istud ut damnificativum Joannis, sed ut impeditivum majoris damni Petri præcisè, quomodò non est malum. 4°. hoc non est consulere malum ut eveniat bonum; sed consulere evitationem majoris mali præcisè; sicut dum volenti occidere Petrum, ad hoc avertendum (dum aliter non potest) consulit ut potiùs auferat ipsi bursam, intentio consulentis non fertur in minus malum quà tale, sed præcisè in evitationem majoris mali. Neque enim consilium se habet ut executio (quæ fertur in rem, ut est à parte rei) sed ut est in intentione consulentis, quæ præcisè est de impeditione majoris mali. 1390

1391 Verùm ad 1um. respondeo negando antecedens, & dico factum istud Loth ab omni peccato excusari non posse; esto à gravi fortè peccato ipsum excusaverit subita perturbatio tanta, ut vix sciret quid faceret: vel ergo hoc sensu justus egressus est de Sodomis; vel ad se post perturbationem reversus, justitiam ante egressum per pœnitentiam recuperavit.

1392 Ad 2um. nego assumptum: quia consulendo est causa efficax istius damnificationis, prout committitur à parte rei: siquidem Philosophus l. 2. Physic. c. 2. consulentem vocat causam efficientem rei per consilium factæ. Duplex verò illa consideratio minoris damni, 1°. ut damni, 2°. ut impeditivi, &c. non habet locum à parte rei: cùm sit mera abstractio mentalis, seu præcisio eorum quæ à parte rei unum sunt, nihil proinde immutat in re, prout à parte rei sit.

1393 Ad 3um. nego similiter assumptum: quia est malefactori consulere, ipsumque consulendo inducere ad nocendum personæ innocenti, cui malefacere necdum constituerat, imò nec cogitarat nocere. In casu autem quo malefactori, volenti auferre vitam Petro, consulit quis ut potiùs auferat ipsi bursam, solùm inducit ipsum, ut personæ, cui jam malefactor constituerat majus nocumentum inferre, omisso majori, solùm inferat minus, utrumque nocumentum impediturus, si posset; sed non potest. Et ideo utiliter agere censetur negotium Petri, solùmque intendere impedimentum majoris damni ipsius; secùs in casu præsenti, in quo non solùm utiliter non agit negotium Joannis, sed ipsi voluntario consilio suo causa est gravis nocumenti: nocumentum proinde istud censetur intendere, & non solam evitationem gravioris nocumenti in Petro.

1394 Ad 2am. quæstionem videtur primâ facie respondendum negativè: quia regula 62. juris in 6. dicit, quòd *nullus ex consilio, dummodò fraudulentum non fuerit, obligatur*. Idem dicitur cap. *quisquis* 14. q. 1. sicut & L. *consilii* ff. de reg. jur. & L. *item* 2. §. *cur autem* ff. mandati: quia (ut ibi dicitur) ei qui consilium accipit liberum est apud se explorare, an expediat sibi consilium. Verùm jura ista & canones solùm dicunt non teneri de damno ei qui consilium petiit, nisi fraudulentè consuluerit, quando scilicet ex officio, v. g. Advocati, Medici, &c. non tenebatur petenti rectè consulere. Unde dicendum, consulentem haud dubiè teneri de damno, quod alicui tertio culpâ latâ ipsius evenit ex consilio, etsi minimè fraudulento. Quisquis enim suâ culpâ latâ alteri causa est injustæ damnificationis, tenetur ad restitutionem, ait S. Thomas suprà non semel laudatus. Nec consulentem semper excusat ignorantia, vel bona fides: potest enim ignorantia (ex qua bona fides concipitur) aut temeritas esse talis, ut consulentem non solùm non excuset à culpa, sed nec à restitutione, saltem respectu tertii, cui damnum intulit, etiamsi positivè non consuluerit actionem damnificativam, sed tantummodò dixerit esse licitam, si hoc dixerit in circumstantiis, in quibus animadverterit, eum cui dedit istud consilium, inde efficaciter movendum ad actionem illam ponendam. Unde sibi cavere debent Theologi, & Jurisconsulti, sicut & Confessarii, suis liberioribus consiliis dantes causam injuriis, ac injustitiis, v. g. restitutionum omissionibus, uti rectè monet Salonius hîc: tenentur namque ad reparanda damna ex malo consilio suo secuta, juxta cap. *si culpâ* de injur. & damno dato, ubi sic: *Si culpâ tuâ damnum datum est, jure super his te satisfacere oportet, neque ignorantia te excusat, quia jure scire debuisti*. Circa Confessarios tamen vide quæ dixi n....

Hinc docentes possunt, eo modo quo consulentes, coram Deo restituendi incurrere 1395
obligationem, dum falsam doctrinam cum damno aliorum tradunt, ut in praxi tutam & securam, etsi non sit facile dictu quibus in casibus, & quibus hominibus restitutio illa facienda sit. Nec ipsos quæcumque probabilitas (prout à multis hodie Casuistis intelligitur) semper excusat, ut pro indubitato habendum est ex dictis de probabilitate.

Propterea S. Thomas in procemio Opus- 1396
culi 73. de usuris Sapientiam æternam invocabat hisce verbis: *Invoco ergo ipsam, ne me errare permittat, in periculum animæ meæ, & in laqueum aliorum*, &c. Et quamvis non ignoraret probabilitates, & sententias Doctorum sui temporis, iis se non existimabat à periculo tutum; imò vel hac ipsa de causa Deum existimabat orandum, ne ipsum à veritate aberrare permitteret: *quoniam* (inquit) *in auditis, quorum veritas agnita salutaris est, & incognita periculum ingerit humanæ saluti, admodùm utile est veritatem investigare. Siquidem temporibus nostris audivimus multas controversias inter Doctores..... etiam in moralibus, in quibus periculosum est diversa sentire & opinari, & præcipuè in illa parte justitiæ, quæ commutativa dicitur*, &c.

CAPUT CXLV.

De movente, seu inducente ad actionem injustam exemplo suo.

QUæstionibus præcedentibus de consi- 1397
lio, affinis est alia, quâ quæritur, an ille qui alium movet aut inducit ad actionem injustam exemplo suo, teneatur de damno, sicut ille qui ad eam movet aut inducit consilio? Video Juniores communiter negativè respondere: quia ad eam movens exemplo, solùm ad eam concurrit imperfectè; per consequens solùm agit contra justitiam imperfectè, non perfectè. Qua de re videri potest Dicastillo disp. 9. de

pœ-

pœnit. n. 342. & 347. Verùm id non videtur universim verum : cur enim movens exemplo, subinde non moveret efficaciter, & perfectè, sicut movens consilio : cùm exempla non habeant minorem, imò subinde majorem vim movendi, quàm verba seu consilia verbalia, juxta vulgatum istud : *Verba movent, exempla trahunt* : plus est enim trahere, quàm movere ? Videtur proinde dicendum cum Bonæ-Spei disp. 18. n. 14. moventem, seu inducentem alium exemplo suo ad actionem injustam, perinde teneri de damno ac consulentem, dum æquè efficaciter ad eam inducit exemplo, quàm consilio. Tunc enim perinde est causa moraliter efficax damni ; & idcò perinde in ipso verificatur canon *si culpâ* de injuriis, &c. *Si culpâ tuâ datum est damnum, jure super his te satisfacere oportet*, &c.

CAPUT CXLVI.

De consentiente, palpone, receptante, participante.

1398 COnsensus hîc non accipitur pro actu merè interno : utpote qui ut talis non influit in actionem damnificativam alterius; sed pro externo favore, approbatione, conniventia, suffragio, quo unus concurrit in actum alterius moraliter influendo. Et si quidem in actionem damnificativam efficaciter influat, haud dubium quin consentiens teneatur ad restitutionem. Quia est causa efficax damni. Unde ad eam haud dubiè tenentur Consiliarii Regis suffragio suo consentientes in bellum injustum, quod sine ipsorum consensu non moveretur. Et idem est de iis qui in Senatu, Collegio, Capitulo, &c. suffragium ferunt ad injustam electionem indigni, vel rejectionem digni, vel dignioris. Quia & ipsi tenentur de damnis inde secutis.

1399 Dicit quidem Navarrus in Manuali cap. 17. n. 21. quòd *quando in Capitulo, Consistorio, aut Universitate, ubi majori parti statur, & publicè suffragia feruntur, pauciores que majoris partis sententiam sequuntur, quamvis peccet consentiens in delictum*, secundùm Innocentium in cap. *sicut dignum* de homicidio; *non tenetur tamen de restitutione damni, quod illam malam sententiam consequitur : quandoquidem illius causa non fuit, cum etsi contradixisset, id consequeretur, ut rectè Cajetanus dixit.*

1400 Verùm licèt tunc talis suffragator non sit causa damni sine qua non; ordinariè tamen est causa vera, seu verè influens in illud. Quia ordinariè in Capitularibus ejusmodi deliberationibus, res concluditur ex conspirantibus omnium votantium suffragiis, & in vim illorum omnium res concluſa mandatur executioni, fitque executio nomine omnium, qui ad eam suffragiis suis concurrerunt. Cùm igitur damnum sequatur ex vi istius executionis, videtur dicendum, etiam posteriores suffragatores, qui certò sciunt rem mandandam executioni, sive suffragia sua aliis adjiciant, sive non, teneri de damno, sicut cæteros : quia simul cum ipsis sunt causa efficax damni, etsi non sint causa sine qua non.

Hinc videre est, quàm periculosum sit, 1401
membrum esse Congregationis, cujus major pars (ut sæpissimè fit) in electionibus procedit ex affectu quærente quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi; potissimùm ubi agitur de promotione minùs digni, neglecto digniori. Si enim tunc suffrageris pro minùs digno, concurris ad iniquam electionem, quâ (cum acceptione personarum) minùs dignum præfers digniori. Nec te excusat timiditas, ex qua id facis, ne videaris electum odisse, vel sine causa à Confratribus dissentire, vel nimis scrupulosus esse. Est enim bono communi summè nociva ista timiditas, & timidis istis (licèt alioqui viris bonis) periculosa, juxta illud Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius Hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua.* Est etiam valdè irrationabilis : cùm ratio convincat, semper injustum esse, ad munia publica eligere minùs dignum præ magis digno.

Uno tamen casu id videtur esse justum ac 1402
licitum, dum scilicet id necesse est ut indignior excludatur; prout in casu v. g. quo septem forent eligentes, ex quibus duo parati essent eligere A. dignissimum ; duo alii B. secundum in ordine dignitatis ; tres reliqui C. cæteris indigniorem ; quem video eligendum, nisi cum socio meo, parato alioqui eligere A., accedam ad duos paratos eligere B. Isto namque casu effectivè promoveo magis dignum ex iis pro quibus apparentia est electionis successum habituræ, excludoque indigniorem, faciendo ut B. cum suffragiis quatuor superet C. qui alioqui plura habiturus fuisset. Commune proinde bonum promoveo, sequorque regulas prudentiæ, quæ exigit, ut talibus in circumstantiis eligam dignissimum, qui cum effectu hîc & nunc eligi potest.

Hâc occasione quæri potest, quomodò se 1403
gerere debeant suffragatores in Novitiatu, dum ipsis ad receptionem, vel rejectionem proponitur Novitius, de cujus idoneitate dubitant? Respondeo Novitium in tali dubio non esse recipiendum : quia solùm recipiendi sunt, qui post probationem inventi fuerint habiles, juxta Tridentinum sess. 25. de Regul. c. 16. In dubio verò de habilitate, non censentur inventi habiles. Per consequens rejiciendi sunt, ob periculum recipiendi inhabiles, cum præjudicio Religionis, cujus commune bonum (in ejusmodi dubio) præferendum est privato bono Novitii, qui sibi tunc suam imputare debet rejectionem, eò quòd se non probaverit habilem, uti debebat. Maximè cùm habilitas

seu idoneitas ad statum Religiosum non insit à natura, ideòque non præsumatur, nisi operibus comprobetur. Ita Scildere de princip. consc. form. tr. 5. n. 79. & apud ipsum Bardi, & Caramuel.

1404 De *palpone*, seu adulatore, hoc solum dicendum, quòd si malefactorem laudando, ipsum efficaciter moveat ad inferendum proximo damnum, vel ipsi ignaviam aut pusillanimitatem exprobrando, incitet ad nocendum (uti communiter fit) tenetur de damno. *Dum* enim *malefacta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerunt*, ait D. Gregorius relatus can. *sunt nonnulli* dist. 46. Siquis autem furtum jam perpetratum laudet, solùm tenetur, dum laus illa ad aliud furtum animat, vel causa est quòd furtum non restituatur.

1405 Per *recursum*, seu receptatorem, ille intelligitur, qui vel ante executionem domum suam offert, aut promittit malefactori; vel post executionem ipsi refugium in domo sua præstat, ut ibi sive ipse, sive res furtiva, sive instrumenta maleficii recipiantur, occultentur, protegantur. Talis ad restitutionem certissime obligatur: quia per hoc malefactori præstat audaciam & securitatem agendi, & ante furtum causa est injustæ acceptionis; post illud est causa injustæ detentionis. Hinc de damno plerique tenentur caupones, qui res furtivas in custodiam recipiunt, & fures occultant. Simili modo tenentur etiam aliqui potentiores, qui furibus, vel homicidis protectionem præstando, causa sunt quòd damnum non restituant, & inferre pergant. Occultare tamen furem, dum à Magistratu, vel lictoribus ad mortem quæritur, non ut restitutio impediatur, sed ut à morte liberetur, actus est charitatis, & humanitatis, nullo modo obnoxius restitutioni.

1406 Ad eam tamen Advocati tenentur, qui injustitiam sui clientis contra propriam conscientiam defendunt, ac defendendo causa sunt, quòd parti læsæ non satisfiat. De talibus dicit Augustinus epist. 54. ad Macedonium: *Illud fidenter dixerim, eum qui ad hoc pro homine intervenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantùm honestè potest, ad reddendum non compellit, socium esse fraudis ac criminis. Nam misericordiùs opem nostram talibus subtrahimus, quam impendimus.*

1407 Tandem ad restitutionem tenentur omnes participantes, non solùm qui partem accipiunt in re furtiva (qui sine dubio ratione injustæ acceptionis partem illam tenentur restituere, si eam acceperint malâ fide; si bonâ, tenentur equidem ratione rei acceptæ, nisi eam bonâ fide consumpserint; quo casu solùm tenentur quatenùs inde facti sunt ditiores) sed & omnes illi, qui ad opus per se injustum, quàmlibet metu mortis compulsi, immediatè concurrunt, v. g. fores alienas effringendo, scalas, aut instrumenta injustitiæ portando, & præbendo ad furandum, excubias agendo ut furtum securiùs fiat, adjuvando ad accipiendam vel asportandam rem furto sublatam ad locum tutum, &c.

Idem videtur dicendum de mediatè con- 1408
currentibus ad opus per se injustum: de iis utique qui ad opus illud concurrunt per actionem per se absolutè non injustam, quæ tamen hîc & nunc ad executionem illius non solùm habeat se per accidens, & merè concomitanter, sed per se & causaliter, v. g. applicando scalas furi volenti per fenestram ingredi domum alienam ad furandum, juvando ascendentem, præbendo instrumenta ad fenestram confringendam, &c. Quia quisquis hoc facit, etiam metu mortis, ad furtum verè concurrere, eique moraliter cooperari videtur. Quod non magis licet, quàm socium esse furis ac criminis, ut patet ex Augustino proximè relato.

Sunt tamen plerique qui aliter philoso- 1409
phantur: eò quod nimis metaphysicè, & in abstracto res istas spectantes, censeant ejusmodi actiones adiaphoras, id est indifferentes (inquit Boudartius to. 6. tr. 2. de restit. §. de participante) quæ tamen consideratæ cum suis individuis circumstantiis, prout hîc & nunc fiunt, sunt reverà cooperationes pravæ actionis, v. g. submissis humeris scienter adjuvare dominum volentem ascendere per fenestras ad furandum, stuprandum, adulterandum, vel ei deferre, applicare, & tenere scalas, præbere instrumenta effringendi fores domûs alienæ, &c. Quas actiones plerique existimant iis esse licitas, qui gravi metu ad eas compelluntur: sunt enim (inquiunt) per se indifferentes, nec lædunt dominum, nisi ex intentione & usu furis. Verùm eas ne quidem metu mortis licitas esse verius videtur: quia licèt actiones istæ absolutè quoad substantiam sint ex se indifferentes; prout in talibus circumstantiis hîc & nunc factæ, non sunt indifferentes: quia non habent se concomitanter, ac per accidens ad committendum furtum, stuprum, adulterium, &c. sed causaliter & cooperativè: sicut dum femina ad jussionem viri (volentis eam constuprare) ex metu mortis ascendit in lectum, denudat se, eumque situm corporis exhibet, quem ille requirit ad suam turpitudinem exercendam; omnes quidem & singulæ actiones istæ absolutè quoad substantiam sunt indifferentes, sed prout hîc & nunc talibus in circumstantiis factæ, sine dubio sunt cooperationes morales ad dictam turpitudinem. Et ideò sicut eas non excusat metus mortis; ita nec alias prædictas: siquidem oportet potiùs millies mori, quàm semel cooperari moraliter iniquitati.

Hinc probabiliùs existimo cum Navarro, 1410
Toleto, Suarez, Sylvio, Mercoro, Gone-

to,

to, Boudartio, &c. licitum non esse Christianis mancipiis, etiam metu mortis compulsis, in triremibus Turcarum remigare contra Christianos, injusto bello ab ipsis impetitos. Quia non licet ipsis cooperari injustæ aggressioni & occisioni Christianorum, nec injustæ damnificationi Reipublicæ Christianæ.

1411 Contrarium quidem sentiunt multi, tam de hoc casu remigantium, quàm de præcedenti famulorum, scalas & instrumenta applicantium, dominumque ascendentem adjuvantium, &c. Sed hoc ideò, quia perperàm existimant actiones istas hic & nunc esse indifferentes. Cujus oppositum monstravimus.

1412 Instant tamen ipsi: famulus sustentare potest dominum idola adorantem, non cooperando moraliter idololatriæ ipsius, uti constat ex facto Naaman, approbato per Eliæum 4. Reg. 5. Similiter ergo sustentare, & adjuvare potest dominum ascendentem ad furandum, stuprandum, &c. non cooperando moraliter furto, nec stupro ipsius. Et idem est de Christianis remigibus, &c.

Respondeo negando consequentiam. Ratio namque, cur Naaman cooperatus non fuit idololatriæ domini, est quia non est cooperatus adorationi idoli, nec ulli cæremoniæ sacræ, ea in adoratione à domino adhibitæ, sed profanæ duntaxat commoditati, politicoque honori domini sui, ad eam adorationem & cæremoniam non magis facienti, quàm ad eam faciat delatio caudæ, quâ famulus obsequitur dominæ euntí ad fanum idoli. Ista quippe delatio, & sustentatio, cùm non sint nisi profana commoditas, & politicus honor domini & dominæ, merè per accidens, & concomitanter se habent ad adorationem & honorationem idoli; non sic delatio, & applicatio scalæ, adjutorium domini ascendentis ad furandum, & stuprandum, remigatio contra Christianos, &c. quas actiones in dictis circumstantiis ostendimus habere se causaliter, & cooperativè, perinde ut memoratæ actiones illius feminæ.

1413 Quòdque aliter philosophandum sit de actionibus istis, quàm de facto Naaman, Innocentius XI. satis ostendit, dum propositionem hanc condemnavit: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties ei subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Eam quippe condemnavit: quia qui talia agit, etiam notabilis detrimenti metu compulsus, moraliter cooperari censetur, tam exteriori operi, quàm pravæ intentioni domini. Quod si ita est in casu isto (uti Pontifex clarè supponit) simile profecto est in duobus casibus præcedentibus. Quia similium similis est ratio. Videatur cap. *sicut dignum* de homicid. ubi custodientes sarcinas eorum, quos sicarios esse sciebant, licèt ignari fuerint mortis innocentis ab ipsis machinatæ, à culpa & pœna homicidii declarantur non esse immunes.

Prorsus ergo ista omnia rejicienda sunt: 1414
& nisi rejiciantur, via aperitur ad nimiam laxitatem, eorum utique qui excusant famulum, meretricem è domo ejus evocantem, ac per plateas ad herum fornicaturam scienter deducentem, vel litteras ad fornicationem invitantes ab hero ad ipsam deferentem, imò & secretarium, ex metu gravis mali eas scribentem. Quæ omnia licèt excuset Caramuel Theol. præterintent. num. 2980. & 2981. & alii apud ipsum, quibus ex parte favent Sa, Castro-Palao, & Tamburinus apud Sinnichium in Saüle Exrege l. 1. §. 439. pro quanto sustinent hanc propositionem Baunii in Summa p. 710. edit. 1. anno 1659. ab Episcopo Namurcensi cum Synodo sua Diœcesana proscriptam: *Famuli comitantes dominum noctu, vel die, ad domum concubinæ, qui sine eorum societate eò non iret, vel ferunt internuntia vel litteras, vel referunt hinc inde horam ad peccandum, vel faciunt excubias vel custodiam; dum simul cum concubina, vel altera committit peccatum, absolvi non possunt, si consentiant in peccatum dominorum; secùs si id fieret propter temporalem commoditatem.* Cui non multùm absimilis est propositio Gasparis Hurtado apud Dianam p. 5. pag. 435. *Famulus, qui nequit facilè herum invenire tam utilem sibi, si non habeat pravam intentionem, nec certam scientiam, quòd herus sit abusurus, potest illius jussu videre quò femina aliqua eat, & ubi habitet, eique munuscula deferre, herumque causâ honoris, aut defensionis comitari ad domum concubinæ, & ei pedem sustinere ad ingrediendum per fenestram domum concubinæ, & ei picturam concubinæ emere, & ire ad concubinam, & ei dicere: herus meus te vocat, & eam ad domum heri comitari, & januam ei aperire, & eis lectum sternere; non tamen eam invitare ad actum turpem.* Ex dictis satis apparet opiniones istas nimis exorbitantes esse, & habere speciem quamdam lenocinii, ut rectè notavit Layman l. 2. tr. 3. n. 5. post Josephum Anglez.

Sylvius quidem hîc §. *de participante* ex 1415
alio capite excusare conatur rusticos, qui vel mortis, vel alterius gravis mali metu compulsi, avehunt prædas injustè à militibus acceptas, postquam redactæ sunt in potestatem ipsorum: quia (inquit) in talibus angustiis domini non cententur rationabiliter inviti. Sed tu cogita: non enim videtur verum, saltem si prædas illas avehendo, ponant magis extra potestatem dominorum, adeòque in pejori statu, quàm si ibi relinquerentur, ubi facilè à dominis recuperaren-

tur. Cur enim domini tunc minùs rationabiliter forent inviti, quàm in eo quòd metu mortis, vel alterius gravioris mali, à militibus compulsi, fores effringerent, pecoraque ex dominorum stabulis abigerent? Quod quomodò excusari possit, Sylvius fatetur se non videre; licèt Lessius excuset.

1416 Supereſt una quæstio circa participantes, seu cooperantes discutienda, an quando plures eamdem domum, vineam, hortum, &c. injustè spoliant, notabileque damnum domino domûs, vineæ, &c. inferunt, singuli teneantur ad totum damnum, an ad partem duntaxat?

Respondeo 1°. si communi consilio, vel instigatione, ac velut unâ manu spolient, singuli tenentur ad totum: quia ad totum revera concurrunt, singulique censentur causa totalis illius totalitate effectûs, licèt solùm partialis partialitate causæ. Hic proinde locum habent ea quæ suprà dixi, sicut & quod S. Bernardinus Senensis serm. 31. in Domin. 4. Quadrag. a. 2. c. 1. cum Hostiensi dicit: Quid *si multi ad rapiendum concurrunt, nec aliquem habent ducem supra se, neque unus alium animavit magis, quam alius eum, sed simul conveniunt ad rapinam? .... secundum Hostiensem tutius ac verius est, quòd quilibet in solidum obligatus intelligatur: quia ad rapinam concordes fuerunt.*

1417 Respondeo 2°. si eodem tempore domum, vel vineam, vel etiam pagum, vel oppidum ingressi fuerint ad rapiendum, non communi consilio (quia *nullus induxit alium ad hoc, nec erat aliquis dominus alterius, sed quilibet per se vult.*) *Ad hoc* (inquit S. Raymundus in Summa l. 2. tit. de raptor. §. 21.) *credo dicendum, quòd si vadunt insimul, quasi sit unus exercitus, quilibet teneatur in solidum. Et est ratio, quia in tali casu quilibet juvat alios, & facit eos fortiores: isti enim dici possunt squammæ sese prementes, de quibus Job 41.* „ Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum „ squammis se prementibus. „ *Facit ad hoc extrav.* de homicid. *sicut dignum. Et omnes sunt cooperatores. Quare quilibet tenetur in solidum .... Alias si non iverunt simul, sed quilibet per se separatim faciebat damnum, quilibet tenetur pro eo quod facit.* Hactenùs S. Raymundus.

CAPUT CXLVII.

De circumstantiis faciendæ restitutionis.

1418 Circumstantiæ illæ sunt, *quis, quid, quantum, cui, quo loco, quo tempore, quo modo, & quo ordine* restitutio facienda sit. De circumstantiis *quis, quantum, & cui*, satis dictum est in superioribus. Solùm addo, quòd dum Communitas aliqua læsa fuit, ipsi, non membris particularibus ipsius, nec pauperibus facienda sit restitutio. Si non Communitas, sed per multi particulares de Communitate, & isti determinatè cognosci nequeant, sed indeterminatè dumtaxat, ut dum usus fuisti mensuris, vel ponderibus dolosis: restituere debes particularibus de Communitate, frequentantibus officinam tuam, per aliquod commune bonum, v. g. augmentum ponderis, vel mensuræ, quo damnum illatum, judicio prudentum, quantùm possibile est, compensetur, & compensatio inter damnificatos dividatur. Ita Malderus, Becanus, Sylvius, Petrus Navarra, Layman, Reginaldus, & alii: nisi procuretur & obtineatur Bulla compositionis, de qua videri potest Diana p. 4. tr. 4. resol. 46. Sed hæc solùm liberat à restitutione, dum damnum passi nullo modo sunt cogniti, bonaque restituenda sunt incerta; eoque titulo restitutio pauperibus facienda est. Quod procedere non videtur in casu præsenti, in quo, præter modum assignatum restituendi particularibus de Communitate, alium suggerit Petrus Navarra de restit. l. 4. c. 2. n. 69. ubi ad quæstionem, cui restituere debeat, qui civibus Civitatis A. triticum vendidit plus justo pretio, per legem taxato, dum determinatè nescit quibus? Hunc modum suggerit: *Mittat* (inquit) *per tertiam personam summam defraudatam ad Magistratum istius Civitatis, cum hoc onere, ut per aliquod tempus faciant panem coctum minori pretio vendi, vel ejus mensuram accrescere, usquequò perveniatur ad summam restitutam; mensuræ incrementum, vel pretii decrementum pistoribus de illa summa compensando; sic cives à damno quod passi sunt relevabuntur.* 1419

CAPUT CXLVIII.

Tempus & locus faciendæ restitutionis.

DE tempore etiam suprà diximus cum 1419
sancto Thoma q. 62. a. 8. & aliis communiter, esse faciendam quamprimùm moraliter potest: *quia detinens rem alienam (absque consensu domini) dum potest eam restituere, impedit eum ab usu rei suæ; & sic facit ei injuriam*, ait S. Doctor.

Ideò absolvendi non sunt pœnitentes ante effectivam restitutionem, dum restituere potentes, non restituunt; maximè si fidem aliàs Confessario datam de statim restituendo non servaverint. Sunt enim in continuo statu peccati. Si dicant: *Pater mi hâc vice restituam*, reponat Confessarius: *Si vis ut credam tibi, postquam decepisti me: vade modò in illa tua bona voluntate, & restitue. Dum hoc feceris, ad me rediens absolvêris.* Ita Cajetanus in Summa verbo *restitutio* cap. 6. Cæterùm qui habens firmum restituendi propositum, absque notabili incommodo domini, differt ad breve tempus, v. g. ad tres vel quatuor dies, non est facilè de mortali condemnandus; imò nec de veniali, si sic differat ex rationabili causa, v. g. quia meliorem expectat opportunitatem: secùs, si ad lon- 1421

gum tempus differat, cùm possit statim; vel si magnam debens summam, simul & semel solvendam, invito creditore, nollet nisi per partes, & intervalla non modica solvere, v. g. per singulos menses, vel annos. Et à fortiori si differre vellet, donec à Judice compelleretur. Quo casu, præter mortale peccatum, obligationem incurreret creditori restituendi expensas, ad ipsum compellendum factas. Ita Medina, Sotus, & alii, apud Dicastillum disp. 10. n. 6.

1422 Quoad locum ubi facienda est restitutio, aliter de possessore bonæ fidei, aliter de malæ fidei possessore philosophandum. Primus namque, qui solùm tenetur ratione rei acceptæ, satisfacit repræsentando rem in loco ubi eam possidet. Per consequens non tenetur eam ad dominum transmittere, nec expensas facere pro restitutione, & siquas pro utilitate domini fecerit, eas potest repetere. Quia, cùm sit innocens, non tenetur subire damnum, ut dominum reddat indemnem. Ita Doctores communiter.

1423 Secundus verò, qui restituere tenetur ratione injustæ acceptionis, tenetur rem (si extet) vel ipsius pretium domino restituere eo loco, ubi dominus eam (si sublata non fuisset) erat possessurus; eumque in finem expensas necessarias facere, iis deductis quas dominus ipse fecisset, ad rem ibi conservandam, vel eò transferendam. Ita etiam Doctores communiter: quia aliàs dominum non redderet indemnem.

1424 Nec refert quòd expensæ in transmittendo adæquaturæ sint, vel etiam parum superaturæ valorem rei. Est enim proverbium: *tu invivisti, tu exmede*, id est tu causam dedisti expensarum istarum, tu ergo expende, & expensas tibi imputa. Si tamen expensæ notabiliter superaturæ essent rei valorem, sufficeret pretium transmittere, vel cum domino convenire, qui videretur tunc ex charitate, vel humanitate pretio esse debere contentus, si sua non multùm interesset. Tunc enim inhumanum videretur, cum tanto debitoris incommodo, velle rem sibi in specie restitui, dum non multùm interesset eam restitui in æquivalenti.

CAPUT CXLIX.

Modus faciendæ restitutionis.

1425 Circa restitutionis modum quæri possunt quinque. 1°. an occultè fieri possit, an publicè fieri debeat? 2°. an satisfaciat, qui tam occultè restituit, ut ne læsus quidem advertat, v. g. si fingas te donare, quod reverà vis restituere? 3°. quid si scias creditorem, ex putata tua liberalitate impulsum iri ad tantumdem alia in occasione redonandum, non redonaturum, nisi anteà donasses? 4°. an liber sit à restitutione, vel solutione, qui debitæ restitutionis immemor, gratis donat centum ei cui restituere debet centum? 5°. an liber sit, qui ob infamiæ periculum restituere non valens per seipsum, rem debitam domino, vel creditori mittit per interpositam personam, communiter existimatam fidelem, quæ cum re aufugit?

Ad 1^um. quæsitum respondeo, satis esse, 1426
si restitutio fiat occultè, v. g. per Confessarium, nisi ad tollendum scandalum, vel offensionem publicam, facienda sit publicè, prout fieri debet v. g. ab usurario publicè. Extra quem casum fama non est de necessitate exponenda pro pecunia, si hæc aliter restitui queat.

Ad 2^um. respondeo quòd sic: quia sic equi- 1427
dem reddis quod debes, modò caveatur inconveniens quæsiti tertii.

Ad 3^um. aliqui dicunt, satis esse quòd sic 1428
restituatur, licèt suppetat alius restituendi modus per Confessarium, modò non finxeris te gratis donare, ad finem dictæ redonationis, sed purè intenderis finem restitutionis: quia tunc non censeris dolo egisse, nec alterum decepisse formaliter, sed materialiter duntaxat: eò quòd effectus redonationis per accidens conjunctus sit cum effectu talis restitutionis, quam solam supponeris intendisse. Sed quomodò alterum non decepisti formaliter, dum ipsi mentitus es, dicendo, te gratis donare: cùm id non intenderes, sed restituere? Dolosè ergo egisti, verbo aliud significando, quàm in mente haberes. Et si nihil aliud intendebas, quàm restituere præcisè, quid opus erat proximum decipere, cùm absque deceptione & fictione facilè posses per Confessarium restituere? Si ergo homo sincerus es, ratione fictionis tuæ debes restituere, vel redonationem non acceptare: utpote non futuram, nisi fingendo decepisses. Neque enim credibile est in praxi nihil aliud te reipsà nisi puram restitutionem intendisse, non redonationem, dum finxisti te gratis donare. Utique ista mera est speculatio metaphysica, quæ non attenditur in practicis, sed ea quæ in praxi semper, vel ferè semper contingunt.

Ad 4^um. affirmativè respondent Baldellus 1429
& Trullenck, probabileque censet Diana p. 5. tr. 13. resol. 94. 1°. quia licèt expressè non intendat solvere, vel restituere, sed gratis donare, id tamen intendit implicitè; quia unusquisque censendus est per ea quæ facit, satisfacere velle obligationibus suis, si quas habet, nisi de oppositò constet.

2°. etiamsi id ne implicitè quidem intenderit, equidem justitiæ debito satisfeciisse censendus est: utpote cui satisfieri potest absque intentione ei satisfaciendi; quemadmodùm satisfieri potest obligationi voti, vel præcepti audiendi Sacrum, audiendo Sacrum cum intentione per illud non satisfaciendi voto, vel præcepto.

3°. siquis in somno, vel ebrietate dedisset centum ei cui totidem ex justitia debebat, non teneretur ipsi solvere alia centum, licèt

non habuisset intentionem isti debito satisfaciendi.

1430 Dicendum nihilominùs cum Henrico Gandavensi quodlib. 12. q. 25. Lopez, Sayro, Lessio, & aliis communiter, talem non esse liberum ab onere restituendi, vel solvendi. Quia debito justitiæ non satisfacit, qui nullatenùs intendit ei satisfacere, sed gratis donare (cùm ista pugnent inter se, impossibileque sit esse gratuitum donum, quod est ex justitia debitum) prout Apostolus indicat Rom. 11. cùm dicit: *Si autem gratia, jam non ex operibus* (id est non debita ex merito operum) *alioquin gratia jam non est gratia.* Enimverò per hunc vel illum actum debito justitiæ satisfacere, vel non satisfacere, dependet à voluntate agentis: utpote cui, stante justitiæ debito, liberum est facere liberale donum ei cui debet, non intendendo per actum illum justitiæ debito satisfacere, sed per alium quem posteà intendit facere. Sicut etiam liberum est homini, qui ex voto tali die debet audire Sacrum, debito illi satisfacere per auditionem Sacri A, vel non satisfacere: quia satisfacere per auditionem Sacri A, vel non satisfacere, sic pendet ab ipsius voluntate, ut stante voti debito, possit audire Sacrum A. ex liberali devotione, per quam nolit illi debito satisfacere, sed sibi relinquere per auditionem Sacri B. posteà satisfaciendum. Voti quippe satisfactio, sicut & votum ipsum, votique continuatio, vim habet ex voluntate voventis; qui sicut ab initio liberè potest assumere, vel non assùmere obligationem voti; ita & eam continuare, vel non continuare: quod facere censetur, dum non vult satisfacere per Sacrum A, sed per Sacrum B. Actus siquidem agentium operantur juxta, non ultra intentionem eorum.

1431 Atque ex his patet 1am. & 2am. rationem, seu potiùs ratiunculam in contrarium non subsistere. Uti nec subsistit 3a. dum enim ille, qui in somno, vel ebrietate donavit centum ei, cui ex justitia debebat centum, eaque post somnum, vel ebrietatem non repetit, cùm posset (utpote invalidè donata) censetur ea ipsi relinquere titulo solutionis.

1432 Ad 5um. dicendum 1°. quòd si res restituenda erat solo titulo rei acceptæ, eaque determinata erat in individuo, liber evasit ab onere restitutionis, dum eam remisit per interpositam personam, communiter existimatam fidelem, quamvis aufugerit cum ea, nec restituerit. Quia tunc res illa domino periit; nec debitor tenetur ampliùs ratione rei acceptæ: cùm eam ampliùs non habeat; neque ratione injustæ acceptionis: cùm immunis sit ab omni culpa & injuria.

1433 Dicendum 2°. quòd si res titulo rei acceptæ restituenda, non erat determinata in individuo, sed indeterminata, debitor non evasit liber in dicto casu: quia si periit, ipsi tamquam domino periit. Nisi eam remisisset per hominem à creditore designatum. Quia tunc creditor per hominem istum, tamquam ad id à se commissum, censetur eam apprehendisse, feciscque suam, atque in se suscepisse periculum illius. Si ergo tunc periit, ipsi periit.

Dicendum 3°. si res restituenda erat ex 1434
contractu mutui, similiter non evasit liber, nisi remiserit per personam à mutuatore designatam. Aliàs enim, dum periit, mutuatario tamquam domino periit. Si ex contractu commodati, de levissima culpa tenetur, ideòque non satisfecit remittendo per personam à commodante non designatam, licèt communiter existimatam fidelem: quia majorem præcautionem adhibere tenebatur, ne periret. Si denique ex contractu locati, tenetur de culpa levi, adeòque tenebatur ad præcautionem majorem, quàm sit communis illa, quâ res locata remittitur per personam communiter existimatam fidelem. Confer quæ dixi, agendo de contractibus istis.

Dicendum 4°. si res restituenda erat ratio- 1435
ne injustæ acceptionis, quamvis debitor eam remiserit per Confessarium, vel alium quemcumque à creditore non designatum, quàmlibet existimatum fidelem, eo defraudante, vel aufugiente, non liberatur. Quia damnificator injustus tamdiù remanet obligatus, quamdiù dominus non redditur indemnis: eò quòd tamdiù maneat titulus ex quo tenetur; damnificator etiam injustus teneatur de casu fortuito, ut constat ex communibus restitutionis principiis suprà allatis. Atque ita docent Lessius, Sylvius, & alii communiter, contra Sotum, & nonnullos alios, quos Diana refert p. 10. tr. 16. resol. 97. Quorum fundamentum est, quia fur ex una parte restituere non tenetur per seipsum, dum id non potest absque periculo infamiæ; ex alia parte remittendo per Confessarium, seu aliam personam communiter existimatam fidem, facit quod potest, & debet; ideòque creditor esse debet rationabiliter contentus.

Verùm facilis est responsio, quòd etiamsi 1436
fur hactenùs fecit quod potuit, quia tamen injustè damnificatum effectivè non reddidit indemnem, sed affectivè ad summum, injustè damnificatus esse non debet contentus istâ restitutione per personam à se non designatam, nisi hâc lege, quòd si talem restituendi modum damnificator eligeret, suo, non damnificati periculo eligeret. Sibi enim debet imputare, quòd injustè damnificando in eas se angustias volens conjecerit.

Ergone fur (inquies) bis restituere de- 1437
bebit valorem rei per intermediam personam defraudatæ? Respondeo ad id non teneri per se, ratione injustæ damnificationis, quo titulo solùm restituere debet tantum, quantum damnificavit, dum potest absque detrimento suo longè majori; sed per accidens, ratione culpæ, de qua tenetur, dum non adhibuit diligentiam exactissimam in se-

curè restituendo: si enim commodatarius & locatarius tenentur ad restituendum valorem, dum res ab ipsis remissa per intermediam personam, fraude istius personæ periit; quantò magis fur? Sibi ergo imputet, quòd exactissimam diligentiam non adhibuerit ad hoc ut is cui res debetur, eam reciperet, eamque intermedia persona non retineret: *quia* (inquit S. Antoninus p. 2. tit. 2. c. 4. §. 1.) *non esset propter hoc liberatus.* Ideò non confidat (inquit) *de Prædicatoribus, & Confessoribus, & Quæstuariis, qui quærunt pecunias, non animarum salutem.*

CAPUT CL.

Ordo servandus in restitutione, ratione rei acceptæ, & injustæ acceptionis.

1438 DIcendum 1°. cum communi, quòd dum res aliena extat in specie apud debitorem, & aliena certò cognoscitur, primo loco, & ante omnes alios creditores, domino suo restituenda est, si notus sit; vel danda pauperibus, si domini notitia haberi nequeat. Quia dignum & justum est, quòd dominus ante omnes creditores jus habeat præferentiæ, respectivè ad rem suam: cùm res unaquæque suâpte naturâ specialissimè clamet ad dominum suum.

1439 Nec refert quòd pauperes non magis sint domini istius rei, quàm alii creditores. Quia voluntas domini equidem præsumitur talis, ut sua res in utilitatem suam spiritualem in persona pauperum applicetur, dum applicari non potest in utilitatem suam temporalem.

1440 Dicendum 2°. cum S. Thoma q. 62. a. 7. ad 2. quòd ratione injustæ acceptionis principaliter tenetur restituere, qui est principalis in facto; principaliter quidem præcipiens actionem injustè damnificativam; secundariò verò exequens, & consequenter alii per ordinem. Quia verò ratione rei acceptæ etiam tenetur, qui rem alienam malâ fide, suâ authoritate consumpsit, perinde ac si res aliena adhuc extaret apud ipsum, primo & ipse loco tenetur. Cùm enim sua injustitia in consumendo ipsi non debeat patrocinari; per consequens ipsum melioris non debet conditionis efficere, quàm si non consumpsisset. In facto proinde isto ipse est principalis, sicut & qui jussit, vel coëgit (terrendo, minando, &c.) necnon qui consuluit, vel rogavit nomine suo damnum inferri. Omnis (inquam) ille est prima seu principalis causa damni: quia cæteræ concausæ non agunt nisi ut ab iis motæ. Ipsos deinde sequitur executor, qui est prima causa respectivè ad reliquos cooperantes; qui proinde, prout condistincti ab executore & causa simpliciter principali, cùm non sint prima causa, primo non tenentur loco, sed solùm in defectum causæ principalis, & exequentis, cujus censentur quasi causæ accessoriæ, & coadjutrices. Quod enim faciunt, suo nomine non faciunt, sed nomine principalis, vel saltem ut ab ea motæ & applicatæ, adeòque ut coadjutrices exequentis. Et ideò reliquæ istæ causæ, quæ directè ac positivè cooperantur, comparatæ quidem ad invicem, censentur quasi ejusdem gradûs (eò quòd parva videatur inter eas differentia: cùm una non sit alteri subordinata) tenentur tamen ante causas solùm indirectè & negativè cooperantes, quæ nonnisi ultimo tenentur loco, nimirùm post cooperantes directè & positivè, quas diximus æquali gradu teneri inter se, sic tamen ut unusquisque cooperantium pro rata parte restituat sive plus, sive minus, arbitrio boni viri, secundùm quod plus vel minùs coopèratus fuerit.

Dicendum 3°. quòd totum damnum re- 1441
stituente principali, seu illo qui primo loco tenetur, vel remissione ipsi factâ per personam læsam, cæteri liberantur: utpote non obligati nisi in defectum ipsius. Si tamen remissio fiat uni ex concausis secundariis, causa principalis non liberatur; uti nec aliæ concausæ pro sua rata. Quòd si principali non restituente, concausæ secundariæ restituerint, principalis tenetur iis restituere, uti docet S. Thomas loco citato. Similiter si uno ex pluribus principalibus restituente, cæteri comprincipales non restituerint, cæteri tenentur illi restituere pro sua parte.

CAPUT CLI.

Ordo servandus in satisfaciendo creditoribus, dum omnibus debitor satisfacere non potest.

ANte omnia quisquis rem alienam habet 1442
in specie extantem, v. g. ex contractu depositi, locati, commodati, &c. eam domino suo debet restituere. Ob rationem n. 1425. allatam.

Hinc emptor venditori ante omnia restituere debet rem numeratò emptam, si pretium nondum solverit, nec venditor verbo emptoris fidens, illud pro soluto habuerit. Tunc namque, etsi tradita fuerit, in emptoris dominium nondum transiit, sed jure communi adhuc manet sub dominio venditoris, nisi obstet specialis lex, vel consuetudo loci, uti colligitur ex Instit. de rer. vendit. §. *venditor.* Videri potest Lessius l. 2. c. 15. dub. 1. Idem, ob eamdem rationem, dicendum de re creditò empta à Fisco, vel Ecclesia, sed non ab aliis. Quia res ab aliis creditò empta, secutâ traditione, hoc ipso transiit in dominium emptoris. Eam quidem Cajetanus, Medina, Navarrus, putant manere tacitè hypothecatam, pro pretio nondum soluto, nisi pro eo venditor pignus vel fidejussorem acceperit; adeòque, quamdiù adhuc apud emptorem extat, ante omnia venditori restituendum. Sed quamvis tacita ista hypotheca rationabiliter constitui posset: quia tamen nullo jure probatur constituta, contra Cajetanum, &c. sentiunt Covarru-

vias, Molina, Malderus, &c.

1443 Juxta dicta etiam præcedenti capite, *debet* (inquit S. Antoninus 2. p. tit. 2. c. 7. §. 1.) *priùs restitui rapina, furtum, & usura* (id est res rapta, furtoque & usurâ surrepta, si adhuc extet) *quàm debita licito modo contracta: quia ex rebus ejusmodi creditoribus solvere, hoc esset offerre holocaustum de rapina; sicut si injustè acciperetur ab aliquo divite quod ipsius est, ut daretur eleëmosyna pauperi, ut dicit Augustinus in can. fortè* 14. *q.* 5.

1444 Secundò, dum debitor nihil habet alienum in specie, solvenda sunt quæ debentur pro expensis funeris, ante omne aliud debitum, etiam hypothecatum. L. *impensa*, & L. *ære alieno* ff. de Religiosis, & sumpt. funer.

1445 Tertiò, debita certa priùs solvenda sunt, quàm incerta, id est quorum creditores vel sunt ignoti, vel certò non cogniti. Ita sanctus Antoninus citato cap. 7. in princip. his verbis: *Restitutio certorum præponenda est restitutioni incertorum. Sciendum igitur, quòd certa omnia obligata restitutioni, id est cùm sciuntur personæ, quibus facienda est, priùs integraliter solvenda sunt, quàm restituantur incerta, quando scilicet scitur, vel dubitatur bona restituentis non sufficere ad utrumque. Nam tunc restituenda sunt plenè & integraliter certa.* Similiter S. Bernardinus Senensis serm. 39. in Fer. 6. post Domin. 4. Quadrag. a. 3. c. 1. *Priusquam restituantur incerta, restitui debent certa. Ad cujus intelligentiam ponatur casus, & detur unus, qui decem millia habuit de usuris, vel de rapinis; inter quæ quinque millia reperiantur certa, & quinque millia incerta sint: tamen in morte de bonis istius non inveniuntur nisi tria millia; & sic non sufficiunt ad satisfaciendum solummodò certa certis. Tunc manifestè apparet, quòd liquid pro satisfactione incertorum accipitur, ut pauperibus, seu in pias causas dispensetur totum, nova rapina est, & est quodammodò facere raptorem Christum in pauperibus suis. Propterea quicumque hoc intelligit, atque novit, licèt pauper sit, vel pauperibus dispenset, si quidquam inde accipit, & rapinam committit, & satisfacere obligatur his qui debent habere certa (cujus tamen contrarium quotidie intelligimus fieri) quia quod restitui debet certis personis, non potest pauperibus dispensari. Extrav. de homicid. in cap. sicut dignum, ibi: Non tamen aliena, cùm ipsa potuissent eis quorum fuerant restituere, debuerunt pauperibus erogare.* Justitia ergo obligat ad reparanda priùs damna certa, quàm incerta, certosque creditores incertis præferendos. Unde Sylvius hic meritò dicit errare eos, qui, dum omnia reddere non possunt, cum Ecclesiæ Prælatis de incertis componunt, ut sibi retineant, quod ipsis remittitur, hoc pacto creditores certos defraudantes. Deberent enim primò creditoribus certis satisfacere, deinde pro incertis compositionem petere.

1446 At (inquit Leonardus Van Roy, Theol. Mor. to. 3. c. 8. q. 12.) dominus ignotus, seu incertus, tantùm juris habet, quàm notus. Ergo non minùs ipsi satisfieri debet, in persona pauperum, quàm cæteris. Sanè si hæres istius domini cognosceretur, ipsi æquè ac cæteris satisfieri deberet. Atqui dum ignoratur dominus, pauperes hæredis vices supplent: quia voluntas domini est, ut quod sibi debetur, pauperibus tribuatur.

Respondeo dominum ignotum in propria, 1447
vel hæredum persona, tantum habere jus ad solutionem percipiendam, casu quo in propria persona, vel hæredum cognosceretur: in aliena verò persona pauperum non habere jus tam strictum, dum res sua in specie non extat apud debitorem, vel res sibi debita pauperibus distribui non potest absque præjudicio certorum creditorum. Atqui non potest ipsis absque eorum præjudicio distribui in casu nostro: utpote in quo jus certi creditoris ad debitum liquidum strictius & potius est, quàm jus pauperum ad debitum alienum incertum, attento quòd pauperes non succedant in jus veri creditoris, nisi per præsumptam hujus voluntatem; jus proinde ipsorum non est omninò liquidum, imò aliquo modo controversum; & ut non esset controversum, non tam reale est, quàm præsumptum; nec immediatum, sed mediatum; nec tam strictum, quàm jus certorum creditorum; istis proinde titulis juri liquido, reali, immediato, & strictiori certorum creditorum postponendum, ex communi sensu Doctorum.

Quartò, inter debita certa, ea quæ deben- 1448
tur ex delicto, vel contractu oneroso, solvenda sunt ante illa, quæ solùm debentur ex titulo gratuito, v. g. liberali promissione, maximè si hæc sint posteriora. Quia id æquitas dictat, ex eodem communi Doctorum sensu. An autem debita ex legitimo contractu onerosо præferenda sint debitis ex delicto? Variant Doctores. Sententia tamen communior, probabilior, & praxi conformior est, nullam inter illa & ista esse præferentiam, nec ordinem. Non enim jure naturali: cùm æquale jus creditoribus utrisque competat. Neque jure positivo: quia nullum profertur, nec reperitur.

Collige, quòd licitum non sit acceptare 1449
donata, vel legata, dum donans, aut legans par non erat solvendis debitis titulo onerosо antè contractis; vel saltem per istas donationes, vel legata efficitur impar iis solvendis.

Quintò, inter debita ex delicto, vel contractu onerosо, nullus esse videtur ordo generalis ex natura rei, quasi una ante alia, sive priùs, sive posteriùs contracta, naturali jure solvi debeant; jure tamen positivo, Gudelinus de jur. noviss. l. 4. c. 18. variis ex Legibus colligit sequentia.

1°. solvendum est creditoribus hypothecariis (quantùm hypotheca se extendit) ante alios hypothecam non habentes, sepositо particulari privilegio.

2°. inter hypothecarios, *qui prior est tempore*

pore (id est qui anteriorem habet hypothecam, sive specialem, sive generalem) *potior est jure*, ut habet regula 54. juris in 6. ipsi proinde prius solvendum, licet quoad contractum esset tempore posterior. Ad hoc tamen moribus nostris necesse est, quòd conventio de hypotheca facta sit, seu (ut vulgò dicitur) realizata coram Magistratu, vel Judice loci, ubi res sita est. Alias non tribuit jus reale, nec præferentiam.

1450 Et quamvis hypothecam cum publico pactus Instrumento, præferatur ei, qui cum solo Instrumento privato, eò quòd major sit authoritas Instrumentorum publicorum, quàm privatorum; nihil refert tamen, an hypotheca expressa sit, sive facto hominis inducta, an tacita, seu Lege constituta: quia prius tempore tacitam habens hypothecam, præfertur habentibus expressam tempore posteriorem.

1451 Porrò taciti pignoris, seu hypothecæ jus ex Legibus habent 1°. locator in rebus conductoris, in prædium urbanum invectis, & in fructibus prædii rusticani, pro pretio conductionis. 2°. Fiscus, pro sibi debitis, in rebus omnibus sui creditoris; non tamen pro pœnis fiscalibus, seu mulctis, quæ à Fisco exigi nequeunt, nisi creditores prius suum receperint. 3°. pupillus, furiosus, & alii qui in tutela sunt, vel curatela, in bonis Curatoris, & Tutoris. 4°. pupillus, non quilibet alius, in re ex nummis suis comparata. 5°. is qui pecuniam credidit ad ædificii restaurationem, in eo jus habet tacitæ hypothecæ; non item qui pecuniam mutuò dedit ad aliarum rerum reparationem, vel conservationem. Et quamvis juxta L. *interdum* ff. qui potiores in pign. qui pecuniam dedit ad ædificationem novæ domûs, emptionem ejusdem agri, eorumque culturam & custodiam, domum, vel agrum pro hypotheca habeat; in Galliis tamen, & variis Provinciis Belgii nostri, aliis creditoribus non est potior, nisi convenerit de obligatione illius in pignus.

1452 Post hypothecarios, seu reales, solvendum est creditoribus personalibus, seu chyrographariis, &c, si quid supersit, reliquis pro rata est dividendum, nullâ anterioritatis habitâ ratione, ut communis habet sententia Juristarum, communiorque Theologorum, quibuscum S. Antoninus ubi suprà §. 3. *Sextò* (inquit) *veniunt chyrographarii pro rata, non attentâ priorate contractuum: quia licitum est debitori, pro cumulo debitorum, facere deteriorem causam creditorum priorum, nec dominium, nec hypothecam, nec privilegium habentium.* L. 1. §. ex contrario ff. de reparat. Et ratio est, quia regula *qui prior est tempore*, &c. non est juris naturalis, sed humani, solùm procedentis in debitis hypothecatis, ut communis habet usus fori, colligiturque ex L. *pro debito* C. de bon. Author. Jud. possid. L. *privilegia* ff. de privileg. & L. 1. ff. de separation.

Sciendum tamen inter creditores, actionem habentes (præter habentes jus hypothecæ) aliquos esse privilegiatos, qui præferentiam habent sibi per Leges concessam. Tale namque privilegium habent 1°. mulier ad dotem soluto matrimonio, vel non secutis nuptiis repetendam, ita ut aliis præferatur creditoribus, etiam antiquioribus, & habentibus jus tacitæ hypothecæ; non tamen expressæ, inquit Gudelinus ubi suprà. Ad obviandum tamen fraudibus Mercatorum, qui immensas sæpè dotes addicebant in fraudem creditorum, Carolus V. statuit, hisce in Regionibus, nullam dotium à Mercatoribus constitutarum, esse prærogativam. 1453

2°. privilegium præferentiæ habet pupillus, & alii in bonis suorum Tutorum & Curatorum, dum per eorum negligentiam, vel maleficium læsi fuerint. 3°. impensæ funeris, ut solvi debeant ante alia debita, prout suprà dixi. 4°. inter personales creditores, plurium locorum consuetudines ex privilegio præferunt mercedes famulis, & artificibus debitas, honoraria Medicorum, pretia rerum in victum, & medicinarum traditarum, & similia, post moderatos tamen sumptus funerum pro qualitate defuncti. Christinæus volum. 2. decis. 194. n. 3. Sed quia ista non ubique locum obtinent, pro his & similibus attendendum quæ sit locorum consuetudo.

Sciendum quoque eum qui ultrò solvit contra prædictum ordinem, peccare contra justitiam legalem (nisi fortè paupertas unius creditoris tanta foret, ut charitatis lege præferendus foret) quia facit contra jus potius, seu meliorem conditionem eorum, qui præferentiæ jus habent. Secluso tamen casu hypothecæ, solutionem talem accipiens non videtur teneri ad restitutionem. Non enim ratione rei acceptæ: utpote quæ nulli est obligata. Neque ratione injustæ acceptionis: quia non accepit contra justitiam commutativam, sed legalem ad summum; ut patet ex eo quòd à Doctoribus omnibus excusetur à restitutione, si acceperit bonâ fide, ignorans jus prælationis aliorum. Et ratio est, quia sibi debitum accepit; nec ideò injustè accepit, saltem contra justitiam commutativam, quia debitor injustè dedit: cùm jus prælationis solùm liget debitorem, ne priùs aliis solvat; non verò creditores, ne priùs solutum accipiant. Stat quippe dationem esse malam, & prohibitam, acceptionem tamen esse bonam, ut patet in accipiente rem prodigaliter datam; sicut & in acceptione Sacramentorum à Sacerdote malo, vel excommunicato se ingerente. Ita Sayrus, Molina, Lessius, Malderus, & alii, quos refert, sequiturque Diana p. 11. tr. 3. resol. 13. contra Vasquez, Bonacinam, &c. Non ergo quia peccat debitor, integrè solvens uni creditori, non habenti jus præferentiæ, dum per hoc fit incapax ad solvendum aliis, 1454

consequens est peccare creditorem, solutionem istam accipientem, ob rationem proximè allatam. Proinde dum debitor non est omnibus solvendo, solvat 1°. habentibus jus præferentiæ, deinde reliquum inter alios jure pares dividat.

1455 Dixi 1°. *qui ultrò solvit*: quia si creditor, etiam tempore posterior, debitum suum ante alios (non hypothecarios) exigat, sive in judicio, sive extra, probabile est debitorem posse (ante juridicam bonorum suorum arrestationem) imò & debere ipsi solvere. Quia ratione diligentiæ suæ in petendo, jus quoddam præferentiæ acquirit, melioriſque evadit conditionis. *L. pupillus* ff. quæ in fraud. credit. Unde sumptum videtur axioma: *Vigilantibus, & non dormientibus jura subveniunt.* Ita Bannez, Fagundez, Wiggers, Lessius, Dicastillo, &c. apud Dianam loco citato resol. 11. Verùm licèt Authores isti existiment posse ipsi integrè solvere, de hoc ego dubito. Quia hoc non probat melior ipsius conditio.

1456 Dixi 2°. *nisi fortè paupertas unius foret tanta*, &c. quia licèt ordinariè priùs solvendum non sit pauperi, quàm diviti (eò quòd solutio debiti ex justitia fiat commutativa, quæ non attendit nisi satisfactionem juris alterius) si tamen creditorum personalium unus in gravi sit necessitate, non alter; charitatis (aliarum virtutum reginæ) lex & ordo permittere videtur, ut ipsi præ aliis solvatur, saltem ex bonis authoritate publicâ non arrestatis. Ita Sylvester, Medina, Salonius, Arragonius, Layman, & expresè S. Thomas opusc. 73. c. 18. cujus sententia, uti magis pia, ita magis probabilis videtur, quàm opposita Lessii, multorumque Recentiorum. Et ratio est, quia cùm prædictus ordo præferentiæ in solis humanis Constitutionibus fundetur, potiùs quàm in jure aliquo naturali (exceptis saltem paucis casibus) rationabiliter intelligitur, salvo charitatis ordine, qui nonnunquam meritò præponderat, exigitque, ut qui longè plus indiget, aliis non ita indigentibus præferatur, saltem in extrema gravique necessitate.

CAPUT CLII.

Septem causæ excusantes à restitutione.

1457 PRima causa est bona fides, seu ignorantia (quamdiù durat) quâ inculpatè quis ignorat, alienam esse rem, quam bonâ fide possidet. Hujusmodi tamen ignorantiam habere non censentur ementes à militibus calices, vel ornamenta sacra, vel à vilibus personis gemmas, aut vasa pretiosa.

1458 Secunda, physica, vel moralis impotentia debitoris, si sit absoluta. Ad moralem spectat necessitas extrema ipsius, vel parentum, filiorum, fratrum, uxoris, quamdiù durat, non obstante quòd creditor sit in pari necessitate, modò in eam conjectus non fuerit ipsâ rei suæ subtractione, v. g. unici panis, quem habebat in fame extrema. Tunc enim reddere tenetur, licèt extremam & ipse famem patiens. Quia licèt in tali necessitate omnia sint communia, melior est tamen (cæteris paribus) conditio possidentis rem suam. Extra necessitatem extremam, cùm omnia non sint communia, debitor solùm excusatur, dum creditor esse non censetur rationabiliter invitus, v. g. dum restituere non potest, nisi conjiciatur in necessitatem tam gravem, ut in ea creditor teneatur ipsi succurrere. Si tamen creditor in pari foret necessitate, debitor (licèt in gravi necessitate constitutus) ipsi deberet restituere, vel solvere (quidquid in contrarium dicat Diana p. 11. tr. 5. resol. 13.) quia (saltem extra necessitatem extremam) potior est conditio creditoris, quàm debitoris, ob jus quod ipsi competit in debitorem, licèt hic sit in possessione.

Si tamen debitor ex hoc decidere deberet 1459
notabiliter de statu suo justè acquisito, non ita creditor, nec ad istas angustias redactus sit culpâ suâ, v. g. luxu nimio, comessationibus, ludis, luxuriis, prodigalitatibus, &c. sed aliquo infortunio; debet quidem, ut restituat, statum suum diminuere aliqualiter infra alios ejusdem sortis (sepositis quibusdam gravioribus incommodis; quæ hinc aliquando oriri possunt) quia plenum statum alienis conservare, rationabile non est, saltem dum spes satis propinqua non est, quòd absque tali diminutione satisfacere poterit: non tamen adeò notabiliter, ut de statu nobili ad plebeium transiret, vel ignominiam magnam incurreret.

An autem gravis necessitas spiritualis, seu 1460
grave animæ periculum, v. g. desperationis, prostitutionis filiarum, &c. à restitutione excuset? Plures affirmant. Sed cùm in ejusmodi necessitate quisque sibi consulere possit, aliisque viis ab animæ periculo liberare; debitor non potest tunc restitutionem penitùs omittere, si periculum istud perpetuò duret, licèt Tamburinus oppositum probabile putet cum Rebello.

Tertia causa à nonnullis assignatur, bo- 1461
norum cessio coram Judice. Verùm hæc id quidem habet privilegii ex jure civili, ut debitor pro debitis non possit incarcerari, seu aliter in exteriori foro inquietari; in foro tamen conscientiæ solùm excusat pro ratione impotentiæ solvendi, quam supponunt Leges, vel Principes istud privilegium concedentes. Unde non dubitandum, quin ii qui bonis cedunt, solvere teneantur in utroque foro, si ad pinguiorem fortunam redierint. Quod enim aliqui Juriſperiti aiunt, ignominiam ipsorum, cessioni conjunctam, solutionis loco subrogari, nec fundatum est, nec rationi consonum: quia æquum non est, ut creditores amittant jus suum, propter ignominiam ipsorum, cui nullam dederunt causam. Nec ignominia cessioni illi conjungi-

tur,

tur, ut debitum extinguatur, sed ne passim ejusmodi cessiones cum Reipublicæ damno intententur.

1462 Cæterùm Mercatores probi, qui absque culpa sua calamitosè coguntur cedere bonis, optimâ conscientiâ possunt Legum beneficio uti, ne carceribus absumantur (ait Soto L. 4. in fine.) Ob istud enim beneficium institutum est cæremonia cedendi bonis, ut habetur L. 1. Cod. qui bonis cedere possint; ac subinde possunt licitè illa retinere, quæ sibi leges permittunt, puta instrumenta suæ artis, quotidiana alimenta, menstrua, atque annua. L. *qui bonis* ff. eod. tit. & est habenda ratio ne egeant, ut sanctè cavetur L. *in condemnatione* ff. de reg. jur. *Illi* verò *qui negotiationes subdolè & vafrè vel ingrediuntur, vel exercent, non sunt permittendi. Sunt enim, qui cùm nihil in bonis habeant, creditò undique corradunt, unde fidem aliquam sibi arrogent*, quod gallico vocabulo ipsi vocant *credit*; *neque eâ fraude contenti, vivere lautè, atque in dies lautiùs perseverant. Quâ ratione as alienum ingens constant, quo postea pressi, in sacrum aliquod se recipiunt. Hoc profectò pestilentissimum est latrocinii genus, neque essent isti à Republica ferendi, sed ceu latrones plectendi.*

1463 Tales proinde digni sunt, qui ad mendicismum redigantur: quia vix, aut ne vix quidem aliter alimenta merentur, nec quidquam occultè sibi possunt retinere. Unde meritò Facultas Lovanienſis, ad instantiam Episcopi Gandavensis, hanc propositionem anno 1657. reprobavit: *Qui cessit foro, potest sibi retinere bona, quibus indiget ad sustentationem familiæ, ne indecorè vivat, licèt debita, pro quibus cedit, sint ex injustitia, & notorio delicto contracta.* Quam etiam propositionem Episcopus Namurcensis anno 1659. cum Synodo sua meritissimè proscripsit.

1464 Nec verò cessionis privilegium iis conceditur, qui luxuriosè, & prodigè vivendo, bona sua dissiparunt; imò tales ut fures castigari Pius V. præcepit. Et similes in Belgio nostro per Edictum de 5. Octobris 1531. habentur fures publici, boni communis inimici, & laqueo digni. Unde nec ullâ gaudent immunitate, sunt infames, & Presbyteri qui illis assistunt, bona ipsorum occultando, temporalium apprehensione puniuntur. Zypæus jur. Pontif. de solut. l. 3.

1465 Meminisse etiam debent miserabiles illi, quibus negotiatio infortunata fuit, & inculpatâ calamitate in pauperiem redacti, ac cessionem facere coacti, non ideò se posse imposterùm otiari; sed laborando, vel alio sibi possibili modo satagere debent, ut se reddant solvendo. Quia obligatus ad finem, obligatur ad media, saltem ordinaria, sine quibus ad finem non potest perveniri. Nec à solutionis obligatione liberos se existimare debent, ex hoc quòd bonis cedendo, cum creditoribus composuerint, v. g. pro 20. vel 30. in 100. Cùm enim compositionem illam creditores quasi coactè & involuntariè faciant, ut à miserabili homine extorqueant quod possunt, per eam censendi non sunt juri suo renuntiasse quod habent ad reliquam debiti partem. Ad quam proinde debitores tenentur, si ad pinguiorem fortunam venerint.

Quarta causa excusans à restitutione, seu 1466
solutione debitorum, secundùm aliquos est professio religiosa. Quia ex una parte professio ista, insolutis debitis facta, valida est, nisi obstent specialia Statuta alicujus Religionis (uti obstant Statuta Religionis nostræ.) Tametsi enim Sixtus V. per Bullam editam anno 1587. eam annullaverit; Clemens VIII. per Bullam posteriorem, editam an. 1602. annullationem revocavit. Ex alia verò parte, professio validè facta Religiosum incapacem reddit ad solvendum, ob paupertatis votum, quo nihil sibi acquirere potest, nec ex rebus Monasterio acquisitis disponere, sine licentia Prælati, qui eam concedere non tenetur, si debitorum conscius non fuerit ante professionem.

Si tamen ante professionem habeat unde 1467
solvat, ante eam solvere tenetur. Et si manens in sæculo comparare posset unde solveret, variant Doctores, an eum in finem in sæculo manere debeat? Affirmant Gerson, Medina, Navarrus, Malderus, Wiggers, Sylvius, Layman, &c. etiamsi ad id necesse foret absolutè abstinere à Religionis ingressu. Verùm hoc negant Paludanus, Angelus, Sylvester, Cajetanus, & alii, pro se allegantes S. Thomam q. 189. a. 6. ad 3. Alii, ut Lopez, Suarez, Azorius, Lessius, Dicastillo, &c. mediam viam ineuntes, aiunt, non teneri omninò abstinere, nec tamen ad longum tempus differre, benè ad duos vel tres annos.

Ex tribus hisce sententiis prima videtur 1468
probabilior. Tum quia æquitas non patitur, ut religiosum statum quis amplectatur, cum gravi damno ac præjudicio tertii, attento quòd rationabile non videatur prætermittere id ad quod justitia naturalis obligat, ob rem quæ nec juris est naturalis, nec divini, nec humani, sed solius consilii. Tum quia stuprator virginis, sub promissione matrimonii, tenetur eam ducere, ab ingressuque Religionis abstinere, ut satisfaciat promissioni onerosæ: similiter ergo tenetur ab ingressu Religionis abstinere, ut satisfaciat aliis debitis justitiæ, quando iis aliter satisfacere non potest. Tum denique quia debitum pietatis erga parentes obligat ad diù differendum, imò & subinde ad prætermittendum Religionis ingressum, ad subveniendum gravi necessitati parentum, uti docet S. Thomas loco citato in corp. Similiter ergo debitum justitiæ erga creditores, &c.

Nec S. Doctor huic assertioni nostræ contra- 1469
rius est loco objecto. Dum enim ibi dicit, quòd *propter pecuniam persona liberi hominis non obligatur, sed solum res: quia persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ. Unde licitè potest, exhibitis rebus suis, Religionem intrare, nec tenetur in sæculo remanere, ut procuret unde debitum solvat.* Quia, ut benè Sylvius ibi, subintelligit sanctus Doctor, quando non est probabilis spes, quòd in sæculo remanendo, de facto procurabitur, unde solvatur debitum. Tunc enim persona liberi hominis non obligatur ratione sui, sed

ratione rei, seu boni habiti in re, vel in spe. Et ideò dum nullum est bonum habitum, nec speratum, non debet, propter debitum pecuniarium, omittere Religionis ingressum. Ubi verò spes probabilis est, quòd, manendo in sæculo, comparabitur facultas solvendi debitum, ipsemet S. Doctor ibidem satis innuit prætermittendum Religionis ingressum, dum permittit, quòd ille qui est *obligatus ad aliquid certum, non potest illud licitè prætermittere, facultate existente: & ideò si aliquis sit obligatus ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non potest hoc licitè prætermittere, ut Religionem ingrediatur.*

1470 Quapropter in sacris Canonibus, & Summorum Pontificum Constitutionibus prohibetur, ne ingenti ære alieno, supra vires facultatum suarum gravati, vel gravati ratiociniis, seu rationibus reddendis, ad religiosum habitum admittantur, priusquàm ab iis se expedierint. Quòd si Religio, vel Monasterium aliquem ejusmodi scienter admiserit, tenetur debitis ipsius satisfacere.

1471 Quinta causa excusans à solutione, vel restitutione, est compensatio, seu, ut dicitur L. 1. ff. de compensat. *debiti & crediti inter se contributio*, modò debitum & creditum sit æquale, quoad certitudinem & quantitatem, & non fiat in depositò & commodato. Hoc enim Leges non permittunt. Habet verò locum in rebus functionem recipientibus, sive ipso usu consumptibilibus, ejusdem rationis, ut dum ex empto debes mihi centum, & ego tibi totidem ex mutuo. Dico, *ejusdem rationis:* quia si res utrimque debitæ sint diversæ rationis, ut si mihi debeas equum, & ego tibi pecuniam, compensatio locum non habet, secundùm Leges; quamvis retinere possim quod tibi debeo, donec solvas quod debes mihi.

1472 Sexta causa est compositio facta cum Summo Pontifice (Diana p. 4. tr. 4. resol. 112. addit., *vel Episcopo*) & obtenta per Bullam compositionis, quâ sub certis conditionibus conceditur habenti debita incerta, vel bona malè acquisita, quorum dominus ignoratur, ut possit illa retinere sibi. Quia tamen Pontifex non est dominus, nec dispensator, sed potiùs tutor, seu defensor bonorum fidelium, & quæ jure naturæ debita sunt innocenti, Pontificiâ authoritate ipsi nequeunt auferri, compositio illa fieri non potest cum præjudicio tertii innocentis, nec ista est intentio Pontificis. Unde si postèà dominus compareat, reddi debet quod est residuum, vel id ex quo alius factus est ditior.

1473 Septima causa, pro foro conscientiæ, est, si debitor, solvendo æquale debitum creditori sui creditoris, in se transtulerit jus quod ille habebat in creditorem suum. Quia tunc locum habet compensatio. Dico, *pro foro conscientiæ:* quia secundùm Leges non procedit in foro externo, nisi fiat de consensu immediati creditoris, vel viâ juris, vel res quæ solvitur mediato creditori, fuerit ipsi obligata, sive expressè, vel tacitè hypothecata.

CAPUT CLIII.

Octava causa à restitutione excusans, conditionesque ad eam requisitæ.

1474 OCtava causa excusans à restitutione, est condonatio, seu remissio, concessa ab eo cui facienda erat solutio vel restitutio. Cùm enim *suæ quisque rei moderator sit & arbiter* L. *in re mandata* Cod. mandat. pro libitu remittere potest quæ sibi debentur, nisi Lege prohibeatur.

1475 Verùm ut valida sit remissio, seu condonatio, necessariæ sunt nonnullæ conditiones. Prima est, ut qui condonat, condonare possit; quod solus ille potest, qui donare potest. Unde valida non est condonatio facta à filio-familias, de iis quorum non habet administrationem; nec facta à pupillo, vel minoremni, vel Religioso professo, vel fatuo, vel prodigo per Magistratum tali declarato. Nec facta à famulo, Procuratore, vel Commissario, de iis quæ debita sunt committenti, vel domino suo, absque facultate de eo sibi concessa. Nec facta à Clerico beneficiato de proventibus beneficii sui, debitis à consanguineo, vel alio non paupere: quia non est eorum dominus, saltem dominio absoluto, sed ad summum dominio subjecto oneri applicandi in pauperes, seu pias causas, ea quæ superfluunt honestæ sustentationi suæ.

Secunda conditio est, ut condonatio non sit à 1476
jure impedita, seu annullata, prout ex Statuto Concilii Tridentini sess. 24. c. 12. de reform. irremissibilis est restitutio distributionum receptarum à Canonico, pro tempore quo divino Officio non interfuit. Et ideò eas retinere non potest, quamvis restitutionis remissionem obtineat à Capitulo: utpote quod remittendi non habet potestatem. Similiter Gregorius X. in Concilio Lugdunensi prohibet Episcopis, seu aliis Visitatoribus, munerum receptionem in visitatione, sub pœna reddendi duplum Ecclesiæ à qua ea receperint, nullâ eis in hoc dantium remissione, liberalitate, seu gratiâ valiturâ. Refertur cap. *exigit* de censib. exaction. & procurat. in 6. Bonifacius quoque VIII. cap. *statutum* de rescript. in 6. postquam Judicibus, à Sede Apostolica, vel ejus Legato delegatis prohibuit aliquid à partibus recipere, nisi, &c. §. *siquid autem*, addit: *Siquid autem contra Constitutionem præsentem receperit, ad ipsius restitutionem integram teneatur; nullâ eorum, quibus restitutio facienda fuerit, remissione ullatenus profuturâ eidem.*

Tertia conditio est, ut condonatio liberè fiat, 1477
ita ut nec extorta sit vi aut metu, neque dolo debitoris. Qua de re S. Bernardinus Senensis ser. 40. in Sabbatho post Dom. 4. Quad. a. 2. c. 3. *Ad hoc* (inquit) *quòd remissiones liberè fiant, & valeant apud Deum, tria sunt necessaria ex parte indulgentiam largientis, seu remissionem facientis. Primò, quòd non fiant ex metu, sicut indulgere ac remittere solent subditi terrarum dominis, aut quibuscumque potentibus, quos creditores formidant, si ad petitionem eorum non remittant debita sua. Secundò, quòd non fiant ex verecundia, sicut plerumque usurariis fieri solet. Nam si vel alii mediatores, vel Confessores, sub pietatis discretionisque prætextu, creditoribus talibus utantur verbis vel modis, quòd illi ex verecundia moti, atque coacti, non ex libera voluntate, partem, vel totum remittunt; coram Deo utique non valet. Tertiò, quòd non fiant ex desperatione: nam plerique indulgent & remittunt partem, vel totum, quia de satisfactione, & solutione desperant.* Et concinit S. Antoninus p. 2. tit. 2. c. 4. §. 1. *Ubi certum & clarum est debitum, ratione usurarum, vel alterius usurpationis, nisi creditor liberaliter remittat illud quod remittit, etiamsi de mille decem tantùm remitteret, si hoc facit quia putat se aliter non posse residuum habere, nihil valet illa remissio* (facta ex publico pacto) *quoad animam. Unde cùm mercator infortunia passus fallit, & occultans multa ex bonis suis mobilibus, ut non perveniant ad manus creditorum, quærit compositionem cum eis de minori quantitate quàm debeat, puta promittit respondere singulis creditoribus ad rationem 15. solidorum pro libra, cùm tamen posset totum dare, vel cedere bonis, cui compositioni assentiunt creditores & ita recipientes liberant eum de residuo: certum est quia quoad Deum adhuc tenetur de residuo: cùm illi non sponte, sed coactè fecerint illam remissionem, volentes potiùs illâ parte carere, quàm toto. Quinimò etsi cederet bonis totaliter, nihil sibi reservando, & non sufficiunt bona illa ad satisfaciendum; si postea pervenerit ad pinguiorem fortunam, tenetur de residuo. Extrav. de solut. cap. Odoardus. Illæ itaque compositiones & condonationes à debitoribus utpiurimùm fraudulenter & dolosè, longisque tergiversationibus extorquentur. Fraus autem & dolus alicui patrocinari non debet, cap. officit de testam. Et L. hæres meus ff. de condit. & demonstrat.*

LIBER

LIBER DECIMUS.

De Præceptis Decalogi.

PErvenimus ad Amorem cantantem canticum novum, in Psalterio decem chordarum. Cantare enim amantis est, & *charitas* (inquit Augustinus serm. 233. aliàs 18. de diversi. c. 1.) *cantat canticum novum. Nam timor ille servilis, in veteri homine constitutus, potest habere Psalterium decem chordarum: quia & Judæis carnalibus data est ipsa lex decem præceptorum; sed cantare in illa non potest canticum novum. Sub lege est enim, & implere non potest legem.... Qui autem sub gratia est, non sub lege, ipse implet legem.... Spiritu enim dilectionis accensus, jam in Psalterio decem chordarum cantat canticum novum. Et quid cantat, nisi amorem novum? Quid enim habet canticum novum, nisi amorem novum? Cantare amantis est, vox hujus cantoris, fervor est sancti amoris*, aitidem serm. 336. aliàs 256. de temp. Non cantabant ergo canticum novum Judæi, qui terrenorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore, Dei præcepta servabant; imò non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas, metusque carnalis. Unde Salvator, *qui non diligit me, sermones meos non servat.* Joan. 14. *Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando à non diligentibus, sed à timentibus fieri; tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur.* L. 3. contra 2. epist. Pelag. c. 4. Denique *non cantat canticum novum in Psalterio decem chordarum, nisi qui Deum diligit & proximum.* Quia (ut rursus ait Enchir. c. 121.) *omnia præcepta divina referuntur ad charitatem, de qua dicit Apostolus: Finis autem præcepti est charitas, de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. Omnis itaque præcepti finis est charitas, id est ad charitatem refertur omne præceptum.... charitas ista Dei est & proximi. Et utique in his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Adde Evangelium, adde Apostolos: non enim aliunde vox ista est: finis præcepti est charitas. Et Deus charitas est. Quæcumque ergo in Psalterio decem chordarum mandat Deus, ex quibus unum est: Non mœchaberis: & quæcumque non jubentur, sed spiritali consilio monentur, ex quibus unum est: Bonum est homini mulierem non tangere: tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum propter se, & proximum propter Deum.* Et rursum l. de perf. just. c. 5. *Dominus, qui verbum consummans & brevians fecit super terram, in duobus præceptis dixit legem Prophetasque pendere; ut intelligeremus quidquid aliud divinitùs præceptum est, in his duobus habere finem, & ad hæc duo esse referendum:* " Diliges Dominum Deum " tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, " & ex tota mente tua; & diliges proximum " tuum tamquam teipsum. " In his (inquit) duobus præceptis tota lex pendet & Prophe- " tæ. *Quidquid ergo Dei lege prohibemur, & quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur & jubemur, ut duo ista compleamus. Et fortè generalis prohibitio est:* " Non concupisces: " *& generalis jussio:* " Diliges. " *Denique Scriptura non præcipit nisi charitatem, non damnat nisi cupiditatem; & ita informat mores hominum. Itaque ille tenet, & quod patet, & quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus.* Serm. 350. aliàs 39. de temp. Et rursus epist. 188. aliàs 143. ad Julianum: *Charitate unâ adimpletur in nobis, siquid divinæ legis, & admonitionis implemus.* L. 4. ad Bonif. c. 16. *Charitate unâ Deo veraciter & suaviter obedimus.* L. qq. in Deuteron. c. 15. *Cùm verè fit opus legis, charitate fit, non timore, quæ charitas, gratia est novi Testamenti.* L. 19. contra Faust. c. 29. *Homo potest facere opus legis per charitatem justitiæ, quod non potest per timorem pœnæ.* Exposit. epist. ad Galat. c. 4. *Judæi quædam opera legis implebant, quæ in Sacramentis sunt; illa verò quæ ad bonos mores pertinent, implere omninò non poterant: non enim implet ea nisi charitas.* Ideò ergo filii veteris legis cantabant canticum vetus, quia lex ipsis scripta erat in tabulis lapideis: soli filii novæ legis novum cantant canticum, quia legem habent in cordibus scriptam. *Quid est legem habere in cordibus scriptam? hoc est in intimo affectu justitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur.* L. 2. de spir. & litt. cap. 27. & 29.

PARS I.

AMOR RELIGIOSUS.

Ad primum Decalogi præceptum: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

CAPUT PRIMUM.

Occasione verborum, quæ habentur in præfatione primi Præcepti, explicatur modus quo servanda sunt Dei & Ecclesiæ præcepta.

PRimo Decalogi præcepto Exodi 20. præmittitur hæc præfatio: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis*; subjungiturque comminatio pœnarum transgressoribus, & misericordia magna observatoribus promissa: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, in*

tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me; & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Quæ licèt specialiter dicta sint ad primum præceptum, considerandа tamen sunt velut motiva, quibus homines inducendi sunt ad observantiam divinorum quorumcumque præceptorum. Neque enim solos Israëlitas, sed omnes universim homines, obligant Decalogi præcepta: utpote legem naturalem continentia; sed maximè obligant Christianos, eosque tantò magis quàm Judæos, quantò pluribus & majoribus à Deo beneficiis devincti, cæteris fideliores ferventioresque esse debent in observantia mandatorum. Verùm-enimverò quàm languidè & defectuosè ea utplurimùm observant, qui tamen observant! Certiores nos facit Veritas in Evangelio: *Nisi abundaverit justitia vestra, plusquàm Scribarum & Pharisæorum* (qui mandata exteriùs observabant, ut viderentur ab hominibus) *non intrabitis in regnum cælorum.* Sed quàm multorum Christianorum justitia non abundat plusquàm Scribarum & Pharisæorum! Ut enim modò prætermittam eos, qui præcepta non servant (quorum infinitus est numerus) quàm multi ex ipsis sunt, qui ea non meliùs servant, quàm Scribæ & Pharisæi, sed modo æquè defectuoso!

2 1°. namque quàm multi templum dominicis diebus adeunt, ut hominibus videantur boni Christiani; imò ut ibi istos vel istas oculo minùs casto contemplentur!

2°. quàm multi præceptum jejunii v. g. observant inviti: quia non habent carnes quas comedant; vel quia incurrere timent notam mali Christiani!

3°. quàm multi præcepta custodiunt merè ob finem temporalem, v. g. debita solvendo, ne majores expensas incurrant, vel dominis merè ad consequendam mercedem temporalem obediendo!

4°. quàm multi, etiam ex iis qui voluntariè, & sine fine malo, nec finem temporalem expressè intendentes, præcepta custodiunt, nec cogitatione, nec affectu, Deo vel Ecclesiæ intendentes obedire! Obtemperant v. g. parentibus, vel aliis Superioribus; sed simili prorsus modo, quo ipsis obtemperant Ethnici. Ecclesiæ jejunia & abstinentias servant quidem, sed nunquid ut obtemperent Deo per Ecclesiam præcipienti? de eo ne cogitant quidem, ideòque mortuo obtemperant modo.

5°. quàm multi cavent à prævaricatione præceptorum, sed timore pœnæ, non amore justitiæ, similes filiis, vel famulis, parentum, vel dominorum jussa facientibus, quia timent verbera, vel expulsionem è servitio! Isti sunt quos præcepta non servare ut oportet, tot tamque apertis testimoniis inculcat Augustinus proximè relatus.

Ad servandum igitur præcepta prout oportet, ex Dei amore, Deique intuitu servanda 3
sunt, prout Augustinus ibidem dicit, videlicet quia Deus vult, quia sic placitum est Deo, &c. Quod etiam locum habet in hominum præceptis, attento quòd *non est potestas nisi à Deo*, quòdque legitimus quicumque Superior Deum repræsentat, ideòque Deus per ipsum præcipit.

Et ad significandum modum istum servandi præcepta, Deus in principio Decalogi, verba ista voluit considerari: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Quasi diceret: ut sciatis dignum & justum esse, quòd obediatis mihi, & quo modo obedire debeatis, considerate, quòd ego sum Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, &c. Nam si ego Dominus Deus vester, vos estis creaturæ meæ, subditique mei. Me ergo honorare debetis per obedientiam vestram, per eamque probare, quòd ametis me, summum benefactorem vestrum, qui tam mira & stupenda prodigia feci, ut educerem vos de terra Ægypti, de loco utique tam duræ servitutis, quâ vos Pharao opprimebat. Quòd si præcepta mea propterea custodieritis, per eorumque custodiam vestrum in me amorem, & pro tot ac tantis beneficiis gratitudinem demonstraveritis, misericordiam meam magnam sentietis, per retributionem æternæ felicitatis. Sin autem, experiri vos faciam quòd sim Deus fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum, &c. quia nimirùm tantò graviora, tantò proinde majori pœnâ digna sunt peccata vestra, post tot & tanta beneficia. 4

CAPUT II.

Specialiter expenduntur verba ista: Deus tuus.

PEr ea namque populo Judaïco Deus re- 5
præsentare voluit specialem, quam habebat, obligationem Deo, per præceptorum suorum observantiam, serviendi præ cæteris gentibus; quibus in idololatria sua relictis, se populo Judaïco manifestaverat. Et hinc Psalmista dicebat: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis. Notus in Judæa Deus, in Israël magnum nomen ejus.* Ob hanc igitur rationem Deus ab Israëlitis meritò exigebat, ut ab ipsis specialiter honoraretur, coleretur, & obediretur. Ad cujus evidentiam

Observandum, quomodò Deus, præ cæte- 6
ris nationibus, se manifestaverit Abraham, Isaac, & Jacob, à quibus descendit populus Judaïcus. Abraham habitabat in Ur Chaldæorum, ubi idololatria dominabatur, sicut & in reliquis populis Orbis terrarum. Maximum fuit beneficium istud, quo Abraham de Ur Chaldæorum eductum, ab idololatria eripuit, verumque Dei cultum edocuit, sicut & posteà edocuit descendentes ipsius, Isaac, Jacob, ac deinde Judæos, annuntians verbum suum Jacob, & judicia sua filiis Israël. Si enim in idololatria cum reliquis populis relicti fuissent, in peccata innumera, sicut ipsi, pro-

ruissent, quibus in dies auctis, quò ab Adam remotiores, ita pejores, bestiisque similiores evasissent, ac tandem exterminari meruissent.

7 Sed licèt tanta fuerint beneficia Judæis collata (quæ recapitulans Apostolus Rom. 9. *quorum*, inquit, *adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum Patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem*) absque comparatione majora sunt quæ conferuntur Christianis, maximè Catholicis, qui veri sunt Israëlitæ, non secundùm carnem, sed secundùm promissionem, quibus se Deus manifestavit, non per Angelum, sicut Judæis, nec per Prophetas, sed per unigenitum Filium suum, cujus & carne ac sanguine, non manna dumtaxat ipsos pascit, dans illis potestatem filios Dei fieri, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, per quem feliciùs eduxit eos de terra Ægypti, & de domo servitutis, dum ipsos è servitute peccati, & potestate diaboli potenter eripuit, transtulitque in regnum Filii dilectionis suæ, per mare rubrum, id est baptismatis aquas, pretioso Christi sanguine rubricatas; in quibus inimicos nostros, mundum, carnem, diabolum (per Ægyptios figuratos) submersit, dum diaboli pompis, id est mundi vanitatibus ac voluptatum divitiarumque

8 fallaciis abrenuntiare nos jussit. Hæc sine dubio exhibita populo Christiano inæstimabilem ei conferunt dignitatem: longè enim majora sunt iis, quæ populo exhibita fuerunt Judaïco, quem si Deus ex omnibus gentibus (in ignorantiæ tenebris derelictis) elegit sibi populum peculiarem, considerent Christiani, quòd & ipsos ex tot gentibus elegerit in populum acceptabilem, ut essent sibi *genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntient ejus*, qui ipsos (præ tot gentibus, præ ipsis etiam Judæis) *de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.* Præ tot (inquam) gentibus, adhuc *sedentibus in tenebris, & in umbra mortis.* Maxima certè ex quatuor partibus Orbis terræ est America, ad quam nonnisi à ducentis circiter annis pervenit Evangelii notitia; cujus nullum in ea vestigium inventum fuit, quando circa annum 1493. detecta fuit. In Asia quidem & Africa citiùs cognitum fuit. Verùm pauci hodie in Regionibus illis, post Americam vastissimis, Christi fidem amplectuntur; imò & in Europa ipsa, ex quatuor illis partibus minima, tot in Provinciis ac Regnis hæreses dominantur, ut licèt credant in Christum, in vera ipsius Ecclesia non sint, extra quam non est salus. Quantum ergo beneficium est in Regione Catholica esse natum, in vera Ecclesia esse baptizatum, veræque fidei lumine illustratum? Ipsis ergo *honor credentibus, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti*; ita ut *jam non* sint *hospites & advenæ, sed cives Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Quod profectò beneficium tale ac tantum est, ut propter ipsum ad eos titulo longè excellentiori specialiorique pertineant verba illa: *Ego sum Dominus Deus tuus*; à vobis proinde perfectiùs quàm à Judæis colendus, & honorandus.

CAPUT III.

Amplius explicantur, Christianisque applicantur verba ista: Eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis, &c.

9 AD majorem intelligentiam eorum quæ proximè dicta sunt, utile erit reflectere, quòd sicut Pharao dominabatur in Ægypto; sic diabolus in Orbe ferè universo, ita ut Princeps hujus mundi vocetur in Evangelio; eò quòd utique habuerit primum quidem per tyrannidem principatum in totum genus humanum, & (sicut Cyrillus Alexandrinus ait l. 8. c. 16. & 17.) dominatum exercuerit crudeliter in omnes, & adhuc exerceat in omnes, qui sæcularia sectantur desideria, suisque indulgent cupiditatibus, qui mundi nomine in Evangelio intelliguntur. Et ideò eorum Princeps Satanas est, quia eis pro suo arbitratu dominatur, præcipitesque in gravia scelera compellit, atque detrudit. Mundus iste per Ægyptum fuit figuratus; Ægyptus namque terra erat depressa, humilique loco sita, ita ut illuc è terra sancta euntes, descendere dicerentur Isa. 52. *descendit populus meus in Ægyptum.* Aquæ ejus stagnantes erant & impuræ, nec agri fertiles reddebantur cæli pluviâ, sed irrigatione aquarum Nili, ex alveo suo erumpentis. Quibus figuratur vita hominum mundanorum, in infimis hærens, & animas ad imaginem Dei creatas valdè deprimens, nec cælestibus irrigata voluptatibus, sed terrestribus ac sordidis. Econtrà Terra sancta, seu promissionis, nobis Deuteron. 11. v. 10. repræsentatur elevata, montosa, pluviisque cælestibus irrigata; ad significandum, corda eorum, qui excutere volunt jugum Pharaonis infernalis, & ascendere ad Hierusalem cælestem, esse debere sursum à mundanis cupiditatibus elevata, ut cælestium voluptatum abundantiâ impinguentur, in bonisque operibus fertilia reddantur.

10 2°. sicut voluit Deus ut Judæi semper memores essent suæ liberationis è terra Ægypti, per transitum maris rubri: sic Deus vult Christianos semper memores esse suæ liberationis è potestate diaboli per baptismum, quo rubricati, imò Agni immaculati sanguine dealbati, jugum excusserunt & oppressionem Principis hujus mundi.

11 3°. sicut peccata Judæorum post miraculosam liberationem suam è manu Ægyptiorum, longè graviora sunt peccatis gentilium; sic peccata Christianorum, post baptismum commissa, longè graviora peccatis ipsorum met Ju-

dærorum. Ad quod significandum triplicia & quadruplicia vocantur à SS. Patribus. Quos inter Ambrosius & Chrysostomus baptismi susceptionem ideò distulerunt, donec in pietate provectiores essent, ne si post susceptionem ipsius adhuc contingeret ipsos in grave aliquod peccatum corruere, de eo difficiliùs veniam obtinerent. Sciebant quippe difficiliorem esse pœnitentiam ac veniam de peccatis post baptismum commissis, nec ea ordinariè remitti sine obligatione ad satisfactionem peccatis proportionatam, prout Tridentinum docet sess. 14. c. 8. hâc ratione : quia *divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint ; aliter verò, qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritûs sancti dono, sciemes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint.* Videri potest Morinus de administr. Sacram. Pœnit. l. 3. c. 5. 6. & 7. ubi varias ex sacra Scriptura, & SS. PP. rationes profert, ad demonstrandum, crimina post baptismum commissa longè graviora esse iis quæ baptismum antecedunt, atque (ut loquitur c. 7. n. 1.) opus esse mortaliter post baptismum peccantibus longâ, durâque pœnitentiâ, multis jejuniis, & corporis afflictationibus, ut gratiam amissam recuperent. Et ita quidem, quòd *neque etiam gravissimâ illâ afflictione pœnitentiali,... in integrum quem peccando peccator amisit statum perfectè restituatur*, ordinariè loquendo.

12 Propterea Christianis baptizatis vehementer inculcanda est tantò major ipsorum obligatio divina servandi mandata, cavendique peccata, quantò difficilior ipsis est eorum remissio, non solùm post violatum Baptismi Sacramentum, sed & post violatum fœdus cum Deo initum in Sacramento Pœnitentiæ, obtentamque in utroque liberationem à dæmonis & peccati servitute.

13 Ad ista reflectant non solùm Christiani peccatores, sed & illi, qui, post susceptum semel Baptismi, ac sæpiùs Pœnitentiæ Sacramentum, transierunt de vita, si non apertè criminosa, saltem parum christiana, ad verè christianam, in qua gustare cœperunt donum cæleste. Meminisse quippe eos oportet, post tantum beneficium tantò magis obligari sese ad observantiam mandatorum, quantò gustus eorum quæ Dei sunt major in ipsis fuerit. Si enim post transitum à vita criminosa, vel parum christiana, ad verè christianam, notabilemque gustum supernorum, ad pristina redeant crimina, vel languorem in vita christiana, relapsus ipsorum ita Deum ad iracundiam provocat, ut rarus sit ipsorum reditus ad pristinum statum illum. Cùm iste valdè probabilis sit sensus unus terribilium verborum istorum Apostoli ad Hebr. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti, gustaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.*

Denique reflectant ad verba ista : *de domo* 14
(id est loco) *servitutis.* Verè namque mundana vita, dæmoni serviens, servitus est durissima, miserrimaque, figurata per eam quam Israëlitæ passi sunt in Ægypto, dum ipsos vehementer opprimebat Pharao : ubi vita & lex christiana econtrà jugum est suave, & tantò suavius, quantò Christum quis imitatur propiùs.

Servitutem illam durissimam quadruplex de- 15
monstrat tortura, quâ mali Christiani cruciantur in hac vita. Prima est remorsus conscientiæ pungentissimus, crescens cum criminibus, multos eò usque crucians, ut ad evadendos ictus illius, sibimetipsis veneno vel laqueo inferant mortem, per infelicissimum vitæ finem sibi procurantes infeliciorem æternitatem.

Secunda est turbulentissima vexatio passio- 16
num, concupiscentiarumque, quarum tyrannicum dominium tantò magis experiuntur, quantò magis illis obsequuntur ; idque propter duo. 1°. quia tantò magis accenduntur, quantò magis ipsis indulgetur. 2°. quia quantò magis ipsis indulgetur, tantò magis à vita christiana receditur : quantò verò magis à vita christiana Christiani recedunt, tantò magis divinæ gratiæ ipsis subtrahitur auxilium, ad concupiscentias passionesque vincendas necessarium.

Et hinc quid ulteriùs consequitur ? ingens 17
cruciatio, quòd ea frequenter habere nequeant, quæ vehementer concupiscunt. Notum est enim, quàm vehementer vindictam concupiscat vindicativus, dignitatem superbus, carnale cum tali, vel tali commercium libidinosus. At quàm frequenter obtinere non possunt, quod tam vehementer depereunt !

Tertia tortura est inquietudo molestissima, 18
quam sentiunt, dum experiuntur, se in nullo quietem invenire, ne in illis quidem in quibus eam maximè expectabant. Unde talis in ipsis consequitur tristitia, quæ vitam ipsorum reddit miserrimam.

Quarta tortura, præ cæteris molesta, est 19
timor novissimorum, divini potissimùm judicii, ac inferni. Non enim ignorant quantis in æternum addicendi sint suppliciis, si sic vitam finiant. Aliter autem vivere sibi reputant impossibile. Inde ergo desperatio, inde timor, inde tremor, inde horror, inde tristitia amarissima.

Isti sunt modi, quibus Deus se Deum for- 20
tem, & zelotem adhuc in hac vita ostendit adversus prævaricatores mandatorum suorum ; quos post mortem fateri compellit : *Ergo ambulavimus vias difficiles* ; de quibus & Apostolus dicit : *Inseruerunt se doloribus multis.* Nunc paucis ostendendum, quomodò ex adverso se misericordem exhibeat fideliter ea custodientibus, vitamque verè christianam ducentibus. Imprimis secura mens ipsorum, Scripturâ teste, est *quasi juge convivium*, experiunturque

quàm verè Psalmista dixerit: *Melior est dies una in atriis Domini super millia.* Deinde quantò magis anima fidelis crescit in virtute, tantò liberior fit à passionum & concupiscentiarum tyrannide. Non ergo cruciatur per concupiscentias; & siquid adversi patitur, non inquietatur: quia non desiderat nisi quod placitum est dilecto, nec nisi ad superna suspirat, per ipsumque affectum supernorum anima christiana in antecessum quasi gustare incipit, quod in æternum se gustaturam fiducialiter confidit. Nec sibi quietem promittit iis in rebus, in quibus eam non invenit; quin imò non ignara in solo se Deo quietem posse invenire, plus adhuc consolationis invenit in actibus pietatis, quàm sibi promittebat, magisque & magis experitur quàm verè Salvator dixerit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos.... jugum enim meum suave, & onus meum leve.*

CAPUT IV.

Expositio verborum illorum: Non habebis Deos alienos coram me, &c.

21 SEnsum genuinum verborum illorum Salvator Matth. 4. nobis exposuit, cùm diabolum adorari volentem repulit, dicens: *Vade satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* In primo proinde illo Decalogi præcepto duplex (uti Catechismus Romanus observat) continetur præceptum: affirmativum unum, quo se Deus, ut verum Deum coli jubet & adorari. Negativum alterum, quo diis alienis cultum prohibet exhiberi. Dicendo enim: *Non habebis deos alienos coram me*, perinde est ac si diceret: *Me verum Deum coles*; alienis diis Gentium cultum, soli vero Deo *debitum, non exhibebis, nec more gentilium facies tibi sculptile, ut adores illud.*

22 In primo itaque præcepto prohibentur tres actus (ait S. Thomas q. 122. a. 1. ad 2.) Nam primo dicitur: *Non habebis deos alienos coram me.* Secundo dicitur: *Non facies tibi sculptile.* Tertio verò: *Non adorabis ea, neque coles.* Cultus enim alienorum deorum dupliciter apud aliquos observabatur. Quidam enim quasdam creaturas pro diis colebant, absque institutione imaginum. Unde Varro dicit, quòd antiqui Romani diù sine simulacris deos coluerunt. Et hic cultus prohibetur primo, cùm dicitur: *Non habebis deos alienos.* Apud alios autem erat cultus falsorum deorum sub quibusdam imaginibus: & ideò opportunè prohibetur & ipsarum imaginum falsorum deorum institutio, cùm dicitur: *Non facies tibi sculptile.* Et ipsarum imaginum cultus, cùm dicitur: *Non coles ea.*

23 Ista ergo sunt, & alia ejusmodi, religioni contraria, quæ primo prohibentur præcepto. Sed quid eo præcipitur? religio seu cultus & adoratio veri Dei: *Me verum Deum coles, Dominum Deum tuum adorabis.* An etiam fides, spes, charitas Dei? negant plurimi. Affirmat Catechismus Romanus, dicens quòd in præcepto affirmativo (quo dicitur, *me verum Deum coles*) *continetur præceptum fidei, spei, & charitatis.* Enimverò *fide, spe, & charitate Deus est colendus*, ait Augustinus Enchirid. c. 111. Et l. 10. de Civit. Dei c. 3. de Dei loquens dilectione, *hic est* (inquit) *Dei cultus, hæc vera religio, hæc tantum Deo debita servitus.* Et epist. 140. aliàs 120. cap. 18. *non colitur ille, nisi amando.* Quia, ut ait enarrat. in Ps. 77. *hoc colitur, quod diligitur.* Unde quia Deus rebus omnibus major & melior invenitur, plus omnibus diligendus est, ut colatur. Unde Bernardus epist. 109. *si dicente Scripturâ, pietas est cultus Dei, profectò quisquis plus amat mundum, quam Deum, impius, atque idololatra esse convincitur, colens & serviens creaturæ, potiùs quam Creatori.*

CAPUT V.

Religionis natura, objectum, & actus explicatur.

QUia ergo primo præcepto Dei cultus & 24
adoratio, ac per consequens religio præcipitur, expositio ipsius exigit, ut hîc de religione agamus. Dicitur autem religio, secundùm aliquos, à relegendo, eò quòd doceat nos mente revolvere quæ ad Dei cultum pertinent. Secundùm alios, à reeligendo, quòd Deum per peccata & spirituales idololatrias derelictum, per eam reeligamus. Sed meliùs à religando, quòd per illam religati simus Deo, & ad ipsum unum tendamus, tamquam ad ultimum finem, & primum principium nostrum: quia, ut Augustinus dicit l. de vera religione c. 5. *ad unum Deum tendentes, & ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur.* Quidquid sit, religio definitur, *virtus, quâ Deo tamquam primo rerum omnium principio debitus exhibetur cultus.* Ubi ly *debitus* non sic accipitur, quasi actus omnes, quibus Deus colitur, ipsi formaliter debiti sint in specie (contrarium namque patet in voto, cujus emissio consilii est, non præcepti) sed sic ut omnes illi actus soli Deo conveniant, ac licèt eos omnes in specie non exigat formaliter, exigere tamen potest, & saltem exigit in genere, id est secundùm rationem genericam agnitionis & protestationis divinæ excellentiæ.

Ex definitione religionis satis apparet, ob- 25
jectum materiale, directum & immediatum religionis non esse Deum, sed cultum Dei, sive actus quibus Deum agnoscimus & protestamur esse primum rerum omnium principium, ipsique ut tali, nos submittimus. Formale verò objectum est debitum istius cultûs. Ideò enim Deum colimus, quia debemus, sive quia id dignum & justum est. Quare id debemus? quare id dignum & justum est? Ob supremam ipsius excellentiam, in eo relucen-

rem, quòd sit primum rerum omnium principium. Atque ex his ulteriùs apparet, religionem non esse virtutem Theologicam, sed moralem : quia proprium, immediatum, & specificativum objectum ipsius non est Deus, sed Dei cultus, nec ratio directa & immediata divini cultûs est Dei excellentia, sed ratio dumtaxat mediata & indirecta, ut dixi.

26 Enimverò sic se habet religio ad Deum, sicut justitia ad proximum, cùm per utramque virtutem reddamus alteri debitum. Quemadmodùm ergo proprium, immediatum & specificativum objectum justitiæ non est proximus, sed res ipsi debita ; sic proprium, immediatum, & specificativum objectum religionis non est Deus, sed res Deo debita, cultus scilicet & reverentia. Potest quidem Deus dici finis *cui* religionis : quia est id cui religio cultum exhibet : verùm ab ejusmodi fine religio non specificatur, sed à fine *qui*, & ab objecto materiali & formali immediato.

27 Dices 1°. excellentia divina est objectum religionis, sicut divina bonitas objectum est charitatis ; quemadmodùm enim Deum propter suam bonitatem diligimus ; ita Deum propter suam excellentiam colimus & honoramus.

Respondeo negando antecedens : quia religio non occupatur immediatè circa divinam excellentiam, sicut charitas circa divinam bonitatem, sed circa Dei cultum, & ratio formalis immediata istius cultûs non est Dei excellentia, sed solùm ratio mediata.

28 Dices 2°. adoratio, oratio, & laus Dei videtur immediatè fieri in Deum.

Respondeo, adorationem, orationem, &c. in quantum actus religionis, non dirigere hominem immediatè in Deum (prout actus fidei, spei, & charitatis) sed in cultum ipsius ; & licèt dici queant immediatè attingere Deum, uti finem cui, vel uti signum attingit signatum (sunt enim signa & protestationes divinæ excellentiæ) non tamen tamquam proprium & specificativum objectum virtutis à qua procedunt. Manifestum enim quòd *Deus non comparatur ad virtutem religionis, sicut materia, vel objectum, sed sicut finis, ait S. Doctor* a. 1. in corp.

29 Cæterùm licèt religio, ob rationem dictam, non sit virtus Theologica, prout S. Thomas docet q. 81. a. 5. est tamen prima & excellentissima virtutum omnium moralium. Quia (ut S. Doctor dicit a. 6.) *religio magis de propinquo accedit ad Deum, quàm aliæ virtutes morales, in quantum operatur ea, quæ directè & immediatè ordinantur in honorem divinum*, pro objectoque formali, indirecto & mediato divinam habet excellentiam, & pro fine *cui* ipsum Deum. Unde maximè accedit ad virtutes theologicas, atque à nonnullis ponitur esse virtus media inter virtutes theologicas & morales ; quamvis propriissimè dicatur virtus moralis, quia pro objecto immediato habet cultum Dei, qui propriissimè ad mores pertinet.

30 Differt verò à reliquis virtutibus moralibus, & 1°, à fortitudine & temperantia, quòd religio sit ad alterum, versetur que circa actiones, non circa passiones, prout dictæ virtutes, quæ etiam per se non sunt ad alterum. 2°. à justitia differt, quòd non respiciat debitum adæquabile, prout justitia. 3°. differt à gratitudine, quòd hæc non reddatur propter excellentiam, sed propter beneficium, exhibeaturque alteri quàm Deo ; non sic religio. Neque enim cultus, quem Sanctis exhibemus, ob propriam ipsorum excellentiam, ibi sistendo, est actus religionis, propriè & strictè loquendo ; tametsi cultus Sanctorum, propter increatam Dei excellentiam, in ipsis relucentem, tamquam in vivis imaginibus, filiis, amicis, & templis Dei, in quibus Deus inhabitat per gratiam & gloriam, sit actus religionis, & cultus iste, sic consideratus, ad objectum materiale religionis pertineat, sicut proximus ad objectum materiale charitatis, licèt non sit per omnia paritas, uti S. Doctor hîc ostendit. Denique religio differt etiam à pietate & observantia, quòd istarum virtutum actus non soli Deo, sed aliis etiam exhibeantur, ob aliam quàm increatam excellentiam.

CAPUT VI.

Declarantur actus religionis.

REligio, ut docet S. Thomas q. 81. a. 1. ad 1. duplices habet actus, quosdam quidem proprios & immediatos (id est immediatè à se elicitos) cujusmodi sunt devotio, oratio, adoratio, sacrificium, votum, juramentum, adjuratio, & aliæ quædam observationes sacræ. Alios verò imperatos, quos producit mediantibus aliis virtutibus, quibus imperat, ordinans eos ad finem colendi Deum. Et secundùm hoc Jacobi 1°. dicitur, quòd religio munda... *est visitare pupillos, & viduas, &c.* Augustinus quoque ubi suprà dicit, Deum coli fide, spe, & charitate. Tametsi enim religio strictè non imperet nisi virtutibus inferioribus, latiori modo dici potest etiam theologicis imperare, quatenùs eas movet ad suum finem colendi Deum, ut notat Cajetanus q. 81. a. 4. Qui etiam a. 1. ad 1. rectè monet, quòd dum S. Doctor ibi dicit, quòd religio habet quosdam actus sibi proprios, & immediatos, quos elicit, sicut sacrificare, adorare, & alia hujusmodi, solùm velit, quòd sacrificare, adorare, & hujusmodi sunt actus ita proprii religionis, ut eos non producat mediante aliâ virtute, sed per seipsam, absque alia virtute intermedia. Aliàs enim solus primus actus voluntatis, quo quis vult colere Deum, eumque in finem illi offert suam devotionem, orationem, adorationem, &c. immediatè & per se primò elicitur à virtute religionis ; cæteri verò, tum interni, tum externi, per respectum ad istum priorem actum, sunt actus quasi imperati à religione, & ab ea quidem eliciti absque alia virtute intermedia, sed non absque illo intermedio actu voluntatis, cujus sunt effectus, simul & objectum materiale, seu

seu materia propria, quam creatura intellectualis offert Deo, ad finem colendi ipsum.

CAPUT VII.

Exponitur quid sit, quidque importet adoratio.

32 ADorationis nomen varias habet significationes. 1°. venerationem quamcumque alteri exhibitam, in testimonium excellentiæ ipsius. Et sic Abraham Genes. 22. adorasse dicitur filios Heth. Et Judith Holofernem, Judith. 10. civiliter utique, sive propter excellentiam civilem. 2°. venerationem alteri exhibitam propter excellentiam spiritualem; quomodò Abdias 3. Reg. 18. Eliam adorasse dicitur. Et Josue Angelum, Josue 5. Et ista adoratio est cultus spiritualis, & licèt formaliter non sit religiosus, strictè loquendo, propter id quod dixi n. 30. religiosus tamen dici potest, sive ad religionem pertinens, paulò latiùs eam accipiendo. Secundùm quam acceptionem adoratio triplex assignatur, duliæ, hyperduliæ, latriæ. *Dulia* est veneratio, quæ sanctis Angelis vel hominibus, maximè cum Christo regnantibus, impenditur. *Hyperdulia*, quæ Virgini Deiparæ, ob singularem ipsius supra cæteros Sanctos & Angelos excellentiam maternitatis Dei, plenitudinisque gratiarum. Unde S. Bonaventura in 3. dist. 9. q. 3. n. 19. *Beatissima* (inquit) *Virgo Maria, pura creatura est, & ideò ad honorem & cultum latriæ non ascendit. Sed quoniam excellentissimum nomen habet, ita quòd excellentius puræ creaturæ convenire non potest, ideò non tantùm debetur ei honor dulia, sed hyperdulia. Hoc autem nomen est, quod Virgo existens, Dei Mater est: quod quidem tantæ dignitatis est, quòd non solùm viatores, sed etiam comprehensores, non solùm homines, verùm etiam Angeli eam revereantur quâdam prærogativâ speciali. Ex hoc enim quòd Mater Dei, est prælata cæteris creaturis, & eam præ cæteris decens est honorare. Hic autem honor consuevit à Magistris hyperdulia vocari. Latria* sola est adoratio secundùm præcipuam, & nunc apud Theologos famosè usitatam notionem, quâ adoratio definitur, *actus quo Deum ut supremum Dominum suum, infinitè perfectum, & infinitè excellentem creatura intellectualis recognoscit, cum protestatione suæ ad eum subjectionis, dependentiæque totalis, quoad corpus, & animam, & quæcumque alia bona sua.*

33 Adoratio hoc modo sumpta, tametsi à Theologis dividatur in internam, & externam; externa tamen sine interna, adoratio non est propriè dicta, de qua Salvator ad Samaritanam, *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Adoratio quippe externa, sine interna, est adoratio mortua, sicut corpus sine anima. Dum ergo Deum exteriùs verè adoramus, anima est, quæ per externos actus venerationis ac submissionis, Deum velut supremum Dominum suum interiùs recognoscit, suamque erga ipsum omnimodam subjectionem ac dependentiam protestatur. Itaque sicut oratio primordialiter quidem est in mente, secundariò autem verbis exprimitur; ita etiam adoratio principaliter quidem in interiori Dei reverentia consistit; secundariò autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis. Sic genuflectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum, prosternimus autem nos, quasi profitentes, nihil nos esse ex nobis. S. Thomas q. 84. a. 2.

Estque reflexione dignum, in ista adoratione cultuque Dei implicitè contineri obligationem fidei, spei, & charitatis; sive credendi Deo, sperandi in Deum, ipsumque super omnia diligendi. Si enim Deum recognoscimus infinitè perfectum: igitur infinitè veracem, infinitè potentem, infinitè fidelem in promissis, infinitè benignum, infinitè bonum, infinitè amabilem. Si infinitè veracem, ipsi ergo credere nos oportet in omnibus quæ dignatur nobis revelare. Si infinitè potentem, infinitè benignum, infinitè fidelem in promissis: in ipso ergo & promissis ipsius spem & fiduciam habere debemus. Si denique infinitè bonum & amabilem: ipsum ergo super omnia cætera bona & amabilia amare & diligere debemus. Et hinc elucet verè à Catechismo Romano dictum esse, quòd peccant in hoc primum præceptum, qui fidem, spem, & charitatem non habent. 34

CAPUT VIII.

Devotio, duplexque causa, & effectus ipsius.

Devotio est pius & humilis affectus in Deum; humilis ex conscientia infirmitatis propriæ; pius ex consideratione divinæ clementiæ. Ita definit Author libri de spiritu & anima (inter opera Augustini) cap. 5. A sancto Thoma verò q. 82. a. 1. definitur, *voluntas promptè tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei cultum.* Per consequens non consistit in sensibili gustu & teneritudine cordis, quæ aliquando in oratione sentitur; sed in pio atque humili animi affectu, promptâque voluntate debitè peragendi ea quæ pertinent ad Dei cultum & famulatum, prout Scriptura indicat Exodi 35. *Multitudo filiorum Israël obtulit mente promptissimâ atque devotâ primitias Domino.* Quæ pia animi affectio & promptitudo plerùmque in profundo cordis latitat, absque ullo sensibili gustu, imò etiam cum maximo tædio, uti fuit in Christo, dum *cœpit pavere & tædere*, dum etiam derelictus fuit in cruce: eo tamen non obstante, devotio ipsius tunc maxima fuit: quia voluntas promptissima paratissimaque ad implendam voluntatem Patris, non obstante illâ derelictione ac tædio. 35

Devotionis causa est duplex, una nobis extrinseca & principalis, scilicet Deus: altera intrinseca consideratio, scilicet tum divinæ cle- 36

mentiæ aliarumque perfectionum Dei; tum noſtræ indigentiæ & infirmitatis, juxta priorem conſiderationem definitæ devotionis. Ex priori namque conſideratione excitatur dilectio; ex poſteriori, noſtri ante Deum humiliatio, ſicut & excluſio ſuperbiæ ac præſumptionis, quæ præcipuum eſt ſupernarum immiſſionum obſtaculum. Utriuſque neceſſitatem S. Thomas inculcat a. 3. ſicut & Cajetanus ibidem dicens, quòd *nec religioſi, nec religioſa, nec ſpiritualis nomine vocari poteſt, qui ſaltem ſemel in die ad ejuſmodi ſe non transfert. Quomodò namque effectus abſque cauſa, finis abſque medio, inſula & portus abſque navigatione haberi nequit; ſic nec religio abſque frequentibus actibus ſuarum cauſarum, mediorum, ac vehiculorum, nec devotio abſque frequenti meditatione prædictorum.* Piæ quippe devotionis affectiones in voluntate non excitantur abſque piis conſiderationibus in intellectu: utpote qui facem præferre debeat voluntati.

Pro effectibus devotionis videri poteſt S. Doctor a. 4. ubi duos aſſignat, ſpiritualem utique lætitiam, ex divinæ bonitatis conſideratione conceptam; & quamdam ſecundùm Deum triſtitiam, ex infirmitatis noſtræ, exiliique à cæleſti patria meditatione procedentem.

CAPUT IX.

Orationis definitio.

37 ORatio quandoque latiùs, quandoque ſtrictiùs accipitur. Latiùs, pro quocumque pio in Deum affectu, ſive quacumque pia in Deum mentis elevatione, per laudem, gratiarum actionem, confeſſionem, &c. quo ſenſu ſemper orare dicitur, qui ſe, ſuaque opera omnia pio mentis affectu, ſemper in Deum dirigit. Strictiùs accepta definitur à ſancto Joanne Damaſceno l. 3. de fid. c. 24. *petitio decentium à Deo.* A S. Baſilio, homil. in Martyrem Julittam: *bona cujuſpiam petitio, quæ ad Deum à piis effunditur.* Ab Auguſtino, ſeu alio Authore ſermonis 73. in Append. ſermon. Auguſtini: *aſcenſio animæ de terreſtribus ad cæleſtia, inquiſitio ſupernorum, inviſibilium deſiderium, conjunctio Spiritui ſancto.* Enarratione verò in Pſal. 37. ab ipſomet Auguſtino definitur, *cordis deſiderium, & gemitus ad Deum directus.* De quo ibi Pſalmiſta: *Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus*, deſiderium utique rerum ſalutarium, ſive ad ſalutem æternam conducentium. Unde ſine dubio actus eſt religionis: quia *per orationem homo Deo reverentiam adhibet, in quantum ſcilicet ei ſe ſubjicit, & profitetur orando, ſe eo indigere, ſicut Authore ſuorum bonorum.* S. Thomas q. 83. a. 3. in corp.

38 Duplex eſt oratio, interior ſcilicet, ſive mentalis, & exterior, ſive vocalis. De mentali ſcriptum eſt Pſ. 18. *Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.* Pſ. 26. *Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea.* Et Pſ. 38. *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Conſiſtitque non in ſuſpenſione omnis actûs, neque in ſola receptione, aut ſtatu paſſivo, ut volunt Quietiſtæ, nec in ſola ſpeculatione, ſolovè amore; ſed in actibus intellectûs & voluntatis, ad Dei cultum honoremque relatis, divinarum ſcilicet rerum, nihilique noſtri atque indigentiæ conſideratione, Dei amore, ſupernarum rerum deſiderio, aliiſque piis affectibus.

Supremus internæ orationis gradus, contemplatio eſt, quâ anima, ſupra terrena phantaſmata elevata, abſque vario multiplicium cogitationum diſcurſu, ſimplici intuitu Deum & divina ſibi proponens, in iiſque mentis aciem defigens, caſto ardentique amore Deum complectitur, in ipſoque unicè delectatur. Unde à S. Auguſtino l. 12. contra Fauſt. c. 42. definitur, *ſancta quædam ebrietas alienatæ mentis ab infrà labentibus temporalibus, æternam lucem ſapientiæ contuentis.* 39

Ad hunc gradum uno ſaltu ordinariè non pervenitur, ſed ſenſim per varias divinarum illuſtrationum præparationes; nec ad eum pervenitur per ſolam vulgarem mandatorum divinorum obſervantiam, ſed per varias animæ purgationes, labores, pœnitentias, mortificationes, inſigniumque virtutum exercitationes. Neque enim ad gradum illum pervenire ſolent niſi purgatæ animæ; quæ poſteaquàm diuturnis pœnitentiæ ac mortificationis exercitiis, naturæ corruptæ perturbationes & cupiditates ſubegerunt, propriamque voluntatem exuerunt, tandem fide, humilitate, charitate, & infirmitatis ſuæ agnitione penetratæ, & Spiritûs ſancti calore ſuccenſæ, guſtare incipiunt, & videre, quoniam ſuavis eſt Dominus. Dum enim in ejus amore coram ſe vileſcunt, ad eumque intrare volunt, nec valent, eo denique ſupra ſe lucente, attendunt in ſe, inveniuntque ſe, ſuamque ægritudinem illius munditiæ contemperari non poſſe. *Flere dulce habent* (inquit Auguſtinus l. 4. Trinit. c. 1.) *eumque deprecari, ut etiam atque etiam miſereatur, donec exuant totam miſeriam, & precari cum fiducia, jam accepto gratuito pignore ſalutis, per unicum Salvatorem hominis & illuminatorem.* Animam *ita agentem & dolentem ſcientia non inflat, quia charitas ædificat. Præpoſuit enim ſcientiam ſcientiæ, præpoſuit ſcire infirmitatem ſuam, magis quàm ſcire mundi mœnia, fundamenta terrarum, & faſtigia cælorum. Et hanc apponendo ſcientiam, appoſuit dolorem, dolorem peregrinationis ſuæ, ex deſiderio patriæ ſuæ, & Conditoris ejus beati Dei ſui.* 40

Nec tales animæ propterea ceſſant, vel ceſſare debent ab actibus chriſtianarum virtutum; imò eas majori ſatagunt exercere ſtudio ac ſervare. Nam, ut idem Auguſtinus ait l. 22. contra Fauſt. c. 4. *cum eò perventum fuerit, ſimul habebitur in hoc ſæculo, non ſolum ſpecioſa intelligentia, ſed etiam laboriosa juſtitia. Quamlibet enim acutè ſinceriterque cernatur à mortalibus incommutabile bonum, adhuc corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit* 41

terrena

terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Ad unum ergo tendendum, sed propter hoc multa ferenda sunt.

42 Unde jure meritissimo Innocentius XI. per suam Constitutionem, quæ incipit *Cælestis Pastor* anno 1687. sequentes damnavit Quietistarum propositiones. 1. *Oportet hominem suas potentias annihilare. Et hæc est via interna.* 2. *Velle operari activè, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens. Et ideo opus est seipsum in Deum totum & totaliter derelinquere, & posteà permanere velut corpus exanime.* 3. *Votа de aliquo faciendo, sunt perfectionis impeditiva.* 4. *Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem: quia Deus operari vult in nobis.* 5. *Nihil operando, anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, & Deus tunc in seipso remanet: quia tunc non sunt ampliùs duæ res unitæ, sed una tantùm. Et hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & anima seipsam annihilat in esse operativo.* 7. *Non debet anima cogitare, nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.* 12. *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso; nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem purgare debet.* 14. *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut à Deo rem aliquam petat: quia petere est imperfectio, cùm sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est velle quòd divina voluntas nostræ conformetur, & non quòd nostra divinæ. Et illud Evangelii:* „ Petite & accipietis: „ *non est dictum à Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Imò hujusmodi animæ eò perveniunt, ut non possint à Deo rem aliquam petere.* 15. *Sicut non debent à Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent: quia utrumque est actus propriæ voluntatis.* 17. *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relictâ curâ, & cognitione animæ nostræ, non est ampliùs habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nullâ adhibitâ industriâ; &, si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur: quia est natura.* 35. *non convenit animabus hujus viæ internæ, quòd faciant operationes, etiam virtuosas, ex propria electione & activitate. Aliàs non essent mortuæ. Nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Christi: quia cùm ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.* 38. *Crux voluntaria mortificationum, pondus grave est, & infructuosum, ideòque dimittenda.* 39. *Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem.* Omitto alias non paucas ejusdem farinæ, quas laudatus Pontifex Vaticani fulmine percussit, velut *hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, christianæ disciplinæ relaxativas, & eversivas respectivè.*

Alienæ profectò sunt ab ipsomet sanctæ con- 43
templationis otio; in eo namque ab omni actione suspensa non est anima, utpote Deum cognoscens, amans, adorans, & coram infinita Majestate ipsius in suiipsius cognitione vilescens; quod non fit absque frequentissimis actibus cognitionis, amoris, adorationis, humilitatis, &c. uti nec absque aliis actibus, quos Author libri de interiori domo commemorat apud S. Bernardum, dicens, quòd ad sanctæ contemplationis apicem pervenitur *potiùs intimâ compunctione, quàm profundâ investigatione; suspiriis, quàm argumentis; crebris lamentationibus, quàm copiosis argumentationibus; lachrymis, quàm sententiis; oratione, quàm lectione; gratiâ lachrymarum, quàm scientiâ litterarum.*

De oratione vocali Apostolus loquitur Hebr. 44
13. cùm dicit: *Per ipsum offeramus hostiam laudis Deo; id est fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Et Apostolos ipsos Christus verbis orare docuit; non quòd verba necessaria sint ad indigentiam nostram Deo aperiendam; sed ob triplicem rationem. 1°. ad excitandam per signa exteriora interiorem in nobis devotionem. 2°. ut homo Deo serviat secundùm totum quod ex Deo habet, mentem scilicet & corpus. 3°. ut fervens animi affectus per exteriora signa innotescat, juxta illud Augustini epist. 130. aliàs 121. *In ipsa fide, spe & charitate continuato desiderio semper oramus; sed ideò per certa intervalla horarum, & temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nosipsos admoneamus, quantùmque in hoc desiderio profecerimus nobismetipsis innotescamus, & ad hoc augendum nosipsos acriùs excitemus. Dignior enim sequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus.*

CAPUT X.

Orationis necessitas.

ORationis nedum utilitatem, sed & neces- 45
sitatem Salvator inculcat Matth. 6. cùm dicit: *Petite, & accipietis.* Et cap. 27. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Et Luc. 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* Unde & Apostolus Thessal. 5. *Sine intermissione orate.* Et 1. Timoth. 2. *Volo viros orare in omni loco.... similiter & mulieres,* &c. Et beatus Papa Zosimus, atque ex ipso & post ipsum Cælestinus in epist. ad Galliarum Episcopos: *Quod ergo tempus intervenit* (inquit) *quo ejus* (divino) *non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causisque, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat; clamante Apostolo:* " Non
" est nobis colluctatio adversus carnem & san-
" guinem, sed contra principes & potestates aë-
" ris hujus, contra spiritualia nequitiæ in cæle-
" stibus. "

46 Ratio verò istius necessitatis primariò petitur ex ordine divinæ providentiæ, quæ parata est quidem nobis conferre necessaria ad salutem, sed mediâ oratione. *Ex divina namque providentia disponitur, non solùm qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, & quo ordine fiant*, ait S. Thomas a. 2. Unde *non propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus, quod Deus disposuit per orationem esse implendum, ut* scilicet *homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante sæcula disposuit donare*, ait S. Gregorius 1. Dialog. 8. Non etiam propterea oramus, ut Deo notas faciamus necessitates vel desideria nostra (ipse enim *novit abscondita cordis*, & *scit Pater vester, quia his omnibus indigetis*) sed ratio necessitatis primaria ex parte Dei est dictus ordo divinæ providentiæ. 2ª. ex parte intellectûs nostri, ut recognoscamus ipsum esse fontem, à quo bona cuncta procedunt, & adjutorem in opportunitatibus, in omnique necessitate, ad quem proinde confugere debeamus. 3ª. ex parte voluntatis nostræ, ut fiduciam habeamus recurrendi ad ipsum. 4ª. ex parte naturæ nostræ, ut magnificemur colloquendo ac velut conversando cum Deo. *Considerare* enim *nos oportet*, inquit Chrysostomus apud S. Thomam a. 2. ad 2. *quanta est nobis concessa felicitas, quanta gloria; orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia*, &c. 5ª. denique ratio petitur ex parte indigentiæ nostræ, quia nullum est tempus quo divino non egeamus auxilio: utpote nobis necessario *in omnibus actibus causisque, cogitationibus & motibus*. In iis proinde omnibus *adjutor & protector orandus est*, uti monent Zosimus & Cælestinus suprà. Quibuscum Hieronymus apud Bedam to. 7. in Scintill. c. 7. de orat. dicit, quòd *sicut militem sine armis ad bellum exire non convenit; ita homini Christiano procedere quolibet sine orationibus non convenit*. Quia *in omni loco adversarius noster diabolus, tamquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret. Cui ut resistamus fortes in fide, indigemus oratione*.

CAPUT XI.

Conditiones in oratione necessariæ.

47 CUm ea quæ à Domino in oratione petimus, sæpè non accipiamus, eò quòd malè petamus, juxta illud Jacob. 4. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis*; operæ pretium est explicare conditiones, ad benè petendum necessarias.

Prima itaque conditio ad id necessaria est *attentio*. Sicut enim Deus adorandus, sic orandus est in spiritu & veritate, juxta illud Joan. 4. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*. Non oratur verò Deus in spiritu & veritate, si non versetur in corde, quod profertur in ore. Enimverò quid prodest labiis honorare Deum, si cor longè sit à Deo? *Quomodò te audiri postulas à Deo, cùm te ipse non audias?* ait Cyprianus l. de orat. domin. Imò sic orare, est Deum contra se provocare. Dicit enim B. Laurentius Justinianus l. de discipl. monast. converſ. c. 17. quòd *tales adversùm se Deum provocant vehementer*. Et S. Bernardus l. de interiori domo c. 7. iis applicat illud Hieremiæ: *Viderunt eum hostes, & derisérunt sabbatha ejus*. Et in eos quadrat illud Isa. 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*. Necnon istud Hierem. 48. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*. Alia versio habet *fraudulenter*: & reverà hoc facit, qui orationi vacat exteriùs devotus, sed interiùs indevotus, quia voluntariè distractus. Mentitur enim pietatem, & ridet Deum. Si autem mendacium & irrisio abesse debeat ab omni humana conversatione, multò magis ab oratione. Unde Augustinus epist. 107. *Labia dolosa si in hominum quibuscumque sermonibus sunt, saltem in orationibus non sint*. Vide infrà n.... Et observa 1°. cum Cajetano q. 83. a. 13. ad 3. mortaliter peccare eum qui ad Horas sub mortali obligatus, in notabili parte voluntariè evagatur; *Perinde est* enim (inquit) *ac si illam partem omitteret*. In oratione autem spontanea, seu non obligatoria, censet eum non peccare nisi venialiter. Et idem dicit, quando in oratione de præcepto ex negligentia quis non attendit, habens tamen attendendi propositum. 2°. observa cum eodem ibidem a. 14. quòd *aliquid dicitur necessarium, sine quo res non potest consequi effectum. Est autem triplex effectus orationis, primus quidem communis omnibus actibus charitate informatis, quod est mereri, & ad hunc effectum non ex necessitate requiritur, quòd attentio adsit orationi* (actualiter) *per totum, sed vis primæ intentionis, quâ aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, sicut in aliis meritoriis accidit. Secundus autem effectus orationis est ei proprius, quod est impetrare, & ad hunc etiam effectum sufficit prima intentio, quam Deus principaliter attendit. Si autem prima intentio desit, oratio nec meritoria est, nec impetrativa: illam enim orationem Deus non audit, cui ille, qui orat, non intendit*, ut Gregorius dicit. *Tertius autem effectus orationis est, quem præsentialiter efficit, scilicet quædam spiritualis refectio mentis, & ad hoc de necessitate requiritur in oratione attentio* (actualis.) Unde dicitur 1. Cor. 14. *Si orem linguâ, mens mea sine fructu est*.

48 Sciendum tamen quòd triplex est attentio: una quidem quâ attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret. Secunda, quâ attenditur ad sensum verborum. Tertia, quâ attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur; quæ quidem est maximè necessaria. Et hanc etiam possunt habere idiotæ; & quandoque in tantum abundat hæc intentio, quâ mens fertur in Deum, ut etiam omnium aliorum mens obliviscatur, sicut dicit Hugo de S. Victore.

49 Secunda conditio est humilitas supplicantis, quâ se coram adorata divina Majestate deprimat, seque pulverem, imò nihil esse cognoscat, dicens: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis*, Genes. 28. Enimverò *oratio humiliantis se nubes penetrat*, Eccli. 35. Et *odit Deus pauperem superbum*, ideòque Pharisæi orationem acceptam non habuit. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et nunquid oramus, quia mendici sumus? *Omnes, quando oramus, mendici Dei sumus* (ait Augustinus serm. 83. aliàs 15. de verb. Dom.) *ante januam magni patris-familias stamus, imò etiam prosternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere, & ipsum aliquid, ipse Deus est.* Ad Deum supplex clamabat Propheta Ps. 69. *Ego verò egenus & pauper sum; Deus adjuva me.* Ps. 6. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Ps. 40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi.*

50 Tertia conditio, fides. Quarta, spes, seu pia fiducia obtinendi à Dei misericordia quod petis, juxta illud Jacob. 1. *Siquis indiget sapientiâ, postulet à Deo.... Postulet autem in fide, nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris..... Non ergo æstimet homo ille quòd accipiet aliquid à Domino.*

51 Quinta, ut oratio nostra fervens sit, non tepida. Sed, quod deplorandum est, oratio nostra aliquando sic tepida est, vel potiùs frigida, ut penè sit nulla; imò interdùm ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus. Quia *si vel hoc dolemus, jam oramus*, ait Augustinus l. 1. qq. ad Simplic. q. 2. sub fin.

52 Sexta, ut assidua sit, & perseverans: quia misericordiam Dei, quâ assiduè indigemus, non impetrabimus, nisi eam assiduè & perseveranter deprecemur. Assiduitas verò & perseverantia orationis frequenter impetrat, quod meritum orantis impetrare non valet, prout Salvator Luc. 11. ostendit per parabolam viduæ Judicem interpellantis, & alteram parabolam amici mediâ nocte tres panes commodatò petentis, qui etsi non impetret ea propter amicitiam, propter importunitatem impetrabit. Ideò c. 18. *Oportet semper orare* (inquit Salvator) *& nunquam deficere.* Et Frater Domini: *Multùm valet deprecatio justi assidua.* Jacob. 5. Paulus etiam 1. Thessal. 5. *Sine intermissione orate.* Et S. August. epist. 130. *In ipsa fide, & spe, & charitate continuato desiderio semper oremus.* Et enarrat. in Psal. 37. ad illa verba: *Domine ante te omne desiderium meum: Ipsum* (inquit) *desiderium tuum, oratio tua est; & si continuum desiderium, continua oratio.... Quidquid aliud agas, si desideras illud sabbathum, non intermittis orare. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis, si amare desliteris.* Qui & in Psal. 146. continuæ orationis, sicut & dilectionis facilem suggerens modum, ab eo dicit continuò laudari Deum, qui omnia opera sua ex Dei amore facit. Cui concinens S. Fulgentius epist. 1. *Oratio est* (inquit) *in conspectu Dei omne opus bonum, quo delectatur, nullo indigens Deus.*

Septima conditio, ut oratio non sit steri- 53
lis, sed bonis operibus sociata, quibus homo testetur se efficaciter desiderare quod petit. Multi enim ideò non impetrant, quia ex toto corde non desiderant, similes Augustino ante plenam conversionem dicenti: *Da castitatem, sed non modò.* Sæpè ergo Deus differt exaudire, ut faciat desideria nostra crescere. Sæpè etiam non exaudit, ut discamus in vanum non recipere gratias ipsius, sicut antè fecimus, eas absque bonorum operum fructu negligendo. *Quisquis ergo vult petita accipere, festinet ea quæ accepit operè implere. Orantes* (inquit Cyprianus loco citato) *non infructuosis nec nudis precibus ad Deum veniant. Inefficax petitio est, cùm precatur Deum sterilis oratio. Nam cùm omnis arbor non faciens fructum, excidatur, & in ignem mittatur; utique & sermo non habens fructum. Promereri Deum non potest, qui nullâ est operatione fœcundus.* Et ideò Scriptura nos divina instruit, dicens: *Bona est oratio cum jejunio & eleëmosyna.* Similiter Augustinus in Psal. 42. *Quam celeriter accipiuntur orationes benè operantium! ... Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, jejunium & eleëmosynam.*

CAPUT XII.

Conditiones requisitæ ad hoc, ut oratio infalliliter impetret.

Dicendum (inquit S. Thomas a. 15. ad 2.) 54
quòd ponuntur quatuor conditiones, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat quod petit, ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, pie & perseveranter.

Pro se: quia qui dixit Joan. 14. *Siquid pe-* 55
tieritis Patrem in nomine meo, non utcumque dixit, *dabit*, sed *dabit vobis* (ait Augustinus tr. 102. in Joan.) *quia Sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis suis.*

Necessaria ad salutem, vel certè ad eam con- 56
ducentia. Quia non est promissa exauditio, nisi petentibus *in nomine Christi*, ut constat ex adductis verbis: *Siquid petieritis Patrem in nomine meo*, &c. *Non petitur* autem *in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis*, ait ibidem Augustinus.

Piè, id est cum intentione pia, & amoro- 57
sa, efficacique desiderio impetrandi postulata. Ad quod necesse est impedimenta pro posse amovere; aliàs sibiipsi orans causa est quòd non impetret. Et ista plerùmque etiam causa est propter quam Sancti, pro aliis orantes, non exaudiuntur: quia scilicet illi, pro quibus orant, impediunt piæ petitionis effectum.

Perseveranter: ob ea quæ dixi n. 52. *quæ-* 58
dam enim non negantur (ait ibidem Augusti-

nus) *sed, ut congruo dentur tempore, differuntur.* Enimverò quia valdè magna sunt, quæ orantes petimus in ordine ad salutem, desiderium impetrandi esse debet proportionatum, seu valdè magnum. Igitur ut ea magis & magis desideremus, & obtenta magis sollicitè custodiamus, Deus sæpè vult diù multùmque rogari. Quia *desideria dilata crescunt*, & citò exaudita facilè langueſcunt.

59 Articulo sequenti quærit S. Thomas, an non soli justi, sed etiam peccatores, servatis conditionibus illis, orando impetrent quod à Deo postulant? & respondet, quòd *in peccatore duo sunt consideranda, scilicet natura, quam diligit Deus, & culpa, quam odit. Si ergo peccator, orando, aliquid petit in quantum peccator, id est secundùm desiderium peccati, in hoc à Deo non auditur ex misericordia; sed quandoque auditur ad vindictam, dum Deus permittit peccatorem adhuc amplius ruere in peccata: Deus enim quædam negat propitius, quæ concedit iratus*, ut Augustinus dicit.

60 *Orationem verò peccatoris, ex bono naturæ desiderio procedentem, Deus audit, non quasi ex justitia* (quia peccator audiri non meretur) *sed ex pura misericordia. Observatis tamen quatuor conditionibus, ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè & perseveranter.* Hactenùs S. Thomas; cui consonant Augustinus tr. 44. in Joan. & Chrysostomus, seu potiùs Joannes Hierosolymitanus Patriarcha 44. oper. imperf. in Matth. homil. 18. dicens: *Omnis qui petit, accipit, sive sit justus, sive peccator.*

CAPUT XIII.

Pro omnibus viatoribus orandum, necnon pro animabus Purgatorii; sed nullo modo pro damnatis.

61 QUia Jacobi 5. generaliter dicitur, *Orate pro invicem, ut salvemini*, & ut S. Thomas loco citato a. 7. ad 3. ait, *sicut nulli, quamdiu vivit, hîc subtrahendum est correctionis beneficium* (*quia non possumus prædestinatos distinguere à reprobatis*) *ut Augustinus dicit in l. de corrept. & grat. ita etiam nulli denegandum est orationis suffragium.* Orandum ergo pro viatoribus omnibus, justis & peccatoribus; pro istis, ut convertantur; pro illis, ut perseverent & proficiant. Et triplici adhuc ratione pro justis est orandum, prosequitur S. Doctor. *Primò quidem, quia multorum preces facilius exaudiuntur. Unde super illud Rom. 15.* „ adjuvetis me in orationibus vestris, „ *dicit Glossa*: „ Benè rogat Apostolus minores pro „ se orare; multi enim minimi, dum congre„ gantur unanimes, fiunt magni, & multorum „ preces impossibile est quòd non impetrent, il„ lud scilicet quod est impetrabile. *Secundò, ut ex multis gratia agatur Deo de beneficiis, quæ conferuntur justis, quæ etiam in utilitatem multorum vergunt, ut patet per Apostolum 2. Cor. 1. Tertiò, ut majores non superbiant, dum considerant se suffragiis minorum indigere.*

Nec solùm pro fidelibus, sed & pro infi- 62
delibus orandum; sed ipsi (ait S. Thomas in 4. dist. 18. q. 2. a. 1. ad 1.) *fructum orationis non percipiunt, nisi convertantur.* Similiter & pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt; nec nominari possint in orationibus publicis, si sint nominatim denuntiati, vel publici Clerici percussores. Et tamen fructum non participant, quamdiù in excommunicatione manent; sed oratur ut ab excommunicatione solvantur.

Etiam pro inimicis orare nos oportet: quia 63
eodem modo quo tenemur diligere inimicos, tenemur pro inimicis orare. S. Thomas a. 8. in corp. Et debemus orando petere, quod debemus desiderare. Desiderare autem bona debemus, non solùm nobis, sed etiam aliis: hoc enim pertinet ad rationem dilectionis, quam proximis debemus impendere, etiam inimicis. Propter quod Matth. 5. dicitur: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.*

Addit S. Doctor ibidem, quòd *sicut dili-* 64
gere inimicos in generali, est in præcepto; in speciali autem non est in præcepto, nisi secundum præparationem animi, ut scilicet homo sit paratus etiam specialiter inimicum diligere, & eum juvare in necessitatis articulo, vel si veniam peteret, sed in speciali absolutè inimicos diligere, & eos juvare, perfectionis est: ita similiter necessitatis est, ut in communibus nostris orationibus, quas pro aliis facimus, inimicos non excludamus. Quòd autem pro eis specialiter oremus, perfectionis est, non necessitatis, nisi in aliquo casu speciali.

Dixi *etiam pro animabus Purgatorii* oran- 65
dum: quia etiam ad eas se extendere debet charitas nostra, tantò majori miserationis affectu, quòd jam seipsas juvare non possunt, gravissimis illis in pœnis, quæ incomparabiliter graviores sunt gravissimis quibuscumque hujus vitæ cruciatibus & tormentis. Unde scriptum est: *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

Pro damnatis autem orandum non est: quia 66
status ipsorum absolutè est immutabilis. Unde historia de Trajano, precibus S. Gregorii ex inferis erepto, fabulis accensenda videtur: cùm scriptum sit, *in inferno nulla est redemptio*; quamvis aliqui Patres apud Petavium to. 3. Theolog Dogm. l. 3. c. ult. censuerint licitum orare pro damnatis, saltem baptizatis, non ut liberentur, sed ut pœnæ ipsorum mitigentur; quam opinionem non continere aliquid absurdum, fideivè repugnans, Petavius existimat ibidem. Sed antiquata videtur opinio ista, nec fundata.

Sed quid de beatis? licitum esse pro ipsis 67
in cælo jam regnantibus orare, non ad impetrandam ipsis gloriam essentialem (quo sensu Augustinus dicit, *injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*) sed aliquid gloriæ vel gaudii accidentalis, opinio est nonnullorum, quam Sinnichius in Salile Exege l. 1. §. 287. in Ec-

cleſia primitiva fuiſſe practicatam, ex antiquis probat Liturgiis, Jacobi, Marci, Baſilii, Cyrilli, &c. necnon ex cap. *cùm Marthæ* de celebr. Miſſ. ubi Innocentius III. hanc Eccleſiæ collectam : *Annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc proſit oblatio*, explicans, *quod* (inquit) *pleriſque orationibus continetur, proficiat hujus Sancto talis oblatio ad gloriam & honorem, ita debet intelligi, ut ad hoc proſit, quòd magis ac magis à fidelibus glorificetur : licèt plerique non reputent indignum, Sanctorum gloriam uſque ad judicium augmentari ; & ideò Eccleſiam interim ſanè poſſe augmentum glorificationis ipſorum optare.*

CAPUT XIV.

Tametſi ſolus Deus orandus ſit, tamquam primum principium & fons bonorum omnium, & Chriſtus tamquam primarius & principalis Mediator noſter apud Deum ; orandi ſunt tamen etiam alii Sancti, homines & Angeli, tamquam Mediatores ſecundarii, qui nomine Chriſti, & virtute meritorum ipſius, etiam valent aliqua bona nobis impetrare.

68 PRobatur 1°. exemplo Jacob Patriarchæ, invocantis Angelum. Geneſ. 32. & 48. Item Joannis Evangeliſtæ invocantis ſeptem ſpiritus, qui in conſpectu Dei ſunt. Apoc. 1.

2°. Sancti hujus vitæ piè & fructuosè invocantur. 1. Reg. 7. Job. ult. Rom. 15. 1. Theſſ. 5. & 2. Theſſal. 3. Igitur etiam Sancti cum Chriſto in cælo regnantes.

3°. Sancti alterius vitæ orant pro nobis. Hierem. 15. 2. Machab. 15. Apocal. 3. Multaque nobis bona, nobis (ob preces ipſorum) largitur Deus. Geneſ. 26. Exodi 32. 3. Reg. 11. & 15. 4. Reg. 19. & 20. Iſa. 37. Eccli. 44. Igitur à nobis invocari poſſunt, ut pro nobis orent.

69 Objiciunt Lutherani & Calviniſtæ 1°. cum Vigilantio, dum vivimus, mutuò pro invicem orare poſſumus ; poſtquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio eſt exaudienda oratio.

Reſpondeo id prorſus alienum eſſe à veritate : quia, ut S. Thomas ait art. 11. *cùm oratio pro aliis facta ex charitate proveniat, quantò Sancti, qui ſunt in patria, ſunt perfectioris charitatis, tantò magis orant pro viatoribus.... Et quantò ſunt Deo conjunctiores, tantò eorum orationes ſunt magis efficaces. Habet etiam hoc divinus ordo, ut ex ſuperiorum excellentia in inferiora refundatur, ſicut ex claritate ſolis in aërem.... Et propter hoc Hieronymus contra Vigilantium dicit :* „ Si Apoſtoli & Martyres, adhuc in corpore conſtituti, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, pro aliis orant ; quantò magis poſt coronas, victorias & triumphos?

70 Objiciunt 2°. Oratio ad Sanctos directa injurioſa eſt Chriſto : quia arguit inſufficientiam mediationis ipſius : injurioſa etiam miſericordiæ Dei, quæ cùm ſit infinita, & infinitè excedens benignitatem Sanctorum, opus non eſt ad Sanctos recurrere. Sed prorſus errant : quia ſicut ab hominibus adhuc in hac vita degentibus, abſque injuria Mediatoris Chriſti & miſericordiæ Dei, petimus ut orent pro nobis, ut hæretici fatentur ; & Paulus fecit Rom. 15. Coloſſ. 4. Epheſ. 6. Ita ſimiliter, &c. Non ſolùm ergo injuriam Chriſto & miſericordiæ Dei non facit, quin honorem potiùs utrique facit, qui ex voluntate Dei & Chriſti Sanctos orat, velut Dei & Chriſti Miniſtros & amicos, quorum totam virtutem agnoſcit eſſe ex gratia & miſericordia Dei & meritis Chriſti, cujus licèt mediatio & oratio, ſicut & Dei miſericordia, ſit nobis ſufficientiſſima ; ſubinde tamen ipſe non vult deſideratos effectus concedere, niſi alii accedant ſecundarii Mediatores, qui ipſum & Patrem orent in nomine ipſius, uti ex allatis conſtat exemplis, & ex eo quòd Deus ex ſuæ bonitatis abundantia per hoc velit Sanctos ſuos honorare ; ſicut ſervum ſuum Job honorare voluit, dum dixit ad Eliphaz Themanitem, &c. *Ite ad ſervum meum Job, qui orabit pro vobis : faciem ejus ſuſcipiam.* Ex quo exemplo patet, quòd Dei miſericordia, licèt ſe ſolâ nobis ſufficientiſſima, accedente patrocinio Sanctorum, ſæpè largiri velit, quæ aliàs largitura non eſſet.

Objiciunt 3°. Sancti in cælo non vident 71
orationes noſtras, nec ſecreta cordis noſtri. Imò, teſte D. Gregorio 12. Moral. 13. *vident in Verbo, velut in ſpeculo, ea quæ decet eos cognoſcere de iis quæ circa nos aguntur*, etiam ſecreta cordis noſtri : maximè verò excellentiam ipſorum decet cognoſcere petitiones noſtras, ad ipſos directas, vel voce, vel corde ; & ideò petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifeſtante, cognoſcunt. Enimverò cordium cognitionem, Deo revelante, Scriptura ſacra Sanctis tribuit 1. Reg. 9. 4. Reg. 5. & 6. Daniel. 2. & alibi. Eliam quoque poſt tranſlationem ſuam ſciviſſe quid ageretur in regno Juda, patet ex 2. Paralip. 21.

An autem purgantes animas orare & invo- 72
care liceat? in utramque partem Theologi diſputant. Valentia putat id eſſe vanum & otioſum. 1°. quia nondum fruuntur viſione Verbi, ut poſſint cognoſcere ea quæ nos cogitamus, vel dicimus, ait S. Thomas a. 4. ad 3. 2°. non ſunt in ſtatu orandi pro nobis, ſed magis ut oretur pro ipſis. S. Thomas a. 11. ad 3. eò quòd utique ſint quaſi in carcere, & in manu divinæ juſtitiæ. Quemadmodùm ergo ii qui ad exſolvenda delicta, juſſu Principis in carcere detinentur, acceſſum non habent ad Principem, etſi gratiâ ipſius non penitùs exciderint ; ita de animabus Purgatorii cogitandum.

3° decet illas totaliter intentas eſſe debito ſuo quàm perfectè poſſunt perſolvendo.

4°. in Miſſa defunctorum nulla dici poteſt collecta pro vivis, ad notandum quòd

mortui juvare nequeant vivos, in hac vita existentes, inquit Durandus in Rationali div. Offic. l. 4. c. 15.

73 His tamen non obstantibus, sapientissimus noster Lezana consulto 3. n. 118. probabiliter docet, ex multorum Theologorum consensu, animas Purgatorii à fidelibus piè invocari posse. Nec id S. Thomas negare videtur (non enim dicit, quòd eas orare non possumus) sed solùm asserere, quòd eas non oramus, id est orare & invocare non solemus: quia scilicet non ita constat, quòd nostras cognoscant orationes, suntque potiùs in statu ut oretur pro ipsis, quàm ut orent pro nobis. Ex quo consequens non est, quòd nunquam orent pro nobis. Tametsi enim hoc non faciant ratione statûs (potiùs deputati ad satispatiendum pro se, quàm ad orandum pro aliis) faciunt tamen ratione charitatis & communionis, quam eo in statu retinent ad nos.

74 Probatur ergo ista opinio, tum quia multi (ut ex D. Gregorio 4. Dialog. refert Viguerius Inst. c. 5. §. 5.) per animarum adhuc purgantium invocationem adjuti sunt. Siquidem Gregorius cap. 40. ibi narrat, quòd animæ Paschasii & Severini, adhuc in Purgatorio existentes, miracula in terris operabantur: quod probabili (licèt non evidenti) argumento est, ipsas, fidelium precibus moras, divinum auxilium ipsis impetrasse. Tum quia nihil obstat, ut ex objectorum argumentorum solutione constabit. Tum denique quia piè credi potest, ipsas orare pro vivis, à quibus adjuvantur: inter ipsos proinde & ipsas esse communionem charitatis, quâ pro se mutuò orent, prout docent Richardus de Media-Villa, Gabriel, Medina, Sotus, Bellarminus, Eckius, Azorius, Bonacina, Sylvius, apud Sinnichium §. 283. Jam verò semel dato quòd orent pro vivis, quidni earum oratio implorari possit à vivis? Certè non quia vivorum orationes non cognoscunt: cùm piè credi possit, eas ipsis manifestari per Angelos suos Custodes; vel per nostros; vel per utrosque: cùm hoc non excedat statum ipsorum, & Angelicæ custodiæ videatur consentaneum. Accedit quòd esto non cognoscerent orationes nostras, sufficeret eas à Deo & Angelis cognosci, animasque illas consequenter à Deo vel Angelis excitari & moveri ad orandum pro nobis, prout Hieremias Propheta in Lymbo existens excitatus legitur ad orandum pro Judaïco populo. 2. Machab. 15. Quam ob causam Hugo de S. Victore, Eckius, Hesselius, Serarius, Bellarminus, & alii apud Sinnichium §. 285. existimant, quòd etiamsi Sancti in cælo regnantes orationes nostras non cognoscerent, consequens non foret, invocandos non esse.

Et per hæc patet ad 1um. in contrarium.

75 Ad 2um. dicendum, quòd licèt non tam sint in statu orandi pro nobis, quàm ut oremus pro ipsis; non ideò tamen sint in statu, in quo absolutè non possint orare pro nobis, vel nobis aliquid impetrare, ex vi præcedentium meritorum ipsorum, sicut & ex divina acceptatione (quomodò Sanctorum orationes impetrandi efficaciam habere docet S. Thomas a. 9. ad 1.) cùm in illo pœnali carcere à Deo hostili non detineantur affectu, sed amico, & paterno, licèt simul vindice, ut purgatoriis illis flammis à maculis expurgatæ, expeditæ reddantur ad paratam sibi regni cælestis possessionem. Et ideò dolor in ipsis nullatenùs perturbat judicium rationis, nec impedit affectum bonæ voluntatis, nec proinde bonam voluntatem orandi pro nobis. Cùm impedimenta ista in nobis contingant ratione corporeorum organorum, quibus ipsæ carent.

Ad 3um. dicendum, orationem pro nobis, 76
impetratoriam in animabus illis esse compatibilem cum solutione pro seipsis, nec per eam impediri necessariam ad hoc attentionem, nec charitativam pro nobis sollicitudinem; cùm dives in inferno benè oraverit pro fratribus suis. Luc. 16.

Ad 4um. dicendum rationem meliorem red- 77
di posse, ex eo quòd Ecclesia in Missarum illarum collectis, quò efficaciùs defunctorum animas adjuvet, velit unicè pro ipsis orare, nec in Missis illis velit nisi luctum & commemorationem defunctorum, ut nobis ampliùs inculcet mortis meditationem.

CAPUT XV.

Horarum Canonicarum explicatio.

HOræ Canonicæ dicuntur, series divina- 78
rum laudum, precumque vocalium, quæ diù noctuque, certis horis, Ecclesiæ nomine, juxta Canonum præscriptum recitandæ sunt, conformiter ad illud Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* Unde septem Horæ Canonicæ convenienter præscriptæ sunt Clementinâ un. de reliq. & venerat. Sanct. videlicet Matutinum, cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium, ad repræsentanda mysteria septenarii numeri, maximè septem beneficia principaliora, Creationis, Conservationis, Redemptionis, Prædestinationis, Vocationis, Justificationis, Glorificationis; septem quoque mysteria Dominicæ Passionis, hisce versibus comprehensa apud Glossam cap. 10. de celebrat. Miss.

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis:
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat:
Prima replet sputis: dat causam Tertia mortis:
Sexta cruci nectit: latus ejus Nona bipertit:
Vespera deponit: tumulo Completa reponit.

CAPUT XVI.

Obligati ad Horas Canonicas recitandas.

PRimò, ad eas tenentur sub mortali Bene- 79
ficiati omnes, etiam in sacris non existentes, & curam animarum non habentes. De ipso-

ipsorum namque obligatione constat, tum ex traditione & consuetudine, ex qua habemus beneficium dari propter officium. Tum ex Concilio Lateranensi V. sess. 9. ubi beneficiato cuicumque, post sex menses à die consecutionis beneficii, absque impedimento legitimo officium omittenti, imponitur obligatio restituendi fructus beneficiorum suorum, pro rata omissionis. Et additur quòd si ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, si scilicet per quindecim dies illud bis saltem non dixerit, legitimâ monitione præcedente, beneficio ipso privetur: cùm propter officium detur beneficium. Vide suprà cap. 127. ubi reliqua hoc spectantia invenies.

80 Secundò, ad eas etiam sub mortali tenentur omnes Clerici existentes in sacris, etiam non beneficiati, saltem post annos pubertatis sponte ordinati, etiam degradati & excommunicati. Ita Doctores omnes, id non tam probantes ex jure scripto, quàm ex recepta consuetudine, traditioneque, cujus initium cùm non sit invenire, credibile est ab Apostolis emanasse.

81 Id quidem aliqui probare nituntur ex Canone *siquis Presbyter* dist. 92. ubi sic: *Siquis Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clericus, Ecclesiæ deputatus, si intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo Ecclesia est, ad quotidianum psallendi officium matutinis vel vespertinis horis ad Ecclesiam non convenerit, deponatur à Clero.* Sed Gratianus ibi verba ista *ad quotidianum psallendi officium* de suo posuit, loco istorum, *ad quotidianum sacrificium*; quæ habentur in Concilio Toletano I. can. 5. unde canon iste est desumptus. Deinde canon iste ad summum probat obligationem Horarum in Choro, seu Ecclesia. Alii idipsum colligere se putant ex cap. *Presbyter* de celebrat. Miss. *Presbyter manè matutinali officio expleto, pensum servitutis suæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamque persolvat.* Sed nulla ibi mentio Diaconorum, nec Subdiaconorum. Alii ad id probandum recurrunt ad cap. *dolentes* de celebr. Miss. ubi tam minoribus, quàm majoribus Clericis præcipitur in virtute S. Obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum studiosè celebrent pariter & devotè. At nec ibi aperta mentio est de obligatione extra Chorum, nec declaratur quinam sint illi Clerici minores, nam etiam Clerici in solis Ordinibus minoribus constituti, sunt Clerici minores, nec tamen ad horas extra Chorum tenentur.

82 Melius ergo id ex traditione probatur, & consuetudine, ita ut hîc dicere possimus cum Tertulliano de corona Militis c. 3. *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Hinc etiam Melchior Canus l. 12. de locis Theol. c. 9. *Falluntur* (inquit) *multi existimantes, omnes Ecclesiæ leges à juris voluminibus petendas esse. Hinc Cajetanus labore penè confectus est, dum legem quæreret*, quâ Clerici *Monasticam Religionem professi, ad divinas præscriptas preces exsolvendas astringerentur. Multæ, mihi crede, Ecclesiæ leges sunt, quas non Scriptura, sed usus interpretatur.*

Dixi 1°. *saltem post annos pubertatis sponte ordinati*: siquis enim ante pubertatis annos, vel post illos coactè ordinatus fuisset, ad horas non teneretur, juxta Suarez, Castro-Palaum, & alios, nisi voluntariè postmodùm uteretur Ordine susceptо. 83

Dixi 2°. *etiam degradati, & excommunicati*: quia æquum non est ut commodum ex delicto reportent. 84

Dixi 3°. *credibile esse allegatæ consuetudinis traditionisque initium ab Apostolis emanasse.* Legimus namque Act. 2. *Erant autem perseverantes in fractione panis, & orationibus*, id est in Psalmis, & Canticis, aliisque Dei laudibus & orationibus, ex quibus successu temporum compilatum est Breviarium. Hoc est enim quod Apostolus insinuat Ephes. 5. *in Psalmis, Hymnis & Canticis spiritualibus cantantes & psallentes*, &c. Unde Tertullianus de jejun. c. 11. tempus istarum Dei laudum, Psalmorum, & Canticorum, *Horas Apostolicas* vocat: *Horarum insigniorum, exinde Apostolicarum, Tertiæ, Sextæ, Nonæ*, &c. Et ab Ecclesiæ nascentis, Ordinumque Regularium exordio legitur, triplicis generis homines Horis recitandis applicatos fuisse, nimirùm Clericos, Religiosos, ac Religiosas. De Clericis namque antiqua extat Constitutio l. 8. Constitut. Apostol. c. 30. *Precationes facite manè, tertiâ horâ, & sextâ, nonâ, & vespere usque ad galli cantum.* Quas Horas Tertullianus ubi suprà vocat *officia Dei.* S. Benedictus Regulæ suæ c. 50. *opus Dei.* Quo etiam nomine eas appellat S. Cæsarius in Regula apud P. le Comte in Annal. Eccles. Franciæ. 85

Quod ad Religiosos attinet, Psalmodiam quidem à Clericis acceperunt, sed longius quàm ipsi tempus in ea impenderunt. Teste namque Epiphanio expos. fid. Cathol. c. 23. *matutinæ laudes in Ecclesia Catholica, matutinæque preces assiduè celebrantur; lucernales item Psalmi, & orationes,... magna verò ex parte Monachi in decantandis Psalmis, ac perpetuis orationibus occupantur.* Videri potest Cassianus l. 2. & 3. ubi scribit Ægypti ac Thebaidis Monachos majorem diei noctisque partem in horis decantandis impendisse. S. Pachomius in Regula sua statuit, ut discipuli sui duodecies quotidie, manè scilicet sexies, & tantundem vespere ac nocte orarent. S. Basilius serm. de Instit. Monach. dicit *statis temporibus præscriptas orationes observari in Conventibus solemne est, & quotidianum*, scilicet horam matutinam, tertiam, sextam, nonam, vesperas, completorium, & mediæ noctis. Horas etiam Canonicas à Monachis suis recitandas ad longum describit S. Benedictus in 86

Regula sua c. 9. 10. & seqq. Quod & cæteri deinde Ordines generaliter observarunt.

86 Religiosas etiam in recitandis Horis exactas fuisse testantur S. Gregorius Nissenus in vita S. Macrinæ, & S. Hieronymus epist. 27. ubi sic: *Manè, horâ tertiâ, sextâ, nonâ, vespere, noctis medio per ordinem psalterium cantabant.* Et epist. ad Demetriadem: *Præter Psalmorum & orationis ordinem, quod tibi horâ tertiâ, sextâ, nonâ, ad vesperum, mediâ nocte, & manè semper est exercendum*, &c. Omitto consonantia testimonia S. Athanasii l. de virginit. S. Ambrosii l. 3. de virgin. S. Augustini in Reg. sumpta ex epist. 109. c. 7. & l. 22. de Civit. Dei c. 8.

87 Nec solùm in Choro, sed & extra illum, divini illius Officii pensum Religiosi persolvere jubebantur, ut videre est in Regula S. Pachomii c. 142. *Etsi in navi fuerit vel in Monasterio, & agro, & in itinere, & in quolibet ministerio, orandi & psallendi tempora non prætermittat.* In Regula etiam S. Basilii c. 107. *Si corporaliter adesse cum cæteris non occurrat ad orationis locum, in quocumque loco inventus fuerit, quod devotionis est expleat.* Et in Reg. S. Benedicti c. 50. *Fratres qui omninò longè sunt in labore, & non possunt occurrere horâ competenti ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit quia ita est, agant ibidem opus Dei, ubi operantur, cum tremore divino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ, sed, ut possunt, agant ibi, & servitutis pensum non negligant reddere.*

88 Ex his ergo dilucidè apparet, divinæ illius servitutis pensum ab iis persolvendum qui specialiter se divino devoverunt obsequio, ab Ecclesiæ initio ad Horas Canonicas determinatum fuisse; non ideò Canonicas dictas, quòd Canone aliquo scripto statutæ fuerint, sed quòd legitimâ consuetudine vim Canonis seu legis habente fuerint introductæ, velut Officium proprium ejusmodi personarum. Unde etiam *Officium divinum* nuncupantur. Enimverò disciplinæ ecclesiasticæ leges initio non fuerunt nisi ejusmodi consuetudines, in omnique statu nascente, primitivæ consuetudines perinde receptæ sunt, velut leges fundamentales, ac si supremorum Principum authoritate solemniter promulgatæ fuissent, uti doctissimus vir Thomassinus demonstrat p. 1. disc. pl. Ecclesiast. l. 1. c. 25. Neque alio modo incœpit obligatio sumendi S. Eucharistiam corpore jejuno. Et idem est de obligatione jejunandi quadraginta diebus ante Pascha; quam observantiam Ecclesiæ consuetudo roboravit, teste Augustino epist. 119. ad Januar. c. 15. Idem quoque de Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum obligatione ab uxoribus sese abstinendi, tradit Concilium Carthag. II. can. 2. Quia (inquit) *sic Apostoli docuerunt, & ipsa servavit Antiquitas.* Istas verò & alias ejusmodi consuetudines vim habere legis scriptæ, nemo unus est qui dubitet: *Consuetudo namque, etiam in civilibus rebus, pro lege suscipitur, ubi deficit lex*, ait Tertullianus de corona militis c. 3.

Idem proinde dicendum de obligatione Cle- 89
ricorum in sacris, Religiosorumque ac Religiosarum ad Chorum deputatorum ad legendas Horas Canonicas, quam ideò dixi credibiliter ab Apostolis traditam esse, sicut de consuetudine non rebaptizandi baptizatos ab hæreticis, S. Augustinus dicit l. 5. de bapt. contra Donast. c. 23. quòd consuetudo illa ab Apostolorum traditione exordium sumpsisse credenda est; *sicut sunt multa quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè credantur, quamquam* scripta non *reperiantur.* Unde epist. 119. c. 18. dicit, quòd *de Hymnis & Psalmis canendis, & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta.*

Nec tamen consuetudo illa vim legis habe- 90
re desineret, etiamsi ab Apostolicâ Traditione non descenderet, nec cum Ecclesia nascente incœpisset. Cùm eo ipso vim legis habeat, quo eam pro lege tenendam Majores censuerunt: *In his* quippe *rebus, de quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, & instituta Majorum pro lege tenenda sunt; & sicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores ecclesiasticarum consuetudinum coërcendi sunt.* Can. *in his* dist. 11.

CAPUT XVII.

Religiosos ad Chorum professos, etiam in sacris non existentes, sicut & Religiosas similiter ad Chorum professas, seclusò speciali Instituto Ordinis sui, vel Apostolicâ dispensatione, sub mortali esse obligatos & obligatas ad Horas Canonicas, etiam extra Chorum recitandas, sententia est adeò certa, ut opinio contraria nullam habeat probabilitatem.

HAnc statuo contra pauculos novatorien- 91
tes, qui contra totam venerandam Antiquitatem, & omnes ferè modernos Scriptores, contrariam nonnullis Monialibus, sicut & junioribus Clericis professis hodie persuadere conantur, pro novitia opinione sua referentes Petrum Marchantium Trib. Sacram. tr. 2. p. 2. tit. 3. sect. 1. q. 1. Martinum de S. Joseph. to. 1. l. 2. de Ordine tr. 1. n. 3. Joannem Jacobi in duobus discursibus Apologeticis hac de re editis. Burghaberum apud ipsum. Quorum opinionem tametsi Bordonus, Antonius de Hinojosa & Cottonus existiment probabilem: mihi certè probabilis non videtur; imò eam temerariam vocat Reginaldus l. 18. prax. pœnit. n. 190. erroneam. Sotus l. 3. de just. q. 5. improbabilem, temerariam, scandalosam. Bertrandus Loth in Casibus Belgicis tr. 23. q. 1. a. 8. eandem omni probabilitate carere dicit. Donatus Laynensis to. 4. tr. 18. q. 9. n. 5. *Ne dicam* (inquit) *quòd sit temeraria contra communem, scandalosa & odiosa salutis*

saluti animarum. Prorsus improbandam dicit Diana p. 11. tr. 1. resol. 52. Denique Magister S. Palatii, de ordine Sanctissimi, in Editione Romana Summæ Emmanuelis Sa, expunxit & abstulit id quod Sa dixerat de probabilitate istius opinionis.

92 Sed fortè placebit hac de re audire doctissimum Thomam Hurtadum Resolut. Moral. l. 6. resol. 6. ubi sic præfatur: „ Eò devenit „ jam novitatum libido, ut nihil ferè sit, quod „ singularis ferus novitas non depascat; & sic „ boni mores, & disciplina ecclesiastica extir„ pentur, & eradicentur, & habenæ liberè la„ xentur, non solùm populis, sed Ecclesiasticis, „ & Regularibus utriusque sexûs. Unde & Re„ ligionis interitus, & tragicus regnorum exi„ tus timeri possit, licentiâ opinandi introductâ, „ ut quisque à jugo legum Ecclesiæ, & Mona„ sticæ Regulæ absolvatur.... Sic pellitur è me„ dio sapientia, ut scripsit Ennius, & omnia no„ vitate gubernantur, quo gubernaculo nihil in„ constantius, nihil quod magis evertat id quod „ rectè dispositum est, atque compositum.

93 Post hanc præfationem, ad rem nostram veniens: „ Eminentissimus (inquit) D. Car„ dinalis Borja, Archiepiscopus Hispalensis, in „ principio sui regiminis, informatus quòd opi„ nio deobligans Moniales ad recitationem Of„ ficii divini extra Chorum invalescebat, & à „ viris quibusdam consiliabatur, & in praxi se„ quebatur, cum non parvo spiritûs detrimen„ to, zelo sancto motus, per suum Provisorem „ casum fecit proponere, & discuti in hoc His„ palensi Litterario Theatro, in quo tunc tempo„ ris erant viri singulari doctrinâ & scientiâ præ„ diti, mandans, ut quod sentirent, subscriptione „ suâ firmarent; quod & fecerunt omnes Ma„ gistri, Lectores, & studiorum Regentes. Censu„ ræ & subscriptiones eorum prælo sunt datæ lin„ guâ Hispanâ, ut Moniales viderent, & agnosce„ rent obligationem suam, & non essent velut „ columbæ seductæ, in re quæ ad ipsarum In„ stitutum ab Ecclesiæ primordiis attinet....

„ Igitur sententiam deobligantem Moniales „ extra Chorum, à penso servitutis suæ, com„ munis sententia gravi censurâ inurit. Censu„ ras jam subjicio, juxta quas nullus cordatus, „ & prudens, timoratæque conscientiæ, pote„ rit contrarium nostræ determinationi consu„ lere.

„ Sapientissimus D. Manuel Sarmiento de Men„ doza, Ecclesiæ Metropolitanæ Hispalensis Do„ ctor Magistralis, satis notus, tum ob excel„ lentissimam nobilitatem sanguinis, tum ob „ singularissimam eruditionem & sapientiam, quâ „ pollebat supra omnes coætaneos suos in uni„ versa Hispania, opinionem Moniales deobli„ gantem censuit non esse probabilem, imò per„ niciosam 21. Julii 1632....

96 Isti censuræ subscripserunt omnes viri docti, & Magistri gravissimi, omnium ferè Conventuum hujus Civitatis. Quos inter erant alii Provinciales, alii Priores, Guardiani, Rectores, alii scriptis & doctrinâ celebres.

Collegium S. Alberti Carmelitarum opinionem illam censuit *improbabilem, temerariam, non securam, parum adificativam, imprudentem.*

Collegium S. Angeli Custodis Carmelitarum Excalceatorum eandem censuit *falsam & improbabilem.* Collegium S. Basilii, *totaliter improbabilem.* Conventus S. Didaci Discalceatorum S. Francisci, *præsumptuosam ac temerariam.* Conventus S. Spiritûs Clericorum Minorum, *improbabilem, & ideò Papæ jussu erasam è libro Emmanuelis Sa.* Conventus Major S. Francisci, *improbabilem, & nullo modo securam.* Conventus S. Francisci de Paula, *improbabilem.* Collegium S. Hermenegildi PP. Jesuitarum, *improbabilem, & à P. Mutio Vitelescbi, Societatis Generali, anno 1625. prohibitam à quocumque de Societate doceri, vel consuli ut probabilem.* Conventus Major Patrum de Mercede, *nec probabilem, nec securam in praxi.* Collegium S. Laureani, ejusdem Instituti, idem censuit. Collegium Montis Sion PP. Prædicatorum, *reprehensibilem, improbabilem, scandalosam.* Conventus Portæ Cæli, *improbabilem, & periculosam.* PP. Augustiniani Discalceati similiter censuerunt. Conventus Major S. Augustini, post longam discussionem, censuit istius opinionis defensores in eam nimis leviter & absque matura deliberatione inclinari, *& adversus sanctam, generalem & unam ex magis momentosis Ecclesiæ consuetudinibus cavillari.* Inter Doctores verò qui isti censuræ subscripserunt, celeberrimum Cyprianum de Pineda censuisse eam *suspectam, novam, scandalosam, reprehensibilem, temerariam, periculosam.* Tres denique celebres Hispaniæ Universitates, Hispalensis, Cæsaraugustana, Conimbricensis, eandem opinionem damnarunt. Hispalensis ut *improbabilem, non securam.* Cæsaraugustana, ut *falsam, temerariam.* Conimbricensis, ut *improbabilem, periculosam, non securam.*

Et reverà quòd Religiosi ad Chorum depu- 97
tati, sicut & Moniales ad Horas etiam extra Chorum recitandas sub gravi peccato teneantur, *tenent omnes*, teste Sylvestro verbo *Horæ Canonicæ* n. 3. q. 2. dict. 6. Quod & testatur Azorius infrà referendus. Idem dicit Peyrinis in Regul. Minim. c. 4. §. 12. q. 1. n. 3. *Est communis* (inquit) *opinio omnium Scholasticorum & Canonistarum.* Ita nominatim S. Antoninus p. 3. tit. 13. §. 1. Henricus Gandavensis quodlib. 29. q. 30. Turrecremata in c. 1. dist. 91. Petrus Paludanus in 4. dist. 15. q. 9. Gabriel Biel ibidem q. 8. a. 2. concluf. 3. Navarrus Manual. c. 25. n. 99. Conradus Respons. ad Cas. Consc. p. 1. q. 240. Soto l. 10. de just. q. 5. a. 3. Barthol. Medina Instr. Confess. c. 14. §. 11. Toletus l. 2. c. 12. Azorius l. 10. Instit. Moral. c. 6. ubi sic: *Constans est omnium opinio, Religiosos.... ad Chorum.... deputatos, debere horarias preces Canonicas recitare, etiamsi ad nullum Ordinem sacrum promoti fuerint. Ita Innocentius, Hostiensis, Joannes Andreas, Abbas, & cæteri in cap. 1. de celebr. Miss. Idem*

juris est de sanctimonialibus feminis, eodem modo professis, &c.

98 Probatur itaque assertio ex legitima consuetudine vim legis habente, non tam ab ipsis Religionibus, quàm ab Ecclesia introducta: utpote quæ, ex communi sensu SS. Patrum, Religiones ad Chorum destinatas, ex sua professione destinatas esse voluit ad orandum, non solùm pro se, sed etiam pro populo, earumque obligationem ad orandum in persona totius populi ad Horarum Canonicarum pensum determinavit, non præcepto scripto, sed Ecclesiasticâ Traditione; de qua satis constat tum ex dictis cap. præcedenti, tum ex communi Majorum omnium sensu, ipsâque (quod ad nos spectat) Regulâ nostrâ cap. 8. sic statuente: *Clerici Horas Canonicas* dicant, *secundùm institutionem sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem*, tam extra quàm intra Chorum procedentem, prout variæ Religiosorum Regulæ demonstrant apud Natalem Alexandrum Theol. Dogmat. & Moral. to. 6. l. 2. c. 8. reg. 5. & 6. Nec investigandus est alius titulus obligationum: quemadmodùm enim sufficienter constat de obligatione Diaconorum & Subdiaconorum, non beneficiatorum, ex Ecclesiæ consuetudine, juxta Ecclesiasticam Traditionem vim legis habente; ita similiter, &c. Quid est enim Traditio Ecclesiastica, nisi doctrina majorum, primorumque Ecclesiæ Prælatorum, vivâ voce accepta, continuâque successione à Patribus ad filios derivata, atque pervetustâ consuetudine (cujus initium & origo nescitur) communique persuasione firmatâ? Atqui doctrina majorum, primorumque Ecclesiæ Prælatorum continuâ successione a Patribus ad filios derivata atque pervetustâ consuetudine, communique persuasione firmata, æquè est pro obligatione dictorum Religiosorum, ac Monialium, quàm pro Subdiaconorum & Diaconorum obligatione ad Horas, etiam extra Chorum recitandas, uti partim ex dictis constat, partim (quoad primos Ecclesiæ Prælatos) ex Gregorio IX. (apud Natalem Alexandrum ubi suprà reg. 5.) de Monachis foras profecturis statuente, ut ipsi *Horas dicant in via*. Nec non ex Constitutione Benedicti XII. ad restaurandam in Ordine S. Benedicti disciplinam regularem edita: *Qui ad Chorum vel Ecclesiam accedere nequiverint... in loco aliquo congruo & honesto, debitis Horis juxta possibilitatem plures simul conveniant, & debitè dicant divinum Officium, & quotidianum pensum exolvant debitæ servitutis.*

99 2°. ex communissimo sensu Religionum omnium profitentium Chorum, ita ut nulla adferri queat, in qua ab antiquissimo tempore non fuerit communissimus iste sensus omnium, vel ferè omnium, doctorum & indoctorum, usque ad novissima hæc tempora. In Ordine certè nostro, sicut & in Ordine S. Basilii, in Ordine S. Benedicti, in Ordine Cistercienſi, &c. cæteris esset scandalo, qui Horas extra Chorum negligere cognoscerentur. Cùmque Caramuel in Theologia Regulari disp. 100. negasset, Cistercienses suos sub mortali ad Horas teneri extra Chorum, ista ipsius doctrina vehementer displicuit pluribus viris, piis & doctis ejusdem Instituti, inquit Gobat de Sacram. tr. 5. n. 569. & ipsemet Caramuel l. 8. Th. Reg. a. 1. fatetur Capitulum generale Congregationis Cistercienſis in Hispania declarasse, suas Moniales & Juniores ad privatam lectionem teneri. Et l. 10. sect. 2. disp. 103. resol. 7. *Intrepidè affirmo* (inquit) *apud Cistercienses esse constantem consuetudinem privatim legendi.* Glossa etiam Constitutionum Ordinis S. Dominici dist. 1. c. 1. sic habet: *Declaramus, quòd sicut Clerici sæculares, qui non sunt in sacris, si sint beneficiati, tenentur & obligantur dicere Officium; ita & quilibet Religiosus, qui ex eleemosynis vivit, & ab Ordine provisionem victûs, & vestitûs habet, tenetur de necessitate salutis Officium dicere.* Cùmque Servatius Lairuelzius in Optica sua dixisset, apud suas Præmonstratenses esse consuetudinem non legendi ante promotionem ad sacros Ordines: jussus est à Superioribus suis hanc opinionem retractare, prout de facto in Catechismo retractasse fatetur Caramuel citatâ disp. 103. a. 2. resol. 8. Denique cùm quidam de Provincia Belgica Ordinis nostri in scriptis seu dictatis suis insinuasset eandem opinionem esse probabilem: Capitulum Provinciale istius Provinciæ, sub pœna depositionis prohibuit eam à Lectoribus doceri. Atqui incredibile est tam communem sensum Religionum omnium, tot viris eximiè doctis abundantium, ex errore vel ignorantia processisse; sicut id incredibile est de communissimo sensu obligationis Diaconorum & Subdiaconorum.

Amadæus quidem Guimenius in fine tract. 100
de Horis Canonicis disparitatem adferre conatur, ex eo quòd aliqui dubitent de obligatione Religiosorum, non Diaconorum & Subdiaconorum. Sed qui dubitant, non loquuntur de Ecclesiæ consuetudine (de qua constat ex traditione Ecclesiastica) sed de consuetudine ab ipsis Religionibus introducta (in qua non fundamus primariam originem dictæ obligationis) prout constat ex rationibus quibus moventur. Nam Arragonius suum dubium fundat in eo quòd consuetudo Religionum procedat ex præcepto Superiorum, quod non obligat sub mortali. Caramuel verò in Reg. S. Benedicti disp. 103. n. 355. cum Villalobos dubium fundat in eo quòd authoritas introducendi consuetudinem, quæ vim habeat legis, non sit in Monialibus, nec in Junioribus ad Chorum professis: *Quis enim* (inquit) *id juris contulit pueris imberbibus, & feminis, à quibus mutuum sumpsit hæc consuetudo?* Argumentum istud efficacissimum vocat Caramuel; quod tamen futile est: quia non sic instituti sunt Religiosi Ordines, ut in illis imberbes juvenes, vel feminæ suas sibi condi-

derint leges, sed eas partim à Fundatoribus suis, partim à Prælatis, partim ab Ecclesia, vel ab Apostolica Sede emanatas acceperunt. Alii denique alia ejusdem farinæ pro ratione dubitandi allegant, quæ non tangunt consuetudinem ex traditione Ecclesiastica derivatam. De qua tam pauci sunt qui dubitant, ut comparativè ad innumerabilium Doctorum exercitum pro nullis habendi sint, nec fundare queant probabile dubium; multò minùs probabilem sententiam contra Doctorum universitatem, communissimumque Ecclesiæ ac Religionum omnium sensum & usum in contrarium; quemadmodùm nec probabile dubium; nec probabilem opinionem fundare queunt Richardus, Gerson, Angelus, qui contra cæteros Doctores omnes à mortali excusant Clericos in sacris, Horas non omittentes ex consuetudine vel contemptu, sed semel & iterùm ex negligentia. Uti nec idem Angelus, Martinus Cromerus, Joannes Ferus, qui censet Ecclesiæ præcepta sub mortali non obligare, secluso contemptu & scandalo.

101 Concludo proinde cum Reginaldo l. 18. prax. pœnit. n. 140. quòd licèt aliqui de asserta consuetudine dubitaverint, tot tamen eam testantur, ut temerarium sit eam ipsam negare. Præsertim cùm iste sit de illa sensus & consensus virorum bonorum, ut Monachos & Moniales contravenientes damnent de peccato; non minùs quàm Diaconos, quos antè diximus obligari tantùm ex consuetudine præscripta.

102 3°. probatur assertio ex eo quòd contraria paucorum opinio singularis sit & nova, uti præmissa satis ostendunt. Quàm periculosæ verò sint opiniones singulares & novæ, in materia morum, contra communissimum sensum Majorum, & Scholarum omnium, ex sacris Litteris, Summorum Pontificum Decretis, SS. Patribus, Sapientibus Gentilitatis, sententiis gravissimis insignium Theologorum & Jurisconsultorum, ac multiplici ratione demonstravi in tomo nostro de Deo uno & trino distinct. 1. q. 1. a. 2.

103 Hæc sufficere debent viris cordatis, iisque satis ostenditur, assertæ obligationi obnoxios remanere ipsos etiam fugitivos è Religione, sicut & juridicè ejectos: tum quia remanent verè Religiosi. Tum quia ex iniquitate sua non debent commodum reportare. Ita Navarrus, Azorius, Rodriguez, Suarez, Layman contra Sanchez.

104 Novitii tamen ad Horas Canonicas non tenentur, nec Laïci professi, nec Clerici ex sua professione Choro non addicti, ut patet in Religiosis Societatis, & Ordinum Militarium. Clericorum verò ad Chorum deputatorum obligatio incipit à die & Hora professionis, ita ut ex tunc ad Horas teneantur respondentes tempori suæ professionis, non ad antecedentes, prout communis habet opinio contra Leandrum disp. 13. de Ord. q. 10. ubi perperàm existimat probabile, eum qui profitetur vel Ordinem sacrum suscipit circa meridiem, eo die penitùs excusari. Contra quem egi ex professo ubi de legibus.

Laïci tamen professi tenentur ad præscrip- 105
tum sibi certum numerum Pater & Ave, juxta Regulam & Constitutiones sui Ordinis. Sed non sub mortali (extra Ordinem Minorum) secundùm Sotum, Bordonum, Lezanam, &c.

CAPUT XVIII.

Nullius omninò momenti sunt argumenta quæ allegantur contra Religiosorum & Monialium obligationem, assertam capite præcedenti.

THomas Hurtadus ubi suprà sic ingemis- 106
cit: *Proh dolor! nihil valet jam Patrum veneranda canities, nihil juvat quòd Antiquitas sic senserit; quam evertere conatur novitas ratiunculis & sermonibus syllogisticis.* Videamus quo successu.

Objiciunt ergo novitii Casuistæ 1°. declarationem Eugenii IV. pro Monialibus S. Claræ, & Leonis X. pro Religiosis tertii Ordinis S. Francisci, transgressionem utique eorum quæ continentur in Regula (inter quæ ponitur obligatio Officii) extra substantialia votorum, & materiam clausuræ, non esse mortalem.

Respondeo nihil inde confici; subauditur enim, vi Regulæ præcisè, prout satis apertè significat Leo X. per hanc, quam addit, limitationem: *nisi humano vel divino jure aliquis aliàs esset obligatus.*

Objiciunt 2°. privilegium, quo idem Eu- 107
genius IV. in Bulla *Regularem* 10. apud Rodriguez, Benedictinis Congregationis Cassinensis concedit, ut eorum professi, nondum in sacris constituti, privatim non teneantur ad Horas.

Respondet nonnullus in eo privilegio, juxta declarationem Gregorii XIV. non communicare Ordines, quorum observantiæ repugnat: quia communicatio est in ædificationem, non in destructionem. Sed non placet responsio, quia non apparet cur privilegium istud magis repugnet observantiæ aliorum Ordinum, quàm Benedictinorum illorum, & cur potiùs foret in destructionem illorum, quàm istorum. Aliter proinde

Respondeo Eugenium IV. hoc ipsis non 108
concedere in illis terminis, sed solùm concedere Superioribus ipsorum facultatem ex justa causa dispensandi cum ipsis, per viam tamen commutationis, non simplicis dispensationis, uti videre est in illa Bulla. Cujusmodi concessio, rem totam relinquens rationabili Superiorum dispositioni, disciplinæ non repugnat Regulari, saltem iis in Religionibus, in quibus dispensatio per Regulam non prohibetur, nec per consuetudinem vim legis habentem. Unde eamdem facultatem Benedictinis Congregationis Montis Oliveti concessit Julius II. Bulla *etsi ad universos* 12. apud Cherubinum. Et Canonicis Regularibus S. Salva-

toris Bulla *inter cæteros* 30. apud eundem. Et Camaldulensibus Leo X. Bulla *etsi à summo* 2. apud eundem. Et Theatinis Clemens VII. Bulla *dudum* 38. apud eundem. In vim cujus privilegii Superiores nostri dispensare possunt cum infirmis in dubio, uti & cum adeò scrupulosis, ut sine extraordinaria capitis vexatione notabili Horas nequeant persolvere. Et quomodò privilegium istud à S. Sede petiissent Superiores, nisi obligationem pro qua decertamus agnovissent? Profectò ubi nulla obligatio, necessaria non est dispensatio. Privilegium proinde istud assertam à nobis obligationem firmat, non infirmat.

109 Objiciunt 3°. Consensus Doctorum pro assertione nostra non facit eam certam : quia non conveniunt in fundamento istius obligationis.

Nego assumptum : quia consensus Doctorum omnium totius Antiquitatis tam Theologorum, quàm Canonistarum, est fundamentum certum ab extrinseco, tametsi non conveniant in fundamento intrinseco istius obligationis, prout à simili ostenditur in exemplo obligationis omnium existentium in sacris ad castitatem, quam consensus Doctorum omnium totius Antiquitatis certam reddit ab extrinseco, etsi aliqui ex ipsis eam fundent in voto implicito ipsorum, alii in Ecclesiæ præcepto, alii in consuetudine. Et idem est de obligatione Subdiaconorum ad Horas, & aliis ejusmodi multis. Unde Soto l. 10. de just. q. 5. a. 3. sic loquitur : *Post hæc autem, quod omnium maximum dubium inserit, est de Religiosis qui nondum majores Ordines susceperunt. Maximum, inquam, dubium, non quòd non sit omnium opinio, ut ait Sylvester loco citato, & Panormitanus, & omnes Jurisconsulti, & D. Antoninus; neque est qui contrarium asserere audeat, neque ego auderem, sed dubium est de jure aut ratione.* Propositis nihilominùs circa hoc difficultatibus sic pergit : *His verò non obstantibus.... haud negandum est, celeberrimam, eandemque laudabilem consuetudinem, uno antiquorum Patrum consensu approbatam, vim habere præcepti.... Et reverà de me, fateor, nescio quid horroris persentiscere, dum mihi cogitatio animum subit negandi tam illustrem consuetudinem vim habere præcepti.*

110 Unanimem verò Majorum hac de re consensum efficere obligationem istam certam, accipe ex Vincentio Lirin. 17. commonit. *Provideat ut inhæreat Antiquitati, quæ prorsus jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci. In ipsa verò Antiquitate, ut collatas inter se Majorum consulat, interrogetque sententias, eorum videlicet qui, diversis licet temporibus & locis, Magistri probabiles extiterunt : quidquid non unus aut duo tantùm, sed omnes pariter uno eodemque consensu apertè tenuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum.* Rationem dat Cassianus de disc. c. 10. *Decipi quippe non potest, qui non suo, sed communi Majorum vivit vel sentit exemplo. Qui secùs faciunt, ultra terminos, quos posuerunt Patres, progredi gestiunt, ac sine duce & præceptore vias vitæ ingredi non formidant, in arte spirituali existentes discipuli pariter & Magistri. Nimirùm ignorant astutias Satanæ & cogitationes ipsius, quibus sit, ut qui spiritu cœperunt, carne consummarentur, abducti turpiter, lapsi damnabiliter,* inquit Bernardus serm... in Cant. Et unde lapsus Abaylardi tot in errores? Ex præsumptione, quâ Doctoribus omnibus præsumpsit contradicere. *Non erubescis dicere* (ait rursum Bernardus epist. 190.) *quòd adversum te omnes sentiant.... Omnium meritò in se provocat manus, cujus manus contra omnes. Quasi novus iste* (uti dixerat epist. 77.) *novarum inventor assertionum, & assertor novitatum, invenire rationem potuerit, quæ Doctores omnes latuerit, sive authoritatem eorumdem authoritate potiorem.*

Objiciunt 4°. Nulla obligatio sub mortali 111 recipienda est, nisi de ea evidenter constet per legem claram, certam, evidentem, prorsus indubitatam, & quæ probabilem non patiatur exceptionem.

Respondeo assumptum istud esse falsissimum, natumque inducere corruptionem & relaxationem ingentem in materia morum, prout demonstravi to. 1. l. 11. agendo de conscientia probabili. Enimverò ut hìc exemplum unum alterumvè proferam, Innocentius XI. damnavit hanc propositionem 45. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut econtrà.* Verùm hæc censura quibusdam non videtur clarè, evidenter & absque omni dubitatione excludere id quod pro spirituali datur non per modum pretii, vel compensationis, sed per modum simplicis gratificationis seu recognitionis. Et hoc pacto pecuniam pro beneficio ecclesiastico dari posse, adhuc post damnationem illam sustinent, & clanculùm fieri posse docent, licèt palàm non audeant. Verùm hujusmodi doctrinam *negotium perambulans in tenebris*, S. Bernardus scitè docet. Vidimus etiam suprà non deesse Doctores, quibus videtur, non esse mortale, Breviarium semel aut iterùm omittere; imò & omittere per annum integrum : quia putant Ecclesiæ præceptum probabiliter sic exponi posse, ut unius anni omissio sit materia levis, respectivè ad omissionem totius vitæ, istamque expositionem probare sibi videntur ex eo quòd odia restringi & favores convenit ampliari. Ergone tutus erit per objicientis principium, qui ista practicaverit?

Objiciunt 5°. Sola Scriptura vel traditio 112 indubitata, vel Ecclesiæ definitio, Conciliorumvè & Canonum interpretatio, vel ratio evidens ex primis principiis deprompta, est medium certificans obligationem sub peccato, peccatique qualitate; non autem consensus,

quàmlibet unanimis, Doctorum veterum ac modernorum.

Respondeo ut antè, principium istud esse natum in rebus ad conscientiam pertinentibus inducere ingentem vitæ christianæ corruptelam. Est ergo indisciplinati in moralibus quærere demonstrationes, & contentum non esse certitudine morali, quæ habetur ex unanimi vel ferè unanimi Doctorum consensu, dum nihil certum profertur in contrarium. Tunc proinde *oportet attendere expertorum & seniorum, & prudentum judicium in indemonstrabilibus enuntiationibus* (ait S. Thomas 2. 2. q. 49. a. 3.) *Unde Eccli. 6. dicitur:* „ In multi-
„ tudine Presbyterorum, id est seniorum & pru-
„ dentium, sta, & sapientiæ illorum conjungere.
113 Instabis: quod clarè prohibitum non est, permissum est.

Nego assumptum, cum Tertulliano l. de corona milit. & in exhort. ad castit. ubi cùm sibi objecisset, quod non prohibetur ultrò permissum est. *Immò* (inquit) *prohibetur quod non ultrò permissum est.* In dubio namque de prohibitione tutior via eligenda est, juxta Scripturam, Canones & Patres.

114 Objiciunt 6°. nulla consuetudo sub mortali obligat, nisi certò constet eam introductam, vel receptam fuisse sub tali peccato; in dubio namque, an sub obligatione, an ex devotione fuerit introducta vel recepta, concludendum quòd non sub obligatione. Quia *in obscuris minimum est sequendum. In pœnis benignior est interpretatio facienda.*

Respondeo ad hoc ut consuetudo obliget sub mortali, necessariam non esse certitudinem evidentem, quòd sub mortali introducta sit vel recepta, sed de eo moralem sufficere certitudinem, imò & rationabile dubium. Quia in dubio (prout sæpè dixi cum Spiritu sancto in S. Scriptura, & cum Summis Pontificibus & Patribus in sacris Canonibus) via tutior est sequenda. Porrò de consuetudine obligante Clericos professos, & Moniales, ad Horas Canonicas, moralis non deest certitudo, ex unanimi consensu Doctorum veterum & modernorum: utpote ex quo moralis habetur demonstratio, etsi non Physica nec Metaphysica. Quia unanimis sapientum consensus pro morali demonstratione habetur, secundùm Philosophum. Unde S. Prosper, vel Julianus Pomerius l. 1. de vocat. Gent. *Magna* (inquit) *fortitudo consensionis, cui ad sequendam veritatem authoritas sufficit, etiam latente ratione.* Et Vincentius Lirinensis commonit. c. 25. quòd *si tale aliquid emergat, ubi nihil hujusmodi reperiatur* (nulla scilicet Ecclesiæ decreta) *operam dabit, ut collatas inter se Majorum consulat, interrogetque sententias, eorum... qui.... Magistri probabiles extiterunt, & quidquid* non unus aut duo tantùm, sed *omnes pariter uno, eodemque consensu apertè, frequenter, perseveranter tenuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum.* Et sic sapiunt, qui ex Deo sapiunt, juxta illud Bernardi serm. 1. de Natali Domini: *Hæc est sapientia, quæ ex Deo est, non abundans suo sensu, sed alieno magis acquiescens consilio, vel judicio.* Regulæ verò illæ *in obscuris*, &c. *in pœnis*, &c. non habent locum in dubiis, in quibus de conscientia & salute agitur. Aliàs corrueret Canonica Regula; *in dubiis tutior pars est sequenda*, ut benè Vasquez observavit 1. 2. disp. 55. n. 12. nec certè secundùm duas illas regulas SS. Pontifices dubia conscientiæ & salutis unquam resolverunt in sacris Canonibus; uti nec Majores nostri in resolvendis conscientiæ casibus, sed, ut Dionysius Carthusianus in 2. sent. dist. 22. post Alensem ait, *qui dubitat de aliquo an sit simonia, an non, eò quòd quidam Juriſperiti dicunt hoc esse simoniam, & quidam non, talis abstinere debet à tali negotio, seu contractu, ne discrimini se committat.* Ita etiam Guilielmus Altisiodorensis l. 2. tr. 29. q. 3. Scotus q. 2. in Prologo lib. Sentent. Gerson in Reg. Moral. Nyder l. de præcept. Decalogi præcepto 1. Adrianus VI. tr. de restit. §. *mihi videtur.* Rosemondus in Confession. c. 8. tit. 3. Navarrus in cap. *siquis autem* de pœnit. dist. 7. n. 101. Sed hac de re satis ubi de conscient. dub.

Videant proinde pauci illi Noviores, qui 115
novitiam suam opinionem junioribus Clericis & Monialibus ad Chorum professis, sicut & Canonissis infrà memorandis, velut securam, clam insusurrare conantur, ne dum peccatis communicant alienis, adversaria saluti ipsorum sit confidentia illa, quæ periculis animas exponit.

Videant ne sint de numero eorum, de qui- 116
bus S. Thomas à Villanova serm. in fer. 6. hebdom. 4. Quadrag. dicit, quòd *animas mortuas & securas à suis pedibus mittunt, tantò miseriores, quantò securiores.* Videant ne promittant pacem, quibus non est pax, & securitatem ubi nulla securitas. Quid proderit securitas quam pollicentur, si pater-familias non acceptet?

Videant denique Moniales, quæ tales Di- 117
rectores audiunt, ne sint veluti columbæ seductæ, in re, quæ ad ipsarum Institutum ab Ecclesiæ primordiis attinet. Legitur apud Cantipratanum in vita S. Ludgardis c. 10. apud Surium to. 3. quòd sancta illa Virgo Sorores valetudinarias, in infirmaria manentes, sæpiùs corripuerit quòd attentè non recitarent *preces Canonicas, divinitùs institutas* (nota expressionem istam) cùmque nullam in ipsis animadverteret emendationem, spiritu prophetico, semianno ante obitum suum, dixerit: *Scio quòd post obitum meum pro peccato isto Deus ultionem accipiet de Sororibus meis, & tunc monitionis meæ memores, cum humilitate magna corrigent sese.* Prophetiæ veritatem probavit eventus. Quippe paulò post obitum ipsius, pestis violenta Monasterium invadens, brevi spatio quatuordecim Moniales absumpsit. Unde territæ Moniales, in infirmaria degentes, emendaverunt sese, & tunc contagiosa lues statim cessavit.

CAPUT XIX.

Virgines Collegiales, quæ in Belgio & Germania Canonissæ vocantur, ad Horarum Canonicarum recitationem extra Chorum, sub mortali tenentur, dum eas à Choro abesse contingit.

118 ITa (contra Lessium in consiliis verbo *Horæ Canonicæ* casu 14. & Neusserum d. 14. n. 19.) docent Malderus in 2. 2. tr. 10. c. 2. dub. 3. Wiggers tr. 8. de Relig. c. 2. dub. 11. n. 54. Bertrandus Loth ubi suprà, Leonardus Van-Roy Th. Mor. to. 2. tr. de Relig. c. 2. q. 6. Et ita communis sensus (inquit Wiggers) tum apud ipsas, tum apud alios, & consuetudo jam dudum obtinuerunt, ut mirum videri possit, imò temerarium, quòd nunc aliqui contrarium dicantur eis suggerere, & ampliorem sic otiandi, aut sæcularibus rebus vacandi, eis occasionem suppeditare.

119 Ratio verò assertionis petitur ex eo quòd ratione præbendæ, seu fructuum, quos ex bonis ecclesiasticis percipiunt instar Canonicorum, vel Monialium, divino Servitio & Choro sint mancipatæ; adeòque instar Canonicorum teneantur Horas Canonicas privatim recitare, dum contingit eas à Choro abesse. Præbendæ quippe ipsarum vel sunt beneficia ecclesiastica, sicut præbendæ Canonicorum (siquidem in jure Canonico hæc obventionum Ecclesiæ portio, quæ pro servitio datur, vocatur *beneficium ecclesiasticum*: quia à benefactis hominum tempore nascentis Ecclesiæ processit, & quia benefit illi, cui collatum est; inquit Rebuffus de benef. c. 1. n. 8. quamvis non dicatur beneficium ecclesiasticum ante Episcopi approbationem) vel quasi beneficia ecclesiastica, in quantum non dantur nisi personis quodammodo Ecclesiasticis, pro divino officio persolvendo. Canonissæ verò illæ non sunt Laïcæ, sed quodammodo Ecclesiasticæ, sive ad Clerum sæcularem quodammodo pertinentes, prout fusè ostendit Bertrandus Loth; vivunt enim in communi Collegio; suam habent Ecclesiam, in qua psallunt; eligunt Abbatissam, à qua ad instar Clericorum corriguntur, etiam usque ad suspensionem ab officio & beneficio, ut constat ex cap. *dilecta* de major. & obed. unde & ante ipsam, in processionibus, Abbatiale pedum ecclesiasticæ potestatis insigne præfertur, & in Synodis Diœcesanis per Deputatos suos interveniunt, prout ex earum documentis & decretis impressis constat. Cùm igitur titulo sacro, divinis officiis eas mancipante, fructus præbendæ recipiant sicut Canonici, ad divinum officium in Choro, & extra, tenentur sicut Canonici. Maximè cùm id uberiùs demonstrent communis sensus, & immemorialis consuetudo, & ipsarum Collegia olim ex primæva fundatione sua utplurimùm fuerint Monialium Benedictinarum Monasteria, uti constat ex Historia, necnon ex Concilio Remensi sub Eugenio III. necnon ex Concilio Aquisgranensi c. 18. Moguntino I. sub Rabano anno 847. can. 16. & Cabilonensi sub Carolo Magno c. 53. Dignum verò & justum est, ut quarum occupant bona & loca, earum impleant onera, quorum principale est divini officii pensum. Meritò proinde illustrissima Antistita cujusdam Collegii Canonissarum sedulò eas monebat, fore ut delinquerent mortaliter, si Breviarium omitterent. Sic testatur Gobat Th. experiment. de Sacram. tr. 5. casu 23. n. 634.

CAPUT XX.

Declaratur qualitas & quantitas obligationis ad Horas, ratione beneficii, Ordinis, vel religiosæ professionis.

DIcendum 1°. eum qui ad Horas obligatur ratione beneficii, simul & ordinis, vel religiosæ professionis, ad eas ex justitia teneri ratione beneficii; ex sola verò religione ratione ordinis, vel religiosæ professionis. Ita Suarez, Bonacina, Lessius, Bassæus, Layman, &c. contra Henriquez, Homo-Bonum, & alios, quos refert sequiturque Diana p. 2. tr. de Horis resol. 22. aientes, obligationem ex titulo beneficii non esse justitiæ, sed religionis dumtaxat. 120

Probatur tamen esse justitiæ (adeòque beneficiarium debere in confessione aperire titulos suæ obligationis, si omittat: quia duplex committit peccatum, contra justitiam scilicet & religionem) 1°. à posteriori, ex eo quòd istius obligationis violatio obliget ad restitutionem. 2°. à priori, quia ex implicito provenit contractu oneroso, inter Ecclesiam & Beneficiatum, *do ut facias*; Ecclesia quippe non intendit dare beneficium, nisi propter officium, sive cum onere illius; quod onus eo ipso acceptatur, quo beneficium. Aliàs nulliter acciperetur, cùm Ecclesia aliter non intendat ipsi dare. 121

Dicendum 2°. obligationem ratione beneficii, ordinis, vel religiosæ professionis, secundùm omnes esse sub mortali; adeòque peccare mortaliter eum qui Horas omittit ex toto, vel in parte notabili, quæ secundùm multos est dimidia pars Horæ, etiam parvæ, v. g. Tertiæ; secundùm Sylvium, duo vel tres Psalmi; secundùm Lessium, Bonacinam, & alios communiùs, unam Horam parvam, vel partem majoris ei æquivalentem, v. g. unum Nocturnum Matutinarum. Olim namque Clerici ad singulas Horas convenire tenebantur sub pœna depositionis à Clero, uti colligitur ex can. ult. distinct. 92. 122

Opinionem verò Marchini, & Martini de San Joseph, aientium omissionem integræ Horæ parvæ non esse mortale peccatum, eò quòd ubi totum est magnum, materia non excedens duodecimam partem illius, levis censeatur (quod & Caramuel Th. fundament. fundam. 123

25. censet de omissione partis minoris octava totius divini Officii parte) Doctores passim rejiciunt ut nimis laxam, improbabilemque, signanter sapientissimus noster Lezana consulto 48. n. 85. & Diana p. 11. tr. 1. resol. 25. quia levi cum fundamento torrenti contradicit Doctorum; cùm materia, sive minor octavâ parte, sive non excedens duodecimam totius Officii partem, esse possit, communique prudentum judicio de facto esse censeatur absolutè magna, licèt respectivè levis; nimisque (adeò nihil) probet illa Marchini & Caramuelis regula: utpote ex qua consequens foret, quòd ille qui Belgium totum Regi furaretur Hispaniarum, mortale peccatum non committeret: quia totum Belgium minus est octavâ parte, nec excedit duodecimam partem totalis dominationis Regis Hispaniarum. Immeritò ergo Caramuel, Escobar & Marchantius probabilem reputant illam Marchini opinionem; quam ex operibus ipsius à S. Congregatione Indicis deletam esse, testatur Diana loco citato.

CAPUT XXI.

Mortale peccatum est, loco Officii diei, assumere aliud notabiliter brevius, vel notabiliter differens ab illo.

124 ID facere sine justa causa, solùm esse veniale, docuerunt aliqui apud Dianam p. 2. tr. 12. resol. 3. Imò Leander apud eundem p. 10. tr. 1. resol. 16. & Caramuel in Theol. fundam. Edit. Francofurt. n. 1100. & seqq. ausi sunt docere, Sacerdotem quolibet die recitantem Officium Dominicæ Resurrectionis, pro qualicumque alio per annum incidente, quàmlibet prolixo, peccare tantùm venialiter. Sed hoc Alexander VII. damnavit, dum istam 34. damnavit: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.* Fundamentum dictorum Authorum fuit, quòd substantia præcepti de Officio recitando sit tantùm de septem Horis Canonicis recitandis: quòd autem Officium sit tale vel tale, v. g. de feria, vel de festo, &c. spectare ad accidentalem ritum, cujus mutatio solùm involvat culpam venialem, si fiat sine causa.

125 Sed contra ipsos probatur assertio nostra, quam tradunt S. Thomas quodlib. 3. q. 13. a. 2. S. Antoninus p. 2. tit. 9. c. 12. Bellarminus, Ledesma, Suarez, Vasquez, Reginaldus, Bonartius, & Doctores communiter. 1°. quia Ecclesia non solùm præcipit Officium Canonicum, seu septem Horas Canonicas indeterminatè recitari; verùm etiam præcipit quotidie recitari tale Officium, quale pro quolibet die præscribitur in Breviario, quo legitimè utitur Ecclesia, ad quam quisque spectat, constans utique his determinatis Psalmis, lectionibus, responsoriis, &c. prout habetur can. 13. & 14. dist. 12. Si ergo non istud, sed aliud Officium pro libitu recitetur, substantia præcepti Ecclesiæ non servatur. Aliàs eam servaret, qui in dies legeret Officium Paschale, vel primum nocturnum de beata, secundum de S. Joanne, tertium de S. Theresia, laudes de Dominica, primam de feria, &c.

2°. quidquid sit, an id quod de Officio 126
præcepto omittitur, ad ipsius essentiam pertineat, vel non, si tamen sit notabile quidpiam, omissio illius est omissio rei notabilis, adeòque mortale peccatum, ut constat ex omissione mixtionis aquæ in sacrificio Missæ, & omissione partis Missæ à principio ad Evangelium inclusivè, quæ non sunt aliter de essentia sacrificii Missæ, nec aliter de substantia, quàm qualitas & quantitas Officii præscripti de substantia illius.

3°. qui omittit unum, vel duos noctur- 127
nos matutinarum, vel etiam laudes, recitat equidem septem Horas Canonicas; sed quia omittit notabilem quantitatem Officii præcepti, sine dubio mortaliter peccat.

4°. Ecclesia non solùm præcipit substan- 128
tiam Officii, consistentem in septem Horis, verùm etiam qualitatem & quantitatem ipsius. Igitur in qualitate vel quantitate, vel in utroque pro libitu notabiliter deficiens, transgreditur Ecclesiæ præceptum in re gravi, adeòque mortaliter peccat. Antecedens constat ex can. 15. de consecrat. dist. 5. ubi Gregorius VII. in generali Synodo residens, *in die* (inquit) *Resurrectionis usque ad sabbathum in albis, & in die Pentecostes usque in sabbathum ejusdem, tres Psalmos tantùm ad nocturnos, tresque lectiones antiquo more cantamus, & legimus. Omnibus diebus aliis per totum annum, si festivitas est, novem Psalmos, & novem lectiones dicimus. Aliis verò diebus duodecim Psalmos, & tres lectiones recitamus. In Dominicis diebus octodecim* (excepto die Paschæ & Pentecostes) *& novem lectiones dicimus. Illi autem qui in quotidianis diebus tres tantummodò Psalmos, & tres lectiones celebrare volunt, non ex Regula sanctorum Patrum, sed ex fastidio & negligentia probantur hoc facere.... Nos autem.... imitantes antiquos Patres, statuimus fieri, sicut superiùs prænotavimus.* Fallunter ergo qui dicunt, Gregorium VII. ibi non abrogare abusum eorum, qui in quotidianis diebus tres tantùm Psalmos legere volebant, cùm eo ipso eum abroget, quo declarat esse contra Regulam sanctorum Patrum, quam statuit esse servandam, modo ibi prænotato. Alexander quoque VII. eundem abusum abrogat, dum damnat propositionem dicentem sic satisfieri Ecclesiæ præcepto.

Objicies 1°. legere unam Missam pro alia, 129
non est peccatum. Ergo nec legere unum Officium pro alio.

Nego consequentiam: quia non est talis obligatio legendi Missam, sicuti legendi Horas: cùm Ecclesia, sicut sæpè liberum relinquit, legere vel non legere Missam; ita & hanc vel illam Missam pro devotione legere, uti docet piorum consuetudo, quæ non est pro Of-

ficio. Videri potest Diana p. 11. tr. 1. resol. 10.

130 Objicies 2°. qualitas vel quantitas Officii non magis est de substantia ipsius, quàm quantitas vel qualitas Missæ. Sed in die Palmarum audiens Missam de Requiem, vel de Resurrectione, æquè satisfacit præcepto de audienda Missa, quàm audiens Missam de illa Dominica. Ergo similiter, &c.

Respondeo negando antecedens, & consequentiam à Missa ad Officium: quia Ecclesia præcipit audiri Missam præcisè, non autem recitari Officium præcisè, sed recitari illud, quoad qualitatem & quantitatem, quantum & quale pro quolibet die præscribitur in Breviario. Unde nullus unquam dubitavit satisfieri Ecclesiæ præcepto, de Missa audienda, in casu de quo in objectione; secùs in casu quo quis Officium de Resurrectione die Palmarum recitaret, ut patet ex Decreto Alexandri VII. Nec quoad hoc operosiùs est disputandum, utrùm qualitas & quantitas Officii pertineat ad substantiam ipsius, quia non sola violatio præcepti quoad substantiam Officii est mortalis, sed etiam quoad qualitatem & quantitatem, quando recitatur Officium notabiliter brevius, vel notabiliter difforme.

131 Dico *notabiliter brevius, vel notabiliter difforme*, quia ubi non est nisi levis difformitas, nec nisi levis diminutio quantitatis, mutatio non videtur esse nisi venialis, uti docent Bonartius, Layman, & DD. communiùs, ob materiæ parvitatem. Levis enim mutatio, etiam substantialis, non videtur esse mortale peccatum, magis quàm levis omissio substantialis, ut patet in omissione Vesperarum sabbathi sancti, quam Bonæ-Spei (nobis hoc in puncto contrarius) n. 49. fatetur esse venialem.

132 Unde subrogatio unius Officii pro alio non videtur semper esse mortale peccatum: quamvis enim Officium subrogatum juxta declarationem Pii V. sit cassatum, annullatum & proscriptum quoad effectum plenè ac sine ullo peccato satisfaciendi præcepto; non tamen usquequaque, sive quoad omnem effectum. Aliàs qui illud ex inculpato errore recitasset, non magis satisfecisset, quàm si ex inculpato errore Rosarium loco Officii dixisset. Quod Doctores non admittunt; imò communiter docent, eum qui per inculpatum errorem, vel inadvertentiam, unum Officium pro alio bonâ fide recitavit, deprehenso errore, debere partem illam repetere; imò secundùm aliquos posse inchoatum Officium perficere; licèt probabiliùs existimem (cum Cardinale de Lugo) post absolutam horam, in quo deprehensus est error, residuum extius diei Officio posse & debere recitare, ex benigna interpretatione mentis Ecclesiæ.

133 Addit Card. de Lugo, eum qui hodie per inculpatum errorem recitavit Officium de Sancto, quod sequenti dumtaxat die erat recitandum, debere sequenti adhuc die illud recitare, ne bis erret. Neque enim primus error dat ipsi jus invertendi ordinem Officiorum Breviarii.

An autem Officium de Sancto, heri non re- 134
citatum, proximâ die non impeditâ oporteat recitare? Affirmant aliqui. Sed probabiliùs negare videntur alii, quia Officia, sicut jejunia, diebus suis alligata sunt, à qua obligatione Rubricæ solum excipiunt casum, quo dies illi impediuntur altiori festo, vel solemnitate. Aliàs qui diù fuisset ægrotus, recuperatâ sanitate posset totum plenè rubricarum seu Breviarii ordinem invertere, omissaque Officia resumere, non sine magna difformitate cum Ecclesia sua, cui se debet juxta Canones conformare.

CAPUT XXII.

Non est liberum, quodvis assumere Breviarium, sed Officium legendum ex Breviario ab Ecclesia, vel consuetudine loci præscripto.

JUxta Bullam Pii V. præfixam Breviario Ro- 135
mano, confirmatamque à Clemente VIII. & Urbano VIII. omnes Breviario astricti pensum suum persolvere debent, juxta formulam Breviarii Romani; aliàs officio non satisfacturi, *exceptis Capitulis, & Monasteriis, qua à ducentis annis fuerunt usa alio.*

Sed quæritur 1°. an illi qui in sua Eccle- 136
sia, vel Religione, particulari utuntur Breviario, ducentis annis ante Bullam Pii V. usitato, possint privatum Officium recitare ex Romano? Affirmant Sa, Lessius, Sanchez, Bonacina, Diana, Gobat, &c. Sed (secluso in contrarium privilegio) meliùs id negant Suarez, de orat. l. 4. c. 23. n. 6. Bonæ-Spei hîc tr. 2. disp. 2. n. 145. & alii. Quia sic declaravit S. Congregatio apud Garciam de beneficiis p. 3. c. 1. n. 155. De hoc namque consulta, censuit, *habentes Breviarium ante ducentos annos institutum, non satisfacere recitando, etiam extra Chorum, juxta formam Breviarii novi Pii V. si hoc in sua Ecclesia non fuit receptum de consensu Episcopi & Capituli.* Idipsum pro nobis Carmelitis declaravit Gregorius XIII. in Bulla Breviario nostro præfixa, in qua mandat universis & singulis Ordinis prædicti Professoribus, Novitiis, & personis utriusque sexûs, ut hoc solo Breviario, in quaque Provincia, Congregatione & Domo, tam in Choro, quàm extra illum, in matutinis & aliis horis recitandis utantur. Et alioqui frustrà esset privilegium relatum à Diana p. 11. tr. 1. resol. 8. quo Innocentius IV. Bulla *Pio vestro* 12. apud Rodericum concessit Minoritis, & consequenter aliis communicantibus, quòd siquando ratione itineris, vel alterius rationabilis causæ, extra Conventus suos divinum Officium recitaverint Fratres cum Fratribus, vel cum aliis Regularibus, vel Sæcularibus, vel quilibet separatim, id facere possint, alio quàm Romano ordine, secundùm quodcumque Breviarium placuerit. Quod privilegium à Pio V. revocatum non esse dicitur in Compendio privilegiorum, ver-

bo

bo *officium divinum* §. 4. Per consequens revocata non est concessio iisdem facta à Gregorio IX. Bullâ *Pio vestro* 96. apud Wadingum to. 1. & ab Alexandro IV. Bullâ *Ordinem* 66. apud eundem to. 2. ut dum Officium cum aliis recitant aliorum more, tunc illud eis sufficiat, & ad dicendum proprium minimè teneantur. Quod etiam Innocentius IV. concessit Eremitis S. Augustini Bullâ *Pio vestro* 9. in Bullario ipsorum.

137 Dicit quidem Lessius, secluso ejusmodi privilegio, consuetudinem jam obtinuisse, ut qui sua in Ecclesia particulari utuntur Breviario, privatim possint officium recitare ex Romano, idque rationabile esse, quia non est cur potiùs conformare se debeant Ecclesiæ suæ particulari, quàm Romanæ omnium Matri.

Sed ipse non probat consuetudinem illam, si revera sit, esse legitimam, seu legitimum usum, non abusum aliquorum particularium, quos non excusat ratio Lessiana: quia Ecclesia Romana sic est omnium aliarum Magistra, ut aliarum Ecclesiarum Religionumque leges particulares non abroget, sed observari velit, prout ex dictis constat.

138 Quæritur 2°. quid de iis qui beneficium habent in una Ecclesia, sed residen in alia? Respondeo cum Palao, mihi videri, quòd utrilibet possint se conformare. Si tamen resideant in loco beneficii sui, debent se conformare Ecclesiæ suæ, uti docet S. Thomas quodlib. 1. a. 13. Quod etiam procedit in Episcopo Regulari, qui Officium recitare debet juxta ritum Diœcesis suæ, non Religionis, uti S. Congregatio declaravit 11. Junii 1605. Ille verò qui nec beneficium ullum habet, nec ulli particulari Ecclesiæ adstrictus est, nec Religioni particulare Breviarium habenti ante ducentos annos ut suprà, Breviario Romano uti tenetur, nec alio potest uti, v. g. Carmelitano, ut constat ex Bulla Pii V.

CAPUT XXIII.

Tempus & modus quo recitandum est Officium.

139 COnsultò quidem suis temporibus & intervallis Horæ (inde dictæ Horæ) tam in Choro, quàm extra recitarentur, Matutinæ scilicet mediâ nocte, vel sub crepusculum diei; Prima inter ortum solis & nonam matutinam; Tertia inter nonam & meridiem, Sexta meridie vel circa; Nona circa tertiam vespertinam; Vesperæ circa solis occasum; Completorium occidente jam sole, uti tradunt D. Basilius in regulis fusiùs dispuratis p. 37. & D. Benedictus in Reg. c. 16. Usu tamen receptum est, quòd Matutinum & Laudes pridie legi possint, ab hora quarta pomeridiana, uti Doctores communiter tradunt; à tertia, juxta Barbosam, Garciam, Henriquez, Sanchez, & (cum aliis) Dianam p. 10. tr. 16. resol. 47. Qui addit legi posse etiam horâ secundâ; sed hoc postremum ab aliis passim rejicitur.

Usus pariter obtinuit, quòd Horæ parvæ 140
quâvis ferè horâ ante meridiem privatim recitari queant; Vesperæ post meridiem; Completorium circa quartam vel quintam vespertinam. Peccare saltem venialiter qui absque rationabili causa Vesperas manè recitat, communis est omnium sensus, cui Dicastillo de Euch. tr. 4. d. 10. n. 160. singulariter contradicit. Et idem est de eo qui Horas omnes pro solo libitu solùm vespere recitat, quem grande veniale committere, communis est DD. sensus, teste Dianâ p. 11. tr. 1. resol. 9.

Ex justa tamen causa (v. g. itineris vel fu- 141
turarum legitimarum occupationum constituto tempore Officium recitari ægrè permittentium) licitum esse Horas omnes, etiam Vesperas & Completorium, manè recitare, Doctores multi censent apud Dianam ibidem. An verè? incertum est. Saltem ex Apostolico privilegio (in quo Religiosi Mendicantes communicant) Gobat n. 681. ait PP. Societatis, ratione itineris, aut alterius occupationis, quando creditur, quòd cum majori devotione dicetur totum Officium, posse illud recitare manè totum usque ad Completorium.

Cæterùm non videtur probandum, quod 142
Sanchez to. 2. Opusc. l. 7. cap. 2. dub. 37. Scholasticis permittit, Horas in tempus differre vespertinum, eò quòd tempus matutinum aptius sit studio: quia ab Jove debet esse principium, inordinatumque est tempus aptius dare studio, minùs aptum Deo, cui optima quæque tribuenda sunt.

Multò minùs probandum, quod Leander 143
disp. 13. de Ordine q. 25. & apud ipsum Basilius Legionensis, Franciscus à S. Juliano, & Ludovicus à Conceptione docent, recitandi præceptum adimplere eum qui incipit hodiernum Officium recitare paulò ante mediam noctem diei sequentis, si ipsum absque interruptione prosequatur post mediam noctem, licèt notabilem ipsius partem solùm post illam recitet. Id ne ipse quidem Gobat (licèt alioqui Probabilista indulgentissimus) practicè probabile censet: quia ex totius Ecclesiæ consuetudine, communique sensu & traditione Majorum omnium, imò & omnium Modernorum (pauculis illis exceptis) totum hujus diei Officium sub mortali absolvendum est ante finem hujus diei mathematicè sumptum. Quamvis enim Ecclesia permittat Matutinum cum Laudibus sequentis diei hodie de sero recitare; hoc ideò est, quia licèt quantùm ad contractus, & alia hujusmodi, dies incipiat à media nocte; tamen quantùm ad Ecclesiasticum Officium, & solemnitatum celebritates incipit dies à Vesperis. Unde si aliquis, post dictas Vesperas & Completorium, dicat Matutinas, *jam hoc pertinet ad diem sequentem*, ait S. Thomas quodlib. 5. ad 1. sed quantùm ad Officium, dies hodierna mathematicè & moraliter finitur mediâ nocte sequente. Et ideò recitans notabilem Officii hodierni partem post mediam noctem sequentem, non magis satis-

facit præcepto quoad illam partem, quàm satisfaceret quoad totum, si totum post mediam noctem recitaret. Neque enim Ecclesiæ consuetudo, vel Majorum traditio magis permittit unum, quàm alterum; neque permittit partem die sequenti recitare, sicut partem sero diei præcedentis recitare permittit. Nec ullius omninò momenti sunt argumenta Leandri in contrarium: siquidem omnia alliduntur ad petram allegatæ consuetudinis, traditionisque, quæ est optima certissimaque hujusce obligationis interpres, satis demonstrans aliter philosophandum in casu præsenti, quàm in aliis, ex quibus Leander arguere prætendit à pari.

144 Hinc consequenter dicendum existimo, Matutinum cum Laudibus esse legendum antequam Sacrum legatur, nisi causa rationabilis excusset. Quia sic etiam docet Majorum traditio, & Ecclesiæ consuetudo. Cujus quidem consuetudinis testes sunt S. Antoninus proximè referendus. Jacobus Bajus Institut. Relig. Christ. l. 4. c. 13. Natalis Alexander Th. Mor. & Dogm. to. 3. l. 2. c. 7. a. 4. ubi sic: *Missam celebrare non licet, nisi Matutino saltem cum Laudibus absoluto, secundùm Rubricas Missalis, & Ecclesiæ consuetudinem, quæ vim legis habet, ut constat ex cap. in his dist. 11.* Neque sunt audiendi, qui aiunt, consuetudinem illam vim legis perfectæ non habere. Contrarium enim probatur 1°. ex communi traditione Majorum: siquidem teste Azor. p. 1. l. 10. c. 8. omnes ad unum veteres Theologi ac Canonistæ peccare aiunt eum, qui absque rationabili causa Sacrificium celebrat ante Matutini recitationem. Ita nominatim S. Antoninus 3. p. tit. 3. c. 4. §. 4. Gabriel super can. Missæ lect. 13. Durandus, Angelus, Sylvester, Navarrus, Bellarminus, Binsfeldius, &c.

145 2°. ex responso Innocentii IV. ad articulos quosdam, circa quos ortam fuisse controversiam inter Archiepiscopum Nicosiensem, Suffraganeosque Latinos ipsius ex una parte, necnon Episcopos Græcos Regni Cypri ex altera, sanctæ Sedi retulerat Otto Cardinalis, Episcopus Tusculanus. Ad undecimum namque articulum Pontifex epist. 10. ad eundem Cardinalem sic pronuntiat: *Sacerdotes dicant Horas Canonicas more suo; sed Missam celebrare, priusquàm Officium matutinale compleverint, non præsumant.* Censuit ergo laudatam consuetudinem habere vim legis.

146 Probatur 3°. quia idipsum apertè insinuat Julius III. dum in Bulla *sacræ* (quæ habetur in Litteris Apostolicis Societatis pag. 73.) sic loquitur: *Facultatem anteponendi & postponendi Officium divinum, aliàs vobis concessam, ad hoc ut tu, & pro tempore existentes Religiosi Societatis, ex legitimis & justis causis (in quo tuam & successorum tuorum..... conscientiam oneramus) Officium ipsum celebrationi Missæ liberè & absque conscientiæ scrupulo postponere possitis, authoritate & tenore prædictis extendimus & ampliamus.* Si enim consuetudinem antedictam obligatoriam non censuisset, conscientiam Sociorum circa legitimitatem causæ ad postpositionem illam requisitæ non onerasset.

4°. quia in rubricis Missalis, tam Romani, quàm nostri §. *de defectibus in ministerio Missæ*, inter defectus illos ponitur quòd celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit. Quod inter defectus illos non poneretur, si nulla foret obligatio dicendi Matutinum cum Laudibus, ante Missæ celebrationem. 147

5°. quia illam Ecclesiæ consuetudinem, habere vim legis, manifestè supponunt variarum Diœceseon Synodi, Nemausensis, Lingonensis, Senonensis, Parisiensis, & Statuta Siffridi Archiepiscopi Parisiensis, dum in vim illius vel statuunt ut sequitur, vel puniunt Sacerdotes contrafacientes. Liber namque Synodalis Ecclesiæ Nemausensis, editus à Bertrando Nemausensi Episcopo, anno circiter 1284. tit. de celebrat. Miss. sic habet: *Quia inter divina Officia, Missarum solemnitates, propter excellentiam & reverentiam Corporis & Sanguinis Jesu Christi, cum omni humilitate & devotione sunt ab universis Presbyteris celebrandæ; prohibemus sub pœna suspensionis, nequis Sacerdos Missam cantare præsumat, nisi priùs plenè expleverit Officium matutinum.* 148

Synodus Lingonensis anni 1304. *Sacerdotes volentes celebrare Missam, non præsumant celebrare nisi..... Matutinas atque Primam priùs pro ipso die dixerint.*

Laudatus Siffridus in Statutis: *Statuimus, sub pœna excommunicationis, ne aliquis Sacerdos Missam celebrare audeat, nisi priùs dixerit Matutinas & Primam de die.* Synodus Senonensis anni 1524. *Nullus Sacerdos celebret, nisi..... Horas Canonicas..... usque ad Tertiam exclusivè dixerit.*

Synodus Parisiensis anni 1557. *Sacerdotes celebrare caveant, nisi... Horis.... priùs absolutis, saltem ad Tertiam usque.*

Nec obstat argumentum quorumdam noviorum Casuistarum in contrarium, quòd utique inter Matutinum & Missam nulla sit connexio necessaria, magis quàm inter Matutinum & Communionem; adeòque nullum sit peccatum sine causa celebrare ante Matutinum, magis quàm communicare. Quia licèt nulla sit connexio necessaria ex natura rei; secùs ex jure positivo, seu Ecclesiæ consuetudine, vim legis habente, uti vidimus. 149

Quia tamen absque causa invertere ordinem inter Horas ipsas, v. g. Matutinum reliquis Horis postponendo, in privata recitatione, communi Doctorum judicio non censetur nisi veniale. De inversione ordinis inter Matutinum & Missam idem videtur dicendum cum Sylvestro, Toleto, Bellarmino, Suarezio, Arragonio, tametsi cum nonnullis aliis Antiquis mortale esse censeant Durandus, Gabriel, Binsfeldius, Azorius, &c. 150

Dixi (cum communi) quòd absque causa invertere ordinem inter ipsas Horas in privata 151

recitatione non sit nisi veniale : eò quòd utique inordinatio non videatur esse notabilis. Imò Officii ordinem ex legitima causa invertere, peccatum non est, ut si Nonam postponas Vesperis, ut eas cum aliis cantare possis in Choro, vel si ab infirmo, vel viro gravi inviteris ad dicendum unà cum ipso Matutinum diei sequentis, nondum lecto Completorio diei præsentis, vel ad dicendam Primam, cùm nondum legeris Matutinum. Ita Toletus, Azorius, Suarez, Tannerus, &c.

152 Sed & Clericus horâ jam cœptâ veniens ad Chorum, potest, imò debet (ad melius esse) cum aliis cantando, vel legendo, pergere, & postmodùm omissa supplere. Hoc enim convenientius est, Deoque gratius, uti docent Navarrus, Toletus, Arragonius, & alii communiter. Imò Layman c. 5. n. 7. probabilem existimat opinionem Henrici quodlib. 11. q. 29. & Majoris in 4. dist. 12. q. 6. aientium, nihil necessariò supplendum, si Chorus non multùm processerit : quia per societatis vinculum alii cantantes, unius defectum supplere censentur. Existimat etiam cum eodem Henrico, Innocentio, Sylvestro, Soto, Azorio, eos qui ex officio, vel Superioris præcepto organa pulsant, libros transferunt, vel thurificant in Choro, non teneri supplere ea quæ interim à Choro dicuntur, licèt non audierint. Verùm probabilius videtur, ipsos satisfacere quidem debitæ assistentiæ Chori, sed non Officio, nisi saltem audiant, & attendant quæ à Choro dicuntur : quia non satisfacit nisi qui vel profert verba, vel ad verba à socio, vel à Choro prolata attendit. Ita Navarrus, Suarez, Vasquez, Bassæus, &c.

153 Præterea Suarez l. 4. c. 13. Philiarcus p. 1. l. 1 c. 6. Tannerus, & alii censent, quòd ille qui expletis v. g. Psalmis Matutinarum, non habet librum, vel commoditatem legendi lectiones, ratione itineris, si prævideat fore ut posteà non possit, nisi ægrè Officium recitare, propter lassitudinem, vel occupationes, possit lectiones differre, atque interim cætera prosequi ; ad quod tamen existimant causam majoris devotionis non sufficere. Sed vide an opinio illa non sit nimis laxa, quia his non solùm invertitur ordo, sed etiam interrumpitur Hora. Cùm tamen quælibet Hora continuatè ac sine interruptione dici debeat can. *nihil* q. 1. & cap. *nullus* de consecrat. dist. 1.

154 Denique qui per involuntariam mentis evagationem dubitat se omnia dixisse, juxta S. Franciscum Salesium apud Massonum tabulâ 4. de Sacram. Ord. si reperiat se in fine Psalmi vel Horæ, non tenetur repetere, nisi ipsi constet de omissione, saltem si timoratus sit, qui de extremo ad extremum transire non soleat, medio non persoluto. Talis namque in ejusmodi dubio præsumere potest se medium persolvisse : quia (à communiter accidentibus) *medium præsumitur, probatis extremis.* Et aliàs aperta esset janua scrupulis. Ad quos vitandos Confessarius repetitionem illam permittere non debet scrupulosis. Ita Cajetanus verbo *Hora*, Suarez, & alii passim.

Dixi suprà, quamlibet Horam absque in- 155
terruptione esse persolvendam, per se utique loquendo : nam per accidens, justa de causa peccatum non est interruptionem aliquam facere, ut si Superior vocet, si ex mandato ipsius, vel ex charitate, vel officio ex improviso occurrat aliquid faciendum, quod differri nequeat. Si tamen hoc prævisum fuerit, interruptio vitanda est, anticipando, vel differendo, si fieri queat.

Denique Matutinum à Laudibus licitè sepa- 156
rari potest, sicut & Nocturni Matutinarum ab invicem, uti cum aliis docet noster Lezana in Summa to. 1. c. 12. n. 16. Quia id in Ecclesia primitiva usitatum fuisse testantur S. Hieronymus in epist. ad Eustochium de custod. virgin. S. Isidorus l. 1. de divin. Offic. S. Thomas lect. 6. in 1. Cor. 14. & Thomas noster Valdensis de Sacram. c. 24. & 28.

CAPUT XXIV.

Ad Officii divini recitationem adeò necessaria est attentio, ut præcepto non satisfaciat, mortaliterque delinquat, qui animo voluntariè distracto notabilem Officii partem recitat.

ITa S. Thomas in 4. dist. 15. q. 4. ad 2. 157
object. S. Antoninus in Confessionali 3. p. interrogatorii c. 11. de Clericis in communi. Gerson p. 2. tr. de cognit. peccat. considerat. 9. Paludanus, Cajetanus, Major, Navarrus, Sotus, Azorius, Arragonius, & alii multi. Quos inter Cabassutius 3. p. q. 83. a. 6. dub. 2. sententiam, quæ dicit, attentionem non esse necessariam ad implendum hoc præceptum, in simili vocat *falsissimam & prorsus improbabilem.* Gonet in dissert. Theol. de probabilit. pag. 113. *non solùm omninò improbabilem, sed etiam in praxi omninò periculosam.* Mercorus in Basi 3. p. a. 9. *laxam nimis*, & a. 23. *improbabilem.* Suarez to. 2. de Relig. l. 4. de Horis cap. 26. *non esse practicè probabilem.* Quod & tredecim alii dicunt Scriptores, teste Hieronymo Garciâ apud Leandrum disp. 4. q. 2.

Audet nihilominùs Gobat in Breviario Of- 158
ficium recitantium n. 830. asserere, non posse negari, quin sit probabile, immunem esse à peccato mortali, qui Officium divinum recitat cum perpetua distractione voluntaria. Imò n. 821. dicere non veretur, probabilius multò esse essentiam orationis vocalis consistere cum perpetuis voluntariis distractionibus. Ita (inquit) Cardinalis de Lugo, Tamburinus, Coronius. Audet denique Caramuel in epist. ad Dianam præliminari ad Theologiam fundam. affirmare, recitantes Horas posse voluntariè distrahi absque peccato, etiam veniali, & hoc adeò certum putat, ut alicubi dicat posse se jurare esse verum, suæque opinio-

nis assertores, & observatores, non solùm *milites*, sed & *virgines* appellet.

158 Sed eos psittaceos cantores lepidè vocat Sinnichius in suo Saüle Exrege l. 1. quòd non spiritu & mente psallant, prout jubet Apostolus, sed ore tantùm, & quasi avium voce (ut loquitur Augustinus in Ps. 18.) *Nam & meruli, & psittaci, & corvi, & picæ, & hujusmodi volucres sæpè ab hominibus docentur sonare quod nesciunt.* Et *esto* (secundùm Caramuelem) *virgines sint* (ait Gonet) *cùm tamen oleum devotionis, quo charitatis flamma in cordibus nostris nutritur, habere non satagant.... non sunt virgines prudentes, sed fatuæ, quæ a nuptiis Sponsi cælestis, ejusque complexibus repelluntur. Esto milites sint: cùm tamen contra mentis evagationes, & distractiones non pugnent, sed ab eis ultrò se vinci patiantur, non tam generosi milites, quam ignavi & imbelles militiæ desertores dicendi sunt.*

159 Sed priusquàm id demonstremus, videamus tenorem capitis *dolentes* de celebrat. Miss. Ibi Ecclesia, sive Innocentius III. cum Concilio Lateranensi IV. conqueritur, quòd quidam transcurrant continuatâ syncopâ Matutinum, & addit: *Hæc igitur, & his similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute S. Obedientiæ, ut divinum Officium, diurnum pariter & nocturnum, quantùm eis Deus dederit, studiosè celebrent, pariter & devotè.* Ubi Glossa: *studiosè, quoad officium oris; devotè quoad officium cordis.* Porrò studiosum istud oris officium postulat ut verba proferantur, *non in gutture, vel inter dentes, seu deglutiendo, aut syncopando dictiones, vel verba, sed reverenter, verbis distinctis, sine præcipitatione, non festinanter & cursim* (ait Concilium Basileense sess. 21. cap. *qualiter.*) Quòd si absorptio, seu syncopatio in notabili parte Officii voluntariè fiat, ad mortalem culpam pertingere posse, monent Navarrus, Rodriguez, Suarez. Præcipitata verò acceleratio ideò prohibetur, quia moraliter non fit sine syncopa, facitque quòd nec socii possint verba distinctè percipere, nec recitans illa devotè proferre.

160 An autem privatim recitans debeat tam clarè verba proferre, ut seipsum audiat? plerique affirmant cum Diana p. 10. tr. 11. resol. 33. quia sicut cum socio recitans debet ipsum audire; ita secum recitans audire debet seipsum. Aliàs ipsi constare non potest quòd vocaliter recitaverit. Sed probabilior videtur negativa sententia Azorii, Arragonii, Malderi, Bonacinæ, & Tanneri n. 159. testantis esse communem. Quia non præcipitur auditio, sed vocalis recitatio, quæ licèt non possit non esse de se audibilis (cùm sit sonus articulatus) de facto tamen potest non audiri, non secus ac sonus, ut patet in surdo; enimverò cùm omnis vox, & vocalis recitatio naturaliter resultet ad certum motum linguæ, labiorum ac dentium, ab animalis imaginatione directum, per quem fit collusio aëris à pulmone attracti, atque emissi per respirationem, cum aëre retento in columella (quæ est caruncula ab extremitate palati dependens) non potest ex se non esse audibilis, licèt sæpè per accidens non audiatur, sive ob defectum organi, sive ob impedimentum aliquod medii.

Verum quidem est, vix aut ne vix quidem 161
fieri posse quòd vocaliter recitans, integrâ & perfectâ audiendi facultate præditus, seclusis impedimentis, seipsum non audiat; sed siquando contingat ejusmodi impedimentum, sive ex parte organi, sive ex parte medii, sive aliunde, ideòque seipsum non audiat, dummodò in conscientia bonâ fide judicet se vocaliter recitasse, dicendus est satisfeciisse: licèt cum socio recitans non satisfaciat, si socii recitationem non audiat. Quia proprius auditus propriæ tunc succedit recitationi, & per auditum communicatur ipsi recitatio socii, quæ sine dubio ab utroque debet percipi, & esse communis utrique. Ipsi verò non communicatur, nec ab ipso percipitur, nisi per auditum; secùs propria recitatio, quæ unicuique, etiam non audienti seipsum, satis communicatur & innotescit per imaginationem & intellectionem, per quam quisque discernit se tales vel tales voces & dictiones articulatim proferre, per motum labiorum, &c. licèt non audiat, prout suprà ostendi per exemplum surdi, qui propterea satisfacit per propriam, non per socialem recitationem. Unde sicut ipsi sufficienter constat de vocali recitatione, præceptique impletione, licèt non audiat; ita similiter, &c.

Hæc de officio oris, nunc videndum de 162
officio cordis, de quo non sola Glossa exponit verbum istud, quo Ecclesia præcipit Officium *devotè* celebrari, sed & plurima Concilia, Trevirense II. anni 1549. can. 6. Mediolanense IV. sub S. Carolo Borromæo p. 111. c. 7. Burdigalense anni 1609. tit. 17. Bituricense 1584. tit. 12. can. 12. Narbonense anni 1609. cap. 30. Conventus Melodunensis Episcoporum Galliæ tit. de Canonicis. Hisce (inquam) Conciliis omnibus illud Ecclesiæ præceptum exponitur de interna, sive cordis devotione. Unius Concilii Trevirensis verba referam: *Omnes qui Horis Canonicis persolvendis deputati sunt, dent operam, ut collectis animis, quoad fieri potest, debitum pensum absolvant; nec ita se habeant, ut, dum voce psallunt, quidvis potius quàm Deum, animo cogitare videantur, semper caventes, ne Propheticum illud audiant:* " Labiis quidem me honorant, cor " autem eorum longè est à me. " *Quid autem est, voce quidem psallere, mente autem domum aut forum circumire, nisi homines fallere, & Deum irridere? Grave admodùm est quod Scriptura dicit:* " Maledictus, qui facit opus Dei " negligenter. " *Statuimus proinde ut laudes divinæ per singulas horas, non cursim ac festinanter, sed tractim, servatis intervallis decentibus, ratione dierum Festorum habitâ, reverenter & alacriter absolvantur.... semper versicu-*

lum decantatissimum Glossæ can. *cantantes* dist. 92. animo volventes.

Non vox, sed votum, non chordula musica, sed cor
Non clamans, sed amans, cantat in aure Dei.

Audit enim ille vocem cordis, sine qua sonum oris contemnit. Quare videndum est, ut qui spiritu psallunt, & mente psallant. Caveant item, qui alienis occupati negotiis, extra Chorum Horas privatim legunt, ne somnolentè, aut truncatis verbis, aut intra fauces compresso spiritu, preces demurmurare, sed articulatè, distinctè, diserte, & cum attentione, integrè omnia pronuntient. Ne quâ item occasione, in diversa rapti, desint officio suo, districtiùs prohibemus, ne deambulando Horas dicant; sed in locum aliquem orationi aptum tantisper concedant, ne mentis evagatio, quæ ex tumultuaria deambulatione nasci solet, fructum orationis intercipiat. Similia habet D. Carolus Borromæus in IV. Concilio Mediolanensi Decreto XXI. *quòd supplici mente, intimâque animi pietate, Ecclesiastici Ordinis homines horarias divini Officii preces dicere debeant, id & antiquis Patrum Institutis cautum est, & Lateranensi Concilio Innocentius III. Pontifex monuit.... Quare monemus omnes & singulos nostræ Diœcesis.... Ecclesiasticos homines.... ut animo.... se colligentes, ac pietatis studio accensi, orent spiritu, orent & mente, quodque ore psallunt, item spiritu psallant & mente, in conspectu Domini*, &c.

163 Verè profectò asserit S. Carolus antiquis Patrum Institutis cautum id esse: siquidem Cyprianus tr. de orat. Domin. *quando* (inquit) *stamus ad orationem, & vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus, cogitatio omnis carnalis & sæcularis abscedat, nec quidquam tunc animus quàm id solum cogitet quod precatur. Ideò & Sacerdos ante orationem Præfatione premissâ, parat Fratrum mentes, dicendo:* SURSUM CORDA, *ut, dum respondet plebs,* HABEMUS AD DOMINUM, *admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur. Obrepit enim frequenter, & penetrat, & subtiliter fallens, preces nostras à Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intentione sincerâ Dominum debeat non vocis sonus, sed animus, & sensus orare. Quæ autem segnitia est, alienari ut rapi ineptis cogitationibus, & profanis, cùm Dominum deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quam quòd cum Deo loqueris? Quomodo te audiri à Deo postulas, cùm te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui, quand tu ipse memor tui non sis? Hoc est, ab hoste in totum non cavere; hoc est, quando oras Deum, Majestatem Dei negligentiâ orationis offendere. Hoc est vigilare oculis, & corde dormire: cùm debeat Christianus, & cùm dormit oculis, corde vigilare, sicut scriptum est in persona Ecclesiæ, loquentis in Cantico Canticorum:* " Ego dormio, & cor meum vigilat. " *Quapropter sollicitè & cautè Apostolus admonet, dicens:* " Instate orationi, vigilantes in ea: " *docens scilicet, & ostendens, eos impetrare quod postulant de Deo posse, quos Deus videat in oratione vigilare.*

Breviùs Augustinus serm. 6. de verb. Dom. 164 redarguit eos, qui sic volunt intrare Ecclesiam, ut ibi corpus habeant, alibi cor: *Totus intus esse debet, si intus est quod videt homo, quare foris est quod videt Deus? Talis* judicio Chrysostomi *in conspectu Domini non orat, sed potiùs ore delirat: etenim corpore in terra prostrato, & ore frustrà delirante, mens ubique per domum, aut forum, circumagitur.... Quo ore talis potest dici quòd oraverit in conspectu Domini?* Homil. 1. de S. Anna. Talem profectò Deus non audit: quia, ut S. Gregorius dicit apud S. Thomam 2. 2. q. 83. a. 13. *illius orationem Deus non audit, qui quod orat non attendit.* Ideò Jacobus Alvarez to. 3. de studio orat. l. 1. p. 2. c. 10. *Nemo* (inquit) *ut ego existimo, est tam excors, ut sponte recitans distrahatur; quis enim hoc de homine, non dico spirituali, ac Deo consecrato credat, sed nec de homine Christiano? At si aliquis tam iniquus est, se à diabolo irrideri sciat, suasque orationes non Deo gratas, sed invisas agnoscat.*

Dicendum itaque 1°, certum esse, quòd 165 in citato cap. *dolentes* præcipiatur attentio externa, ita ut recitans abstineat ab actionibus & confabulationibus ex natura rei incompatibilibus cum attentione interna, sicut & ab evagatione sensuum circa objecta distractiva. Hoc namque ut minimùm requirit devotio eo capite præcepta. Nec hoc Adversarii diffitentur.

Dicendum 2°. certum pariter esse ibidem 166 præceptam esse saltem intentionem implicitam laudandi & orandi Deum. Quia certo certius est, recitationem Officii absque ista intentione, esse non posse veram orationem, etiam vocalem, quæ ibi præcipitur. Aliàs verè oraret, qui Horas recitaret solo animo studendi, vel tempus fallendi, vel etiam Deum irridendi.

Dicendum 3°. eodem capite præcipi at- 167 tentionem internam ad verba, saltem eam quæ necessaria est, ut verba debitè & integrè pronuntientur, atque ut sufficienter constet de debita integraque pronuntiatione (cujusmodi attentionem S. Bonaventura superficialem, alii materialem vocant) tum quia tamdiù manet obligatio debitè recitandi, quamdiù sufficienter non constat ipsi esse satisfactum. Tum quia eo ipso quo Ecclesia debitam integramque exigit recitationem, exigit omne necessarium ad illam.

Dicendum 4°. Ecclesiam non præcipere 168 internam attentionem ad sensum verborum (quæ litteralis dicitur) quia multi obligantur ad Horas, qui sensum verborum nec intelli-

gunt, nec intelligere possunt, ut Moniales.

Dicendum 5°. Ecclesiam cap. *dolentes* talem præcipere attentionem internam, quæ voluntariam excludat mentis evagationem : per consequens amplius exigere, quàm superficialem & materialem attentionem ad verba, quæ cum voluntaria distractione consistit ; internam utique attentionem ad Deum, vel ad rem à Deo postulatam (quæ dicitur attentio spiritualis) vel saltem internam attentionem ad sensum verborum. Ita Doctores n. 157. laudati.

170 Probatur 1°. quia Ecclesia cap. *dolentes* præcipit in virtute S. Obedientiæ, *ut divinum Officium devotè celebretur.* Sed hoc intelligi non potest de sola devotione externa, vel etiam interna ad verba, quæ consistat cum evagatione mentis voluntaria. Ergo, &c. Probatur minor, quia prima regula interpretandarum legum est quòd interpretatio sit secundùm proprietatem verborum. Cardinalis Tuschus concluf. 130. n. 2. eò quòd utique verba legis non debeant impropriè sumi, nisi ad vitandum absurdum, ut idem Tuschus demonstrat concluf. 131. n. 40. Atqui devotio propriè est actus internus (sine quo actus externus nonnisi impropriè & fictè dicitur devotus, sicut homo pictus) nec qualiscumque actus internus, sed *voluntas quædam promptè tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum.* S. Thomas q. 82. a. 1. Unde ad 2. ait, quòd *devotio non prædicatur de interna & externa, sicut genus de speciebus, sed devotio interna ad externam se habet, sicut motio moventis ad motum mobilis.* Quemadmodùm ergo mobile verè ac propriè dici nequit motum sine motione moventis ; sic externus actus verè ac propriè dici nequit devotus sine interna illa devotione, seu voluntate promptè se tradendi ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum : utpote quæ est forma, à qua actus externus denominatur devotus ; sicut motio est forma, à qui mobile denominatur motum.

171 2°. devotio interna cum distractione voluntaria stare nequit : ergo recitare Officium cum voluntaria distractione, non est illud recitare devotè. Antecedens constat ex SS. Patribus n. 163. & 164. laudatis ; quibus concinens S. Thomas a. 3. *Causa* (inquit) *devotionis intrinseca ex parte nostra oportet quòd sit meditatio, seu contemplatio*, sive, ut proximè subjungit, *consideratio duplex, una quidem, quæ est ex parte divinæ bonitatis, & beneficiorum ipsius..... Et hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa. Alia verò est ex parte hominis, considerantis suos defectus, ex quibus indiget ut Deo innitatur, juxta illud :* „ Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium „ meum à Domino, &c. „ Duplicem illam considerationem voluntariæ excludunt distractiones ; excludunt proinde veram ac propriè dictam devotionem, num. 35. & 36. ampliùs explicatam.

3°. Ecclesia præcipiens devotionem, censenda est præcipere omne necessarium ad illam, prohibereque omne impeditivum illius. Atqui ad illam, juxta SS. Patres, & S. Thomam proximè relatum, necessaria est attentio, saltem virtualis ad Deum, voluntariæque distractiones, sunt impeditivæ illius. 172

4°. Ecclesia præcipit vocalem recitationem, non qualemcumque, sed devotam. Atqui devota non denominatur, nisi ab interna devotione, ad Deumque attentione, ut vidimus. 173

5°. Ecclesia præcipit Officii recitationem, prout est actus religionis (cùm eam præcipiat ut Dei cultum, istiusque præcepti violatores peccent in religionem, secundùm omnes) sed absque interna devotione, & virtuali saltem ad Deum attentione, non est actus religionis. Imò potiùs est species quædam irrisionis Dei, mendacii & hypocrisis, juxta illud Hierem. 48. *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter*, simulando exteriùs devotionem, cùm intus sit indevotus. Quod Profectò est mentiri pietatem, Deumque irridere, more Phariſæorum, de quibus Matth. 15. Christus ait : " Hypocritæ, benè prophetavit de vobis " Isaïas, dicens : populus hic labiis me hono- " rat, cor autem eorum longè est à me. " Unde improbabile est (quod Gobat asserit num. 835.) talem orationem esse impetratoriam. Imò voluntaria distractio *impedit orationis fructum*, ait S. Thomas q. 82. a. 3. ad 3. Et qui sic orant, adversum se Deum provocant vehementer, suntque deridiculi diabolo, & Deus in eos fulminat maledictionem, uti docet Spiritus sanctus Hierem. 48. sicut & S. Bernardus & B. Laurentius Justinianus n. 47. laudati. Et quæ (amabo !) est ista religio, corporis obsequium præstare Deo, mentis obsequium ventri, vel vanitati (imò diabolo, juxta Cyprianum suprà n. 163.) medullam mundo, corticem tantùm Deo! Omnis actus religionis elicitus vel imperatus esse debet à voluntate colendi Deum ; voluntas autem devotam recitationem non imperat, dum non imperat attentionem ad Deum, considerationemque divinæ bonitatis ipsius, & nostræ indigentiæ, ut suprà vidimus. 174

Si dicas 1°. externam recitationem sufficienter constitui in specie actûs religionis, per hoc quòd incœpta fuerit ex intentione laudandi, & honorandi Deum, quam intentionem Casuistæ nonnulli existimant stare cum voluntaria distractione. 2°. externam idololatriam, esse veram idololatriam. Ergo similiter, &c. Contrà : Quomodò verè ac sincerè Deum intendit laudare & honorare, qui voluntariè ipsum quasi irridet, & usque adeò inhonorat, ut iram ipsius adversum se vehementer provocet, ut suprà vidimus ? Legatur caput 1. & 2. Malachiæ, ubi Deus conqueritur se ab Israël non honorari, neque timeri, nomenque suum à Sacerdotibus despici, in eo quòd supra altare 175

ipsius

ſpſius offerebant panem pollutum. Et ideò eorum rejicit ſacrificia, & comminatur ſe maledicturum benedictionibus ipſorum, quia quod ſuperpoſuerunt menſæ Domini, contemptibile erat, & panis propoſitionis pollutus, & immolabant debile Domino. Unde dicit: *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino... & non poſuerunt ſuper cor ut darent gloriam nomini ſuo, quod eſt magnum in Gentibus.* An non hoc totum manifeſtè quadrat in eos, qui vocaliter orant, corde voluntariè diſtracto? Nec conſequens eſt recitationem Horarum merè externam eſſe verum actum religionis, ex eo quòd idololatria merè externa verè ſit actus irreligionis, ſeu vera idololatria: ſicut ex eo quòd confeſſio merè externa falſæ fidei, ſit verè peccatum contra fidem, conſequens non eſt quòd confeſſio merè externa veræ fidei, ſit actus virtutis fidei: quia plus requiritur ad actum virtutis, quàm ad actum peccati: ſiquidem *bonum ex integra cauſa, malum autem ex ſingulis defectibus.*

6°. Eccleſia devotam præcipiens Officii recitationem, haud dubiè præcipit taliter devotam, ut quantum eſt ex parte recitantis, ſortiatur effectum propter quem illam præcipit: leges namque de actu aliquo diſponentes, intelliguntur de actu utili, ſive ſortiente effectum, propter quem actus præcipitur. Tum quia rejicienda eſt illa legis interpretatio, per quam lex redditur inutilis: cùm lex omnis utilis eſſe debeat. Tum quia legis verba accipienda ſunt cum effectu cap. *relatum* de Cleric. non reſid. Enimverò *verba cum effectu accipimus*, can. 17. de pœnit. diſt.... & ratio eſt, quia effectus in diſpoſitione legis principaliter attenditur: leges enim utilitatem primariò quærunt. Atqui effectus, quem Eccleſia intendit, eſt ut laudetur Deus, ejuſque miſericordia ac beneficia obtineantur; quos effectus non ſortiri recitationem factam cum voluntaria mentis evagatione, jam ſæpiùs oſtenſum eſt.

177 7°. ipſemet tenor verborum capitis *dolentes* ſatis oſtendit internam eo capite præcipi devotionem, non externam dumtaxat; ibi namque præcipitur, diurnum Officium recitari *devotè, quantùm Deus dederit.* Atqui ly *quantùm Deus dederit*, non refertur ad ſolam devotionem externam, quæ conſiſtit in abſtinendo à confabulationibus & externis irreverentiis, divini Officii impeditivis, ſed ad internam, ad quam ſpecialis requiritur gratia & unctio Spiritûs ſancti, non ad externam ab interna ſejunctam. Nec certè pro cavendis ſolis indevotionibus, ſeu irreverentiis externis, opus erat additione verborum illorum, cùm eas in textu antecedente diſtrictè prohibuiſſet. Dumque Eccleſia cavere præcipit ab irreverentiis externis præcisè, addere non ſolet. *quantùm Deus dederit*, cùm eas prohibeat abſolutè.

178 8°. Eccleſia in cap. *dolentes* eo modo præcipit devotam Officii recitationem, quo in cap. *omnis utriuſque ſexûs* fidelem præcipit confeſſionem, & reverentem communionem. Sed hîc non ſolùm præcipit confeſſionem & communionem externè fidelem & reverentem, ſed & ſic internè talem, ut voluntariam excludat mentis applicationem ad res reddentes confeſſionem communionemque infructuoſam, & coram Deo ſacrilegam, irreverentem & nullam, uti conſtat ex damnatione ſequentium propoſitionum: *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Corporis Domini manducationem.*

Si dicas, præceptum annuæ confeſſionis, 179
& communionis, non eſſe merè Eccleſiaſticum, niſi quoad determinationem temporis, nec, ut Eccleſiaſticum, ad fidelitatem & reverentiam internam obligare vi ſuâ, ſed vi præcepti divini, cujus eſt determinatio. Præter dicta contra hoc l. 1. de legibus, arguo ſic: Præceptum eccleſiaſticum devotè recitandi divinum Officium, eſt determinatio divini præcepti de orando Deum, ſicut præceptum fideliter confitendi, reverenterque communicandi ſemel in anno, eſt determinatio præcepti divini, de confitendo, & communicando. Quemadmodùm enim Eccleſia determinat tempus & modum, quo confiteri oportet ac communicare; ſic determinat perſonas quæ ſpecialiter orare debent, ſicut & orationes, ac modum eas recitandi. Tam ergo hîc obligat ad internam devotionem, ſaltem vi præcepti divini, quàm ibi ad internam fidelitatem & reverentiam.

Dixi ſaltem *vi præcepti divini*, cui utique 180
inſiſtens Apoſtolus ad Epheſ. 5. dicit: *Implemini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis & Hymnis,.... pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Et 2. Cor. 14. *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Ne alioquin inutilis ſit oratio: quia *clamor ad Dominum, qui fit ab orantibus, ſi ſonitu corporalis vocis fiat, non intento in Dominum corde, quis dubitet inaniter fieri?* Et adhuc dicet Gobat, talem clamorem eſſe impetratorium?

CAPUT XXV.

Objectionum inanitas oſtenditur.

OBjicies 1°. Eccleſiam cap. *dolentes* ſo- 181
lùm externam præcipere devotionem, colligitur ex fine iſtius præcepti, quod editum fuit adverſus Clericos, qui per ſyncopas divinum Officium recitabant, & confabulando divinis intererant Officiis, ut dicitur in procemio iſtius capitis. Ad cavendum primum defectum præcipit ſtudioſitatem, ad cavendum ſecundum præcipit devotionem. Cùm igitur ex fine legis ſatis intelligatur intentio ipſius, & per externam devotionem ſatis obtineatur finis iſte, ſatis intelligitur quòd ſola

externa devotio ibi præcipiatur.

Respondeo 1°. finem adæquatum legis non esse illum qui in objectione allegatur, nec semper colligi ex proœmio legis: utpote in quo sæpè non fit mentio finis adæquati, sed solùm occasionis condendi legem.

182 Respondeo 2°. ex proœmio colligi potiùs contrarium: utpote in quo Clerici non solùm arguuntur, in eo quòd, Chori silentium fugientes, intendunt exteriùs collocutionibus Laicorum; sed & in eo quòd, dum auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina. Exigit ergo aures intentas ad divina; quod sine interiori attentione fieri nequit.

183 Respondeo 3°. Ecclesiam isto in capite externam indevotionem prohibere, dum post proœmium sic loquitur: *Hæc igitur, & similia, sub pœna suspensionis penitùs inhibemus.* Dum ergo addit: *districtè præcipientes in virtute S. Obedientiæ, ut divinum Officium.... studiosè* (quantùm ad officium oris) *& devotè* (quantùm ad officium cordis) *quantùm eis dederit Deus, celebrent*, perspicuum est amplius exigere, quàm externam devotionem; internam utique, uti demonstrant argumenta à nobis facta. Aliàs frustraneum fuisset additamentum istud.

184 Objicies 2°. S. Antoninus 3. p. tit. 13. q. 7. explicans verba illa, *quantùm eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & devotè*, ait; *Ecclesiam ibi apponere consilium fragilitati humanæ*; quasi dicat, *præcipimus quòd unusquisque de die & nocte dicat Horas suas; attentionem verò & devotionem in præcepto non ponimus, sed gratiæ Dei, secundùm quod dare voluerit, duximus relinquendam.*

Respondeo 1°. mentem S. Antonini pro assertione nostra perspicuam esse ex loco ipsius à nobis relato, ubi sic: *Si dicendo Horas..... mente circa alia vagatur voluntariè, non curans, & sic per totum Officium, videtur mortale; secùs si proponit velle attendere, & distrahitur, scilicet, cùm advertit, displicet ei.*

185 Respondeo 2°. esse evidens ex textu capitis *dolentes*, quòd Ecclesia in virtute S. Obedientiæ non solùm præcipiat dicere Horas, sed & dicere *studiosè pariter ac devotè*: quia tamen duplex est interna devotio (sine qua externa non est devotio) actualis scilicet, & virtualis; & tanta est infirmitas humanæ mentis, ut non possit per totum Officium, actualem continuare devotionem (quia recitans sæpè involuntariè distrahitur, nec redit ad devotionem actualem, nisi Deus, immissis bonis cogitationibus, mentem excitet) ideò Antoninus dicit, quòd Ecclesia illis verbis, *quantùm Deus dederit*, &c. devotionem quidem internam præcipiat, non tamen actualem, nisi cum addito, *quantùm Deus dederit*, vetans ne quis divinæ gratiæ ponat obicem, per voluntariam mentis distractionem. Istumque esse Antonini sensum, constat non solùm ex verbis ipsius n. præcedenti relatis; verùm insuper ex eo quòd loco objecto agat contra nimis rigidè sentientes, Ecclesiam absolutè præcipere internam devotionem actualem; cùm tamen virtualis sufficiat, &, ut sapienter dicit Card. Bona de div. psal. cap. 19. §. 6. *mentis distractio, præter voluntatem orantis eveniens, non solum orationis salutares effectus non tollat, imò plerùmque, ob continuam luctam, suique cognitionem, & depressionem, augeat meritum, duplicet coronam.*

Porrò virtualis illa devotio, vel attentio, 186
consistit in tribus. 1°. quòd homo sit in statu attendendi ad Deum. 2°. quòd occupatus sit in actu à voluntate liberè imperante recitationem ex intentione attendendi ad Deum, ipsumque laudandi. 3°. quòd voluntas, quantùm in se est, sic persistat in illa intentione, ut nullam admittat distractionem, sed rejiciat, statim atque advertit, nec ullum apponat obstaculum gratiæ divinæ, ad devotionem & attentionem actualem necessariæ, sed sincerè parata sit Deo per actualem devotionem inhærere, quoties ad eam per gratiam excitabitur. His enim positis, licèt physicè ad Deum non attendat, æstimatione tamen, tam divinâ, quàm humanâ, censetur moraliter attendere.

Objicies 3°. Ecclesia præcipere non potest 187
actus internos.

Nego antecedens, quia oppositum videtur certum, ob argumenta, à nobis producta agendo de legibus.

Objicies 4°. Attentio interna non est de 188
substantia orationis vocalis. Atqui Ecclesia solùm præcipit orationem vocalem. Ergo. Probatur major; tum quia una species esse non potest de substantia alterius; nec per consequens oratio mentalis de substantia orationis vocalis, quæ seorsim à mentali propriam habet speciem ac perfectionem. Tum quia ad substantiam orationis vocalis sufficit pronuntiatio verborum, procedens ex formali, vel virtuali intentione laudandi Deum. Quæ profectò intentio esse potest absque attentione, utpote distincta ab illa: est enim actus voluntatis sibi finem præfigentis; attentio verò actus est intellectûs, quo quis advertit ad id quod agitur. Tum denique, quia si attentio interna, foret de substantia orationis vocalis, orans vocaliter, absque interna attentione, nullam committeret irreverentiam contra Deum, ne venialem quidem: quia per distractionem voluntariam destrueret substantiam orationis vocalis; per consequens vocaliter non oraret. Cessare verò ab oratione non præcepta, non est contra reverentiam Deo debitam.

Respondeo negando majorem, saltem loquendo de vocali oratione devota. Ad primam probationem illius nego suppositum, orationem utique vocalem & mentalem habere se velut duas orationis species. Quemadmodùm enim id de devotione externa & interna negat S. Thomas suprà n. 170. ita negandum de oratione vocali & mentali: quia

vocalis

vocalis absque mentali nullam habet bonitatem moralem, nec moralis bonitatis speciem; & mentalis ad vocalem se habet sicut anima ad corpus, vel sicut numerus binarius ad ternarium. Sicut enim binarius additione unitatis fit ternarius; sic oratio mentalis additione vocis fit vocalis.

189 Ad secundam probationem nego iterùm suppositum, utique formalem, virtualemvè intentionem laudandi Deum, stare posse sine formali virtualivè attentione interna ad Deum. Oportet enim quòd voluntas ab intellectu dirigatur, quòdque proinde devotionis (quæ actus est voluntatis) causa sit attentio & consideratio interna bonitatis, &c. uti docet S. Thomas suprà.

190 Ad tertiam probationem nego sequelam: quia licèt voluntariè se distrahens destruat substantiam orationis vocalis quoad formam, & quoad ea quæ vocalis oratio importat ex parte animæ; secùs quoad materiam, & ea quæ importat ex parte corporis. Est autem irreverentia contra Deum, imò species quædam irrisionis Dei ac mendacii, velle corporaliter & materialiter orare Deum, depromereque verba Spiritûs sancti; formaliter verò & spiritualiter recedere à Deo per voluntariam mentis distractionem, uti constat ex Scripturis, Patribus, & rationibus adductis.

191 Objicies 5°. recitatio precum ab Ecclesia institutarum, quatenus nomine & imperio Ecclesiæ funduntur, aliquid à Deo impetrare potest, inquit Gobat.

Nego suppositum; neque enim nomine & imperio Ecclesiæ funduntur ejusmodi preces, cum voluntaria mentis distractione; neque tales preces Ecclesia præcipit, cùm non sint actus veræ religionis & orationis; neque ministri Ecclesiæ, sic orantes, repræsentant personam Ecclesiæ, nec sunt ipsa Ecclesia per ipsos sic orans. Aliàs Ecclesia per ipsos irrideret Deum, vehementerque provocaret iram & maledictionem ipsius. Nec probabile est quod Gobat n. 839. in contrarium asserit, sive Laymannus cum ipso sentiat, uti putàt, sive non.

192 Concludo proinde cum cap. *dolentes*, moneoque cum D. Dionysio Carthusiano l. de vita Canonicorum a. 19. & S. Bernardo apud ipsum: vos „ quicumque divino Officio adstricti estis, purè semper & strenuè laudi„ bus interesse divinis; strenuè quidem, ut si„ cut reverenter, ita & alacriter Domino assi„ statis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præci„ dentes verba dimidia, non integra transilien„ tes, non fractis & remissis vocibus muliebre „ quoddam balba de nare sonantes, sed virili „ (ut dignum est) sonitu & affectu voces spi„ ritûs depromentes: purè verò, ut nihil aliud, „ dum psallitis, quàm quod psallitis cogitetis. „ Sed heu! heu! in his inveniuntur multi Ca„ nonici, multi pariter Religiosi, non medio„ criter defectuosi: quia & nimis curforiè psal-

lunt, nec convenienter pausant in medio, nec « discipliniatè, reverenter, ac timoratè stant co- « ram Deo, sed potiùs dissolutè. Incustoditi in « visu, incompositi in moribus, proni ad levi- « tates, ad risus, ad fabulationes; qui & faci- « liter se à divinis absentant, tardè veniunt, « & exeunt ante finem. Et quomodò possunt ad « sensum esse intenti, qui tam indistinctè atque « celerrimè proferunt verba sacra? Utinam hi « attendant, quod dictum est: *Maledictus ho-* « *mo qui facit opus Dei negligenter!* Et quod per « Isaïam Dominus dixit, & ipsemet Christus « Pharisæis in Evangelio allegavit: *Populus hic* « *labiis me honorat, cor autem eorum longè est à* « *me!* Quid respondsuri sunt isti Judici summo, « qui ea quæ carnis sunt, tam exquisitè exercent, « tamque diuturnè talibus immorantur, qui « tardè nimis cantant Matutinas, easque, sicut « & cæteras Horas, velocissimè absolvunt? In « suis autem prandiis, cœnis, conviviis, socie- « tatibus, confabulationibus, ludis & jocis, « multò diutiùs sedent, quàm natura exquirat, « necessitas postulet, ratio dictet. Porrò qui de « his quæ Dei sunt, & animarum concernunt « salutem, citò nimis expediunt se, omninò « perversa est vita ipsorum. Ideò respiscant, nec « divino obsequio, & honorificentiæ Creatoris « subtrahant debitum tempus, sed principaliora « principaliùs, diligentiùs, maturiùs exequan- « tur, &c. «

Concludo etiam, hanc Caramuelis propo- 193
sitionem: *Præcepto satisfacit, qui voluntariè labiis tantùm, non autem mente orat.... Respondeo me totâ hebdomadâ, toto mense, toto anno legisse* (Horas) *sine culpa veniali, & me non peccavisse venialiter tam certò scire, ut possim juramento firmare..... Homo sum..... distractiones non evito, involuntarias millies, interdùm etiam voluntarias; & nihilominùs nullo crucior scrupulo, nullo dubio angor: quia prudenter suppono me ad actionem internam non teneri; eam habere bonum esse, & eâ carere ne quidem levem esse culpam; me ad lectionem tantùm & attentionem externam obligari*; hanc (inquam) Caramuelis propositionem, à Conventu Cleri Gallicani, die 4. Septembris anno 1700. in Palatio Regio San-Germano Congregati, hâc censurâ jure optimo confixam fuisse: *Hæc propositio est absona, verbo Dei contraria, hypocrisim inducit, à Prophetis, & Christo damnatam his verbis:* " Populus hic labiis « me honorat, cor autem eorum longè est à me. «

CAPUT XXVI.

Examinatur controversia circa obligationem recitandi extra Chorum, Officium parvum B. Virginis, Officium Defunctorum, Psalmos graduales, pœnitentiales, & Litanias majores, diebus in Breviario præscriptis.

CErtum est, utentes Breviario Romano, 194
juxta declarationem Pii V. in Bulla Breviario illi præfixa, in privata recitatione, non

teneri ad Officium parvum B. Virginis, Officium Defunctorum, Psalmos graduales, &c. præterquàm in die Animarum, in quo tenentur ad recitandum Officium Defunctorum, sicut & ad Litanias majores in diebus S. Marci & Rogationum. Quia ex mente Ecclesiæ, expressa in rubricis specialibus illorum dierum, ex communi item sensu & consuetudine taliter recepta, ista sunt taliter annexa Officio illorum dierum, ut censeantur pars Officii, obligans sub mortali. Ita Suarez, Lezana, Tannerus, Sylvius, & DD. communiter contra Homobonum, Molfesium, & paucos alios id negantes tam de Litaniis, quàm de Officio Defunctorum in die Animarum.

195 Controversia ergo (circa privatam obligationem Officii parvi B. Virginis, Officium Defunctorum, Psalmos graduales, &c.) de iis procedit, qui non utuntur Breviario Romano, sed proprio alicujus Diœcesis, vel Religionis. Nam ipsos non teneri, extra Chorum, ad Officium parvum B. Virginis, & alia suprà dicta, censent Marchantius Tribun. pœnit. to. 2. fol. 109. Pellizarius tr. 5. c. 8. n. 100. aliique nonnulli. Et ita pro Cistercienſibus declarasse eorum Generale Capitulum anno 1618. Cistercii celebratum, refert Caramuel in Reg. S. Benedicti disp. 110.

196 Verum quidquid sit de ista declaratione (de qua mihi non satis constat) video Doctores longè graviores obligationem illam asserere. Censeo proinde eorum opinionem, utpote probabiliorem, tutioremque, in praxi esse sequendam. Eò quòd Officia illa, in Religionibus, & Ecclesiis, in quibus certis diebus per Breviarii rubricas præscripta sunt, ex communi Majorum sensu, tam in Choro, quàm extra, partes sint Officii Canonici, quod sub mortali quisque tenetur integrum recitare, secundùm ritum Ecclesiæ suæ, vel Religionis. Ista namque est communis sententia Majorum, Sylvestri, Panormitani, Cardinalis Zarabellæ, Authoris Directorii juris (apud ipsum) sancti Antonini in Summa p. 3. tit. 13. c. 4. §. 3. Dominici Soto l. 10. de just. q. 5. a. 4. ubi sic: *De Officio B. Virginis controvertitur inter Doctores, utrùm etiam sit in præcepto; eò quòd hac de re nullum extat jus, sed sola consuetudo:* quam conjicit quidem cœpisse ex pietate & devotione; *at verò* (inquit) *decursu temporis consuetudo adeò invaluit, ut nullus Doctorum negare audeat vim habere præcepti.*

197 Hanc etiam sententiam sequitur celeberrimus Canonista Prosper Fagnanus ad caput *Presbyter* de celebr. Miss. & fusè probat Natalis Alexander Th. Mor. & Dogmat. to. 6. c. 8. a. 2. reg. 12. in eamque inclinant sapientissimi Patres nostri, Lezana, & Thomas à Jesu.

Et probatur 1°. ex allegata consuetudine, vim legis habente, ex communi Majorum traditione. *Communis* enim *consuetudo est*, ut Officium B. Virginis *computetur inter Horas*, ait Sylvester in Summa verbo *Hora* §. 6.

198 2°. ex Constitutione Pii V. Breviario Romano præfixa, in qua utentes quidem illo Breviario in privata recitatione liberat ab obligatione dictorum Officiorum, sed sine præjudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum B. Mariæ semper Virginis in Choro dici consuevit. Teste namque Fagnano in cap. *Presbyter* de celebrat. Missar. in eadem Constitutione Pontifex subjunxit: *Hoc autem concedimus sine præjudicio consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum B. Mariæ semper Virginis in Choro dici consueverat: ita ut in ipsis Ecclesiis servetur ipsa laudabilis & sancta consuetudo celebrandi more solito prædictum Officium.* Cujus obligationem, in alia Constitutione, quæ incipit *superni*, derivatam ait ex *jure, consuetudine, usu statuto, Institutione ac Constitutionibus* Ecclesiarum illarum, vel Religionum.

Nec certè ratio, propter quam à peccato liberos declaravit Romano utentes Breviario: *Nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendum duximus:* locum habere videtur in Monachis & Religiosis, speciali Ordinis sui Breviario sic utentibus, ut à negotiis & occupationibus sæcularibus prorsus sint segregati; qui proinde faciliùs possunt orationibus ac divinis precibus vacare, cap. *placuit*, & cap. *si cupis* 16. q. 1. Enimverò particulares Ecclesiarum vel Religionum consuetudines laudabiles firmare solent Pontifices, non infirmare, vel iis derogare. Legi meretur Fagnanus in 3. Decret. p. 2. pag. 290.

199 3°. ex S. Thoma quodlib. 5. q. 5. a. 2. ubi occasione quæstionis, *utrùm Clericus beneficiatus teneatur, in scholis existens, dicere Officium Mortuorum*, sic discurrit: *Clericus, ex hoc ipso quòd est Clericus, & præcipuè in sacris Ordinibus constitutus, tenetur dicere Horas Canonicas; sed in quantum est Clericus beneficiatus in hac Ecclesia, tenetur dicere Officium secundùm modum illius Ecclesiæ. Est ergo considerandum, quòd Officium Mortuorum quandoque in Ecclesia dicitur sicut ordinariè pertinens ad Ecclesiæ Officium, sicut in tota Ecclesia, in die Animarum, dicitur Officium pro Mortuis; & in qualibet Ecclesia est aliqua super hoc specialis consuetudo* (nota benè) *puta, ut dicatur ordinariè Officium Mortuorum semel in septimana, vel qualitercumque aliter, secundùm certum tempus. Et ad hujusmodi Officium Mortuorum tenetur Clericus beneficiatus in aliqua Ecclesia, etiam in scholis existens* (id est etiam extra Chorum) *ut per hoc satisfaciat Mortuis, quorum recipit bonum. Aliquando verò dicitur Officium Mortuorum in Ecclesia extraordinariè, propter aliquam causam speciali ter emergentem, puta ad preces alicujus personæ, vel propter aliquid hujusmodi; & ad hujusmodi Officium Mortuorum non tenetur Clericus existens in scholis.* Atqui quâ ratione Cle-

ricus beneficiatus Officium divinum recitare tenetur secundùm modum, seu ritum illius Ecclesiæ, in qua beneficiatus est, eâdem vir Religiosus Officium divinum recitare tenetur secundùm modum ac ritum suæ Religionis. Quemadmodùm ergo Clericus beneficiatus ad recitandum Officium Mortuorum (& idem est de Officio parvo B. Virginis, &c.) tenetur extra Chorum, quoties recitatur in Choro, sicut ordinariè pertinens ad Officium Ecclesiæ suæ: sic Religiosus tenetur extra Chorum ad recitandum Officium Mortuorum, B. Virginis, &c. quoties recitatur in Choro, sicut ordinariè pertinens ad Officium Religionis suæ, sive ex lege scripta, sive ex consuetudine, vel Rituali seu rubricis illius. Quantùm enim ad Officium Mortuorum, Religiosus vivit ex bonis ipsorum, sicut Beneficiatus. Et sic in ipso etiam locum habet ratio S. Thomæ.

200 Si objicias 1°. Rituale Ordinis Carmelitarum v. g. non magis obligare sub mortali, quàm Constitutiones. 2°. Paulum V. Benedictinis, seu utentibus Breviario Benedictino, concessisse omnia privilegia, gratias & indulgentias concessas utentibus Breviario Romano.

Ad 1. respondeo obligationem recitandi Officium parvum B. Virginis, Mortuorum, &c. non provenire ex Constitutionibus, vel Rituali aut rubricis Carmelitarum præcisè, sed inde solùm haberi quòd Officia ista certis diebus sint pars Officii ordinarii & Canonici à Religiosis Carmelitis persolvendi; quo posito, obligatio recitandi Officium Canonicum integrum, juxta ritum Ordinis Carmelitarum, ex præcepto Ecclesiæ est. Quemadmodùm quòd duodecim Psalmi à Religiosis Benedictinis pertineant ad integritatem Matutinarum ipsorum, habetur ex Regula & rubricis Breviarii ipsorum; sed hoc posito, obligatio recitandi sub mortali duodecim Psalmos in Matutinis, provenit ex præcepto Ecclesiæ, volentis ut quisque Officium Canonicum recitet juxta ritum Ecclesiæ suæ, vel Religionis.

201 Ad 2. respondet Illustrissimus Fagnanus, privilegium istud non importare liberationem ab obligatione recitandi Officium parvum B. Virginis, &c. diebus in Ordine Benedictino præscriptis: quia dum Pius V. utentes Breviario Romano liberavit ab obligatione Officii parvi B. Virginis, non liberavit per modum privilegii cujusdam, sed per modum simplicis declarationis, quâ dirimere voluit controversiam, quæ erat inter Doctores, an utentes Breviario Romano, tenerentur, saltem extra Chorum, ad Officium istud recitandum juxta rubricarum præscriptum. Declaravit Pius V. quòd non, simpliciter & absolutè removendo periculum peccati, ab iis qui illud non recitarent juxta dictas rubricas; etsi rubricas non sustulerit, ut pii & devoti Ecclesiastici illud saltem ex devotione recitarent.

Quibus omnibus consideratis, prudens Lector satis videt, ut minùs dubium fundatum esse, an non sit obligatio Officia illa recitandi sub gravi peccato. In isto verò dubio viam tutiorem in praxi sequendam esse; ratio dictat, Canonesque & Patres docent, ut vidimus agendo de conscientia dubia. 202

Nec verò id nimis severum, Religiosisque studio ac prædicationi verbi Dei occupatis nimis grave causari possunt Religiosi prudentes: quia, ut rectè Natalis Alexander, viri verè Religiosi, pii ac diligentes, videbunt sibi satis temporis supereresse ad persolvendum magnum Officium etiam feriale, simulque parvum Officium B. Virginis, ac Officium Mortuorum, semel in hebdomada, vel mense; si considerent id quod in Ecclesiastica legitur Historia, utique sæculares viros, imò etiam Reges, qui strenuè Rempublicam per se ipsi administrabant, inter tot & tantas negotiorum turbas, Canonicum Officium integrum, & Horas B. Virginis, aliasque preces recitasse. Alfredus quippe, Angliæ Rex, sic totum diei cursum dividebat, ut octo horas in scribendo, legendo, & orando; octo in cura corporis; octo in expediendo Regni negotia transigeret, prout scribit Willelmus Malmesburiensis.... 203

De S. Ludovico scribit Guillelmus de Nangiaco in ejus gestis: quòd omnes Horas Canonicas, & etiam de B. Virgine, cum cantu quotidie audire volebat; etiamsi eas in itinere equitando audire contingeret, nihilominùs eas inter se & Capellanum suum, tam de die, quàm de B. Virgine, submissè dicebat. Insuper Officium Mortuorum quotidie cum novem lectionibus, etiam in Festis quantumcumque solemnibus, dicebat cum Capellano suo. Rarò accidebat, quin quotidie duas Missas audiret, & frequenter tres vel quatuor. 204

Porrò si Regibus, tot negotiorum mole, ac Reipublicæ administratione occupatis, tempus non defuit persolvendi tam multiplex Officium (prosequitur Natalis Alexander) multò minùs deerit Clericis ac Religiosis viris, quantumvis studio & verbi Dei prædicatione occupatis, modò ipsis pietatis studium, Deique amor non desint. Et breve temporis spatium, quod ideò ex reliquo die succident, Deus benedictione suâ compensabit, majorem in studiis, & concionibus parandis facilitatem, felicioremque donans exitum. *Parum* enim *studia nostra, concionesque proficiunt, nisi Dominus intùs nos docuerit, suoque lumine & gratiâ illustraverit, ac verbum dederit evangelizantibus virtute multa..... Nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Et.... adjumenta doctrinæ tunc prosunt animæ, adhibita per hominem, cùm Deus operatur ut prosint. Quod pietate magis orationis, quàm oratorum facultate prædicator fieri non dubitet, ut orando pro se, & pro illis quos est allocuturus, sit orator antequam dictor..... Priusquam exerat profe-* 205

rentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet quod biberit. Verba sunt Augustini l. 4. de doctr. christ. c. 15.

CAPUT XXVII.

Causæ excusantes ab Horarum recitatione.

206 PRima causa est impotentia, sive physica (ut si careas Breviario, nec comparare possis, nec memoriter scias) sive moralis, ut si gravi detinearis infirmitate, nec Officium persolvere queas absque gravi capitis vel corporis incommodo, vel dolore: tunc enim pia Mater Ecclesia addere non intendit afflictionem afflicto. Idem est si inter hæreticos degens, graves ab ipsis cruciatus probabiliter metuas, si per Horarum recitationem agnoscaris.

207 Monet tamen S. Carolus cum Concilio suo IV. Mediolanensi tit. de vita & honest. Cleric. febri, morbovè aliquo, vel adversâ valetudine leviter aliquando laborantem, justam propterea excusationem non habere, quamobrem Officium Canonicum intermittat, omittatvè. Itaque siquando corporis infirmitate affectus est, ipse pro sua conscientia rectè videat, quid præstare possit, ne omittendo graviter peccet, ac beneficii, si quod habet, fructus suos non faciat. Unde infirmitates non adeò graves, v. g. febris tertiana, vel quartana, dolor capitis, vel stomachi, &c. juxta communem sententiam regulariter non excusat, tametsi Leander qq. Moral. p. 1. tr. 8. disp. 5. q. 23. excuset laborantem tertianâ, & q. 24. laborantem quartanâ. Idque Gobat n. 715. admittat pro die paroxismi. Tam largè de seipso non sensit Navarrus, sic loquens in Manuali c. 25. n. 100. *Equidem ipse non sum ausus excusare me ob ægritudinem, à pronuntiandis Horis, nisi uno, vel altero die, spatio septuaginta circiter annorum, quibus recito, licèt quinquies conclamatus fuerim.*

208 Si quem tamen deseruerit gravis febris, non tenetur statim recitare, sed tantisper differre potest, si alioqui periculum sit reincidentiæ. Si tamen possit Sacrum facere, cur eum Gobat ibidem cum Sanchez liberat ab Officii recitatione? Cur Sancius apud ipsum n. 716. indistinctè dicit, quòd qui nequit recitare Breviarium cum attentione, melius est ut penitùs omittat? Cùm inde consequens sit, eum qui à natura vel habitu tam vagabundæ est phantasiæ, ut quando orat, soleat totâ ferè oratione distractus esse, meliùs omissurum, quàm recitaturum. Sancio Gobat nihilominùs assentitur, quando quis propter maximum strepitum, vel mœrorem ingentissimum attendere non potest ad verba. Sed quidni virtualiter saltem attendere possit, faciendo quod potest & debet, distractionibus utique non consentiendo, eas pro posse rejiciendo, divinum auxilium implorando, &c.?

209 Toletus (prosequitur Gobat) eximit absolutè cæcum, etsi tenentem memoriâ Breviarium. Sed hoc Doctores communiter meritò improbant: cùm ipsi nec desit potentia physica, nec moralis. Quam ob causam immeritò quoque Tamburinus, & Leander apud eundem n. 718. excusant laborantem ex oculis, qui fabulas legit, vel historias, sed timet ne videndi vim amittat, si legat Horas. An non hoc est plus tribuere inani imaginationi, quàm timori prudenti? Si suo non timet visui legendo historias, cur timet legendo Horas? Improbabiliter etiam Cotonius apud eundem n. 719. censet, fessum ex labore, itinere, vel negotiis, accidentaliter aliquando occurrentibus, Officium in sero dilatum posse omittere: quia comparatur infirmo. Quippe ob ratiunculam levissimam, contradicit cæteris passim Doctoribus; nec enim infirmo verè est comparandus; nec omnis infirmus excusatur, nec fatigatio adimit tantum virium, quantum necesse est ad Officium persolvendum. Potiùs de somno aliquid detrahat, quàm Officium dimittat. Tantæ profectò laxitates non videntur tolerandæ.

Sed quid de Parocho, qui culpâ suâ ac 210
negligentiâ distulit parvas Horas usque ad decimam noctis, tuncque vocatus ad audiendam confessionem infirmi, mediâ ante duodecimam redit (ex diurno labore fatigatus) nondum cœnatus; nec cœnare potest post mediam noctem: quia sequenti die festo debet celebrare? Talem ab Horis illis recitandis excusat Gobat n. 724. Sicut enim valdè fatigatus ex labore inutili vel improbo, jus habet cœnandi, non obstante die jejunii; ita & dictus Curio, non obstante lege, Horas recitandi: utpote à qua tunc deobligatur, sicut ille à lege jejunii. Sed licèt talem à lege jejunii excuset Gobat cum Sanchez, id tamen probabile non esse ostendemus, dum de jejunio agemus. Unde sicut ille non excusatur à lege jejunii; ita nec Parochus à lege Officii recitandi. Sibi imputet quòd de sua cœna tantum temporis detrahere debeat, quantum necesse est ad persolvendum Horas, quas in illud tempus suâ culpâ distulit; quòdque proinde abstinere debeat à plena cœna, vel etiam majori parte illius. Non est ista incommoditas tanta, ut talem valeat excusare.

Certè hîc nimiùm à nonnullis laxantur ha- 211
benæ. Et ideò nec illi audiendi, qui cum Henriquez l. 4. c. 4. aiunt, eum qui ex paroxismo febrili v. g. prævidet se impeditum iri, quominùs suo tempore Horas v. g. vespertinas recitet, non teneri ad præveniendum, licèt commodè possit. Contrarium enim meritò docent Lessius, Sanchez, Arriaga, imò & ipse Diana p. 4. tr.... resol. 10. præveniendique obligationem timoratorum omnium sensus & usus satis ostendit. Ostendit & ratio, quia sicut qui manè non potuit recitare v. g. Primam, Tertiam, Sextam, recitare tenetur vespere, si tunc possit; sic qui vespere non poterit recitare Vesperas & Completorium, recitare tenetur

manè, si tunc possit, ut præcepto recitandi eo modo satisfaciat, quo potest.

212 Nec audiendi, qui cum Lessio, Palao, & Tamburino aiunt, impotentem ad majorem Officii partem, non teneri ad minorem, licèt ad eam potens sit: quia major pars (inquiunt) trahit ad se minorem. Contrà est enim quòd deobligatus à majori Officii parte, ob impotentiam, non deobligetur à minori, dum ratio ob quam deobligatur à majori (impotentia scilicet) non habet locum in minori; ut patet à simili in Subdiacono v. g. qui circa meridiem ordinatus deobligatur ab Horis matutinis, quia earum tempore nondùm erat in statu obligante; non tamen à Vesperis & Completorio, ob contrariam rationem. Patet etiam in eo qui debens centum, & non valens solvere nisi decem, sine dubio solvere debet decem, licèt solvere non debeat centum. Patet denique in eo qui memoriâ tenet minorem Officii partem, v. g. Vesperas & Completorium, non Matutinas: tenetur quippe ad partem quam memoriter scit, non ad eam quam nescit, si Breviarium nec habeat, nec habere possit. Unde patet quòd major pars non trahit ad se minorem, dum obligatio non est indivisibilis; nec proinde indivisibiliter trahit ad se minorem; nec ratio quæ est pro majori, locum habet in minori.

213 Similiter audiendi non sunt Caramuel in Reg. S. Bened. disp. 115. n. 1445. Sancius in select. disp. 41. n. 2. Tambutinus, Diana, &c. dicentes, eum qui non potest Horas recitare solus, benè cum socio, ad hoc non teneri, licèt socium facilè habere possit, vel etiam socius ipsi se ultrò offerat. Certum est enim quòd talis non sit moraliter impotens. Quare ergo excusaretur? Quia (inquiunt) posse recitare cum socio gratia est, seu privilegium, quo uti nemo tenetur. Sed quis non obstupescat similibus cavillis, ac futilibus argutiis Ecclesiæ præceptis illudi? Quasi verò Ecclesia, Officii præcipiens recitationem, eo ipso non præcipiat mediorum (facilè comparabilium) usum, quibus recitatio fieri potest, & sine quibus non potest? Usus ergo socii liber quidem est, & gratiosus, respectivè ad eos qui sine socio recitare possunt; sed non respectivè ad eum qui sine socio non potest? Quam enim excusationem ipse prætendere potest, si tunc recitare negligat, dum minori labore recitare potest cum adjutorio socii, ultrò se offerentis, vel ad primam petitionem parati? Et quæ apparentia tunc onus detrectare, cùm levius est ferendo, & præstò est adjutor, alternâ recitatione minuens laborem, tollensque recitandi fastidium? Talem ergo meritò communis obligat sententia.

214 Secunda causa à Breviario excusans, est charitas, quâ quis cogitur v. g. assistere moriturienti, vel periculosè laborantis confessionem tam longam audire, ut non relinquat tempus Breviario recitando. Quia cùm charitas sit regina virtutum, ei cedere debet religio, vel etiam justitia, quâ teneris Horas recitare, ut passim Doctores tradunt.

Idem censent Sanchez & alii (apud Gobat n. 727.) si paranda sit subitò concio, vel si tempore Paschali vel Jubilæi obruat te pœnitentium multitudo. Sed hoc non probo: quàm multi enim insignes Parochi, Confessariique, totos penè dies affixi sunt Confessionali, nec tamen censent ideò se excusatos, etiam tempore Paschali, vel Jubilæi; sed sic se debere alienæ vacare saluti, ut sibi tempus inveniant vacandi Canonicæ Orationi. Detrahant potiùs aliquid de somno suo, ut saluti suæ vacent & Deo. Si autem benè tempus inveniant comedendi & dormiendi, quidni & orandi? Quoad parandam concionem, relege quæ dicta sunt n. 201. & 202. & videbis meliùs succedsuram concionem, si Canonica non omittatur Oratio. Denique si pii Reges ac Principes, toto die magnis in negotiis occupati, benè equidem inveniunt tempus vacandi orationi unius vel plurium horarum, ut visum est ibi, quidni etiam Concionatores & Confessarii? 215

Cave ergo asserere cum Leandro q. 37. recitationem Breviarii esse incompossibilem cum onere concionandi quotidie; per consequens tales Concionatores communiter excusare. Nihil enim de ista incompossibilitate scitur in Gallia, Germania, Italia, Belgio, &c. nihil in India, ubi S. Franciscus Xaverius, totque alii sancti Missionarii, quotidie ferè concionantes, catechisantes, &c. quotidie nihilominùs pensum Canonicum persolverunt, & etiamnùm persolvunt. Prætensæ illæ incompossibilitates contra se habent communem sensum & usum timoratorum, Concionatorum, & Missionariorum; adeòque fictitiæ sunt, & ad nimiam laxitatem inducunt. Sicut & opinio Bordoni apud Dianam p. 10. tr. 11. resol. 32. Concionatorem Quadragesimalem excusantis, quando tam felicis non est memoriæ, ut modico tempore suas addiscere queat conciones. Unde id meritò rejicit Diana ibidem, cum Suarez, & aliis communiter. 216

Multò magis rejicienda est opinio Caramuelis ubi suprà n. 1442. legitimè occupatum usque ad meridiem excusantis ab Horis matutinis, & ad solas pomeridianas obligantis. Quia obligatio totum diem afficit; ei proinde post meridiem satisfaciendum, si priùs ei non fuerit satisfactum; idque satis ostendit usus timoratorum omnium. 217

Nec mirum quòd Author iste in eam incidenaverit laxitatem, qui tot alias improbabiles & intolerabiles tradidit in Commentario super Reg. S. Benedicti, & in Theologia sua fundamentali, ubi n. 500. & 502. docuit, simplicem Matutinarum recitationem, si fiat sub vesperam, duorum dierum obligationi satisfacere. Quæ est trigesima quinta propositio ab Alexandro VII. damnata, sub hoc tenore: *Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti & crastino.* In Com- 218

mentario verò super Reg. S. Benedicti n. 1446. modum suggerit sine peccato excutiendi, longo tempore, obligationem Breviarii recitandi; partim beneficio probabilitatis opinionum contrariarum, modò unam sequendo, deinde oppositam; partim beneficio diversorum horologiorum, quæ, si bona sint, & diligenter dirigantur, habent (inquit) vim opinionis probabilis. Et hinc siquis, in Civitate, ubi plura sunt horologia, alia aliis tardiora, sequi volens ultimum horologium, Horas differat usque ad duodecimam noctis, pulsatam in primo horologio; deinde primum sequendo, dicat effluxisse diem, nec proinde superesse obligationem. Hoc pacto (inquit) ab Horarum recitatione excusabitur. Et alia ejusmodi habet ridicula commenta, explosione magis quàm refutatione digna.

219 Tertia causa excusans à recitatione Horarum, est legitima dispensatio; quæ tamen concedi nequit, nisi à Summo Pontifice, vel ab eo cui dispensandi potestatem ipse commisit. Quia in lege superioris inferior sine facultate ipsius dispensare non potest. Lex autem obligans ad Horas, Ecclesiæ lex est; dispensatio proinde relaxans obligationem illam, spectat ad Ecclesiam, sive ad Caput illius.

220 Facultatem verò dispensandi cum infirmis subditis suis, à Summo Pontifice habent Prælati Ordinum Mendicantium, plurimorumque aliorum Ordinum, prout constat ex dictis n. 118. Quod tamen ibi diximus, id ipsos posse per viam commutationis, id non est intelligendum de commutatione in opus æquale, sed in aliquod opus pium, seu leviorem orationem, vel id quod Prælatis vel Confessoribus suis rationabile visum fuerit: durante tamen infirmitate, uti habetur in privilegio Fratrum Ordinis S. Hieronymi, relato in Compendio privilegiorum Societatis verbo *infirmi* §. 2. ubi sic: *per privilegium Fratrum S. Hieronymi, nostri infirmi, senes, ac valetudinarii, qui tenentur ad Horas Canonicas, satisfaciunt recitando aliquos Psalmos, vel id quod suis Confessariis visum fuerit.* Paragrapho verò 1. ibidem dixerat commutationem fieri posse *in aliud opus pium, seu leviorem orationem.* Et §. 3. *per privilegium concessum ab Eugenio IV. Fratribus S. Hieronymi, nostri infirmi, seu debiles, satisfaciunt Horis Canonicis, ad quas tenentur, audiendo eas ab alio vel ab aliis recitari.*

CAPUT XXVIII.

Cultus Deiparæ Virginis & Sanctorum primo Decalogi præcepto non adversatur.

221 QUamvis enim primo præcepto solus Deus adorari præcipiatur *latriâ*: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Apostolus quoque 1. Timoth. 1. dicat: *Soli Deo honor & gloria*; ideòque contra primum præceptum faceret, qui Deiparam Virginem cultu latriæ, sive præcipuo & divino coleret, vel etiam Sanctos alios: non est hoc quod faciunt Catholici, sed Deiparam solo cultu inferiori, *hyperduliâ* scilicet; reliquos verò Sanctos colunt *duliâ*.

Enimverò immensùm differre cultum, quem 222
Deiparæ & Sanctis Ecclesia defert, ab eo quem Deo exhibet, inde manifestum est, quòd solum Deum credat infinitè excellentem, solum rerum omnium Conditorem, Supremumque Dominum, solum qui nos beatos possit efficere, seipso, velut summo & infinito bono nobis communicato; soli proinde ipsi supremum exhibet cultum; soli ipsi offert sacrificium, ideò institutum, ut super omnia Deum esse, creaturamque omnem ab ipso velut primo principio & supremo Domino dependere, publicâ solemnique prædicet obtestatione.

Religiosum verò cultum omnem, quem 223
Deiparæ & Sanctis deferimus, Ecclesia Catholica docet ad unum Deum, tamquam ad finem ultimum referri oportere; neque enim Deiparam Ecclesia colit tamquam Deum; sed tamquam Dei Matrem; reliquos verò Sanctos velut Dei amicos, & filios, cum ipso æternùm regnaturos.

Quâ ratione cultum, seu aliquam adora- 224
tionis speciem ipsis deberi, ipsamet ratio naturalis dictat. Quid est enim adoratio, seu cultus in genere? Nihil nisi honor cum submissione. Quid est honor? *Dicendum* (ait S. Thomas q. 103. a. 1.) *quòd honor testificationem quandam importat de excellentia alicujus.* Atqui dignum & justum est uniuscujusque excellentiam testificari, juxta gradum suum. Dignum & justum, submittere se Reginæ Angelorum & hominum, Dei genitrici, sicut & reliquis Sanctis cum Deo regnantibus, quorum minimus in excellentia major est omnibus in hac vita degentibus, juxta illud Matth. 11. *Qui minor est in regno cœlorum, major est Joanne Baptista.* Cùm igitur hæretici fateantur se honorem cum submissione suis debere Magistratibus & Principibus, juxta politicam excellentiam ipsorum: prorsus contra rationem damnant Catholicos, confitentes se debere sacrum honorem cum submissione Magistratibus & Principibus cæli, ob sacram ipsorum excellentiam. Id enim vel ipsa ratio naturalis dictat: siquidem *honor debetur optimis*, ut Philosophus dicit 4. Ethic. 3. At nulli (post Deum) meliores, quàm qui fonte totius bonitatis inamissibiliter fruuntur.

Nec sola id ratio naturalis docet, sed & 225
divina Scriptura. 1°. namque Deus ipse Sanctos suos honorat 1. Reg. 2. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* Et Psal. 90. *Eripiam eum, & glorificabo eum.* Psal. 138. *Nimis honorificati amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Et quibus non miraculis Sanctos suos Deus mirificat & glorificat in terris?

2°. Abraham Genes. 18. Lot Genes. 19. Josue c. 5. adorant Angelos.

3°.

3°. Sancti adhuc in terris degentes meritò honorantur. Nam Abdias 3. Reg. 18. *cecidit super faciem suam ante Eliam.* 4. Reg. 1. *curvavit genua contra Eliam, & precatus est eum.* Et c. 2. *Filii Prophetarum adoraverunt Elisæum proni in terram.* Igitur multò magis honorandi sunt Sancti regnantes in cælis.

226 Objiciunt hæretici 1°. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

Respondeo ibi sermonem non esse de quacumque adoratione, seu honore & servitute, uti nec 1. Timoth. 1. cùm dicitur, *soli Deo honor*; sed de adoratione & honore latriæ. Aliàs Apostolus contradiceret sibi Rom. 1. *Honor omni operanti bonum.* Et c. 12. *Honore invicem prævenientes.* 1. Petri 2. *Omnes honorate.* Cùmque ibidem v. 13. & 14. Petrus dicat: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus, tamquam à Deo missis..... quia sic est voluntas Dei*, manifestum est verba illa primi præcepti, *illi soli servies*, intelligi non posse de servitute quacumque, sed latriæ.

227 Objiciunt 2°. Apostolus Coloss. 2. culpat religiosum cultum Angelorum: *Nemo vos seducat in religione Angelorum.*

Respondeo cum S. Augustino hæresi 33. Et Epiphanio hæresi 60. ibi non culpari quemcumque cultum religiosum Angelorum (certum est enim Apostolum ibi non culpare Abraham, Lot, & Josue, de quibus suprà) sed divinum & superstitiosum, quem Angelis præstare cœperant Colossenses quidam seducti, ita ut Angeli ab ipsis crederentur esse Mediatores & Caput nostrum, loco Christi, & ab ipsis *non teneretur Caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones constructum crescit in augmentum Dei*, prout Apostolus subjungit ibidem.

228 Objiciunt 3°. Angelus Apocal. 19. adorari noluit à Joanne Evangelista; nec Petrus à Centurione. Act. 10. nec Paulus & Barnabas à Lycaonibus. Act. 14.

Respondeo cum S. Thoma q. 103. a. 2. ad 1. quòd Angelus prohibuit Joannem, non à quacumque adoratione, sed latriæ, quæ debetur Deo; vel etiam ab honoratione duliæ, per urbanitatem, ut ostenderet ipsius Joannis dignitatem, quâ per Christum erat Angelis adæquatus, secundùm speciem gloriæ filiorum Dei; imò quodammodò supra Angelos sublimatus per eminentem gloriam Apostolatûs, & Sacerdotii Christi. *Per urbanitatem* (inquam) quia & urbanitas in cælis obtinet, & benè Angelus per religiosam deferentiam ostendere voluit, quanti naturam humanam ob Verbi Incarnationem faceret; adeòque adorari noluit, tamquam superior, ab eo quem agnovit sibi non modò æqualem, verùm etiam titulis proximè dictis superiorem. Petrus autem ex modestia & humilitate, recusavit Centurionis adorationem. Paulus denique & Barnabas id fecerunt, quia viderunt Lycaones putare ipsos deos, Paulum scilicet Jovem, & Barnabam Mercurium, uti constat ex textu.

Objiciunt 4°. cultus Sanctorum injuriosus est Deo, qui solus à nobis colendus est & honorandus. 229

Respondeo non solùm non esse injuriosum Deo; quin Deum potiùs honorari & laudari in Sanctis suis, juxta illud: *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* Psal. 150. Ipsos enim honoramus propter excellentiam ipsorum, in eo consistentem, quòd sint uniti Deo, amicique ipsius in æternum effecti; & ideò tantò majorem credimus excellentiam ipsorum, quantò magis uniti sunt Deo, ipsique similiores in sanctitate. In ipsis proinde Deum colimus, quia in ipsis agnoscimus rivulum quemdam excellentiæ Dei, sive quamdam cum Deo similitudinem, simili ferè modo quo Raguel Tob. 7. viso Tobia juniore, dixit Annæ uxori suæ, *quàm similis est juvenis iste consobrino meo*, Tobiæ utique seniori? & agnito quòd filius esset ipsius, *misit se Raguel, & cum lachrymis osculatus est eum, & plorans super collum ejus, dixit: Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni & optimi viri filius es.* Quemadmodùm ergo Raguel, intuitu Tobiæ senioris, ex maximoque erga eum affectu, Tobiam dilexit juniorem, velut patri suo similem; sic Catholici, ex maximo erga Deum affectu & reverentia, Sanctos diligunt & venerantur, velut Dei filios, Deoque eatenùs similes, quatenùs in ipsis, propter unionem cum Deo, specialiter divinæ relucent perfectiones, ita ut ipsos diligant, ac venerentur, quia Dei optimi filii sunt, ipsumque modò speciali repræsentant; sic proinde ut in ipsis honoretur ac diligatur Deus.

Objiciunt 5°. Maria Virgo à Catholicis adoratur latriâ 1°. quia extat apud ipsos pictura quædam S. Bernardi, in qua ex uno latere Christus pendet in Cruce, ex alio latere Maria lactat Jesulum, & addita est epigraphe: *Quò me vertam, nescio.* 2°. aliquando sic oramus Mariam: *Jure Matris impera Filio.* 3°. extant apud nos Psalmi quidam Mariani, in quibus Mariæ tribuimus epitheta Dei, ut quòd sit spes nostra, vita, firmamentum, &c. 4°. tribuimus ipsi titulum Reginæ cæli & terræ. Ergo facimus ipsam Deam. 230

Respondeo antecedens esse puram putam calumniam. Ad 1^am. ejus probationem respondeo S. Bernardum per hoc non æquare Matrem Filio, sed Mysterium Incarnationis, Mysterio Dominicæ Passionis, ita ut nesciat Bernardus utrùm majorem isti, quàm illi Mysterio debeat devotionem.

Ad 2^am. respondeo Catholicos id non intelligere de stricto imperio (prout de stricta obedientia non intelligitur illud quòd Josue 10. Deus dicitur *obedivisse voci hominis*) sed de imperio latè & impropriè dicto, nec aliud velle, nisi quòd dum Maria orans supplicat Filio, reverentia Matris quasi cogit Filium ad conce- 231

dendum quod petit. Si enim Deus benè dicitur obedivisse voci Josue; quidni & Dei Filius voci suæ Matris orantis?

232 Ad 3am. respondeo, epitheta ista à Catholicis non tribui Mariæ, eo sensu quo tribuuntur Deo: nullus enim Catholicus ipsam agnoscit primum principium vitæ nostræ, supremum & independens fundamentum vitæ nostræ, &c. solùm ergo ipsi tribuuntur, hoc sensu, quòd sit principium morale; cujus meritis ac precibus spiritualiter vivimus, & speramus vitam æternam.

Ad 4am. respondeo, titulum Reginæ cæli & terræ à Catholicis non tribui Mariæ ut Deæ, sed ut Matri Dei: si enim Augusta gaudet titulis Augusti, & feminæ maritorum titulis decorantur, quidni Mater Dei titulis decoretur Filii, licèt alio & alio sensu?

233 Objiciunt 6°. Mardochæus noluit adorare Aman, ne *honorem Dei transferret ad hominem*, ut dicitur Esther 3.

Respondeo cum S. Thoma q. 84. a. 1. ad 1. *quòd aliâ veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad latriam; & aliâ veneratione quasdam excellentes creaturas, quod pertinet ad duliam. Et quia ea quæ exteriùs aguntur, signa sunt interioris reverentiæ: quædam exteriora ad reverentiam pertinentia exhibentur excellentibus creaturis, inter quæ maximum est adoratio: sed aliquid est quod soli Deo exhibetur, scilicet sacrificium. Unde Augustinus dicit in l. 10. de Civit. Dei c. 4....* „ Quis sacrificandum „ censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut „ putavit, aut finxit? „ *Secundùm reverentiam ergo quæ creaturæ excellenti debetur, Nathan adoravit David; secundùm autem reverentiam, quæ debetur Deo, Mardochæus noluit adorare Aman, timens ne honorem Dei transferret ad hominem.... Et similiter secundùm reverentiam debitam creaturæ excellenti, Abraham adoravit Angelos, & etiam Josue, ut legitur Josue 5. Quamvis possit intelligi, quòd adoraverint adoratione latriæ Deum, qui in persona Angeli apparebat, & loquebatur. Secundùm autem reverentiam quæ debetur Deo, prohibitus est Joannes adorare Angelum Apoc. ult. Tum ad ostendendum dignitatem hominis, quam adeptus est per Christum, ut Angelis æquetur; unde ibi subditur:* „ Conservus tuus „ sum, & fratrum tuorum. „ *Tum etiam ad excludendum idololatriæ occasionem; unde subditur:* “ Deum adora. “

CAPUT XXIX.

Errores vitandi circa cultum Sanctorum.

234 PRimus est persuasio vana, quòd quisquis honorat talem vel talem Sanctum, vel quicumque sunt de tali vel tali Confraternitate, damnari non possint, nec sine Confessione mori. Contra hunc errorem Concilium Provinciale Cameracense anni 1565. tit. de Sanctis cap. 6. sic habet: *Doceatur populus, preces quidem Sanctorum admodùm utiles esse ad impetranda dona, non modò corporalia & temporalia, sed etiam spiritualia & æterna; sed abominandam esse eorum vanitatem, ac superstitionem, qui certò sibi pollicentur, non ex hac vita migraturos sine pœnitentia & Sacramentis, qui hunc illumve ex divis coluerunt*, &c. Potiùs audienda est Veritas, quæ dicit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Sanctorum ergo cultus, piarum quoque Confraternitatum usus, sine dubio utilis est, & commendandus, sed ut Sanctorum ac Deiparæ imprimis Virginis precibus ac meritis gratias obtineamus necessarias, specialiaque auxilia ad servanda mandata, consequendamque eorum observatione vitam æternam. Quam si nobis promittamus perseverando in prævaricatione mandatorum, sub spe quòd sine pœnitentia & Sacramentis non moriemur, pessima est ista præsumptio de misericordia Dei. Contra quam vide quæ dixi agendo de peccatis spei oppositis.

Secundus error est, dum superstitiosa ali- 234
qua miscentur in cultu Sanctorum, sive consistentia in certo quodam candelarum numero, vel forma, sive in superstitiosa precum quarumdam recitatione, &c. Qua de re plura ubi de superstitione.

Tertius error est illorum, qui Sanctos sic 235
colunt, invocantque, quasi per seipsos largiri possent ea quæ petimus. Ad cavendum errorem istum, Catechismus Romanus p. 4. agens de orat. §. *quis orandus*, sic monet fideles: *Non eodem modo Deum & Sanctos imploramus. Nam precamur Deum, ut ipse vel bona det, vel liberet à malis; à Sanctis autem, quia gratiosi sunt apud Deum, petimus, ut nostri patrocinium suscipiant, ut nobis à Deo impetrent ea quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas, modo differentes. Ad Deum enim propriè dicimus: miserere nobis: audì nos. Ad Sanctum: ora pro nobis.* Quamquam etiam licet aliâ quâdam ratione petere à Sanctis ipsis, ut nostri misereantur: sunt enim maximè misericordes. Itaque possumus precari eos, ut conditionis nostræ miserià permoti, suâ nos apud Deum gratiâ ac deprecatione juvent.

Quartus error est illorum, qui sic recur- 236
runt ad Sanctos, ut ea quæ petunt, simul non petant in nomine Christi. *Vult enim Dei Filius orationem nostram ad Patrem suo nomine pervenire* (ait Catechismus Romanus ibidem c. 8. n. 6.) *quæ ejus merito, & gratiâ deprecatoris id pondus assequitur, ut à cœlesti Patre audiatur.* Est enim ejus illa vox apud Joannem c. 16. *Amen, amen dico vobis, siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modò non petistis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis.....* Et iterùm.... *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Unde Ecclesia publicas orationes suas concludere solet, *per Christum Dominum nostrum.* Itaque semper implorare debemus Christum ut primarium Mediatorem nostrum,

si

si non ore, saltem corde, per merita ipsius expectando bona quæ petimus, conformiter Tridentino sess. 25. in decreto de invocatione Sanctorum, ubi docet, *bonum & utile esse Sanctos suppliciter invocare, & ad beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere.* Enimverò nihil voluit nos Deus habere, in ordine gratiæ, nisi per Christum, nec ipsi Sancti accessum habent ad Deum, nisi per ipsum. *Elegit nos in ipso*, ait Apostolus Ephes. 1. & ipsemet Christus Joan. 14. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

238 Quintus error est illorum, qui tam rudes sunt, ut nisi vocaliter Sanctos invocent, sibi non videantur sufficienter invocare, quasi auribus corporeis Sancti cognoscere debeant invocationem nostram, aliàs non cognituri: cùm tamen in superioribus ostensum sit necesse non esse, ut Sancti per se immediatè preces nostras cognoscant; sed satis esse quòd eas cognoscant manifestante Deo, qui videt abscondita cordis nostri: unde & scriptum est, *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.*

CAPUT XXX.

Sacrarum Reliquiarum honor primo Decalogi præcepto non prohibetur.

239 SEquitur ex dictis cap. 27. Si enim Sancti sunt honorandi, consequenter honoranda sunt corpora ipsorum, quæ viva membra fuerunt Christi, uti Tridentinum sess. 25. definit dicens: *Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritûs sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, a fidelibus veneranda esse; per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur:* ita ut contrarium affirmantes, damnet, utpote Novatores, toti Antiquitati contradicentes. Quod enim facimus, præcipui Patres fecerunt, faciendumque docuerunt, teste ipsomet Daillæo, celebri apud Calvinistas Ministro, in libro scripto contra Traditionem Latinorum, ubi candidè fatetur, sanctos Basilium, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Gregorium Nazianzenum id fecisse ac docuisse, ita ut ipsos propterea Reliquiarios vocet. Sed ipsum, cæterosque hæreticos confundit Deus, per miracula quæ ad sepulchra Martyrum, aliorumque Sanctorum quotidie perpetrat, etiam mortuos ad vitam revocando, prout olim ad vitam revocavit cadaver illatum in sepulchrum Elisæi; tactis quippe ossibus ipsius statim revixit. 4. Reg. 13. Unde Eccli. 48. *Mortuum prophetavit corpus ejus. In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.* Quæ profectò miracula probant honorem Sanctorum Reliquiis debitum, cùm eas Deus miraculis honoret. Miracula verò ad Sanctorum Reliquias patrata se vidisse testantur Ambrosius in exhortatione ad virginit. c. 1. & 2. & epist. 22. Necnon Augustinus l. 9. Confess. c. 7. l. 22. de Civit. Dei c. 8. & serm. 92. de divers. ubi de Reliquiis S. Stephani: *Exiguus* (inquit) *pulvis tantum populum congregavit; cinis latet, beneficia patent. Cogitate charissimi, quæ nobis Deus servet in regione vivorum, qui tanta præstat de pulvere mortuorum.*

Nec honor iste divino præjudicat honori: 240
quia, ut D. Hieronymus ait l. contra Vigilantium, qui sacrarum Reliquiarum honorem primus impugnavit: *Honoramus Reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait:* " Qui vos suscipit, me " suscipit. Et, quod uni ex minimis meis feci- " stis, mihi feciſtis. "

CAPUT XXXI.

Usus ac veneratio sacrarum imaginum eidem præcepto non contrariatur.

SAcras imagines Christi, Deiparæ Virginis, 241
& Sanctorum in cælo regnantium, venerandas esse, nec id primo præcepto vetitum esse, ex verbo Dei non scripto, seu Traditione habemus, per Canalem SS. Patrum, & Conciliorum, Concilii scilicet Nicæni II. & Tridentini sess. 25. Enimverò ille ipse, qui Exodi 10. dixit: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea neque coles, tamquam* utique dii sint, uti Gentiles putabant: ille ipse (inquam) Exodi c. 25. dixit: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies.* Et n. 21. *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo.* Et Salomon 3. Reg. 6. *Fecit in oraculo duos Cherubim, de lignis olivarum.... & omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis, & torno, & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete & egredientes.* Sed quia sculptilia ista & similitudines non fecit ut adorarentur tamquam dii, contra primum præceptum non fecit.

Unde Gregorius Magnus l. 7. epist. 54. ad 242
Secundinum inclusum, qui ab ipso Christi imaginem postulaverat: *Valdè* (inquit) *nobis postulatio tua placuit: quia illum toto corde, totâ intentione quæris, cujus imaginem præ oculis habere desideras, ut te visio corporalis quotidiana reddat exercitatum, ut dum picturam illius vides, ad illum animo inardescas, cujus imaginem videre desideras.... Scio quidem quòd imaginem Salvatoris nostri non ideò petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei, in ejus amore recalescas, cujus imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem, ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum, aut passum, sed & in Throno sedentem re-*

cordamur. Et *dum nobis ipsa pictura, quasi scriptura, ad memoriam Filium Dei reducit, animum nostrum, aut de Resurrectione lætificat, aut de Passione demulcet.*

243 Magnæ proinde utilitates nobis ex sacris imaginibus proveniunt. Prima, quòd earum intuitu in mentem nostram redeant Deus, Christus, fidei mysteria, & inde ad varios pios affectus excitemur.

Secunda, quòd per eas idiotæ & rudes eadem mysteria edoceantur.

Tertia, quòd in piis imaginibus Deum & Sanctos honoremus.

Quarta, quòd recordatione virtutum, quarum nobis exemplum Sancti dederunt, & gloriæ quam per eas promeruerunt, ad eorum imitationem exardescamus.

244 Meritò proinde Nicænum II. act. 7. can. 7. sic loquitur: *Impiam hæresim eorum, qui Christianos accusant, alia quoque impia consecuta sunt. Quemadmodùm enim venerabilium imaginum aspectum ex Ecclesia sustulerunt, alios quoque mores reliquerunt, quos quidem oportet renovari, & tam ex jure scripto, quam non scripto sic observari.* Et Tridentinum loco citato: *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quòd credatur inesse aliqua in eis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quòd ab eis sit aliquid petendum; vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.*

245 Istum Ecclesiæ Romanæ sensum pariter exprimit Pontificale Romanum, in Benedictione imaginum: *Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines, seu effigies sculpi aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus & sanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur; hanc, quæsumus, imaginem, in honorem ac memoriam B. Apostoli tui, vel Martyris, Confessoris, aut Virginis adaptatam, benedicere ac sanctificare digneris; & præsta, ut quicumque* CORAM ILLA, *ipsum gloriosissimum Apostolum, vel Martyrem, Confessorem, aut Virginem suppliciter honorare studuerit, illius precibus, ac obtentu, à te gratiam in præsenti, & æternam gloriam obtineat in futuro. Per D. N. Jesum Christum Filium tuum,* &c.

246 Quisquis ergo Romanæ Ecclesiæ intimos sensus perpenderit, is planè perspiciet, & in honore, quem Sanctorum imaginibus præstat, imagines propter ipsas non colere, sed propter Sanctos in iis repræsentatos; sicut honor imagini Regis non exhibetur propter ipsam, sed propter Regem. Unde nec iste honor absolutus est, sed respectivus. Attendantur singula Concilii Tridentini verba n. 244. relata. Sunt enim totidem notæ, quibus ab idololatris secernamur, uti sapienter advertit Illustriss. D. Jacobus Bossuet, Episcopus Condomensis, in sua doctrinæ catholicæ expositione; cùm adeò ab illis dissentiamus, credentibus divinum quid imaginibus deesse, ut nullam eis virtutem tribuamus, nisi prototyporum in nobis excitandæ recordationis; negari enim non potest, Christi crucifixi effigiem, ob oculos nostros positam, in nobis excitare memoriam ejus qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis.

Parum igitur æquos esse oportet eos, qui 247
idololatricum vocant affectum religiosum, quo caput coram crucis imagine aperimus, & inclinamus, illius memores qui pro nobis crucifixus est; magnaque est cæcitas, non advertere discrimen, inter eos qui in idolis confidebant, quòd divinitatem iis quandam vel virtutem affixam crederent, & Catholicos, qui in Sanctis ipsum Deum, omnis sanctitatis & gratiæ Authorem, venerantur.

Similiter quisquis accuratè perpenderit ea 248
quæ hactenùs dicta sunt de cultu & invocatione Sanctorum, prorsus iniquum esse videbit, nos arguere, quasi creaturæ, quod Dei proprium est, idololatrarum more tribuamus: cùm, ut sæpiùs dixi, Sanctis excellentiam non tribuamus, nisi infinitè divinâ inferiorem, nullam nisi quæ à Deo proficiscatur; nullam etiam dignitatem, nisi virtutibus quæsitam; nullam virtutem, nisi quæ divinæ gratiæ donum sit; nullam denique notitiam, nisi à Deo communicatam. Unde calumniantur, qui nos arguunt, quasi dum preces ad Sanctos dirigimus, immensitatem quandam ipsis tribuamus; quasi (inquam) ubique præsentes esse debeant, ad audiendas preces nostras. Nullus è Catholicis hoc unquam somniavit, nec ubiquitatem ipsis necessariam asseruit, ut preces nostras, Deo per se, vel per Angelos manifestante, cognoscant: quòd enim preces nostras, vel tacitas voluntates ex seipsis non cognoscant, Catholici omnes uno ore fatentur.

Denique cùm Sanctos invocare, nihil aliud 249
sit, quàm ad eorum confugere preces, ad beneficia per Christum à Deo impetranda, prout Tridentinum docet ibidem, fateamurque nos nonnisi per Christum consequi, quidquid Sanctis intervenientibus consequimur (nec enim Sancti ipsi nisi per Christum orant, nec nisi in ejus nomine exaudiuntur) manifestum est nos nihil omninò Sanctis tribuere, quo suprà rerum creatarum conditionem efferantur, vel quo Christi Mediatoris dignitas minuatur. Si enim Sanctos in terris viventes suprà creaturarum conditionem non efferamus, nec Christi Mediatoris dignitatem minuamus, ipsos rogando, ut suis apud Deum precibus pro nobis intercedant, neutrum etiam istorum ullo modo facimus, dùm Sanctos in cælo regnantes obsecramus, ut pro nobis inter-

cedant: quia, ut benè Catechismus Romanus p. 3. tit. de cultu & invoc. Sanct. ait: *si in aliquo Christi Mediatoris gloria & dignitas Sanctorum intercessione minueretur; non minùs vivorum, quàm in cælis regnantium intercessione minueretur; nunquam proinde id commisisset Paulus, ut fratrum viventium precibus à Deo adjuvari postulasset in epistolis suis.* Hactenùs de oratione, devotione, adoratione; nunc de voto agendum. Sit itaque

CAPUT XXXII.

Voti natura & conditiones explicantur.

250 VOtum (inquit S. Thomas q. 88. a. 1. & 2.) *est promissio deliberatè Deo facta de aliquo meliori bono.* Sub ly deliberatè subaudit S. Doctor spontaneè: revera enim votum esse debet spontaneum. Ad votum proinde simplex non sufficit resolutio, quàmlibet firma, sed necessaria est promissio, seu vera intentio se obligandi ad aliquid faciendum. Promissio namque est fidei obligatio. Unde cùm aliquis ex quadam monitione nimio mortis pavore perterritus, hæc verba protulisset: *Non diu hîc morabor*, proponens in animo quòd religionis habitum esset aliquando susceptarus. Alexander III. cap. *litteraturam* de voto ipsi S. Sedem super eo consulenti respondit: *Quòd si plus non est in voto processum, transgressor judicari non poteris, si non impleas quod dixisti.*

251 Nec ad votum sufficit promissio qualitercumque, sed esse debet *deliberatè* facta, prout S. Thomas docet a. 1. probatque ex eo quòd votum sit *actus voluntatis deliberatæ*, inde concludens, quòd *ad votum tria ex necessitate requiruntur. Primò quidem deliberatio; secundò, propositum voluntatis; tertiò, promissio, in qua perficitur ratio voti.* Debet etiam, ut dixi, spontaneè esse facta: quia votum ex gravi metu injustè incusso factum non subsistit, nec à Deo acceptatur, licèt de eo Doctores controvertant, si sermo sit de votis aliis à solemni professione.

252 Nec sufficit promissio cuicumque facta, sed esse debet *facta Deo*: quia votum est actus religionis: cujus actus omnes pertinent ad divinum cultum, seu famulatum. Unde S. Thomas a. 5. ad 3. *votum* (inquit) *soli Deo fit; sed promissio etiam potest fieri homini.* Et ipsa promissio boni, quæ fit homini, potest cadere sub voto, in quantum est quoddam opus virtuosum. Et per hunc modum intelligendum est votum, quo quis vovet aliquid Sanctis, vel Prælatis, ut ipsa promissio facta Sanctis, vel Prælatis, cadat sub voto in quantum homo vovet Deo, se impleturum quod Sanctis vel Prælatis promittit.

253 Nec ad votum sufficit promissio Deo facta de quocumque bono, sed esse debet promissio *de meliori bono, quàm sit illud ad quod tenemur de necessitate salutis*, ait S. Antoninus p. 2. tit. 11. c. 1. §. 8. post S. Thomam a. 2. tametsi enim bonum, sine quo non potest esse salus, cadat sub voto; non tamen cadit in quantum est necessitatis, sed in quantum est liberæ voluntatis, ait S. Thomas ibidem. Vel eatenùs votum esse debet de meliori bono, quatenùs bonum quod promittitur, spectatis omnibus, hîc & nunc melius est, quàm ejus oppositum, vel quatenùs non est incompatibile cum meliori bono.

Porrò melius illud bonum esse debet possi- 254
bile promittenti. Quia ad impossibile nemo potest obligari. Unde nullum est votum de non committendo absolutè ullo modo veniali: quia hoc possibile non est secundùm communem gratiarum cursum; tametsi valeat votum de non committendo ullo veniali ex plena advertentia: quia hoc impossibile non est.

Nullum quoque est votum de re, spectatis 255
omnibus tam respectivè, quàm absolutè indifferenti: quia non est de meliori bono. Imò tale votum non excusatur à peccato, saltem veniali, nisi bona fides vel simplicitas excuset: quia *vana est promissio* (ait S. Doctor) *si aliquis alicui promittat id quod ei non est acceptum.* Votum autem de re, quæ scitur esse peccatum, licèt veniale tantùm, videtur mortale peccatum: quia est irrisio quædam Dei, ut notant Cajetanus, Armilla, Lessius, Becanus, & alii contra Sotum, Sylvestrum & Navarrum.

Quia tamen aliquid absolutè indifferens, 256
esse potest respectivè bonum, & melius hîc & nunc suo opposito, v. g. matrimonium, quatenùs impeditivum fornicationum, in eo qui vix aliter ab iis abstinere potest, eatenùs videtur esse posse materia voti. Quod tamen, si benè perpendatur, potiùs esse videtur de cessando ab incontinentiæ peccato, quàm de matrimonio. Unde talis, non obstante voto, religionem ingredi potest, vel continentiam amplecti: quia ista absolutè meliora sunt. Ex hypothesi tamen quòd manere velit in sæculo, & peccata non viter, obligatur ad matrimonium quod vovit. Quia in ista hypothesi melius est.

Ultima conditio ad validum votum requi- 257
sita est, ut vovens habilis sit ad vovendum, suique juris, quoad id quod promittit. Quia defectu ætatis, ad habilitatem istam requisitæ, invalida est professio ejus qui nondum attigit decimum-sextum ætatis annum. Et, ut S. Thomas docet a. 8. *nullus potest per promissionem se firmiter obligare ad id quod est in potestate alterius, sine consensu ipsius, sed solum ad id quod est omninò in sua potestate. Quicumque autem est subjectus alicui* (v. g. uxor marito, maritus uxori) *quantum ad id in quo est subjectus, non est sua potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius. Et ideo non potest se per votum firmiter obligare in his, in quibus altera subjicitur, absque consensu sui Superioris.*

Hinc ibidem ad 2. S. Doctor ait, quòd *ex* 258
quo homo venit ad annos pubertatis, si sit liberæ conditionis, est sua potestatis, quantùm ad ea

quæ pertinent ad suam personam; puta quòd obliget se religioni per votum; vel quòd matrimonium contrahat. Non autem est suæ potestatis quantùm ad dispensationem domesticam. Unde circa hoc non potest aliquid vovere, quod sit ratum, sine consensu patris. Et in 4. dist. 38. q. 1. a. 1. q. 3. ad 4. *in his in quibus uxor viro tenetur, & è converso, neuter potest vovere sine mutuo consensu, sicut patet de voto continentiæ. Sed quia in dispensatione domûs, & regimine vitæ, mulier est subjecta viro, & non è converso; ideò vir potest in talibus vovere, sine consensu uxoris, sed non è converso.* Si tamen uxor de expresso consensu viri, castitatem voverit, *non potest votum revocare*, ait S. Doctor in 4. dist. 22. in expositione textûs. Nec contrarium docet Augustinus in qq. de libro Numerorum c. 59. licèt primâ facie dicere videatur quòd possit revocare uxorem ad se *: quia loquitur quantùm ad judicium Ecclesiæ, seu fori externi, quando permissio, seu consensus viri in votum uxoris, non potest probari.*

CAPUT XXXIII.

Multiplex divisio voti.

259 VOtum dividitur 1°. in absolutum & conditionatum. Absolutum est illud quod absque conditione fit; conditionatum, quod cum conditione. Et istud non obligat; nisi purificatâ conditione. Absolutum verò statim est implendum, juxta illud Deuteron. 23. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* 2°. in perpetuum & ad tempus. 3°. in expressum, quod verbis distinctis exprimitur; & tacitum, quod fieri censetur, eo ipso quo voluntariè agitur, vel suscipitur aliquid, cui votum est annexum. Hujusmodi est votum castitatis, quod eo ipso emittere censetur, qui voluntariè suscipit Ordinem sacrum, cui ex Ecclesiæ institutione votum castitatis est annexum. 4°. in personale, reale & mixtum. Reale est, cujus materia est extra voventem, ut bona temporalia. Personale, cujus materia est ipsa persona, vel actio aut omissio voventis, ut cùm quis vovet castitatem, jejunium, &c. Mixtum, cujus materia est persona, vel opus voventis, simul & bonum aliquod temporale ipsius, ut dum quis vovet peregrinationem cum oblatione. Personale non obligat nisi personam voventis, non alterius. Unde quod dicitur can. *addidistis* 20. q. 1. *Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit*, intelligitur, dum filius à parentibus in tenera ætate regulari traditus disciplinæ, post adultam ætatem voluntatem suam voluntati accommodat parentum, non aliter, prout ibi notat Glossa, & apertè declarat Cælestinus III. cap. *cùm scias* extrav. de Regul. ubi præcipit, quòd si puer in tenera ætate monachali veste indutus, annos discretionis adeptus, nolit ratum habere quod factum est, suæ libertati restituatur. Reale non solùm obligat voventem, sed & hæredes ipsius, hoc sensu quòd ipsi teneantur exequi votum reale defuncti (sicut cætera debita realia ipsius) juxta cap. *ex parte* 18. de censibus: quia bona defuncti ad ipsos transeunt cum isto onere. Ipsorum quidem obligatio non tam religionis est, quàm justitiæ, ex quasi contractu, quo adeuntes hæreditatem se obligare censentur ad onera ipsius, secundùm vires hæreditatis. Peccabunt tamen, etiam quodammodò contra religionem, si non solvant rem ex justitia Deo debitam, utpote per voluntatem voventis Deo quodammodò consecratam. Denique votum mixtum, qua parte reale est, naturam realis sequitur; qua parte personale, naturam personalis; adeòque quà reale, hæredes obligat; non quà personale. Si ergo defunctus voverit peregrinationem ad Virginem Lauretanam, cum anathemate argenteo, hæredes tenentur ad anathema, non ad peregrinationem.

Cæterùm antequam hæredes satisfaciant votis realibus, satisfacere debent ea quæ defunctus creditoribus debebat ex justitia: quia Deus non acceptat sibi oblata, cum præjudicio juris, alteri jam acquisiti. Debent tamen priùs solvere vota (utpote fortiùs obligantia) quàm simplicia legata pia. 260

5°. famosa est divisio voti in simplex, & solemne. Solemne est illud quod emittitur, vel per professionem Religionis approbatæ; vel per susceptionem Ordinis sacri, v. g. Subdiaconatûs. Omne autem votum quod neutro isto modo solemne est, est simplex (ait S. Antoninus p. 2. tit. 2. §. 1.) sive illud fiat publicè, sive privatim, sive ore, sive tantùm corde. Unde cap. *quod votum* de voto sic habetur: *Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantùm ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem, expressam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. Reliqua verò vota (etsi quantò manifestiùs sunt emissa, tantò durior pœnitentia transgressoribus debeatur) non tamen rescindere possunt matrimonia post contracta.* 261

CAPUT XXXIV.

Melius & laudabilius est facere aliquid ex voto, quàm sine voto.

ITa S. Thomas a. 6. Et probatur 1°. quia Psal. 75. Spiritus S. consulendo hortatur ad vovendum: *Vovete, & reddite.* Sed consilia divina non sunt nisi de meliori bono. 2°. qui sine voto facit aliquid, quod solùm est consilii, tantùm implet unum consilium, scilicet de faciendo. Qui autem vovet, & facit, implet duo consilia, de vovendo scilicet & faciendo. 262

263 3°. jejunium ex voto est actus religionis, omnium virtutum moralium excellentissimæ; sine voto verò solùm est actus abstinentiæ, virtutis haud dubiè inferioris.

4°. plus est offerre Deo opus bonum, cum facultate illius (utique per votum privando se facultate omittendi illud) quàm offerre opus solum: uti plus est dare arborem cum fructibus, quàm solos fructus, ut dicit D. Anselmus in l. de similitud. c. 84.

5°. voluntas per votum immobiliter firmatur in bono. Facere verò aliquid ex voluntate immobiliter firmata in bono, pertinet ad perfectionem virtutis, ut dicit Philosophus 2. Ethic. 4. sicut facere peccatum voluntate firmatâ, sive obstinatâ in malo, pertinet ad perfectionem vitii: & ideò aggravat malitiam peccati.

264 Si dicas 1°. meliùs fieri quod liberè fit, quàm quod ex necessitate, juxta Apostolum 2. Cor. 9. *Non ex tristitia, aut necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Quod autem fit ex voto, fit ex necessitate. 2°. quò opus liberius, eò melius. 3°. melius esse gratis dare, quàm ex debito; melius proinde dare sine debito voti, quàm ex debito.

265 Ad 1^um. respondeo meliùs fieri quod fit ex libertate, quàm quod fit ex necessitate coactionis, quæ involuntarium causat, devotionemque minuit: secùs ex felici necessitate, quæ provenit ex ipsa libera voluntate, immobiliter firmante & augente devotionem, de qua Augustinus infrà n. 268.

Ad 2^um. respondeo quòd necessitas ex voto non diminuit libertatem: cùm sit effectus libertimæ voluntatis firmantis se in bono quod elegit. Propter quod S. Thomas a. 4. ad 4. ait quòd *necessitas firmatæ voluntatis in bono non diminuit libertatem, ut patet in Deo, & beatis. Et talis est necessitas voti, similitudinem quandam habens cum confirmatione beatorum.* Similitudinem quamdam dicit, non omnimodam: quia absolutè non tollit peccandi potentiam.

Ad 3^um. respondeo id quod offertur & datur Deo ex voto liberali & gratuito, non ex obligatione facto, offerri & dari gratis (ut patet à simili in iis, quæ dantur homini ex promissione liberali) & tantò gratius & acceptius esse Deo, quò offertur & datur ex affectu firmiori, virtuteque nobiliori.

CAPUT XXXV.

Votum, sive solemne, sive simplex, in materia gravi obligat sub mortali.

266 ITa S. Thomas in 4. dist. 36. q. 1. a. 2. q. 1. ubi sic: *Votum est quidam promissionis contractus inter Deum & hominem: unde cùm contractus bonæ fidei, inter homines factus, obliget ad necessariam observationem; multò fortius votum, quo homo Deo aliquid promittit.... Et ideò qui votum ritè factum prætermittit, moraliter peccat: quia fidem, quam cum Deo iniit, frangit.*

Ita etiam sacri Canones & Patres, videlicet Innocentius I. epist. 2. ad Victricium Episcopum Rothomagensem c. 12. ubi de voto solemni. Et c. 13. de puellis, simplici dumtaxat voto castitatis obstrictis, sic loquitur: *Hæ verò, quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper manere promiserant, licèt velatæ non sint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia: quia sponsio earum à Deo tenebatur. Nam si inter homines solet bonæ fidei contractus, nullâ ratione dissolvi; quantò magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerit virgo, solvi sine vindictæ non debet? Nam si Apostolus Paulus, quæ à proposito viduitatis discesserunt, dixit eas habere condemnationem*: " quia primam fidem irritam fecerunt; " *quantò magis virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt ausæ.* Innocentius III. cap. *licèt* de voto & voti redempt. *Licèt universis liberum sit arbitrium in vovendo; usque adeò tamen solutio necessaria est post votum, ut sine propriæ salutis dispendio non liceat resilire.* 267

Cum his Augustinus epist. 137. aliàs 45. ad Armentarium: *Quia jam vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus, liberum fuit quòd esses inferior,* (id est, in statu minùs perfecto) .... *nunc verò quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed à magna iniquitate* (si votum non impleas) *deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vovisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses. Minor enim nunc esses, non pejor. Modò autem tantò* (quod absit) *miserior, si fidem Deo fregeris, quantò beatior, si persolveris. Nec ideò te vovisse pœniteat; imò gaude jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis: ipse adjuvabit, qui vota tua expetit. Felix est necessitas, quæ in meliora compellit.* Et l. de bono viduitatis cap. 11. *Planè non dubitaverim dicere, lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quæ vovetur Domino, adulteriis esse pejores. Si enim, quod nullo modo dubitandum est, ad offensionem Christi pertinet, cùm membrum ejus fidem non servat marito; quantò gravius offenditur, cùm illi ipsi non servatur fides, in eo quòd exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? Cùm enim quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vovit; tantò magis fraudati voti auget iniquitatem, quantò minùs habuit vovendi necessitatem.* 268

Ita denique, quod plus est, Spiritus sanctus Deuteron. 23. Psal. 75. & Ecclesiastis 5. *Siquid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim Deo infidelis & stulta promissio. Sed quodcumque voveris redde: multoque melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere.* Unde de viduis, post castitatis votum nubentibus, Apostolus 1. Timoth. 5. ait: *Ha-* 269

bentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

270 Et nota Scripturam, Canones, Patres generatim & indistinctè loqui, sive absque exceptione casûs, quo vovens castitatem v. g. non intendisset se obligare sub mortali, sed sub veniali dumtaxat. Ubi proinde Scriptura, Canones, Patres non distinguunt, nec nos distinguere debemus. Et ubi lex nihil excipit, nec nos excipere debemus; nec admittere quòd vovens in materia gravi possit se solùm obligare sub veniali. Id enim conformiter allatis Scripturæ, Canonum, & Patrum testimoniis meritò rejiciunt Dominicus Sotus, Vasquez, Tannerus. Unde voti obligatio eatenùs quidem ex propria voluntate & intentione causatur, quatenùs in libera cujusque voluntate positum est absolutè vovere, vel non vovere, vel etiam hoc, vel illud vovere, vovendoque se obligare ad statim solvendum, vel ad certum tempus, vel sub certa conditione, uti docet S. Thomas a. 3. ad 3. explicans id quod Deuteron. 23. dicitur: *Facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propriâ voluntate, & ore locutus es.* Verùm hoc ipso quòd quis vovere vult in materia gravi, in potestate ipsius non est sub sola culpa levi se obligare, uti pluribus ostendi in materia de Legibus cap....

271 Hinc qui, vovendo, certum tempus determinavit adimplendi votum, implere tenetur determinato tempore, juxta textum illum Deuteronomii: sed qui aliquid simpliciter & absolutè vovit, absque temporis determinatione, tenetur implere statim atque moraliter potest, juxta textum Ecclesiastis n. 260. laudatum. Et ratio est, quia hæc est regula generalis omnium obligationum, quibus adimplendi tempus non præfigitur, quòd adimplendæ sint statim atque moraliter fieri potest, ut constat ex ista juris Regula: *In omnibus obligationibus, quibus dies non apponitur, præsenti die debetur.* L. 14. ff. de reg. jur. L. 1. de condit. & demonstr. L. 32. ff. de legat. Quibus conformiter Seneca l. 31. controvers. c. 5. *In lege non est scriptum quando? imò statim: quoties enim tempus non adjicitur, præsens intelligitur.* Ideò ergo Spiritus sanctus ubi suprà: *Cum votum voveris, non tardabis reddere.*

272 Considerandæ sunt tamen circumstantiæ, quæ tales esse possunt, ut prudentia dictet melius esse differre, quàm statim solvere. Quia vota sunt de meliori bono. Unde adolescenti, qui vovit se statim ingressurum tale Monasterium, prudenter consulitur mora aliqua, si in Monasterio illo collapsa sit disciplina, Visitatoresque & Reformatio brevi expectentur. Quia est de majori bono istius adolescentis, lapsam ibi non vidisse disciplinam, ne quo semel est imbuta recens, servet odorem testa diù. Quamobrem talis in mora non est (inquit Sylvester verbo *votum*) quia ipsi tunc non est expediens, nec opportunum.

Illius tamen mora damnanda est, quæ nullâ cohonestatur rationabili causâ. Et tunc si votum præfixo tempore non fuerit impletum, implendi remanet obligatio, nisi votum præcisè vel principaliter factum fuerit intuitu istius temporis, v. g. jejunium promissum intuitu vigiliæ Festi S. Josephi, vel Immaculatæ Conceptionis Virginis. Aliàs tempus præfixum non censetur tamquam terminus ultra quem voti non currat obligatio, sed tamquam terminus intra quem debeat adimpleri. Ita Cajetanus, Navarrus, & alii passim.

CAPUT XXXVI.

Qui dubitat an votum emiserit, in æquali utrimque probabilitate illud implere tenetur. Et qui dubitat an actus quispiam adversetur voto à se facto, similiter ab eo tenetur abstinere, ne se mortali illaqueet crimine.

VAriæ hîc opiniones noviorum Casuistarum sunt confutandæ. Prima Malderi, 273
Villalobos, Suarez, Layman, & aliorum, absolutè dicentium, eum qui dubitat, an votum emiserit, eo non ligari. Secunda Alphonsi de Leone, Tamburini, Caramuelis, aientium, eum qui certus verbis se emisisse votum, dubitat an habuerit se obligandi intentionem, voto illo non obstringi: quia licèt possessio tunc stet pro voto verbali, non stat pro voto reali: cùm verba sine animo reale votum non constituant. Tertia Soti & aliorum, quos citatos sequitur Caramuel Theol. Intention. n. 1340. qui censent, eum qui certus se vovisse, dubitat an liberè, cumque sufficienti deliberatione, voto non teneri. Quarta ejusdem Soti, Bonacinæ, Sanchez, Castro-Palai & Caramuelis n. 1342. & 1343. qui putant, in dubio an materia promissa sit bona, vel mala, voventem non teneri, non obstante probabilitate, etiam majori (inquit Caramuel) quòd bona sit: quia cùm certum sit quòd homo obligare se non possit ad actionem malam, standum pro illa impotentia, quamdiù certum non est, quòd bona sit. Quinta Dianæ p. 3. tr. 6. resol. 30. existimantis, eum qui certus de voto, dubitat an hoc, vel illud comprehendatur voto, non teneri ad partem de qua dubitat; adeòque si dubitet an plus voverit, an minùs, non teneri ad plus. Ita etiam Caramuel n. 1339. Escobar, Arriaga, Bonacina, &c. inde concludentes 1°. eum qui certus se vovisse Religionem, dubitat an hanc vel illam determinatè, teneri ingredi, sed non aliquam determinatè. 2°. eum qui dubitat an voverit Religionem in communi, an hanc in particulari, satisfacere postulando in hac admitti, in qua si non admittatur, liberatur (inquiunt) à voto. 3°. eum qui sciens se vovisse castitatem, dubitat, an virginalem, an conjugalem, satisfacere servando alterutram; per consequens ducere posse uxorem. 4°. eum non teneri servare castitatem in perpetuum, qui dubitat, an eam pro-

promiserit in perpetuum, an ad tempus. 5°. eum qui certus se virginitatem vovisse, dubitat an solùm comprehenderit abstinentiam à primo actu, quo virginitas amittitur, an abstinentiam ab omni actu luxurioso, solùm teneri ad primum. Sexta iterùm Caramuelis n. 1338. & 1341. & seqq. qui hactenùs dicta applicando, dicit, quòd etiamsi tibi æquè vel magis probabile sit, quòd votum emiseris, quòd cum intentione obligandi, cum perfecta deliberatione, in materia licita, secundùm majorem potiùs quàm secundùm minorem quantitatem, &c. voto equidem non teneaaris, nec ad majorem quantitatem, &c. quamdiù certus non es.

Ut hac in re distinctè procedamus, dicendum 1°. quòd nullus tenetur voto, de quo taliter dubitat, ut inspectis omnibus, nulla ei appareat probabilis conjectura, quòd votum illud fecerit. Quia votum, cùm sit res facti, non præsumitur, nisi probetur, saltem probabili aliquo fundamento. Quo deficiente, in dubio de obligatione, melior est conditio negantis, quàm affirmantis. Qui enim absque ullo probabili fundamento affirmat, irrationabiliter affirmat. Nullus autem tenetur obligatione irrationabiliter assertâ. Aliàs homines infinitis passim implicarentur anxietatibus.

276 Dicendum 2°. quòd nullus tenetur voto, quando spectatis omnibus, longè fortiores ac probabiliores occurrunt rationes, vel conjecturæ pro non voto, quàm pro voto. Quia probabilitas longè major pro non voto habetur pro morali certitudine, vel quasi certitudine non voti. Nullus verò tenetur voto, dum moraliter certus vel quasi certus est se illud non fecisse; sicut nullus tenetur humanâ lege, moraliter certus vel quasi certus eam non extare.

277 Dicendum 3°. quòd in vero dubio de voto, in æquali nempè utrimque probabilitate, votum servandum est. Ita docet, probatque S. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. a. 2. q. 1. in resp. ad 6. object. dicens: *Si dubitet, quomodò se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat.*

278 Dicendum 4°. quòd verè dubius, an actus aliquis repugnet voto à se facto, ab illo tenetur abstinere. Aliàs mortale peccatum incurrit. Quia sciens & volens exponit se periculo peccati mortalis. Ille verò qui amat periculum, in illo peribit. Et hinc S. Antoninus p. 2. tit. 11. c. 2. §. 10. dicit, quòd *existens in dubio, an transgrediatur votum, & per consequens peccet mortaliter, tenetur se ponere in tuto, ut scilicet votum non transgrediatur.* Per consequens, qui vovit certa jejunia, in dubio an illa servare possit absque periculo gravis infirmitatis, tenetur illa protrahere in alium diem, vel in alia pietatis opera commutare, authoritate Superioris, ait idem Sanctus.

279 Dicendum 5°. quòd qui taliter dubitat de voto, ut nec recordetur verborum exprimentium votum, nec intentionis se obligandi, à communiter accidentibus præsumitur non vovisse. Cùm enim votum fieri non soleat perfunctoriè, sed seriò, cumque magna mentis applicatione; & ea quæ taliter fiunt, memoriæ infixa esse soleant, defectus ille memoriæ argumento est votum non esse emissum, juxta regulas juris n. 281. subjiciendas. Ita Doctores communiùs.

Dicendum 6°. quòd certus se verbis emi- 280
sisse votum, in dubio de interiori animo se obligandi, tenetur voto, juxta significationem verborum. Ita Doctores communiter. Quia probato signo, signatum præsumitur. Atqui *verba sunt earum, quæ in anima sunt, passionum notæ*, ut patet per Philosophum Periherm. 1. Et ideò præsumptio juris est, animum voventis fuisse talem, qualem indicant verba loquentis. Quia *nemo præsumitur ore dicere, quod in corde non habet.* L. *Labeo* §. *nam quorsum* ff. de supellect. leg.

Hinc sequitur, quòd in dubio, an quis 281
voluerit ad amplius se obligare, quàm verba sonent, ad ampliùs non tenetur; sed ad id dumtaxat quod verba sonant. Quia animus colligitur ex verbis, nisi aliud aliunde constet. Similiter qui votum expressit verbis significantibus alternativam rei majoris, vel minoris, in dubio an intenderit vovere majorem, solùm tenetur ad alterutram, pro sua electione: eò quòd verba ejusmodi solùm significent voluntatem obligationis ad alteruttrum. L. *si pater* ff. de jure dotis.

Dicendum 7°. quòd certus se vovisse, 282
dubius an cum sufficienti deliberatione, ex defectu ætatis, si voverit ante septennium, non tenetur voto; secùs si post septennium. Quia ante septennium defectus rationis ac deliberationis, in dubio, præsumitur à communiter accidentibus. cap. *litteras*, & cap. *accessit* de desponsi. impub. & cap. unico eod. tit. in 6. Unde L. *in sponsalibus* ff. de sponsalib. minores septem annis habentur pro personis non intelligentibus. Post septennium verò defectus rationis & deliberationis non præsumitur, sed perfectæ rationis usus: ideòque sponsalia post septennium inita, in dubio, præsumuntur valida, juxta citatos Canones ac L. *in sponsalibus*.

Dicendum 8°. quòd in dubio, an votum 283
factum sit ante, an post septennium, præsumitur factum post septennium. Ita cum Sanchez, Bonacina, Palao & Bossio, Ludovicus de Scildere tr. 3. de consc. n. 78. Tum quia istud est frequentius, cùm rarum sit quòd quis ante septennium emittat votum. Tum quia actus non præsumitur factus in ætate incompetenti, nisi probetur, cap. *in præsentia* de probat. ubi id etiam tradunt Abbas, Vivianus & Felinus, quos sequitur Mascardus de probat. Consil. 1360.

Dicendum 9°. quòd certus se vovisse, du- 284
bius, an cum sufficienti deliberatione, non defectu ætatis, sed aliunde, v. g. an non in somno, ebrietate, &c. quamdiù de hoc non constat, tenetur voto. Ita Sanchez l. 4. in De-

cal. c. 1. n. 4. Bardi discept. 6. de consc. c. 1. §. 6. Angelus Bossius ibid. n. 1615. Scildere tr. 4. n. 78. Ratio est 1°. quia voventes in ætate competenti, solent utplurimùm in oratione, extra somnum & ebrietatem vovere. *Inspicimus* verò *in obscuris id quod verisimilius est, & quod plerùmque fieri consuevit.* reg. 45. juris in 6. Atque ex communiter accidentibus præsumptio facienda est. L. *nam ad ea* ff. de leg. 2°. quia defectus deliberationis non præsumitur in agente cum ætate competenti; econtrà ratio, & deliberatio, quæ ea in ætate inesse solent, præsumuntur in ordine ad sustinendum valorem actûs, quamdiù de opposito non constat. L. *ne Codicillos* Cod. de Codicillis, & L. finali Cod. de successionib. 3°. quia sacra Congregatio Concilii Tridentini, consulta, an furiosus, habens lucida intervalla, ad Subdiaconatûs Ordinem promotus, continere teneatur? Respondit: *Aut tempore ordinationis non agitabatur furore, durantibus scilicet lucidis intervallis? Et teneri. Aut agitabatur? Et non teneri, nisi ante furorem habuisset animum suscipiendi. Aut non constat, sanæ, an insanæ mentis tunc esset? Et iterùm teneri.* Sic refert Illustrissimus D. Fagnanus, utriusque signaturæ Referendarius, ejusdem S. Congregationis per annos multos Secretarius, ad cap. *ne innitaris* n. 221.

285 Non me præterit, Terillum in tr. de conf. prob. q. 26. n. 46. dicere, vix posse esse dubium, quin furiosus iste tempore ordinationis fuerit compos sui. Sed istud est apertum effugium: quia S. Congregatio apertè ponit casum dubii, in quo respondet teneri.

286 Dicendum 10°. quòd certus de voto, dubius an hoc vel istud comprehendatur voto, sive an votum extendatur ad plus, an ad minus, tenetur ad plus, si verba æquè significent plus ac minus. Ita S. Thomas locis proximè referendis. Glossa in cap. *magnæ* de voto. Gratianus reg. 279. S. Antoninus p. 2. tit. 11. c. 1. §. 2. in fine. Palatios in 4. dist. 38. q. 1. Hostiensis, Abbas, Archidiaconus, Corduba Montesinus, Turrianus, & alii quos citat, sequiturque Scildere n. 42.

287 Probatur 1°. quia ubi agitur de causa pia (qualis est materia voti) & verba sunt ambigua, secundùm regulas utriusque juris, amplianda sunt in favorem causæ piæ. Quia scilicet summa est ratio ampliandi. L. *sunt personæ* ff. de relig. ibi: *Summa est ratio quæ pro religione facit.* Cùmque promissiones, legata & testamenta ad causas pias amplè interpretanda sint. L. *Titia* 38. §. 2. ff. de auro legato: idem profectò de votis dicendum. Verba istius legis sunt: *Seja testamento ita cavit: ab hæredibus fieri volo jubeoque signum Dei, ex libris centum, in illa sacra æde, & in patria statui, cum subscriptione nominis mei. Quæsitum est, cùm in eo templo nonnisi æneæ aut argenteæ tantùm sint dona, hæredes Seja utrùm ex argento, an ex auro, signum ponere compellendi sunt, an æneum? Respondit secundùm ea quæ proponerentur, argenteum esse ponendum.* Accedit quòd cap. *quod super* de voto ampla fiat interpretatio voti peregrinationis in terram sanctam: declaratur quippe quòd isti voto obstricti, si per seipsos personaliter ire non possent, ire deberent per alium vel alios.

2°. materia pietatis ac religionis (ad quam 288
spectat materia voti) æquè, imò magis est favorabilis, quàm materia dotis, & ejusmodi. Ergo quemadmodùm in dubio præsumitur in favorem dotis L. 70. ff. de jure dot., ita scilicet ut in dubio dos amplior debeatur, L. 50. ff. eod. sic in dubio præsumendum est in favorem voti, ita ut in dubio amplius etiam debeatur. Quòd enim materia voti favorabilis sit, & homini valdè favorabile sit vovere, votaque reddere, eleganter ostendit S. Thomas q. 88. a. 3. explicans differentiam inter promissionem factam homini, & promissionem factam Deo: *Nam quod homini promittimus, est propter ejus utilitatem... sed promissionem Deo facimus, non propter ejus utilitatem, sed propter nostram. Unde Augustinus dicit in epist. 45. quòd benignus exactor est, & non egenus, & qui non crescat ex redditis, sed in se crescere faciat redditores.* Et ideò obligatio voti ab eodem Augustino ibidem vocatur felix necessitas, quæ ad meliora compellit. *Nec verum est* (inquit S. Thomas a. 2. & q. 189. a. 2. ad 3.) *quòd obligatio voti multis injiciat laqueum, & occasionem ruinæ. Quia obligatio voti, quantum est de se, non dat homini occasionem ruinæ, sed magis subtrahit, & si aliquis voti transgressor gravius ruat, hoc non derogat bonitati voti, sicut nec derogat bonitati baptismi, quòd aliqui post baptismum gravius peccant.*

3°. *siquis intentione ambiguâ vel oratione* 289
usus est, id quod utilius ei est accipiendum est. L. 66. ff. de judiciis. Sed homini in dubio utilior est interpretatio in favorem voti, contra libertatem, quàm in favorem libertatis contra votum (cùm obligatio voti sit utilior favorabiliorque animæ voventis, quàm carnalis libertas, uti probant verba illa Augustini: *Non te vovisse pœniteat; imò gaude jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset*) ergo dum quis intentione ambiguâ vel oratione usus est in vovendo, id quod amplius est, accipiendum est in favorem voti.

4°. in iis quæ animæ salutem respiciunt, 290
Ecclesia amplè interpretari solet obligationem, viamque in dubio præscribere tutiorem, uti multorum sacrorum Canonum allegatione demonstravimus agendo de conscientia dubia.

5°. idipsum conficitur ex verbis S. Thomæ 291
n. 274. laudatis.

Ex his sequitur 1°. eum qui religionis votum ingressum, si dubitet quam ingredi debeat, oportere supernum lumen invocare, ut cognoscat quæ religio sibi magis congrua sit, eamque ingredi. Si dubitet an strictior sibi magis congruat, an minùs stricta, debet viam eligere tutiorem. Qua in re S. Thomas in 4. dist.

dist. 38. q. 1. a. 3. q. 1. ad 6. docet, quòd *qui simpliciter vovit religionem, & postea elegit talem vel talem locum..... si non potest in illa quam elegit recipi, debet aliam quærere. Si autem primò & principaliter cogitavit de tali religione, vel tali loco, in voto ejus intelligitur hæc conditio, si illi volunt eum recipere, aliàs esset indiscretum votum.* Unde conditione non extante, non obligatur. *Si autem dubitet, quomodò se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne discrimini se committat.* Circa hoc etiam Navarrus c. 12. n. 45. & 46. sapienter observat, quòd qui vovit religionem, non satisfacit ingrediendo eam, in qua regula non servatur, sed cum dissolutione vivitur; & si statum illius cognoscens, eam equidem ingredi voverit, votum istud per accidens hîc & nunc utplurimùm non esse de meliori bono: quia utplurimùm ibi salus periclitatur, nisi spes sit quòd brevi sit ad meliorem statum reducenda. Aliàs nec eam ingredi tenetur, nec aliam: quia votum ipsius in talibus circumstantiis non tenet, ob rationem proximè dictam. Ita etiam Major apud Navarrum.

292 Sequitur 2°. eum qui simpliciter dixit, *voveo castitatem*, in dubio non teneri ad solam castitatem conjugalem, sed ad castitatem absolutè. Quia eam significant verba illa simpliciter & absque exceptione vel restrictione prolata; sub iis proinde intentio non præsumitur restricta. Imò ejusmodi votum ampliandum est juxta significationem verborum, quibus expressum est. Maximè cùm ille, qui in verbis absolutè & absque restrictione prolatis prætendit restrictionem, prætendat exceptionem. Qui verò excipit, probare debet quod excipitur. L. *si pactum* ff. de probat.

293 Ratio ista probat, eum qui simpliciter dixit: *Voveo non accedere ad feminam*, in dubio an id voverit absolutè, an solùm voverit ad eam extra matrimonium non accedere, teneri non accedere absolutè, ut benè Scildere n. 42. contra Franciscum Bardi. Probat insuper Novitium, qui simpliciter dixit: *Voveo castitatem*, & dubitat an in perpetuum, an ad tempus, teneri ad castitatem in perpetuum. Quia ipsius est probare, quòd solùm ad tempus; cùm exceptio ista seu limitatio non exprimatur in verbis ipsius. Idem pariformiter dicendum de eo qui simpliciter dixit: *Voveo virginitatem:* in dubio namque censendus non est solùm vovisse abstinentiam à primo actu quo violatur virginitas, sed abstinentiam ab omni actu & consensu libidinoso. Maximè cùm abstinentiam istam significet virginitas, quam simpliciter vovit; simpliciter enim absolutèque vovere virginitatem, est absolutè promittere abstinentiam ab omni voluntario consensu in libidinem: quemadmodùm esse virginem absolutè, est absolutè abstinere ab omni voluntario actu & consensu libidinoso. Unde S. Thomas a. 3. ad 2. docet, quòd mulier, quæ vovit virginitatem, si postea corrumpatur, debere servare quod potest, scilicet perpetuam continentiam.

Sequitur 3°. eum qui vovit rosarium, in 294
dubio teneri ad majus, scilicet 15. decadum, nisi soleat recitare minus 5. vel 6. decadum, & rarò vel nunquam majus. Eum quoque, qui vovit Ecclesiæ tali dare lampadem, in dubio an æream, an argenteam, teneri ad argenteam, nisi inopia voventis oppositum significet; vel homines similis conditionis non soleant argenteam dare. In his namque semper præ oculis habendum, quòd dum res promissa certo solet impleri modo, vovens in dubio, vovisse præsumatur illo modo, argumento legis *item quia* ff. de pactis. Unde qui vovit jejunare in certa vigilia, in qua moris est largiorem sumere collationem, sumere eam potest. Et qui religionem vovit, in dubio an solùm voverit ingressum, an etiam professionem, ex doctrina S. Thomæ q. 189. a. 4. *videtur obligari ad ingressum religionis secundùm formam juris communis*, quæ est ut ingredientibus detur annus probationis. Unde non tenetur perpetuò in religione permanere. Verùmtamen ille qui intrat, ut statim exeat, non videtur satisfacere voto (ait ad 3.) quia *ipse in vovendo hoc non intendit* (aliàs votum non fuisset de meliori bono) *& ideò tenetur mutare propositum, ut* saltem velit *experiri, an ei expediat in religione remanere.*

Dicendum 11°. quòd qui certus de voto, 295
dubitat an sit de meliori bono, sive de materia legitima & honesta, si post debitum examen, peritorumque consultationem, perplexitas perseveret, recurrere debet ad Superiorem, qui perplexitatem per declarationem, vel per dispensationem tollat. Quòd si recurrere non possit, amplecti debet tutiorem partem, id est in qua minoris peccati periculum animadvertit. Ita S. Thomas q. 88. a. 12. ad 2. ubi docet, in probabili dubio, an votum sit de meliori bono, ad Prælatum pertinere id dijudicare, nec posse voventem proprio judicio tunc votum non servare, nisi quod vovit esset manifestè illicitum, sed debere ad Superiorem pro dispensatione vel commutatione recurrere: *Si autem* (inquit) *causa apparens, per quam saltem in dubium verteretur* (quid Deo magis esset acceptum) *posset stare judicio Prælati dispensantis vel commutantis; non tamen judicio proprio, nisi fortè id quod vovit esset manifestè illicitum.*

Probatur à simili, quia juramentum, in 296
dubio de honestate illius, non est proprio judicio contraveniendum, sed pro illius declaratione, vel relaxatione, ad Superiorem recurrendum. Aliàs contraveniendo incurritur perjurium. cap. *venerabilem* de electione, ubi dux quidam arguitur perjurii, quòd contra proprium juramentum (super quo nec consilium à Sede Apostolica requisivit) ambitionis vitio regnum usurpare præsumpsit. *Nec valet ad plenam excusationem ipsius, si juramentum esse dicatur illicitum: cum nihilominùs*

super eo nos priùs consulere debuisset, quàm contra ipsum propriâ temeritate venire.... Utrùm verò dictum juramentum sit licitum, vel illicitum, & ideò servandum extiterit, nemo sanæ mentis ignorat ad nostrum judicium pertinere.

297 Non est ergo verum, quod Casuistæ suprà relati docent, juramentum & votum, in ejusmodi dubio, nullo modo esse obligatorium: cùm obliget ad Superiorem recurrere, in eoque possit Superior dispensare, prout docet S. Thomas q. 89. a. 9. ad 3. dicens, Episcopi dispensationem habere locum in juramento promissorio, *de quo dubium est, utrùm licitum sit, vel illicitum, proficuum, vel nocivum.* Si autem nullo modo foret obligatorium, in eo non esset opus dispensare; siquidem dispensatio (cùm sit *obligationis aliàs de jure existentis relaxatio*, ut habet S. Doctor in 4. dist. 38. q. 1. a. 4.) solùm habet locum, ubi aliàs de jure locum habet obligatio.

298 Et confirmatur assertio, quia via tutior eligenda est, quoties in ea quispiam est perplexitate constitutus, ut probabiliter timeat peccare, sive hanc, sive oppositam partem elegerit. In casu verò assertionis, id probabiliter timet. Si enim voto contraveniat, periculum est sacrilegii; si observet, periculum est alterius peccati. In ea ergo perplexitate, vel ad Superiorem recurrendum, si fieri possit; vel eligenda pars tutior, id est in qua minoris peccati periculum apparet, prout dicitur cap. *Dominus* de secund. nupt. ubi bis nupta, dubitans de morte prioris mariti, prohibetur exigere debitum, sed reddere jubetur posteriori marito, bonâ fide petenti; eò quòd hîc & nunc tutius sit, & in redditione minoris peccati periculum sit, quàm in negatione.

299 Dicendum 12°. quòd certus de voto, dubius de solutione, tenetur solvere, nec liberatur solutione probabiliter factâ, dum æquè vel magis probabilis est non solutio. Quòd talis teneatur solvere, est sententia omnium, inquit Scildere n. 48. Cùm igitur in æquali utrimque probabilitate, solutio sit dubia, uti probatum est agendo de conscientia dubia, stante æquali utrimque probabilitate tenetur solvere. A fortiori etiam dum solutio probabiliùs non est facta, licèt hoc plerique Probabilistæ negent, & à solutione quempiam liberent, eo ipso quo ipsi probabile est quòd solverit, non obstante quòd oppositum ipsi appareat æquè vel magis probabile. Qua in re non philosophantur consequenter ad doctrinam suam, quâ volunt possessionem & meliorem possidentis conditionem perinde procedere in materia aliarum virtutum, quàm in materia justitiæ. Si enim hoc verum est, consequenter dicere debent, quòd sicut in materia justitiæ debitum certum per incertam non extinguitur solutionem, sed creditor tamdiù manet in certa possessione juris exigendi debitum, quamdiù plenâ & evidenti probatione non constat illi satisfactum (*possessor* enim *bonæ fidei, sine plena & evidenti probatione removeri non debet.* L. 1. ff. de condit. insert.) sic in materia voti Deus tamdiù manet in certa possessione juris exigendi debitum, &c. Et certè mirum est quòd velint libertatem tamdiù manere in possessione, quamdiù certis argumentis non constat amissam esse; & nihilominùs velint obligationem voti eo ipso amittere possessionem, quo solùm probabilibus, imò minùs probabilibus, incertisque argumentis probatur extincta, quasi minùs manutenenda sit, minorique favore prosequenda religio & pietas, quàm humana libertas. Quod profectò nimis irrationabile est, absurdissimisque consectariis obnoxium: utpote quo dato sequeretur eum qui, certus de lege & voto, dubitat de causa excusante, v. g. de impotentia, vel dispensatione, eo ipso liberari ab obligatione illius, quo probabilitas aliqua affulget pro existentia talis causæ, licèt æqualis, vel major probabilitas occurrat in contrarium.

CAPUT XXXVII.

Contrariis argumentis occurritur.

OBjicies 1°. in dubio an votum sit factum, an cum intentione se obligandi, an cum plena deliberatione, &c. melior est conditio libertatis, quàm voti: cùm enim libertas, ante dubium votum, in certa fuerit possessione, illam non amittit per dubium superveniens. 300

Respondeo negando antecedens. Ad ejus probationem dico, regulam illam, *in dubio melior est conditio possidentis*, non procedere in materia non subjecta humanæ potestati, ex qua sola introducta est regula illa, uti fusè demonstravi agendo de conscientia dubia & probabili. Prorsus ergo hîc locum non habet illa regula. Si enim possessio, aliàs certa, nunquam eliditur per dubium superveniens, ut quid Probabilistæ prætendunt, incerta seu probabili, imò minùs probabili dumtaxat solutione voti, aliàs certi, elidi certam ipsius possessionem? Ut quid homo, stante dubio, an homo sit, an brutum, quod in sylva movetur, jaculari prohibetur; & generaliter stante dubio, an æquum sit, an iniquum, quod agere vult, agere vetatur? Quod sanè adeò evidens est, ut solo naturali lumine vel ipsi Ethnici Sapientes velut certum tradiderint. Sciant ergo Probabilistæ voluntatem humanam per omnia subjectam esse divinæ, à qua, & non ab humana dependet, quòd aliquid sit vel non sit licitum: adeòque ubi periculum est faciendi contra voluntatem & jus Dei ex una parte, & contra libertatem & jus humanæ voluntatis ex altera; cavendum potiùs ne quid fiat contra voluntatem & jus Dei, quàm contra libertatem & jus humanæ voluntatis. Unde ulteriùs sequitur, in æquali vel majori probabilitate pro Deo, standum pro Deo, seu Dei jure & voluntate. Cùm certo jure vetitum sit, exponere se probabili periculo faciendi contra jus & voluntatem, seu legem Dei: nam qui amat periculum, peribit in illo.

301 Objicies 2°. juramentum in dubio non obligat, & in dubio de quantitate obligationis minimam inducit obligationem. Igitur idem de voto dicendum. Probatur antecedens, quia juramentum in dubio benignè est interpretandum, juxta illud cap. *ad nostram* de jurejur. *nos tuum juramentum benignè interpretari volentes.* Videatur & cap. *ad ea* ibidem, & cap. 1. eod. tit. in 6.

Respondeo juramentum obligare in dubio, in quo spectatis omnibus æqualis vel major est probabilitas pro illo. In dubio etiam de quantitate, obligare ad majorem, si juramentum sit ad causas pias: tunc enim amplè est interpretandum (nisi is ad quem spectat, velit ampliationem ex causa remittere) licèt ampliandum non sit, juxta objectos Canones, si sit ad causas profanas. Ratio disparitatis est, quia juramentum ad causas pias est in favorem & utilitatem non solùm religionis ac pietatis, sed etiam jurantis: juramentum verò ad causas profanas, in ejus est detrimentum. In dubio verò favores sunt ampliandi, & accipiendum quod utilius est.

302 Objicies 3°. communis Doctorum sententia est, voti, sicut & juramenti promissorii, aliarumque promissionum, ac stipulationum, in dubio, strictam faciendam esse interpretationem, quantum materia subjecta, verborumque proprietas & usus patitur; eò quòd dum de obligatione agitur, stricta interpretatio facienda sit. L. *quidquid adstringenda* 99. ff. de verb. oblig. ubi sic: *quidquid adstringendæ obligationis est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum intelligendum est, ac ferè secundùm promissorem* (id est in favorem ipsius) *interpretamur: Quia stipulatori liberum fuit verba clarè concipere.* Et ratio est, quia creaturam liberam obligari ad aliquid determinatè faciendum, vel omittendum, ipsi odiosum & grave est; favorabile non obligari. In dubio verò *odia restringi, favores convenit ampliari.* Reg. 16. jur. in 6. Idque confirmat regula tertia, *in obscuris, quod minimum est sequendum.*

Respondeo, communem econtrà sententiam esse Theologorum, sicut & Juristarum, & Canonistarum, quòd promissionum, legatorum, testamentorum, adeòque & votorum ac juramentorum ad pias causas, ampla interpretatio facienda sit, ut in dubio obligent ad majus, prout ex Juristis docent Bartolus & Romanus ad L. *Titia* ff. de auro legato, Immola, Socinus, Menochius l. 4. præscript. 106. Cephalus consil. 154. Cagnol. ad reg. *semper in obscuris* ff. de reg. juris. Atque ex Canonistis Abbas, Covarruvias, Barbosa ad cap. *indicante* de testament. Et ratio est, quia promissiones, testamenta, legata, vota, &c. ad pias causas, cedunt in majus emolumentum promittentis, testantis, legantis, voventis, &c. ideòque iis adstringi favorabile est, non odiosum, prout Theologi communiter ostendunt à simili in præcepto confitendi, cujus obligationem ampliant, ut non se extendat ad confitenda sola peccata certa, sed etiam dubia: quia confessio, & obligatio ad illam, animæ utilissima est, favorabilissimaque: utpote tendens ad absolutionem, seu liberationem à peccatis. Obligationum verò, seu promissionum, legatorum, testamentorum, &c. ad causas profanas (de quibus L. *quidquid adstringendæ*) stricta interpretatio facienda est: quia detrimentum adferunt promittenti, &c. non utilitatem.

Objicies 4°. cap. *ex parte* de censib. cùm 303
dubium esset ad quam mensuram, majorem, an minorem, quotannis offerendam posteri tenerentur ex voto majorum, consultus Pontifex respondit: *ejusmodi vota à viris Ecclesiasticis benigniùs exigenda, ne, tamquam exactores, videantur lucris temporalibus inhiare*; ideòque volentes solvere ad minorem, cogendos non esse ut ad majorem persolvant.

Respondet 1°. Covarruvias, Pontificem ibi noluisse procedere in rigore juris, ne populus à donariis averteretur, ob duritiam Ecclesiasticorum.

Respondeo 2°. aliud esse, quòd posteri 304
ad mensuram majorem cogendi non sint in foro externo (de quo ibi Pontifex) ne Ecclesiastici videantur lucris temporalibus nimis inhiare, suamque potiùs quàm populi utilitatem quærere: aliud quòd non teneantur ad majorem in foro conscientiæ, in quo Deus exactor est, non homo.

Respondeo 3°. si Canon ille propiùs in- 305
spiciatur, assertioni nostræ non obstat, etiam dato quòd procedat in foro conscientiæ, quia ibi Pontifex distinguit, utrùm incolæ illius regionis ad unam eamdemque mensuram ejusmodi vota persolverint, an ad diversas. In primo casu ad eamdem & illi solvere sunt cogendi. In secundo casu volentes solvere ad minorem, non sunt cogendi ut ad majorem persolvant. Quia scilicet in primo casu uniformis consuetudo solvendi ad majorem mensuram, facit præsumptionem quòd ei conformis fuerit intentio voventis. In secundo verò casu multiformis & alternativa consuetudo solvendi modò ad majorem, modò ad minorem, facit similiter præsumptionem quòd intentio voventis fuerit pariter alternativa, solvendi scilicet vel mensuram majorem, vel minorem. Cujusmodi votum ex dictis n. 278. non obligat ad majorem determinatè, sed ad alterutram indeterminatè.

Objicies 5°. si propter aliquam rationem 306
vota forent amplianda, ideò esset quia illa interpretari in favorem libertatis, esset contra favorem voti. Verùm ita non esse colligitur ex Canone proximè relato, ubi Glossa ait, ideò pro eis benignam fieri interpretationem, ne ipsorum erga Ecclesias munificentia retardetur; eò quòd utique ex ejusmodi benignitate, seu benigna interpretatione, homines provocari soleant ad faciliùs vovendum, & liberaliùs exequendum; à quo rigida eos interpretatio deterret.

Respondeo, quemadmodùm est contra favorem præcepti confessionis, legati & testamenti ad pias causas, &c. illud in dubio strictè interpretari; ita & contra favorem voti. Neque verò ampla voti interpretatio, in foro Dei, esse potest odiosa piis fidelibus, ipsosvè à votis retrahere: cùm ipsis econtrà verè sit favorabilis & provocativa ad eò libentiùs vovendum, magnificentiùsque reddendum, quò Deus (ut Augustinus dicit) benignus exactor est, & non egenus, & qui non crescat ex redditis, sed in se crescere faciat redditores. In foro verò hominum, quando suspicio foret, quòd Ecclesiæ Ministri suis potiùs lucris temporalibus, quàm spiritualibus populi utilitatibus inhiarent (uti non rarò fit) remissiùs exigenda sunt vota, ampliori redditione voventium conscientiæ relictâ.

CAPUT XXXVIII.

Religiosam vitam solemniter professus, in Monasteriis ubi disciplina regularis quoad pleraque considerabilia Regulæ puncta Superiorum dissimulatione est relaxata, licèt non intenderit nisi vivere sicut vivunt, qui in pluribus ejusmodi punctis Regulam transgrediuntur, aliàs non professurus, tenetur equidem vivere secundùm Regulam.

307 ITa Illustrissimus D. Genetus Episcopus Vasionensis Th. Mor. Gratianopolit. to. 5. tr. 2. c. 4. n. 20. Quia (inquit) in eo votum simplex & solemne discriminantur, quòd simplex ex sola pendet voluntate voventis; ideòque ligatus ejusmodi voto ad id solum tenetur, ad quod se obligare voluit, dum vovit: votum autem solemne à sola non pendet voluntate voventis, sed & Ecclesiæ quæ approbavit Religionem, & Regulam, ad quam se adstrinxit; ita ut pendeat quidem à voluntate voventis adstringere se ad hanc vel illam Religionem, ex iis quas Ecclesia approbavit; in ipsius tamen dispositione non sit, solemniter profiteri hâc conditione, quòd Regulam non servabit secundùm plerosque considerabiles articulos ipsius, sed secundùm abusus & relaxationes qui & quæ circa eos irrepserunt, & Ecclesia numquam permisit, & in quibus Superiores dispensare non possunt. Et ideò Tridentinum sess. 25. de Regul. c. 1. absque ulla exceptione præcipit, ut *omnes Regulares, tam viri, quam mulieres, ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant & componant, atque imprimis quæ ad suæ professionis perfectionem, aut obedientiæ, paupertatis & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus Regulæ & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum respectivè essentiam, necnon ad communem victum & vestitum conservanda pertinentia fideliter observent..... Cùm compertum sit à Superiore non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ bases sunt & fundamenta totius regularis disciplinæ, exactè non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est.*

Nec de iis loquitur S. Thomas in 4. dist. 308
38. a. 3. q. 1. ad 5. dum ad hanc objectionem, *Non videtur teneri semper ad ea quæ votum professionis continet, & ipse non intendit intrare Monasterium, nisi ut viveret, sicut alii vivunt. Ergo videtur quòd non omne votum obliget ut necessariò servetur. Ad 5um.* (inquit) *dicendum, quòd qui interpretatum votum facit, ad tria vota religionis principalia in omni casu tenetur, sed ad alias observantias, quarum transgressio ex dissimulatione Prælatorum indulgitur (qui dum videntes non corrigunt, indulgere videntur) non videtur obligari; & præcipuè si sit simplex, qui talia discernere sufficienter nesciat.* De iis (inquam) S. Doctor ibi non loquitur quæ spectant ad fundamentalia vitæ religiosæ, suntque tam considerabilia puncta Regulæ, ut in iis Prælati Religionum non valeant dispensare; sed de minùs considerabilibus, in quibus dispensare possunt, ut constat ex verbis illis S. Doctoris, *dum Prælati videntes non corrigunt, indulgere videntur.*

Et confirmatur assertio, quia etiamsi Mo- 309
niales quædam professæ sint in Monasteriis, ab immemoriali tempore non servantibus clausuram, Monasteria illa nunquam ingressuræ, si scivissent inducendam in iis clausuram, ad eam nihilominùs suscipiendam religiosèque observandam tenentur, cùm ab Episcopis, aliisvè legitimis Superioribus imperatur, eò quòd clausuram Ecclesia censeat ipsis necessariam ad ponendam in tuto castitatem earum, à plerisque aliàs violandam. Idem ergo censendum de aliis observantiis, quæ sunt quasi bases & fundamenta totius Regularis disciplinæ (ut loquitur Tridentinum) quibus non servatis, votorum observantia periclitatur. Antecedens constat ex Constitutione Bonifacii VIII. quæ incipit: *periculoso* in sexto tit. 16. ubi sic: *Præsenti Constitutione perpetuò irrefragabiliter valiturâ, sancimus, universas Moniales, præsentes atque futuras, cujuscumque Religionis sint, vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetua in suis Monasteriis debere de cætero permanere clausura: ita quòd nulli earum, Religionem tacitè vel expressè professâ, sit vel esse valeat, quâcumque ratione, vel causâ..... Monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas.... ut sic à publicis & mundanis conspectibus separatæ, omninò servire Deo valeant liberiùs, & lasciviendi opportunitate sublatâ, eidem corda sua & corpora in omni sanctimonia diligentiùs custodire. Et ideò... Episcopis universis in virtute S. Obedientiæ, sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipiendo mandamus, Abbatibus etiam, & aliis etiam exemptis Prælatis Monasteriorum & Ordinum quorumque, ut in Monasteriis sibi subjectis, de clausura convenienti, & Monialibus includendis, quamprimùm commodè poterunt, providere procurent, rebelles per Censuram Ecclesiasticam compescendo.*

310 Hanc Constitutionem innovat Tridentinum sess. 25. *indultis quibuscumque & privilegiis non obstantibus.* Et confirmant Pius V. Constitutione duplici, una de 29. Maii 1566. quæ incipit *circa Pastoralis*; altera de 1. Februarii 1570. quæ incipit *Decori & honestati.* Sicut & Gregorius XIII. Constitutione quæ incipit *Deo sacris* de 30. Decembris 1572. Cùmque Concilium Rothomagense anno 1581. sub Cardinali Borbonio Archiepiscopo celebratum, eidem Gregorio XIII. dubium istud proposuisset: *Circa Decretum de clausura Monialium, sunt quæ ex fundatione dicunt liberum sibi reliqui exitum & introitum Monasterii. Aliæ prætexunt se non emisisse votum clausuræ, nec unquam ingressuras Monasterium, si audissent ullam fuisse clausuræ obligationem. Pleræque minantur se potius reversuras ad sæculum, quam patiantur eamdem clausuram, & per parentes nobiles necem etiam Episcopis intentant, si ausi fuerint ingressum prohibere. In his perplexitatibus supplicatur, quid agendum, maximè ubi timetur, ne per clausuram aliquid deterius contingat, & Magistratus secularis non adjuvat, sicut ipsi Tridentinum sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda præcipit ut adjuvet.* Respondit Pontifex: *Executioni demandentur Decreta Concilii Tridentini, & Bullæ Summorum Pontificum, quibus sublata sunt omnia privilegia, & fundationes.*

Moniales tamen viventes in Monasteriis, in quibus clausura non servatur, & in aliis etiam punctis, ad religiosæ vitæ substantiam non pertinentibus, relaxata est regulæ observantia, v. g. in jejuniis & abstinentiis, ea scorsim servare non tenentur, sed satis est quòd paratum habeant animum ad Reformationem suscipiendam, si regularem observantiam Superiores observaverint, ut benè Natalis Alexander in Paralipomenis Moralibus pag. 138. Quamvis enim consuetudo, absque Apostolica dispensatione, non solvat obligationem ex professione ortam, servandi Regulam, suspendit tamen quodammodò quoad eas observantias, quæ ad votorum observantiam non spectant; quoad eas præsertim, quæ absque singularitatis nota, fratrumque vel sororum perturbatione & tumultu, observari non possunt. Eos proinde S. Bernardus excusat epist. 7. ad Adam Monachum, his verbis: *Siquis cæterorum ad Regulæ cupiat transire puritatem, sed propter scandalum non audeat, aut certè etiam ob certam corporis infirmitatem; puto quia non peccat, dum tamen in suo studeat loco sobriè, & justè, & piè conversari,* &c.

CAPUT XXXIX.

Definitio status religiosi.

311 STatus in genere nihil aliud est, quàm certa vitæ conditio. Strictè autem acceptus, est certa vitæ conditio immobilis, alteri nos adstringens, ut Episcopatus Episcopum adstringens immobiliter Ecclesiæ suæ, tamquam sponsæ; conjugium conjugi, status religiosus Religioni & Prælatis illius.

Unde status religiosus est status perfectionis, quo quis per tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ immobiliter tradit se Deo, in manu legitimi Prælati, juxta Ecclesiæ approbationem. Unde in tribus votis illis consistit essentia status religiosi, juxta cap. *ad Apostolicum*, & cap. *cum ad Monasterium* de statu Monachorum. 312

Dicitur *status perfectionis*, non quòd profitentes statum Religiosum eo ipso perfecti esse debeant, sed quòd serio ac sincerè tendere debeant ad perfectionem, tamquam propositum sibi finem, ut tradit S. Thomas q. 184. a. 5. ad 2. & q. 186. a. 1. ad 3. Unde & Apostolus dicit ad Philipp. 3. *Non quòd jam comprehenderim, aut quod jam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam.* Et postea subdit: *Quicumque ergo perfecti sumus,* id est ad perfectionem tendimus, *hoc sentiamus,* &c. *Suam* itaque *professionem non transgreditur, nec committit mendacium, vel simulationem* (ait S. Doctor) *ex hoc quòd non est perfectus, qui statum perfectionis assumit; sed ex eo quod ab intentione* seria & sincera *perfectionis animum revocat.* Quibus verbis indicat, Religiosum voluntariè abjicientem studium tendendi ad perfectionem, mortaliter peccare, quia suam *transgreditur professionem.* 313

Porrò perfectio, ad quam Religiosi tendere tenentur, consistit in unione cum Deo, per observantiam Regulæ, & votorum supradictorum; quæ contraria sunt tribus impedimentis, quibus, veluti laqueis hujus mundi, animus humanus detinetur, quominùs ad Deum liberè erigere se possit. De quibus 1. Joan. 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est* (cui contrariatur votum castitatis) *& concupiscentia oculorum,* id est divitiarum (cui contrariatur votum paupertatis) *& superbia vitæ,* id est appetitus honoris & independentiæ; contra quam est votum obedientiæ. 314

Et hinc status Religiosi perfectionem explicans S. Doctor q. 186. a. 7. docet, quòd per illius professionem, homo sit holocaustum, Deo se suaque omnia consecrans. Tria namque homo possidet, animam, corpus, bona externa, seu temporalia. Per votum obedientiæ, Deo animam consecrat, judicium suum ac voluntatem Superiori subjiciens propter Deum. Per votum castitatis, Deo consecrat corpus, ut abstractus à carnalibus desideriis, Deo melius servire possit. Per paupertatis votum, Deo bona sua externa consecrat, iis se privans propter Deum, ut Deus sit ipsi omne bonum, nec aliud possideat nisi ipsum. 315

Monet autem S. Doctor a. 8. inter tria illa vota, obedientiæ votum esse præcipuum: utpote per quod Deo offertur & consecratur id quod est in homine præcipuum, cor scilicet, seu propria voluntas. Unde Gregorius l. 33. 316

Moral. c. 19. *Obedientia* (inquit) *victimis jure præponitur: quia per victimam aliena caro; per obedientiam autem propria voluntas mactatur.* Et Joannes XXII. extrav. *quorumdam* de verb. signif. *Magna est paupertas, sed majus integritas bonum est; maximum obedientia, si custodiatur illæsa.*

317 Dicitur etiam in definitione statûs religiosi, *juxta Ecclesiæ approbationem:* quia status religiosus expressè vel tacitè approbatus esse debet ab Ecclesia. Et hoc, quia Ordo religiosus est sacra quædam Congregatio, seu Communitas, in qua esse debet subordinatio & subjectio inferiorum ad Superiores, & jurisdictio (in utroque foro) Superiorum supra inferiores. Quæ cùm ab Ecclesiæ Prælatis, maximè à supremo Ecclesiæ Capite derivari debeat; ideò vivendi modus in Religione, secundùm certam Regulam, ab Ecclesia probatus esse debet, ut vim habeat legis. Et sic colligitur ex cap. 1. de voto in sexto. Olim quidem sufficiebat Episcoporum approbatio, cum non repugnantia Romani Pontificis (nec enim aliter olim probatæ fuerunt Religiones, Carmelitana scilicet, Basiliana, Augustiniana, Benedictina, &c.) ut probant Bellarminus, Lessius, Basilius Legionensis, &c. sed in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & Lugdunensi sub Gregorio IX. Romano Pontifici reservata fuit Religionum approbatio, sine expressa cujus approbatione novas inducere Religiones, vel in eis Religionis habitum assumere prohibitum est.

318 Tametsi verò suprà dixerimus, essentiam statûs religiosi in tribus votis consistere, necesse non est quòd vota illa solemnia sint; sed status ille indifferenter constituitur, sive per vota solemnia, sive per simplicia (licèt perfectiùs per solemnia, utpote per quæ immobiliùs quis se totum consecrat Deo) quia vota primæ professionis Scholarium Societatis Jesu non sunt nisi simplicia, uti declarat Gregorius XIII. in Bulla *ascendente Domino*; post primam tamen illam professionem verè sunt Religiosi, uti declarat ibidem.

CAPUT XL.

Religiosus non peccat mortaliter per transgressionem punctorum Regulæ, ad quæ sub mortali non tenetur; posset tamen in iis mortaliter peccare ex negligentia magna, vel contemptu.

319 ITa S. Thomas q. 186. a. 9. in corp. & ad 1um. & 3um. Ratio prioris partis est clara: quia nullus peccat mortaliter, nisi transgrediendo præceptum sub gravi peccato obligans; non omnia verò contenta in Regula sunt ejusmodi, ut quoad Regulam nostram communis est sensus Religionis nostræ (teste Lezana) & idem est de Regula Dominicanorum, Societatis, pluriumque aliarum Religionum, exceptâ Regulâ Minorum, quoad præcepta quæ in ea continentur.

Idque confirmat S. Doctor in argument. *sed contra*, quia status Religionis est securior, quàm 320
status sæcularis vitæ. Unde D. Gregorius l. 1. Moral. c. 1. comparat vitam sæcularem mari fluctuanti, religiosam verò portui tranquillo. Si autem puncta omnia quæ in Regula continentur, Religiosum obligarent sub mortali peccato, status religiosus esset valdè periculosus, propter multitudinem observantiarum. Non ergo quælibet transgressio eorum quæ in Regula continentur, est mortale peccatum.

Ratio posterioris partis petenda est ex dicendis n. 323. Si dicas 1°. quòd quicumque 321
transgreditur Regulam facit contra votum professionis, quo se ad Regulam observandam adstrinxit. 2°. quòd Regula est quædam lex ecclesiastica, quæ in materia gravi semper obligat sub mortali. 3°. quòd quicumque transgreditur Regulam, saltem frequenter, parum curans id emendare, videtur Regulam parvifacere, quod est peccatum mortale.

Ad 1um. respondeo, quòd faciens professionem secundùm Regulam, *non vovet servare omnia quæ sunt in Regula* (ait S. Doctor) *sed vovet regularem vitam, quæ essentialiter consistit in tribus votis.* Per consequens non vovet servare omnia puncta Regulæ, tamquam materiam voti, sed ea duntaxat quæ Regula præscribit tamquam materiam voti, vel etiam ea quæ Religio vel Prælatus exigit in virtute voti. Religio verò in virtute voti non exigit quæcumque habentur in Regula. Aliàs quisquis frangeret silentium in Regula præscriptum, votifragus foret, & sacrilegus. Quod est contra unanimem sensum Religionum omnium.

Ad 2um. respondeo cum eodem S. Doctore, quòd *non omnia quæ traduntur in lege, traduntur per modum præcepti, sed quædam proponuntur per modum ordinationis cujusdam, vel statuti obligantis ad certam pœnam.* Est quidem præceptum, *cui non obedire peccatum est*, inquit Augustinus l. de S. virginit. c. 5. sed non omnes ordinationes habent vim talis præcepti, nec vim legis propriè dictæ (quæ in materia gravi semper obligat sub gravi culpa) sed quædam sunt monitiones simpliciter directivæ in ordine ad perfectionem, vel ad summum sunt leges pœnales. De quibus plura diximus in materia de legibus. 322

Ad 3um respondeo cum eodem, quòd tunc 323
aliquis transgreditur ex contemptu, quando voluntas renuit ordinationi legis, vel Regulæ subjici, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel Regulam; secùs si solùm faciat contra Regulam propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam, vel iram.... etiamsi frequenter ex eadem causa vel ex simili peccatum fieret. Sicut etiam Augustinus dicit in l. de nat. & grat. c. 29. quòd non omnia peccata committuntur ex contemptu superbiæ. Frequentia tamen peccati dispositivè inducit ad contemptum, secundùm illud Proverb. 18. " Impius, cùm in " profundum venerit peccatorum, contemnit. "

Notanda sunt verba ista S. Doctoris, *fre-* 324
quentia

quentia peccati, seu transgressionis regulæ, *dispositivè inducit ad contemptum*, & recolenda ea quæ to. 1. l. 10. c. 22. cum D. Dionysio Carthusiano, aliisque Scriptoribus gravissimis dixi, pluribusque argumentis probavi, quòd consuetudo, seu assiduitas violandi regulam, in iis ad quæ non est obligatio sub mortali, & non curare, nec velle se in iis emendare, vix aut ne vix quidem excusari potest à mortali crimine, quòdque tales Religiosi ordinariè sunt extra viam salutis, & utplurimùm pereunt.

CAPUT XLI.

Religiosus per ingressum seu potiùs professionem Religionis, juxta S. Thomam absolvitur ab omnibus aliis votis anteà factis.

325 QUia (inquit in 4. dist. 38. q. 1. a. 4. ad 2.) *per introitum religionis homo moritur priori vitæ; ideò illa vota, quæ vovit in vita seculari explenda, non tenetur exolvere, ex quo Religionem intrat. Et præcipuè, quia singularitas in Religionibus est periculosa, & onus Religionis adeò gravat, quòd non manet eadem facilitas ad observandum votum, quæ in seculari vita erat. Tamen quidam dicunt, quòd debet Prælato suo exponere, & ille pensatis conditionibus personæ, & voti, poterit cum eo dispensare. Sed secundùm alios hoc non exigitur: quia ex ipsa vi voti Religionis à prioribus votis est absolutus.* In Summa verò 2. 2. q. 88. a. 12. ad 1. dicit, quòd *omnia alia vota sunt quorundam particularium operum. Sed per Religionem homo totam vitam suam Dei obsequio deputat. Particulare autem in universali includitur. Et ideò Decretalis cap. Scripturæ de voto, dicit quòd reus voti fracti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam religionis observantiam commutat. Nec tamen religionem ingrediens tenetur implere vota, vel jejuniorum, vel orationum; vel aliorum hujusmodi, quæ existens in seculo fecit: quia religionem ingrediens moritur priori vitæ. Et etiam singulares observantiæ religioni non competunt, & religionis onus satis hominem onerat, ut alia superaddere non oporteat.* Similia habet quodlib. 3. a. 18. ad 3.

CAPUT XLII.

Obligatio Religiosorum ex voto paupertatis.

326 VOtum paupertatis obligat Religiosos ad non usurpandam rem ullam temporalem, nisi dependenter à voluntate Superioris cap. *cùm ad Monasterium* de statu Monach. Unde proprietarius est contra votum paupertatis, primò qui contra vel præter Superioris voluntatem quidpiam dat, accipit, retinet, vel consumit, sive de bonis ex Monasterio, sive aliunde acceptis. Et idem est de eo qui iisdem bonis utitur aliter quàm Superior concesserit. Quia Religiosus per votum paupertatis sponte se spoliat jure disponendi ex proprio arbitrio de quacumque re temporali, se totaliter quoad hoc subjiciens dispositioni ac voluntati sui Prælati. Quod adeò verum existimat Rodriguez exercit. spirit. p. 3. tr. 3 c. 15. Sicut & Layman tr. 5. de statu relig. c. 7. n. 16. & Turrianus 2. 2. disput. 84. sect. 3. n. 53. ut doceant Religiosum peccare contra votum paupertatis, dum sine Superioris licentia acceptat pecuniam, vel quid simile, non ut sibi donatam, neque ut depositam vel quasi depositam apud se, in commodum suum (de quo Doctores conveniunt) sed præcisè in manus suas consignatam, ut eam ipse pauperibus pro arbitrio suo eligendis in eleëmosynam distribuat, tametsi non suo, sed consignantis nomine. Quia hoc pacto sine Superioris licentia acceptat facultatem disponendi pretio æstimabilem. Hoc autem est contra votum paupertatis, quo non solùm redditur incapax dominii & proprietatis, sed & usûs facti independenter à voluntate Prælati.

Hoc quidem Tamburinus l. 8. in Decal. 327
tr. 1. c. 2. §. 5. post Sanchez ibidem l. 7. c. 3. solùm admittit de usu tendente in proprium utentis commodum; ita ut inde ditescat, & temporale commodum accipiat. Verùm etiamsi in dicto casu per se non ditescat, neque commodum accipiat ex ipsa pecunia secundùm se (utpote sibi non donata) ditescit tamen (saltem affectu & voluntate) ex facultate seu jure distribuendi pecuniam illam pauperibus pro arbitrio suo eligendis: utpote affectu & voluntate jus illud seu facultatem pretio æstimabilem acceptans independenter à voluntate Superioris.

Secundò, à fortiori proprietarius est, qui, li- 328
cèt non usurpet sibi proprietatem & dominium rei, usurpat tamen sibi usum rei in proprium commodum, independenter à voluntate Superioris. Est communis sententia, contra Caramuelem in Reg. S. Bened. n. 883. & seqq. asserentem, solam proprietatem usurpatam esse contra votum paupertatis; adeòque Religiosum absque Superioris licentia pro se utentem pecuniis, vel rebus alterius, dominio ei reservato qui usum ipsi concessit, contra obedientiam peccare, non contra paupertatem. Quam abusivam opinionem pluribus impugnat Suarez l. 8. de statu relig. c. 7. solidè probans, abdicationem usûs à Superioris voluntate independentis semper annexam fuisse statui religioso, & paupertatis voto.

Quia tamen dependentia usûs à voluntate 329
Superioris esse potest duplex; una dependens à voluntate ipsius velut concomitante, quando nempe Religiosus sic utitur veste v. g., ut semper quidem paratus sit eam relinquere, quoties Superior voluerit, eâ tamen utitur absque prævia ipsius licentia, etiam tacita. Altera dependens à voluntate Superioris antecedente, ita ut Religiosus veste v. g. non utatur absque prævia ipsius licentia, saltem tacita. Quæri potest an votum paupertatis Religiosos obliget ad posteriorem dependentiam, an solùm ad priorem? Solùm obligare ad priorem, supponere videtur Caramuel n. 886. dum ait: non peccat contra paupertatem, qui, inscio Abbate, ab externis pecuniam

accipit, & libros emit, dummodò eos habeat in cubiculo expositos, & omnibus objectos, & idem est à fortiori si ab externis accipiat ipsos libros. Ita ille, citans Azorium. Ita etiam Perez in Reg. S. Bened. c. 33. dub. 5. n. 125.

330 Verùm omninò dicendum, obligare ad posteriorem, uti docet Sanchez citato l. 7. c. 53. & ipsemet Caramuel fatetur esse probabilius. Et ratio est 1°. quia est contra religiosam paupertatem, quòd Religiosus in usu rerum temporalium ditigatur à sola propria voluntate, non à voluntate Superioris. Atqui non dirigitur à voluntate Superioris, sed à propria dumtaxat, si non præsupponat voluntatem Superioris: cùm necesse sit regulam, quæ dirigit, esse priorem regulato.

2°. quia usus temporalium in Religiosis esse debet dependens à voluntate Superioris, non solùm quoad continuationem, sed etiam quoad inceptionem; non apparet autem quomodò ab ea dependens sit quoad inceptionem, si voluntas seu licentia Superioris non sit prior illâ inceptione: cùm id quod dependet, posterius sit eo à quo dependet, velut effectus posterior causâ.

331 3°. quia si sufficeret animus paratus rem relinquere, dum Superior id rescíens voluerit, Religiosus posset, absque paupertatis præjudicio, inscio Superiore, omnia sibi desiderabilia comparare, iisque frui, dummodò paratus esset relinquere, dum Superior rescíens vellet. Quod absurdum esse censent communiter omnes Christi paupertatem profitentes.

332 Quæri etiam potest qualis esse debeat prævia illa Superioris licentia. An esse debeat expressa? Respondeo non semper requiri expressam, sed interdùm sufficere tacitam, seu probabiliter præsumptam, ut loquitur S. Doctor 2. 2. q. 32. a. 5. ad 1. eam tamen non consistere præcisè in eo quòd Superior concederet, si rogaretur: quia ista non est licentia illa prævia, quam diximus necessariam, sed licentia dumtaxat futura, vel concomitans sub conditione; quæ cùm non ponatur in re, nec licentia ponitur; sicut in re non ponitur dispensatio, vel donatio, quam aliquis concederet, si rogaretur. Unde quemadmodùm in hoc casu non censetur quis sufficienter dispensatus; sic in illo non censetur sufficienter licentiatus. Necesse est ergo quòd Superior de facto licentiam reipsà concedere ex probabili aliquo signo existimetur, licèt expressè non rogatus. Cujusmodi signum esse potest, quòd in talibus circumstantiis soleat consentire, etiam non rogatus expressè, vel quòd priùs ostenderit sibi gratum fuisse, dum rescivit Religiosum, ex rationabili causa, in similibus circumstantiis, absque licentia expressa processisse; vel quòd in aliqua Religione, Superiore sciente, nec improbante, vigeat consuetudo hoc vel illud recipiendi, vel expendendi, non petitâ ab ipso licentiâ expressâ. Tunc enim Superior ostendendo talem sibi consuetudinem non displicere, satis indicat se consentire.

Hujusmodi tamen consuetudo & licentia generalis, si in una Religione permittitur, non 333
statim permittitur in alia. Nec ejusmodi licentia in Religionibus benè ordinatis conceditur passim omnibus, nisi vel in rebus minoris momenti, & crebrò occurrentibus, vel in casu particulari per interpretationem epicheiæ, ubi res urget, & Superior ad manum non est, ut rectè monent Tannerus disp. 6. n. 106. Lessius c. 41. n. 79. Sanchez c. 19. ubi n. 70. observat, quòd si Superior inferiori suo donet, vel ab alio donatas res aliquas permittat, v. g. imagunculas, rosaria, numismata, &c. sciens inferiorem iis omnibus non indigere ad proprium usum, spectatâ talium rerum qualitate, censeatur dare licentiam tacitam, eas aliis donandi, seu domesticis, seu extraneis, sicuti consuetum est. Et n. 15. addit interdùm adesse tacitum Superioris consensum, saltem habitualem, quoad sustantiam rei dandam, vel consumendam, licèt aliquantulùm ægrè ferat, licentiam à se non peti, adeòque sit quodammodò invitus quoad modum. Et tunc peccari quidem, saltem venialiter, sed non contra paupertatis votum, sicut etiam docent Navarrus, Rodriguez, Rebellus, quos citatos sequitur Layman n. 4.

Tertiò, proprietarius est Religiosus, qui paratus non est exui possessione, vel usu, omni momento quo Superior voluerit. Quia non potest quidquam habere, vel retinere, nisi cum dependentia à Superioris voluntate. Aliàs proprietarius censetur, cap. *cùm ad Monasterium* suprà. 334

Quartò, qui aliquid abscondit, ne Superior sciat, nolens illud permittere liberæ ipsius dispositioni, semper judicatus fuit affectus vitio proprietatis, & independentiæ à Superiore, uti colligitur ex eodem capite, & cum communi docent noster Lezana, Lessius, Sanchez, Layman, &c. Idipsum colligitur ex cap. *super quodam* eod. ubi Joannes Andræas, Archidiaconus, & alii Doctores observant, proprietarium dici, qui celat Prælatum, vel præter voluntatem ipsius tenet aliquid. Idem dicendum de eo qui, dum Superior aliqua ipsi aufert, murmurat, tamquam injuriâ affectus, vel qui res, de licentia Superioris acceptas, posteà abscondit, ne Superior eas repetere volens, vel licentiam datam revocare (prout semper potest; nec enim licentiam irrevocabilem dare potest) id exequi possit. Idem denique de eo qui murmure & querelis Superiorem impedit, ne repetere ac revocare audeat. Quia per ista omnia demonstratur affectatio independentiæ; adeòque & proprietatis, ut cum aliis notat Layman n. 8. 335

Quintò, qui res sibi ad usum concessas, sine licentia expressa vel tacita Superioris, alteri mutuat, vel commodat, vel etiam permutat. Hoc est enim disponere independenter, transgredique limites simplicis usuarii (cui ista non licent secundùm jura) quamvis in eo sæpè excuset materiæ parvitas, dum usus libri ad breve tempus alteri datur; neque enim simplex ille 336

usus paris est valoris cum proprietate absolutè concessa.

337 Sextò, qui contra vel præter voluntatem Superioris, de Missarum, etiam foris dictarum, eleëmosynis disponit, in imagines, libros, potationes, &c. Patet evidenter ex præmissis, atque ex laudato cap. *cùm ad Monasterium*, nec non ex Tridentino sess. 25. c. 2. Item ex Decreto Clementis VIII. de anno 1599., confirmato per Urbanum VIII. anno 1624. Quod videri potest ad calcem Constitutionum nostrarum in Decretis Clem. VIII. pro reformatione Regularium n. 3. ubi expresè fit mentio eleëmosynarum ex Missis ubicumque celebrandis, præcipiturque ut Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis confundantur; quo communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit. Nec suffragari potest ulla consuetudo in contrarium, dum ei repugnat voluntas Superiorum: quia sicut nulla consuetudo excusare potest proprietatem; ita nec independentiam à voluntate Superiorum, in usu & comparatione rerum externarum.

338 Septimò, proprietarii sunt etiam Procuratores, œconomi, & similes bonorum Monasterii Administratores, qui, sive in expendendo, sive in largiendo, seu domesticis, seu extraneis, limites excedunt sibi præscriptos per Regulam vel Constitutiones, vel Ordinis consuetudinem, vel Superioris voluntatem. Quia (ut ait S. Doctor ubi suprà in corp.) oportet ut ea in quibus inferior Superiori subjicitur, dispenset non aliter quàm ei sit à Superiore commissum.

339 Ad cavenda itaque omnia illa Religiosos obligat votum paupertatis; atque insuper ad eam diligentiam, pro rerum sibi ad usum concessarum conservatione adhibendam, ad quam tenetur usuarius qui precario utitur: cùm reverà nonnisi precariò utantur, quamdiu Superiori videbitur. Unde contra paupertatis votum delinquunt, si res illas amittant, vel destruant, per culpam seu negligentiam latam, sicuti docent Lessius cap. 41. dub. 9. n. 79. Sanchez n. 115. Layman n. 6. Imò secundùm Layman & Sanchez peccant etiam contra justitiam, cum obligatione restituendi Monasterio inde damnificato, si Religiosi damnificantes peculium habeant.

340 Votum quoquè paupertatis ipsos obligat ad non habendum superflua in victu, vestitu, & reliqua vita, nec adeò pretiosa & splendida, ut religiosam notabiliter excedant mediocritatem. Sic enim habetur Clem. 1°. de statu Monach. traduntque Sylvester, Navarrus, Tannerus, Lessius & alii passim; licèt addant, Religiosum habentem vana & superflua, sed non absque licentia Superioris (ad cujus nutum paratus sit ea relinquere) non esse proprietarium. Quia nec affectat eorum proprietatem, nec usum independentem, licèt faciat contra statum & conditionem paupertis.

341 Ex quo patet, voto paupertatis non solùm interdici proprietatem, verùm etiam 1°. præcipi abstinentiam à prædictis. 2°. prohiberi, ne Religiosus ea quæ habet cum facultate Superioris, in res expendat illicitas, aut vanas, seu superfluas. Nec id ipsi Superior permittere potest: utpote qui nihil ipsi contra jura & canones, id prohibentes, concedere potest.

CAPUT XLIII.

Eorumdem obligatio ratione voti castitatis.

PRimò tenentur abstinere à matrimonio, 342
ejusque usu. Secundò ad tantam corporis animique puritatem, ut nullam veneream voluptatem voluntariè admittant, sive corpore, sive mente. Unde Religiosus professus peccat mortaliter contra votum castitatis, non solùm admittendo vel exercendo actus exteriores, ad luxuriam pertinentes, sed & admittendo actus internos, ut sunt cogitationes, delectationes morosæ, &c. Quorum si aliquid admittat, ultra malitiam luxuriæ contra castitatem, insuper peccatum ipsius incurrit malitiam sacrilegii contra religionem, ratione voti, uti Doctores communiter tradunt.

CAPUT XLIV.

Obligatio ratione voti obedientiæ.

REligiosus, ratione voti obedientiæ, te- 343
netur obedire legitimis Superioribus suis in omnibus quæ licita sunt, & secundùm uniuscujusque Ordinis Institutum, Regulas, & Constitutiones. Ita S. Bernardus in l. de præc. & disp. S. Thomas q. 104. a. 5. ad 3. Quia scilicet Religiosus hoc vovit, quando promisit obedientiam secundùm Regulam. Unde S. Thomas, *Religiosi* (inquit) *obedientiam profitentur, quantum ad regularem conversationem, secundùm quam suis Prælatis subduntur. Et ideò quantum ad illa sola obedire tenentur, quæ possunt ad regularem conversationem pertinere.*

Porrò, ut idem S. Doctor ait in 2. dist. ult. 344
a. 3. *ad Regulam pertinet aliquid dupliciter*, vel *directè*, *vel indirectè. Directè, sicut ea quæ in statutis Regulæ continentur, ut non comedere carnes, tenere silentium, & hujusmodi. Indirectè, sicut ea quæ pertinent ad mutua obsequia, sine quibus status Religionis servari non posset; vel etiam quæ pertinent ad pœnam transgressionum, etsi de eis nulla specialis mentio in Regula fiat.* Ex quibus verbis patet Religiosum teneri obedire in omnibus quæ legitimi Superiores rationabiliter judicant necessaria ad observantiam Regulæ & votorum, cavendaque pericula transgressionis eorum.

Unde cùm Ecclesia cap. *periculoso* de Re- 345
gul. & in Concilio Tridentino sess. 25. cap. 5. de Regul. necessariam Monialibus judicaverit clausuram, ad cavenda pericula violandi votum castitatis, quæ alioqui à pluribus violaretur, licèt de clausura mentio non fiat in Regula, nec unquam in earum Monasteriis, etiam ab immemoriali tempore ea servata fuerit, ait Tridentinum ibidem. Et cap. 20.

Moniales obedire tenentur legitimis Superioribus eam præcipientibus, prout Ecclesia ex dictis n. 306. jubet ut præcipiatur, & rebelles ad observantiam ipsius compellantur. Quia scilicet in voto obedientiæ quod fecerunt, implicitè continetur promissio servandi ea quæ legitimis Superioribus visa fuerint necessaria ad Regulæ & votorum observantiam, prout dictum est, ab iisque ut taliter necessaria præcipientur; licèt aliàs non fuerint in tali vel tali Monasterio practicata. At verò experientia docuit, clausuram adeò necessariam esse Monialibus, ad ponendum in tuto votum castitatis earum, ut ipsius defectu plurimarum ex ipsis castitas non solùm periclitetur, sed & violetur. Et ista ratio est sufficiens ad clausuram omnibus præcipiendam, ut lasciviendi opportunitate sublatâ, Deo corda sua & corpora securè custodiant, ut loquitur Bonifacius VIII. extrav. *periculoso* in 6. Et ideò legitimis Superioribus Ecclesiæ jussu clausuram ipsis præcipientibus obedire tenentur. Et ista est Ecclesiæ doctrina, in locis n. 306. relatis. Ecclesiam verò non audire, est Christum non audire, qui dicit: *Qui vos audit, me audit*, &c.

346 Eâdem ratione Religiosi acceptare tenentur quascumque observantias & reformationes, quas legitimi Superiores rationabiliter judicant necessarias ad supradictam observantiam Regulæ & votorum, idque non obstantibus quibuscumque consuetudinibus in contrarium, ut rectè docent Sylvester, Armilla, Vasquez, Lessius, Layman, Urbanus noster ab Ascensione, & alii communiter. Quemadmodùm miles Duci exercitûs obedire tenetur, in iis quæ ad conservandam vitam militarem pertinent; & servus domino, quoad servilia opera exequenda; & filius patri, in his quæ concernunt vitam domesticam; sic Religiosi suis obedire tenentur Superioribus, in iis quæ concernunt vitam regularem in sua puritate conservandam, sive observantiam Regulæ, votorum & Constitutionum.

347 Superiores tamen præcipere non possunt aliquid contra, vel suprà Regulam, ut tradit S. Bernardus ubi suprà l. 1. columnâ 4. his verbis: *Prælati jussio vel prohibitio non prætereat terminos professionis; nec ultrà extendi potest, nec contrahi citrà; nihil me Prælatus prohibeat eorum quæ promisi, nec plus exigat quàm promisi; vota mea non augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.* Idipsum tradit S. Thomas locis citatis, & quodlib. 10. a. 10. ubi sic: *si tamen aliqua sunt, quæ nullatenus ad Regulam reducuntur* (directè vel indirectè, ut supra dixit) *videtur esse verior opinio, quòd obedire in ejusmodi non sit de necessitate obedientiæ, sed de perfectione, ut Bernardus manifestè dicit*, &c.

348 Unde Religiosus obedire non tenetur Superiori præcipienti v. g. ut assumat Episcopatum (inquit Layman c. 9. n. 2) vel ut eat ad conversionem infidelium, cum manifesto periculo mortis, vel servitutis (ait Corduba apud Lessium n. 75. idem dicens de notabilibus austeritatibus supra Regulam.) Generalis tamen ad provinciam externam, etiam aëris intemperie laborantem, mittere potest, ad conservanda illius Monasteria, vel religiosam in illis observantiam. Quia hoc pertinet ad mutua obsequia, sine quibus status religionis conservari non potest. Pertinet proinde ad commune Religionis bonum, quod privato est præferendum. Quam ob causam valdè etiam probabile est (quod docent varii apud Castro-Palao hîc disp. 4. p. 4. n. 4.) Superiorem alicui præcipere posse, ut fratribus peste infectis assistat; quemadmodùm Princeps, ob commune Reipublicæ bonum, subditos obligare potest ut proficiscantur ad bellum, seu navigationem periculosam.

Nec dubium, quin in Religionibus per Regulam & Constitutiones obligatis ad orationem mentalem, Superior eam ipsis præcipere queat, & consequenter actus merè internos, ut benè docent Sylvius hîc q. 104. a. 5. & apud ipsum Major, Adrianus, Corduba, Medina, Lessius, sicut & Layman n. 4. Primò, quia Ecclesia, & Prælati Ecclesiastici id possunt, ut validis argumentis probavi in materia de Legibus. Ergo & Prælati Religionum. Secundò (quidquid sit de Ecclesiasticis illis Prælatis) non est dubium Religiosos vovere posse obedientiam, etiam in ordine ad actus merè internos; per spontaneumque votum se Superioribus subjicere in ordine ad omnes actus ad Regulam pertinentes; nec dubium quin hoc faciant, dum vovent obedientiam secundùm Regulam. Ad Regulam verò multarum Religionum pertinent actus interni, v. g. interna cum Deo conversatio, oratio mentalis, conscientiæ examen. Nostræ etiam Constitutiones p. 2. c. 6. n. 12. præcipiunt intentionem Missæ: *Sacrista habeat tabellam, in qua Sacerdotes celebraturi legent.... pro quo.... sacrum sint facturi; ita ut illi se conformare omnes omninò teneantur.* Ideòque Superiores id præcipere possunt, ut ex stipendiis Missarum habeant unde victum & vestitum, cæteraque ad vitam communem pertinentia, juxta Regul. subministrare possint. 349

CAPUT XLV.

Voti obligatio quatuor modis cessat, irritatione, commutatione, dispensatione, & materiæ mutatione.

DE irritatione, commutatione & dispensatione agemus in capitibus sequentibus. 350 Circa materiæ mutationem aliqui, quos inter Stephanus noster à S. Paulo disp. 12. n. 44. nimis crudè & indistinctè docent, quòd juxta D. Thomam, quidquid ab initio retraheret hominem à vovendo, excuset eum ab adimplendo. Fortè quia S. Doctor in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. q. 1. ad 1. dicit, quòd *illud quod votum fiendum impediret, si præsens esset, etiam à voto facto obligationem aufert.* Verùm ibi S. Doctor non loquitur de quocumque impedi-

mento voti, nec sensus ipsius est quòd quidquid ab initio prævisum impediret, seu retraheret voluntatem voventis, auferat obligationem voti; hæc enim doctrina universas Religiones cum Clero enervaret, inquit Cajetanus hîc q. 88. a. 4. ad 2. Loquitur ergo S. Doctor de impedimento voti, id est tenente se ex parte voti, seu materiæ promissæ; non de impedimento voluntatis voventis, prout apertè colligitur ex contextu: seipsum quippe S. Doctor statim explicat: *Si aliquid fiat impossibile post voti emissionem, quod prius erat possibile*, vel si fiat de re licita illicita, vel aliunde adeò notabiliter mutata, ab ea quæ ab initio fuit à vovente intenta, ut meritò censeatur non intenta; votum proinde ipsius non censeatur extendere se ad ejusmodi materiam. Quia hujusmodi mutatio, si ab initio nec prævisa fuerit, nec prævideri potuerit, & debuerit, invalidat votum.

351 Et istud valdè est observandum, pro iis qui professi sunt in Religionibus dissolutis, quæ postmodùm reformantur: quia Urbanus noster ab Ascensione tr. 1. c. 32. sapienter observat, quòd „ si religiosus Ordo reformetur magno cum vigore, supra rationabilem „ satis & communem observantiam, non tenetur ejusmodi reformationem suscipere, qui „ antè vovit, nihil promittendo de tali eventu. „ Si verò tantùm reformetur secundùm id quod „ rationabiliter, & ex instituto primario geri „ debet, additâ etiam aliquâ observantiâ mediocris difficultatis, majorisque perfectionis, „ maximè conducente ad finem illius, licèt prævisa non fuerit, nihilominùs tenentur eam susscipere illi, qui voverunt in ea, durante corruptionis & deordinationis tempore, maximè „ si reformatio fiat solùm circa votorum solemnium, & Regulæ, vel Constitutionum exactam observantiam. Ad quid enim vi votorum „ Religiosus teneri potest, si non saltem ad ista? „ An Deus acceptavit votum paupertatis in proprietate, castitatis in lascivia, obedientiæ in „ libera sui suarumque actionum dispositione? „ Scilicet hoc implicat. Vel ergo professio nulla „ prorsus existet à principio, vel ad talem vo„ torum & regularum observantiam adstringet, „ qualis necessaria est ad excludendum pecca„ tum. Alioqui non foret religiosus Ordo, sed „ Babylonica confusio.

352 Propterea etiam Cajetanus in Summa verbo *votum* c. 3. n. 7. „ Cave (inquit) ne fallaris, „ putans in variis casibus & eventibus occurrentibus votum non ligare, quando persona „ quæ vovit, si hæc prævidisset, non fecisset votum. „ Falsa est hæc imaginatio, & destructiva omnium humanorum contractuum. Multi namque conjugati non obligarentur ad conjugium: „ quia, si prævidissent quæ evenerunt, non contraxissent tale matrimonium; & similiter „ multi professi non tenerentur ad Religionem: „ quia si tunc, quæ post occurrunt, cogitassent, non fecissent professionis votum. Et sic „ de aliis.

CAPUT XLVI.

Declaratur quinam habeant potestatem vota irritandi.

POtestatem habent vota irritandi omnes illi, 353
sine quorum consensu votum factum non potest esse firmum. Unde quia *quicumque est subjectus alteri, in eo in quo est subjectus, non est suæ potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius: ideò non potest se per votum firmiter obligare, in iis in quibus alteri subjicitur, sine consensu sui Superioris. Unde quia Religiosus per votum obedientiæ subditus est Prælato, quantum ad suas operationes, secundùm professionem Regulæ* (ait S. Doctor q. 88. a. 8. in corp. & ad 3.) *ideò etiamsi ad horam aliquid facere possit, quando ad alia non occupatur à Prælato; quia tamen nullum tempus est exceptum, in quo Prælatus non possit eum circa aliquid occupare, nullum votum Religiosi est firmum, nisi de consensu Prælati.* Et siquod tale votum absque consensu ipsius factum fuerit, non quidem est omninò nullum, sed non est firmum votum. Nec censetur votum absolutum, sed conditionatum, *si Superior, à quo dependeo, non contradicat*, prout S. Doctor declarat ad 1. & 4. Et alioqui Superior potest illud irritare. Imò irritare potest etiam vota edita de suo scitu & consensu: quia non censetur consentire, nisi revocabiliter, nec consentiendo privare se jure suo, nec ejusmodi vota omninò absoluta reddere. Aliàs irritari non possent à successore. Adhuc ergo manet tacita conditio: *nisi Superior aliquando contradicat*; tametsi Superior ea licitè irritare non possit, nec consensum revocare, nisi ex rationabili causa, v. g. ex eo quòd vovens fiat infirmus, vel ipsi successu temporis voti noceat executio. Qua de re videri possunt Marchantius Tribun. Sacram. to. 2. tr. 3. tit. 4. q. 2. Becanus q. 9. n. 10. de voto.

An autem Abbatissæ & Priorissæ vota Mo- 354
nialium suarum irritare possint? Negat Sanchez l. 4. in Decal. c. 1. n. 17. quia non habent jurisdictionem spiritualem. Affirmant tamen plures apud eumdem ibidem c. 33. n. 19. quia ad hoc spiritualis non requiritur jurisdictio (ut constabit ex dicendis) sed sola domûs seu familiæ administratio. Unde puto irritare posse vota, quæ isti administrationi præjudicium adferunt, vel incommodum.

Sed quid de voto transeundi ad arctiorem 355
Religionem? Videtur mihi quòd Superior illud irritare non possit, quia inferior absque consensu ipsius, absolutè potest illud emittere. Loquor in circumstantiis, in quibus, spectatis omnibus, ejusmodi votum, non solùm est evidenter de meliori bono, sed & hîc & nunc congruentiori. Quia cùm unusquisque possit vota facta in evidenter melius commutare, nullâ ratione à quoquam in eo potest impediri. Unde licèt ad ejusmodi transitum teneatur cum humilitate, & intentionis puritate, licentiam petere à Superiore; taliter pe-

titam Superior non potest recusare. Quòd si eam indiscretè & irrationabiliter recuset, illam Ecclesia ipsi concedit, cap. *licèt* extrav. de Regul. Secùs si recuset rationabiliter & discretè, animadvertens inferiorem eam non petere ex sincero vitæ perfectioris desiderio, sed ex animi levitate, vel disciplinæ regularis tædio, correctionis impatientiâ, pœnæ metu, &c. Quia, ut tradit S. Doctor q. 189. a. 8. *transire de Religione in Religionem, nisi propter magnam utilitatem, vel necessitatem, non est laudabile. Tum quia ex hoc plerùmque scandalizantur illi qui relinquuntur. Tum etiam quia facilius proficit aliquis in Religione quam consuevit, quam in illa quam non consuevit, cæteris paribus. Unde in collat. Patrum Abbas Nestorius dicit, unicuique utile est secundùm propositum quod elegit, summo studio ac diligentiâ, ad operis arrepti perfectionem pervenire festinanter, & nequaquam à sua (quam elegit semel) professione discedere.... Impossibile namque est, unum & eumdem hominem, simul universis fulciri virtutibus, quas siquis voluerit pariter attentare, in id incidere eum necesse est, ut, dum omnem sequitur, nullam integrè consequatur. Diversæ enim Religiones præeminent secundùm diversa virtutum opera.* Unde *quia plures in hac mutatione, sive ex parte materiæ, sive ex intentione obliquâ, decipere & decipi compertum est* (inquit Massonus Carthusianorum Generalis ad 2. præcept. Decal. tab. 2.) *Constitutiones Summorum Pontificum quæ circa quosdam Regulares Ordines intervexerunt, consulendæ sunt, & observandæ.* Videri potest circa hoc Decretum Urbani VIII. Constitutionum nostrarum p. 4. cap. 1. n. 14.

356 Præter Superiores Regularium, respectivè ad subditos suos, maritus irritare potest vota uxoris, absque consensu suo facta, in iis in quibus mulier viro subjicitur, ut S. Thomas docet loco citato. Si tamen vir & uxor mutuo consensu pariter voverint castitatem, ac per consequens sibi mutuò remiserint obligationem reddendi debitum, *quod Deo pari consensu voverunt, perseverantes usque in finem reddere debent*, inquit Augustinus relatus cap. *quod Deo* 33. q. 5. Nec vir tamen absque consensu uxoris, nec uxor absque viri consensu vovere potest castitatem, quâ parte impedit redditionem debiti. Quia in hoc non sunt sui juris, juxta Apostolum dicentem, *mulier sui corporis potestatem non habet, &c.* Posse verò, absque mutuo consensu, licitè & validè vovere castitatem, quâ parte solùm impedit debiti exactionem, omnes communiter Doctores affirmant, conformiter ad cap. *quidam* de convers. conjugat. ubi habetur, votum mariti, qui uxore invitâ professionem emiserat, valuisse quoad non exigendum debitum, secùs quoad non reddendum. Et ratio est, quia conjugati in exigendo sui juris sunt; ideòque alter, independenter ab altero, se adstringere potest ad non exigendum, secùs ad non reddendum. In junioribus tamen conjugatis, quoad lectum non separatis, non exigendi votum non est de facili consulendum: quia multis periculis obnoxium. Quia tamen matrimonii Sacramentum specialem conjugatis gratiam confert, ad reprimendam concupiscentiam, constatque experientiâ, ex ipsis plurimos esse, quibus adeò cordi est conjugalis castitas, ut rarò vel nunquam exigant debitum, illud reddere consenti; licèt cœlebs non possit nudus nudæ feminæ condormire absque periculo incontinentiæ, non est idem de conjugato; maximè provectioris ætatis; qui experientiâ comprobavit, exigendi periculum in se non esse proximum, seque (auxiliante Deo, qui non deest confidentibus in se, dum non amant periculum, prout non amant qui ex conjugii lege conjugi condormiunt) non sic uri concupiscentiæ igne, quin ab exigendo se possit continere. Et ideò conjugatus in provectiori ætate, Deo inspirante, potest illud vovere.

Potest etiam uxor irritare votum mariti, 357
absque suo consensu factum, in eo in quo vir potestatem corporis sui non habet, sed uxor, & non solùm quoad redditionem debiti, sed etiam quoad domestica officia, & conjugalem societatem; unde si maritus, absque uxoris consensu, voveat aliquid notabiliter præjudicans juri uxoris, illud ipsa potest irritare, sicut & maritus omnia vota uxoris, debito conjugali, domesticæ administrationi, & dominativæ in uxorem potestati præjudicium aliquod afferentia. Quoad cætera verò, quæ non præjudicant usui matrimonii, prolis educationi, familiæque directioni, plures quidem existimant, maritum irritare non posse, ut Massonus ubi suprà, Bonæ-Spei de relig. disp. 7. n. 53. Layman l. 4. tr. 4. c. 7. quia uxor viro non subditur nisi matrimonii contractu, quo nec bona sua paraphernalia, nec omnes suas devotiones, piasque voluntates, præmissis non præjudicantes, viro suo subjecit. Quia tamen mulieres sunt ex natura sua leves, Deus in earum favorem videtur eas per omnia subjecisse viris suis, exceptis iis quæ vel expressè, vel communi more, communivè jure mulieres sibi reservare censentur, ut sunt paraphernalia, ingressus religionis, &c. Id enim innuere videtur Scriptura Gen. 3. *Sub viri potestate eris.* Ephes. 5. *Mulieres viris suis subdita sint, sicut domino, quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiæ.* Et infrà: *sicut Ecclesia subjecta est Christo; ita & mulieres viris suis in omnibus.* Et ideò Lessius, Bonacina, Sanchez, & ipsemet Bonæ-Spei de matrim. disp. 9. n. 33. putant maritum posse, constante matrimonio, irritare omnia vota uxoris, excepto voto ingrediendæ religionis, intra duos menses matrimonii rati, nondum consummati, juxta illud Num. 30. *Si mulier maritum habuerit, & voverit aliquid.... si vir audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes ejus, propitius ei erit Dominus.... non tenebitur promissionis rea.* Quem

locum de omni voto intelligunt septuaginta Interpretes, sicut & Augustinus relatus cap. *noluit* & cap. *manifestum* 33. q. 5. & Ambrosius cap. fin. eod. Non debent tamen mariti esse faciles in irritando & contradicendo, saltem postquam semel consenserint: quia si posteà sine causa contradicant, licèt uxores non peccent votum non reddendo (eò quòd valida videatur irritatio, dum consensus ille non tollit ipsi dominium in uxorem) ipse tamen peccat taliter irritando & contradicendo, juxta id quod subjungitur citato cap. 30. *Si autem contradixerit, postquam resciit* (& tacens consenserit, ut ibidem exprimitur) *portabit ipse iniquitatem ejus.*

358 Cæterùm quæ dixi de potestate mariti ad irritandum vota uxoris, intelligenda sunt de votis constante matrimonio factis: neque enim irritare potest vota ante matrimonium facta (utpote facta tempore independentiæ uxoris à voluntate mariti) sed eorum executionem durante matrimonio suspendere duntaxat, quoad materiam sibi subjectam, non quoad subjectam soli Deo, vel potestati majori, cujusmodi sunt de non mentiendo, non furando, &c.

359 Quia etiam filii & filiæ, ob defectum maturitatis, ante pubertatem capaces non sunt voti absoluti, juxta cap. *mulier* 22. q. 2. ideòque quodlibet votum ab ipsis emissum transit in conditionatum, *si pater voluerit*; licèt pater ejusmodi votum solùm resciat post pubertatem, potest nihilominùs irritare, juxta Navarrum cap. 12. n. 1. Cajetanum, Lopez, Massonum, Lessium, &c. (licèt contradicat Sotus l. 7. q. 3. a. 2.) nisi fortè votum suum post pubertatem replicaverint. Quia accessus pubertatis non facit, quòd in illa ætate, quâ votum fecerunt, prædíti fuerint maturitate per leges requisitâ ad absolutè vovendum. In ista verò irritandi potestate, patri mortuo succedunt qui vices ejus gerunt, ut tutor; non verò mater, nisi ipsa sit tutrix, alio tutore non subrogato: quia non habet patriam potestatem. Videri possunt Azorius 1. p. l. 11. c. 17. & Suarez l. 6. c. 6. n. 21.

360 Post pubertatem autem, filii & filiæ possunt absolutè vovere castitatem, ingressum religionis, & quælibet vota de rebus, in quibus patriæ non subduntur potestati, v. g. de confessionibus, communionibus, jejuniis moderatis, & quibuscumque non præjudicantibus domesticæ gubernationi (quæ proinde à patre irritari non possunt) si tamen jejunia adeò essent immoderata, peregrinationes tam longæ, ut domesticis obsequiis, familiarique disciplinæ adferrent præjudicium, à patre irritari possent.

361 Unde quia vota realia à filiis puberibus facta ante emancipationem (quæ fit anno 25.) patriæ præjudicant potestati (nisi facta sint de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus) sequitur ea absolutè fieri non posse, absque patris consensu. Aliqui tamen censent ab ipsis fieri posse votum peregrinationis in terram sanctam, non ex sola devotione, sed in subsidium terræ sanctæ, argumento capitis *ex multa* de voto, ubi talis voti executio maritis permittitur, etiam invitis uxoribus. Verùm Suarez ubi suprà c. 5. probabiliter negat consequentiam à maritis ad filios: quia vir est caput uxoris; non filius patris.

Denique domini irritare possunt vota ser- 362
vorum, absque consensu suo facta circa ea quibus abstraherentur à servitute dominorum, si sermo sit de servis non habentibus potestatem abstrahendi se à servitute. Unde tales, absque dominorum consensu, vovere non possunt Religionem (prout docet S. Doctor a. 8. ad 2.) benè castitatem: utpote quæ non obest, sed prodest potiùs obsequio domini. Quoad servos non perpetuos, à servitute se subtrahere valentes, si aliquod faciant votum perpetuum, sive ad vitam, domini possunt quidem executionem illorum suspendere, durante servitute, in iis quæ incommodum adferunt domini obsequio; non possunt tamen ex toto irritare. Ideòque postquam servus à servitute discesserit, tale votum servare tenebitur, utpote tunc sui juris. Tanta proinde non competit potestas dominis in tales servos, quanta patribus in filios.

CAPUT XLVII.

Declaratur quinam habeant potestatem vota commutandi, in iisque dispensandi.

TAmetsi ad commutandum vota regulari- 363
ter exigatur authoritas Ecclesiæ, seu Prælati; in casibus tamen, quibus evidenter constat, in melius esse commutationem, unusquisque eam propriâ facere potest authoritate, si per ly *in melius*, intelligatur, non id quod ex genere suo præstantius est, sed quod spectatis omnibus hîc & nunc Deo gratius est. Ita Major in 4. dist. 38. q. 7. Angelus, Cajetanus, Sotus, Navarrus, & Doctores communiter contra Sylvestrum.

Primò, quia cap. *pervenit* 2. de jurejur. di- 364
citur promissum non infringere, qui in melius illud commutat. Et cap. *Scripturæ* de voto & vot. redempt. Alexander III. dicit, quòd *reus falsi voti aliquatenùs non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare.* Quia, uti præmiserat Pontifex, *Scripturæ sacræ testimonio declaratur, quòd spiritualis homo propositum non mutat, cùm pro salute animæ suæ utilius aliquid meditatur.* Et cap. *licèt* de Regul. Pontifex declarat licitum transire ad Religionem strictiorem, non obstante professione in priori Religione facta Deo & Prælatis illius; tametsi jus istud (ob inconvenientia) jam sit modificatum.

Secundò, quia minùs bonum, seu minùs 365
gratum Deo, censetur contentum in majori, seu Deo gratiori, saltem quoad finem promissionis, qui est rem gratam facere ei cui

fit promissio : nam qui dat promissario quod ipsi gratius est, v. g. bovem pro ove, excellenter solvit quod promisit. Unde bovem tunc accipiens pro ove, majores agit gratias, quàm si ovem acciperet.

366 Tertiò, creditore consentiente, nullâ Prælati authoritate opus est ad solutionis commutationem, saltem si certus sit iste creditoris consensus, prout certus est, dum evidenter constat ipsi solutionem fieri in re gratiori : unde siquis Ecclesiæ N. vovisset decem oves, haud dubiè gratius faceret Ædituo, si loco decem ovium daret centum aureos.

367 Si objicias 1°. caput 1. de voto & vot. redempt. ibi : *Voti commutatio pendet à Superioris arbitrio.* 2°. Legem 2. ff. si certum petatur, ubi dicitur, quòd debitor non liberatur ab obligatione solvendo rem meliorem, sed debere solvere eamdem. 3°. neminem posse esse judicem in propria causa. 4°. eum qui fecit votum reale, v. g. dandi lampadem trecentorum florenorum Ecclesiæ S. Petri, illud commutare non posse in votum dandi illam Ecclesiæ B. Virginis.

368 Ad 1. Respondeo canonem illum procedere, dum non constat evidenter commutationem fieri in id quod gratius est Deo ; tunc enim Prælati requiritur authoritas, qui vice Dei declaret, quid Deo acceptum sit, prout docet S. Thomas q. 88. a. 12.

Ad 2. similiter respondeo legem illam procedere de re meliori, quæ non sit gratior creditori.

Ad 3. respondeo id quoque esse verum, quando pars in eo non consentit, secùs si evidenter consentiat.

369 Ad 4. respondeo, juxta Cajetanum opusc. 11. q. 3. Becanum q. 10. de voto, tale votum ab ipso vovente commutari posse, prout in objectione tangitur. Quia per tale votum non acquiritur jus Ecclesiæ S. Petri, sed soli Deo, cui votum factum fuit, & cui gratum est illud in melius commutari. Sed tu vide an evidenter constet votum posterius esse melius, seu Deo gratius priori, an hoc incertum sit ? Si 1um. vera est opinio Cajetani. Si 2um. talis commutatio fieri non potest absque authoritate Prælati. Quidquid tamen de eo sit, si illi voto addita fuerit promissio facta Ecclesiæ S. Petri, ita ut verba promissionis directa fuerint ad ipsam Ecclesiam, seu Prælatum illius, post acceptationem Ecclesiæ, seu Rectoris illius, jus acquisitum est ipsi Ecclesiæ, ideòque non potest authoritate privatâ commutari, nisi de consensu illius. Si verò promissionis verba directa fuerint ad Sanctum illius Ecclesiæ Patronum, jus quidem acquiritur ipsi Sancto ; sed omninò credibile est, ipsi ingratam non fore commutationem in votum dandi lampadem illam Ecclesiæ B. Virginis.

370 Extra casum commutationis in evidenter melius, quisquis habet potestatem ordinariam vel delegatam dispensandi in votis, potestatem habet illa commutandi, sed non contrà, uti Doctores communiter tradunt : quia commutatio est imperfecta quædam dispensatio, juxta cap. 1. de voto, atque ita se habet ad dispensationem, sicut minus ad majus, in se quodammodò complectens illud minus. Quisquis verò potest majus, potest minus in eo aliquo modo contentum. Sed quia qui potest minus, non illicò potest majus, qui potest commutare, non illicò potest dispensare.

Porrò is qui solùm habet potestatem com- 371
mutandi, non dispensandi, commutare debet in æquale, vel ferè, & non sine rationabili causa. Si enim commutaret in notabiliter minus, dispensaret in illa parte, in qua notabiliter majus excedit minus. Aliqui tamen existimant, habentem privilegium commutandi, posse in minus commutare, parvam miscendo dispensationem, præsertim ex causa infirmitatis spiritualis, in qua materia promissa incipit esse periculosa voventi, seu periculo transgressionis exposita. Aliàs privilegium nihil operaretur, inquiunt : cùm ad commutationem in æquale, ex multorum sententia non requiratur privilegium, licèt Prælati requiratur authoritas. Verùm ista ratio non videtur subsistere : quia si inferior id non possit sine Prælati authoritate, non potest absque recursu ad Prælatum, nisi fortè per epicheiam, seu rationabilem voluntatis Prælati interpretationem.

Ad causam quod attinet, minor requiritur 372
in commutante, quàm in dispensante. Quia commutatio non liberat ex toto, sicut dispensatio ; imò nec à tanto, vel ferè tanto. Unde ad commutandum in melius, nulla alia causa requiritur ; ad commutandum verò in æquale, cùm Prælati authoritate, sufficit major devotio, quâ vovens propensior sit ad exequendum illud æquale.

Cæterùm istius æqualitatis ratio, juxta cap. 373
1. de voto, &c. non desumitur ex operis difficultate, sed ex eo quòd res subrogata, prudentis viri judicio, censeatur æquè grata Deo. Unde peregrinationes commutari possunt in jejunia, eleëmosynas, &c. Quòd si commutans dubitet de æqualitate operis in quod fit commutatio, tunc non sufficit major devotio, de qua antè ; sed oportet ei conjunctam esse notabilem animi molestiam, vel fragilitatem magnam, cum periculo transgressionis, vel etiam periculum omittendi rem promissam ex oblivione, si sit diuturnæ executionis, vel quòd illius executionem maritus, vel parens valdè molestè ferat, &c.

Si quæras 1°. an post factam commuta- 374
tionem in libera sit optione voventis redire ad prius votum ? 2°. quinam possint in votis dispensare ? Respondeo ad 1um. affirmativè : quia commutatio facta est in ipsius favorem, cui favori liberum est renuntiare. Ita Doctores communiter.

Ad 2um. respondeo potestatem ordinariam 375
dispensandi in votis non habere nisi eos qui jurisdictionem habent Episcopalem, vel quasi Episcopalem ; non verò Curatos : sic enim

Ecclesia semper intellexit, nec unquam consuetudo potestatem illam Curatis concessit, licèt potestatem dederit dispensandi in jejuniis & festis servandis, in ordine ad laborandum, absente Episcopo. Videri potest Suarez l. 6. de votis c. 10.

376 Omnes verò jurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem habentes in votis subditorum dispensare possunt in persona Christi (nisi reservata sint Summo Pontifici) juxta illud 2. Cor. 2. *Nam & ego siquid donavi propter vos in persona Christi.* Ex quo loco S. Doctor a. 12. colligit Ecclesiæ Prælatos condonare posse in persona Christi debitum pœnæ contractum ex culpa, sicut & debitum ex voto, juramento, & aliis ejusmodi obligationibus erga Deum, humanâ voluntate contractis. Quod etiam colligitur ex Matth. 6. *quodcumque solveris super terram, &c.* Perpetuusque Ecclesiæ usus & sensus id confirmat. Et Christus alioqui sufficienter Ecclesiæ suæ non providisset: cùm ad animarum salutem sæpè necessarium sit in votis Dei nomine dispensare.

377 Nec refert quòd voti obligatio juris sit naturalis & divini. Quia ut rectè S. Thomas a. 10. dum Prælatus Ecclesiæ dispensat in voto, non dispensat in præcepto juris naturalis, vel divini, dictantis votum esse servandum; sicut Princeps dispensans in lege sua, non dispensat in lege divina, nec naturali, quæ dictat obediendum Principi legitimè præcipienti. Quemadmodùm enim lex naturalis & divina id solùm dictat, quamdiu est lex vel præceptum ipsius; ita solùm dictat votum esse servandum, quamdiu est votum. Dispensans autem non relaxat obligationem voti, quamdiu est votum; sed relaxat votum, sicut Princeps legem à se latam, relaxandoque facit votum ampliùs non esse. Neque verò legis divinæ vel naturalis est quòd votum sit; sed hoc originaliter & fundamentaliter provenit ex libera voluntate voventis; cujus factum humanâ potestate relaxari posse, S. Thomas in argumento *sed contrà* probat hac ratione; quia majoris firmitatis esse videtur, quod procedit ex communi voluntate, quàm quod procedit ex singulari voluntate alicujus personæ. Sed in lege, quæ habet vim ex communi voluntate, potest per hominem dispensari: ergo videtur quòd etiam in voto, &c.

378 Imprimis ergo S. Pontifex, quia gerit plenariè vicem Christi in tota Ecclesia, plenitudinem habet potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis, ait S. Thomas a. 12. ad 3. Alii autem inferiores Prælati, videlicet Episcopi, & Prælati Religionum, jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos habentes, ordinariam habent potestatem cum subditis dispensandi in votis, quæ communiter fiunt, frequentique indigent dispensatione. Necnon generaliter in omnibus quæ Summo Pontifici non sunt reservata. Qualia sunt tantùm quinque; videlicet castitatis perpetuæ, religionis approbatæ, peregrinationis in Hierusalem, ad limina Apostolorum, & ad S. Jacobum Compostellanum. Extrav. *etsi Dominici* de pœnit. & remiss. Quæ tamen ex communi Doctorum sententia tunc solùm sunt reservata, dum sunt determinata, perfecta, absoluta, atque ex devotione emissa; secùs si emissa fuerint conditionatè, *voveo religionem, si convaluero*; vel purè in pœnam, *voveo castitatem, si fornicatus fuero*; vel indeterminatè, *voveo castitatem, vel rosarium quotidianum*, (tametsi absque novo voto electa postmodùm fuerit pars reservata) vel imperfectè, sive ex parte materiæ (v. g. *voveo castitatem ad* 40. *annos*, vel *voveo non nubere*) sive ex parte obligationis, ut siquis vovisset sub minori obligatione, quàm sit proportionata materiæ. Ita Corduba, Victoria, P. Ledesma, Miranda, Rodriguez, Malderus, Bonacina, Layman, aliique plures, atque cum ipsis noster Lezana to. 1. qq. Regul. c. 19. n. 24. Quia de mente Summi Pont. rationabiliter præsumitur, quòd vota illa solùm reservare voluerit, quando processerunt ex firmo, perfecto & irrevocabili consensu, atque ex devotione, amoreque virtutis; non autem ex consensu imperfecto, nisi post conditionis eventum renovatus fuerit. Ita illi; sed non assentior: imò censeo cum eximio viro P. Christiano Lupo, sive castitatis, sive ingrediendæ Religionis votum, sive conditionatum, sive in pœnam editum, v. g. *voveo perpetuam castitatem, si ab hoc morbo convaluero*; vel, *si fornicatus fuero*, purificatâ conditione non minùs esse perfectum & pleni valoris, adeòque Summo Pontifici reservatum, quàm ipsammet religiosam professionem quam quis emitteret ut lethalem morbum, vel aliud grave malum evaderet. Ejusmodi namque vota, purificatâ conditione absque revocatione, transeunt in absoluta, plena, & perfecta. Esseque pleni valoris laudatus P. Lupus to. 3. ad can. 8. Concilii Remensis sub Leone IX. probat ex horrenda morte Alberti Comitis Viromaduensis, relata per Baldricum Tornacensem Episcopum in Chronico Ecclesiæ Cameracensis. Videri etiam potest S. Petrus Damiani opusc. 16.

379 Addit Massonus, loco citato, quòd suprà dictorum quinque votorum tria postrema, scilicet peregrinationis in Hierusalem, ad limina, & ad S. Jacobum, ab aliquibus tunc solùm censentur reservata, cùm facta sunt in subsidium; ab Episcopis proinde dispensari posse, si non ideò, sed ex sola devotione facta fuerint. Sed non video sufficiens fundamentum istius opinionis, licèt pro ea Massonus proferat Fumum, Vivaldum, Lessium, &c. Nec scio an verum sit quod rursus addit cum Marchantio, trium illorum votorum reservationem ex usu communi jam esse relaxatam; per consequens Episcopos in iis posse dispensare: imò scio ista faciliùs dici quàm probari. Ideò quod tutius est, est eligendum. Illud non diffiteor, in quo video Doctores consentire, Episcopos posse in quinque illis votis per accidens dispensare, in casu urgentis necessitatis, in qua facilis non

est recursus ad Papam, vel ad Nuntium ipsius, vel in mora est periculum, v. g. siquis virginem, aliàs honestam, voto castitatis obstrictam, occultè cognoverit, quæ concepto inde fœtu, diffamabitur, nisi statim ducatur, nec facilè potest adire Papam, &c. Et idem est dum quispiam post simplex castitatis votum contraxit matrimonium, estque in periculo magno violandi votum per incontinentiam, seu debiti petitionem, nisi statim dispensetur, &c. In casibus tamen ejusmodi, Episcopi solùm eatenus dispensare possunt, quatenus necessitas exigit; & ideò taliter dispensatus, mortuâ uxore, votum suum tenetur observare, estque violator illius, si durante matrimonio committat adulterium.

380 Dixi *per accidens* in ejusmodi casibus Episcopum in votis illis dispensare posse; tametsi enim id jure ordinario posse putet Vidal in Arca vitali inquisit. 3. de voto n. 77. & Bordonus apud ipsum, idque probabile existimet Bonæ-Spei n. 81. quia (inquiunt) Episcopi jure ordinario dispensare possunt in omnibus votis non reservatis, qualia illa sunt in dictis circumstantiis. In contrarium est communis & vera sententia Doctorum, aientium, ejusmodi vota, etiam in circumstantiis illis, esse reservata quoad potestatem ordinariam; tametsi Papa, per rationabilem epycheiam committere præsumatur extraordinariam & delegatam (in illis circumstantiis) dispensandi potestatem.

381 Si dicas non apparere rationem, cur Papa sibi reservare censeatur potestatem ordinariam dispensandi in illis votis, pro casu necessitatis, magis quàm potestatem ordinariam absolvendi à casibus Papalibus pro articulo mortis.

Respondeo rationem potiorem esse, quia ex declaratione Ecclesiæ habemus, nullam esse reservationem in articulo mortis: non habemus autem similem declarationem pro non reservatione votorum illorum, quoad potestatem ordinariam in casu necessitatis; nec eam necessitas exigit; non exigit (inquam) potestatem ad hoc ordinariam in Episcopo, vel quòd reservatio tunc sit absolutè nulla: cùm necessitati satis subveniatur per potestatem ex allegata præsumptione delegatam, remanente reservatione quoad potestatem ordinariam.

CAPUT XLVIII.

Confessarii Ordinum Mendicantium habent à Summis Pontificibus delegatam ex privilegio potestatem commutandi & dispensandi omnia vota, Summo Pontifici non reservata, etiam jurata.

382 ITa Suarez, Rodriguez, & communiter alii, qui de Regularium Privilegiis scripserunt. Quia potestatem illa commutandi Benedictinis Congregationis S. Justinæ concessit Eugenius IV. Bullâ *Etsi quoslibet* 11. apud Rodericum. Et Cisterciensibus Regularis Observantiæ in Regno Castellæ Bullâ *Commissum* 22. apud eumdem. Et Benedictinis Congregationis Montis Oliveti Julius II. Bullâ *Etsi ad universos* 12. apud Confectium. Et Leo X. Camaldulensibus Bullâ *Etsi à summo* 2. apud Cherubinum. Et Paulus III. Patribus Societatis Bullâ *Cùm inter cunctas* 7. apud Rodericum. Idque ad vota jurata extendit Gregorius XIII. Bullâ *Decet Romanum*, dummodò commutatio in alterius præjudicium non fiat.

Potestatem verò in votis illis dispensandi, 383
Sixtus IV. Bullâ *Sedes Apostolica* 5. apud Cherubin. Minimis concessit, dum concessit facultatem vota quæcumque *permutandi & relaxandi, prout Episcopi possunt.* Quam etiam concessionem Paulus IV. Minoribus fecit Bullâ *Ex Clementi* 1. apud Cherubin. & Rodericum. Episcopi verò vota illa relaxare possunt non solùm per commutationem, sed & per dispensationem. Id ergo Confessariis Mendicantibus pariter concedit Pontifex, dum non solùm concedit potestatem permutandi, sed & relaxandi. Siquidem ampliùs concedit, dicendo, *permutandi & relaxandi*, quàm si solùm diceret, *permutandi*; aliàs superfluè adderet, *& relaxandi.* Concedit ergo facultatem dispensandi, prout Episcopi possunt jure ordinario. Enimverò dispensare in votis est illa relaxare. Cùmque concessa relaxandi facultas favorabilis sit, nullique præjudiciabilis, restringenda non est ad solam facultatem permutandi, sed extendenda ad facultatem dispensandi, juxta reg. juris: *odia restringi, favores convenit ampliari.* Idque disertè expressit Nicolaus Francus Sixti IV. de Latere Legatus, dum Bullâ *exhibita* (42. inter Bullas Sixti IV. apud Rodericum) Benedictinis Congregationis Vallisoletanæ concessit, ut *possint in talis non reservatis, in quibus potest Episcopus, dispensare.*

Dixi, *in quibus Episcopi dispensare possunt* 384
jure ordinario. Quia Confessarii Mendicantes dispensare non possunt in quinque votis Summo Pontifici reservatis, iis casibus, in quibus Episcopi solùm per accidens, jureque extraordinario & delegato dispensare possunt, ob necessitatem & impotentiam recursûs ad Summum Pontificem. Nec certè decet potestatem illam aliis quàm Episcopis concedi, ob materiæ gravitatem, quæ magnam in dispensante requirit prudentiam, magnamque judicii maturitatem. Et aliunde in generali concessione non veniunt ea quæ speciali notâ digna sunt, cujusmodi sunt quæ Episcopis nonnisi extraordinariè conceduntur.

Collige, dictos Confessarios posse dispen- 385
sare 1. in voto non petendi dispensationem, vel eâ non utendi. 2. in voto castitatis non perpetuæ. 3. in voto non nubendi. 4. in voto paupertatis & obedientiæ, etiam perpetuæ, emisso in sæculo, uti docent Navarrus, Suarez, Malderus, Lessius, &c. Donatus tamen Laynensis to. 2. tr. 17. q. 3. sub finem, & Pellizarius tr. de Monial. c. 1. q. 5. n. 9. meritò

ritò excipiunt vota ſtatûs, quæ fiunt ex vi particularis Inſtituti à Sede Apoſtolica approbati, cujuſmodi eſt votum obedientiæ, quod in ſua profeſſione emittere ſolent Tertiarii & Tertiariæ noſtri Carmelitici Ordinis. Quia ejuſmodi vota ſunt ſpeciali notâ digna, eſtque recepta iſta juris regula, *in generali conceſſione non veniunt, quæ ſpecialem rationem habent.* 5. in voto aſſumendi Ordines ſacros, vitam eremiticam, devotariam, &c. 6. in voto peregrinationis ad Virginem Lauretanam, & quarumcumque aliarum peregrinationum, exceptis tribus ſupradictis. 7. in voto tranſeundi ad religionem ſtrictiorem. Sic ex communi ſententia Sotus l. 7. q. 3. a. 1. Navarrus, Suarez, &c. Idem aſſerentes de voto ingrediendi religionem ſtrictiorem, non quoad ſubſtantiam (quomodò eſt reſervatum) ſed quoad qualitatem illam ſtrictioritatis; ſicut & de voto, quo quis voviſſet peregrinari pedibus in Hieruſalem, quoad ly *pedibus*.

386 Advertant tamen, ſive Confeſſarii proximè dicti, ſive alii quicumque diſpenſandi poteſtatem habent, nullam in votis diſpenſationem eſſe validam, niſi ſubſit cauſa. Ita omnes communiter cum S. Thoma a. 12. ad 2. Tum quia poteſtas diſpenſandi in votis non eſt dominativa, ſed diſpenſativa, à Domino data in ædificationem, non in deſtructionem. 2. Cor. 10. Tum quia humana authoritas validè condonare non poteſt quod Deo debetur, niſi Deus ratam habeat condonationem. Deus autem rationabiliter non præſumitur ratam habere condonationem rei ſibi debitæ, ab homine factam, dum non tam condonatio eſt, quàm diſſipatio; qualem S. Bernardus cenſet eſſe diſpenſationem ſine juſta cauſa factam.

387 Porrò juſtas in votis diſpenſandi cauſas S. Thomas ibidem in corpore duas aſſignat, honorem Dei, & Eccleſiæ utilitatem: *Omnis diſpenſatio petita à Prælato debet fieri ad honorem Dei, in cujus perſona diſpenſat, vel ad utilitatem Eccleſiæ, quæ eſt ejus corpus.* Ad honorem Dei reduci poſſe videtur tertia cauſa (quam Sotus l. 7. q. 4. a. 3. & Navarrus c. 12. n. 77. addunt) magna ſcilicet fragilitas voventis, quâ timetur per violationem voti Deum inhonoraturus, niſi cum ipſo diſpenſetur. Verùm ea in re magnâ opus eſt prudentiâ, jureque metuendum, ne plerique diſpenſatores errent: quia *quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur.* Et ideò imperiti onus iſtud diſpenſandi facilè non debent ſuſcipere, niſi graviter errandi periculo ſeſe velint exponere, tamquam mali diſpenſatores, in rebus Domini temerè ſe gerentes.

CAPUT XLIX.

Vitia religioni oppoſita. Atque imprimis ſuperſtitio.

388 HActenùs de religione egimus, deque actibus ipſius; ſupereſt ut de vitiis religioni oppoſitis agamus. Porrò religioni duo vitia opponuntur, unum per exceſſum, videlicet ſuperſtitio: alterum per defectum, ſcilicet irreligioſitas. *Superſtitio* religioni per exceſſum opponi dicitur; non quòd Deus cultu nimio coli poſſit, ſive quòd amplius veri cultus Deo queat exhiberi, quàm religio præſcribit; ſed quia *ſuperſtitioſus exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet*, ait S. Doctor q. 92. a. 1. in corp.

De irreligioſitate infrà, hîc de ſuperſtitione, 389
quæ nihil aliud eſt niſi *inordinata religio*, ſeu vitium religioni oppoſitum, quo cultus divinus vel exhibetur ei cui non oportet, vel ipſi Deo aliter quàm oportet. Unde dividitur in ſuperſtitionem falſi Numinis, & ſuperſtitionem veri Numinis, ſive in eam quâ cultus ſoli Deo debitus redditur creaturæ, & eam quâ vero Deo exhibetur cultus falſus, vel ſuperfluus, prout faciunt Judæi, adhuc modò ei veteris legis ſacrificia offerentes. Quod profectò eſt mortale peccatum: quia, Apoſtolo teſte, lex vetus non tantùm eſt mortua, ſed etiam mortifera; ſacrificia quippe illa Chriſtum venturum ſignificantia hodie ſunt contra fidem, quâ Chriſtum jam veniſſe credimus. Et huc reducitur peccatum eorum, qui ligna vel oſſa promiſcua pro veris & ſacris Reliquiis fidelium veneration ſupponunt, vel miraculoſas imagines lucrandi vel decipiendi causâ mentiuntur, falſavè miracula & revelationes ſtudioſè prædicant, ſicut & quicumque ſuperfluum Deo cultum exhibent; ſuperfluum (inquam) vel 1°. ratione diſproportionis cultûs ad finem ipſius cultûs (qui eſt ut homo det gloriam Deo, eique ſe ſubjiciat mente & corpore) vel 2°. ratione contrarietatis, aut diſſonantiæ cum ordinariis ritibus, uſuque Eccleſiæ, à qua ſicut fidei myſteria, ſic Deum colendi ritum diſcere nos oportet, nec ipsâ inconſultâ recipere quidquam habens ſpeciem contrarietatis cum Eccleſiæ cæremoniis, vel 3°. ratione ineptitudinis ad promovendam pietatem, qualis reperitur in ritibus quibuſdam vanis, humanâ fictione adinventis, qui ad Dei gloriam & pietatem nihil proficiunt, v. g. quòd oratio in tali charta in cera virgine ſcribatur, vel 4°. ratione certitudinis vanæ, id eſt non fundatæ in divina promiſſione, expreſsâ vel tacitâ (qualis habetur per experientiam ab Eccleſia probatam, v. g. pro rabie apud S. Hubertum) quâ certi homines, certò credunt ſe, vel alium, à tali morbo, vel incommodo miraculosè liberandum, v. g. geſtando Agnum Dei, Evangelium ſancti Joannis, verba ſacræ Scripturæ, Sanctorum Reliquias, aliaque ejuſmodi amuleta, ex ſe quidem pia, ſed quibus nulla ineſt nec virtus naturalis, nec divina promiſſio, quòd per talia media id certò fiet.

Pium eſt quidem geſtare Agnos Dei, alia- 390
que ejuſmodi amuleta; ſed ſic ut concurrant ſex conditiones à S. Thoma q. 96. a. 4. præſcriptæ. Prima, quòd nihil falſi contineant contra Scripturam, vel Eccleſiæ doctrinam. Secunda, quòd nihil in iis ſcriptum ſit, quod

sapiat dæmonum invocationem. Tertia, quòd ignota non contineant nomina. Quarta, quòd S. Scripturæ verbis vana non misceantur verba, vel signa. Quinta, quòd nulla spes ponatur in modo ligandi, vel in instrumento quo continentur. Sexta, quòd nullus infallibilis effectus à talibus expectetur, vel promittatur, à Deo non promissus, ut suprà.

391 Omnis itaque ille veri Dei cultus est superfluus, eoque titulo superstitiosus, quo aliquid ad Dei cultum usurpatur præter Dei & Ecclesiæ institutionem, receptamque fidelium consuetudinem, nec congruit fini cultûs divini. Superfluum quippe est medium quod fini non congruit. Finis autem divini cultûs est ut homo det gloriam Deo, & ei se subjiciat mente & corpore, prout dixi. Et ideò quidquid homo facit quod pertinet ad Dei gloriam, & ad hoc quòd mens hominis Deo subjiciatur, & etiam corpus, per moderatam refrænationem concupiscentiarum, secundùm Dei & Ecclesiæ ordinationem & consuetudinem timoratorum quibus convivit, non est superfluum in divino cultu. Si autem aliquid fit, quod, quantùm est de se, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quòd mens hominis feratur in Deum, vel per quod carnis concupiscentiæ inordinatæ refrænentur; aut etiam si fiat præter Dei & Ecclesiæ institutionem, vel contrà communem timoratorum consuetudinem (quæ secundùm Augustinum epist. 36. aliàs 86. ad Casulanum pro lege habenda est) totum hoc reputandum est superfluum, & superstitiosum: quia in exterioribus solùm consistens, ad interiorem Dei cultum non pertinet. Unde Augustinus l. de vera Religione c. 3. id quod dicitur Luc. 17. *regnum Dei intra vos est*, inducit contra superstitiosos, *qui scilicet exterioribus principalem curam impendunt.*

392 Superstitionis falsi Numinis, juxta sanctum Augustinum l. 2. de doctr. Christ. cap. 20. & S. Thomam q. 92. a. 2. tres sunt species, idololatria, divinatio, & vana observantia, ad quam reducitur magia superstitiosa.

393 *Irreligiositas* est vitium deficiens in cultu Deo debito, describique potest *irreverentia erga Deum, resque sacras.* Sub ea comprehenduntur tentatio Dei, sacrilegium, blasphemia, simonia, & perjurium. De quibus omnibus consequenter est agendum.

CAPUT L.

Idololatria peccatorum omnium gravissimum est, si gravitas ipsius consideretur ex parte peccati.

394 ITa docet S. Thomas q. 94. a. 3. Est enim idololatria, quando honor soli Deo debitus creaturæ defertur, & ipsa pro Deo agnoscitur. Quod profectò gravissimum est crimen læsæ Majestatis divinæ. *Sicut enim in terrena Republica gravissimum esse videtur, quòd aliquis honorem regium alteri impendat, quàm vero Regi, quia, quantùm in se est, totum Reipublicæ perturbat ordinem; ita in peccatis quæ contra Deum committuntur (quæ tamen sunt maxima) gravissimum esse videtur, quòd aliquis honorem divinum creaturæ impendat. Quia, quantùm est in se, facit alium Deum in mundo, minuens principatum divinum.* Propter quod à Tertulliano l. de idololatria dicitur *principale crimen generis humani, summus sæculi reatus.* Et à S. Gregorio Nazianzeno orat. 38. *extremum & primum malorum.*

Dixi, *si gravitas ipsius consideretur ex parte peccati:* quia si consideretur ex parte peccantis, *sicut dicitur gravius esse peccatum ejus qui peccat scienter, quam ejus qui peccat ignoranter; secundùm hoc nihil prohibet, gravius peccare hæreticos, qui scienter corrumpunt fidem quam acceperunt, quam idololatras ignoranter peccantes. Et similiter etiam aliqua alia peccata possunt esse majora, propter majorem contemptum,* ait S. Thomas ibidem. 395

Idololatria aliqua esse potest dumtaxat exterior, quâ quispiam exteriùs, non interiùs idola colit. Et ista minus quidem peccatum est, quàm idololatria interna simul & externa; est tamen etiam ipsa grande peccatum. Quia, ut S. Thomas, *cum exterior cultus sit signum interioris, sicut est pernicioſum mendacium, siquis verbis asserat contrarium ejus quod per veram fidem tenet in corde; ita est pernicioſa falsitas, siquis exteriorem cultum exhibet alicui contra id quod sentit in mente.* Unde S. Augustinus l. 6. de Civit. Dei c. 10. de Seneca, qui exteriùs, non interiùs idola coluit: *iste* (inquit) *quem Philosophia quasi liberum fecerat, tamen quia illustris Populi Romani Senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat, adorabat. Quia videlicet magnum aliquid cum Philosophia docuerat, ne superstitioſus esset in mundo: sed propter leges civium, moresque hominum, non quidem ageret fingentem Scenicum in theatro, sed imitaretur in templo; eo damnabiliùs, quòd illa quæ mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret.* De talibus Dominus ait: *Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam & ego eum coram Patre meo.* 396

CAPUT LI.

Gravissimè peccant, tam divinationem, magiam & sortilegium exercentes, quàm ariolos, magos, sortilegos consulentes, eorumque operâ utentes.

ID enim divinâ lege sub gravissimæ pœnæ interminatione prohibitum est. Levit. 19. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis scisciteminì, ut polluamini per eos.* Et c. 20. *Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi mei.* Deut. 18. *Omnia hæc abominabitur Dominus.* 397

Enimverò quid magia? *Est superstitio quæ stupenda quædam & insolita facit supra vires hominum, virtute à dæmone acceptâ ex pacto cum*

ipso inito. Quid divinatio ? *Est superstitiosa usurpatio cognitionis futurorum, vel occultorum, naturaliter ab homine incognoscibilium, per recursum ad auxilium dæmonis.* Atqui horrendus est iste recursus, abominabileque pactum cum infensissimo Dei & hominum hoste. De iis namque Isa. 28. scriptum est : *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Est insuper dæmonis disciplinæ se subjicere, ejusque documentis fidem adhibere, postquam ipsi solemniter abrenuntiavimus per Baptismum. Est denique fieri *socium dæmoniorum*, salutis suæ inimicissimorum. Quod profectò crimen incutit horrorem. Magorum verò & Ariolorum peccati participes efficiuntur, qui ad ipsos recurrunt, eorumque operâ utuntur ad obtinendos vel cognoscendos effectus, quos aliter obtinere vel cognoscere nesciunt.

398 Hinc graviter arguendi sunt illi, quorum tanta est ad sua quocumque modo conservanda cupiditas, ut dum agitur de morbis hominum, vel pecorum, vel de jactura rerum ipsis chararum, usque adeò timorem Dei abjiciunt, ut non horreant opem petere ab illis, qui cùm nec extraordinariâ scientiâ naturali, nec sanctimoniâ celebres sint, extraordinarium aliquid per scientiam suam operari, vel per sanctimoniam à Deo non valent impetrare; facilè proinde cognoscere possunt effectus illos non à Deo, sed à dæmonis virtute provenire. Ingens verò peccatum est à salutaribus se afflictionibus (quas Pater cælestis in bonum nostrum immittit nobis) eximere se velle per recursum ad ministros dæmonis, qui nihil nobis largitur, nisi ut divinæ gloriæ detrahat, & in æternum nos perdat. Quantò salubriùs ministerium dæmonis ministrorumque ipsius rejiceretur, etiam ubi alioqui vita amittenda foret ? cùm talis mors aliquid martyrio affine haberet, teste Chrysostomo hom. 29. adversus Judæos dicente : *Et tu si repuleris incantamenta, veneficia, aut magicas artes, etiamsi morbo moriaris, martyr perfectus fueris, eo quòd aliis pollicentibus morbi levationem cum impietate, præoptaris mortem cum pietate.*

399 Falluntur verò ministri illi dæmoniorum, dum excusare se volunt, ex hoc quòd pro hominum vel pecorum curatione, vel alia ejusmodi re procuranda, non assumant aliquid mali; imò sæpè aliqua sacræ Scripturæ verba, vel etiam interdum alicujus pii operis exercitium jubeant. Primò, quia illi qui ad ipsos recurrunt, scire non solent qualia sint quæ ab ipsis assumuntur, vel dicuntur. Secundò, quia etiam supponendo quòd omnia ex se bona sint, equidem nec ex se, nec ex Dei promissione, nec ex institutione Ecclesiæ talem vim habent. A quo igitur eam habent, nisi à dæmone? qui verba illa Scripturæ, vel exercitia bona pernicioſis adinventionibus suis misceri vult, vel ad contemptum rerum sacrarum, vel ut simplices faciliùs decipiantur, vel ob utrumque simul.

400 Et ideò, secundùm veterem Ecclesiæ disciplinam, ab Ecclesia jubebantur ejici magica exercentes, & ipsorum operâ utentes, prout constat ex can. 36. Concilii Laodicensis. Et pro nostris temporibus Concilium I. Mediolanense sub S. Carolo Borromæo severissimè puniri jubet eos qui tales consulunt, vel contribuunt ut consulantur.

Nec refert quòd morbus, de cujus cura- 401
tione agitur, certò proveniat ex aliquo maleficio : quia adhuc in isto casu non licet ad illos recurrere, ut illud cessare faciant, prout expressè monet Rituale Romanum, dum agit de exorcisantibus obsessos à dæmone, per os obsessi maleficium factum, & à quibus, & quomodò factum sit ostendente. Sic enim habet : *Caveat ne ob hoc ad magos, vel ad fagas, vel ad alios quàm Ecclesiæ Ministros confugiat, aut ullâ superstitione, aut alio modo illicito utatur.*

Neque hinc consequens est illicitum esse 402
comburere, seu aliter destruere maleficii signa, quibus malefici utuntur ad inferendum malum : quia destruendo illa, nec directè, nec indirectè ad maleficos recurritur ad aliquid obtinendum; sed dumtaxat auferuntur illa per quæ maleficus nocere vult; & quibus mediantibus dæmon, ex pacto cum malefico, obligatur ad nocendum. Sic comburendo v. g. epistolam ex pacto prævio provocantem quempiam ad homicidium, non censetur quis directè vel indirectè recurrere ad illum, qui hominem interfecturus erat; sed solùm destruere signum quo provocandus erat ad homicidium. Accedit quòd maleficus maleficium frequenter non amoveat sine novo maleficio; periculum proinde esse, ne malefici eo utantur, dum ad ipsos recurritur.

Ad tollendum ergo maleficium, recurren- 403
dum ad remedia approbata à Deo & Ecclesia; qualia suggeruntur can. *si per sortiarias* 33. q. 1. ubi sic : *Si per sortiarias, atque maleficas artes, occulto, sed nunquam injusto Dei judicio permittente, & diabolo præparante, concubitus noviter conjugatorum non sequitur; hortandi sunt, quibus ista eveniunt, ut corde contrito, & spiritu humiliato, Deo & Sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lachrymis, & largioribus eleëmosynis, & orationibus, atque jejuniis Domino satisfaciant, & per exorcismos, & cætera ecclesiastica medicinæ munia, Ministri Ecclesiæ tales, quantùm Dominus annuerit, qui Abimelech ac domum ejus oratione sanavit, sanare procurent.*

Quemadmodùm verò ad magos recurrere 404
non licet contra morbum; ita nec ad ariolos seu divinatores, ut ab ipsis sciatur aliquid futurum vel occultum. Quia nihil à dæmone petere possumus, directè, vel indirectè, nec ullam cum ipso societatem habere, juxta illud 1. Cor. 10. *Nolo vos socios fieri dæmoniorum;* Estque in isto recursu inordinatio aliqua, ultra eam quæ est in recursu ad magos contra morbum; utpote in quo nihil divinum dæmoni tribuitur : cùm dæmon, applicando activa

passivis, morbos naturaliter curare possit. In recursu verò ad ariolos, divinum aliquid dæmoni tribuitur, cognitio scilicet secretorum cordis, vel futurorum à libero hominis arbitrio dependentium, de quibus Isa. 44. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos.*

405 Porrò tres sunt famosiores divinationis species. Prima, per inspectionem astrorum. Secunda, per lineamenta manuum aut vultûs. Tertia, per somnia. Quoad primam speciem, S. Thomas q. 95. a. 4. *Est* (inquit) *considerandum, quid per cælestium corporum inspectionem de futuris possit prægnosci: & de his quidem quæ ex necessitate eveniunt, manifestum est quòd per considerationem stellarum possunt prægnosci; sicut Astrologi prænuntiant eclypses futuras .....Siquis consideratione astrorum utatur ad prægnoscendos futuros casuales, vel fortuitos eventus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum, procedit hoc ex falsa & vana opinione. Et sic operatio dæmonis se immiscet. Unde erit divinatio superstitiosa & illicita.*

406 Reflexione etiam digna sunt verba Sixti V. in Bulla quæ incipit *cæli & terræ*, sequentia utique: *Non est vestrûm nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Nec verò ad futuros eventus, & fortuitos casus prænoscendos (futuris eventibus ex naturalibus causis necessariò vel frequenter provenientibus, quæ ad divinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) ullæ sunt veræ artes, aut disciplinæ, sed fallaces & vanæ, improborum hominum astutiâ & dæmonum fraudibus introductæ; ex quorum operatione, consilio, vel auxilio, omnis divinatio dimanat; sive quòd expresiè ad futura manifestanda invocentur, sive quòd ipsi pravitate suâ, & odio in genus humanum, occultè, etiam præter hominis intentionem, se ingerant, & intrudant vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum perniciosis vanitatibus, & fallaci contingentium prænuntiatione implicentur, & omni impietatis genere depraventur .... Itaque cùm futuros eventus in seipsis considerare, antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessariò consequitur, ut Astrologi, & alii prædicti, qui hujusmodi futura prænuntiare, aut prænoscere quocumque modo, nisi Deo revelante, audent, injustè atque imprudenter, quod Dei est, sibi assumant & usurpent. Sic fit, ut dum ab eis, quod solius est Creatoris, perperàm creaturis tribuitur, divina Majestas graviter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioso Christi sanguine redemptis, pestis atque exitium importetur.* Huc usque Sixtus V. astrologiam judiciariam sub gravibus pœnis propterea prohibens, & damnans, omnemque ejusmodi divinationem dæmoni tribuendam ostendens. Quam etiam olim Concilium Toletanum I. damnaverat can. 15. hisce verbis: *Siquis astrologiæ vel matheseos existimat esse credendum, anathema sit*, sumens utique astrologiam & mathesim pro vana illa scientia quæ hodie astrologia judiciaria nuncupatur; quâ nimirùm ex inspectione astrorum ea prædicuntur, quæ ex ipsis semper vel communiter, velut effectus naturales non sequuntur, quamvis hodie frequentissimè aliter sumantur, vòxque *Mathesis* vix unquam his temporibus in malo illo sensu accipiatur.

Eamdem damnat Concilium Mediolanense I. 407
tit. de magicis artibus: *Astrologi, qui ex solis, lunæ, & aliorum astrorum motu, figura & aspectu, de hominum actionibus, quæ à libero voluntatis arbitrio proficiscuntur, certò aliquid eventurum affirmant, gravibus pœnis plectantur.* Concilium quoque Remense anni 1583. cap. 6. de sortileg. *Ejusmodi divinationibus seu prædictionibus utentes, vel eisdem fidem adhibentes excommunicentur.* Similia habet Concilium Burdigalense ejusdem anni. Et Tholosanum anni 1590. cap. 12.

Eamdem denique explodunt & reprobant sancti Patres, Ambrosius l. 4. Exam. c. 4. Augustinus l. 4. Confess. c. 3. & l. 2. de doctr. Christ. c. 22. dicens: *Ex ea notatione velle nascentium mores, actus, eventa prædicere, magnus error, & magna dementia est... Quare istæ opiniones.... quasi quædam cum dæmonibus pacta & conventa referenda sunt.* Propter quod c. 23. concludit: *Omnes igitur artes hujusmodi, vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum, & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda & fugienda Christiano.*

Ob eamdem rationem libri de judiciaria 408
astrologia tractantes, prohibentur. Imò excipi solent à facultate legendi libros prohibitos. Tales tamen non censentur libri, quos almanachos vocant: quia nulla ipsis fides adhiberi solet; quam siquis adhiberet circa prædictiones futurorum à libero hominis arbitrio dependentium, graviter peccaret. Verisimile proinde est quòd sæculo XVI. major ipsis quàm hodie fides adhiberetur: quandoquidem Concilium Toletanum anno 1590. celebratum, almanachos prohibeat, nisi ex eis prædictiones ejusmodi expungantur.

Contra secundam & tertiam speciem divi- 409
nationis, Concilium Mediolanense I. ubi suprà dicit: *Omnem divinationem ex lineamentorum corporis inspectione, ex sortibus, ex somniis, aliisque rebus, quibus per dæmonem incerta pro certis affirmentur, & hujus generis reliqua, per quæ curiosorum & imperitorum hominum mentes facilè decipiuntur, coërceant & ejiciant Episcopi.* Enimverò quæ connexio inter somnia, vel lineamenta corporis, & futuras actiones à libero hominis arbitrio dependentes? Videri quidem posset majorem verisimilitudinem habere prædictio indolis melancholicæ, vel hilaris, ex colore & dispositione membrorum. Verùm adhuc fallax foret: cùm idem homo, secundùm diversam gratiæ operationem, diversasque circumstantias, à divina providentia unicè depen-

dentes, diverso prorsus modo se gerat, & ea quæ, sive ex lineamentis, sive ex colore variaque membrorum dispositione prædicuntur, non solùm dependeant à libero arbitrio hominis cui prædicuntur, sed & à libero arbitrio aliorum.

410 Constat igitur omnes ejusmodi divinationes esse deceptorias, & siquando contingat aliquid evenire ex iis quæ divinata fuerunt, vel fortuitò contingit, vel Deo nonnunquam id permittente in pœnam curiositatis interrogantium divinatores, ut dæmon ipsos decipiat, contribuendo ut quædam ex effectibus prædictis contingant, ut sic decepti homines fidem superstitiosam adhibeant aliis ejusmodi divinationibus.

411 Contra eamdem tertiam divinationis speciem, præter verba laudati Concilii Mediolanensis, militat 1°. Scriptura Levitici 19. *Non augurabimini, nec observabitis somnia.* Et Eccli. 5. *Multos errare fecerunt somnia.* 2°. Concilium Ancyranum can. 23. quinque annorum pœnitentiam imponit iis qui somnia vel divinationes quaslibet secundùm mores Gentilium observant. 3°. Concilium Parisiense I. anno 829. sic habet: *Extant & alia pernitiosissima mala, quæ ex ritu Gentilium remansisse dubium non est, ut sunt somniatorum conjectores, quos divina lex irretractabiliter puniri jubet.* Per hæc tamen non prohibemur obedire Deo in somno loquenti, prout locutus est Salomoni, & S. Josepho; sed valdè cavendum, ne falsò Deus esse putetur, qui tunc loquitur, ubi reverà dæmon est, qui id facit ad decipiendum. Ad quod discernendum proderit legere egregium librum Cardinalis Bona de discretione spirituum cap. 16. & 17.

412 Non prohibemur etiam considerare somnia, ut ex illis cognoscatur, non res aliqua futura à libero hominis arbitrio dependens, sed corporis constitutio. Quia, ut S. Thomas dicit q. 95. a. 6. *ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phantasia, conveniens tali dispositioni; sicut in homine, in quo abundant frigidi humores, recurrunt in somnis quod vel sit in aqua, vel nive. Et propter hoc Medici dicunt esse intendendum somniis, ad cognoscendum interiores dispositiones.*

413 Ad divinationes occultorum pertinet criminosa illa divinatio, quâ, sine divina revelatione, locus designatur, per viam ordinariam incognitus, in quo extat res deperdita, vel quis sit homo, qui nobis nocumentum intulit, vel infert, vel inferre tentat, vel aliquid ejusmodi. Uno verbo tacita (si non expressa) dæmonis invocatio adesse censetur, quandocumque quis utitur aliquâ re, verbo, aut signo, quasi habente virtutem ad certos effectus, ad quos constat nec naturalem habere, nec divinam. Tunc enim tacitè consentire censetur in dæmoniacum auxilium. Utrovis modo fiat, sive expressè, sive tacitè, sine dubio est mortale peccatum, si homo cognoscebat, vel cognoscere, vel saltem dubitare poterat & debebat, tale quid nec naturali virtute fieri posse, nec divinâ fieri, sed diabolicâ dumtaxat. Tametsi aliquos à mortali excusare posse videatur rusticana simplicitas & ignorantia, conjuncta cum tali animi præparatione, ut si dæmonis concursum adesse cognosceret, prorsus id omitteret: cùm taliter affectus non efficiatur dæmonum socius, saltem formaliter. Pro generali siquidem regula habendum (ait Cajetanus verbo *divinatio* n. 2.) quòd *ubi nulla intervenit dæmonum invocatio, nec explicita, nec implicita, & non est mala intentio, non incurritur mortale peccatum.*

CAPUT LII.

Explicatur quid & quotuplex sit vana observantia.

VAna observantia est *superstitio, quâ ex signis vanis, id est ad effectus exspectatos inutilibus, seu nullam virtutem naturalem, nec divinam habentibus, certo expectantur tales effectus.* 414 Est triplex, prima, *ars notoria*, quâ quis certò credit assequi scientiam absque studio, per preces quasdam, jejunia, figurarum inspectiones, aliaque ejusmodi, quibus dæmon se immiscens, scientiam quamdam apparentem subinde ingerit, quæ tamen per exorcismos adimitur, sicut & per pœnitentiam, quâ ad Deum conversus ad pristinam redit ignorantiam. Secunda, *observatio sanitatum*, quâ adhibentur signa inania, characteres, & alia, etiam pietatis speciem habentia, ad conservandam, vel recuperandam sanitatem. Tertia, *observatio futurorum eventuum*, bonorum, vel malorum, quæ sumitur ex faustorum vel infaustorum dierum observatione, numero assidentium in mensa (ut quòd unus ex assidentibus isto anno moriturus sit, si tredecim assideant) & aliis similibus vanitatibus, ex quibus conjicitur eventurum aliquid nullam habens naturalem, nec supernaturalem connexionem, nec dependentiam à tali signo. Unde Deus, in vindictam ejusmodi vanitatum, non rarò permittit evenire quod timetur. Suntque sine dubio peccata mortalia, si ejusmodi signis certa credulitas adhibeatur, nisi ignorantia facti, vel simplicitas magna subinde excuset.

Contra artem notoriam S. Thomas q. 96. a. 1. sic habet: *Ars notoria est illicita & inefficax. Illicita quidem est, quia utitur quibusdam ad scientiam acquirendam, quæ non habent secundùm se virtutem causandi scientiam; sicut inspectione quarumdam figurarum, & prolatione quorumdam ignotorum verborum, & aliis hujusmodi. Et ideò hujusmodi ars non utitur his ut causis, sed ut signis: non autem ut signis divinitus institutis, sicut sunt sacramentalia signa. Unde relinquitur, quòd sint supervacua signa; & per consequens pertinentia ad pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata. Et ideò ars notoria penitus est repudianda & fugienda Christiano, sicut & aliæ* 415

artes nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ut Augustinus dicit l. 2. de doctr. Christ. c. 23.

416 Circa observationem sanitatum ibid. q. 2. ad 1. *Si* (inquit) *simpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non est superstitiosum, vel illicitum. Si verò adjungantur vel characteres aliqui, vel aliqua nomina, vel aliæ quæcumque variæ observationes, quas manifestum est naturaliter efficaciam non habere, erit superstitiosum & illicitum. Unde omnia ista Confessarii & Concionatores à populorum animis evellere, & ab iis declinari curabunt*, ait Concilium Tholosanum anni 1590. p. 4. c. 11. n. 5.

417 Contra observationem futurorum eventuum S. Augustinus l. 10. de Civit. Dei c. 11. sic loquitur: *Totum hoc ad dæmones pertinet, ludificatores animarum sibimet subditarum, & voluptuaria sibi ludibria de hominum erroribus exhibentes.* Et ante Augustinum Chrysostomus homiliâ in eos qui Novilunia observant: *Non audis Paulum dicentem: Dies observatis, & menses, & tempora, & annos. Metuo vobis ne frustrà in vobis laboraverim. Nempe extrema hoc est amentiæ, propter unum diem, si auspicatus fueris per universum hoc expectare annum; neque amentiæ solùm, sed diabolicæ cujusdam efficientiæ indicium est, non proprio studio & alacritati, sed quibusdam dierum circuitionibus vitam nostram commendare. Dies enim bonus & malus est, non suâ quâdam & propriâ naturâ* (nihil enim *dies à die differt*) *sed nostrâ diligentiâ vel ignaviâ. Si justitiam feceris, bonus tibi dies erit; sin peccatum designaveris, malus & supplicii plenus.* Et S. Ambrosius in cap. 4. epist. ad Galat. *Dies observant, qui dicunt, ut puta: craſtino proficiscendum non est; post craſtinum enim non debet aliquid inchoari. Et sic solent magis decipi. Hi autem colunt menses, qui cursus lunæ perscrutantur, dicentes, ut puta: septimâ lunâ instrumenta confici non debent. Nonâ iterum lunâ servum emptum domum duci non oportet. Et per hæc facilius solent adversa provenire. Tempora verò sic observant, cùm dicunt: hodie veris initium est, festivitas est, post cras vulcanalia sunt. Et talia iterum aiunt: posterum est, domum egredi non licet... Si Deus ex toto corde diligatur, ipso propitio, nulla debet esse formido, neque suspicio harum rerum: prosperè enim cedere potest, quidquid simpliciter sub devotione fit.* In istam superstitionem incidunt, qui credunt futuram ad diem natalem Domini pluviarum abundantiam, si pluerit dominicâ post quatuor tempora; qui prædicunt quale tempus futurum sit tali, vel tali tempestate anni, si die conversionis S. Pauli, S. Medardi, &c. tempus amœnum fuerit, vel pluviosum, vel ventosum; qui matrimonio jungi, vel iter aggredi, vel mari se committere non audent die lunæ, vel veneris, &c. *Diei & horæ observationes atque auguria* (ait Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum art. 35.) *operationes diaboli sunt, quibus* (*Deo gratias*) *jam in baptismate abrenuntiastis, & hæc cum vetere homine, & actibus ejus, quando novum induistis, omninò deposuistis. Non itaque dies observamus, & annos, & menses, & tempora*, (inquit Augustinus epist. 119. ad Januar. c. 7.) *ne audiamus ab Apostolo: Timeo ne fortè sine causa laboraverim in vobis. Eos enim inculpat, qui dicunt: Non proficiscare, quia posterus dies est, aut quia luna sic fertur: vel proficiscare, ut prospera cedant, quia ita se habet positio siderum; non agam hoc mense commercium, quia illa stella mihi agit mensem; vel agam, quia suscepit mensem; non plantem hoc anno vineam, quia bissextus est. Non autem quisquam sapiens arbitretur, observatores temporum reprehendendos, qui dicunt: Non proficiscar hodie, quia tempestas orta est; aut non navigem, quia adhuc sunt hybernæ reliquiæ; aut tempus seminandi est, quia imbribus autumnalibus terra satiata est; vel siqui fortè alii naturales effectus circa motum aëris & humoris ad variandas temporum qualitates, in siderum ordinatissima conversione notati sunt. De quibus dictum est, cùm conderentur, ut sint in signis, & temporibus, & diebus, & in annis.*

Ad discernendas vanas observationes, aliasque superstitiones, quarum infinitus est numerus, regula prima & principalis est illa, quâ Concilium Mechlinienſe anni 1607. tit. 15. de superstitionibus c. 3. *Doceant* (inquit) *superstitiosum esse expectare quemcumque effectum à quacumque re, quem res illa, nec ex sua natura, nec ex institutione divina, nec ex ordinatione, vel approbatione Ecclesiæ producere potest.* Et hinc superstitiosum est credere, quòd pueri nascentes vittato capite, felices erunt; secundùm quòd vulgò apud Gallos dicitur, *il est né coëffé*; vel imaginari, quòd si tredecim simul in mensa reperiantur, eorum unus anno illo morietur: quia nec vitta, nec numerus ille proportionem vel connexionem ullam naturalem habet cum felicitate pueri, vel morte alicujus. 418

Secunda regula, dum vel facto naturali jungitur circumstantia aliqua vana, inutilis, vel ridicula, & inde effectus desideratus expectatur, superstitio est, v. g. si herbæ istæ vel illæ colligantur diluculo festi S. Joannis; siquis è domo egrediatur feriâ 6. post morbum, vitabit relapsum; vel si tota efficacia verborum, quamlibet sanctorum, ponatur in circumstantia aliqua vana & inutili, v. g. si tria Pater & Ave ante solis ortum pro infirmo dicantur, sanabitur, &c. 419

Tertia regula: superstitiosa est usurpatio certarum precum, vel rerum sacrarum, ad effectum vanum & ridiculum, v. g. ad obtinendum quòd annulus vertatur, sicut & usurpatio verborum incognitorum, vel historiarum apocrypharum, seu falsarum, ab Ecclesia non probatarum, ad hoc ut iste vel ille effectus sequatur, tunc procedit censura Facultatis Theologicæ Parisiensis de 19. Septemb. 1398. *Intendimus pactum esse implicitum in omni superstitiosa observatione, cujus effectus* 420

fectus non debet à Deo vel à natura rationabiliter expectari. Unde *qui hæc observat, ex parte paganus est.* S. Elegius serm. ad omnem plebem.

421 Cæterùm etiamsi superstitio ex se sit grave peccatum, non illicò Confessarius, absque alio examine, concludere debet, pœnitentem suum, qui aliquam ex supradictis commisit, mortaliter deliquisse. Quia præcipua superstitionis malitia petitur ex pacto explicito, vel implicito cum dæmone; quod qui nullo modo directè vel indirectè intendit, ipsi tamquam volenti imputari non potest; sed ei dumtaxat, qui scire potuerunt & debuerunt, superstitiosum esse tale quid facere, vel credere. Attendat proinde Confessarius quousque sit notum per experientiam, quòd res, vel circumstantia, in qua fit vis, nullam ex natura sua, vel ex institutione divina, vel Ecclesiæ approbatione vim habeat, ad talem effectum producendum? An pœnitens nunquam audierit, velut superstitiosam à viris doctis improbari talem actionem? An nunquam exorta pœnitenti de eo suspicio? An multum vel parum fidei adhibuerit talibus rebus? Sive autem mortaliter, sive veniaaliter pœnitentem in eo deliquisse animadverterit, semper ipsum deterreat à similibus imposterum committendis, monens (cum sancto Augustino Enchir. c. 191.) vanas illas observationes esse de numero peccatorum illorum, *quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora.*

CAPUT LIII.

Explicantur species irreligiositatis.

422 *Irreligiositas* religioni opponitur per defectum, describique potest, *contemptus, vel irreverentia Dei, rerumque sacrarum.* Species illius sunt tentatio Dei, blasphemia, impietas, sacrilegium, & simonia.

423 Tentatio Dei hîc non sumitur pro incitatione Dei ad malum; Deus *enim intentator malorum est; ipse verò neminem tentat;* sed pro *dicto vel facto, quo quis experimentum de divina aliqua perfectione, v. g. justitia, potentia, &c. extra ordinarias Dei leges, citra justam causam capere vult.* Quia, ut S. Thomas ait q. 97. a. 2. *tentare est experimentum sumere. Nullus autem experimentum sumit de eo, de quo est certus. Et ideò omnis tentatio ex aliqua ignorantia vel dubitatione procedit, vel ejus qui tentat (sicut cùm quis experimentum de aliqua re sumit, ut ejus qualitatem cognoscat) sive aliorum: sicut cùm quis experimentum de aliquo sumit, ut aliis ostendat, per quem modum Deus dicitur nos tentare. Ignorare autem, vel dubitare de his quæ pertinent ad Dei perfectionem, est peccatum. Unde manifestum est quòd tentare Deum ad hoc quòd ipse tentans cognoscat Dei virtutem, est peccatum. Siquis autem ad hoc experimentum sumat eorum quæ ad divinam perfectionem pertinent, non ut ipse cognoscat, sed ut aliis demonstret, hoc non est tentare Deum: cùm subsit necessitas justa, seu ipsa utilitas, & alia quæ ad hoc concurrere debent. Sic enim Apostoli petierunt a Domino, ut in nomine Jesu Christi fierent signa, ut dicitur Actuum 4. ad hoc scilicet quòd virtus Christi infidelibus manifestaretur.*

Addit S. Doctor ibidem ad 3. 1°. quòd 424
non semper tentat Deum, qui signum petit à Deo. Quia *dupliciter aliquis signum petit à Deo: uno modo ad explorandam divinam potestatem, aut veritatem dicti ejus; & hoc de se pertinet ad Dei tentationem. Alio modo ad hoc quòd instruatur, quid circa aliquod factum sit placitum Deo; & hoc nullo modo pertinet ad Dei tentationem.*

2°. art. 3. ad 2. quòd *ille qui ante oratio-* 425
nem animam suam non præparat, dimittendo siquid adversum aliquem habet, vel aliàs ad devotionem se non disponendo, non facit quod in se est, ut exaudiatur a Deo, quasi interpretativè tentat Deum.

3°. a. 1. ad 3. quòd *Prædicatores regni Dei* 426
ex magna necessitate, & utilitate, subsidia temporalia prætermittunt, ut verbo Dei expeditius vacent. Et ideò, si soli Deo innitantur, non ex hoc tentant Deum. Sed si absque utilitate, vel necessitate, humana subsidia desererent, tentarent Deum. Unde & Augustinus dicit 22. contra Faustum 36. quòd "Paulus non fugit de Da- "
masco, quasi non credendo in Deum; sed "
ne Deum tentaret, si fugere nolüisset; cùm "
sic fugere potuisset. " *Beata verò Agatha experta erat erga se divinam benevolentiam, ut vel infirmitates non pateretur, pro quibus corporali medicinâ indigeret, vel statim sentiret divinæ sanationis effectum.*

4°. addo ego, malitiam tentationis Dei ex 427
eo peti, quòd experimentum de divina perfectione citra justam causam sumere, auxiliumque à Deo temerè, contra ordinarias Dei leges expectare, sit contra observantiam divinæ Majestati debitam, audaciamque quamdam contineat, imò præsumptionem, attentâ vilitate expectantis, qui respectu Dei adeò nihil est, ut prorsus indignus sit, cujus respectu Deus miraculum faciat.

Blasphemia est injuriosa locutio in Deum, 428
mediatè, vel immediatè. Aliquando enim Deus mediatè blasphematur in Sanctis suis, vel aliis creaturis, injuriosè loquendo de illis, quatenùs Deus in iis relucet. Quòd si Deus injuriâ afficiatur non verbo, sed facto, *contumelia* specialiter dicitur. Aliquando fit per modum enuntiationis, quâ Deo tribuitur defectus, vel negatur perfectio aliqua, ut dum dicitur injustus, crudelis, &c. Aliquando per modum execrationis, v. g. dicendo, cum damnatis & desperatis, sit maledictus Deus, pereat Deus. Aliquando per modum dubitationis: si est Deus, si est justus, &c. Aliquando per modum irrisionis, ut dum Judæi dicebant: *Vah! qui destruis templum Dei*, &c. Aliquando per modum simplicis irreverentiæ, ut cùm aliquid Deo conveniens profertur cum

irreverentia, v. g. jurando per caput, per ventrem, per sanguinem Dei, &c. sanctissima membra illa (Deo incarnato convenientia) tamquam contemptibilia absque ulla reverentia in ira nominando, & per illa jurando. Et in istis omnibus blasphemia aliquando perfecta est, aliquando imperfecta. Perfecta, quando cum interno contemptu, vel odio, vel detestatione divinæ Majestatis conjuncta est: imperfecta, quando ex aliqua animi perturbatione, sine formali contemptu, vel interna detestatione Dei: aliquando cum hæresi conjuncta, quando ore dicitur, & corde creditur habere defectum quem non habet, vel non habere perfectionem quam habet. Aliquando sine hæresi, quando tale quid corde non creditur.

429 Porrò blasphemiæ reus est, quisquis deliberatè profert verba in Deum, vel Sanctos contumeliosa, eorum significationem actualiter vel virtualiter advertens, tametsi actualem blasphemandi intentionem non habeat. Ita S. Thomas q. 13. a. 2. ad 3. ubi sic: *Blasphemia potest absque deliberatione ex surreptione procedere dupliciter: Uno modo, quòd aliquis non advertat, hoc quod dicit esse blasphemiam; quod potest contingere, cùm aliquis subitò ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat; & tunc est peccatum veniale, & non habet propriè rationem blasphemiæ. Alio modo, quando advertit hoc esse blasphemiam, considerans significata verborum: & tunc non excusatur à peccato mortali, sicut nec ille, qui ex subito motu iræ aliquem occidit juxta se sedentem.* A mortali ergo blasphemia non excusatur ille, qui ex subito motu iræ verba contumeliæ in Deum, vel Sanctos profert, quamvis ideò non advertat, quòd ex consuetudine illa proferat, quam corrigere seriò non allaborat. Quia talis inconsideratio non est ipsi involuntaria, sed voluntaria in causa, pravâ scilicet voluntate, propriæque salutis incuriâ, quâ malam consuetudinem negligit emendare. Unde teste D. Gregorio l. 4. Dialogorum c. 18. quinquennis puer, qui *mox ut ejus animo aliquid obstitisset, majestatem Dei blasphemare consueverat, in articulo mortis dæmonibus sub horrifica forma apparentibus traditus fuit, & damnatus*, nec ipsum consuetudo prava excusavit. Vide quæ to. 1. dixi de peccatis ex ignorantia & inadvertentia commissis, atque ex ibi dictis apparebit, non omnem inadvertentiam ad significatum verborum blasphemiæ à mortali excusare, sed solùm illam quæ involuntaria est, tam in se, quàm in causa, non retractata per pœnitentiam, diligentiamque magnam corrigendi pravam consuetudinem. Vide etiam S. Antoninum p. 2. tit. 7. c. 5. ubi de maledicentia in Deum, quæ frequenter blasphemiam continet, dicit quòd *semper est mortale, cùm perpendit se maledicere. Nec excusatur quòd ex subita ira hoc faciat, vel ex more.... Psal. 26.* „ Maledicentes autem ei disperibunt. „ Blasphemiæ verò gravitatem S. Antoninus triplici argumento demonstrat. 1°. ex eo quòd viri pii crimen istud vel nominare adeò horreant, ut contrario benedictionis nomine per antiphrasim significent Job. 1. & 3. Reg. 21. Necnon ex eo quòd Judæi blasphemiam audientes, vestimenta sua in horroris signum laceraverint. 2°. ex eo quòd lex vetus blasphemos morte damnaret, & adhuc hodie per leges severissimè puniantur. 3°. ex hoc quòd damnatorum occupatio sit. *Non enim aliud opus in inferno exercent, nisi blasphemare Deum & maledicere. Qui ergo hoc vitio detinetur, ostendit se pertinere ad statum damnatorum, ex quo exercet artem eorum.*

De eodem peccato S. Hieronymus in Isa. 18. l. 7. *Nihil* (inquit) *horribilius blasphemiâ, quæ ponit in excelsum os suum.... Omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ, levius est.* Ideò (inquit Augustinus l. un. contra mendac. c. 19.) *pejus est blasphemare, quàm pejerare, quoniam pejerando, falsa rei adhibetur testis Deus; blasphemando, de ipso falsa dicuntur Deo.* 430

Propterea in Concilio Lateranensi sess. 9. Leo X. sic statuit: *In foro conscientiæ nemo blasphemiæ reus absque gravissima pœnitentia, severi Confessoris arbitrio injuncta, possit absolvi.* Quod Decretum Pius V. confirmavit in Constit. quæ incipit *cum primum.* Et secutum est Concilium Mediolanense I. sub S. Carolo Borromæo p. 1. tit. de blasphemia. Sicut & Bituricense anni 1582. Tholosanum anni 1590. Avenionense 1594. Narbonense 1609. Synodus verò Trecensis anni 1427. sic statuit: *Sunt nonnulli, tam Laici, quàm Ecclesiastici viri, qui Redemptorem suum turpiter inhonorantes, detestabilia in ejus blasphemiam faciunt juramenta, puta per carnem suam, per sanguinem, per mortem, per plagas, per caput, per viscera, vel aliud concernens ejus humanitatem jurantes, & ipsum Redemptorem nostrum, pro nobis omnibus in cruce mortem passum, iterum crucifigunt. Propter quod districtè prohibemus, sub pœna 40. solidorum, in usus pios convertendorum, talia fieri de cætero juramenta, cùm in non modicam ejusdem Domini nostri sonent blasphemiam. Siquis autem talia sit assuetus facere juramenta, pro quarta vice volumus ad nos, aut Pœnitentiarios nostros remitti absolvendum. Siquis verò Deum negaverit, vel despitaverit, pro prima vice duos dies, pro secunda quatuor, in pane & aquajejunare compellietur; pro tertia autem in scala (ut moris est) reponetur, ut ipse, qui Deum blasphemavit, à populo meritò infametur.* 431

Gregorius IX. cap. *statuimus* de maledicis blasphemum *septem diebus Dominicis præ foribus templi stare* decernit, *dum Missarum solemnia celebrantur. Ultimo dierum illorum absque pallio & calceamentis, ligatum corrigiâ circa collum Exomologesim facere; septem præcedentibus feriis sextis in pane & aqua jejunare, tres aut duos pauperes, aut unum saltem reficere; ab Ecclesiæ aditu illis diebus abstinere. Quam pœni-* 432

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pœnitentiam subire si renuat, Ecclesiæ interdicatur ingressu, & in obitu Ecclesiasticâ careat sepulturâ.

433 Denique in vetere Pœnitentiali Romano, ille *qui per capillum Dei, aut caput ejus juraverit, aut alia blasphemiæ verba protulerit, si semel inconsideratè ex præcipiti linguæ motu id fecerit, septem dies pœnitentiæ in pane & aqua; si secundò, vel tertiò increpatus id fecerit, dies quindecim in pane & aqua pœnitere jubetur.*

434 *Quicumque* verò *blasphemantem audierint, eum verbis acriter objurgare teneantur* (ait Leo X. cum Lateranensi Concilio) *si citra periculum suum id fieri posse continget, eumque deferre vel notificare apud Judicem Ecclesiasticum, seu secularem, intra triduum debeant. Quòd si plures dictum blasphemantem simul audierint, singuli eum accusare teneantur, nisi fortè omnes convenerint, ut unus pro cunctis tali fungatur officio.* Quod & varia Concilia Provincialia sanxerunt.

435 *Quòd si seculares Judices contra tales blasphemiæ convictos non animadverterint, eosque justis pœnis non affecerint, quantum in eis fuerit, quasi eidem sceleri obnoxii, eisdem quoque pœnis subjiciantur.* Leo X. ibidem, decem ipsis annos indulgentiæ concedens pro qualibet vice, quâ ritè isto officio functi fuerint.

436 Pius verò Papa can. *siquis* 22. q. 1. *Siquis per capillum Dei, vel caput juraverit, vel alio modo blasphemiâ contra Deum usus fuerit, si in Ecclesiastico ordine est, deponatur; si Laicus, anathematizetur.... Siquis autem talem hominem non manifestaverit, non est dubium quin divinâ condemnatione coërceatur. Sed si Episcopus ista emendare neglexerit, acerrimè corripiatur.*

CAPUT LIV.

Describitur sacrilegium, explicanturque pertinentia ad illud.

437 *Sacrilegium* definiri solet, *violatio seu indigna tractatio rei sacræ*, id est ad Dei cultum specialiter consecratæ; cujus proinde violatio seu injuria redundat in Deum: quia, ut S. Thomas ait q. 99. a. 1. *omne illud quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertinet. Secundùm diversam verò rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, necesse est quòd sacrilegii species distinguantur* (ait art. 3.) *Tantò enim sacrilegium est gravius, quantò res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem. Attribuitur autem sanctitas & personis sacris, id est divino cultui dedicatis, & locis sacris, & rebus quibusdam aliis sacris. Sanctitas autem loci ordinatur ad sanctitatem hominis, qui in loco sacro cultum Deo exhibet. Dicitur enim Machab. 5.* „ Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit. „ *Et ideò gravius peccatum est sacrilegium, quo peccatur contra personam sacram, quàm quo peccatur contra locum sacrum. Sunt tamen in utraque sacrilegii specie diversi gradus, secundùm differentiam personarum, & locorum sacrorum.*

Similiter etiam & tertia species sacrilegii, quæ 438
circa res alias sacras committitur, diversos habet gradus, secundùm differentiam rerum sacrarum; inter quas summum locum obtinent ipsa Sacramenta, quibus homo sanctificatur, quorum præcipuum est Eucharistiæ Sacramentum.... Et idò sacrilegium quod contra hoc Sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia, &c.

Sacrilegium itaque aliud est ratione perso- 439
næ sacræ violatæ. Aliud ratione loci sacri. Aliud ratione rei sacræ à personis & locis sacris distinctæ, ut Sacramentorum, vasorum sacrorum, Reliquiarum, Scripturæ sacræ, diei sacri, &c. Ad primam speciem pertinent violenta injectio manuum in Clericum (etiam conjugatum, si deferat habitum & tonsuram Clericalem, & alicujus Ecclesiæ servitio vel ministerio ab Episcopo deputatus, eidem Ecclesiæ serviat, aut ministret, prout habetur in Tridentino sess. 23. cap. 6.) sicut & violenta manuum injectio in Religiosos utriusque sexûs, etiam novitios. Item fornicatio habentis votum castitatis, violatio virginis Deo dicatæ: per votum enim castitatis corpus nostrum Deo consecratur, & sanctificatur, ut ab omni libidinis contagione purum servetur. Huc etiam pertinet personarum Ecclesiasticarum pertractio ad tribunal sæculare, & omnis alia violatio immunitatis ipsarum, utpote violatio sanctitatis illius status.

Ad secundam speciem pertinent omnia quæ 440
fiunt contra loci sacri sanctitatem, ut effractio & spoliatio Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, & quorumcumque ab Episcopo consecratorum, vel authoritate ipsius deputatorum ad sacrificium Missæ, vel alia Ecclesiæ Sacramenta, aut divina officia peragenda, dummodò in eis de facto officia illa, vel divina mysteria peragantur, etiamsi necdum consecrata sint. Non autem privata Oratoria, vel Eremitoria non consecrata, nec benedicta; quæ immunitate non gaudent, etiamsi Missa in eis de licentia Episcopi fiat. Gaudent autem Monasteria ex Constitut. Gregorii XIV. & Hospitalia Episcopi authoritate fundata, cap. *ad hæc* de relig. domib.

Ad discernendum verò, quando in tribus 441
illis speciebus committatur sacrilegium, vide ad quid res, personæ vel loca sanctificata sint. Siquid enim fiat contra id ad quod sanctificata sunt, sacrilegium est. Verbi gratiâ bona Ecclesiæ sanctificata sunt quoad exemptionem à sæcularibus exactionibus: committitur ergo sacrilegium per exactiones super illis sæculari authoritate factas; non autem quando in agro ad Ecclesiam spectante fornicatio committitur: quia ad hoc inducta non est exemptio illius. Ad sacrilegium tandem in loca sacra aliquo modo pertinere detractiones, & quæcumque mortalia in iis commissa, probatum habes to. 1. l. 10. c. 8. §. 3. quia si mercatus & negotiationes in iis factæ sunt contra reverentiam iis

debitam ; quantò magis detractiones, & alia peccata mortalia, præsertim externa ?

Cæterùm ad sacrilegium in loca sacra specialiùs pertinent 1°. effractio vel incensio loci sacri. 2°. effusio injuriosa sanguinis. 3°. voluntaria effusio humani seminis. 4°. sepultura excommunicati, vel infidelis (quibus polluitur locus sacer, egetque reconciliatione) 5°. extractio violenta personæ gaudentis immunitate, quæ ad locum sacrum azyli causâ se contulit. 6°. furtum rei depositæ vel azylatæ in loco sacro. 7°. quæcumque profana, cultum divinum per se impedientia, cap. *decet* de immunit. Eccles. Quia loci sanctitas specialiter est ad exemptionem à similibus.

442 Circa violentam extractionem personæ gaudentis immunitate, observandum, omnem baptizatum, quantumcumque criminosum, eâ immunitate gaudere in locis sacris, exceptis 1°. publicis latronibus, viarumque grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publica strata obsident, viatoresque ex insidiis aggrediuntur. 2°. agrorum depopulatoribus, qui vel homicidia, vel mutilationes membrorum, in ipsis Ecclesiis, earumque cœmeteriis committere non verentur. 3°. proditoriè occidentibus proximum suum. 4°. assasinis. 5°. hæreticis. 6°. læsæ Majestatis reis in personam ipsius Principis. Istos Gregorius XIV. excipit in sua Constitutione *cùm aliàs*, ita tamen ut brachium sæculare eos extrahere non possit sine expressa licentia Episcopi, vel Officialis ipsius, & nonnisi cum interventu personæ Ecclesiasticæ, ab eo authoritatem habentis, nec immediatè deducantur ad carcerem sæcularem, sed ad Ecclesiasticum, donec Episcopo probatum sit crimen. Illis ergo exceptis, quisquis hominem baptizatum, in loco sacro, tamquam in azylo consistentem, invitum violenter extrahit, aut per vim impedit, ne ipsi ad vitam necessaria ministrentur, sacrilegus est, & taliter extractum sub pœna excommunicationis, ante processum restituere debet, nec restitutus ad pœnam corporalem damnari potest, sed ad pecuniariam dumtaxat per Judicem Ecclesiasticum.

443 Denique ad sacrilegium in res sacras pertinet omnis irreverentia & abusus Sacramentorum, indigna eorum susceptio & administratio, abusus sententiarum S. Scripturæ ad facetias, ad superstitiones, libellos diffamatorios, &c. violatio festorum, &c.

444 Et adverte circa primam speciem, per violentam manuum injectionem intelligi 1°. omnem violentam tentionem Clerici, etiam absque læsione, cap. *nuper* extr. de sentent. excommun. 2°. furiosam persecutionem, ad quam vitandam Clericus vel Religiosus se lædat. Navarrus cap. 27. n. 77. 3°. omnem injuriosum effectum realem, quo Clericus vel Religiosus affectus censetur gravi dedecore, cujusmodi sunt aquam vel pulverem in ipsum projicere, ephippium equi ipsius scindere, &c.; sola verò injuriosa verba, vel ensis evaginatio, non secuto effectu, non veniunt nomine injectionis manuum. 4°. omnem Clerici vel Religiosi percussionem, quæ sit mortale peccatum, cujus reus incurrit ipso facto excommunicationem Summo Pontifici reservatam, can. *siquis suadente diabolo* 17. q. 4. licèt in certis casibus absolutio ipsius Episcopis & Prælatis permittatur, ut infrà.

Dixi, *quæ sit mortale peccatum* : siquis enim 445
citra mortale peccatum percusserit, v. g. casu fortuito, vel vim vi repellendo, non incurrit excommunicationem ; uti nec ille qui cum mortali quidem peccato Clericum casu occidit, putans occidere feram ; sed ideò mortaliter peccavit, quia ad vitandum Clericidium sufficientem diligentiam non adhibuit : quia non censetur suadente diabolo occidisse. Toletus n. 6. Nec ille qui in flagranti delicto occidit Clericum, vel Monachum, turpiter agentem cum uxore, matre, sorore, filia, cap. *si verò* extr. de sent. excomm. Nec mulier alapam incutiens Clerico tentanti ipsam ad stuprum, saltem si tentet facto, non verbo dumtaxat. Navarrus tamen cap. 27. n. 85. condemnat Monacham quæ alapam inflixit Clerico dicenti sibi quòd pulchra esset. Excommunicationem etiam non incurrit Superior leviter percutiens Clericum, vel Monachum, inferiorem suum, correctionis gratiâ. Nec percutiens Clericum, sui Clericatûs signa non gerentem, & ideò ignoratum. De quo percutiens debet juramentum præstare ; aliàs pro excommunicato habetur, cap. *si verò* de sent. excomm.

Quia verò percussio alia est enormis, alia 446
mediocris, alia levis. Sciendum quòd enormis censetur talis, vel ratione eminentiæ personæ percussæ, ut si sit Episcopus vel Prælatus ; vel ratione maximæ gravitatis ipsius percussionis, qualis est occisio, mutilatio, vel notabilis effusio sanguinis è partibus, è quibus non facilè diffluit. Hujus absolutio casus est Papalis, licèt ab eo absolvere possit Episcopus eos qui ex dispositione juris eximuntur ab onere adeundi Summum Pontificem, quales sunt mulieres, senes, inopes, pueri ante annos pubertatis, in canonem incidentes, licèt absolutionem petant post pubertatem c... de sent. excomm.

Mediocris percussio inter enormem levem- 447
que media est, de qua certa dari nequit regula, sed Episcopi vel Prælati arbitrio relinquitur. Ab ea absolvere possunt Episcopi 1°. Clericos collegialiter viventes, si alter alterum percusserit, cap. *quoniam* de vit. & honest. Cler. 2°. servos, ex quorum absentia grave damnum domini innocentes paterentur, cap. *relatum* de sent. excomm. 3°. ostiarios Principum, & aliarum Potestatum, qui sub officii prætextu Clericum læserint, cap. *si verò* de sent. excom. Prælati verò Regulares ab ea absolvere possunt subditos sibi Religiosos, in Clausstro degentes, qui se invicem percusserint, hâc lege, quòd si percussus sit alterius Monasterii,

ab utroque, id est à Prælato proprio, & Prælato percussi absolvendus sit, cap. *cùm illorum* eod. si autem percussus sit Clericus sæcularis, percutiens mediocriter absolvendus est à Papa, percutiens leviter à solo Episcopo, non à Prælato proprio, cap. *religioso* eod. tit. in 6.

448 Percussio levis talis dicitur respectivè ad enormem. Absolutè enim semper esse debet gravis, mortaleque peccatum, ad incurrendam excommunicationem. De ea in extravaganti, quam refert Navarrus c. 27. n. 91. sic habetur: *Percussio levis est pugni, palmæ, manus, pedis, digiti, lapidis, aut baculi, quæ nullam maculam, neque figillationem carnis relinquit, neque membrum abscindit, sine dentium effractione, sine avulsione multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis. Nolumus tamen dicere, quòd hujusmodi levis percussio, ut pugno, vel unguibus, fiat atrox ob multi sanguinis effusionem. Ad judicandum tamen quæ læsio sit levis, mediocris, & enormis, volumus diligenter perpendi, non solum factum, sed etiam qualitatem ejus, & modum percutiendi, & lædendi, cum omnibus suis circumstantiis, loci, personæ, & aliis. Personæ, si est Magister, Judex, Prælatus, Pater, Patronus, aut dignitas percussi injustè à subdito, vel alio se viliori: quia ex hoc interdum censentur graves injuriæ, quæ per se sunt leves, aut mediocres. Et quia conditio negotii non patitur integram determinationem hujus rei, relinquimus tuo arbitrio, ut declares, quæ sit levis, aut enormis injuria: admonentes ut potiùs in dubio declares esse percussionem gravem, & ab ea non posse absolvere, quàm declarando levem esse, præbeas occasionem lædendi statum Ecclesiasticum.*

449 Porrò levis absolvitur ab Episcopo, in quibuscumque casibus, cap. *pervenit* de sent. excom. Quoad Regulares, nostræ Constitutiones p. 4. c. 10. n. 3. dicunt posse quidem in foro fori absolvi à Provinciali; quoad forum verò interius; à Sede Apostolica petendam absolutionem. Sed hoc, salvo meliori intelligendum videtur, seclusis privilegiis, sive stando in jure communi. Spectatis namque privilegiis Regularium Mendicantium, Prælatis eorum concessa est eadem absolvendi potestas, quæ Episcopis convenit in suos. Sed hac de re plura alibi.

CAPUT LV.

Simoniæ natura explicatur.

450 *Simoniam* S. Thomas q. 100. a. 1. definit, quòd sit *studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Sed in ea definitione nomine emptionis & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus, prout ibidem dicit ad 5. sive omnis datio & receptio rei non gratuita temporalis pro spirituali, vel quasi spirituali. Unde quia plerique Noviores abusi sunt Angelicâ illâ definitione; ad præcludendos abusus ipsorum, simonia definiri potest, *studiosa voluntas dandi vel recipiendi temporale pro spirituali non gratuitò, sed quasi ex debito sive justitiæ, sive antidorali titulo, sive debitum istud deducatur in pactum, sive absque pacto sit principaliter intentum.*

Neque enim audiendi sunt Valentia to. 3. 451
disp. 6. q. 17. & Tannerus to. 3. disp. 5. q. 8. dub. 3. n. 64. aientes non esse simoniam, nisi quando temporale pro spirituali datur vel accipitur ut pretium, id est tamquam æquale pro æquali, non dumtaxat ut motivum, licèt principale. Nec idem Tannerus n. 76. cum aliis Junioribus dicens, non esse simoniam, pacto expresso se obligare ad temporale pro spirituali dandum ex gratitudine, non ex justitia. Istas namque, & alias ejusmodi sophisticas argutias excludit simplicitas verborum Christi: *Gratis accepistis, gratis date*; quam *accuratè & ad litteram in praxi necesse est sequi; nec in iis, quæ technas sophisticas non admittunt, uti sophisticâ calliditate, nec aleam periculosam jacere*, inquit Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus cum Synodo sua. Quia (uti post ipsum sapienter advertit Natalis Alexander Theol. Moral. to. 6. l. 2. c. 7. a. 1.) distinctiuncularum hujusmodi vanitas ex eo patet, quòd his admissis simoniæ labes vix aliud esset nisi idæa platonica, quæ non reperitur in rebus, quandoquidem per eam facilè excusare se possent vel ipsi Simoniacorum Patriarchæ, Balaam, Giezi, Simon Magus. Parùm enim curabant, quo titulo, vel modo temporale munus acciperent, dummodò acciperent. Enimverò difficilè ostendi potest Giezi alio quàm gratuitæ compensationis titulo munus à Naaman accepisse, nec Elisæus ipsum increpavit quòd pecuniam ut pretium miraculosæ curationis accepisset; sed, *accepisti* (inquit) *argentum, & accepisti vestes.... sed & lepra Naaman adhærebit tibi. 4.* Reg. 5. Simonemque Petrus increpavit, quòd *donum Dei pecuniâ* existimavit *possideri*: quod verum est, sive pecunia ut pretio possideatur, sive ut motivo, vel antidorali titulo possideatur.

Illa ergo Noviorum opinio divinæ Scriptu- 452
ræ repugnat simplicitati, sicut & generalitati sententiarum, quibus Concilia, Pontifices, Patres simoniam proscribunt. Ita enim generales sunt, ut nullâ earum illa excipiatur species, quâ pecunia datur ut motivum, vel ut antidorale, non ut pretium. Imò vanas illas subtilitates satis excludunt. Primò, dum generaliter dicunt, fas non esse dignitates Ecclesiasticas per pecuniam obtinere, idque facientem dejici jubet canon 30. Apostolorum. Secundò, dum rursus generaliter & indistinctè vetant, ne quodlibet præmium offeratur ad Ecclesiæ dignitatem consequendam: *Siquis pro percipienda dignitate quodlibet præmium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore anathematis se cognoverit opprobrio condemnatum*: verba sunt Concilii Toletani VIII. Tertiò, dum statuunt, in conferendis Ecclesiæ muniis terrenæ utilitatis rationem nullo modo irrepe-

re debere : *In nulla ordinatione* (inquit Gregorius Magnus l. 4. epist. 8.) *Fraternitati vestræ commoda quolibet modo surrepant, ne laqueis simoniacæ.... hæreseos illaqueetur. Siquis Episcoporum* (ait Concilium Tholosanum anni 1056. can. 1.) *acceptâ* QUOCUMQUE MODO PECUNIA, *ordinaverit Episcopum, Abbatem, Presbyterum, Diaconum, aut quemcumque alium, qui numeratur inter Clericos, ipse gradûs sui subjaceat periculo, & qui sic ordinatur, nullum habeat fructum ex hujusmodi mercimonio, sed sit alienus ejus dignitatis, & ordinis, quem per pecunias acquisivit.*

453 Dicendum itaque 1°. simoniam propriè dictam plerùmque committi absque pacto dandi vel recipiendi temporale pro spirituali. Constat 1°. ex cap. *tua nos* de simonia, ibi: *Simonia committitur, quando aliquis offert bona sua alicui Ecclesiæ, ut in Canonicum admittatur, etiamsi sine pacto, vel conditione qualibet offerat, si is qui talem donationem facit, eâ intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci.*

454 2°. ex S. Petro Damiano opusc. 31. c. 5. *Sunt nonnulli, qui vel antequam Consecrationis exhibeant ministerium, vel ante decisum causæ negotium, nullum pacti sunt commodum: postmodùm verò tamquam à debitoribus exigunt, & extorquendis remunerationibus vehementer insistunt: hi se Giezi non dubitent crimen incurrere, qui, postquam Naaman curatus est, jamque revertens, de dono sancti Spiritûs ausus est pecuniam postulare. Et sicut ille non aliâ quam lepræ plagâ percussus est, quæ homines removebat à castris; sic iste non levi, sed illius labe perfunditur criminis, quod ab Ecclesiæ separat Sacramentis.*

455 3°. ex Petro Cantore in verbo abbreviato c. 56. id probante ex sententia Christi Matth. 10. ubi Christus ait: *Gratis accepistis, gratis date; hoc namque verbo* (inquit) *excluditur omnis expectatio muneris, vel obsequii, sive intervenerit pactio, sive non; Deus enim in corde videt.*

456 4°. Christus ibi præcipit rerum spiritualium dispensatoribus ut, sicut Isaïas dicit c. 33. *excutiant manus suas ab omni munere.* Quia scilicet *munera excæcant oculos sapientium.* Deuteron. 16. Unde & Balaam, post acceptum munus à Rege Moab, irruente in se Spiritu Dei, assumptâ parabolâ ait: *Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cujus obturatus est oculus.* Numer. 24. Ne ergo obturentur oculi spiritualia ministrantium, & sic ea vel indignis, vel minùs dignis dispensent, jussi sunt ea gratis conferre, manusque suas excutere ab omni munere, sive à lingua, sive ab obsequio, sive à manu. *Tria* namque *dicuntur munerum genera* (ait Petrus Damianus l. 2. epist. 1.) scilicet *munus à manu, munus ab obsequio, munus à lingua. Munus à manu, pecunia: Munus ab obsequio, obedientia subjectionis: Munus à lingua, favor est adulationis.*

457 5°. nullum pactum, nec contractus emptionis & venditionis, intervenit in facto Giezi; ab omnibus tamen habetur, non solùm simoniacus, verùm & unus ex simoniacorum Patriarchis. Nec Naaman 4. Regum 5. legitur ipsi pecuniam obtulisse per modum pretii, sed gratuitæ recompensationis; nec Giezi legitur aliter eam exegisse, nec ab Eliseo reprehensus, quòd pecuniam accepisset ut pretium, sed simpliciter, *accepisti argentum, accepisti vestes.*

6°. Adrianus quodlib. 9. q. 2. ex Armachano l. 10. c. 19. similiter advertit, quòd *in facto Simonis Magi nullum pactum fuit; pecuniam obtulit, potestatem sibi dari petiit;* ideòque cum eodem concludit, *etiam cum sine pacto fit, à simonia liberum non haberi.* Enimverò Petrus Act. 8. Simonem velut simoniacum increpavit, quòd existimasset *donum Dei pecuniâ possideri.* Quod verificatur, sive pecunia possideatur tamquam pretio, sive tamquam principali ad dandum motivo. 458

7°. Can. *Salvator* 1. q. 3. Urbanus Papa dicit: *Qui res ecclesiasticas, non ad hoc ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra, munere linguæ, vel inæbiti obsequii, vel pecuniæ largitus est, vel adipiscitur, simoniacus est; cùm principalis intentio Simonis fuerit sola pecuniæ avaritia.* 459

8°. Ecclesia ex dictis n. 450. semper pro simoniacis habuit eos, qui pecuniâ comparant ecclesiastica beneficia, vel ministeria, absque distinctione pecuniæ tamquam pretii, vel tamquam motivi, &c. 460

9°. ad usuram non requiritur pactum dandi vel recipiendi aliquid ultra sortem, ut constat ex dictis de usura: igitur ad simoniam similiter non requiritur pactum dandi vel accipiendi temporale pro spirituali. Siquidem, ut Sotus ait l. 9. q. 7. a. 3. concluf. 1. *propemodùm quod usura est in temporalibus, id in spiritualibus est simonia. Et quidquid exhibitum pro re mutuata in rebus temporalibus usuram constituit, si exhibeatur pro re spirituali collata vel conferenda, simoniam constituit,* ait Summa Corona p. 3. tr. de simon. n. 11. 461

10°. vix est Christianus adeò depravatæ mentis, ut credat, & velit rem spiritualem temporali adæquare, tamquam justo illius pretio; aliàs simonia vix unquam sine hæresi reperiretur) cùm tamen simoniacos S. Thomas neget propriè & per se esse hæreticos) sed semper, vel utplurimùm, qui pecuniis beneficia comparant, hoc solum intendunt, pecuniâ Collatorum animos provocare ad sibi conferendum beneficium ecclesiasticum, caventque pecuniam offerre ut pretium, emptionisque & venditionis nomine uti; speciosioribus utuntur nominibus, nec tamen excusantur. Quia, ut Innocentius III. ad Episcopum Cantuariensem scribit, *in tantum, peccatis exigentibus, corda quorumdam simoniaca pravitas depravavit, ut in exterminium Canonicæ sanctionis, & elusionem quodammodo divini judicii, lucris temporalibus inhiantes .... simo-* 462

niam sub honesto nomine pallient, quasi, mutato nomine, culpa transferatur & pœna. Verùm nec Deus (secundùm Apostolum) irridetur, nec tales Simonis sectatores, etsi temporalem in præsenti forsan eludant, in futuro pœnam effugient sempiternam: cùm nec honestas nominis, criminis malitiam palliabit, nec vox poterit abolere reatum.

463 Propterea Facultas Lovanienſis anno 1657. ad inſtantiam Epiſcopi Gandavenſis, hanc reprobavit propoſitionem: *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi ſpirituale; vel etiam quando temporale ſit ſolùm compenſatio gratuita pro ſpirituali, aut econtrà. Imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur quàm res ſpiritualis.* Quam etiam propoſitionem Epiſcopus Namurcenſis anno 1659. cum ſua Synodo, ſicut & alias ſexdecim reprobavit, tamquam novas, periculoſas, & ſalutis animarum deſtructivas. Eamdem plures etiam Epiſcopi Galliarum improbarunt. Archiepiſcopus Senonenſis in cenſura anni 1658. *Hæc* (inquit) *doctrina, quæ ſimoniæ contra jus divinum crimine eos omnes liberat, qui pecuniam propter ſacerdotia vel dederunt, vel acceperunt, modò pecunia motivi locum habeat, non pretii, tota falſa, nefaria, impia eſt; hæreſim ſimoniacam, toties à ſacris Conciliis & Pontificibus damnatam, ſubdolè renovans, & adimplendam lupis Eccleſiam, & corrumpendam ejus in ipſo fonte, hoc eſt Sacerdotum ordine, ſanctitatem inventa.* Epiſcopus quoque Cadurcenſis eodem anno: *Hæc doctrina falſa eſt, erronea, ſcandaloſa, pernicioſa, ſacris Canonibus contraria, atque ad ſimoniam quamcumque aditum aperiens.* Iiſdem penè verbis eam confixerunt Vicarii Generales Eccleſiæ Pariſienſis, addentes eam ab Innocentio III. damnatam fuiſſe in Concilio Lateran. cap. 63.

464 Poſtremò Facultas Theologica Pariſienſis eodem anno: *Hæc* (inquit) *propoſitio, quâ Author Apologiæ Caſuiſtarum pretendit, eum qui mente fixum teneret propoſitum actuale, vel habituale, nunquam rem ſpiritualem adæquandi cum re temporali, neque credendi hanc eſſe poſſe pretium illius, non commiſſurum ſimoniam juris divini, conferendo rem ſpiritualem in recognitionem rei temporalis: eſt falſa, temeraria, pernicioſa, ſcandaloſa, aditum aperiens ad ſimoniam quamcumque contra jus divinum.*

465 Dicendum 2°. accipere temporale pro ſpirituali, tamquam finem vel motivum principale dandi ſpirituale, vera eſt ſimonia juris divini & humani. Ita Gerſon in tract. de ſimonia. Eſtque communis ſententia veterum Theologorum & Canoniſtarum, teſte Suarez l. 4. de ſimonia c. 3. Ita enim (inquit) tenet Gloſſa, Hoſtienſis, Panormitanus, Navarrus, S. Thomas, Cajetanus, Major, Durandus, Altiſiodorenſis, Adrianus, Corduba, &c.

466 Enimverò S. Thomas in 4. diſt. 25. q. 3. a. 3. docet, quòd ſi Judex Eccleſiaſticus ſententiam tulerit ex motivo accipiendi aliquid temporale, *apud Deum, qui cor videt, ſimonia eſt, & in parvis, & in magnis rebus, ſi animus Judicis ex eis flectatur.* Item quòd ille qui dat aliquid ſpirituale pro favore vel laude acquirenda, non eſt dubium quin ſimoniam committeret. Et ideò *quando preces fiunt pro indigno, ſi nihil aliud movet niſi favor, manifeſtè ſimonia committitur, ſi propter hoc beneficium Eccleſiaſticum detur. Si autem pro digno fiant, quantum ad judicium hominum probabile eſt quòd dans magis moveatur intuitu dignitatis perſonæ, quàm favore precum, vel timore rogantis, & ideò non reputatur ſimonia. Si tamen principaliter moveatur favore precum, vel timore rogantis, quantum ad judicium divinum ſimoniam committit, & rogatus, & rogans.* Similiter 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5. ait eſſe ſimoniam, pecuniâ ſibi parare viam ad rem ſpiritualem obtinendam. Et a. 5. ad 1. eſſe ſimoniam, ſi Epiſcopus det alicui beneficium ob temporalia obſequia, ſibi vel conſanguineis ſuis exhibita. Et ad 2. *Si aliquis dat beneficium Eccleſiaſticum alicui hoc pacto, vel intentione, ut exinde ſuis conſanguineis provideat, eſt manifeſta ſimonia.* Et ad 3. *Munus à lingua dicitur vel ipſa laus pertinens ad favorem humanum, qui ſub pretio cadit, vel etiam preces ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideò ſi aliquis principaliter ad hoc intendit, ſimoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit: unde ipſum factum eſt ſimoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipſum factum non eſt ſimoniacum: quia ſubeſt debita cauſa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, ſpirituale aliquid confertur. Tamen poteſt eſſe ſimonia in intentione, ſi non attendatur ad dignitatem perſonæ, ſed ad favorem humanum. Si verò aliquis pro ſe rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus: & ſic preces ſunt pro indigno. Licitè tamen poteſt aliquis, ſi ſit indigens, pro ſe beneficium Eccleſiaſticum petere ſine cura animarum.*

Dices tamen 1°. S. Thomas citatâ q. 100. 467
a. 5. ad 2. in 4. diſt. 25. q. 3. a. 3. ad 7. & quodlib. 5. a. 23. dicit quòd *ſimonia circa emptionem & venditionem conſiſtit.* Et ideò *ſi Prælatus intendit obligare eum, cui dat beneficium Eccleſiaſticum, ad aliquam recompenſationem, faciendam ſibi, vel ſuis conſanguineis, intentio ſimoniaca eſt. Si verò non intendit eum obligare, ſed intendit quòd ille ſibi, vel ſuis, ſponte temporaliter recompenſet, eſt quidem prava intentio & carnalis, ſed non ſimoniaca.* Reſpondeo S. Thomam ibi nomine venditionis & emptionis intelligere omnem dationem & receptionem non gratuitam; ſiquidem q. illâ 3. a. 3. expreſsè dicit, quòd *quicumque pro aliquo temporali commodo dat aliquid ſpirituale, vel annexum, ſimoniam committit.* Unde cùm

addit, quòd Prælatus non intendens obligare ad recompensationem faciendam, non est simoniacus, non loquitur de obligatione justitiæ, sed vel justitiæ, vel gratitudinis, vel cujuscumque moralis coactionis, vel quasi coactionis, ita ut dans non det omninò spontaneè, nec purè gratis. Nec tamen S. Doctor à culpa excusat intentionem accipiendi recompensationem spontaneam & gratuitam: cùm eam pravam & carnalem vocet; sed solùm excusat à culpa simoniæ.

468 Dices 2°. qui dat pauperibus eleëmosynam, ut orationis ipsorum suffragia impetret, juxta S. Doctorem q. 100. a. 3. ad 3. non est simoniacus, si non intendat suffragia illa emere, sed animos pauperum dumtaxat ad ea per gratuitum beneficium provocare: quamvis eleëmosynam aliàs daturus non esset. Similiter ergo qui aliquid temporale dat Collatori beneficii, ut spirituale beneficium ab ipso impetret, si non intendat illud emere, sed per gratuitum donum Collatoris animum dumtaxat provocare, non est simoniacus.

Respondeo negando consequentiam: quia dantes eleëmosynam pauperibus, ut orationum suffragia ab ipsis impetrent, in nullo derogant orationum istarum excellentiæ, nec ordini divinæ providentiæ: quia illas non exigunt nisi titulo eleëmosynæ spiritualis, gratis & ex charitate præstandæ pro spiritualibus necessitatibus suis, secundùm ordinem divinæ providentiæ, quæ vult divites spiritualibus precum eleëmosynis juvari à pauperibus quos corporalibus eleëmosynis juvant. Qui verò pecuniis Collatorum animos provocant ad beneficium Ecclesiasticum sibi conferendum, derogant excellentiæ beneficii spiritualis, illud contra divinæ providentiæ ordinem faciendo servire suis vel alienis cupiditatibus, tractandoque velut comparabile rebus temporalibus.

469 Dices 3°. temporale pro spirituali acceptum, vel datum, per modum gratitudinis, non continet simoniam, juxta caput 30. de simonia, ubi Innocentius III. dicit: *Illud gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione pretii gratis oblatum.* Ergo solum datum vel acceptum per modum pretii simoniam continet.

Respondeo negando consequentiam: tametsi enim datum vel acceptum receptione omninò gratuitâ non sit simoniacum: secus datum vel acceptum datione & receptione onerosâ, sive non omninò gratuitâ, quam Innocentius III. intelligit per dationem vel receptionem cum pretii taxatione; pretii nomen latè accipiendo. Idem namque Pontifex ibidem cap. 34. disertè ait, quòd *qui absque pacto vel conditione bona sua offert Ecclesiæ, rogans humiliter in Canonicum admitti, si eâ intentione ducatur, ut per temporalia bona quæ offert, spiritualia valeat adipisci, simonia est.*

CAPUT LVI.

Simoniæ malitia explicatur.

SImoniam ex genere suo esse malam S. Thomas q. 100. a. 1. & in 4. dist. 25. q. 2. a. 2. q. 1. probat ex triplici capite. 1°. quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari, ut de sapientia dicitur Prov. 3. *Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Unde etiam Petrus in ipsa sui radice simoniacam pravitatem condemnans dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* 470

2°. *id non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est dominus. Prælatus autem Ecclesiæ non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator, juxta illud 1. Cor. 4.* Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. 471

3°. quia venditio, id est datio non gratuita, repugnat spiritualium origini, quæ est gratuita voluntas Dei. Unde & Dominus dicit Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Et ideò aliquis spiritualia non gratis donans, sed pro re temporali, *irreverentiam exhibet Deo, & rebus divinis, propter quod peccat peccato irreligiositatis*, injuriamque gratiæ facit, qui eam gratis non dat: quia gratia ex hoc nomen accepit, quòd gratis datur. 472

Ex secundo capite, de quo num 471. petitur malitia simoniæ, consistentis in permutatione unius rei spiritualis absque legitima authoritate facta cum alia re spirituali: tametsi enim sic permutans, non appretiet rem spiritualem pretio temporali; eam tamen perinde tractat, ac si foret ejus dominus, de ea disponendo contra voluntatem Domini, scilicet Dei. 473

CAPUT LVII.

Simoniæ multiplex divisio.

SImonia dividitur 1°. in mentalem, conventionalem, & realem. *Mentalis* est quæ solo animi consensu perficitur, absque exteriori pacto, vel manifestatione intentionis simoniacæ. *Conventionalis* est quæ fit cum exteriori conventione, seu pacto explicito, vel implicito, sed conventio illa nondum est executioni mandata, saltem ex utraque parte: vel quia pecunia v. g. nondum est data: vel quia beneficium nondum collatum. *Realis* est illa, in qua tria hæc actu concurrunt, pactio, seu conventio mutua, rei temporalis traditio (vel saltem partis illius) & receptio rei sacræ. 474

Ad conventionalem pertinet *simonia confidentiæ*, in eo consistens, quòd beneficium conferens, vel resignans, Collatarium, vel resignatarium obliget, ut illud sibi, vel alteri (v. g. suo nepoti) suo tempore postea resignet, vel fructus aut pensionem sibi vel alteri præstet. Inde enim confidentialis dicitur, quòd conferens vel resignans isti fidat conventioni, & in vim illius beneficium ipsum, vel fructus 475

illius, pensionemvè pro se vel alio expectet.

476 Dividitur 2°. in simoniam juris divini & humani. Simonia juris divini est illa quæ jure divino vel naturali prohibetur, ut venditio rei sacræ quatenùs talis. Unde ille qui pluris vendit calicem consecratum, quà talem, simoniacus est simoniâ juris divini & naturalis. Simonia juris humani est, quæ solo jure humano, seu ecclesiastico prohibetur. Sunt quidem Authores (inquit Sylvius hîc a. 1. q. 2.) qui divisionem allatam non approbant, existimantes nullam esse simoniam, quæ jure tantùm humano prohibeatur. Verum discordia videtur esse de nomine. Non enim asseritur quòd aliqua sit simonia, in qua propriè & perfectè reperiatur ratio simoniæ, & tamen solùm prohibeatur jure humano; sed dicitur esse aliquod vitium, habens similitudinem, & participans imperfectam rationem simoniæ. Quod ideò dicitur simonia, non naturali, sed positivo jure prohibita. Talis est acceptio pecuniæ pro examine ad Ecclesias particulares, de qua Tridentinum sess. 24. de reform. c. 18. *Caveant* (inquit) *ne quidquam prorsus, occasione hujus examinis, nec antè, nec post accipiant, alioquin simoniæ vitium, tam ipsi, quàm alii damnes incurrant*; licèt examen istud non sit res sacra; nec proinde acceptio pecuniæ pro illo, jure divino sit prohibita; sicut nec venditio officiorum Oeconomi, Advocati, Sacristæ alicujus Ecclesiæ, quæ tamen simoniaca dicitur can. *Salvator* 1. q. 3. licèt officia illa secundùm se temporalia sint. Et ratio est, quia sola Ecclesiæ ordinatio efficere potest, ut res ex natura sua temporalis, adeòque vendibilis, in reverentiam rei sacræ, cui aliquo modo deservit, licitè vendi nequeat, ejusque venditio redundet in violationem sanctitatis rei sacræ, prout efficit in casibus memoratis.

477 Dividitur 3°. in simoniam muneris à manu, ab obsequio, & à lingua. Hæc divisio habetur citato canone *Salvator*, & can. *sunt nonnulli* 1. q. 1. traditurque à S. Petro Damiani suprà num. 456. sicut & à S. Gregorio VII. c. 6. Registri epist. 34. recipiturque à S. Thoma in 4. dist. 25. q. 3. a. 3. & 2. 2. q. 100. a. 5. necnon ab omnibus passim Theologis. *Munus à manu*, est pecunia, vel res quæcumque pretio æstimabilis. *Munus ab obsequio*, est obsequium ab aliquo exhibitum eâ intentione, vel pacto, ut beneficium Ecclesiasticum ipsi conferatur, ut si Nobilis aliquis Capellano suo, vel filiorum suorum Præceptori beneficium stipendii loco conferat, vel promittat. *Munus à lingua*, est favor, adulatio, preces in gratiam alicujus factæ, præsertim si indignus sit, uti suprà vidimus ex S. Thoma.

CAPUT LVIIII.

Casus, quibus Simonia incurritur.

478 PRimò incurritur, quoties aliquid temporale exigitur pro ipsis rebus vel functionibus sacris, v. g pro administratione Sacramenti, celebratione Missæ, consecratione Ecclesiæ, concione, catechesi, &c. sicut & pro labore functionibus illis intrinseco. Ita S. Thomas in 4. dist. 25. q. 5. tametsi spiritualia ministrans jure divino humanoque aliquid exigere possit titulo sustentationis: *Dignus est enim operarius cibo suo.* Matth. 10. Et *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* 1. Cor. 9. Et hoc titulo aliquid exigi potest, à petentibus Missam pro se celebrari. Aliquid etiam exigi potest pro labore extrinseco, per accidens conjuncto rei spirituali, v. g. pro itinere plurium leucarum ad baptizandum infantem. Sed pro ipso baptismo, vel pro redimenda injusta vexatione Sacerdotis nolentis conferre baptismum, in extrema illius necessitate, nisi pecuniâ interveniente, non licet eam dare, quidquid plures dixerint, aientes, tunc pecuniam non dari pro baptismo ipso, sed pro removenda alterius injustitia. Contrà est enim quòd pecuniam dare pro removenda illa injustitia, sit eam dare pro ipsa collatione baptismi; siquidem injustitia alterius consistit in ipsa injusta negatione, quæ non removetur nisi per ipsam collationem isti negationi oppositam. Et ideò S. Thomas q. 100 a. 2. ad 1. *In casu* (inquit) *necessitatis quilibet potest baptizare. Et quia nullo modo est peccandum, pro eodem est habendum, si Sacerdos absque pretio baptizare non velit, ac si non esset qui baptizaret. Unde ille qui gerit curam pueri, licitè potest eum baptizare, vel à quocumque alio facere baptizari.* Posset tamen licitè aquam à Sacerdote emere, quæ est purum elementum corporale. Si autem esset adultus, qui baptismum desideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos vellet sine pretio baptizare, deberet, si posset, per alium baptizari. Quòd si non posset ad alium habere recursum, nullo modo deberet pretium pro baptismo dare, sed potiùs absque baptismo decedere: suppleretur enim ei ex baptismo flaminis, quod ei ex Sacramento deesset.

Secundò, simoniacum est aliquid dare vel 479
recipere pro dispensatione in votis, juramentis, vel pro quovis usu potestatis spiritualis. Episcopisque & inferioribus Prælatis Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 18. de reform. prohibet aliquid pro dispensationibus exigere, non tantùm per modum pretii, sed & quovis alio titulo. Et sess. 21. cap. 1. prohibet ne Episcopi, eorumvè Ministri pro litteris dimissoriis, vel testimonialibus, pro sigillo, aut alia quacumque de causa, ad Ordinem pertinente, quidquam accipiant, etiam sponte oblatum, exceptis Notariis, iis in locis, ubi est consuetudo aliquid accipiendi; eò quòd nullum ipsis salarium aliunde sit constitutum.

Tertiò, simonia est aliquid accipere, dare, 480
vel exigere pro admissione ad Religionem, vel Professionem. Constat ex can. 19. Concilii Nicæni II. can. 9. Concilii Lateran. sub Alex. III. cap. *non satis*, cap. *veniens*, cap. *de Regularibus*, & cap. *quoniam simoniaca* de simonia.

481 Si tamen Monasterium sit ita tenue, quòd non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressus in Monasterium est exhibendus; *sed accipere licet aliquid pro victu personæ quæ in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes.* Verba sunt S. Thomæ ubi suprà a. 3. ad 4. Qui etiam in 4. dist. 23. q. 3. a. 3. q. 2. ad 7. ait, quòd *cùm possessiones alicujus loci Religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, potest exigi ab eo, qui in loco illo vult Deo servire, non quasi pretium Religionis, sed ut habeat Monasterium unde ei possit providere; & ideò non committitur simonia. Si autem sine gravamine Ecclesiæ potest recipi, simoniacum est aliquid pro receptione exigere.*

482 S. Thomæ concinit S. Bonaventura in Apologetico adversus illos qui Ordini Fratrum Minorum adversantur, q. 18. dicens: *Quando quis recipitur non pro pecunia, nec tamen reciperetur sine pecunia, eò quòd non habent aliter ei qui eum recipiunt, providere: cùm tenues facultates domûs vix sufficiant jam receptis, nec ad eas audeant plures recipere, & istos suis necessitatibus spoliare; ita quòd ista persona, quæ sic recipitur, si abundaret locus, sine pecuniis reciperetur.... non videtur esse simonia, dummodò forma cum intentione concordet. Similiter aliquis duxit uxorem, propter divitias & nobilitatem ejus quæ habet nasum; nec tamen propter hoc ducit eam, quia nasum habet; quam tamen si naso caruisset, nullatenùs duxisset. Et hoc non est impurum.*

483 Idem antè tradiderat Petrus Cantor in verbo abbreviato c. 38. *Si Monasterium eguerit, ita quòd offerentem se illi sine pecunia recipere non possit, vel sustentare... in exceptionem paupertatis suæ, & sustentationem vitæ illius, exigere potest ab eo, ut eum recipiat,* &c.

484 Et post Petrum Cantorem, Doctoresque Angelicum & Seraphicum, S. Raymundus l. 1. tit. 1. §. 22. *Si Monasterium esset adeò tenue, vel paupertate depressum, quòd reditus vel vix, vel non sufficerent personis præsentibus, non solùm intentionem possent habere; sed etiam credo quòd possint dicere: Non sufficiunt nobis; libenter te suscipimus ad spiritualia; ad temporalia non possumus, nisi habeamus plures possessiones. Et tunc ille offerat se & sua,* extr. de simonia cap. *tua. Quod autem dicitur in Constitut.* extr. eod. *quoniam* versu *paupertatis prætextu, intelligitur, cùm hoc dicebant in fraudem. Unde consulendum esset ingredientibus, quòd in hoc fundarent intentionem suam, aut principaliter darent propter Deum, & ne essent onerosi domui.* Argum. 16. q. 6. de lapsis.

485 Ita etiam S. Antoninus p. 2. c. 5. §. 18. Et concordat responsum S. Facultatis Parisiensis, quod refert Dionysius Carthusianus l. 2. de simonia hisce verbis: *Ubi Monasterium est ita tenue, quòd femina quæ recipi petit, non posset de bonis ipsius Monasterii sustentari sine penuria, oblatis gratis spiritualibus, & receptione personæ liberè factâ ad spiritualia, si persona illa sic recepta habeat bona temporalia, de quibus.... potest disponere, & ea Monasterio conferre, tunc potest ab ea aliquid peti solùm pro necessitate sui victûs, sine fraude, ut habeat Monasterium, unde ipsi providere possit.*

Concordant denique Glossa in cap. *quoniam* de simonia verbo *paupertatis*. 486 Cardinalis de Luca Regular. to. 1. tr. 3. parte 1. n. 8. Illustrissimus Genetus Episcopus Vasionensis in sua Morali Gratianopolitana to. 6. Prosper Fagnanus in 1. p. tertii Decretal. ad cap. *non amplius* de Institut. Estque sententia ista adeò communis, ut de contraria Cardinalis de Luca testetur, quòd *passim rejecta est*, eique contrarium *docet praxis inconcussa, ipsâ Sede Apostolicâ non solùm approbante, sed etiam prohibente ne Monasterium, quantumvis volens, solitam dotem remittere vel diminuere valeat.* Estque praxis illa à pluribus etiam Conciliis approbata, videlicet à Mediolanensi I. & II. sub S. Carolo Borromæo. Avenionensi anni 1594. c. 50. Senonensi anni 1528. tit. de Decretis morum c. 28. Turonensi anni 1583. tit. de Monialibus.

Dixi, *si Monasterium sit tenue*: si enim 487 adeò dives sit, ut ex postulantis receptione non gravetur, juxta S. Thomam suprà relatum, simoniacum foret aliquid exigere, Quod pluribus argumentis probatum videri potest apud Genetum ubi suprà tr. 2. p. 199. & seqq. Tametsi plurium Casuistarum opinio sit in contrarium.

Quartò, simoniacum est pro verbi divini 488 prædicatione pretium exigere, vel prædicare principaliter ad acquirendam sibi laudem vel favorem hominum. Ratio prioris partis est, quia divini verbi prædicatio est ministerium spirituale; pretio proinde inæstimabile. Stipendia tamen sustentationis Prædicatoribus deberi docet Apostolus 1. Cor. 9. Docent & Augustinus l. de opere Monach. c. 26. Gregorius Magnus l. 19. Moral. c. 10. & S. Thomas q. 100. art. 3. ad 2.

Ratio posterioris partis est, quia hoc non 489 est gratis verbum spirituale conferre, sed pro munere linguæ. Unde V. Beda relatus can. *non solum* 1. q. 3. *Venditores sunt columbarum* (inquit) *& domum Dei faciunt domum negotiationis, qui gradum vel gratiam in Ecclesia spiritualem, quam Domina largiente perceperunt, non simplici intentione, sed cujuslibet humanæ causâ retributionis exercent, contra illud Petri Apostoli:* " Qui loquitur, quasi " sermones Dei, qui ministrat, tamquam ex " virtute quam administrat Deus, ut in omni- " bus honorificetur Deus per Jesum Christum. "

Quintò, simoniam committunt Parochi, 490 qui Sacramenta, quæ sunt de necessitate salutis, ministrare nolunt, nec corpus sepelire, nisi acceptâ satisfactione debitæ sustentationis. Quia nolle ministrare Sacramenta, ad salutem necessaria, nisi accepta sustentatione, *habet quandam venditionis speciem*, inquit S. Thomas q. 100. a. 3. subjungens, debere prius

gratis

gratis ea exhibere, eoque facto statutas & consuetas obventiones exigere à valentibus solvere; &, si opus sit, ad hoc Superioris authoritatem interponere.

491 Sextò, simoniacum est aliquid exigere pro responsis, aut resolutionibus immediatè datis ad spiritualem animæ directionem, conscientiasque pacandas: tametsi secus dicendum videatur de resolutione merè doctrinali, ut bene Suarez. Si enim aliquid accipere vel exigere licet pro actu docendi Theologiam, ut fit in scholis (prout Doctores communiter tradunt) quidni similiter, &c. Tales namque actus & resolutiones non sunt actus potestatis spiritualis, uti concio sacra, sed doctrinales instructiones.

492 Septimò, simoniaci sunt Canonici, qui Chorum frequentant principaliter propter distributiones. Ita S. Thomas quodlib. 8. q. 6. a. 1. ubi sic: *Si hujusmodi distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habeat principalem finem, Deum in tali actu, ad hujusmodi autem distributiones respicit secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id quod est necessarium ad suam sustentationem, constat quòd non vendit actum spiritualem, & ita simoniam non committit.*

CAPUT LIX.

Simonia multiplex in beneficiis Ecclesiasticis.

493 PRimò, simonia est in beneficiis ecclesiasticis emere vel vendere, non solùm officium spirituale (uti constat ex multis canonibus 1. q. 3. & tit. de simonia) verùm etiam jus ad recipiendos temporales beneficii reditus. Eò quòd ex dispositione juris, & ipsa beneficiorum institutione, sic annexi sint officio spirituali, ut nemini competere possint, nisi ratione talis officii. Et ideò *quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*, ait Paschalis Papa cap. *siquis objecerit* 1. q. 3. *Nullus ergo* (prosequitur) *emat Ecclesiam, vel præbendam, nec aliud beneficium Ecclesiasticum.*

494 Ad cujus evidentiam notandum ex S. Thoma q. 100. a. 4. rei spirituali aliquid temporale posse dupliciter annecti, nimirum antecedenter, & consequenter. Antecedenter annectitur, quod est naturâ prius, & ab ipsa independens, ut sunt v. g. calices, jus patronatûs Laici, quæ non præsupponunt rem spiritualem, sed eam antecedunt tempore vel naturâ, etsi ad eam aliquo modo ordinentur, calices ad consecrandum, jus patronatûs Laici ad præsentandum ad beneficia Ecclesiastica. Dico *patronatus Laici*, quia patronatus Ecclesiasticus præsupponit titulum vel officium spirituale, v. g. Episcopatum, Decanatum, &c. Consequenter annectitur, quod per rem spiritualem, & nonnisi eâ mediante acquiritur, ab eaque proinde dependet.

495 Res temporales rei spirituali antecedenter annexæ, seclusâ quidem Ecclesiæ prohibitione, licitè venduntur, ut calices, modò eorum pretium propter cohærentiam cum re spirituali non augeatur. Quia cùm non dependeant à re spirituali, iis venditis vendita non intelligitur res spiritualis, inquit S. Thomas. Ob Ecclesiæ tamen prohibitionem, jus patronatûs Laici vendi non potest, cap. *de jure* tit. de jure patronatûs. Videatur S. Thomas ad 3. Verùm res temporales rei spirituali consequenter annexæ, pretio temporali vendi non possunt: quia *illis venditis, etiam spiritualia venditionis subjici intelliguntur*, ait S. Doctor: eò quòd utique jus ad temporalia beneficii nequeat transferri, nisi translato titulo spirituali, ex quo jus illud provenit, & à quo proinde dependet.

Unde S. Petrus Damiani l. 5. epist. 3. refutans nonnullos sui temporis Clericos, aientes talia commercia licita esse, dicit eos dogmatizare perversa, divinæque legis justitiam violare. Et l. 1. epist. 13. commercium istud vocat *emptionem rei Dei, contra legem Dei*; & non semel asserit, non prædiorum dumtaxat, sed ipsius etiam dignitatis Ecclesiasticæ esse emptionem. Quod variis probat argumentis. 496

Apud Hugonem quidem à S. Victore dicunt, qui talia exercent commercia. *Ego in Ecclesia victum & vestitum emi, Ecclesiam non emi; stipem emi, præbendam non emi; corporalia tantùm emi, spiritualia non emi; nec emere volui.* Verùm etiamsi expressam fortè intentionem non habeant emendi spiritualem beneficii titulum; implicitam eo ipso habent, quo emere volunt jus ad proventus temporales; quod legitimum esse non potest, nisi quatenus ex eo titulo provenit. 497

Secundò, simonia est, siquis beneficium ludo exponat contra pretium temporale; vel hoc modo spondeat, *depono centum aureos, quòd non audeas tale mihi dare beneficium*; vel si polliceatur se talem summam daturum titulo donationis, vel gratuitæ recognitionis, si beneficium ipsi conferas, vel efficias ut conferatur. Quia, præter hactenus dicta, ista non sunt nisi simoniæ palliamenta; estque generalis regula, quòd in acquisitione beneficiorum & officiorum spiritualium omnis pactio & conditio, quæ de jure non inest (id est que aliàs non est jure debita) cessare debeat, cap. finali de pactis. Idque adeò verum est, ut non solùm simoniaca sit pactio dandi vel recipiendi temporale pro spirituali: verùm etiam pactio dandi vel recipiendi aliud spirituale pro illo, v. g. *Elige me in Provincialem, & ego eligam te in Priorem. Da mihi talem Episcopatum, vel Prioratum, & ego ad intentionem tuam, tot centenas Missas exolvi faciam.* cap. *quæsitum* de rer. permut. Ita Navarrus, Suarez, &c. Unde *cum Episcopus Exontensis Archidiacono beneficia, & cuidam Clerico, ante electionem suam, Prioratum diceretur promisisse, ut uterque consentiret eidem,* 498

Decernit Pontifex *quòd si manifestum est eundem Archidiaconum & Clericum, ob causam illam promissa recepisse, aut exinde confessi fuerint in jure, vel legitimè convicti, ab altaris ministerio sunt perpetuò deponendi*, cap. *de hoc autem* de simonia.

499 An autem liceat in ludo exponere preces contra præmium temporale? Affirmat Joannes Pontius in Cursu Theolog. disp. 56. q. 3. conclus. 3. n. 96. Negat Cardinalis de Lugo apud Dianam p. 11. tr. 6. resol. 9. ob simoniæ periculum, cui obnoxia est praxis contraria.

500 Tertiò, simonia est aliquid temporale mediatè vel immediatè dare vel recipere pro collatione, vel electione, præsentatione ad beneficium, vel ad officium ecclesiasticum, & generaliter pro quacumque actione, per quam jus, etiam inchoatum, acquiritur ad beneficium illud, vel officium. Est sententia omnium.

Dixi, *mediatè vel immediatè*. Quia nec mediatori aliquid dare vel promittere sine simonia potes, ut suâ sollicitatione, intercessione, vel commendatione apud Collatorem efficiat, ut beneficium tibi conferatur. Ita Navarrus c. 23. & Binsfeldius Enchirid. p. 4. c. 5.

501 Quintò, ut beneficiorum permutatio omni careat labe simoniæ, tria requiruntur. 1°. ut fiat coram legitimo Superiore, juxta dicenda infrà de beneficiis. 2°. ut conditiones omnes, oneraque hinc inde à permutantibus imposita, Superiori fideliter aperiantur. Aliàs permutandi facultas non censebitur jure concessa, sed per surreptionem, adeòque invalidè obtenta. Medina Instruct. l. 1. c. 14. §. 22. & Doctores communiter. 3°. ut dum beneficia quoad dignitatem inæqualia sunt, ratione dignitatis nihil amplius exigatur, aut detur, quasi in illius compensationem. Medina ibidem. Si autem beneficia inæqualia sint quoad reditus temporales, idem Author, cumque ipso Cajetanus q. 100. a. 4. Sotus l. 9. q. 7. a. 2. aliique plures existimant, excessum compensari posse aliquâ pensione, à legitimo Superiore approbatâ. Id tamen non admittit Navarrus c. 23. n. 100.

502 Sed quid ad casum sequentem: Titius senior Parochus, & Cajus junior Capellanus, Capellaniæ nullius ferè valoris, prætendunt sua inter se beneficia permutare, scilicet Curam parochialem æstimatam sexcentis florenis regiis, cum dicta Capellania, ita tamen ut Titius ratione talis permutationis nimium patiens temporale dispendium, velit pensionem annuam 200. florenorum totâ vitâ suâ certò sibi solvi, etiam in casu quo Cajus ipsi præmoriatur. Potestne talis permutatio licitè fieri, etiam authoritate solius Episcopi?

Affirmant aliqui: quia licèt solus Papa per se & generaliter loquendo possit beneficiis pensionem imponere; in nonnullis tamen casibus ob specialem causam (v. g. propter paupertatem & senium resignantis; ob litis compositionem; aut ad coæquandos fructus in permutatione beneficiorum) id potest Episcopus, ut docet Layman l. 4. resol. 2. c. 18. n. 3.

503 Verùm in casu proposito talis permutatio beneficii optimi, cum beneficio nullius valoris, quod vocant *de pertica*, vulgò *blanc cheval*, non videtur licita: quia praxis illius videtur histrionatum sapere. Fictè enim similes ineuntur permutationes, eò quòd nonnisi fictè similia possideantur beneficia. Unde nec compermutans, post permutationem peractam, curat eorum possessionem adipisci, uti videre est apud Boëtium Epo de Saturnal. benef. permut. ad cap. *quæsitum* de rer. permut. n. 54. & seqq.

504 Accedit quòd pensiones super beneficiis simplicibus non possint nisi à Summis Pontificibus approbari, nec contrarium in Belgio est usu receptum. Et ratio est, quia Collatores, mortuo proviso, non desinunt conferre beneficium ut liberum, uti praxis ostendit.

505 Super beneficiis autem Curatis pensionem imponere non licet, nisi ad vitam resignatarii, aut ejus ulterioris resignatarii, non verò provisi per obitum, prout testantur Charondas 1. respons. c. 24. & Ann. Rob. 1. Rer. jud. 7. circa finem annot. ad Paponem l. 3. tit. 5. art. ult. ob rationes multas & optimas ex jure communi & patrio desumptas, propter quas sic practicatur à Collatoribus, & à Judicibus judicatur; ita ut cliens contrariâ resolutione deciperetur, nec optatum consequeretur effectum.

Sextò, in resignatione beneficiorum variis modis intervenit simonia. 1°. si resignatio sit triangularis, vel quadrangularis, ut si Joannes resignet beneficium suum in favorem Petri, ut Petrus suum resignet in favorem Pauli, & Paulus suum in favorem prænominati Joannis. 2°. si resignatio sit reciproca coram Ordinario, ut si Petrus resignet in favorem nepotis Pauli, & Paulus suum in favorem nepotis Petri. Quia in his intervenit pactio obligans ad id quod jure non inest. Omnis autem pactio ejusmodi ex dictis n. 495. est simoniaca. 3°. si resignatio coram Ordinario fiat, obligando ipsum ad conferendum alicui tertio, post resignationem nominando, ob eandem rationem: secùs si tantùm supplicando, vel citra obligationem resignando in favorem tertii, & non aliter. Quia tunc propriè non intervenit pactio, nec Ordinario imponitur obligatio promittendi, sed resignatio tantùm fit sub conditione, quam si Ordinarius non acceptet, res manet infecta. Aliunde sic resignans nihil temporale dat vel recipit pro spirituali, sed solùm declarat se renuntiare beneficio, si Collator velit illud conferre Petro; non renuntiare, si nolit. Unde Episcopus per hoc non obligatur ad aliquid indebitum: quia jure non potest beneficium illud alteri conferre, quamdiù beneficiatus illi non renuntiat. Ita Sotus l. 9. q. 7. a. 2. & Theo-

logi passim, contra Navarrum, & Canonistas communiter, aientes, simoniacam non esse resignationem beneficii in favorem tertii, cum clausula, nec aliter, nec aliàs, si fiat in manus Papæ; secùs si fiat in manus Ordinarii. Hujusmodi tamen resignatio ut simoniæ labem evadat, habere debet conditiones n. 498. requisitas in permutatione; nimirùm, ut fiat coram legitimo Superiore, cui conditiones, tam beneficii, quàm pensionis (quando resignatio sub pensione fit) & onerum hinc inde appositorum fideliter aperiantur. Qua in re graviter peccant, qui apud Pontificem augent beneficii fructus, ut largam obtineant pensionem, subreptitièque & invalidè eam obtinent. Molanus in practica tr. 2. c. 41. 4°. simoniam incurrit, qui privatâ authoritate pensionem sibi reservat in resignatione, vel etiam in permutatione, etiam pinguioris beneficii cum minùs pingui. Solius enim Papæ authoritate pensionis reservatio fieri potest, saltem regulariter loquendo; eò quòd fructus, seu reditus beneficiales taliter annexi sint certo titulo spirituali, ut nemini deberi possint, nisi eo spirituali titulo. Ut ergo debeantur alicui titulum illum dimittenti, necesse est reditus illos à titulo separari: quod solus Papa facere potest, non Episcopus, regulariter loquendo. 5°. simoniam incurrit, qui sine consensu Papæ apponit onus redimendi pensionem in resignatione, vel permutatione reservatam, vel cum pacto ut pensio extinguatur per talis vel talis beneficii collationem, vel procurationem. Cùm enim pensiones rei cujusdam temporalis naturam induant (utpote quæ cum Papæ licentia redimi possunt) pensionisque redemptio sit commodum temporale illius, qui tenetur ad solutionem; pactio de pensione redimenda, in beneficii resignatione sub pensionis onere interveniens, aut conventio de beneficio conferendo vel procurando, eâ lege ut pensio extinguatur, æquivalenter est conventio de re spirituali conferenda pro temporali. Et ideò eam simoniacam declarat Concilium Rothomagense anni 1581. tit. de Episcop. offic. §. 17. Accedit quòd pensio ecclesiastica non sit quid merè temporale & profanum, sed annexum spirituali; cùm nonnisi Clericis in tonsura & habitu clericali incedentibus reservari possit, secundùm Constitutionem Sixti V. *cum sacrosanctam*; & pensionarii ad Officium parvum B. Virginis teneantur. Et ideò pensionem ecclesiasticam solutionibus anticipatis sine authoritate Papæ extingui non posse tenuit Rota in causa Pharensis pensionis die 24. Januarii 1578. Et ita post Navarrum, Gigantem, aliosque Canonistas censet Fagnanus ad cap. *ad audientiam* de Rescriptis, contra Cajetanum & Toletum, qui pensionem privatâ authoritate redimi posse docuerunt. Quod ob præmissa non videtur probabile. 6°. simoniaca est resignatio facta cum pacto, ut resignatarius solvat expensas, quas resignans fecerat pro obtinendo suo beneficio, v. g. pro expeditione litterarum, pro solutione statutorum, &c. Quia nec istud pactum de jure inest. Idem dic de permutatione, in qua unus compermutantium alterum obligat ad faciendum omnes sumptus permutationis, vel subeundum aliud onus præter naturam permutationis. Lessius l. 2. c. 35. dub. 15. Simoniaca quoque est renuntiatio litis super beneficio, si pro ea temporale aliquid accipiatur nomine expensarum, cap. *cùm pridem* de pactis. Et idem est si de beneficio collitiganti pecunia detur, ad hoc ut desistat, vel casu quo desistat.

Septimò, generaliter simoniaca est transactio privatâ authoritate sic facta in materia beneficiorum, ut ex una parte beneficium relinquatur, ex altera verò detur res temporalis; tametsi Prælatus inter partes sic transigere possit, etiam pensionem super beneficio constituendo, vel eum cui beneficium relinquitur præstatione aliquâ gravando, cap. *nisi essent* de præbend. 506

Item licita est compositio amicabilis inter partes (in eo à transactione distincta, quòd hæc sit, cùm in lite dubia aliquid dimittitur, altero retento, aut vicissim petito; illa verò sit remissio gratuita) ut si pars una gratis cedat juri suo, aut si partes compromittant in arbitros: dummodò non oporteat possessorem beneficii illud dimittere: hoc enim non potest absque facultate Superioris, cap. *admonet*, & cap. *quod in dubiis* de renuntiatione. 507

Illud etiam circa beneficiorum permutationes, & resignationes notare par est, quòd ut usquequaque licitæ sint, præter conditiones supradictas, necesse sit, ut permutantes, vel resignantes magnam habeant rationem personæ, cui gregem Christi committunt, si sit beneficium curatum. Hoc enim negligere, crimen est coram Deo maximum (inquit Cajetanus verbo *permutatio*) meminisse enim debet tale beneficium resignans, vel permutans, illud non ad privatum commodum suum, sed ad communem Ecclesiæ Christi utilitatem, animarumque salutem ordinatum esse. Injurius proinde erit Ecclesiæ, & animabus Christi sanguine redemptis, quisquis permutaverit cum eo, quem scit indignum esse, tenebiturque de damnis omnibus inde consequentibus. Quòd si sit quidem idoneus, sed tamen magis idonei in promptu habeantur, aut facilè haberi queant, graviter peccabit, saltem contra charitatem animarum, magis idoneos prætereundo. Verùm proh dolor! quàm multi seipsos hîc illaqueant, qui ubi spes commodioris beneficii, vel pinguiorum redituum, vel auctioris pensionis affulserit, illicò omnia tentant, ut illuc perveniant, quò avaritia inclinat, non quò charitas invitat! 508

Sed quid de Titio, qui authoritate suâ, & commendatione beneficium ecclesiasticum impetrat Cajo indigno, hâc adjectâ conditione, ut Cajus post triennium illud resignet nepoti Titii? Respondeo collationem Cajo factam esse nullam, tum ob canonicam incapacitatem, tum 50[illegible]

ob simoniacam confidentiam, quæ inter Cajum & Titium intercessit. Et ideò uterque incurrit in censuras ac pœnas per Constitutiones Pii IV. & Pii V. in confidentiarios latas, teneturque Cajus beneficium resignare in manibus Collatoris, fructusque malè partos restituere. Ad quod Titius tenebitur, in defectum Caji, utpote authoritate & commendatione suâ, pactoque simoniaco damni dati causa.

510 Rei etiam simoniæ sunt Joannes resignans, & Paulus resignatarius, si Joannes Paulo resignaverit beneficium annui reditûs sexcentorum florenorum, cum onere pensionis annuæ trecentorum florenorum, dum ad hoc ut resignatio cum hujusmodi pensione rata haberetur Romæ, convenerunt, ut in supplicatione exprimeretur valorem fructuum esse nongentorum florenorum; quod nisi expressum fuisset, resignationem cum tali pensione Papa non admisisset. Quia reverà eam non admisit, dum nonnisi subreptitiè admisit, perindeque est ac si talem resignationem uterque privatâ authoritate fecisset. Quo casu uterque haud dubiè simoniæ reus esset. Talis itaque provisio non solùm nulla est, ob dolosam & mendacem expressionem falsi, sed & resignatio pariter nulla, ob simoniam confidentialem & realem: quandoquidem simoniaca conventio ab una saltem parte impleta est, dum Joannes Paulo beneficium suum resignavit. Uterque proinde excommunicationem, aliasque simoniacorum pœnas incurrit, & Paulus tenetur beneficium dimittere, fructusque perceptos restituere.

511 Octavò, simoniaca est emptio ac venditio pensionis ecclesiasticæ: cùm fundata sit in officio spirituali. Et idem est de pensione mixta, ex stylo Romanæ Curiæ.

512 Nonò, simoniam incurrunt, qui ad finiendam litem dubiam, super aliquo beneficio ecclesiastico motam, ex pacto dant, vel accipiunt pecuniam, vel aliquid aliud pretio æstimabile. Ita declaravit Alexander III. cap. *super eo* de transact.

513 Decimò, simonia est pecuniâ redimere justam vexationem in materia beneficiorum: cùm enim justa vexatio supponat vexatum non habere jus satis firmum, sed litigiosum, eam pecuniâ redimere, est emere firmitatem juris ad beneficium. Quod est simoniacum.

514 Duodecimò, simonia quoque est redimendæ cujuscumque vexationis specie pecunias dare, ut removeantur impedimenta, etiam injusta, quibus aliquis prohibetur aut retardatur à beneficii consecutione, ad quod nondum acquisivit jus in re. Sic determinat Lucius III. cap. *Matthæus* de simonia, ubi agens de electo à majori parte ad Ecclesiæ regimen, minori parte contradicente, cui pecuniam dari consensit, ut contradictio cessaret, ideòque simoniæ reus esse timebat, sic loquitur: *Tibi multùm consulis, si administrationem celeriter ac sponte dimittas, illius verbi memor existens:* 515 Nihil prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur. " Nec sic loquitur Pontifex per modum consilii. Quia, ut ibi Glossa verbo *consulis*, hoc ideò dicit, quia peccatum occultum erat, unde illum expressè non poterat prohibere, nisi consulendo; necessitatem tamen importat, si vult salvari: quia nisi renuntiet, salvari non potest. Et hoc idem dicit littera in fine, cùm scilicet allegat verba illa Salvatoris, *Nihil prodest homini*, &c. quæ salutis important necessitatem.

Et hinc S. Thomas q. 100. a. 2. ad 5. docet, *quòd antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quacumque dignitate, vel prebenda, per electionem vel provisionem, seu collationem, seu Canonicam institutionem, vel confirmationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecuniâ redimere. Sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam jus alicui acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.* Et in 4. dist. 25. q. 3. a. 2. q. 1. ad 7. *Si non sit sibi acquisitum jus per electionem, nullo modo potest pecuniam dare adversario ut desistat. Si autem est ei acquisitum jus, potest aliquid dare, non ut pretium prælationis, sed ad redemptionem vexationis propriæ.*

Ad licitam tamen redemptionem vexatio- 516
nis injustæ, sequentes requiruntur conditiones. 1°. ut jus ipsius in re certum sit & indubitatum, non litigiosum. 2°. quòd sit plenum, & non solùm inchoatum: aliàs emere censeretur jus plenum & certum. 3°. quòd ad redimendam injustam vexationem non det aliquid spirituale, vel quasi spirituale, v. g. beneficium vel pensionem ecclesiasticam, aut mixtam, officium ecclesiasticum, &c. Quia tale quid dare pro tali redemptione (quæ temporalis est, pretioque æstimabilis) est dare spirituale, vel quasi spirituale pro temporali. Quod est simoniacum. Cum istis conditionibus, injustè impeditus ab adeunda possessione beneficii, ad quod habet jus in re, injustam vexationem pecuniâ redimendo, nihil emit spirituale: cùm ipsa possessio sit temporale quoddam, supposito titulo. Unde hodie in tribunalibus laïcis de possessorio judicatur, etiam in re beneficiaria.

Decimò-tertiò, litigantes super alicujus be- 517
neficii possessorio simoniam incurrunt, si pro bono pacis inter se paciscantur, quòd alter beneficium, pensionem alter super beneficio habeat. Quia hujusmodi pensiones Ecclesia solùm tolerat, quando constituuntur, *non ex pactione partium, sed ex jussione Judicum, pro bono pacis & utilitatis*, Ecclesiæ utique, non privatorum; illisque beneficium non oneratur, sed beneficiarii persona dumtaxat, ita ut ipso defuncto successor ad solutionem pensionis non teneatur. Nec Judices quicumque, sed arbitri dumtaxat, in quos compromissum est, id decernere possunt. Quod dum faciunt, Sedes Apostolica id non tam probat (quia *valdè suspecta est, propter exempli perniciem*)

quàm tolerat, ut Innocentius III. loquitur cap. *nisi essent* de præbendis.

CAPUT LX.

Simoniacorum pœna.

518 Dicendum 1°. quòd ob solam simoniam mentalem & conventionalem pœnæ juris contra simoniacos latæ non incurruntur, sed ob solam simoniam realem, dum scilicet conventio expressè, vel tacitè sic facta est de danda re temporali pro spirituali, ut ex una parte conditio impleta sit. Colligitur ex cap. *mandata* de simonia, & ita docet S. Thomas q. 100. a. 6. ad 6. ibi: *Quoad Deum sola voluntas facit simoniacum, sed quoad pœnam ecclesiasticam exteriorem non punitur ut abrenuntiare teneatur, sed debet de mala intentione pœnitere.* Testaturque Navarrus esse conforme stylo Romanæ Curiæ, addens (cum Sylvestro & aliis communiter) non omnem simoniam realem, etiam perfectam, inducere pœnas juris: quia Ecclesia non legitur illas imposuisse, nisi in tribus generibus simoniæ, videlicet in beneficiis, in ordinibus, & in ingressu religionis.

519 Excipienda est tamen simonia confidentiæ (quam nonnulli reducunt ad conventionalem) pœnis namque gravissimis ipso facto incurrendis subjacet ex Constitutione Pii IV. & Pii V.

520 Simoniam conventionalem mixtam, quâ quis pretium accepit, sed beneficium nondum contulit, à pœnis liberam censent plurimi. Eam tamen, quâ beneficium quis contulit, sed promissum pretium nondum accepit, pœnis obnoxiam censet Toletus, aiens sententiam suam esse communem, fundatam tam in stylo Romanæ Curiæ, quàm in cap. *cùm super* de confessis, & in eo quòd Pius IV. in Bulla reformationis Pœnitentiariæ sibi reservaverit dispensationem circa retentionem beneficii & fructuum per simoniam conventionalem occultam receptorum.

521 Nec sanè certa est sententia talem simoniam non comprehendi in extrav. *cùm detestabilis*, inter communes de simonia, in qua Paulus II. electiones, provisiones, & alias quasvis dispositiones, quas simoniacâ contigerit labe vitiari, subjicit pœnis juris, utique excommunicationi, nullitati, seu invaliditati, &c. In hoc proinde casu controverso, quod tutius secundùm canones est eligendum.

522 Dicendum 2°. per simoniam commissam in ingressu religionis incurritur tam à dantibus quàm à recipientibus excommunicatio, & Conventus, seu Capitulum incurrit pœnam suspensionis Pontifici reservatam. Extrav. *sanè* de simonia. Simoniacè quoque professus per varios canones in aliud detruditur Monasterium, post sententiam utique Judicis, ut Aretius interpretatur.

523 Dicendum 3°. per simoniam in beneficiis pœnas sequentes incurri. 1°. qui per simoniam realem beneficium confert, vel procurat, eligendo, præsentando, commendando, &c. ipso facto excommunicatur, sicut & ille qui scienter tali modo beneficium acquisivit. 2°. talis electio, præsentatio, collatio, ipso jure irrita est, ideòque taliter provisus in conscientia tenetur beneficium dimittere, fructusque omnes restituere, etiamsi simonia ipso ignorante commissa fuerit, cap. *nobis fuit*, & cap. *sicut tuis* de simonia, nisi fortè inimicus ejus, ut ei noceret, pecuniam dederit, vel nisi ipse, suspicans de hoc agi, contradixerit. 3°. ita electus, vel provisus sit inhabilis ad idem beneficium, neque potest illud, etiam Episcopo dispensante, posteà obtinere, cap. *nobis fuit* citato, & cap. *si alicui* de elect. ubi tamen additur, Episcopum dispensare posse cum eo qui per simoniacam pravitatem, ipso ignorante, nec posteà ratum habente, beneficium simplex accepit; secùs si prælaturam. Aliqui tamen putant inhabilitatem hanc ab Episcopo tolli posse, quoties simonia est occulta.

524 An autem sub nomine beneficii veniant Abbatiæ, Generalatus, Provincialatus, Prioratus, &c.? Negant aliqui. Affirmant Suarez & alii, apud Bassæum verbo *simonia* 6. n. 2. Saltem ad ea reductivè pertinent, sicut & dignitates ecclesiasticæ, quarum simoniaca acquisitio est ipso jure nulla, easque taliter acquirens, per Bullam Pii V. *quamprimum* 5am. apud Cherubin. redditur ipso jure inhabilis ad quascumque alias dignitates obtinendas. Nomine verò dignitatis, juxta declarationem Sixti V. Bullâ *ad Romanum*, veniunt omnia officia honoris: ut Abbatia, Præpositura, Prioratus, &c. non verò officia oneris, ut Lectoris, Confessarii, &c.

525 Dicendum 4°. per simoniam confidentiæ, dato acceptoque beneficio, tametsi pretio nondum soluto, hæ incurruntur pœnæ. 1°. ambo contrahentes, Episcopo inferiores, incidunt ipso facto in excommunicationem, Papæ reservatam; Episcopus verò ab ingressu Ecclesiæ prohibetur. 2°. irrita est collatio & resignatio beneficii, in qua talis intervenit simonia. 3°. provisus de tali beneficio, fit inhabilis ad illud, & ad alia omnia. 4°. incurrit privationem omnium beneficiorum ac pensionum priùs obtentorum, & obtentarum, quamvis ex usu legem interpretante, secundùm aliquos, ea dimittere non teneatur ante sententiam. 5°. hæc pœna non solùm extenditur ad accipientem, sed etiam ad dantem. 6°. beneficia in confidentia collata & accepta Sedi reservantur Apostolicæ.

526 Dicendum 5°. quisquis beneficium accepit pro munere temporali, sive à manu, sive ab obsequio, sive à lingua, quamvis nullo pacto præcedente, in conscientia tenetur ad illud dimittendum, & ad restituendos fructus illius, si animo proposuerit beneficium taliter acquirere. Ita S. Thomas q. 100. a. 6. *quia nullus potest licitè retinere id quod contra voluntatem domini acquisivit, puta si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra*

voluntatem & ordinationem domini sui, ille qui acciperet, licitè retinere non posset. Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores & Ministri, ordinavit ut spiritualia gratis darentur..... Et ideò qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licitè retinere non potest. Nec certè ullus est legitimus retinendi titulus: cùm collatio simoniaca ipso facto irrita decernatur, extrav. *cùm detestabilis* de simonia. Nec solùm talis est jure humano, sed & naturali ac divino, quo illegitimus est contractus omnis, quo invendibile venditur, vel id cujus venditor non habet dominium, nec domini consensum. Beneficia verò invendibilia sunt, & venditor eorum non est dominus, nec consensum habet domini, sed prohibitionem, & ordinationem in contrarium. Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.*

527 Unde patet ejusmodi venditionem injustam esse, ut docet S. Thomas ad 3. pretium proinde pro ejusmodi pretio acceptum, non esse justè acceptum; adeòque justè retineri non posse (uti nec fructus beneficii nulliter accepti) prout tradit idem S. Doctor ad 1. & 4. & q. 32. a. 3. q. 62. a. 5. ad 2. & concedunt Henricus, Adrianus, Molanus, uterque Medina, Sotus, Estius, & ipsos referens Sylvius hîc. Enimverò qui lucrum ex mutuo, etiam absque pacto accepit, illud tenetur restituere, uti colligitur ex cap. *consuluit* de usura. Similiter ergo qui temporale lucrum ex re spirituali simoniacè, etiam absque pacto accepit, illud tenetur restituere.

528 Si dicas, cum nonnullis Casuistis, pretium pro re spirituali, ut temporaliter fructifera, acceptum, stante æqualitate inter pretium, & valorem fructuum, non esse acceptum contra justitiam naturalem, sed solùm contra religionem & reverentiam rei sacræ; adeòque jure naturali non esse restituendum. Aliàs Pontifex in pretii restitutione dispensare non posset; cujus oppositum docet praxis Romanæ Curiæ.

Respondeo injustitiam hîc non peti ex inæqualitate inter pretium, & valorem fructuum, sed ex venditione rei invendibilis, &c. At verò fructus illi, seu jus ad illos invendibile est (quamdiù Papali authoritate separatum non est à titulo spirituali, ex quo provenit) prout titulus ipse spiritualis, sine quo non provenit, & sine quo proinde vendi æstimarique non potest, uti optimè declaratur can. *siquis objecerit* 1. q. 3. *Siquis objecerit non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt; penitus desipere probatur. Nam cùm corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut aliquid tale, sine rebus corporalibus in nullo proficiat, nec anima sine corpore corporaliter vivat; quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Meritò proinde Alexander VII. hanc damnavit propositionem: *Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis: quia Collator, conferens illa beneficia ecclesiastica, pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* Quia tamen pretium simoniacè acceptum, Ecclesiæ restituendum est, cujus bonorum Papa summus est dispensator, ex justa causa illud assignare potest ei qui injustè accepit, imò & sibi in ordine ad pias causas. Quomodò magnum Chronicum Belgicum pag. 313. scribit, quòd Abbas Ecclesiæ S. Pauli Romæ Urbano V. summam magnam pecuniæ obtulerit, ut ad Cardinalatum promoveretur. Papam verò oblationem accepisse, & de eadem reparasse Ecclesiam S. Pauli, relicto Abbate in suo statu, sine promotione; pecuniam illam in pœnam simoniæ quasi confiscando, & in dictæ Ecclesiæ reparationem, ad quam Abbas tenebatur, applicando.

Dicendum 6°. simoniacè ordinatos, etiam- 529
si id ignoraverint, ab executione Ordinum ipso jure esse suspensos, cap. *quoties*, & cap. *de hoc* de simonia. Cum iis tamen qui ignoranter sic ordinati sunt, Episcopus dispensare potest. Si verò scienter, necessaria est dispensatio Summi Pontificis, cap. *post translationem* de renuntiat. Et ibi Glossa.

CAPUT LXI.

Obligatio ad restitutionem, ob simoniam.

JAm dixi, simoniacè accepta esse restituen- 530
da, tam scilicet pretium temporale, simoniacè acceptum, quàm beneficium ipsum, & omnes fructus ex hujusmodi beneficio acceptos, uti declaratur extrav. *cùm detestabilis* de simonia. Et pretium quidem jure naturæ, reddi deberet ei, à quo datum est: utpote cujus dominium non est translatum, sed ipsi mansit; verùm ex Ecclesiæ dispositione, in pœnam peccati, piis est usibus applicandum, uti docet S. Thomas suprà, colligiturque ex cap. *de hoc autem* de simonia, ubi dicitur, *Regem & Principes restituere debere Ecclesia Exonienſi, quæ ab Episcopo acceperunt, ut ejus electioni assentirentur: cùm ea sine gravi salutis suæ periculo retinere non possint.* Quæ ratio manifestè insinuat, ad hoc expectandam non esse Judicis sententiam.

Si tamen solùm intervenerit simonia ex 531
parte accipientis, restitutio facienda est ipsi danti, juxta cap. *veniens* de simonia, ubi exactum professionis intuitu, & datum ab eo qui licitam existimabat consuetudinem exigendi, quam prætendebant Abbas & Monachi, jubetur danti restitui.

Danti etiam restituendum est pretium si- 532
moniacè acceptum, quando beneficium necdum est collatum, non obstante quòd simoniaca turpitudo versetur ex parte utriusque, uti Doctores communiter colligunt ex cap. *dilectus* eod.

AP-

APPENDIX DE STATU ECCLESIASTICO, Ecclesiasticisque beneficiis.

CAPUT LXII.

Exponitur natura Statûs Ecclesiastici.

533 STatus ecclesiasticus, eorum est, qui à laïcali statu segregati, specialiter divino dedicati sunt ministerio. Duplex est, unus Clericorum, tonsurâ clericali insignitorum, per quam, velut per signum, adscribuntur in sortem Dominici ministerii. Alter Religiosorum, de quo suprà egimus. Status Clericorum subdividitur 1°. in statum Curatorum, id est animarum curam habentium, quales sunt Episcopi & Parochi, & non Curatorum.

2°. in Hierarchicum, & non Hierarchicum. Hierarchia, generaliter loquendo, duplex est, ecclesiastica, & cælestis. Ad hanc pertinent novem Angelorum Ordines: ad illam quicumque sacram habent in Ecclesia potestatem. Quæ cùm sit duplex, ordinis & jurisdictionis, duplex quoque Hierarchia consurgit. Ad Hierarchiam ordinis pertinent quotquot ordinibus sunt insigniti; ad Hierarchiam jurisdictionis, quicumque ordinatio jure legitimè præpositi sunt regimini Ecclesiæ, cujusmodi sunt Pontifex, Cardinales, Episcopi, Prælati, Abbates, Priores Regularium, Canonici, Parochi, &c. Episcopus major est Presbytero potestate ordinis: quia, ut Epiphanius hæresi 77. dicit: dicere, *Episcopo Presbyterum æqualem esse, quomodò erit possibile?* Episcoporum enim ordo Patrum generator est; Patres enim generat Ecclesiæ: Presbyterorum verò, non potens generare Patres, per lavacrum regenerationis generat filios Ecclesiæ; non tamen Patres, aut Doctores. Fieri tamen potest per Ecclesiæ determinationem, ut major sit potestas jurisdictionis in Presbytero, quàm in Episcopo, uti multiplex experientia docet.

CAPUT LXIII.

Prælaturam Ecclesiasticam, ecclesiasticaque beneficia, curam animarum habentia, pro se ambire, vel postulare non licet; nec finaliter recusare, dum Superior absolutè jubet acceptare.

534 EUm qui pro se beneficium ecclesiasticum sine cura animarum petit, ad inopiam suam sublevandam, peccati non esse reum, docet S. Thomas q. 100. a. 5. ad 3. concordatque S. Raymundus in Summa l. 1. tit. 1. §. 7. id probans ex cap. *ad aures* de rescriptis.

535 De Ecclesiastica Prælatura, beneficioque curam animarum habente, sic discurrit S. Thomas q. 185. a. 1. *In Episcopatu* (eadem ratio est de Ecclesiastica quacumque Prælatura) *tria possunt considerari, quorum unum est principale & finale, scilicet Episcopalis operatio, per quam utilitati proximorum intenditur, secundùm illud Joan. ult.* „ Pasce oves meas. „ *Aliud autem est altitudo gradûs, seu elevatio super alios. Tertium est, quod consequenter se habet ad ista, scilicet reverentia & honor, & sufficientia temporalium.... Appetere ergo Episcopatum ratione hujusmodi circumstantium bonorum, manifestum est quòd est illicitum, & pertinet ad cupiditatem vel ambitionem. Unde contra Pharisæos Dominus dicit Matth. 23.* " Amant primos accubitus in cœnis, & pri- " mas cathedras in synagogis, & salutationes " in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. "

Quantùm autem ad secundum, scilicet ad celsitudinem gradûs, appetere est præsumptuosum. Unde 536 *Dominus arguit discipulos primatum quærentes, Matth. 20.... Sed appetere proximis prodesse, est secundùm se laudabile & virtuosum. Verùm quia prout est Episcopalis actus, habet annexam gradûs celsitudinem, præsumptuosum videtur, quòd aliquis præesse appetat, ad hoc quòd subditis prosit, nisi manifestâ necessitate imminente.* Quod probat ex D. Gregorio & Chrysostomo, quibus concordant Hieronymus epist. 83. Augustinus l. 19. de Civit. Dei c. 19. Bernardus l. 4. de considerat. c. 4. ubi sic: *Qui rogat pro se, jam judicatus est, nec interest an per se, an per alium quis roget.*

Probari etiam potest ex Hebr. 5. *Nec quis-* 537 *quam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron:* quæ divina vocatio nobis non innotescit, nisi per electionem, nominationem, institutionem legitimam, nullatenùs quæsitam. Necnon ex jure canonico, in quo inhabiles declarantur ad prælationem, qui consensisse probantur in electionem sui, antequam eligerentur. Siquis verò eligentium ad prælaturam, pro se ferat suffragium, lethaliter peccat, irritaque est electio. Nec mirum, quia *indignus est sacerdotio, qui non fuerit ordinatus invitus.* L. *si quemquam* 31. eod. tit. de Episcop. & Cleric. Et *si aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsâ præsumptione redditur indignus.* S. Thomas q. 100. a. 7. ad 2. Et ideò *sicut is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus; sic qui ultrò ambit, vel importunè se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, & ascendendo exteriùs, interiùs ad profunda descendat.* Can. *sicut* 1. q. 6. ex D. Gregorio.

Siquis objiciat Apostolicum istud: *Siquis* 538 *Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Respondet S. Isidorus Pelusiota l. 4. epist. 229. ad Palladium Diaconum: *eos qui id objiciunt non perspicere mentem Apostoli.... Si enim ita, dixerit ille ejusmodi aliquid: tu verò quam ob causam, ignorans tuas vires? & ne teipsum quidem regere valens, talem adamas principatum, qui regno quoque ipso non solùm est sublimior, sed etiam laboriosior. Et quare existimas potestatem hanc esse rationibus nullis reddendis obnoxiam, ac non potiùs rationibus obnoxiam ministerii functionem? Sed quamvis tu omnem transcendas audaciæ furorem, ego quoque insanirem, si non eum me ostenderem, qui tamen malum*

curare conetur. Mihi enim est admodùm formidabile illud dictum: " Siquis Episcopatum desiderat, " *& funditùs ipsam quoque concutit animam. Magnitudinem namque hujus sacri Principatûs indicat. Quòd si dixeris, quomodò? Respondebo, quia non ausus est præcipere, ac ne quidem cohortari, atque suadere, ut quis Episcopatum appetat. Neque enim dixit:* „ Unus- „ quisque Episcopatum desideret, rectè facit. *Tunc enim fortassis aliqui eadem amore ejus rei, quo tu, capti fuissent. Sed in medio relinquens suspensum Sacerdotis desiderium, neque instigat ad id quemquam, ut indignos excitet ad capessendam rem perdifficilem, quæque omnem superat Reipublicæ administrationem & dignitatem; neque ab eo arcet quemquam, ne id quod omni regno majus est, fugiendum esse proponat. Verùm in suspenso (ut dixi) relinquens exhortationem, & unumquemque sui ingenii æstimatorem ac judicem constituens, ipse neque expetere, neque fugere præcipit. Tantùm non clamans oculis & superciliis, & toto vultu ad gravitatem composito, timoris salutaris stimulos audientium animis injiciens. Equidem ego rem à divino dependentem calculo, atque arbitrio electionis, hominum cupiditatibus non expono. Moneo autem, atque obtestor, quicumque hanc rem expetit, is noverit se rem minimè vulgarem aut levem desiderare. Ministerii enim, non autem remissionis ac desidiæ significationem habet Episcopatûs ipsum vocabulum. Quòd si fidem dictis hisce non habes, sequentia legens, mentem nostram probè assequêris. Oportet enim Episcopum omnibus ornatum esse virtutibus, & alienas calamitates proprias ac suas existimare. Non enim sibi ipsi, sed subditis vivit, & à sexcentis oculis ac linguis vita ejus examinatur.*

539 De aliis animarum curis eadem est sententia S. Antonini p. 2. tit. 3. c. 5. §. 4. *Quia* (inquit) *ubi est eadem ratio, ibi & idem jus.* Nam de similibus idem est judicium, can. *ad ejus* dist. 7. Sed ratio quare est illicitus & mortalis appetitus Episcopatûs, *est propter curam quam habet annexam: quia præsumptuosum nimis est ut quis se reputet idoneum ad regendum animas aliorum. Sed eadem est ratio in quolibet prædictorum* (scilicet Decanatu, Ecclesia Parochiali, &c.) *quia omnibus cura est annexa. Major quidem præsumptio & ambitio tantò est, quantò major cura.... tamen utrobique appetitus mortalis.... Nam secundùm Thomam, Raymundum, Hostiensem, petere pro se aliquid eorum, etiamsi alias sit dignus, inducit simoniam: quia sunt preces pro indigno ratione præsumptionis. Ergo & appetitus erit mortalis: cùm simonia sit mortalis.* Unde Author operis imperfecti in Matth. homil. 43. *Quicumque desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in cælo; nec inter servos Christi computabitur, qui de primatu tractaverit. Refertur can. multi dist. 40. Contrariam quidem opinionem sequi videntur Curiales; sed quia Doctores suprà laudati sanctitate & scientiâ Theologiæ & juris sunt longè præstantiores, ideò non videtur tuta prædicta opinio, nec sequenda.* Hactenùs S. Antoninus.

Nec tamen ideò damnandi sunt, qui ad 540
concursum pro cura animarum se præsentant, sive qui ad examen ab Episcopo vocati, se sistunt: quia beneficium pro se non postulant, sed Episcopi sui judicio se submittunt, æquo animo susceperuri, sive beneficii collationem, sive repulsam, prout Episcopo visum fuerit.

Denique illi qui officium vel beneficium 541
Ecclesiasticum quærunt, non ob divinum obsequium, sed solùm vel principaliter ob temporale commodum, judice D. Bernardo in declamat. super Evangel. pag. mihi 168. *cum thesauro pecuniæ, thesaurum iræ pariter cumulant.... Evangelizant ut manducent, & perverso nimis ordine cælestibus terrena mercantur.*

Quantùm ergo ad propriam voluntatem, con- 542
venit homini principaliter insistere propriæ saluti (ait S. Thomas citatâ q. 185. a. 2.) *sed quòd aliorum saluti intendat, hoc convenit homini ex dispositione alterius potestatem habentis... Unde sicut ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliquis proprio motu feratur in hoc quòd aliorum gubernationi præficiatur; ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliquis omninò contra Superioris injunctionem prædictum gubernationis officium finaliter recuset, propter duo. Primò quidem, quia hoc repugnat charitati proximorum, quorum utilitati se aliquis debet exponere, pro loco & tempore.... Secundò, quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis Superioris mandatis se subjicit. Unde Gregorius dicit in Pastorali: Tunc ante Dei oculos vera est humilitas, cùm ad respuendum hoc quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est.*

Laudabile est ergo, ubi nulla Superioris 543
injunctio finaliter & absolutè urget, Prælaturam fugere, & humiliter recusare, ut fecerunt sancti Cyprianus, Nepotianus, &c. Sed illicitum est Prælaturam absolutè injunctam pertinaciter recusare. Ideò præ oculis habendum quod Augustinus dicit epist. 81. nunc 48. ad Eudoxium: *Siquæ operæ vestræ Mater Ecclesia desideravit, nec elatione avidâ susceptatis, nec blandiente desidiâ respuatis..... Neque otium vestrum necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti, si nulli boni ministrare vellent, quomodò nascerentur, non inveniretis.*

Quòd si quis votum, vel juramentum fe- 544
cerit, de non suscipienda Prælatura, si per illud intenderit se obligare ad hoc, quòd nec per obedientiam superioris Prælati eam accipiat, illicitè vovit, & juravit (ait S. Thomas ad 3.) non obstante que tali juramento, de non accipiendo Episcopatu, Draconitium ad eum accipiendum S. Athanasius obligavit. Quia reverà juramentum non tenebat. *Si autem intendit ad hoc se obligare, ut, quantum est de se, Prælaturam non quærat, nec suscipiat, nisi imminente necessitate, licitum est vo-*

tum : quia vovet se facturum id quod hominem facere decet.

CAPUT LXIV.

Beneficii ecclesiastici descriptio ac divisio.

545 BEneficium ecclesiasticum est jus perpetuum, ecclesiasticâ authoritate constitutum, percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, Clericis competens, ob spirituale aliquod officium.

Dicitur 1°. *jus perpetuum*, id est ex institutione sua perpetuò durans. Unde excluditur Vicaria temporalis, & pensio perpetua. Quia prior non habet perpetuitatem ; posterior eam non habet ex institutione sua, sive ex natura & lege pensionis.

546 2°. *ecclesiasticâ authoritate constitutum*, vel scilicet authoritate Summi Pontificis, vel Episcopi : quia nisi illud Papa vel Episcopus erexerit, vel saltem confirmaverit, non est beneficium ecclesiasticum ad sensum sacrorum Canonum. Unde beneficii ecclesiastici nomine non veniunt Capellæ, etiam perpetuæ, à viris nobilibus privatâ authoritate in Castellis constitutæ, ab ipsisque collatæ. Per consequens non obligant ad Horarum recitationem, nec Capellanum faciunt Episcopo subjectum, in ordine ad sacros ordines suscipiendos, licèt Capellani, iis in perpetuum provisi, earum titulo, tamquam titulo patrimonii, vel quasi patrimonii, possint ordinari. Qua de re videri potest Garcia de beneficiis p. 1. c. 2.

547 3°. *ex bonis ecclesiasticis*, id est donatione, emptione, vel alio justo titulo Ecclesiæ acquisitis.

4°. *Clerico competens*, id est tonsurâ clericali insignito : soli namque Clerici juxta sacros Canones beneficiorum ecclesiasticorum capaces sunt. Unde per hoc à ratione beneficii excluduntur præbendæ Canonissarum Belgicarum, sicut & præbendæ Canoniis non annexæ, quæ Laïcis de Ecclesia bene meritis subinde conceduntur.

5°. *ob spirituale aliquod officium*, quale est v. g. Choro assistere, Officium Canonicum cantare, vel recitare, Sacrum facere, Sacramenta ministrare. Quia *beneficium datur propter officium*, cap. ult. de rescriptis.

548 Dividitur beneficium ecclesiasticum 1°. in regulare & sæculare. Illud regularibus addictum est ; istud nonnisi sæcularibus conferri solet. Unde cap. 5. de beneficiis in 6. hæc habetur regula : *sæcularia sæcularibus, regularia regularibus conferenda sunt*, regulariter utique. Quia sæcularia beneficia curata regularibus concedi possunt, non tamen alia, ne ipsis occasio fiat vitæ liberioris & otiosæ.

549 2°. in electivum, patronatum, & collativum, seu liberum. *Electivum* electione acquiritur, secutâ confirmatione. *Patronatum* acquiritur præsentatione, facta à Fundatore, habente jus præsentandi. *Collativum* acquiritur collatione liberâ, id est non dependente ab electione, nec à Patroni præsentatione.

3°. in beneficium curatum, & non curatum. *Curatum* est beneficium curam habens animarum. Et istud aliud est curam habens animarum cum jurisdictione exteriori, ut sunt Episcopatus, Abbatia, & Prioratus. Aliud sine exteriori jurisdictione, ut sunt Curæ Parochiales. Similiter *non curatum* aliud est habens jurisdictionem sine animarum cura, ut sunt Abbatiæ quædam jurisdictionales, sicut & dignitates, personatus, &c. Aliud nec curam animarum habens, nec jurisdictionem, ut sunt Capellaniæ.

4°. in beneficium simplex, & duplex. 550 *Simplex* est beneficium sine cura animarum, sine dignitate, præeminentia, &c. ut Canonicatus, Capellania, &c. *Duplex* est illud quod annexam habet animarum curam, vel prælaturam, vel dignitatem, vel personatum, vel præeminentiam, vel jurisdictionem, vel officium, seu administrationem.

Prælatura est beneficium vel officium cum 551 cura animarum, annexam habens jurisdictionem in foro externo.

Dignitas est beneficium annexam habens præeminentiam, jurisdictionemque ecclesiasticam.

Personatus est beneficium annexam habens sine jurisdictione præeminentiam ecclesiasticam, post dignitates.

Præeminentia ecclesiastica est honorificus locus in Choro, Capitulo, processione, suffragio dando, &c.

Beneficium-officium, est beneficium administrationem habens rerum ecclesiasticarum sine jurisdictione, ut thesauraria, primiceriatus, cantoria.

CAPUT LXV.

Præparatio & dispositio ad Tonsuram Clericalem requisita.

SUnt multi, & proh dolor ! nimis multi, qui 552 tonsuram clericalem non eo quo oportet animo, nec debita cum dispositione suscipiunt, nihil aliud intendentes, nisi vel à laica se eximere jurisdictione ; vel se ad beneficia comparanda, seu potiùs ad percipiendos temporales eorum fructus & honores capaces reddere, de nulla alia re solliciti : unde plerumque tonsuram clericalem absque animo se corrigendi, absque ulloque contritionis affectu indignè suscipiunt in statu mortalis peccati.

Tales peccare mortaliter sententia est gravissimorum Doctorum, Navarri tr. de orat. & Horis Canonicis c. 5. n. 15. Hallerii, Doctoris & Professoris Sorbonici l. de sacris Ordinationibus tit. de præparat. & dispos. Ordinandor. sec. 4. §. 1. Eminentiss. Cardinalis Noaillii Archiepiscopi Parisiensis in Constitutione edita 1. Octob. 1696. Natalis Alex. tr. de Sacr. Ord. c. 3. a. 3. reg. 21. Navarri verba sunt: *Compluribus, qui primâ tonsurâ, aut quatuor minoribus initiantur, satius foret ipso ordinationis die frangere crura, quàm primâ tonsurâ, aut quatuor minoribus ordinari. Tum quòd nullâ præviâ*

confessione, aut verâ contritione ordinantur in statu peccati mortalis, & consequenter mortaliter peccant.... Tum quòd non se ordinant ad finem debitum. Talem mortaliter peccare Hallerius inde probat, quòd Deo & Ordini Clericali injuriam infert : *Deo quidem injuriam infert, qui nullâ præcedente in Deum conversione (cùm tamen ipse totius Hierarchiæ principium & caput habeatur) ejus se famulatui consecrat, & Hierarchiæ initiationes sumit, nec se in ipsum, tamquam functionis ecclesiasticæ scopum, dirigit. Ordini verò Clericali contumeliam inurit, cujus cùm finis sit ad Deum adducere, non potest sine ejus opprobrio quisquam eum ordinem ingredi aversus à Deo..... Tonsuram quoque Clericalem contaminat (quam verè à mundo abstrahentem, ad Deum adducentem dicere possumus) eamque significatione suâ frustratur, qui mundi inquinamentis conspurcatus, & divinis contemplationibus ministeriisque ineptus, eâdem initiari non veretur.*

553 Capite verò 3. §. 6. n. 30. hæc habet reflexione dignissima : *Adeò jam passim aliquorum invalevit temeritas, & religionis contemptus, ut non ad tonsuram modò, verum etiam ad omnes ordines, solius temporalis beneficii, vel otii, vel honoris gratiâ se conferant; tonsuram verò præsertim, eo tantùm fine capessant, abutentes sacrâ istâ designatione in Clerum ad sua commoda; Episcopalem benedictionem ad profanas ambitiones convertentes; Ecclesiæ expectationem frustrantes; evertentes mysticum cæremoniæ istius sensum; mendacii ecclesiastica, quæ in tonsuræ collatione funduntur, verba præcesque arguentes; professionem Clericatûs temerè mentientes, ejusque prærogativam injustè ac fraudulenter usurpantes. Quos proinde nescio quis à lethali noxa excusare possit, quos injustitiæ, sacrilegii, publici mendacii, abusûsque rei sacræ non levibus criminibus constrictos teneri ostendimus. Nulla vox tot crimina velare potest, nulla ratio tueri. Quis enim levem materiam censeat, profanationem rei sacræ, violationem totius Clericatûs, promissionem coram tota Ecclesia fallacem, usurpationem alieni juris, Ordinis Clericatûs perturbationem ? Quis adeò perfricta frontis, ut defendere audeat, leve crimen esse ambitionem illam, ac avaritiam, quæ sacros Ritus, contra Ecclesiæ intentionem, in sua commoda honoresque detorquent ? Quis non illud crimen sacrilegæ temeritatis arguat, per quod publica benedictio, eaque mystica, cassa, mysterio vacua, inanis, infructuosa reddatur, ita ut, quod gravius etiam est, in pluribus mendacii coargui possit ? Quis non mendacium in Spiritum sanctum, publicam illam Clericalis puritatis professionem, quæ sit Deo, spectantibus Angelis, audientibus Sanctis, stipulationem firmante Ecclesiâ, acceptamque habente Episcopo, esse credat, si ab eo discordet professionis animus ?*

554 Vera ista esse facilè intelligit, quisquis seriâ mente perpendit, quòd quisquis Tonsuram Clericalem suscipit, ritu solemni coram Ecclesia profitetur, Dominum Deum partem esse suam : *Dominus pars hæreditatis meæ;* quòdque vi istius professionis *talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino*, inquit Hieronymus epist. 2. Capillos ipsi tondet Episcopus, ut hoc ritu significet, quòd quisquis statum illum amplectitur, sæculi cupiditates debeat resecare. Comam illi tondet in modum Coronæ, ut ostendat se illum specialiter adscribere in militiam Regis Regum Jesu Christi, pro salute nostra spinis coronati. Superpelliceo ipsum induit, dicens : *Induat te Dominus novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis*, ut eo ritu notum ipsi faciat, eum qui se Deo consecrat in statu Clericali, veterem hominem exspoliare debere cum actibus suis, & novum induere, scilicet Dominum Jesum Christum. Denique Deum pro novis Clericis orat, ut *donet eis Spiritum sanctum, qui habitum Religionis in eis perpetuum conservet, & à mundi impedimento ac sæculari desiderio corda eorum defendat.* Perfecti proinde *in virtute esse debent*, juxta S. Thomam in 4. dist. 24. q. 3. a. 1. q. 1. Et juxta S. Cyprianum epist. 66. *ab altari & sacrificio non debent recedere, sed die ac nocte cælestibus rebus & spiritualibus inservire.* Debent Monachis esse perfectiores, juxta S. Hieronymum ubi suprà dicentem : *Sic vive in Monasterio, ut Clericus esse merearis.* Unde S. Augustinus epist. 60. aliàs 76. ad Aurelium dicit, quòd *aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat.* Debent denique intentionem & spem habere *se in Clericalis Ordinis disciplina permansuros*, inquit S. Carolus Borromæus in Concilio IV. Mediolan. p. 11. tit. de his quæ pertinent ad Sacram. Ordin. ita ut primâ tonsurâ initiari non debeant, *de quibus probabilis conjectura non sit, eos ut Deo fidelem cultum præstent, hoc genus elegisse*, juxta Tridentinum sess. 23. c. 24. sive, *ut Deo fidelem & perpetuum cultum præstent*, prout loquitur Concilium Burdigalense anni 1583. cap. 14. Ab ista verò sancta intentione quàm alieni sunt, qui tonsuram clericalem non suscipiunt, nisi ex sæculari desiderio ! Quàm contumelioso sancto illi statui, qui absque ulla conversione & pœnitentia illum suscipiunt in statu peccati mortalis ! Imò sancti Bernardi judicio impii sunt. *Quis* enim *magis impius, an profitens impietatem, an mentiens sanctitatem ? Nonne is qui, etiam mendacium addens, geminat impietatem ?* Apolog. ad Guilielmum Abbat. c. 1.

CAPUT LXVI.

Novem conditiones requisitæ in recipiente beneficium.

PRimò debet esse Clericus, saltem primæ 555
tonsuræ. Aliàs absque dispensatione Papæ non potest beneficium habere. Quòd si tale sit beneficium, ut certum requirat ordinem, inhabiles sunt qui eo carent, quamvis ex consuetudine rigorem legis mitigante sufficere vi-

deatur, si ordo requisitus intra annum suscipiatur.

2°. esse debet ex legitimo matrimonio: illegitimus enim nequit beneficium possidere, sine dispensatione Papæ, pro beneficiis curatis & duplicibus; vel Episcopi pro non curatis & simplicibus: quia tamen Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis requirit ordinem sacrum, cujus illegitimus est incapax, utpote irregularis, nequit ab Episcopo habilitari ad ejusmodi beneficium, nisi priùs à Supremo Pontifice dispensatus fuerit ad ordinem sacrum. Et si Papa cum ipso dispensaverit ad beneficia simpliciter, non censetur dispensasse ad curata, neque ad dignitates & personatus, neque ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis, prout Doctores colligunt ex cap. 4. de præbendis in 6. Nec Episcopus potest dispensare ut illegitimus habeat beneficium in loco, ubi pater est vel fuit Præfectus, vel Canonicus. Legitimi verò licèt possint habere beneficium in Ecclesiis, ubi eorum pater præsidet, sed non illud ipsum quod pater obtinuit, nisi inter patrem & filium alius interceserit. Quæ omnia ex variis juribus probant Doctores apud Bassæum verbo *beneficium* 3. n. 1.

556 3°. debet esse in ætate competenti, quæ est 30. annorum completorum in Episcopis & Abbatissis: 24. completorum in Abbatibus & Parochis: 22. completorum in recipientibus beneficia duplicia, non curata: 14. saltem inchoatorum in recipientibus beneficia simplicia. Trid. sess. 24. c. 12. & sess. 25. c. 7. de Regular. Requirit quidem idem Concilium 21. annos incœptos in Canonicis Cathedralium. Sed hoc ideò quia in illis requirit Subdiaconatum, saltem intra annum suscipiendum. In quo quia Episcopi studiorum causâ dispensare possunt (ut à fortiori colligitur ex sess. 7. cap. 12. de reform. ubi conceditur ipsis studiorum causâ dispensare cum obtinentibus beneficium curatum) ideò sustineri potest consuetudo in multis vigens Ecclesiasticis, ut ad Canonicatus Cathedralium cum obligatione Horarum assumantur, qui decimum-quartum annum ætatis attigerunt, ut interim reditus beneficii accipiant, donec absolutis studiis Subdiaconi fieri possint.

4°. debet esse cœlebs, quia conjugatus est incapax beneficii, & si Clericus minorum Ordinum, habens beneficium, uxorem ducat, ipso jure illud amittit, prout habetur in multis canonibus tit. de conjugatis. Vacat etiam beneficium sæculare per professionem religiosam, cap. 4. de reg. in 6°.

5°. debet carere impedimento juris, cujusmodi sunt excommunicatio major, suspensio, interdictum, & irregularitas: quisquis enim est irretitus aliquo ex istis impedimentis (etiamsi sit excommunicatus toleratus, inquit Bassæus) inhabilis est ad beneficia, electioque ipsius & collatio ipso jure irrita est.

6°. debet esse probæ vitæ.

557 7°. sufficientis litteraturæ, quæ diversa requiritur pro beneficiorum diversitate.

8°. debet habere intentionem perseverandi in statu ecclesiastico (nisi superveniat justa causa, quæ aliud suadeat) idque etiamsi non accipiat nisi beneficium simplex, cui nullus Ordo sacer annexus est: nam accipiens ejusmodi beneficium, solùm ut se sustentet, aut ditet, donec ducat uxorem, ex communi mortaliter peccat, cum obligatione resignandi beneficium: eò quòd directè faciat contra intentionem Ecclesiæ, & Fundatorum; licèt non teneatur ad restitutionem fructuum, si officio & muneri suo fecerit satis. Qui verò accipit parochiale beneficium, sine animo intra annum suscipiendi sacerdotium, ultra mortale peccatum, incurrit obligationem restituendi fructus; cap. *commissa* 36. de electionibus in 6°. Illos tamen retinere poterit, si mutatâ voluntate, fiat intra annum Sacerdos.

Denique accipiens beneficium non parochiale, cui annexus est Ordo sacer, debet sub mortali habere intentionem illum suo tempore suscipiendi: quamvis, si secùs fecerit, nullo jure imponatur ipsi obligatio restituendi fructus, modò per Vicarium satisfecerit.

CAPUT LXVII.

Observanda circa pluralitatem beneficiorum, an licita sit?

OBservandum 1°. esse illicitum, absque 558
legitima dispensatione, vel evidenti necessitate, ad Ecclesiæ utilitatem spectante, simul habere plura beneficia; quorum unum sufficit ad congruam sustentationem, attentis qualitatibus & oneribus personarum, &c. Colligitur ex Trid. sess. 24. cap. 17. de reform. ubi dicitur, quòd praxi contrariâ ecclesiasticus ordo pervertitur. Rationem dat S. Thomas quodlib. 9. a. 5. quia *hoc quod est habere plures prebendas, plures in se inordinationes continet, utpote quòd non est possibile, aliquem in pluribus Ecclesiis deservire, in quibus est præbendatus, cùm præbendæ videantur esse ordinatæ, quasi quædam stipendia Deo ibidem ministrantium. Sequitur etiam diminutio divini cultûs, dum unus loco plurium instituitur* (& sic legitur unum Officium, unum Sacrum, &c. loco plurium quæ aliàs legerentur.) *Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo deservientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest. Et multa alia ejusmodi quæ de facili patent.* Ex quibus S. Doctor concludit, pluralitatem beneficiorum non esse quidem de numero actionum, quæ dicuntur intrinsecè malæ, sive quæ habent in se deformitatem inseparabiliter annexam (aliàs, inquit, in nullo casu dispensationem recipere posset, quod nullus dicit) nec posse contineri inter actiones indifferentes, minùs inter bonas ex genere suo; sed inter eas, quæ absolutè consideratæ deformitatem, vel inordinationem quam-

dam important; quæ tamen, aliquibus circumstantiis advenientibus, bonæ efficiuntur. *Quamvis enim habere plures præbendas, aliquas inordinationes contineat; aliæ tamen circumstantiæ possunt supervenire, ita honestantes actum, quòd prædictæ inordinationes totaliter evacuentur, ut puta si sit necessarium in pluribus Ecclesiis ejus obsequium, & possit plus servire Ecclesiæ, vel tantundem, absens, quàm alius præsens; & siqua alia sunt hujusmodi; & tunc istis conditionibus supervenientibus, cum recta intentione, non erit peccatum. ... Si verò aliquis hac intentione plura beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautiùs vivat, & ut faciliùs ad Episcopatum perveniat, in aliqua Ecclesiarum ubi est præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, sed augentur: quia cum tali intentione, & unum beneficium habere esset illicitum.* Hactenùs S. Thomas.

559 Ex quibus postremis verbis S. Doctoris apparet esse illicitum, assumere pastoratum, vel ejusmodi beneficium, non animo illud perpetuò retinendi, sed solo animo ad alia pinguiora ascendendi, vel renuntiandi cum aliquo emolumento, vel simplici pensione sine obligatione animarum. Quia contrarium dicere cum Suarez to. 3. de relig. lib. 1. cap. 17. n. 18. est fovere avaritiam Sacerdotum, & carnalem cupiditatem, vocationemque ecclesiasticam, unde tota sacerdotalis sanctitas defluit, in suo fonte corrumpere, denique implere Ecclesiam mercenariis ac falsis Pastoribus, quibus non oves, sed se pascere curæ sit.

560 Observandum 2°. non posse simul retineri plura beneficia incompatibilia, absque dispensatione, quam solus Papa regulariter concedere potest: posse tamen simul retineri plura simplicia, si utrumque non requirat residentiam, & unum non sufficiat ad congruam beneficiati sustentationem, ut patet ex Trid. suprà. Potest item uni beneficio duplici adjungi aliud simplex, residentiam non exigens, quando illud prius est insufficiens. In Belgio autem usu receptum est, uni Parochiæ, authoritate Episcopi, posse addi alteram, quando utraque separatim est insufficiens. Denique Parochia unita beneficio simplici ejusdem Ecclesiæ, v. g. Canonicatui, reputatur pro unico beneficio ad effectum simul utrumque sine dispensatione retinendi.

561 Observandum 3°. quòd beneficium simplex habens, per se ad honestam sustentationem insufficiens, illud dimittere non teneatur, cùm pinguius beneficium, per se sufficiens, adeptus fuerit. Non enim id præcipit Tridentinum sess. 24. de reform. c. 17. cùm ait: *Imposterùm unum tantùm beneficium ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque residentiam non requirat, eidem conferri.* Non enim sequitur: ille qui unum per se sufficiens habet, alterum insufficiens simul acquirere non potest. Ergo qui unum habet per se sufficiens, alterum insufficiens dimittere debet. Ratio enim propter quam beneficium habens per se sufficiens, alterum insufficiens postulare & acquirere non possit, est quia ad alterum postulandum solâ avaritiâ vel ambitione impelli videtur: quam ob rationem beneficiorum pluralitas prohibetur c. *jam dudum* de præbend. & dignit. Unius verò beneficii per se insufficientis possessor, avaritiâ impelli non censetur ad postulandum alterum, ad vitam suam honestè sustentandam. Et ideò Tridentinum id permittit, ad id non requirendo ut primum dimittat, adepto secundo ad vitam sustentandam per se sufficiente.

Observandum 4°. ex cap. *multa* 28. de præbend. & extrav. *detestabilis* eod. habentem beneficium cum cura animarum, vel dignitatem, vel personatum, vel officium: si alterum ejusdem generis obtinuerit, obtentâ pacificâ possessione secundi, vacare prius. Idem statuitur de duabus præbendis uniformibus, sub eodem tecto, cap. *litteras* 9. de concess. præbendæ, v. g. de duobus Canonicatibus, vel Capellaniis, ad eandem functionem concurrentibus in eadem Ecclesia, ita ut adeptâ pacificâ possessione alterius, vacet prior. 562

Observandum 5°. dispensatum, sine legitima causa, ad habendum plura simul beneficia, non esse tutum in conscientia, sed debere alterum resignare, ut Doctores communiter tradunt. Causæ autem legitimæ tres potissimùm numerantur. 1ª. necessitas Ecclesiæ. 2ª. evidens utilitas ejusdem. 3ª. insignia merita personæ, vel majorum ejus in Ecclesiam. Quomodò in Germania filiis Principum sæpè permittitur polygamia Episcopatuum, imò & promotio ad illos ante legitimam ætatem. 563

CAPUT LXVIII.

Explicatur gravitas peccati eorum qui conferunt beneficia indignis, vel minùs dignis.

564 CErtum est 1°. conferentem indigno, cùm dignus haberi potest, gravissimè peccare, cum obligatione reparandi damna per hoc illata Ecclesiis. Toletus lib. 5. cap. 78. n. 2. & Doctores communiter, id extendentes ad Patronum præsentantem indignum, & addentes ejusmodi collationem semper esse irritabilem, & sæpè irritam ipso jure. Gravitatem istius criminis optimè explicat Alexander III. cap. *grave nimis*, de præbendis, dicens: *Grave nimis & absurdum, quòd quidam Ecclesiarum Prælati, cum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus neque morum honestas, neque litterarum scientia suffragatur, carnalem sequentes affectum, non judicium rationis. Unde quanta Ecclesiis damna provenant, nemo sanæ mentis ignorat.*

565 Certum est 2°. collationem factam minùs

digno, prætermisso notabiliter digniore, per se loquendo esse mortaliter illicitam, licèt validam. S. Th. q. 63. a. 2. Bannez ibid. & Doctores communiter. Semper enim Ecclesia grave patitur inde detrimentum: quandoquidem Ministros requirat, qui & vitæ sanctitate, & scientiâ, regendique industriâ cæteris antecellant. Est etiam collatio ejusmodi contra charitatem animarum, quarum tantò plures salvarentur, quantò aptior ministeriis præficeretur. Porrò non statim dignior est, qui doctior, vel sanctior, sed qui spectatis omnibus videtur futurus utilior Ecclesiis, vel officio melius functurus.

566 Plures tamen limitant conclusionem, ut procedat in collatione beneficiorum habentium curam animarum, vel Ecclesiasticam jurisdictionem, vel administrationem magni momenti: secùs in collatione beneficiorum simplicium, quam putant solùm esse veniale peccatum, quando non fit per concursum, nec hujusmodi beneficia passim, sed semel aut iterum conferuntur minùs digno. Videri potest Lessius. Sed non acquiesco, quia justitia distributiva equidem læditur in re gravi, sicut & cultus Dei, & Ecclesiæ ministerium, quod per digniorem notabiliter melius fieret, ut supponitur.

567 Certum est 3°. per accidens in certis casibus esse licitum conferre minùs digno, dignioti prætermisso. 1°. quando beneficium ex sua institutione, per Ecclesiam acceptatâ & confirmatâ, dandum est alicui ex certa familia vel oppido: tunc enim talis cæteris est præferendus, si dignus sit. 2°. quando non est liberum Collatori, vel Institutori, conferre alteri, vel alterum instituere, quàm sibi præsentatum à Patrono, si dignus sit: qui tamen illicitè præsentat minùs dignum, omisso digniori, saltem ad beneficium habens curam animarum, &c. quidquid dicat Diana parte 2. tr. 1. miscell. resol. 37.

568 Certum est 4°. intervenire etiam culpam mortalem in distributione officiorum sæcularium, dum prætermittuntur digniores, maximè si officia sint majoris momenti, & à quibus Respublica multùm pendet, ut multis probat Lessius cap. 32. dub. 3. Est etiam contra fidelitatem Reipublicæ debitam, quæ exigit ut Ministri procurentur quàm maximè idonei. Nec verum est quòd œconomus non teneatur domino suo procurare operarios aptissimos, maximè ubi commodè & sine ullo suo dispendio potest: quis enim vellet assumere talem œconomum, quem ea mente esse intelligeret.

CAPUT LXIX.

Tribus præsertim modis acquiruntur beneficia.

569 PRimò electione, subsecutâ legitimâ confirmatione. Secundò præsentatione Patroni, accedente institutione Prælati Ecclesiastici. Tertiò liberâ collatione. Electio est alicujus ad prælaturam vel dignitatem Ecclesiasticam canonicè facta vocatio, confirmatione Superioris legitimè approbata. Ante confirmationem electus solùm habet jus ad rem, post confirmationem jus in re. Forma canonicæ electionis triplex assignatur cap. 42. de electione. Prima & ordinaria per scrutinium, seu collectionem suffragiorum à scrutatoribus, in qua necesse est ut major vel senior pars suffragantium in unum & eumdem concurrat. Secunda per compromissum, cùm omnes electores (non enim valet compromissum nisi omnes consentiant) capitulariter congregati, uni vel pluribus viris idoneis eligendi tribuunt potestatem. Tertia quasi per inspirationem, seu subitaneam omnium in eumdem acclamationem, quæ dici solet viæ Spiritûs sancti: ad quam requiritur ut nulla præcesserit nominatio, nec specialis tractatus, ac nemine discrepante, consentiant, ita ut uno velut ore eligant omnes.

Electioni affinis est *postulatio*, quæ est sup- 570
plex Capituli ad Superiorem facta petitio, ut certa persona (quæ eligi non potest, ob aliquem defectum dispensabilem) ad prælaturam seu dignitatem Ecclesiasticam, non obstante illo defectu, promoveatur; si tamen major pars ad electionem processerit, electio prævalet, utpote juri conformior.

Præsentatio est personæ alicujus exhibitio, 571
Episcopo vel alteri ad quem institutio pertinet, legitimè facta ab eo qui habet jus patronatûs, ut ei beneficium conferat & instituat. Quòd si præsentatus sit idoneus, licèt nullum jus spirituale acquirat, per præsentationem à Laico factam, Prælatus tenetur eum instituere: nec valet institutio sine patrono facta, ubi beneficium est patronatum. Si tamen Patronus debito tempore non præsentaverit, id est intra quatuor menses à vacatione beneficii (dum patronatus est laicus) vel intra sex menses (dum est Ecclesiasticus) beneficium devolvitur ad Episcopum. Ad parochiale verò beneficium præsentatio fieri debet intra 20. dies ex Const. Pii V. ubi ea recepta est.

Hinc patet quid sit jus patronatûs, est enim 572
jus taliter præsentandi ad beneficium vacans. Et tribus modis acquiritur patronatus laicus: fundatione ipsius Patroni (juxta illud, *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.* Ecclesiasticus verò patronatus non acquiritur ex fundatione Ecclesiæ, de bonis patrimonialibus ipsius Patroni; sed de bonis Ecclesiæ, cui præest, vel in qua dignitatem habet. Bassæus verbo *beneficium* n. 3.

Ad præsentationem accedit *nominatio*, quâ Principes, ex indulto Summi Pontificis, nominant promovendos ad prælaturas vel dignitates Ecclesiasticas, in terris sibi subjectis, uti & Universitates aliquando nominant ad beneficia vacantia vel vacatura, de quibus agunt Garcia, Rebuffus, & alii.

Collatio est concessio juris in beneficium li- 573

berè (id est independenter à præsentatione & nominatione alterius) facta ab habente potestatem. Differt ab institutione strictè sumpta, quòd hæc sit concessio juris non libera. Summus Pontifex, tamquam supremus rerum ecclesiasticarum Dispensator, habet jus conferendi beneficia per totam Ecclesiam. Quæ quidem conferre potest tribus modis. Primò jure præventionis, ut quando alicui confert expectativam ad beneficium primò vacaturum. Secundò jure concursûs cum Episcopis, aliisque Collatoribus: quo casu valet collatio ejus qui prior contulit. Tertiò jure devolutionis, quando ex Canonum dispositione collatio ad ipsum devolvitur, ratione criminis vel negligentiæ Collatoris: si enim beneficia & dignitates infra Episcopatum & Abbatiam non conferantur intra sex menses; vel si collatio aut resignatio fuerit simoniaca, jus collationis devolvitur gradatim ad Episcopum, ab Episcopo ad Archiepiscopum, ab Archiepiscopo ad Papam, qui ad vitandas confusiones & lites, nunquam vel ratò utitur jure præventionis & concursûs, reservatis sibi, in multis Ecclesiis, certis in anno mensibus, reliquis Episcopo relictis. Qui quidem Episcopus est primus Collator omnium beneficiorum suæ Diœcesis, nisi ex fundatione vel consuetudine legitimè præscripta jus conferendi alteri competat, v. g. Capitulo, Decano, Præposito, Abbati, vel alteri Ecclesiastico. Laicus enim nullâ præscriptione vel consuetudine, etiam immemoriali, conferre potest beneficium Ecclesiasticum, nisi materialiter & instrumentaliter ex privilegio Papæ. An autem jus illud conferendi transeat ad Capitulum Sede vacante? Respondeo negativè, exceptis beneficiis quæ Capitulum cum Episcopo conferre solebat. Potest tamen, Sede vacante, instituere præsentatos, electos confirmare, recipere resignationes, & causas permutationis, & beneficia unire ex causa legitima.

CAPUT LXX.

Tribus etiam modis beneficia amittuntur.

574 UTique dispositione juris, sententiâ Judicis, & liberâ dispositione per renuntiationem, resignationem, vel permutationem.

Dispositione juris amittitur, primò per professionem religiosam. Secundò per matrimonium validum. Tertiò per obtentionem & pacificam possessionem alterius beneficii incompatibilis. Quartò per varia crimina, quibus jura imponunt pœnam privationis ipso facto incurrendam, cujusmodi sunt simonia, homicidium qualificatum (per sicarium mercede conductum) hæresis, violenta intrusio sui ipsius in beneficium, percussio Episcopi, vel Cardinalis, falsificatio litterarum Apostolic. Sunt & alia crimina, quibus ea pœna imposita est, sed non ipso facto, ut homicidium simplex, perjurium, sacrilegium, adulterium, in quibus requiritur sententia condemnatoria, in prioribus nonnisi criminis declaratoria, de quo in materia de legibus.

Resignatio beneficii est libera illius dimissio, in manus legitimi Superioris eam acceptantis. Duplex est, pura, quâ quis dimittit beneficium in manus Superioris, absolutè & sine ulla conditione, ut de eo secundùm suam conscientiam disponat; & conditionata, quâ dimittit illud, vel causâ permutandi, vel in favorem tertii cum conditione, seu clausula, *nec aliter*, *nec aliàs*. Et hæc ex stylo Curiæ regulariter fieri debet in manus Papæ: quamvis enim beneficiatus resignare possit in manus Ordinarii, supplicando ut conferat certæ personæ; Ordinarius tamen ad hoc obligari non potest, nec resignationem factam in favorem alicujus acceptare ut puram, ac deinde conferre beneficium cui voluerit, quidquid aliqui dixerint. Ut autem resignatio valida sit, requiritur primò ut sit libera: quia facta ex metu vel dolo est irrita, vel irritanda. Secundò coram legitimo Superiore; aliàs non valet ex parte Ecclesiæ, sed solùm ex parte renuntiantis, cui legitimus Superior, etiam invito, potest auferre, alteriique conferre; nisi re adhuc integrâ revocaverit suam renuntiationem. Tertiò debet esse acceptata à Superiore: qui si recuset malitiosè, & absque justa causa, cogi potest à suo Superiore, & si resignatio facta sit in favorem, conferre debet illi in cujus favorem (cum clausula consueta) facta est resignatio; aliàs provisio non valebit, etiamsi à Papa sit facta. Bassæus verbo *benef.* n. 9. Quartò, si beneficium sit electivum, vel patronatum, requiritur consensus electorum, vel Patroni. Quintò, resignans post resignationem supervivere debet viginti dies, si sit infirmus; aliàs beneficium per mortem, non per resignationem vacare censetur, ex reg. Cancellariæ Romanæ. Quam stylus Curiæ extendit etiam ad resignationem factam à sano. Zypæus tamen in Analysi tit. de renuntiatione docet Legatum Papæ posse illi regulæ derogare, etiam cum præjudicio graduatorum expectantium. Sextò, resignatio publicari debet in loco beneficii intra sex menses, si resignatio fiat in Curia Romana, & beneficium sit citra montes; intra novem, si ultra montes. At si resignatio fiat extra Curiam Romanam, Ordinarius conferre debet intra mensem. Quæ etiam locum habent in permutatione, nisi quòd hæc solùm intra tres menses publicanda sit in loco beneficii, si facta sit extra Romanam Curiam, cujus temporis lapsus definitur à die quo oblata fuit supplicatio. Bassæus n. 7. 575

Porrò beneficiorum Papæ non reservatorum permutatio fieri potest in manus Ordinarii. Quòd si beneficia pluribus Ordinariis subjaceant, facienda est in manus plurium; & si habeant Collatorem inferiorem Ordinario, hic debet permutantes ad eum remittere pro collatione ipsis facienda, accedente tamen consensu Patroni vel Patronorum, sub pœna nullitatis. Quòd si executio permuta- 576

tionis

tionis utrimque non fiat eodem tempore, & is cui alter resignavit, secutâ collatione ante compermutantis resignationem moriatur, alter compermutator potest utrumque beneficium retinere, nisi aliud ex supradictis obstet. Denique si resignatione ex parte unius compermutantium impletâ, alter ex parte sua implere nolit, ille potest ad suum redire beneficium; ad quod aliqui novam collationem requirunt, alii non requirunt.

CAPUT LXXI.

Pensionis ecclesiasticæ natura & conditiones.

577 PEnsio hîc est jus percipiendi fructus ex alieno beneficio. Triplex est: *Temporalis*, quæ dari potest etiam Laïcis pro aliquo ministerio temporali erga Ecclesiam, v. g. agenti res Ecclesiæ. *Spiritualis*, quæ Clerico datur ob officium spirituale erga Ecclesiam, v. g. Suffraganeo, Vicario Parochi, &c. *Media*, quæ soli datur Clerico, non ob præstandum spirituale officium, sed ob cessionem vel resignationem, vel litis compositionem, aut aliam justam causam. Ut autem quis capax sit pensionis Clericalis (id est spiritualis, vel mediæ) debet 1°. esse Clericus. 2°. habere ætatem 14. annorum, licèt aliqui putent sufficere ætatem 7. annorum. 3°. ferre habitum Clericalem, si pensio excedat 60. ducatos. 4°. esse legitimus. 5°. non excommunicatus, non irregularis, &c. licèt Garcia, Lessius, & alii putent excommunicatum & irregularem esse capacem pensionis.

578 Solus verò Papa ex stylo Curiæ, communique jure (statuente, ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur) per se loquendo potest beneficiis pensiones imponere: nisi fortè consuetudo legitimè præscripta quibusdam Episcopis hoc permittat. Principes autem nullo modo possunt Abbatias pensionibus onerare, etiam ad pias causas, nisi sub beneplacito Papæ. Quod antequam interveniat, nullas vires habet quævis promissio, nec effectum obligatio. Et generaliter quicumque recipit pensionem ante confirmationem Papæ, tenetur ad restitutionem, cessatque ipsi pensio. Per accidens tamen omnibus Episcopis permittitur impositio pensionis. 1°. ob paupertatem & senium ejus qui resignat. 2°. causâ compositionis in lite. 3°. causâ permutationis ob inæqualitatem fructuum. Quibus casibus pensio non extinguitur nisi morte pensionarii, in cujus favorem gravatum est beneficium; quo superstite, solvi debet etiam à successore.

Cæterùm pensio debet esse moderata, ne 579
Beneficiarius nimis gravetur, maximè si beneficium sit curatum. Cujusmodi beneficiis nulla pensio (secundùm Trid. sess. 24. cap. 13. de reform.) imponi potest, nisi excedant valorem 100. ducatorum. Generatim autem pensio non debet excedere tertiam partem omnium fructuum, quamvis Pontifex possit majorem imponere. Doctores communiter. Pensionarius autem 1°. non obligatur ad Horas, sed ad Officium parvum B. Virginis. Quod si omittat, tenetur ad restiturionem. 2°. non potest vendere pensionem sine licentia Papæ: quamvis possit redimere quinque annatis, conveniendo cum Beneficiario, ut istam accipiat summam pro pensionis extinctione, dummodò in resignatione vel cessione non intervenerit pactum de redimendo. 3°. non potest illam commutare cum beneficio; aliàs foret simoniacus.

Quoad Beneficiarium pensione gravatum, 580
eam tenetur solvere sub mortali, uti colligitur ex gravibus pœnis, scilicet excommunicationis & privationis beneficii, quibus solutio solet ipsi præcipi in Litteris eam assignantibus.

PARS II.

Amor sine reverentia magna non usurpans sanctum Dei nomen.

Ad secundum Decalogi præceptum: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

SEcundum istud præceptum necessariò consequitur primum. Quisquis enim summè colit & diligit aliquem, sine reverentia magna de ipso non loquitur. Si ergo Deum summè diligimus & colimus, summè cavere debemus, ne nomen ejus nisi summa cum reverentia usurpemus. Qua in re gravissimè peccant Christiani, proh dolor! nimis multi, per quos nomen Dei blasphematur. Siquidem teste Chrysostomo homil. 10. in Acta, *nullus cum reverentia memor est nominis Dei. Et tu quidem, si dilexeris quempiam, ad nomen illius excitatior efficeris: Deum autem sic continuò vocas quasi nihil. Nomen illius usurpas ut iram tuam in proximum demonstres, ut ipsi malum imprecaris. Voca illum ut benefacias inimico. Voca illum in salutem animæ tuæ: tunc aderit; tunc lætificas illum. Voca sicut vocavit S. Stephanus, dicens:* Domine ne statuas illis hoc peccatum.

Contra præceptum istud principaliter peccant, qui indebitè jurant. Ideò sit

CAPUT I.

Juramentum definitur ac dividitur.

JUramentum à S. Thoma q. 89. art. 1. 1
sic definitur: *Juramentum est invocatio divini testimonii, ad fidem faciendam assertioni rerum præsentium vel præteritarum* (& est juramentum assertorium) *vel ad confirmandam promissionem rerum futurarum*, & est juramentum promissorium. Si fiat cum debiti

conditionibus, est actus latriæ, quo veracitas Dei indefectibilis & omni-scientia recognoscitur, in quantum ipse assumitur in testem, ut per ipsum suppleatur insufficientia humani testimonii, duobus defectibus obnoxii, scilicet defectui veritatis (quia multi homines mentiuntur) & defectui cognitionis, quia humana cognitio deficit in multis, nec extendit se ad futura, nec ad secreta cordium, nec ad absentia, de quibus tamen homines sæpè loquuntur. Videri potest S. Doctor loco citato, ubi ad primum dicit, quòd ille *qui utitur testimonio Dei jam dato* (quod facit, qui authoritatem sacræ Scripturæ assumit ad probandam suam assertionem) non jurat; sed ille qui testimonium Dei implorat ut exhibendum. Et ad tertium quòd *duplex est modus jurandi. Unus quidem per simplicem Dei contestationem, sicut cùm aliquis dicit, est mihi Deus testis, vel coram Deo loquor, vel per Deum, quod idem est*, ut dicit Aug. lib. 1. de Serm. Dom. in monte cap. 30. *Alius modus jurandi est per execrationem, dum scilicet aliquis se, vel aliquid ad se pertinens ad pœnam coram Deo obligat, nisi sit verum quod dicit. Et istud dicitur juramentum execratorium.*

2 Sed notandum 1°. circa priorem modum, hæc verba, *testis est Deus, Deus scit, tam verum est quod dico, quàm ipsum Evangelium, &c.* posse dupliciter proferri, enuntiativè scilicet, & invocativè; si invocativè proferantur, est juramentum; secùs si merè enuntiativè: quia ille non jurat propriè loquendo, qui testimonium Dei non implorat ut exhibendum, ut patet ex præmissis verbis S. Doctoris. Unde pendet ab intentione proferentis, per illa facere vel non facere juramentum, inquit Urbanus noster ab Ascensione, benè advertens, quòd dum quis protulit verba, utplurimùm significantia juramentum, id est pro juramento utplurimùm accipi & proferri solita (cujusmodi illa esse significat S. Doctor) in dubio de intentione, judicandum esse juramentum.

3 Notandum 2°. ad rationem juramenti duo esse necessaria. 1um. est intentio jurandi, seu Deum vocandi in testem. 2um. est locutio, quâ in testem vocetur; quæ locutio partim est interna, seu intellectualis, partim externa, seu vocalis, id est voce vel alio signo exteriore expressa. Si alterutrum desit, non est juramentum. Unde patet 1°. eos qui ex ira videntur jurare, si non habeant jurandi intentionem, non tam jurare, quàm imprecari malum, vel iram manifestare. 2°. eos qui jurant per creaturas, vel fidem earum, propriè non jurare, nisi hoc faciant cum relatione ad Deum, sive ad divinam Veritatem in ipsis elucentem, quod non est judicandum, nisi id expressè intenderint, vel usi sint verbis, quibus communi hominum sensu & usu juramentum esse creditur, cujusmodi sunt, *per thronum Dei, per ignem Dei, in fide Dei, in fide Sacerdotis, per sanctum Evangelium, &c.* Qui verò dicunt, *per fidem meam, fide boni viri*, ordinariè intelliguntur loqui de fide humana. Et idem docent Navarrus cap. 12. n. 20. Cajet. hîc articulo 6. Sotus lib. 8. q. 1. art. 1. de iis qui dicunt, *in fide boni Christiani, boni Sacerdotis*, &c. 3°. eos non jurare, qui dicunt, *per meam conscientiam, in conscientia, in veritate*, &c. secùs qui dicunt, *coram Deo loquor, Deus scit, Deus videt me vera dicere* (nisi expressè intendant iis loquendi formulis enuntiativè uti, non invocativè) sic enim juravit Apostolus ad Galatas 1. *Ecce coram Deo, quia non mentior.* 4°. eos qui jurant per falsos deos, v. g. per Jovem, scientes Jovem nihil esse, potiùs jocari, & ludere juramenti imagine, quàm jurare; perinde ac si jurarent per chymeram: nisi fortè id faciant seriò, vel ad imperium Tyranni, vel in illis circumstantiis, in quibus videantur honorem deferre Jovi, quo casu est actus idololatriæ. Illi verò qui falsum jurant per Jovem, quem putant esse Deum, sunt perjuri, si non effectivè, saltem affectivè.

Notandum 3°. juramentum aliud execratorium, aliud comminatorium. Aliud assertorium, aliud promissorium. *Execratorium* 4 fit, non solùm invocando Deum in testem, sed etiam in vindicem, nisi quod asseritur verum sit, vel nisi promissum impleatur, v. g. dicendo: *Destruat me Deus, hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ita me Deus amet, me adjuvet, ita mihi sit propitius, per vitam meam, per salutem Regis*, &c. Est enim æquivalenter dicere: *Deus mihi vitam, Regi salutem eripiat*, &c. ut notant Toletus, & alii passim. *Comminatorium* fit, juramento minas confirmando, ut *juro per Deum quòd frangam tibi collum. Assertorium & promissorium* explicatum est num. 1.

Notandum 4°. juramentum rursus aliud 5 esse absolutum, aliud conditionatum, quod scilicet habet conditionem expressam, vel tacitam ex dispositione juris, vel intentione jurantis. Aliud simplex, aliud solemne. Istud, non illud, habet notabilem circumstantiam externam, ut si fiat coram Notario & duobus testibus; vel in judicio, vel tactis Evangeliis aut Reliquiis. Quisquis autem convincitur de perjurio, seu juramento assertorio falsò prolato in judicio, incurrit infamiam, cum repulsa à testimonio deinceps ferendo, & aliis pœnis, cap. *infames* & cap. *quicumque* 6. q. 1. Et si sit Clericus, in Monasterium (non ad professionem, sed ad agendam pœnitentiam) detruditur, cap. *si Episcopus* distinct. 5. & cap. *cùm ab homine* extrav. de judiciis. Clericus verò convictus id extra judicium fecisse, in præjudicium hominis privati, depositionis pœnâ plectitur ibid.

CAPUT II.

Juramentum esse potest bonum, & actus latriæ, si debita serventur conditiones.

PRimâ facie videtur illicitum jurare. 1°. 6 quia id prohibetur Matth. 5. *Dico vobis non*

non jurare omninò. Et Jac. 5. *Nolite jurare.*

2°. juramentum à malo est : ergo malum. Probatur assumptum ex Matth. 5. *Sit autem sermo vester : Est, est : Non, non ; quod autem his abundantius est, à malo est.*

3°. non licet tentare Deum. Sed jurans hoc facit : quia exquirit signum divinæ providentiæ, dum petit divinum testimonium ad manifestandum aliquem effectum.

7 Nihilominùs assertionis nostræ veritas patet ex dictis cap. 1. & confirmatur tum ex Deuteron. 6. *Deum tuum timebis, & per nomen ejus jurabis.* Tum ex praxi Sanctorum, qui leguntur sua pacta & fœdera juramento firmasse, ut Abraham Gen. 21. Isaac ibid. cap. 29. Jacob cap. 33. Et frequenter Apostolus Paulus in epistolis suis. Qui etiam Hebr. 6. dicit : *omnis controversiæ finem esse juramentum.* Et ratio assertionis est, quia juramentum facit, ut ex reverentia divini nominis veritatem dicamus, pacta custodiamus, fidem servemus, controversias dirimamus : quæ omnia bona sunt, imò rebus humanis plerumque necessaria.

8 Præclarè nihilominùs S. Thomas q. 89. a. 3. docet *juramentum non esse bonum, nisi ei qui bene utitur juramento. Ad bonum autem usum juramenti, duo requiruntur* : 1°. *quidem quòd aliquis non leviter, sed ex necessaria causa, & discretè juret : & quantum ad hoc requiritur judicium, scilicet discretionis ex parte jurantis.* 2°. *quantum ad id quod per juramentum confirmatur, ut scilicet neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum ; & quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis juramento confirmat quod verum est ; & justitia, per quam confirmat quod licitum est.* Hactenùs S. Thomas, verbis illis tres complectens conditiones ad juramentum licitum requisitas. Hierem. 4. *Jurabis : Vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in justitia.* Unde S. Hieronymus relatus cap. *animadvertendum* 22. q. 2. docet, quòd *legitimum jusjurandum hos habet comites, scilicet veritatem, judicium, & justitiam : si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium*, saltem latè sumptum pro illicito juramento, cujusmodi est illud quod non habet comites tres illas conditiones. Aliàs enim si perjurium sumatur strictè (prout usitatiùs & famosiùs accipi solet, & à S. Th. q. 89. a. 1. in argum. *sed contrà* perjurium definitur esse *mendacium juramento firmatum*) ad rationem perjurii ut sic, non sufficit absentia solius judicii, vel solius justitiæ, vel utriusque conjunctim ; sed de necessitate requiritur absentia veritatis, juxta illud S. Doctoris ibid. *In juramento falsitas est de ratione perjurii.*

9 Præclarè etiam S. Augustinus de mendacio c. 18. observat, juramentum non esse per se appetibile, sed ob necessitatem infirmitatis alterius, cui non aliter videtur persuaderi posse quod dicitur, nisi jurando fides fiat. Ita etiam S. Thomas q. 89. a. 5. dicens : *Juramentum non est habendum inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea quæ sunt hujus vitæ necessaria, quibus indebitè utitur, quicumque eis utitur ultra terminos necessitatis.* Quia, ut ait ad 3. *sicut medicina est utilis ad sanandum, & tamen quanto est virtuosior, tanto majus nocumentum inducit, si non debitè sumatur ; ita etiam juramentum utile quidem est ad confirmationem ; tamen quanto magis est venerandum, tanto est magis periculosum, nisi debitè inducatur.* Unde Eccli. 23. dicitur : *Vir multùm jurans, replebitur iniquitate*, præsertim dum ex loquacitate, aut malâ consuetudine (quam emendare non curat) quâcumque occasione jurat. Iste profectò, licèt scienter falsum non juret, rarò à peccato mortali excusatur. Tum propter omissionem reverentiæ nominis Dei, quod toties in vanum assumit. Tum propter contemptum, & scandalum inde communiter natum sequi. Tum propter periculum cui se temerè exponit (indiscriminatim jurando) etiam falsum jurandi ; quod censetur interpretativè velle, qui non studet juramentum condire discretionis sale. Quo in genere non parum reprehensibiles sunt, qui (contra præceptum ejusdem Ecclesiastici ibid. *Jurationi non assuescat os tuum : multi enim casus in illa*) jurationi sic assuescunt, ut juramentum quasi ludum, vel sermonis condimentum putent. In quos videri potest invectiva zelosissimi Antistitis Salviani apud Sinnich. in Saüle lib. 1. §. 390. Videatur etiam S. Doctor. a. 7. ad 1. ubi docet, quòd *juramentum adhiberi non debet, nisi in re, de qua aliquis firmiter certus est.*

Nec obstant argumenta in contrarium. Ad 10
primum enim dicendum 1°. cum S. Thoma art. 2. ad 1. *quòd sicut Augustinus dicit in lib. de mendac. cap. 15. Apostolus in epistolis suis jurans ostendit quomodo accipiendum esset quod dictum est*, " dico vobis non jurare omninò, " *ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi perveniatur, & ex facilitate jurandi ad consuetudinem, & à consuetudine in perjurium decidatur. Et ideò non invenitur jurasse nisi scribens, ubi consideratio cautior non habet linguam præcipitem.* Solùm itaque prohibet jurare absque præscriptis conditionibus.

Ad secundum dicendum 1°. cum eodem 11
Aug. & S. Th. ad 2. cumque Innocentio III. cap. *ecce Christus* de jurejur. quòd Dominus non dixit juramentum esse *malum*, sed esse *à malo*, utique ab infirmitate proximi (quæ malum quoddam est) quatenùs juramentum ex præmissis est ob necessitatem infirmitatis proximi. 2°. cum eodem Innocentio III. quòd Christus *nusquam per Creatorem, sed per creaturam jurare prohibuit, ne per ejusmodi juramentum transferretur ad creaturam honorificentia Creatoris.* 3°. rursus cum Augustino l. 1. de serm. Domini in monte c. 31. *cum diceretur*, " Ego autem dico vobis non ju- "
rare omninò, " *cur additum sit*, " neque per "
cælum, &c. " *credo propterea, quia non putabant Judæi se teneri jurejurando, si per ista jurassent ; & quoniam audierant*, " redde- "

autem Domino jusjurandum tuum, " *non se putabant Domino debere jusjurandum, si per cælum, aut per terram, aut per Jerosolymam, aut per caput suum jurarent.... Itaque Dominus docet nihil esse tam vile in creaturis Dei, ut per hoc quisquam pejerandum arbitretur.* Et infrà : *Neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum ejus est, id est, cùm juras per cælum aut terram, non te arbitreris non debere jusjurandum tuum Domino, quia per eum jurare convinceris, cujus thronus cælum est, & cujus scabellum terra est.* Unde Hessélius in Decalogum c. 75. existimat, à Christo non prohiberi omne juramentum, sed vocem *jurare* poni pro *pejerare*, ita ut sensus sit, *nolite jurare omnino falsum.* Dumque Christus addit : *sit sermo vester : Est, est : Non, non*, præcipere veracitatem in sermone, ut sensus sit : *nolite falsum jurare ; sed quando res est, dicite est ; quando non est, dicite non est.* Quod ibidem similibus Scripturæ phrasibus illustrat.

12 Ad tertium S. Thomas respondet quòd *ille qui jurat, non tentat Deum, quia non implorat divinum auxilium absque utilitate & necessitate. Et non exponit se alicui periculo, si Deus testimonium adhibere noluerit in præsenti. Adhibebit autem pro certo testimonium in futuro, quando illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, ut dicitur 1. Cor. 4.

CAPUT III.

Obligatio juramenti promissorii.

13 Dicendum primò cum S. Thoma art. 7. quòd *sicut juramentum assertorium quod est de præterito, vel de præsenti, debet habere veritatem : ita & juramentum promissorium, de his quæ sunt fienda à nobis in futurum. Et ideò utrumque juramentum habet quamdam obligationem, diversimodè tamen. Quia in juramento quod est de præterito, vel præsenti, obligatio est, non respectu rei quæ jam fuit, vel est ; sed respectu actûs jurandi, ut scilicet juret id quod jam verum est, vel fuit. Sed in juramento promissorio, de his quæ sunt fienda à nobis, obligatio cadit econtrà super rem quam aliquis juramento firmavit : tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse id quod juravit : alioqui deest veritas juramento.* Tenetur (inquam) *propter reverentiam divini testimonii, quod invocatur*, ait S. Doctor ad 1. Aliàs Deus in fallitatis & mendacii testem assumitur : quod quia semper grave est, sive in parva, sive in magna materia (quia, sive in magna, sive in parva sit, testis fallitatis assumitur ipsa Veritas, & infinita Veracitas, quod sive corde fiat, sive opere, non potest non esse grave, cùm perinde sit ac Deum negare) ideò juramentum promissorium, prout assertorium, graviter obligat in omni materia, quia gravitas obligationis ipsius non petitur ex materia, sed ex reverentia divini testimonii, seu divinæ Veritatis & Veracitatis, quam opere & in actu exercito negare censetur, qui eam in falsitatis testem assumit, sive in materia magna, sive in materia parva. Neque enim esse potest Veritas & Veracitas divina, si testis est falsitatis, sive in parva, sive in materia magna. Unde non magis hîc dari potest materia parva, excusans à mortali culpa, quàm in idololatria, vel quàm in juramento per falsos deos ; maximè cùm secundùm Aug. epist. 154. *sine ulla dubitatione minus malum sit jurare per falsos deos veraciter, quam per verum Deum fallaciter.*

Scio quòd Castro-Palao, & quidam alii 14
doceant, non esse peccatum mortale rem levem juramento promissorio promissam non dare, si dum te daturum juraste, dare intendisti, licèt posteà animum mutes : quia putant veritatem juramenti promissorii consistere in conformitate juramenti cum intentione jurantis pro tempore quo jurat, ita ut salva sit veritas ipsius, dummodò tunc verè intendat stare promisso, etiamsi ab ea intentione posteà recedat. Sed hoc perperàm docent : quia ex sancto Thoma vidimus, veritatem juramenti promissorii peti ex conformitate juramenti cum re promissa. Enimverò veritas hujus promissionis, v. g. *dabo tibi eras centum aureos*, non est conformitas ipsius cum intentione dandi, sed cum re promissa : quia ab eo quòd res est vel non est, propositio est vera vel falsa : propositio verò illa non est de re præsenti, sed de futura, sive de eo *quod fiendum est*, ut loquitur S. Doctor. Et ideò obligatio juramenti promissorii *cadit super rem quam aliquis juramento firmavit. Tenetur enim facere verum id quod juravit*, si possit. Per consequens *obligatur ad id faciendum, quod juravit se facturum, ad hoc quòd* juramenti sui *veritas impleatur.*

Ex his habes, juramentum tam promisso- 15
rium, quàm assertorium, ex veritatis defectu esse peccatum mortale ; neque ab eo excusari ex materiæ levitate. De justitiæ defectu, infrà. Quoad solius judicii defectum, Doctores plurimi censent solùm esse venialem divini nominis irreverentiam, siquis semel aut iterùm leviter juret super re vana, vel levi, dummodò vera sit, & licita. Ita Sylvester verbo *juramentum* 2. n. 8. Sotus lib. 8. q. 2. a. 3. conc. 6. Navarrus cap. 12. n. 3. Toletus lib. 4. cap. 21. n. 12. Verùm tamen qui paratus est ejusmodi juramenta frequentare, vel talem absque judicio & justa necessitate jurandi frequentiam non curat emendare, mortaliter peccat, sive quia divini nominis irreverentia taliter sæpè repetita tandem fit notabilis, sive quia consuetudo absque judicio discretionis jurandi pessima est & mortifera, ut suprà vidimus. Et tradit Aug. Serm. 30. de verbis Apostoli, & Serm. 10. inter Parisienses.

Dicendum 2°. quòd quicumque jurat ali- 16
quid se facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc quòd veritas impleatur, ut suprà vidi-

mus, dummodò tamen duo alii comites adsint, scilicet judicium & justitia. Unde si res juramento promissa evadat illicita, vel majoris boni impeditiva, cessat juramenti obligatio : quia tunc materiæ juramenti deest justitia, & secundùm Aug. relatum cap. *si aliquid* 22. q. 4. juramentum non est servandum, *quando vergit in deteriorem exitum.* Quod contingit quoties materia juramenti est illicita, vel majoris boni impeditiva. Hoc tamen non contingit dum quis, post juratam matrimonii promissionem (sub impleta ex parte alterius conditione copulæ) vult ingredi Religionem, nisi consentiat illa, cui promisit : neque enim majus bonum invenitur, ubi proximo damnum ac præjudicium infertur. Cæterùm qui jurat se facturum rem per se illicitam, duplex peccatum committit. Primum irreverentiæ, seu profanationis nominis Dei, qui quodammodo redditur fidejussor & obses iniquitatis (quam ob causam juramentum de perpetrando veniali peccato mortale peccatum est, prout docet Marchantius Tribunalis Sacramentalis to. 2. tract. 3. tit. 9. q. 2. reg. 2.) Secundum est voluntatis pravæ aliquid iniquè agendi.

17 Dicendum 3°. quòd in materiis à matrimonio distinctis juramentum promissorium, etsi metu gravi injustè extortum, obligat, si res promissa honestè præstari queat, & promittens habuerit intentionem se obligandi. Ita S. Thomas q. 89. a. 7. ad 3. & q. 98. a. 3. ad 1. Unde si latroni, metu coactus, promisisti sub juramento pecuniam, teneris dare, nisi tibi per legitimam potestatem juramenti obligatio relaxetur : quia, ut dicit S. Doctor citato art. 7. ad 3. *in juramento quod quis coactus facit, duplex est obligatio : una quidem, quâ obligatur homini cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem : quia ille qui vim intulit hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, quâ quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit, & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ : quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare*; coactio namque non aufert juramento promissorio vim obligandi ad implendum illud quod licitè fieri potest. Et ideò si aliquis non impleat quod coactus juravit, nihilominus perjurium incurrit, & mortaliter peccat. Potest tamen (inquit S. Doctor) *in judicio repetere quod solvit, vel Prælato denuntiare, juramentique dispensationem & relaxationem petere, non obstante quòd contrarium juraverit.* Quia juramentum non denuntiandi *esset contra justitiam publicam*, adeòque *vergeret in deteriorem exitum.* Super juramento verò non petendi dispensationem, potest petere dispensationem, & tunc dispensationem super juramento solvendi promissum petere. Ex dictis

18 Sequitur primò, eum qui juravit se rediturum in carcerem, quamvis injuriosum, obligari ad redeundum, licèt sciat se injustè plectendum. Ita Sylvester verbo *juramentum* 4. q. 26. Cajetanus hîc q. 89. art. 7. ad 4. Sotus lib. 7. q. 1. art. 3. Tolet. lib. 4. c. 22. contra Navarr. c. 12. n. 18. quia cùm illa promissio fuerit prudenter facta (utpote sine qua non obtinuisset exitum ad componendas res suas) ejus (utpote rei prudenter promissæ) executio est licita, adeòque servanda, si fuerit juramento firmata, ne Deus falsus testis efficiatur, quæ foret injuria magna in talem ac tantam Majestatem. Quâ etiam ratione qui juravit usuras solvere, licèt injuriosè exactas, solvere tenetur, cap. *debitores* de usuris.

Sequitur secundò, juramentum per omnia 19
non sequi naturam actûs juramento firmati : quia promissio metu injusto extorta, arbitrio promittentis revocari potest, ut passim docent Theologi, & apertè innuit S. Doctor suprà; secus si fuerit juramento firmata. Juramentum ergo quoad firmitatem non sequitur naturam actûs jurati, sed solùm quoad conditiones tacitas, & alias limitationes, quas actus juratus habet ex jure, consuetudine, vel contrahentium mente.

Sequitur tertiò, non esse per omnia rationem 20
eamdem voti & juramenti : quia juramentum non debet necessariò esse de meliori bono, sed sufficit esse de eo quod licitè præstari potest; adeòque potest esse de re indifferenti, quando est in favorem alterius : quia in juramento solùm attenditur an executio sit licita, & promissario commoda. In voto autem spectatur, an executio sit Deo gratior, quàm ejus omissio.

CAPUT IV.

Juramentum promissorium ficto animo factum illicitum est, est obligatorium tamen.

TRipliciter contingere potest hujusmodi 21
fictio. 1°. si quis exteriùs juret sine animo jurandi. 2°. si juret animo jurandi, non tamen se obligandi. 3°. si juret sine animo implendi.

Dicendum 1°. juramentum sine animo ju- 22
randi esse intrinsecè malum, & nullâ causâ licitum. Est S. Thomæ in 3. dist. 39. & 2. 2. q. 89. a. 7. sicut & S. Bonaventuræ, Richardi, Cajetani, Soti, Covarruviæ, & aliorum communiter contra Tamburinum l. 3. in Decal. c. 3. §. 2. dicentem : *certum esse, jurare sine animo jurandi, non esse licitum sine causa, licitum esse cum causa.*

Sed hoc posterius dictum Gonet in disce- 23
tatione de opinione probabili fol. 154. meritò pronuntiat improbabile. 1°. quia mendacium est intrinsecè malum, & nullâ causâ, etiam vitandæ mortis, licitum, ut habetur cap. *super eo* de usuris, & tradunt Aug. in lib. de mend. Euseb. lib. 5. præparationis evangelicæ cap. 5. S. Thomas 2. 2. q. 110. a. 3. Sed juramentum sine jurandi animo foris præstitum est mendacium : utpote cui apertè convenit definitio mendacii, *locutio contra mentem :*

ergo, &c. 2°. Dei nomen & testimonium in vanum assumere est intrinsecè malum ; sed jurare sine animo jurandi, est Dei nomen & testimonium in vanum assumere : cùm non sit assumere illud ad finem propter quem debet assumi ; scilicet ad firmandam veritatem & sinceritatem, sed ad fallendum & decipiendum, quo nihil vanius. 3°. finem principalem juramenti, ejusque fructum & securitatem evertere, est intrinsecè malum. Sed jurando sine animo jurandi hoc ipsum fit : quia finis principalis juramenti, est firmare veritatem & sinceritatem, quâ deficiente, deficit fructus ejus & securitas. Unde nisi teneantur homines gravi obligatione ad habendam sinceram intentionem cùm jurant, prorsus evertitur juramenti fructus & securitas, ut benè Suarez, inde concludens, quòd hæc est gravis obligatio proveniens ex intrinseca ratione juramenti, reverentiaque divini nominis & testimonii ; cujus proinde transgressio est peccatum ex suo genere mortale.

4°. denique exteriùs dicere verba blasphemiæ in Deum, sine intentione blasphemandi, est intrinsecè malum, prout etiam intrinsecè malus est exterior cultus idolorum, sine animo colendi (quod Marcellinus Papa fertur egisse :) ergo similiter juramentum falsum, exteriùs factum sine animo jurandi, est intrinsecè malum ; nec minùs mortale peccatum, quàm illa blasphemia, vel idololatria externa : sicut enim externum cultum applicare idolo est notabilis Dei inhonoratio ; ita divinum testimonium applicare mendacio.

23 Quid si juramentum, sine animo jurandi, factum extra judicium & contractum, non sit falsum ? Illud à mortali excusant Sanchez lib. 3. Decalogi cap. 6. Bonacina, Lessius, &c. quia Deus tunc non videtur graviter inhonorari : cùm in veri testem assumatur, & proximus non lædi supponatur. Sed cùm finis principalis juramenti sit non solùm firmare veritatem, sed & sinceritatem, probabilius videtur oppositum, maximè quando juramentum non est extortum vi, fraude, vel dolo ejus cui fit. Tunc enim maximè servanda est juramenti sinceritas, ne tollatur ejus securitas.

Unde in judiciis & contractibus ficta juramenta ne citati quidem Doctores à mortali excusant : quia importantia judiciorum & contractuum, & reverentia divini nominis in juramentis ibi præstitis sub gravi obligatione exigunt sinceritatem, sicut & in judiciis obedientiam non fictam ad legitimum præceptum Judicis.

42 Dicendum 2°. certum esse, quòd juramentum sine animo jurandi in foro externo obligat ; in foro verò interno licèt non obliget in quantum juramentum internum (quia revera non est juramentum internum) videtur tamen obligare vi juramenti externi, ob reverentiam divini testimonii exteriùs assumpti ; quod non solùm in vanum exteriùs assumitur, dum fictè assumitur, sed etiam dum res juramento promissa non servatur. Unde ex juramento externo nascitur obligatio, non ratione intentionis obligandi (ut in contractibus) sed ex natura rei ob reverentiam divini nominis & testimonii, ut dictum est, innuereque videtur S. Thomas q. 89. a. 7. ad 4. ubi docet, juramentum dolo non extortum obligare secundùm intentionem & sanum intellectum, non jurantis, sed ejus cui fit juramentum : *Quando* (inquit) *non est eadem jurantis intentio, & ejus cui jurat, debet juramentum servari secundùm sanum intellectum ejus cui juramentum præstatur.* Unde Isid. lib. 2. de sum. bono cap. 29. dicit : *Quacumque arte verborum quis juret ; Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Et quòd hoc intelligatur de doloso juramento* (quale est juramentum fictum) *patet per id quod subdit : dupliciter reus fit, quia & nomen Dei in vanum assumit, & proximum dolo capit.* Itaque si juratarius dolum non adhibeat, jurans obligatur secundùm intentionem juratarii. Unde Gregorius dicit 21. Moral. 1. *Humanæ aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant : divina verò judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.*

Dicendum 3°. juramentum cum animo 25
jurandi, sed sine animo se obligandi, esse obligatorium : quia obligatio inseparabilis est à juramento promissorio, facto cum intentione jurandi ; nec est in potestate hominis efficere ut sit tale juramentum, & non sit obligatorium : quia obligatio ex natura rei sequitur ex tali juramento, prout à fortiori colligitur ex dictis conclusione præcedenti. Ita Cajetanus art. 1. Sotus lib. 8. q. 1. a. 1. Becan. hîc q. 4. contra Sylvest. & alios apud ipsum.

Dicendum 4°. juramentum animo juran- 26
di, sed sine animo implendi factum, esse obligatorium, sicut votum factum animo vovendi, sed sine animo implendi. Et idem est in contractibus, in quibus animus non satisfaciendi non tollit obligationem.

Denique ut materiam præsentem verbo 27
concludam, perjurus est, quisquis juramenti verba dolosè profert, absque animo jurandi, vel se obligandi, vel implendi quod promissum est. Quid enim perjurium est, nisi mendacium juramento firmatum ? Constat verò eos mentiri, qui juramenti verba proferunt, & jurare, vel se obligare, vel promissum servare nolunt. Mendacium ergo juramento confirmant. Unde propositio ista : *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis*, ab Innocentio XI. jure damnata est. Eamdemque propositionem, sicut & duas sequentes : *Qui jurandi intentionem non habet, licèt falsò juret, non perjerat, etsi alio crimine teneatur, puta mendacii alicujus. Qui jurat cum intentione non se obligandi, non obligatur ex vi juramenti.* Clerus

Gallicanus in generali Conventu anni 1700. declaravit *temerarias, scandalosas, perniciosas, bonæ fidei illudentes, & Decalogo contrarias.*

CAPUT V.

Prorsus illicitus est restrictionum purè mentalium usus, nec ulla de causâ licitus in juramentis, uti nec in judiciis, contractibus, nec in ulla humana conversatione.

28 SAnchez l. 3. in Decal. c. 6. *Possunt* (inquit) *absque mendacio verba usurpari, licèt ex sua significatione non sint ambigua, nec eum sensum verum admittant ex se, nec ex circumstantiis occurrentibus, sed tamen sensum verum reddant ex aliquo monte proferentis retento, quodcumque illud sit, ut siquis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, vel propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliud ab eo distinctum, quod non fecit, vel aliam diem, vel quodvis aliud additum, reverà non mentitur, nec pejerat; sed tantùm non dicit veritatem determinatam, quam audientes concipiunt, & verba in se significant, sed aliam veritatem disparatam.* Ita ille, addens, quòd *causa utendi his amphibologiis est quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.* Et quæ non inde deducit? Audiat & obstupescat Orbis.

29 Nam ibidem n. 29. deducit 1°. quòd *mercator probabilem habens opinionem de injusta taxatione pretii mercis alicujus, falsò eam pondere vendere possit, ad istam injustitiam sibi compensandam. Et à Judice de eo postea interrogatus, sub restrictione mentali jurare, quòd nec supra taxam vendiderit, nec falsò usus fuerit pondere.* Id etiam post ipsum docet Escobar tr. 1. exam. 3. n. 34.

30 2°. n. 24. quòd *testis non juridicè interrogatus super crimine commisso in oculis ipsius, respondere possit, & jurare, se nescire, subintelligendo, ut tibi dicam.* Quod & asserit de teste juridicè interrogato, si ex confessa veritate prævideat sibi damnum.

31 3°. n. 29. quòd *testis, vel reus, bonâ fide Judici testatus vel confessus de crimine, si animadvertat quòd absque ista confessione vel testificatione crimen non esset sufficienter probatum, tam iste, quàm ille, sub mentali restrictione jurare possit, crimen ab ipso non esse commissum, seque mentitum fuisse illud testificando, vel confitendo.*

32 4°. ibidem, quòd reus juridicè interrogatus de homicidio quod commisit, jurare possit se non commisisse (subintelligendo criminosè) si crimen istud per circumstantiam aliquam excusare possit, v. g. per ignorantiam facti, per sui defensionem, &c.

33 5°. num. 30. quòd juridicè interrogatus super veris indiciis homicidii, v. g. an non tali horâ transierit per locum ubi commissum fuit, id negare possit, si homicidium ipse non commiserit.

6°. num. 31. quòd qui cessit foro, partemque bonorum suorum subduxit, ut habeat unde non mendicatò vivat; à Judice interrogatus, jurare possit, se nihil subduxisse; idemque facere possint testes, in creditorum damnum, dummodò sciant ipsum solùm subduxisse necessaria ad non mendicatò vivendum. 34

7°. num. 32. quòd mutuatarius, à quo mutuum ante tempus repetitur, vel qui non est restituendo, sub mentali restrictione jurare possit, se mutuum non accepisse. 35

8°. num. 33. quòd qui spopondit se ducturum puellam, si probabiliter credat se ad id non teneri, coram Judice jurare possit, se non spopondisse. 36

9°. ibidem, quòd Clericus, vel alius, qui probabiliter putat se non debere gabellam, vel non debere tantam, jurare possit se non habere mercem illi gabellæ obnoxiam, tametsi reverà habeat. 37

1°. num. 34. quòd suffragium habentes nominandi ad officium quodpiam, quibus per Statuta veritum est colloquium vel accessus ad aspirantium aliquem, jurare possint se ab accessu & colloquio abstinuisse, licèt non abstinuerint, dummodò non accesserint, &c. animo permittendi se subornari. 38

11°. num. 36. quòd creditor, cui persoluta est pars magna summæ in Chirographo specificatæ, interrogatus, an tota summa ipsi debita sit, nihilque ex ea acceperit, jurare possit, totam illam summam sibi debitam esse, nihilque de ea se recepisse, si quantum recepit, tantumdem ab eodem ipsi absque Chirographo debitum sit, dummodò nemini per hoc auferatur præferentia hypothecæ. 39

12°. num. 37. & 38. quòd dum per vim jurare quispiam compellitur, se daturum pecuniæ summam, quam non debet, uti possit mentali restrictione & æquivocatione, ut non teneatur; vel usurpare verba purè materialiter, nullam ipsis dando significationem; atque hoc pacto eximere se ab obligatione, tametsi præsentes inde scandalizari contingat. Quia ipsum credere debent ab obligatione exemptum restrictionis mentalis beneficio. 40

13°. num. 39. quòd qui cogitur jurare, se desponsaturum puellam, ad quam desponsandam se non credit obligarum, id jurare possit, subintelligendo, si teneor, vel si mihi placitura sit in futurum. 41

14°. num. 40. quòd mulier à marito separata, ob adulterium ipsius sibi notum, jurare possit se ad ipsum redituram (ad absolutionem in articulo mortis obtinendam) etiamsi intentionem non habeat redeundi, subintelligendo, si ad id tenear. 42

15°. num. 41. quòd is à quo pecuniarium mutuum petitur, ad quod præstandum non tenetur, jurare possit, se pecuniam non 43

habere (quamvis habeat) subintelligendo ad mutuandum.

44 16°. idem Sanchez ibidem c. 7. quòd justa de causa æquivocatione utens, mentalivè restrictione, jurare possit, (etiam in judicio) se loqui absque ulla æquivocatione, &c.

45 17°. Tamburinus l. 1. in Decal. c. 3. §. 1. non solùm subscribit Sanchesio, quòd reis & testibus à Judice interrogatis licitus sit restrictionum mentalium usus in judicio, dum illegitimè interrogantur, sed etiam cùm dubitant an legitimè interrogentur, licèt (inquit) reus ex candida & sincera responsione non timeat sibi grave malum inferri.

46 18°. Et l. 3. §. 3. idem censet in casu quo Judex fertur legitimè per semiplenam probationem interrogare, dum ex candida responsione periculum est vitæ.

47 19°. Jo. Sancius in selectis disp. 9. n. 6. licitum usum restrictionum mentalium ad ipsum quoque extendit tribunal Sacramenti pœnitentiæ (teste Diana tr. 1. resol. 55.) audetque asserere, quòd si pœnitens probabiliter credat Confessarium non impensurum illi absolutionem, si fateretur consuetudinem peccandi, potest æquivocatione utendo (hoc improprio nomine mentalem ipse restrictionem cum Tamburino colorat) negare consuetudinem, ut fiat sensus, consuetudinem non habeo ad confitendum tibi de præsenti. Et addit hoc procedere etiam de consuetudine proveniente ex occasione proxima, quam sine incommodo magno vitare non potest. Potest enim (inquit) æquivocando negare talem consuetudinem, licèt à Confessario de ea interrogatus.

48 Tam exorbitantia sunt opinamenta illa, ut ad illa confutanda necesse sit securim ad radicem ponere, & gemere quòd inter defensores eorum sint aliqui viri docti, qui (ut Augustinus l. contra mendacium c. 18. ait) *etsi non verbis, reipsà tamen regulas figunt, finesque constituunt, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes lachrymarum? Et quid faciemus, quò ibimus, ubi nos occultabimus ab ira Veritatis, si non solùm negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?*

49 Dicendum ergo generaliter usum restrictionum purè mentalium esse intrinsecè malum, nulloque casu licitum, sive in judicio, sive extra. Quia qui merè mentaliter restringit, mentitur, & si juramentum addat, est perjurus. Perjurium enim, ut num. 8. dixi, est mendacium juramento firmatum.

Probatur primò, quia quisquis ea quæ vocaliter profert, purè mentaliter restringit, vel verbis secundùm communem ea intelligendi morem, personarumque & circumstantiarum circumstantias, ab audientibus intellectis, significat contrarium ejus quod in mente habet, prævaricator est divinæ legis, veteris novique Testamenti: loquitur enim mendacium, assumit nomen Dei in vanum, proximum dolo capit, perjuratque. Quæ omnia utriusque sacræ Paginæ oraculis prohiberi constat ex Psalm. 14. *Domine quis habitat in tabernaculo tuo? ... qui loquitur veritatem in corde suo... qui jurat proximo, & non decipit.... qui* (ut Dominus ait Ps. 23.) *non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.* Ille verò in dolo jurat, qui profert sermonem menti discordem, dum jurat: cùm perjurium sit nequiter decipere credentem, can. *in dolo* 22. q. 2. In nova etiam lege duplicitatem Veritas prohibet, dum præcipit simplicitatem: *estote simplices sicut columbæ.* Illi verò de quibus agimus, sunt duplici corde; ipsis proinde væ dicitur Eccli. 2. *Væ duplici corde.* Quia, ut Augustinus contra mendacium c. 3. ait, *aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat. Unde etiam duplex cor dicitur esse mentientis*, id est *duplex cogitatio; una rei ejus quam veram esse vel scit, vel putat, & non profert; altera ejus rei quam pro ista profert, sciens falsam esse, vel putans.*

Secundò, quia *qui sophisticè loquitur, odibilis* 50
est. Eccli. 38. multò ergo magis qui sophisticam locutionem, id est ad decipiendum compositam, juramento confirmat.

Tertiò, restrictionum mentalium usum 51
improbat unanimis Patrum traditio: utpote generaliter asserentium responsionem esse debere ad mentem interrogantis, secundùm communem hominum usum responsionis verba accipientis. Siquidem Tertullianus l. 4. contra Marcionem c. 38. *Justa* (inquit) *& digna præscriptio est, in omni quæstione, ad propositum interrogationis pertinere debere sensum responsionis. Cæterum aliud consulenti, aliud respondere, dementis est.*

Lactantius l. 1. c. 18. *Est enim nefas, eum* 52
qui veritati studeat, in aliqua re esse fallacem, atque ab ipsa, quam sequitur, veritate discedere. Nec aliquando committet, ut lingua interpres animi, à sensu & cogitatione discordet.

Basilius in Ps. 14. *Facta non est res? Ne-* 53
gatio sequatur. Facta est? Consensu firmetur. Cura ullam verborum implicationem ad aliud respiciens, ipsam per se veritatem studeto exprimere simplici & nudâ usus assensione.

S. Gregorius Nazianzenus (prout idem nar- 54
rat epistolâ 124.) *Mendacium & sermonem artificiosum, & ad detractionem concinnatum, ita abominatus est, ut qui sciret mendacium ex diabolo progenitum esse, Dominumque omnes eos, qui loquuntur mendacium, perdituros.*

Augustinus in Ps. 33. explicans verba illa: 55
Labia tua ne loquantur dolum, sic habet: *Quid aliud est loqui dolum, nisi aliud labiis promere, cùm aliud claudatur in pectore?* In Ps. 51. *Quid est lingua dolosa, ministra fallaciæ... aliud in corde gestantium, aliud ore promentium.* L. contra mendacium c. 18. hunc sibi casum objicit: *Ecce gravi morbo periclitatur ægrotus, cujus jam vires ferre non possint, si ei mortuus unicus & charissimus filius nuntietur. A te quærit, an vivat, quem vitam finisse tu nosti. Quid* respondebis,

quando

quando quidquid aliud dixeris, præter unum de tribus, aut mortuus est, aut vivit, aut nescio, nihil aliud credit ille quam mortuum... Ex illis autem tribus *duo falsa sunt, vivit, & nescio, nec abs te dici possunt, nisi mentiendo. Illud autem unum verum, id est mortuum esse, si dixeris, & perturbati hominis mors fuerit subsecuta, abs te occisus esse clamabitur*, inquit. In casu tam perplexo si licitum Augustinus credidisset restrictionis mentalis usum, ad impediendam hominis ægrotantis mortem, non dixisset, ex tribus illis duo falsa esse, *vivit, & nescio*, nec dici posse, *nisi mentiendo:* falsa quippe non essent, nec mendacia, si sine mendacio & falsitate dici possent cum restrictione mentali, v. g. *vivit secundum animam, nescio ut tibi dicam.* Ista verò sine mendacio & falsitate taliter dici non posse evidenter censuit Augustinus, dum absolutè & absque exceptione ulla dixit, *nisi mentiendo dici non posse*; nec in casu tam perplexo respondit duo illa, cum mentali restrictione, salvâ vitâ patris ægrotantis, sine falsitate & mendacio dici posse; sed hoc unum respondit: *Moveor his oppositis vehementer, sed mirum si etiam sapienter..... Nec me movet..... quòd, nobis mentiri nolentibus, & hominibus vero audito morientibus, homicida dicitur veritas*; addiditque ne licitum quidem mendacium ad liberandum infantem in carcere infidelium detentum à periculo salutis æternæ, etiamsi mendacio baptizari, salvarique posset, *deceptis mendacio custodibus*; quia *etiam in hoc* (inquit) *invidiosissimo casu, quò confugiam nisi ad te veritas?* Ad restrictionem ergo mentalem non credit licitum sibi confugium, quia ad eam confugere, non est ad veritatem confugere. Unde epist. 125. ad Alypium: *Illud* (inquit) *sanè rectissimè dici non ambigo, non secundum verba jurantis, sed secundùm expectationem ejus cui juratur, quam novit ille qui jurat, fidem jurationis impleri.... Unde perjuri sunt, qui, servatis verbis, expectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt.* Epist. 126. *Expectationem eorum quibus juratur, quisquis deceperit, non potest esse non perjurus.*

56 S. Prosper apud Hincmarum l. de divortio Lotharii & Tetbergæ:

> At si jurandi te causa perurget, & arctat,
> Id puris verbis, id gere mente pia.
> Nec verbi arte putes te fallere posse Tonantem,
> Cui nihil abstrusum est, cui tua corda patent.
> Qui non ut juras, sed ut id juraſſe putavit
> Cui juras, audit, sicque es utrique reus.
> Nempe Deo, in vanum cujus vis sumere nomen,
> Seu socio, quem atrâ fallere fraude paras.

57 S. Isidorus l. 2. sent. c. 31. *Quàcumque arte verborum quisque juret; Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus sit, qui & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit.*

58 S. Thomas 2. 2. q. 89. a. 7. ad 4. *Quando non est eadem jurantis intentio, & ejus cui jurat, si hoc procedat ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundùm sanum intellectum ejus, cui juramentum præstatur.*

S. Ignatius, Societatis Fundator, & ipse mentales restrictiones, velut humanæ societati perniciosas, est detestatus, teste Maffæo in vita ipsius l. 3. c. 10. ubi sic: *Suspensa, vel ambigua, vel obscura verba, perplexum de industria incertumque sermonem, aut barbaras artes, & subdola mendacii tegumenta, fideique ac societatis humanæ perniciem semper est duestatus.*

59 4°. probatur ex sequentibus propositionibus ab Ecclesia damnatis: *Siquis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* Est 26ª. inter damnatas ab Innocentio XI. talis proinde judicio Ecclesiæ verè mentitur, estque perjurus. Propositio verò 27ª. ab eodem damnata, est ista: *Causa justa utendi his amphybologiis, est quoties id necessarium est aut utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium actum virtutis, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.* 28ª. *Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum.* Hæc propositio *scandalosa est* (ait Clerus Gallicanus) *perniciosa, patrocinatur humanæ ambitioni, perjuria excusat*, &c.

60 5°. probatur ratione multiplici. Prima petitur ex hoc universalissimo juris naturalis principio: *Non facias, quod pati nolis.* Ipsimet autem mentalium restrictionum defensores ægrè ferrent sibi à discipulis suis per artificium ejusmodi restrictionum illudi, juxta illud Augustini Enchirid. 17. *Usque adeò rationabilis natura refugit falsitatem, &, quantum potest, devitat errorem, ut falli nolint, etiam quicumque amant fallere, & fallentes defensare.*

61 Secunda ratio: quæcumque probant mendacium esse prorsus intrinsecè malum, nullaque de causa, vel necessitate licitum, idem probant de restrictionum purè mentalium usu. Si enim ideò intrinsecè mala, nulloque casu licita mendacia, quia societatem humanam evertunt, eamdem pariter evertit restrictionum mentalium usus. Nam si usus earum licitus esse posset, nullus unquam securus esse posset de fide & mente alterius, sive in familiaribus colloquiis, sive in stipulationibus & contractibus, sive in fœderibus juramento firmatis, sive in judiciis, &c. quia si contra verborum sensum ab omnibus, etiam prudentibus, omnibus circumstantiis externis consideratis, intelligi solitum, loqui liceat, sensum prorsus alium solâ mente intelligendo; impossibile e-

rit quòd alter alterius loquentis mentem intelligat, quantumcumque prudenter ad ejus verba, & omnes circumstantias attendat. Unde & Catholicam Ecclesiam hæretici calumniantur, quòd in ea modus per mentales restrictiones fallendi proximum doceatur, per quas hodie multi à mentalium restrictionum defensoribus seducti, & proh dolor! nimis multi, etiam alioqui bonæ animæ *in corde & corde*, hoc est in dolo loquuntur, diabolo iis facilè persuadente, ut per mentales restrictiones fallant proximum, quibus persuadere non potest ut ipsum fallant per mendacium, sub mendacii nomine ipsis propositum. Sic omnis controversiæ humanæ finis cum Apostolo dici non poterit juramentum, dum etiam in juramentis restrictionum mentalium Advocati licitas illas faciunt; licitam proinde humani sermonis inimicam duplicitatem. Nec refert quòd ad licitum earum usum causam justam requirant: quia facilè quisque sibi justam iis utendi causam præsumet. Denique dum etiam in judiciis, & Sacramentis, usus earum licitus asseritur, per eum sacra omnia & profana, publica & privata æquè ac per mendacia pervertuntur, ac perturbantur.

62 Atque hinc tertia ratio petitur, ex eo quòd restrictionum mentalium doctrina Ecclesiæ ac Reipublicæ, non secus ac humanæ societati, omninò sit perniciosa. Quia si doctrina illa vera sit, non solùm nulla ampliùs inter homines erit fides & societas, dum alter alteri verba dabit, quasi fidem suam obligans, sed mentali restrictione occultam intentionem se non obligandi celabit; sed nulla quoque ampliùs erit Sacramentorum religio, nulla Judiciorum & Magistratuum authoritas, imò ne ipsius quidem Tribunalis Pœnitentialis, ut de rei alicujus veritate, aut bona hominum fide sit securitas: quia omnium etiam Judicum istorum interrogatio & authoritas, restrictionum mentalium usu eludi poterit, prout earum patroni docent, secundùm quos testis interrogatus an committi viderit crimen, quod vidit, jurare potest non vidisse; reus pariter se non commisisse quod commisit; mercator, se solvisse, vel restituisse, quod non solvit, nec restituit; promotus ad Magistratum, pro sua promotione se pecuniam non dedisse, quam dedit, &c.

63 Quarta ratio, usque adeò exorbitant mentalium restrictionum defensores, ut ne ipsos quidem pudeat asserere, quòd *in Deo locum habeat amphibologia & mentalis restrictio*. Blondellus in Thesi Anglo-Leodiensi anni 1686. conclus. 30. *Non existimamus negandas Deo ambiguas, aut etiam non integras externè locutiones; imò talibus de facto usus est Christus Dominus.* Sanderus in Thesi Anglo-Leodiensi ejusdem anni conclus. 24. *Patriarchæ & Prophetæ, Angeli, ipse Christus, nedum viri justi & Sancti amphibologiis, & restrictionibus mentalibus usi sunt.* P. Daniel in novissima respons. ad Litteras Provinciales. Verùm hanc propositionem Clerus Gallicanus in Generali Conventu anni 1700. hâc censurâ notavit: *Hæc propositio scandalosa est, temeraria, mysticè, propheticè, parabolicè dicta, vel tacita, cum vulgaribus gestis confundit, sanctorum Patrum acta ludibrio vertit, ipsis etiam Angelis injuriosa, erga Christum contumeliosa, & impia.* Enimverò religio in totum tollitur, Deique perinde ac hominum dictis fides omnis adimitur, si restrictionum mentalium usus ipsi quoque Deo, Christo, Angelis, Patriarchis & Prophetis tribuitur. Quomodò enim hoc dato scire possumus, Deum, Christum, Apostolos, Prophetas, divinitatis nobis arcana, cæteraque Christianæ religionis mysteria credenda proponentes, mentali restrictione verba sua non obvolvisse, v. g. dum Deus revelavit se unum in natura, trinum in personis; Verbum carnem factum; corpus, animam, divinitatem, Christum totum sub speciebus Eucharisticis realiter ac substantialiter contineri, &c.? Et quid in verbo Dei, quid in promissis & minis, quid in præceptis firmum erit, si locum in Deo habet mentalis restrictio? Nihil profectò magis firmum erit, quàm si in Deo locum haberet mendacium: fides proinde divina æquè subverteretur atque humana subverteretur, si in dictis hominum talis restrictio licitè usurpari posset. Unde August. epist. 28. aliàs 8. *admisso semel in tantum authoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum* (sacrorum) *particula remanebit, quæ non ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eâdem perniciosissimâ regulâ ad mentientis,* seu mentaliter restringentis *Authoris consilium officiumque referatur.* Et quemadmodùm Augustinus ibidem concludit, *fluctuare authoritatem Scripturarum divinarum, ut in eis quod vult quisque credat, quod vult non credat, si semel fuerit persuasum aliqua illos viros, per quos hac nobis ministrata sunt, in scripturis suis officiosè potuisse mentiri*; idem pariter concludendum erit, si semel persuasum fuerit, potuisse Deum, Christum, Prophetas, Apostolos aliquâ uti restrictione purè mentali. Et quomodò eâ non usos, hæreticis persuadere poterunt earum patroni, dum v. g. Christus dixit: *Hoc est Corpus meum*? Quomodò ipsos convincere? Et quis scire poterit, an Deus in promissis suis, & minis, eâ usus non fuerit, v. g. dum peccatoribus ignem æternum comminatus est? Et quid aliud reipsà faciunt plurimi Casuistæ, dum omnia penè juris naturalis ac divini præcepta tot restrictionibus ac interpretationibus evertunt? Nonne dum v. g. Deus præcipit, ex toto se corde diligi, hanc ipsi restrictionem tribuunt, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam quâ justificemur? Quando verò præcipit, *Diliges proximum tuum*, &c, nonne prætendunt id cum hac restrictione dixisse, *per solos actus externos?* Non occides: *nisi bona temporalia, vel honor defendi aliter non possit.*

Non

Non falsum testimonium dices : *nisi justa de causa mentaliter restringas*, &c.

64 Quinta ratio : restrictionum mentalium doctrina ipsosmet earum defensores omni fide indignos reddit, in iis quæ dicunt, perinde ac si doctrinam de licito justis de causis mendacio sustinerent : ita ut ipsis applicari queat id quod Augustinus L. de mendac. c. 8. dicit : *Quomodò credendum est ei, qui putat esse mentiendum* (vel restrictione mentali utendum) *ne fortè & tunc mentiatur* (seu mentali restrictione utatur) *cùm præcipit esse mentiendum*, seu mentali restrictione utendum, *seu cùm aliud quodcumque dicunt ?* An fortè jurabunt se non mentiri, nec mentali restrictione uti ? Verùm non ideò fides ipsis securè præstabitur ; unde enim constare poterit, quòd illud ipsum non jurent cum mendacio, vel restrictione mentali? Vel hinc ergo apparet quàm noxii sint societati humanæ. Nam, uti S. Thomas q. 109. a. 3. ad 1. dit : *quia homo est animal sociale, naturaliter unus homo debet alteri id sine quo societas humana servari non potest.* Debet ergo aliis sic convivere, ut credibilis, seu fide dignus sit, dum cum aliis loquitur : qualis profectò non est, dum restrictionum mentalium defensor esse cognoscitur. Quia eo ipso jure suspectus esse potest, an iis non utatur, dum aliis loquitur : utpote cujus in loquendo veracitas nota esse non potest per ea quæ exteriùs dicit, magis quàm si idiomate aliis ignoto, aliis loqueretur. In ipsos proinde quadrat, quod in simili Augustinus l. 19. de civit. Dei c. 7. dicit : *facilius sibi animalia muta, etiam diversi generis, quàm illi, duo utique homines diversorum idiomatum, quorum alter alterius idioma non novit, cùm sint homines, ambo sociantur. Quando enim quæ sentiunt, communicare inter se non possunt, propter solam linguarum diversitatem* (vel propter mentalem aut vocum restrictionem) *nihil prodest ad consociandos homines tantùm similitudo naturæ, ita ut libentiùs homo sit cum cane suo, quàm cum homine alieno.*

65 Sexta ratio : eadem doctrina ipsius etiam defensores inidoneos reddit ad officium Superioris ac Judicis, quia ipsis legitimam adimit præcipiendi authoritatem, sicut & justam parendi subditis impositam adimit necessitatem. Si enim reus à Judice interrogatus (qui legitimus Superior est respectu ejus qui judicatur, ut docet S. Thomas q. 69. a. 1.) non teneatur ad confessionem criminis saltem capitalis, etiam semiplenè probati, sed possit illud celare mendaciis, vel restrictionibus mentalibus, prout ipsi docent : Judex non potest reum per torturam ad criminis ejusmodi confessionem ullatenus adigere (cùm iniquum sit ipsum per torturam adigere ad extorquendam confessionem, ad quam non tenetur) & sic authoritas Judicis non sufficiet, saltem utplurimùm, ad puniendos malefactores.

66 Septima ratio : sicut mendaciorum, sic mentalium restrictionum usus omninò adversatur institutioni vocum : utpote ad hoc institutarum, ut signa sint mentalium conceptionum, prout testatur Philosophus l. 1 Perihermen, dum ait : *verba sunt earum quæ in animâ sunt passionum notæ.* Testatur & Augustinus Enchirid. 22. *verba propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est.* Et ideò Bernardus in sententiis : *Chaos magnum inter nos firmatum est, nisi interveniente quasi instrumento verborum, fiat ad invicem transitus quidam cordium, in communicatione cogitationum. Hâc necessitate inventa sunt verba.* Et S. Thomas q. 109. a. 3. ad 1. *quia homo est animal sociale, naturaliter unus homo debet alteri id sine quo societas humana servari non potest. Non possent autem homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tamquam sibi invicem veritatem manifestantibus. Et ideò virtus veritatis aliquo modo attendit rationem debiti.* Vide infrà n. 86.

Octava ratio : restrictiones purè mentales pura sunt mendacia; non solùm quia contra eas militant quæcumque militant contra mendacia, prout hactenus ostensum est ; sed & quia mendacium est dictio seu locutio contra mentem : atqui ille contra mentem loquitur, qui per verba exteriora scienter aliud significat quàm quod apud se habet in mente, ut patet ex Aug. l. de mend. c. 3. *Ille mentitur qui aliud habet in animo, & aliud verbis* vel *quibuslibet significationibus enuntiat.* Et D. Th. q. 3. a. 1. *Ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat exteriùs per verba exteriora, qualis est : unde veritati opponitur quòd aliquis per verba exteriora aliud significet, quàm quod habet apud se : quod ad mendacium pertinet.* 67

Deinde *cùm falsum ab sciente dicitur, procul dubio mendacium est,* inquit Aug. q. 68. in Levit. Ab eo verò qui scienter voce, vel aliis signis exterioribus exprimit contrarium ejus quod mente gerit (licèt mentis ipsius restrictione verificabile sit) falsum ab sciente dicitur. Non enim ab ipso verum dicitur : quia *veritati opponitur quòd aliquis per verba exteriora aliud significet, quàm quod mente gerit,* ut vidimus ex S. Thoma. Ergo falsum ab ipso dicitur, idque scienter : scit enim verba sua aliud significare, quàm illud quod mente gerit. Rursus qui scienter profert verbalem dictionem, seu locutionem, difformem rei, per ipsam ex instituto significatæ, id est quæ non se habet in significando, ut res per ipsam ex instituto significata se habet in essendo, scienter profert falsum (quia ab eo quòd res est vel non est, prout per propositionem ex instituto significatur, propositio est vera vel falsa) ex instituto, inquam, quia non est cujusque pro arbitrio imponere, vel mente fingere significationem verborum ; sed in commercio seu societate hominum id significant verba, ad quod significandum sunt instituta. Ille ergo qui sciens se v. g. fecisse illud furtum, de 68

quo interrogatur, verbaliter dicit se illud non feciſſe, ſolâ mente addens *ſe non feciſſe tali die, tali manu*, &c. ſcienter profert verbalem dictionem falſam, utpote difformem rei per ipſam ex inſtituto ſignificatæ: non enim ex inſtituto ſignificat illud quod ſolâ mente addit, ſed abſolutè & ſine addito furtum illud ab ipſo factum non eſſe, quod ipſe ſcit à ſe abſolutè factum eſſe. Ergo ſcienter profert verbalem locutionem difformem rei per ipſam ex inſtituto ſignificatæ. Ergo ſcienter profert falſum. Ergo mentitur.

69 Enimverò illi Patres Græci, qui mendacio officioſo pro ſolo caſu graviſſimæ neceſſitatis (in ſpeciem ſaltem) patrocinati ſunt, ut Origenes, Abbas Joſeph, Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, cumque ipſis Hieronymus, & Caſſianus (collat. 15. dicens: *Mendacio utendum*, ut hellebor o, quod abſque ſummi diſcriminis neceſſitate perceptum, præſens affert exitium) quid aliud per mendacium intellexerunt, niſi quod Adverſarii per mentales intelligunt reſtrictiones? Id adeò evidens eſt, ut ipſimet Adverſarii fateantur, Leſſius utique lib. 2. de juſt. cap. 47. dub. 6. & Raymundus in ſplendore veritatis cap. 12. num. 12. & 14. qui volentes excuſare Patres illos, aiunt eos mendacium vocaſſe orationem alio ſenſu dictam, ſeu habentem tacitam mentis limitationem. Et certè ſiquid aliud mendacii nomine intellexiſſent, mendacium excuſare nunquam vel cogitaſſent: quia nunquam illud excuſarunt, niſi in extrema vel urgentiſſima neceſſitate, ut vidimus. Siquid verò aliud eſt reſtrictio purè mentalis, quàm mendacium, nulla unquam eſſe poteſt vel potuit neceſſitas mendacii: quandoquidem mentalis reſtrictionis artificio neceſſitati cuicumque poſſit & ſemper potuerit occurri. Ergo ex illorum Patrum mente reſtrictiones purè mentales pura ſunt mendacia, eaſque (Adverſariis fatentibus) ipſi mendacia vocarunt. Si vocarunt mendacia, procul dubio cenſuerunt eſſe mendacia. Aliàs eo ipſo mentiti fuiſſent, quo mendacia dixiſſent quæ mendacia non eſſe credidiſſent. Unde Auguſtinus, Proſper, aliique Latini Patres, qui contra Græcos illos ſcripſerunt, de veri nominis mendaciis illos ſine dubio intellexerunt: benè quidem; aliàs ipſorum diſputatio tota in æquivoco laboraſſet. Quod nec dici, nec cogitari poteſt, ſine tantorum Patrum injuria & præjudicio.

70 Et ideò vel ipſe Caramuel (licet aliàs indulgentium opinionum liberaliſſimus defenſor) Theol. fundam. n. 1282. vi veritatis adactus eſt ut diceret: *Eſt mihi innata averſio contra reſtrictiones mentales; ſi enim continentur intra terminos pietatis & ſinceritatis, neceſſariæ non ſunt. Nam omnia quæ ipſæ præſtare poſſunt, præſtabunt conſignificantes circumſtantiæ. Quod ſi tales dicantur, ut etiam ibi admittendæ ſint, ubi deſunt circumſtantiæ ſignificantes (ignoſcant mihi earumdem Authores & Propugnatores) tollunt humanam ſocietatem, & tamquam peſtiferæ damnandæ ſunt. Quoniam ſemel admiſſa aperiunt omni mendacio, & omni perjurio viam: & tota differentia in eo erit, ut quod heri vocabatur mendacium, naturam & malitiam non mutet, ſed nomen; ita ut hodie jubeatur reſtrictio mentalis nominari. Quod eſt virus condire ſaccharo, & ſcelus ſpecie virtutis colorare.*

Ultima ratio: ſi reſtrictiones purè mentales adhibere liceat verbis, eâdem ratione licebit & externis adhibere factis & realibus ſignis; adeòque in evidenti periculo amiſſionis vitæ, vel bonorum, licita erit fumigatio, proſtratio, genuflexio exterior, ex inſtitutione gentis (ubi quis reperitur) ſignificans adorationem idoli, dummodò quis ea ſigna ſolâ mente reſtringat & dirigat, non ad idolum, ſed ad crucem in occulto poſitam, quam manu geſtet, vel in altari inter flores abſcondat. Quòd quidem licitum putarunt aliqui Miſſionarii Chineníes, mentalium reſtrictionum defenſores, qui earum uſum crediderunt licitum in factis, ex eo quòd putarent licitum in verbis. Sed quia id omninò illicitum pronuntiavit ſacra Congreg. de propaganda fide, Innoc. X. approbante, oppoſito modo concludendum eſt, uſum earum reſtrictionum eſſe omni caſu illicitum in verbis, ex eo quòd illicitus ſit in factis & realibus ſignis externis. 71

CAPUT VI.

Corollaria ex præmiſſis.

COllige 1°. Scabinos, & alios Officiarios juratos, qui in Belgio, ſecundùm Edicta Principum Belgii, faciunt hanc vel ſimilem jurandi formulam (anno 1626. præſcriptam) *Juro me nec pro ſtatu iſto aſſequendo, nec ejus intuitu quidquam cuiquam, ſive in pecunia, ſive in alia quacumque re obtuliſſe, promiſiſſe aut dediſſe: nec item offerri, promitti, aut dari curaſſe, vel curaturum aut daturum directè vel indirectè, aut quovis alio modo: ſalvo dumtaxat eo quod pro expeditione dari conſuevit*, reos eſſe perjurii ſi fecerint aliquid eorum quæ in iſta juramenti formula continentur, juxta quod planiſſimè verba ſonant. Ita Theologi & Juriſperiti Lovanienſes in Reſponſo anni 1634. id tradentes tamquam veritatem indubitatam. Quid enim perjurium (inquiunt) *niſi jurare quod falſum quis arbitretur, videlicet ſe non feciſſe, quod ſe feciſſe novit?* Unde Auguſt. ſerm. 28. de verbis Apoſtoli c. 2. *Da*, inquit, *alium, qui ſcit falſum eſſe, & dicit verum eſſe, & jurat tamquam verum ſit, quod ſcit falſum eſſe: videtis quam iſta deteſtanda ſit bellua, & de rebus humanis exterminanda? Quis enim hoc fieri velit? Omnes homines talia deteſtantur.* Cujus quidem rei ratio ut enucleatiùs intelligatur, ſciendum eſt, certam receptiſſimamque eſſe veritatem, eum qui ſponte ſua, nemine niſi propriâ ambitione aſſequendi honoris impellente, juramento ſeſe ingerit, & ejus neceſſitati ſe exponit; atque interim Princeps vel per ſe, vel per Statutum juſtis de cauſis latum, præcipit ut juret veritatem; non poſſe aliter jurare quàm ſecundùm 72

„ mentem Principis, vel Statuti : tunc enim maximè cessat omnis causa, vel apparenter legitima, fucandæ veritatis. Nam & Princeps, „ ut supponimus, legitimè jubet, & Principi „ legitimè præcipienti obediendum esse lex humana & divina, naturalis & æterna testatur. „ Nec Principi obedire potest, nisi eo sensu jurando, quem mens Principis postulat, & ipsa verba planissimè sonant. Nam in illis circumstantiis, privato sensu, à sensu Principis „ & Reip. alieno, jurare, non est obedire Principi, sed illudere. Atqui hæc omnia in præsenti casu concurrunt, ut præfati Theologi „ & Jurisperiti demonstrant, atque adeò huc „ intrare docent verissimam Augustini sententiam „ epist. 224. suprà relatam, sicut & Tertulliani „ & Isidori. Et addunt quòd *hanc veritatem vidit, scripsit, opereque expressit ipsamet impietas Paganorum, ut pietas Christianorum erubesceret.*

73 „ Marcus enim Attilius Regulus, cùm à Carthaginensibus captus, eis non per Sacramenta „ veri Dei, sed per dæmonum inquinamenta „ jurare cogeretur, ut nisi captivorum commutationem impetrasset, rediret ad carcerem : „ non putavit in istis angustiis aliquâ jurandi „ dexteritate sibi posse subveniri ; sed horrendos corporis cruciatus sibi revertendo subeundos potiùs arbitratus est, quàm fallaciter suum „ de reditu jusjurandum intelligendo, & non „ redeundo, pejerare. Perjurum enim se omninò fore judicavit, si aliud juraret quàm quod „ legitimus verborum sensus præ se tulit, quodque ab illo, non Rex, non Respublica sua, „ sed hostis firmandum sacramenti sanctitate postulabat. Hinc est etiam illud præclarum, & „ ab Augustino epist. 224. celebratum, quòd „ Romana censura, post acceptam Caunensem „ cladem, noluit retinere in numero Senatorum, non solùm eos, qui metu mortis, crudeliumque pœnarum, apertissimè pejerare, „ quàm ad castra Pœnorum redire maluerunt ; „ sed etiam illos, qui reatu perjurii se putave„ rant absolutos, quia post præstitum juramen„ tum, quasi aliquid obliti (fictâ nescio quâ „ necessitate) reversi fuerunt, quam quodam „ jurandi artificio, præter mentem eorum qui„ bus juraverant, excepisse videbantur.... *Ita „ non attenderunt*, (inquit Aug. ibid.) *qui eum „ Senatu pepulerunt, quid ipse jurando cogitasset ; „ sed quid ab illo ii, quibus juraverat, expecta„ rent.*

74 Addunt deinde aliud argumentum, quia ex una parte illi qui ad Magistratum & officia jurata assumuntur, ex pacto cum Republica jurare debent ut suprà : ex alia parte certa receptaque omnium sententia est, „ à conven„ tionibus pactisque, seu tacitis, seu expressis, „ multò magis à publicis actibus & juramentis, „ omnem debere abesse fraudem, dolumque „ malum. Est autem fraus dolusque malus (*sicut scit omnis qui verba latina intelligit*, inquit „ Aug. tract. 7. in Joannem) *cùm aliud agitur, & aliud fingitur* ; vel (ut in Psal. 5. & 14. post Philosophos dicit) *cùm aliud agitur, aliud simulatur : cùm aliud ore profertur, aliud pectore tegitur* : quod qui faciunt, Tullio l. 10. officior. *perfidi, improbi, malitiosi sunt.* Qui autem Dei testimonio fidem simulationis istius supplere volunt, perfidiæ addunt perjurium. Ex quo nascitur, ut omnium gentium judicio, quisquis in paciscendo, pactisque conditionibus jurejurando sanciendis, etiam hostem, nedum Principem fefellerit, aliud animo cogitans, aliud verbis præ se ferens, sacrilegus & perjurus sit.

Talis judicatus est olim Cydias, qui (ut 75 ex Herodoto refert Stobeus Serm. 2.) cùm aurum ex depósito reddendum suscepisset, baculum cui illud includebatur, Archetimo cuidam, qui deposuerat, manutenendum tradidit, interea testem invocans Deum, cum versuta mentis interpretatione, se aurum ei reddidisse ; sed Deo suam à fraudibus vindicante veritatem, baculus per Archetimum iratum fractus est, aurum effusum est, dolus detectus fuit, Cydias cum detestatione humani generis malâ morte periit : quia fraus astringit, non solvit perjurium, ait Tullius 3. offic. "Scio Caramuelem aliosque putare, dictos Scabinos à perjurii labe immunes esse, quòd non aliter censeant intelligendum suprà dictum juramentum, nec aliter à Principe intelligi, quàm ne corrumpantur muneribus promissisvè Collatores, ut indigno conferant. Argumento esse quòd Princeps sciat istam donandi consuetudinem, nec in donatores tamquam Statuti transgressores animadvertat. Sed toto cælo falluntur ; quia ex conniventia Principum scelerum licentiam colligere fallacissimum est argumentandi genus. Nam in criminibus vindicandis possunt multa Principes, quæ non expediunt : multa expediunt, quæ non possunt : multa possunt & expediunt, sed opportuniùs differuntur : multa quia probationis publicæ luce destituta, quamvis severissimè punienda, relinquunt Deo, qui solus occultorum testis & vindex est." 2°. falsum est quòd Princeps cum ista restrictione juramentum exigat & intelligat. Tum quia ridiculum est juramentum ab aliquo de sua dignitate postulare, ut juret neminem à se muneribus corruptum, ut se indignum eligeret. Tum quia quemadmodùm indignis officia conferre (propter munera) Reipublicæ valdè noxium est ; ita & muneribus corrumpere & excæcare, ut conferantur indignis vel minùs dignis, dignis vel dignioribus prætermissis : hoc autem plerùmque fieret, nisi in universum suprædicta juramenti cautio palàm adhiberetur, ut tantæ noxæ periculum in universum excluderetur. Tum denique quia in Edicto anni 1626. suum ipse Rex juramentum exigens sensum exposuit, inhibens *ne Collatores officiorum ex eis emolumentum suum capiant, venditione, elocatione, vel aliâ quâcumque ratione, & ne quisquam accipiat, aut largiatur quidquam respectivè in recognitionem aut gra-*

ritudinem directè, vel indirectè, quocumque modo. In quo Edicto cuncta officia (generalis est enim locutio, dignorum & indignorum officia complectens) quæ tali modo extorta fuerint, ipso jure vacare, & impetrari posse decernuntur. Videri potest Sinnichius lib. 1. cap. 105. per totum.

76 Collige 2°. prorsus rejiciendas esse propositiones omnes à num. 28. ad 48 enarratas: cùm ne pro morte quidem vitanda pejerare liceat, juxta can. *siquis* 22. q. 9. *Siquis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa, vel necessitate perjurat, quia plus corpus, quàm animam dilexit, tres quadragesimas pœniteat.* Idque adeò notum est, vel ipso naturali lumine, ut vel ipsi Ethnici id agnoverint, suoque exemplo comprobarint, & contra facientes admodùm improbaverint, ut visum est n. 75. Enimverò atrocissima divinæ Veritati injuria fit, cùm in mendacii testem Deus appellatur. Nulla autem restrictio mentalis impedit ne verba mendacia sint, dum dolosè proferuntur, contra communem intelligentiam ejus cui juratur, ut suprà vidimus.

77 Collige 3°. hominem de re secreto, etiam sacramentali, sibi commissa interrogatum, non posse, absque mortali peccato, jurare se nescire, subaudiendo intra se, *nescio ut revelem.* Nec tamen sacrum arcanum revelare potest, uti nec secretum Regis, vel Reipublicæ, fidei suæ commissum. Imò mortem potiùs oppetere debet. Et ideò si vel secretum prodere compellatur, vel jurare se nescire, dicere debet cum Firmo Thagastensi, in Africa Episcopo: *Nec prodam, nec mentiar.* De sancto isto Episcopo narrat Augustinus lib. de mendacio c. 12. quòd *cùm ab eo quæreretur homo jussu Imperatoris, per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem, diligentiâ quantâ poterat, occultabat; respondit quærentibus, nec mentiri se posse, nec hominem prodere, passusque tam multa tormenta corporis (nondum enim erant Imperatores Christiani) permansit in sententia. Deinde ad Imperatorem ductus, usque adeò mirabilis apparuit, ut ipsi homini, quem servabat, indulgentiam sine ulla difficultate impetrarit.*

78 Illud tamen magnâ est reflexione dignum, quòd cùm de veritate vel falsitate, sicut & de sinceritate vel duplicitate & mendacitate vocalium propositionum, judicandum sit ex iis per quæ homo homini significare, sive indicare aliquid potest; adeòque non ex signis internis, latentibus intra animum loquentis, quæ audiens percipere non potest, sed ex signis externis, quæ ab homine audiente percipi possunt, ac per consequens non solùm ex verbali ipsa locutione, vel scriptione, sed etiam ex ipsarum circumstantiis externis, ex quibus alius homo determinari potest ad intelligendum, quid loquens aut scribens sibi hic & nunc significatum velit: hinc est quòd locutionum & scriptionum veritas ac sinceritas, etiam pendeant à circumstantiis externis consignificantibus. Aliud proinde significare queat eadem locutio prolata in certis circumstantiis (v. g. seriis) aliud prolata in aliis circumstantiis, jocum vel ironiam indicantibus. Et idem est de aliis quibusdam circumstantiis. Verbi gratiâ, vir Catholicus petit à Confessario, an audiverit, quòd Titius commiserit homicidium, nullam faciens mentionem Confessionis Sacramentalis. Id petens, cùm sit Catholicus, supponitur, ut fieri solet, nolle quidquam interrogare ex Confessione. Quare si Confessarius neget se audivisse, quòd Titius homicidium commiserit, non ideò mentietur, etsi recordetur Titium id sibi confessum: quia responsio Confessarii, in istis circumstantiis consignificantibus, ad casum Sacramentalis Confessionis non extenditur. Secus siquis sic interrogaret Confessarium, ut per vocum expressionem, simul & per alias circumstantias consignificantes, significaretur, quòd interrogatio se etiam extenderet ad Confessionem Sacramentalem. Si ergo Confessarius sic interrogaretur, *Non scis ex Confessione quòd Titius homicidium commiserit?* Confessarius tunc respondere non potest se nescire, vel non audivisse. Aliàs cùm reverà sciat, vel audiverit, responderet falsum, & mentiretur; & si responsum istud juramento firmaret, perjurus esset. Nec jurare posset cum restrictione mentali, *non scio*, vel *non audivi ut homo*, vel *ut tibi dicam*, &c.: cùm nihil eorum includat externa locutio, uti nec circumstantiæ consignificantes, imò earum aliqua (in qua vim præcipuam nonnulli ponunt) talem restrictionem seu intellectum audientis excludat. Tunc ergo Confessarius tenebitur apertè dicere, impium esse talia à se petere (sive Titius homicidium confessus fuerit, sive non) seque ad ejusmodi interrogata non posse respondere. Quia reverà non potest, etiam dato quòd Titius homicidium non esset confessus. Quia censeretur in impietatem ejusmodi interrogationum consentire, negativèque respondendo, dum confessus non esset; nihil autem respondendo, dum confessus esset, Confessionis sigillum isto agendi modo violaret.

Collige 4°. eum qui cogitur aliquam du- 79
cere uxorem, quam tutâ conscientiâ ducere non potest, absque mortali periculo jurare non posse se illam accepturum, cum mentali ista vel simili restrictione, *si tutâ conscientiâ possim.* Mulierem etiam ideò excommunicatam, quòd viro propter occultum impedimentum dirimens non cohabitet, perjuram esse, si juret se illi cohabitaturam, mentaliter subintelligendo, *si id mihi licebit.* Similiter uxorem à viro suspectatam, & interrogatam de adulterio quod commisit, pejerare, si juret se non commisisse, subaudiendo *tali die*, vel *tali loco.*

Collige 5°. Clericum, interrogatum ab 80
exactoribus vectigalium, an deferat merces aliquas, jurare non posse, *nihil deferre*, si

reverâ deferat, intra se addendo, *ex quo debeatur vectigal.*

81 Collige 6°. reum à Judice non legitimè interrogatum de crimine quod commisit, jurare non posse, quòd non commiserit, intra se subintelligendo, *sic ut tenear tibi dicere.* Nec testem, contra juris ordinem interrogatum de delicto, cujus habet scientiam, absque perjurio jurare posse, se nescire, sub eadem mentali restrictione. Et idem de aliis ejusmodi casibus. Tametsi enim Casuistæ non pauci contra sentiant : præ illis colenda & diligenda est veritas, nec audiendi, qui divinam illius lucem opinionum suarum tenebris obnubilare nituntur; sed illis præferenda divina oracula, Sanctorumque traditio, allatæque rationes validissimæ in contrarium. Neque enim responsiones illæ, etiam in circumstantiis illis, id exteriùs significant, quod Casuistæ illi prætendunt, neque ullus Sanctorum veterumvè Doctorum sic eas intellexit.

CAPUT VII.

Satisfit Casuisticis argutiis in contrarium.

82 OBjicies 1°. exempla Scripturæ : siquidem Jacob Genes. 27. dixit : *Ego sum primogenitus tuus Esaü*, mente subintelligendo, quoad jus acquisitum per emptionem primogenituræ ipsius. Imò Christus ipse Marci 13. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater*, id mente intelligendo de scientia revelabili. Joannis quoque 7. *Ego non ascendam ad diem festum hunc*, subintelligendo vobiscum; vel non ascendam *manifestè*, uti hactenùs; clàm enim ascendit.

Respondeo 1°. factum Jacob non posse Adversariis servire : quia si secundùm verborum corticem intelligatur, patrem decipere voluit; quod illicitum ipsi fatentur. 2°. nec Jacob, nec Christum restrictione mentali usum, sed Jacob Prophetam, Isaac Prophetæ, propheticè ac mysticè locutum, prout statim propheticè & mysticè Isaac intellexisse, patet ex contextu. Enimverò pudor est quòd mentalium restrictionum patroni res tam sublimes, Deo Authore divinitùs gestas (de quibus Augustinus, l. 16. de Civit. Dei c. 37. exclamat : *O res gestas, sed propheticè gestas! in terra, sed celsiùs! per homines, sed divinitùs!*) ad consuetum morem & intellectum rerum humanitùs gestarum intelligi velint. Significationis verborum hominis Deus est Dominus, longè potiori ratione, quàm Rex valoris monetarum, quem modò elevat, modò deprimit, prout bono Statûs expedire judicaverit. Hâc itaque ratione Deus, humana verba à vulgari sensu & usu suo elevavit ad sensum mysticum, prorsusque divinum, sicque facta & verba Jacob elevavit ad significandum, quòd natu major, populus scilicet Judæorum, serviret minori, populo scilicet Gentium, quòdque electis reprobi servirent, & divinis in promissionibus, seu præordinationibus, prælati essent. Hoc est quod Rebeccam interiùs docuit Spiritus sanctus. Et ideò, cùm diceret ei Jacob, timere se ne pater putaret voluisse se illudere ei, induceretque super se maledictionem, loco benedictionis; intrepidè respondit: *In me sit ista maledictio, fili mi: tantùm audi vocem meam.* Nec certè deceptum se fuisse conquestus est Isaac post datam benedictionem Jacob; imò *confestim revelato sibi intus in corde magno Sacramento, devitat indignationem, confirmat benedictionem. Quis non hìc maledictionem potiùs expectaret irati, si hæc non supernâ inspiratione, sed terreno more gererentur?* inquit Augustinus ibidem. Jacob itaque patrem mentali restrictione fraudulenter non decepit; quinimò, *iste dolus*, si dolus, *Jacob, ne fraudulentus putaretur, & non magnæ rei mysterium quæreretur, superiùs prædixit Scriptura* : " Et " erat Esaü sciens venari, agrestis; Jacob au- " tem homo simplex, habitans domum. " Nihil proinde per duplicitatem fecit. Christus verò, ut Magister & Propheta, missus ad docendum discipulos, de die judicii interrogatus ab ipsis : respondit in ea qualitate ea se solùm scire, quæ Pater voluit ut ipsis nota faceret, & pro quibus edocendis ad ipsos missus fuerat. Et hoc modo Marci 13. dixit se diem illum non scire : quia non erat ipsorum *scire tempora, & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, prout ipsis dixisse fertur Actor. 1. Ista proinde subintellectio merè interna non fuit, sed externè perceptibilis ex circumstantiis personæ loquentis, simul & personarum interrogantium. Quomodò etiam Joannis 7. Christus rogabatur, ut manifestè ascenderet cum discipulis suis, prout ascendere solitus erat; rogabatur enim ut se suaque opera ibi manifestaret : attentis proinde circumstantiis illis externis, responsio ipsius interrogationi congrua fuit. Et reverâ non ascendit sic, sed quasi in occulto; nec ibi tunc miracula fecit, quia ea ibi faciendi tempus nondum advenerat. Illud tamen addiderim, 83
in Bibliis Sixtinis non legi, *Ego non ascendam*; sed, *Non ascendo ad diem festum istum.* Et reverâ textus Græcus sic habet : *Ego nondum ascendo*, ut notat Jansenius Gand. in sua Concordia c. 73. testaturque Erasmus (apud ipsum) visa à se exemplaria antiqua, quæ pro *non* habent *nondum*. Quod verissimum fuit : nondum enim ascendit, cùm discipuli ascenderunt; sed alterâ die postquam discipuli ascenderant. Augustinus autem observat, Christum dixisse : *Vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendo ad diem festum istum*, ut sensus sit : Vos ascendite ad primum diem festi Scenopegiæ (quod per septem dies durabat) ego autem non ascendo ad primum illum diem, cæteris celebriorem; sed ad alium, v. g. secundum diem ejusdem festivitatis, uti reverâ ascendit.

Pro solutione aliorum ejusmodi sacrorum 84

textuum sapienter monet Clerus Gallicanus, in censura anni 1700. *mysticè, propheticè, paraboliçè, sive œconomicè ad insinuandam altiùs veritatem dicta, vel tacita, cum vulgaribus gestis non esse confundenda*; vulgariter proinde non esse intelligenda; sed sensu à Spiritu sancto intento, ex circumstantiis colligendo.

85 Objicies 2°. juramenti significatio accipienda est juxta intentionem proferentis: utpote quæ verum facit id quod jurat, juxta id quod dicitur can. *humanæ aures* 22. q. 5. *Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant; divina verò judicia, talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur... Non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem & intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni.* Subdit Gratianus, inde patere, quòd Deus non accipit sic juramentum, sicut ille cui juratur, sed potiùs sicut qui jurat, intelligit.

Respondeo ita esse quando aliquis absque dolo, bonâ fide jurat: tunc enim licèt verba ab hominibus accipiantur, prout foris sonant; Deus illa audit, prout simplici corde proferuntur. Verùm ubi dolus intervenit ex parte proferentis, verba ipsius à Deo non audiuntur secundùm intentionem ipsius, alienam à communi significatione; sed secundùm sanum, id est communem sensum ejus cui juratur, prout constat ex Scriptura, Patribus, & rationibus suprà allatis, docetque S. Thomas q. 89. a. 7. ad 4. *Quando non est eadem jurantis intentio, & ejus cui jurat, si hoc procedat ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundùm sanum intellectum ejus, cui juramentum præstatur.* Et hoc est, quod can. *quâcumque arte* ibidem ex Isidoro dicitur: *Quâcumque arte verborum quisque juret; Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.*

86 Objicies 3°. multa nobis & proximis incommoda sequerentur, si deberemus semper candidè & sincerè aperire totum quod scimus, nec possemus subinde ex causa aliquid mente retinere. Tunc enim intolerabilis fieret humana conversatio, si v.g. nobiles mulieres, quibus adversa quandoque valetudo, vel negotia, seu alia impedimenta non semper permittunt recipere personas quæ ad ipsas veniunt, sive honestæ visitationis, sive importunæ petitionis gratiâ, famulis præcipere non possent, ut dicerent se domo exiisse, intelligendo *manè*, vel *hesternâ die*, licèt revera domi sint.

Respondeo 1°. quòd longè plura, & absque comparatione graviora toti humano generi incommoda sequerentur, si restrictionum purè mentalium usus permitteretur. 2°. ex universali earum prohibitione nulla sequi vera incommoda, quæ ab homine Christiano christianæ sinceritati, simplicitati, veracitati & honestati non sint postponenda. Nec verum esse incommodum illud, quod nobiles illæ mulieres allegant; imò inanem esse prætextum. Si enim reverà impeditæ sint, vel non rectè valentes, id significari jubeant adeuntibus; si impeditæ non sint, visitationes, etiam onerosas, potiùs recipiant, quàm mentiantur, famulisve mendacium imperent. Hoc est enim contra honestatem & societatem, *ex qua homo debet alteri veritatis manifestationem*, ut Augustinus dicit l. contra mendac. c. 18. Et quia homo est animal sociale, naturaliter debet alteri id sine quo societas servari non potest, sinceram utique veritatis manifestationem, ut dicit S. Thomas q. 109. a. 3. Alienæ proinde sunt à christiana honestate & societate, quæ restrictionum artem famulis imperant, tot mendaciorum reæ, quot à suis domesticis proferuntur.

Instabis, gravissimum incommodum esse, 87
Confessario interrogato de crimine in Confessione audito, si respondere non posset, se nihil scire; item reo illegitimè interrogato à Judice, si respondere non posset, se crimen non fecisse, quod fecit, &c.

Respondeo 1°. de quocumque sermo sit, graviora ipsi contingere non posse incommoda, quàm sit illud ex Augustino suprà relatum, de morte patris ægrotantis, & damnatione æternâ hominis non baptizati, ad quæ vitanda Augustinus non censuit licitum mentiri, nec mentali restrictione uti. 2°. de Confessario satis dictum est suprà num. 78. reum autem, licèt illegitimè interrogatum, dicere non posse se non fecisse: quia scienter, adeòque mendaciter diceret & juraret falsum. Neque enim verum est quòd circumstantia illegitimæ interrogationis denotet sensum illum, quem Casuistæ prætendunt, quòd non fecerit sic ut Judici illegitimè interroganti crimen illud fateri teneatur: siquidem ad hoc significandum, etiam in circumstantiis illis, voces illæ non sunt institutæ. Respondeat ergo potiùs, se non teneri ad respondendum. Quid est enim in eo tergiversandum, si hoc casuistica illa responsio significet?

Objicies 4°. nimis dura & difficilis est do- 88
ctrina illa nostra.

Respondeo duram & difficilem non esse diligentibus veritatem, quæ Deus est, sed seipsos magis quàm veritatem amantibus. Imò, teste Gregorio p. 3. Pastoral. c. 12. *nihil ad dicendum veritate facilius. Nam dum fallaciam suam homines tueri conantur, duro labore fatigantur. Hinc namque scriptum est:* " La- " bor labiorum ipsorum operiet eos.... *Hinc per Hieremiam dicitur:* " Docuerunt lin- " guam suam loqui mendacium: ut iniquè a- " gerent, laboraverunt; " *ac si apertè diceretur: Qui amici veritatis esse sine labore poterant, ut peccent, laborant: cumque vivere simpliciter renuunt, laboribus exigunt ut moriantur. Nam plerumque in culpa deprehensi, dum quales sint cognosci refugiunt; sese sub fallaciæ velamen abscondunt.* Idem ante Gregorium dixerat Augustinus in Ps. 139. *Laborant homines loqui mendacium, nam veritatem*

tem totâ facilitate loquerentur. Ille enim laborat, qui fingit quod dicit. Nam qui verum vult dicere, non laborat. Ipsa enim veritas sine labore loquitur. De homine ergo hoc Psalmista dixit Deo : Me proteget umbraculum tuum. Ipsos teget mendacium ipsorum. Sed ipsum mendacium ipsorum, labor est labiorum ipsorum. Ecce parturiit injustitiam, & peperit iniquitatem. In omni enim opere malo, labor est, & omne opus malum cogitatum, mendacium ducem habet : non enim est veritas, nisi in opere bono. Et propterea quia omnes laborant in mendacio, veritas quid clamavit : " Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. " *Ipsa est vox clamans ad laborantes in alio Psalmo :* " Filii hominum, usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? *Apertè autem alio loco labor est in mendacio :* " Docuerunt linguas suas loqui mendacium : " ut iniquè agerent, laboraverunt.

89 Objicies 5°. nemo tenetur alteri totam mentem suam manifestare, sed partem aliquando potest celare : quia veritatem aliquando licet celare.

Respondeo ita esse, dummodò nihil dicatur falsum, nec ullum proferatur mendacium, uti profertur in casu de quo disputamus. Veritatem ergo licet aliquando celare, dum id necessarium, vel utile est, vel ad malum alioqui imminens avertendum, vel ad bonum procurandum : quomodò Abraham, interrogatus de Sara, dixit, *soror mea est*, sed celavit esse uxorem, atque ita *aliquid veri tacuit, non falsi aliquid dixit*, ait Augustinus lib. contra mendac. c. 10. Quòd si veritatem celando mors tibi vel alteri certò immineat, nec evitari queat nisi restrictione mentali, equidem non licet eâ uti. Tunc proinde *faciat... homo, etiam pro temporali hominum salute, quod potest : cùm autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali saluti consulere nisi peccando non possit, jam se existimet non habere quid faciat, quando id reliquum esse perspexerit, quod non rectè faciat.* Ibidem c. 17.

90 Objicies 6°. ad mendacium requiritur voluntas loquendi falsum; hoc autem non vult, qui, licèt exteriùs proferat sermonem falsum, interiùs eum determinat ad sensum verum.

Respondeo, ad mendacium sufficere voluntatem interpretativam loquendi falsum; hanc verò habet quisquis edere vult sermonem, quem scit difformem rei, ex communi hominum institutione per eam significatæ; quam institutionem suâ mutare non potest mentali restrictione.

91 Objicies 7°. potest quis secum proferre sermonem partim vocalem, partim mentalem, absque mendacio, etiamsi sermo vocalis, seorsim à mentali, foret falsus. Similiter ergo potest alteri loqui.

Nego consequentiam : dum enim sibi quis loquitur, principales partes habet locutio interior, quam optimè intelligit, sed dum alteri loquitur, principales partes habet locutio exterior, utpote quæ principalem habet rationem signi, in ordine ad alterum; non verò locutio interior, quam intelligere non potest, nisi inspector cordium.

Objicies 8°. qui dicit v. g. *non occidi*, 92 confestim interiùs addendo, *hodie*, non dicit falsum, antequam addiderit : quia oratio ipsius non est plena, sed quasi suspensa ab intentione aliquid ei addendi. Ergo oratio exterior restricta mentaliter non est falsa, eò quòd plena significatio ipsius pendeat ab additione interna.

Nego antecedens : quia in humana locutione unius ad alterum, ex locutione vocali, & interna illa additione, non fit unum totale signum, sicut ex pluribus vocibus externis fit unum totale signum vocale. Quia interna additio, utpote soli addenti nota, non aliis, respectu aliorum esse non potest signum sensûs ab addente intenti; ideòque locutio externa ipsius, non obstante internâ illâ additione, omnium sensu reputatur falsa. Enimverò quis non apprehendit, cum qui vocaliter dicit : *Deus non est*, dicere falsum, licèt interiùs addat, *brutum, lapis*, &c.? Ejusmodi ergo compositio ex vocibus externis & internis reprobanda est, velut lingua dolosa aliud in corde gestantis, aliud ore promentis. Et hoc est quod Concilium Trosleianum to. 9. Conciliorum Labbæi docet his verbis : *Omne mendacii genus summoperè fuge. Omne enim quod à veritate discordat, iniquitas est. Esto in verbo verax, neminem mentiendo fallas. Non aliud loquaris, & aliud facias; non aliud dicas, & aliud animo teneas..... Nos autem fugientes à patre mendacii, curramus ad Patrem veritatis, & loquamur veritatem ex corde & ore cum proximis nostris, ut mereamur participes inveniri Veritatis æternæ.* Auditi etiam meretur hîc Cardinalis Bona Manuduct. c. 25. ubi dicit : *In omni sermone, gestu, & scriptura, aliisque signis externis, veritas sit. Non decet Christianum hominem labium mendax. Muliebre vitium & plebeium est, aliud pectore claudere, aliud ore proferre. Vir generosus res simpliciter enuntiat, prout sunt, non exaggerat, non amplificat, non decipit, non simulat, verborum... involucra devitat. Simplicia verba veritas simplex amat.... Qui verò mentitur, aut fallit, rem duplici sermone obscurat, ut lateat. Odit lucem, qui malè loquitur, sicut qui malè agit. Cave itaque, ne, ut vestium, sic sententiarum habeas, aliam domesticam, aliam forensem; ne in fronte ostentatio sit, intus veritas occulteur. Ab hoc vitio abhorret ipsa natura.*

CAPUT VIII.

Justa de causa licitum est juramentum ab infideli exigere, vel suscipere, quem scis juraturum per falsos deos.

ITa S. Thomas q. 88. a. 4. ad 4. & ex 93
parte saltem S. Augustinus epist. 47. aliàs

154. ad Publicolam, his verbis: *Qui utitur fide illius quem constat juravisse per deos falsos, & utitur non ad malum, sed ad licitum & bonum, non peccato ejus se sociat, quo per damonia juravit, sed bono pacto ejus, quo fidem servavit .... fidem utique humanorum placitorum, atque pactorum. Verùm tamen sine ulla dubitatione minus malum est per deum falsum jurare veraciter, quàm per Deum verum fallaciter. Quantò enim per quod juratur magis est sanctum, tantò magis est pœnale perjurium.*

94 Et ratio est, quia justa de causa licet hoc ab alio petere, quod per se malum non est, & quod benè potest facere, licèt sciatur malè facturus: hâc enim ratione licitum est mutuum ab eo petere, quem scis daturum sub usura, dum justa id necessitas exigit. Atqui juramentum per se malum non est, & benè fieri potest, utique per Deum verum. Ergo, &c.

Dices: non licet ab eo juramentum exigere, quem scis pejeraturum. Igitur nec ab eo quem scis per falsos deos juraturum.

Nego consequentiam: quia nulla necessitas vel utilitas, nullumque bonum, nec proinde finis juramenti haberi potest ex juramento ejus quem scis pejeraturum: cùm nulla ex perjurio utilitas, nullum bonum provenire queat, sine quo perjurium permitti non potest, dum potest impediri; & ideò illicitum esse juramentum exigere ab eo quem scis pejeraturum esse, docet Augustinus serm. 180. aliàs 28. de verbis Apostoli, & serm. 308. aliàs 11. ex additis à Parisiensibus. Ex juramento verò per falsos deos provenire potest bonum fidei, seu fidelitatis; ipse proinde finis propter quem institutum est juramentum.

CAPUT IX.

Licitum non est homini privato inducere quempiam ad jurandum falsum, quod inducens scit falsum esse, licèt jurans putet esse verum.

95 ITa Sinnichius in suo Saüle exrege l. 1. §. 664. Julius Mercorus in Basi Theol. Moral. p. 1. a. 5. Gonet de probabilitate fol. mihi 129. contra Tamburinum l. 1. in Decal. c. 1. §. 6. n. 7. Hurtadum de fide, spe, & charit. disp. 173. sect. 15. §. 199.

96 Probatur 1°. quia si ex præcepto charitatis tenemur docere ignorantes, ne peccent, etiam materialiter, ut communiter tradunt Doctores cum S. Thom. in 4. dist. 15. q. 3. art. 3. quantò magis cavere debemus, eosdem inducere in errores & peccata, etiam materialia, contra legem Dei vel Ecclesiæ: quandoquidem (ut rectè Bannez 2. 2. q. 33. a. 2. dub. 3. conc. 4.) licèt ille quem inducimus, excusetur ob ignorantiam invincibilem ejus ad quod inducitur; nos tamen qui inducimus, & scimus factum & legem, nullâ ratione excusari possumus.

2°. si in Evangelio Matth. 15. reprehen-
97 duntur cæci, si cæco ducatum præstant; quantò magis videntes, si cæcum in foveam ducunt?

3°. ex amore Dei & zelo honoris ejus, atque ex amore proximi teneor ab ipso, quantùm commodè possum, avertere etiam peccata materialia: utpote quæ privant Deum gloriâ, & proximum maximo bono, morali scilicet actione secundùm virtutem, per quam unusquisque tendit in ultimum finem.

Nec dicas cum Tamburino, jurare falsum, 98
quod jurans inculpabiliter putat esse verum, actum religionis esse, ad quem inducere nullum est peccatum. Quia pariter actus religionis est adorare diabolum, quem rusticus ex inculpabili simplicitate putat esse Christum; vel hostiam non consecratam, quam putat esse consecratam: qui tamen hoc scit, sine dubio peccat, inducendo ad talem adorationem. Similiter actus justitiæ est, debitum marito invincibiliter putato reddere; ad id tamen illicitum est inducere feminam, cujus scis priorem maritum vivere. Denique servum jussu domini laborare in die quem bonâ fide putat ferialem, actus obedientiæ est; peccat tamen dominus scienter inducens servum ad hoc.

Nec dicas 2°. Confessarium posse ad de- 99
bitum reddendum inducere conjuges ignaros nullitatis matrimonii, dum justa de causa non potest eos de nullitate monere. Quia tunc concurrunt duo præcepta incompossibilia, in quo concursu præstantius est sequendum, & minus malum eligendum. Est autem minus malum conjuges sequi conscientiam, quàm contra eam operari secundùm legem invincibiliter ignoratam; de qua si monerentur, rationabiliter ipsis gravius malum timetur, ut suppono. De isto tamen casu alibi plura.

Dixi tamen in conclusione *homini privato:* 100
quia, ut S. Thomas docet q. 98. a. 4. *si aliquis exigat juramentum tamquam persona publica, secundum quod exigit ordo juris ad petitionem alterius; non videtur esse in culpa, si ipse juramentum exigat, sive sciat eum falsum jurare, sive verum. Quia non videtur ille exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit.* Setiò tamen admonere debet juraturum, ut benè videat ne pejeret, actoremque urgere, ut juramentum remittat, atque insuper explorare, num actor sciat ipsum pejeraturum: quia tunc non liceret Judici juramentum exigere ad petitionem, quam nosset esse injustam, divinæque Majestati injuriosam. Ubi verò Judex in causis criminalibus animadvertit, testes paratos ad falsum testimonium ferendum contra reum, & pejerandum, juxta S. Raymundum ex officio tenetur facere quidquid potest, ad repellendum illos à testimonio ferendo, operamque & diligentiam omnem adhibere, ut causam inveniat repellendi, sicut fecit Daniel in causa Susannæ.

Nec in ulla unquam causa juramentum Ju- 101
dex ab utraque parte exigere potest: hoc enim impium est, Christianæque religioni nimis contrarium, uti declarat Concilium Valentinum III. anni 855. can. 11. hisce verbis: *Quia impia,*

impia, & Deo inimica, & Christianæ religioni nimis contraria, ex iniquissima ac detestabili constitutione quarumdam sæcularium legum consuetudo invaluit, ut in forensi judicio litigantes ex utraque parte contendentium æqualiter juramentum dare cogantur, ubi sine dubio duobus contra se jurantibus unus perjurus efficitur: tanti sceleris immanitatem, & animarum perditionem dolentes, statuimus, ut quicumque, uno juramento legitimè dato, quo secundùm legem divinam omnis humanæ controversiæ finis esse debet, alterum è contrario juramentum opponere præsumpserit, ab ipsis liminibus ecclesiæ, quæ suâ impietate profanavit, exclusus, omnium Christianorum consortio atque convivio reddatur extraneus, nisi se continuò admonitus, ad agendam pœnitentiam tanti reatûs humili satisfactione inclinaverit.

CAPUT X.

Juramentum promissorium, metu gravi extortum, inducit obligationem, perjuriique reus est qui illud violat, nisi à Romano Pontifice, vel Episcopo fuerit relaxatum.

102 PRobatur 1°. ex cap. *debitores* de jurejur. ubi Alexander III. dicit eos qui ad solvendas usuras simplici promissione obstrinxerunt sese, cogendos non esse ad solutionem; *si verò de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere juramentum. Et cùm usuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas sunt ecclesiasticâ severitate... compellendi.* Et cap. *si verò* ibidem: *si verò aliquis quemquam gravissimo metu, sub religione juramenti, suum jus refutare coëgerit, ipsumque sibi retinuerit... non est tutum contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ. Nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contra juramentum proprium, ne authores perjurii videamur.*

103 2°. ex Augustino epist. 125. aliàs 224. ad Alypium, ubi scribit, quòd cùm Hipponem, ad invisendum Augustinum, Pinianus venisset, ibique rei sacræ interesset, tanto populi tumultu ad sacerdotium postulatus fuerit, ut evadere permissus non fuerit, donec juraret, se Hippone non recessurum, nec consensurum ut in Clerum cooptaretur, nisi in Ecclesia Hipponensi. De quo cùm Albina & filii conquererentur, allegantes, quòd vim nullam haberet juramentum, vi metuque extortum, respondit Augustinus: *Si certa mors intentaretur, ut aliquid illicitum ac nefarium servus Dei se juraret esse facturum, mori malle quàm jurare debuerat, ne jurationem scelere impleret. Nunc verò cùm tantummodò populi perseverantissimus clamor ad nullum nefas hominem cogeret, sed ad id quod, si fieret, licitè feret; cùmque metueretur quidem ne aliqui perditi, qui multitudini etiam bonorum plerumque miscentur, occasione seditionis, & quasi justæ indignationis inventâ, in aliquam vim sceleratam rapinarum cupiditate prorumperent, sed tamen illud quod metuebatur esset incertum; quis censeat propter incerta, non dico damna, & quaslibet injurias corporales, sed propter ipsam mortem cavendam, certum perjurium debere committi? Nescio quis ille Regulus nihil in Scripturis sanctis de impietate falsæ jurationis audierat, nihil de Zachariæ falce didicerat:* "Video falcem volantem (juxta versionem 70.)... omnis perjurus ex hoc cruciabitur: " *& nimirùm Carthaginensibus, non per Sacramenta Christi, sed per dæmonum inquinamenta juraverat; & tamen certissimos cruciatus, & horrendi exempli mortem, non ut juraret necessitate pertimuit; sed liberâ voluntate quia juraverat, ne pejeraret excepit. Et Romana tunc illa censura noluit habere, non in numero Sanctorum, sed in numero Senatorum; nec in cælesti gloria, sed in terrestri curia, non solùm eos qui metu mortis, crudeliumque pœnarum apertissimè pejerare, quàm ad immanes hostes remeare maluerunt; sed etiam illum qui reatu perjurii se putaverat absolutum, quia, post jurationem, fictâ nescio quâ necessitate redierat. Ita non attenderunt, qui eum Senatu pepulerunt, quid ipse jurando cogitasset* (erubescant hîc mentalium restrictionum patroni) *sed quid ab illo, quibus juraverat, expectarent. Nec legerant, quod nos usquequaque cantamus:* "Qui jurat proximo suo, & non decipit." *Solemus hæc, quamvis in hominibus à Christi gratia & nomine alienis, cum ingenti admiratione laudare; & adhuc in libris divinis inquirendum putamus, utrùm aliquando licitè pejeremus, ubi nobis, ne jurandi facilitate in perjurium prolabamur, etiam præceptum est ne juremus.* Videnda quoque quæ epist. 126. ad Albinam scribit.

3°. ex S. Thoma q. 89. a. 7. ad 3. *In ju-* 104
ramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Una quidem, quâ obligatur homini, cui aliquid promittit; & talis obligatio tollitur per coactionem: quia ille qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, quâ quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit; & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ: quia magis debet damnum temporale sustinere, quàm juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio, quod solvit, vel Prælato denuntiare, non obstante quòd contrarium juravit: quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum. Esset enim contra justitiam publicam. Romani autem Pontifices ab hujusmodi juramentis homines absolverunt, non quasi decernentes hujusmodi juramenta non esse obligatoria, sed quasi hujusmodi obligationes ex justa causa relaxantes.

Dices: votum, metu gravi extortum, 105
non obligat. Ergo nec juramentum.

Nego consequentiam: tum quia aliter de voto, quàm de juramento sacri Canones loquuntur. Sicut & aliter de simplici promissione homini facta, aliter de jurata. Tum quia votum, ex gravi metu injusto extortum, non est votum: eò quòd tale votum Deus non acceptet; juramentum verò, etiam tali metu extortum, Deus acceptat, uti declararunt Summi Pontifices in sacris Canonibus. Unde cap. *si*

quis coactus 22. q. 5. si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa, vel necessitate perjurat, quia plus corpus quàm animam dilexit, tres quadragesimas pœniteat; alii verò judicant tres annos, unum ex his in pane & aqua. De voto Glossa in cap. *Abbas*, de his quæ vi, &c. *Votum* (inquit) *per metum factum, nullum est: quia votum res est consilii, non præcepti, & liberum est arbitrium in vovente.* Aliàs non est votum, uti constat ex definitione ipsius.

CAPUT XI.

Nullum juramentum, vergens in pejorem exitum, servandum est, nec illud non servans est perjurus.

106 ITa S. Thomas q. 89. a. 7. ubi sic: *Si sit quidem possibile fieri, quod juratum est; sed fieri non debeat, vel quia est per se malum, vel quia est boni impeditivum, tunc juramento deest justitia. Et ideò juramentum non est servandum, in eo casu quo est peccatum, vel boni impeditivum. Secundùm enim S. Augustinum l. de bono conjugali c. 4. utrumque horum vergit in deteriorem exitum.* Et ad 2. dicit, quòd *juramentum potest vergere in deteriorem exitum dupliciter: uno modo, quia ab ipso principio habet pejorem exitum; vel quia est secundùm se malum: sicut cùm quis jurat se perpetraturum adulterium. Sive quia est majoris boni impeditivum, puta cùm aliquis jurat se non intraturum Religionem, vel quòd non fiet Clericus, aut quòd non accipiet prælationem, in casu in quo expedit eum accipere, vel siquid aliud est ejusmodi.* Et quidem *siquis juret se facturum aliquod peccatum, & peccavit jurando* (quia de juramento fecit vinculum iniquitatis) *& peccat juramentum servando. Siquis autem jurat se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui sancto, qui est boni propositi inspirator; non tamen peccat juramentum servando; sed multò melius facit si non servet.*

107 *Alio modo vergit in deteriorem exitum, propter aliquid quod de novo emerserit, quod fuit impræmeditatum, sicut patet in juramento Herodis, quo juravit Puellæ saltanti se daturum quod petiisset. Hoc enim juramentum potuerat esse à principio licitum, intellectâ debitâ conditione, si peteret, quod dare liceret. Sed cognitâ nequitiâ rei promissæ, eam servare non debuit; imò impletio juramenti fuit illicita.* Unde Ambrosius l. 1. de officiis Ministrorum c. 50. ait: *Est contra officium nonnunquam promissum solvere sacramentum, sicut Herodes, qui necem Joannis præstavit, ne promissam negaret.* Hinc regula juris in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.*

108 Hinc rursus S. Thomas q. 98. a. 2. ad 1. *Ille qui jurat se facturum aliquid illicitum, jurando incurrit perjurium, propter defectum justitiæ; sed si non impleat quod juravit, in hoc perjurium non committit: quia hic non erat talе quid, quod sub juramento cadere posset.*

Ad uberiorem verò explicationem quæstionis, quâ quæritur, quibus modis juramentum in deteriorem vergat exitum, S. Antoninus p. 2. tit. 10. cap. 6. dicit, id *contingere sex modis. Primò, cùm juratur quod est mortale in se. Secundò, cùm juratur quod est veniale in se. Tertiò, cùm juratur indifferens aliquid, quod ex circumstantiis efficitur veniale, vel mortale. Quartò, cùm juramentum excludit opus ex charitate faciendum, ut quando jurat aliquis, quòd nihil dabit isti ex charitate, vel quòd non colet Deum. Quintò, cùm excludit opus de genere bonorum, ut cùm quis jurat quòd nunquam erit Episcopus, Monachus, vel Canonicus; vel quòd non celebrabit usque ad mensem, vel quòd non jejunabit pro Deo, vel pro peccatis suis, in pane & aqua, si non præcipitur ei; vel quòd non dicet Psalterium, vel septem Psalmos; vel quòd non juvabit illum, in licitis & honestis, usque ad certum tempus. Sextò, cùm excludit opus indifferens, pia intentione pro Deo aut proximo faciendum, ut si quis juret quòd non loquetur Martino, vel non intrabit domum ejus, vel non coquet ad furnum ejus, vel molet ad molendinum; vel quòd talia non faciet, vel quòd non vendet ei rem minori pretio quàm tali; vel non comedet ad eamdem mensam cum eo.... Credo quòd propter hujusmodi juramentum non debet declinare à talibus, si ea velit facere piâ intentione, & propter Deum, & salutem animæ suæ, & propter tollendum scandalum proximi, contra quem sic juravit. In primis autem tribus modis, credo quòd possit quilibet sic jurans authoritate propriâ venire contrà; sed imponenda est ei pœnitentia de temerario juramento. In reliquis tribus, quamvis hujusmodi juramenta non sint obligatoria, nec imponenda sit pœnitentia pro transgressione eorum, tamquam pro mortali; non expedit tamen propriâ authoritate contravenire, nisi propter urgentem necessitatem: tum propter reverentiam juramenti: tum propter scandalum simplicium, qui putant sic incurri perjurium. Unde petenda est absolutio à Superiore, qui hujusmodi juramenta debet facere relaxari, vel potius ostendere sic jurantes non fuisse obligatos, & imponere pœnitentiam de temerario juramento.* 109

Et ideò Dracontium, non obstante juramento 110
de non acceptando Episcopatu, ad eum acceptandum compulit S. Athanasius. Theodosium quoque Imperatorem, S. Ambr. epist. 40. ad ipsum Theod. datâ, declaravit non teneri juramento de restauranda synagoga Judæorum, deque supplicio afficiendis Monachis, qui Fanum Valentinianorum hæreticorum, ab ipsis contumeliâ affecti, incenderant: *Integra* (inquit) *adhuc tibi sunt omnia. In hoc me ego Deo nostro pro te obligo, ne verearis sacramentum. Numquid Deo displicere poterit, quod pro ejus emendatur honorificentia?* Sic Urbanus III. cap. *cùm quidam* de jurejur. *Illi* (inquit) *qui jurant non loqui patri vel matri, sorori vel fratri, aut illis humanitatis subsidia non exhibere; ab-*

solvendi sunt ab illius observantia juramenti: cùm illicitum sit, & contrarium rationi; injunctâ tamen eis, de hoc quòd malè juraverant, pœnitentiâ competenti.

CAPUT XII.

In mortali versantur crimine, qui leviter, temerè, absque justa necessitate, vel utilitate, ex prava consuetudine jurant, nec consuetudinem illam corrigere pro virili curant.

111 ITa Soto de abusu juramenti c. 12. ubi docet consuetudinem jurandi esse mortalem, etiam in eo qui non habet consuetudinem mentiendi, si seriò non allaboret ad consuetudinem illam corrigendam. Propositum etiam cavendi ab assuetudine jurandi, illi necessarium esse ad salutem, qui non est vitio mentiendi corruptus. Nam sicut in multiloquio periculum conflatur mentiendi venialiter; ita in frequentatione jurandi periculum existit mentiendi cum juramento, quod semper est mortale. Qui enim amat periculum, peribit in illo. Et ideò qui ex dicta consuetudine inadvertenter jurat falsum, à mortali non excusatur, juxta Navarrum, Medinam, Sylvium. Quia juramenta illa falsa ipsi voluntaria sunt in consuetudine illa, eo ipso voluntaria, quo non studet, nec pro virili curat eam emendare.

112 Et hoc est quod divina Scriptura Eccli. 23. docet his verbis: *Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa .... Vir multùm jurans, implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga.* Et c. 27. *Loquela multùm jurans, horripilationem capiti statuet, & irreverentia ipsius obturatio aurium*, in audientibus, quibus est scandalo. Quæ est altera causa gravis peccati ipsius. Graviter namque scandalizantur fideles, dum audiunt Deum tam irreverenter passim testem appellari in rebus levissimis.

113 Hoc est etiam, quod Augustinus frequenter inculcat, dum v. g. epist. 157. aliàs 89. c. 5. dicit: *Jurationem cave, quantùm potes. Melius quippe nec verum juratur, quia jurandi consuetudine & in perjurium sæpè caditur, & semper perjurio propinquatur.* Et serm. 180. aliàs 28. de verb. Apost. c. 9. exponens ista Apostoli verba: *Ante omnia nolite jurare*, hoc ideò Apostolum dixisse ait, ut Christianos à jurandi consuetudine cohiberet: *Quid est, ante omnia? Ante omnia vigila, ante omnia intentus esto. Juravimus & nos passim habuimus istam veterrimam jurandi consuetudinem, & mortiferam. Dico charitati vestræ, ex quo Deo servire cœpimus, & quantum malum sit in perjurio vidimus, timuimus vehementer, & veternosissimam consuetudinem timore frenavimus. Frænata restringitur, restricta languescit, languescens emoritur, & malæ consuetudini bona succedit. Ait Christus:* „ Sit in ore vestro, „ est, est; non, non: quod autem amplius est, „ à malo est. „ .... *Sed tamen aliud habet humana, pessima consuetudo. Et cùm tibi creditur, juras; & cùm nemo exigit, juras; & horrentibus hominibus juras.... Istam ergo consuetudinem quotidianam, crebram, sine causa, nullo extorquente, nullo de tuis verbis dubitante, jurandi, avertite à vobis, amputate à linguis vestris, circumcidite ab ore vestro.... Quid est, ante omnia? Præ cæteris cautus esto, plus ad hoc intentus esto quàm ad alia. Major consuetudo majorem intentionem* (id est magis sollicitam curam & conatum) *flagitat, non levis rei consuetudo.... Lingua facilitatem habet motûs, in udo posita est, facilè in lubrico labitur. Quantò illa citiùs & faciliùs movetur, tantò tu adversus illam fixus esto. Domabis, si vigilabis; vigilabis, si timebis; timebis, si te Christianum esse cogitaveris.... Non fiat hodie, pigriùs sit cras. Si & cras factum non fuerit, minùs laborat qui custodit; adjuvatur enim consuetudine superioris diei.* Et rursus consuetudo illa ab ipso serm. 116. inter novos, vocatur *mortifera jurandi consuetudo.*

Similiter, ante Augustinum, D. Ambrosius 114
l. de exhortatione virginitatis c. 11. *Quid nos Scriptura admoneat, consideremus; non jurandum facilè, quia plerumque multi casus accidunt.... Qui jurat, aliquando necesse est incidat in perjurium: quia omnis homo mendax. Noli ergo jurare, ne incipias pejerare.*

Innocentius III. cap. *etsi Christus* de jure- 115
jurando: *Quædam prohibentur, quia per se mala sunt, ut furtum, &c. Quædam verò prohibentur ex causa, non quia per se mala sunt, sed quia si fiant frequenter, & multùm, ex his mala sequuntur.... Sic juramentum per se quidem malum non est, cùm sit confirmatio veritatis; sed tamen prohibetur ex causa, quoniam ex frequenti & incauta juratione perjurium sæpè contingit.*

Accedit, quòd etiam supposito quòd ali- 116
quis solitus esset dumtaxat verum jurare, supposito etiam quòd singulæ jurationes per se non excederent culpam venialem; assiduè tamen, absque necessitate & utilitate, absque etiam pietate & reverentia Deum in rebus levissimis testem appellare, & non curare malam istam consuetudinem emendare, Deo videatur graviter displicere, & quemdam ipsius contemptum præ se ferre, ut benè Boudartius hîc: sicut (inquit) semel aut iterùm Principis authoritatem in rebus levissimis interponere, potest esse leve; siquis verò assiduè, & quâcumque etiam levissimâ occasione authoritatem ipsius interponeret, meritò Principem graviter offenderet. Unde verius videtur, & sine dubio tutius est dicere, prædictam consuetudinem etiam sub mortali esse abdicandam. Huc usque Boudartius.

Ex his sequitur 1°. Confessarium, eos qui 117
jurandi consuetudine implicantur, absolvere non debere, nisi vel pravam illam mortiferamque consuetudinem exuerint, vel saltem viderit eos pro virili contra eam luctari, & ad eam extirpandam seriò allaborare. Quem in finem S. Carolus Borromæus Act. Eccles. Mediol. p. 4. monet talibus consuetudinariis

injungenda à Confessario remedia, ut immediatè post lapsum in talem jurationem faciant aliquam pœnitentiam, v. g. terram deosculando, eleëmosynam aliquam elargiendo, talem vel talem orationem faciendo, &c. S. verò Chrysostomus homil. 5. ad popul. Antioch. *Cùm videris* (inquit) *teipsum, vel alium quemque, vel servorum, vel filiorum, vel uxorem, hoc malo captos, & continuè commonefactos, neque correctos, jube non pransos cubare..... Talia enim sunt spiritualia, & lucrum facientia, & celeberrimam correctionem. Lingua enim continuè tribulata, vel nemine commonente sufficientem capit admonitionem, à siti compressa, à fame angustiata.* Homiliâ verò 19. ad eundem, aliud suggerit remedium: *Exurgens* (inquit) *è lecto, & domum tuam egrediens, hanc Evangelii legem repete, videlicet:* „ Ego „ autem dico vobis non omninò jurare, „ *& erit idonea tibi disciplina verbum illud.*

118 Collige 2°. prorsus improbandas esse sequentes opinationes noviorum Casuistarum. 1ª. *Qui ex inveterata consuetudine velut quodam necessario impetu.... materiales blasphemias profert, vel perjuria, tunc non peccat.* Layman. l. 1. tr. 2. c. 4.

2ª. *Probabilius est, perjurium, ob consuetudinem pejerandi, non esse peccatum mortale speciale, quando est cum inadvertentia naturali... etiamsi operans sit cum habituali affectu ad peccatum... nec refert quòd inadvertentia oriatur ex prava consuetudine aut passione: quia tam passio, quam consuetudo, tollit actualem usum rationis, qui necessarius est ad peccatum mortale.* Filiutius tr. 25. c. 11. n. 318. referens Suarez.

3ª. *An sit verò peccatum, quando videt consummatam esse consuetudinem, & advertit gravitatem, & periculum ejus? dubium esse potest. Sed etiamsi dicatur tunc esse, nisi detestetur; non tamen posteà, quando quis non advertit, de novo peccat. Ideò diximus non esse peccatum speciale.* Ibidem.

4ª. *Qui ex inveterata consuetudine inadvertenter jurat falsum, licèt videatur obligari ad consuetudinem confitendam, tamen communiter excusatur.... Quia communiter nemo advertit ad obligationem, quam habet, illam consuetudinem propter eam rationem extirpandi, ne scilicet sua consuetudo sit causa proxima prædicti materialis mali. Et consequenter cùm excusetur à peccato, excusabitur à confessione.* Tamburinus Method. Confess. l. 2. c. 3. §. 3. n. 23. aiens idem dicendum de cæteris peccatis blasphemandi, occidendi, vulnerandi, &c.

5ª. *Non teneris sub mortali peccato conari ad extirpandam consuetudinem, quoties occurrit advertentia istius consuetudinis.* Idem l. 3. in Decal. c. 1. §. 5.

6ª. *Juramenta prolata sine advertentia formali, & per se sufficiente ad peccatum mortale, non sunt in se novum ac proprium & speciale peccatum, propter solam jurandi consuetudinem, qualiscumque sit illa, etsi nondum retractata; sed tota malitia est in causa, atque ita, ut sint peccata lethalia, exigitur talis advertentia, qualis necessaria est in homine non sic ad jurandum assueto.* Sanchez l. 3. c. 5. n. 28. & seqq. Unde c. 8. n. 5. concludit cum Suarez, non esse necessarium juramenta taliter indeliberata confiteri. Vide quæ hac de re dixi tom. 1. l. 10. p. 5. n. 143.

CAPUT XIII.

Secundo præcepto non solùm prohibetur juramentum temerarium & perjurium, sed & in vanum assumere sanctissimum Dei nomen, vel etiam sanctissimum nomen Jesu, Mariæ, &c.

THeodoretus interrogat. 41. in Exodum, sensum hujus præcepti: *Non assumes nomen Dei in vanum*, explicans: *Quidam* (ait) *prohiberi dicunt, ne quis res vanas, hoc est idola, nomine Dei vocet. Alii, ne quis jurando mentiatur. Ego autem puto, divinam legem statuere, ne quis nomen Dei pronuntiet sine aliqua ratione, aut docendi, aut orandi, aut necessaria cujuspiam occasionis. Solent enim nonnulli, etiam ludentes, & ridentes, ut inciderit, reverendum Dei nomen linguâ proferre. Hoc arbitror divinâ lege prohiberi. Si enim consueverint multi pretiosiorem vestem diebus festis reservare; multò magis divinum nomen precibus, atque docendi officio æquum est consecrare.* 119

Dei ergo nomen sine pietate & reverentia non proferendum. Si enim qui diligunt Regem, de ipso sine affectu reverentiali non loquantur; multò minùs homo Christianus, qui Deum super omnia diligere honorareque debet, nomen ipsius sine affectu pietatis & reverentiæ debet usurpare. Qua in re Christianis ruborem injicere deberet exemplum Judæorum, qui erga sanctum Dei nomen *Jehova*, seu *Tetragammaton*, tantam habebant reverentiam, ut illud ne maxima quidem cum reverentia auderent pronuntiare. Et nos non pudet sanctissimum nomen Jesu (cælitùs illi datum, ut in eo flectatur omne genu, cælestium, terrestrium, & infernorum) sine reverentia pronuntiare. Peccabant quidem Judæi illi quodammodò per excessum; sed nos per tantum defectum, ut etiam in occasionibus vanis, & profanis, reverendissimum illud nomen usurpemus. *Nominatio Dei* (ait Spiritus sanctus Eccli. 15.) *non sit assidua in ore tuo.* Nec solent homines ea quæ apud ipsos in pretio sunt, v. g. vasa aurea & argentea, ad viles usus applicare; & nos sacratissima nomina *Jesu* & *Mariæ*, sicut & divina verba Scripturæ sacræ, pretiosiora super aurum, & lapidem pretiosum multum, ad nugatoria & vilissima applicare non veremur; & quod pejus est, in impatientia nostra, & in ira exclamare, *ô Deus! solves mihi*, &c. In qualibet etiam admiratione, quasi in signum illius, dicere, *Deus, Jesu, quid est hoc!* Et quod iterùm pejus est, vinum gustantes, dum sapit, exclamant: *Diabole, quam bonum!* dum 120

non sapit, *Jesu, quàm parvum, quàm miserum vinum* ! Ista sunt, aliaque ejusmodi, quæ in pœnitentibus suis corripere debent Confessores, & in exedris suis Concionatores.

PARS III.

Amor pius in cultu festorum.

Ad tertium præceptum : Memento ut diem sabbathi sanctifices.

POst injunctum nobis primo præcepto interiorem Dei cultum, qui in fide, spe, & charitate potissimùm consistit ; post injunctam etiam secundo præcepto reverentiam magnam, sine qua usurpare prohibemur sanctissimum Dei nomen : tertio præcepto exterior Dei cultus præcipitur, tempusque illius determinatur his verbis : *Memento ut diem sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbathum Domini Dei tui est : Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requievit die septimo. Idcircò benedixit Dominus diei sabbathi, & sanctificavit eum.* Isto proinde præcepto labores corporis prohibentur his verbis : *Non facies omne opus in eo* ; exercitatio verò in actibus pietatis & religionis præcipitur, cùm dicitur : *sanctifices*, ut scilicet diem illum in commemorandis Dei beneficiis, in Dei laudibus, & gratiarum actionibus, in hymnis, precationibus, sacrificiis impendamus. Et litterale quidem, seu externum, ac cæremoniale sabbathum, ad Judæos dumtaxat spectabat, eratque unum ex præceptis cæremonialibus ipsorum (quæ per mortem Christi antiquata sunt) non enim ad naturæ legem spectabat, prout cætera Decalogi præcepta. Sed aliud est spirituale sabbathum, quod ad Christianos etiam pertinet, & (ut Concilii Tridentini Catechismus explicat) *in sancta quadam & mystica quiete consistit*, quâ homo à pravis operibus quiescens, in actionibus quæ divino cultui, christianæque pietati conveniunt studiosè se exercet. Spirituale proinde sabbathum jugiter celebrant, qui Deum jugiter amant : quia Deus amando colitur, & non colitur nisi amando. De spirituali illo sabbatho præclarè Augustinus epist. 55. aliàs 119. ad Januarium : *Sabbathum commendatum est priori populo, in otio corporaliter celebrandum, ut figura esset sanctificationis in requie Spiritûs sancti.... Amant enim requiem, sive pia anima, sive iniqua ; sed quà perveniant ad illud quod amant, plurimæ nesciunt ; nec aliquid appetunt etiam ipsa corpora ponderibus suis, nisi quod animæ amoribus suis. Nam sicut corpus tamdiù nititur pondere, sive deorsum versus, sive sursum versus, donec ad locum quò nititur veniens, conquiescat.... sic animæ ad ea quæ amant propterea nituntur, ut perveniendo requiescant. Et multa quidem per corpus delectant, sed non est in eis æterna requies, nec saltem diuturna* ; & propterea magis sordidant animam, & aggravant potiùs, ut sincerum ejus pondus, quo in superna fertur, impediant. *Cum ergo anima.... Deo delectatur, ibi veram, certam, æternam invenit requiem, quam in aliis quærebat, nec inveniebat. Proinde admonetur in Psalmo 36.* " Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones " cordis tui.... *Illam æternam requiem ubique amamus, sed nisi Deum amando non invenimus.... Ad ipsum autem ignem amoris nutriendum, & flandum quodammodò.... ista omnia pertinent, quæ nobis figuratè insinuantur..... Unde non inconvenienter intelligimus, ad amorem excitandum, quò ad requiem tendimus* ; *valere omnia quæ figuratè in Scripturis dicuntur : quandoquidem id solum in Decalogo figuratè præcipitur, ubi requies commendatur, quæ ubique amatur, sed in solo Deo certa & sancta invenitur.* Spirituale istud sabbathum in cælo erit perpetuum. Ad illud in præsenti pias animas jugiter oportet suspirare, & ferventissimè tendere.

CAPUT I.

Quod sabbathum fuit in veteri lege, hoc Dominica est in nova.

PRæceptum de sanctificatione sabbathi (ait S. Thomas q. 22. a. 4. ad 1.) *litteraliter intellectum, partim est morale, partim cæremoniale. Morale quidem, quantùm ad hoc quòd homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis.... sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus, sic est præceptum cæremoniale.* Dies proinde illa sabbathi ab Apostolis potuit in Dominicam transmutari, ac de facto transmutata fuit, justissimis de causis. Tametsi enim tempus omne, omnis proinde dies sit Dei, juxta illud : *Tuus est dies, & tua est nox* ; dies tamen Dominica potiùs quàm sabbathum ad specialem Dei cultum pro Christianis determinata fuit. 1°. quia eo die mundi creatio ortum habuit. 2°. quia eo die Christus ad vitam immortalem resurrexit, & per corporalem resurrectionem suam, spiritualem resurrectionem nostram ad justitiam & vitam æternam significavit. 3°. quia eo die Spiritus sanctus in Apostolos, & per ipsos in totam Ecclesiam descendit, Christianisque Christi Spiritum communicavit, & veteri homine destructo, novas creaturas effecit, atque hoc

modo universæ terræ faciem renovavit, ita ut *quidquid est à Domino insigniùs constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum*, ait Leo Magnus epist. 81. 4°. Ne quid Christiani cum Judæis commune habere viderentur, *Dominicum diem* (inquit Augustinus serm. 25. de temp.) *Apostoli, & Apostolici viri, ideò religiosâ solemnitate habendum sanxerunt: quia in eodem Redemptor noster à mortuis surrexit, & in ipso Spiritus sanctus super Apostolos descendit*, & (ut Leo prosequitur epistolâ citatâ) *in hoc mundus sumpsit exordium, in hoc per resurrectionem Christi, & mors interitum, & vita accepit initium. In hoc Apostoli à Domino prædicandi omnibus Gentibus Evangelii tubam sumunt, & inferendum universo mundo Sacramentum regenerationis accipiunt. In hoc*, sicut B. Joannes Evangelista testatur, *congregatis in unum discipulis, januis clausis, cum ad eos Dominus introisset, insufflavit & dixit*: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.

CAPUT II.

Dierum festorum institutio.

2 PRæter diem Dominicum, Ecclesiæ authoritate instituti fuerunt dies festi, seu Festa varia, quorum principalia repræsentant præcipua fidei nostræ mysteria; & ideò instituta sunt, ut, ipsis recurrentibus, mysteria illa recolamus, honoremus, & pro illis gratias agamus, pro infinita Dei misericordia, quâ dignatus est ea operari pro salute nostra, eorumque nobis fidem, & notitiam elargiri. Si enim dies obtentæ alicujus victoriæ extraordinariæ, vel dies natalis alicujus magni Regis, cum lætitia annuè recolatur; quantò magis dignum & justum est, ut Ecclesia cum lætitia spirituali, maximisque gratiarum actionibus, recolat natalitium Salvatoris diem, vel diem Resurrectionis, &c. in quo vita de morte triumphavit, & nobis à captivitate dæmonis ad vitam æternam aditum reseravit, &c.

3 Plurima etiam instituit festa ad honorem beatissimæ Virginis, & Sanctorum, in quibus intentio ipsius est, ut Sanctos illos solemniter honorantes, affectum nostrum & reverentiam ostendamus erga Deum, propter quem eos honoramus, & gratitudinem nostram erga Sanctos, per quos Deus nos illuminavit, & qui per eminentem sanctitatem suam nobis viam sanctitatis præmonstrarunt; simul ut ipsorum patrocinium imploremus; Deum in ipsis laudemus, tamquam mirabilem in Sanctis suis; ac denique ut ad ipsorum imitationem accendamur, excitemurque ad confusionem de dissimilitudine tanta, quam habet vita nostra cum vita ipsorum. Nam, ut S. Bernardus ait serm. in vigilia SS. Petri & Pauli, *tria sunt quæ in festivitatibus Sanctorum vigilanter considerare debemus, auxilium Sancti, exemplum ejus, confusionem nostram. Auxilium ejus: quia qui potens fuit in terra, potentior est in cælis ante faciem Domini Dei sui. Si enim dum hîc viveret, misertus est peccatoribus, & oravit pro eis; nunc tantò amplius, quantò veriùs agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beata illa patria charitatem ejus non immutavit, sed augmentavit.... Debemus etiam attendere exemplum ejus: quia quamdiù in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, non declinavit ad dexteram, neque ad sinistram; sed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum qui dicit: Ego sum via, veritas, & vita. Intuemini humilitatem operum ejus, authoritatem verborum ejus, & tunc videbitis quomodò verbo & exemplo luxerit inter homines, qualia nobis vestigia reliquerit, ut ambulemus per ea. Sed & diligentiori intuitu confusionem nostram inspicere debemus in festivitatibus Sanctorum: quia homo ille sanctus, similis nobis fuit, passibilis, ex eodem luto formatus, ex quo & nos. Quid ergo est, quòd non solùm difficile, sed etiam impossibile credimus, ut faciamus opera quæ fecit? Confundamur, fratres, & contremiscamus ad vocem istam, si fortè hæc confusio adducat nobis gloriam, si fortè generet gratiam nobis timor ille. Homines isti fuerunt, qui præcesserunt nos, qui tam mirabiliter processerunt per vias vitæ, ut vix eos credamus homines fuisse. Sic ergo in Sanctorum festivitatibus & gaudere, & confundi debemus: gaudere, quia Patronos præmisimus; confundi, quia eos imitari non possumus, imò non volumus*, saltem plenâ perfectâque voluntate; aliàs possemus.

CAPUT III.

Explicantur opera servilia, diebus Dominicis ac Festivis prohibita.

PRæcepto de sanctificatione sabbathi unum 4 prohibetur, alterum præcipitur. Prohibentur opera servilia, præcipitur sabbathi sanctificatio. Quia, ut Gregorius Magnus l. 11. epist. 3. scribit: *Dominico verò die à labore terreno cessandum est, atque omnino orationibus insistendum, ut siquid negligentiæ per sex dies agitur, per diem Resurrectionis Dominicæ precibus expietur.* Porrò sanctificationem diei Dominicæ, & festorum cultum, per servilia opera violari, satis indicat tertium Decalogi præceptum, quatenùs morale est; dicit enim: *Sabbathum Domini Dei tui est; non facies omne opus in eo.* Quibus verbis nemo est qui non videt omne operis servilis genus prohiberi; non quia naturâ suâ turpe sit, aut malum, sed quia mentem nostram abstrahit à cultu Dei, qui finis est istius præcepti.

Servilia verò opera sunt, quæ à servis & 5 mercenariis hominibus exercentur, videlicet artium omnium mæchanicarum opera, præsertim ruralia, & in quibus jumenta labori applicantur. Præterea prohibita sunt etiam sacris Canonibus, & Principum Christianorum Legibus mercatus & nundinæ, judiciarii processus, & strepitus forenses, judiciales actus, juramenta publica, acta publica Notariorum, exceptis conventionum connubialium, & te-

ſtamentorum, ſeu ultimarum voluntatum inſtrumentis.

6 Sed quæritur 1°. an prohibeantur venationes? Prohibet eas Capitulare Aquiſgranenſe Caroli Magni cap. 91. Prohibet & Concilium Meldenſe anni 845. ſub Sergio Papa II. cap. 77. ſic enim habet: *Feriatos eſſe decernimus ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynecæo, pictorio, venatorio, forenſi, mercatorio, auditoriali, ac Sacramentis exigendis, quatenùs eiſdem diebus tanto licentiùs, quantò liberiùs omnibus Chriſtianis ſanctæ Reſurrectionis laudibus, & ſacroſanctæ prædicationi jugiter inſiſtere liceat. Quod ſiquis temerare præſumpſerit, excommunicetur.* Venationes etiam, & aucupatus diebus Dominicis, & aliis feſtis prohibet Concilium Turonenſe anni 1583. tit. de feſtor. cultu.

7 Quæritur 2°. an etiam tonſores prohibeantur barbam tondere? Negat Tamburinus; ſed præ ipſo audiendus id affirmans S. Carolus Borromæus, cum Concilio III. Mediolanenſi, de ipſis pariter ac de piſtoribus, ſutoribus, & calceariis loquens hiſce verbis: *Tonſoribus præterea, piſtoribus, ſutoribus, calceariis, aliiſque ejuſmodi, ac reliquis item opificibus..... Epiſcopi certas regulas præſcribant, ne deinceps dierum feſtorum cultum violent, in quo maximè plerique peccare ſolent.* Audienda quoque Synodus Andegavenſis anni 1282. dicens: *Cùm diebus feſtivis, ob reverentiam Dei & Sanctorum introductis, præcipuè diebus Dominicis, honori Majeſtatis Altiſſimæ conſecratis, à Chriſti fidelibus ſit ab omni opere ſervili abſtinendum & ceſſandum, & divinis cultibus jugiter inſiſtendum: omnibus & ſingulis Rectoribus & Capellanis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, quòd ipſi Parochianis ſuis inhibeant, ſub atteſtatione divini Judicii, & pœna excommunicationis, ne ipſi dictis diebus Dominicis barbas radant, vel alias barbitonſorum officium exerceant... non obſtante longi temporis abuſu, qui non uſus cenſendus, aut conſuetudo; imò verius corruptela.* Denique audiendus præcæteris Joan. XXII. Pont. Max. in Litteris ad Philipp. V. Galliæ Regem datis an. 1317. relatis ab Odorico Raynaldo ad an. 1317. Ibi namque n. 4. ſic Papa loquitur: *Illud ſanè quod inoleviſſe in illis partibus dicitur, ut videlicet paſſim in quamdam divinam irreverentiam exerceantur judicia die Dominico, & radendis ac tondendis barbis atque capitibus intendatur, te diſſimulare non decet: cùm dies illa (divino cultui ſpecialiter dedicata) talibus profanari non debeat.* Enim-verò cùm radere barbas perinde ſit opus ſervile, ac tondere pannos, aut verveces, conſuere veſtes, &c. cur unum potiùs licitum eſt titulo lucri ceſſantis, citra neceſſitatem, quàm alterum?

8 Dico *citra neceſſitatem*. Si enim neceſſitas poſtulet, ut barbitonſores Dominicis ac Feſtis diebus barbas radant, in gratiam opificum, vel ruſticorum illorum, qui pro Feſtis diebus ad ipſos pro raſura barbæ venire non poſſunt; Epiſcopus id ipſis permittere poteſt, vel tolerare.

Quæritur 3°. an pictores diebus illis pro- 9
hibeantur pingere? Negat Layman cum Medina; ſed affirmat Concilium Meldenſe n. 6. laudatum. Affirmant & Doctores communiter, quos inter Molanus l. 2. de imagin. c. 71. in admonit. ad pingentes, hæc habet memoratu digna: *Nullus pictorum temerario auſu attentet dies ſacros pingendo profanare, quaſi ei in die feſto, ut ſcribere, ſic & pingere liceat. Audio enim quoſdam eò temeritatis veniſſe. Sed quia peccatum, dum negligitur, ſuo pondere ad aliud trahit; ſcio illos paulò poſt Catholicæ Fidei naufragium paſſos eſſe.... Conſuetudo* (quæ, ut Innocentius III. eſt *optima legum interpres*) *hanc licentiam pictoribus non admittit, ut iſtis Novatoribus meritò objici poſſit, quod eſt apud Eſdram:* " Quæ eſt hæc res " mala, quam vos facitis, & profanatis diem ſab- " bathi? Nunquid non hæc fecerunt patres noſtri, " & adduxit Deus noſter ſuper nos omne malum " hoc, & ſuper civitatem hanc? Et vos additis ira- " cundiam, violando ſabbathum." Videri etiam poteſt Theologia Moralis, juſſu Illuſtriſſ. Epiſcopi Petrocorenſis edita, to. 4. l. 3. de Feſtor. celebr. num. 14. ubi tradit cum communi, hoc opus eſſe ſervile, ſicut ſculpere, vel acu pingere, utpote, perinde opus externum & ſenſibile arte factum, quod ab iis communiter exercetur qui lucrum ex arte quærunt, tametſi etiam ſubinde alia de cauſa, v. g. ad voluptatem fiat.

At (inquit Layman) pictio, perinde ac ſcrip- 10
tio, conſiſtit in ducendis lineis ac figuris, videturque ars pictoria libero homine digna. At communis Doctorum ſenſus eſt in contrarium, ob rationem dictam. Nec refert quòd pictio conſiſtat in lineis & figuris ducendis: quia qui acu pingit, vel ſuit, etiam ducit filum & acum. Non refert etiam, quòd etiam homines ingenui, ac ſubinde nobiles pingunt. Quia etiam nobiles feminæ ſubinde acu pingunt. Iſtud tamen facere non licet die feſto, ſive quia communiter reputatur ſervile; ſive quia perinde avertit animum à Dei cultu, ſicut opus ſervile.

Quæritur 4°. quid de choreis, ſaltationi- 11
bus, & theatricis ludis ac repræſentationibus? Eas diebus feſtivis prohibent SS. Patres, & ſacri Canones. Imprimis S. Ignatius Martyr epiſt. ad Magneſianos, ubi docet *ſabbatum ſpiritualiter ab eo celebrari, qui in lege Domini meditatur, non ad præſcripta ſpatia ambulans, & ſaltationibus luſibuſque inſanis gaudens.* Cyrillus Alexandrinus l. 8. 17. Joan. c. 5. ubi deplorat plurimos Chriſtianorum, quos non pudet diebus feſtis, aut ludis illiberalibus, crapulæ, choreis, aut aliis mundi vanitatibus deditos, cùm Deo obſequium diligentius exhibere, cùm Templa Dei frequentare, orationibus inſiſtere, atque Eccleſiaſtico Officio intereſſe deberent, tunc maximè Deum ſuis diſſolutiſſimis moribus irritare. *Idne eſt, ô Chriſtiani, celebrare diem feſtum, indulgere*

ventri, & inconcessis voluptatibus habenas laxare? .... Diebus ad exercenda servilia opera concessis, unusquisque suo intentus est operi, & abstinet à crapula, ludis & vanitatibus; diebus autem festis passim concurritur ad cauponam, ad ludos, ad spectacula, & choreas, in derisionem divini nominis, & diei prævaricationem. Augustinus l. de decem chordis c. 3. *Melius faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quàm si in theatro seditiosus existeret. Et melius femina eorum die sabbathi lanam faceret, quàm quòd totâ die in neomeniis suis impudicè saltarent.* Et in Ps. 91. *Diebus festis melius est arare, quàm saltare.*

12 Concilium Toletanum III. can. 23. *Irreligiosa consuetudo est, quam vulgus per Sanctorum solemnitates agere consuevit: populi, qui debent Officia divina attendere, saltationibus & turpibus invigilant canticis, non solùm sibi nocentes, sed & religiosorum officiis perstrepentes. Hoc etenim, ut ab omni Hispania depellatur, Sacerdotum & Judicum à Concilio sancto curæ committitur.* Concilium III. Mediolanense tit. 1. de fest. dier. cult. *Festis diebus, iis saltem horis quibus divina celebrantur, interdicimus ne saltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant. Ne item comœdia, ludi scenici, vel theatrales, hastiludia, & alia cujusvis generis spectacula agantur. Ne circumforanei circulatores, & id generis nebulones, præstigias suas, inaniaque spectacula agant, neque quidquam omninò vendant, ne medicamenti quidem prætextu.* Concilium Turonense anni 1583. tit. de fest. cult. *Diebus Dominicis præsertim, & aliis festis, comessationes, convivia publica, tripudia, saltationes, strepitus & choreas fieri .... ludos palmarios, & alios (maximè dum sacra conficiuntur, laudesque Deo decantantur) aperiri; comœdias, ludos scenicos, vel theatrales, & alia ejus generis irreligiosa spectacula agi, sub anathematis pœna prohibet hæc Synodus.* Concilium Bituricense anni 1584. can. 6. *Prohibetur populus profana sodalitia, comessationes, choreas, tripudia, larvas, & theatrales ludos iisdem diebus festis exercere.* Concilium Aquense anni 1585. tit. de fest. dier. cult. *Comessationes verò, ebrietates ..... choreas, turpes cantilenas .... omnem Festorum profanationem damnamus & reprobamus.* Concilium Rothomagense anni 1681. *Choreas plenas insaniis, cantilenas turpes, breviter .... omnem Festorum profanationem damnamus & reprobamus.* Carolus Magnus in Capitularibus suis: *Placuit ut fideles diem Dominicum omnes venerabiliter colant, ne in illo sancto die vanis fabulis, aut locutionibus, sive cantationibus, sive saltationibus .... ut fieri solet, inserviant.*

13 Bellarminus Conc. 6. in Dom. 3. Advent. *Nescis fortasse quantum sacrilegium sit, dies Deo consecratos profanare? .... Quæro à vobis, si videremus aliquem incredibili audaciâ vestibus sacris uti pro vestibus profanis, templo pro taberna, altari pro mensa, quis nostrûm non horreret? Quis non exclamaret? Et nunc videmus dies festos solemnissimos, sacratissimos, Deo dicatos .... sacrilegis choreis, saltationibus, conviviis, ebrietatibus, impudicitiis, scurrilitatibus profanari, & nemo exhorret, nemo movetur, nemo miratur? Deus immortalis! Quæ conventio Christi ad Belial? Quæ est hæc insania? Quæ furiæ infernales nos exagitant?*

Tandem Illustrissimus Dominus Frangi- 14
pani, circa annum 1647. Coloniæ Nuntius Apostolicus, in directorio Ecclesiasticæ disciplinæ, eodem anno in lucem edito: *Cessare debent* (inquit) *his diebus comessationes, potationes, lususque publici, spectacula ludicra, tripudia, choreæ, etiam nuptiales, aliaque profana opera, & actiones plenæ insaniis, multòque magis ebrietates, cantilenæ turpes .... ac cætera omnia Sabbathismi Christiani impedimenta.*

Quæritur 5°. quid de iis qui magnam 15
diei festi partem in popinis consumunt? Respondeo graviter increpandos esse tamquam sacrorum dierum violatores. Et ad abusum illum tollendum in variis Synodis atque Conciliis vetitum esse, ne quo tempore divina in Ecclesia celebrantur, vel concio habetur, tabernas aperiant, parochianosque in domum suam ad potandum, ludendum, &c. recipiant. Quod profectò vetat Synodus Parisiensis anni 1557. Concilium Rothomagense anni 1581. Concilium Burdigalense anni 1582. Vetant & Regum Christianissimorum Edicta. Et idipsum vetat Diploma Regium Caroli II. Catholici Regis nostri de 21. Martii 1682. statuens ut omnes Judices, Magistratus & Officiales faciant præscripta diplomata sua servari de festorum dierum celebratione, popinarum frequentatione, &c. & in violatores eorumdem animadvertant.

Quæritur 6°. an itinerari liceat die festo? 16
Respondeo: cùm intentio Ecclesiæ præcipientis cultum festorum sit liberare homines ab iis quæ ipsos à divino cultu abstrahere possunt, & itinerationes, quæ notabili parte diei festi fiunt negotiorum causâ, vel ob solam recreationem, in consortio mundanorum hominum, animum plurimùm distrahant à Dei cultu, sequitur itinerationes illas adversari præcepto de cultu festorum. Tametsi enim finis extrinsecus præcepti non cadat sub præcepto; finis tamen intrinsecus illius cadit sub præcepto. Et ita docent S. Antoninus p. 2. tit. 9. c. 7. §. 5. & S. Carolus Borromæus in Concilio V. Mediolanensi tit. Quæ ad dies festos, &c.

Enimverò quænam est ratio propter quam 17
opera servilia prohibentur die festo? Non quia per se mala sunt; sed quia, ut Catechismus Romanus ait, mentem nostram à divino cultu, qui finis præcepti est, abstrahunt. Verus proinde ac proprius sensus hujus præcepti, *Omne opus non facietis in eo*, juxta S. Thomam q. 122. a. 4. eò spectat, ut homo & animo & corpore in eam curam incumbat, ut statuto aliquo tempore, à negotiis, corpori-

porisque laboribus feriatus, Deum piè colat, & veneretur. Lex ergo diebus festis præcipiens Dei cultum, prohibere censetur quæcumque impediunt cultum illum, sive opera servilia sint propriè loquendo, sive non sint. Hinc est enim, quòd non sola opera servilia prohibeat, sed & actiones judiciales, & causas forenses, & similia. Unde & hoc præceptum violant, qui magnam diei festi partem insumunt in venationibus, ut suprà dixi, in computibus, in vendendo & emendo, in parandis conviviis, & similibus, quæ mentem non minùs distrahunt à divinis, quàm opera servilia. Et ideò falluntur qui ea putant non esse prohibita. : *Certum est* enim *quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Reg. 88. juris in 6.

18 Quæritur 7°. an omnia peccata mortalia, die festo vel Dominico commissa, sint graviora, quàm eadem diebus aliis commissa, specialemque habeant malitiam violationis diei festi? Negant plerique Recentiores. Affirmant post sanctos Patres, Alexander de Ales, S. Thomas, S. Bonaventura, S. Raymundus, Scotus, S. Antoninus, & passim Antiqui, uti tomo 1. ostendimus. Ipsis subscribit Synodus Lingonensis tit. 7. c. 2. Et rationem dat Alfonsus Tostatus, Episcopus Abulensis, in cap. 20. Exodi q. 11. in fine, & q. 12. quia *magis servile est opus peccati, quam opus humani negotii; magis celebritatem festi infringimus peccando, ut fornicando & occidendo, quam alios labores agricultivos nostris manibus exercendo.* Ideò licèt ab utroque abstinendum sit in reverentiam diei festi; magis tamen ab iniquis operibus, quàm à corporalibus laboribus.

19 Ex hoc sequitur (inquit) quòd qui die Dominicâ adulteratur, aut occidit, vel inebriatur, magis peccat, quàm si aliis diebus idem ageret. Quia sic transgressor est duplicis præcepti, scilicet *non occides*, aut cujuslibet alterius, & hujus scilicet, quia *non observat diem Dominicum.* Circumstantia proinde ista in confessione aperienda est, uti docet Author libri de vera & falsa pœnit. c. 14. inter opera S. Augustini, & refertur can. 1. de pœnit. dist. 5. *Consideret qualitatem criminis, in loco, in tempore.... oportet enim pœnitere fornicantem.... Si in loco sacro.... si in tempore orationi constituto, aut in festivitate Sanctorum.... omnis ista varietas confitenda est, & deflenda*, &c. Enimverò si circumstantia loci sacri confitenda est, v. g. à fornicante, eadem est ratio de circumstantia temporis sacri. Unde etiam S. Thomas Opusculo 64. & in suo Confessionali c. 2. inter circumstantias in confessione aperiendas ponit tempus, aitque pœnitentem interrogandum de tempore, quo peccatum perpetravit, utrùm videlicet in die festivo, vel non festivo.

20 Non ideò tamen inquietandi sunt fideles, qui in confessionibus præteritis circumstantiam hanc omiserunt. Quia imprimis excusare eos potuit ignorantia obligationis eam confitendi. Deinde plerùmque obligandi non sunt ad revolvendam totam vitam præteritam, ut confiteantur circumstantiam temporis, respectu peccatorum mortalium diebus Dominicis & festivis commissorum: quia id posset esse valdè nocivum profectui spirituali plurimorum; quam ob causam animabus timoratis, post factam generalem confessionem, Confessarii plerumque inhibere solent, ne mente ampliùs revolvant peccata ista confessa, ad videndum an circumstantias omnes expressérint, ne in nimias anxietates se præcipitent.

Aliud esset, si, dum de aliis confitentur, 21
adderent se, dum de criminibus anteà confiterentur, non fuisse confessos se ea commisisse die Dominico, vel festivo, ideòque se de circumstantia ista accusare, quòd coram Deo judicent ea se tali tempore commisisse. Iste namque confitendi modus anxietates multas causare non potest. Ad quas præcavendas consilium optimum est, ut pœnitentes assuefiant primo loco exponere quomodò transegerint dies Dominicos vel festivos, an crimina vel peccata aliqua mortalia diebus illis commiserint, an in popinis, & vanis recreationibus magnam dierum illorum partem non impenderint, an non in consortiis periculosis in materia castitatis, an officia divina non neglexerint, an non etiam Conciones vel Catechismos? Ex hoc namque principio opportunitatem habebit Confessarius pleniùs intelligendi, quousque, & in quibus talis pœnitens interrogari debeat, tam circa peccata quæ confitetur, quàm circa alia, de quibus non facit mentionem; cum ista nihilominùs discretione, quòd de aliis interrogandi sint timorati; de aliis, qui sunt criminibus assueti; aliter item, qui Catechismis ratò vel nunquam interfunt; aliter, qui interesse solent.

Pro coronide hujus Capitis, non pigebit 22
hîc exhibere verba Pii V. Constitut. 5. quæ incipit *cùm primùm*: cùm enim iis renoventur antiqui canones, ex iis quos suprà retulimus, iis etiam plurimùm confirmantur ea quæ in superioribus dicta sunt: *Cùm* (inquit) *dierum festorum observatio ad Dei cultum maximè pertineat, & in lege divina præcipiatur: cupientes abusus pravos, qui ex eorum inobservantia invaluerunt, omninò corrigere, & antiquorum canonum statuta renovantes, mandamus, ut omnes dies Dominici, & præcipuè in honorem Dei, beatæ Mariæ Virginis, & sanctorum Apostolorum feriati, cum omni veneratione observentur, & omnes in diebus præfatis, Ecclesias, &c. frequentent, divinis Officiis devotè intendant, ab omni illicito & servili opere abstineant, mercatus non fiant, profanæ negotiationes, & judiciorum strepitus conquiescant. Qui verò in diebus præfatis opus aliquod illicitum fecisse deprehensus fuerit, præter divinam ultionem, & amissionem animalium, quibus advecturam utetur, etiam graves pœnas incurret arbitrio nostro.*

23 Divinæ ultionis (de qua loquitur ibi sanctus Pontifex) exempla profert Concilium Parisiense VI. anni 829. can. 50. Postquam enim *mercatus*, placita, & ruralia quæque opera, necnon quaslibet carrigationes seu vecturas diebus Dominicis fieri prohibuit, addit : *Multi nostrorum visu, multi etiam quorumdam relatu didicimus, quosdam in hac die ruralia opera exercentes fulmine interemptos, quosdam artuum contractione mulctatos, quosdam etiam visibili igne corporibus ossibusque simul sub momento absumptis, in cinerem subitò resolutos, pœnaliter occubuisse. Et multa alia terribilia judicia extiterunt, & hactenùs existunt, quibus declaratur, quòd Deus in tanti diei dehonoratione offendatur.*

CAPUT IV.

Pietas tamen, & justa necessitas, servilia opera festis diebus aliquando permittunt.

24 COnstat 1°. ex Evangelio, in quo Christus excusat discipulos, sabbatho spicas vellentes, Matth. 12.

2°. ex Concilio Narbonensi anni 589. can. 4. die Dominico operas fieri vetante, excepto, *si necessitas incubuerit.* Necnon ex Concilio Coyacensi in Hispania (anni 1050.) can. 6. *Christiani Dominicâ servile opus non exerceant, nec sectentur itinera, nisi orationis causâ, aut sepeliendo mortuos, aut pro Regis secreto, pro Saracenorum impetu.*

25 3°. ex cap. *conquestus* de feriis, ubi judicialis strepitus diebus festis prohibetur, *nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat.* Cùmque Nicolaus V. anno 1447. à Transilvanis interrogatus fuisset, *an pauperibus villanis, ac oppidanis licitum sit vendere, die Dominico, vel festo alicujus Sancti, panes, pyra, poma & alia legumina, vel sit licitum eis, finitâ Missâ, post prandium, de campo, tempore messis, cùm timetur de pluvia, portare cum pecoribus, vel equis, vel curribus, linum, fœnum, & alia blada, humano usui convenientia?* Respondit: *cessante necessitate, ab omni opere servili abstinendum esse diebus Dominicis & festivis; sed necessitate cogente, non tamen affectatâ, seu procuratâ, licitum esse præmissa exercere.*

26 4°. ex S. Antonino p. 11. tit. 9 c. 7. §. 5. ubi posteaquam dixit, quòd diebus festivis *videre ratiocinia, & facere computum prolixum, illicitum est.* Quòdque *ad opus servile spectat, cum equis, asinis, vel bobus deferre blada, vel vina, vel ligna, vel mercimonia, nisi necessitas urgeat.* Item, *abstinendum ab itinere dietario, nisi necessitas cogat, vel aliud pium opus inducat,* &c. Post hæc (inquam) varia recenset opera, quæ diebus festivis à mortali necessitas excusat.

27 *Primò* (inquit) *pro conservando personas vel res suas, puta, faciendo foveas, vel machinas, vel hujusmodi; vel portando res suas ad loca secura imminente bello; vel portando necessaria ad defensionem,* &c.

Item, *si jacentibus segetibus in agro, vel fœnis in pratis, vel uvis in vineis, immineat tempestas, vel aliud periculum amissionis illarum rerum, liceret talia colligere.* Item, *de alia re quæ destruitur, si in die festo circa eam manualiter non operatur, ut extensio lanæ ad radios solis, cùm hiems apparent, vel prosecutio succensionis fornacis, ad calcem aut lateres coquendos, aut vitrea vasa conflanda.* Item, *carnifices, sive lanii, & pincernæ præparantes victualia in festis, ut sequenti die vendant, si non poterant priùs præparari, vel præparata conservari, videntur excusari à mortali.* Item, *vectores mercium, aut alimentorum, aut personarum ad loca remota, cùm aliàs non possent sine gravi incommodo vitam transigere, creduntur excusari, si differre non possunt.*

Item, *qui compelluntur à dominis justo motu ad laborandum in diebus festivis in agris suis, vel deferendum ligna vel lapides, vel faciendum ædificia vel foveas, & hujusmodi, quæ si non facerent, notabiliter damnificarentur in persona, vel rebus, videntur posse excusari propter necessitatem. Melius tamen facerent non obedire, quando opus illud non est necessarium. Et quia modicus recessus à medio non tollit bonum virtutis: ideò quòd aliquis in horto, aliquid faciat parvum, ut obturando sepem, vel evellendo malas herbas, vel suendo aliqua puncta vestis dissuta, vel caligæ, & hujusmodi, non judicatur violator festi.*

Barbitonsores, non in radendo, sed in minuendo sanguinem, & ferratores, & hujusmodi, si in Festis exercent artem suam principaliter propter necessitatem eorum quibus serviunt, non propter cupiditatem lucri, excusantur. Et similiter qui eos requirunt de arte sua, si aliàs non poterant sibi commodè providere, excusantur.

Item, *in molendinis ad aquam, vel ad ventum, quæ sine magna opera hominis exercentur, potest servari consuetudo patriæ non prohibita à Prælatis. Secùs de molendinis cum jumentis: & hoc nisi necessitas urgeret propter victualia necessaria: quia tunc liceret.*

Item, *diebus festivis, non tamen Dominicis vel solemnioribus, licitum videtur laborare pro pauperibus; cum his tamen conditionibus adjunctis: Primò, ut non dimittantur divina, id est, auditio Missæ. Secundò, quòd fiat eleëmosynaliter, non propter lucrum. Tertiò, quòd illi, pro quibus laboratur, indigeant.*

Item, *à fortiori videtur licitum cuilibet laborare pro sustentatione sui & familiæ suæ, quando aliter sustentari non valet: ita tamen quòd non dimittantur divina. Nec enim observatio festi est in tanta arctitudine, ut in veteri Testamento. Et erit bona cautela ut hoc fiat cum dispensatione Episcopi.* Hæc S. Antoninus.

CAPUT V.

Explicantur requisita ad sanctificationem sabbathi, seu diei Dominici, vel festivi.

ERror esset putare, quòd sabbathi sanctifi- 28
catio nihil aliud à Christianis exigeret, ni-

si cessationem ab operibus servilibus. Non enim Deo placet otium, quod à S. Bernardo dicitur *mors animæ, vivi hominis sepultura, sentina omnium malorum.* A S. Hieronymo, *omnis concupiscentiæ, & immunditiæ, atque peccati mater.* Unde Augustinus epist. 119. c. 17. Judæos explodit quòd contenti essent tali sanctificatione sabbathi.

29 Nec eorum probanda est opinio, qui cum Azorio, Suarez, Layman, & aliis Recentioribus, dicunt præceptum de sanctificando sabbatho, sive de colendo Deum die festo, quatenùs affirmativum est, non obligare ad exercendum intra illum diem alium actum divini cultûs, præter auditionem Missæ. Neque enim dies festivus propriè sanctificari dicitur ab eo, qui mediam tantùm horæ partem impendit in cultu Dei, per auditionem Sacri. Si enim dici nequeat sanctè vixisse, cujus nonnisi modicissima pars vitæ, absque perseverantia, sancta fuit; quomodò dici potest diem Dominicum vel festivum sanctificasse, qui nonnisi modicissimam illius partem in Dei cultu, reliquam verò in popinis, vel certè in lusibus, & vanis recreationibus, aut rebus profanis impendit? Ad hoc ergo ut Christianus, propriè & simpliciter loquendo, dici possit diem Dominicum sanctificare, necesse est ut magnam illius partem in sanctis exercitiis impendat; quemadmodùm ad hoc ut simpliciter & propriè dici queat sanctificare vitam suam, necesse est ut saltem magnam vitæ partem in operibus sanctitatis transigat.

30 Istamque esse Ecclesiæ mentem, probatur imprimis per omnes illas SS. Patrum sententias, & Conciliorum Canones, quibus non solùm culpatur omissio Sacri, sed & culpantur & prohibentur ea quæ Dominicis ac festis mentem distrahunt à Dei cultu & veneratione, saltationes, mercationes, forenses strepitus, &c. Nec pro ratione prohibendi allegatur quòd Missæ impediant auditionem, sed quòd à divino cultu distrahant & retrahant mentem. Enimverò si solùm prohiberentur, quatenùs impediunt Missæ auditionem, non prohiberentur totâ die, nec post auditionem Missæ, sed vel ante illam, vel tempore illius dumtaxat. Non sic autem loquuntur Canones, nec sancti Patres: *Dominico die* (ait Nicolaus I. in respons. ad Consulta Bulgarorum c. 10. & 11.) *à labore terreno cessandum, atque omni modo orationibus insistendum.* Ideò verò à labore terreno cessandum esse dicit: *ut liberiùs ad Ecclesiam ire, Psalmis & Hymnis, & Canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare .... eloquiis divinis intendere, eleëmosynas indigentibus ministrare valeat Christianus. Quæ omnia siquis negligens, orationi tantùm vacare voluerit, & ad cæteras mundi vanitates licitos labores converterit, melius ei fuerat ipsâ die laborare manibus suis, ut haberet unde tribueret necessitatem patientibus. Constitutum est Christianis* (ait Augustinus serm. 25.) & *mandatum, ut in solemnitatibus Sanctorum, & maximè in Dominicis diebus* (non addit matutino tempore, vel ante auditionem Missæ) *otium haberent, & à terreno negotio vacarent ut paratiores essent ad divinum cultum, cùm non haberent quod eos inde retardaret incommodum, relinquerentque eo tempore terrenam sollicitudinem, quò facilius possent Dei intendere voluntatem.*

Deinde probatur ex can. *jejunia* de consecrat. dist. 1. ibi: *Die Dominicâ nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum: nulla operatio in illa die sanctâ agatur, nisi tantùm Hymnis, & Psalmis, & Canticis spiritualibus dies illa transigatur.* 31

Tertiò, ex Concilio Turonensi sub Carolo Magno c. 40. *Oportet omnes Christianos, in his diebus, à servili opere cessare, & in laude Dei, & gratiarum actione ad vesperam usque perseverare.* 32

Quartò, ex Concilio Aquensi anni 1585. tit. de festor. dierum cultu: *Doceantur populi .... ut festos dies, qui Dei cultui dicati sunt, in divinis Officiis, concionibus audiendis, necnon in orationibus, maximisque ac continuis Dei erga nos beneficiis recolendis, sanctè ac piè transigant; præsertim, ut præter Missam, quæ sine gravissimi peccati culpa prætermitti non potest; præter Vesperas item, quibus fidelem quemque, nisi impeditum, interesse maximè convenit, in doctrinæ christianæ rudimentis omnes, tam mares, quàm feminæ, tam viri, quàm pueri, vel perdiscendis, si illa ignorent, vel aliis perdocendis versentur.* 33

Quintò, ex Concilio Avenionensi 1594. cap. 43. *Doceant Parochi, cæterique verbi Dei Præcones, diebus festis, Dei cultui dedicatis, divinis Officiis, concionibusque audiendis, cæterisque id genus piis operibus vacandum esse; nec Missam à quocumque, haud legitimè impedito, sine gravi flagitio prætermitti posse.* 34

Sextò, ex Concilio Remensi anni 1583. tit. de dieb. fest. ubi populo præcipit Dominicis & Festis, *Missæ, Concioni & Vesperis interesse.* 35

Septimò, ex Concilio Burdigalensi ejusdem anni: *Diebus festis .... sacris omnibus Ecclesiæ ministeriis; & divini verbi prædicationi, quantùm fieri possit, ex animo & religiosè intersint; nec pietatis opera iisdem prætermittant, in pauperibus reficiendis, afflictis consolandis, aliisque piis rebus gerendis, in quibus christiana professio & charitas maximè elucescit.* Similia habent Concilium Turonense ejusdem anni cap. 11. Bituricense anni 1584. tit. 6. can. 4. Narbonense anni 1609. c. 9. Aquileiense anni 1596. can. 14. ubi sic: *Tempus diei festi in audiendis Concionibus, Missæ Sacro, & divinis Officiis ponendum est; non in comessationibus. Multò minùs peracto prandio ad saltationes & lusus declinandum; cùm sit in Ecclesias ad Horas Vespertinas audiendas divertendum, & nomen Dei concorditer & devotè, vel silentii meditatione, vel vocis exultatione laudandum. Quod curabunt Episcopi Curatorum* 36

diligentiâ populis inculcari.

137 Octavò, ex Concilio Mediolanensi III. in quo tit. de fest. dier. cult. S. Carolus Borromæus sic loquitur : „ Ut verò ii dies omni „ pietate & religione colantur, hæc crebrò populum Parochi & Concionatores admoneant „ .... ut illorum dierum tempus, quod Deo „ ejusque cultui debetur, in iis actionibus totum consumant, in quibus sanctè consumendum est. Ut concionem manè, & sacram lectionem à prandio, ubi explicari solet, audiant. Ut divinis, Vesperarum præsertim Officiis præsentes, piè religiosèque adsint. Ut „ in christianæ doctrinæ rudimentis, ac præceptis, vel percipiendis, vel recolendis versentur. Ut in operibus etiam officiisque pietatis „ se exerceant, ægros homines visitando, morientes piè consolando, & alia ejusmodi præstando. Ut denique ab illis actionibus, unde „ omnis peccandi materia atque occasio existit, „ feriati, in ea opera incumbant, ob quæ sunt „ illi sacri dies instituti.

38 Nonò, ex Catechismo Romano p. III. n. 7. ubi explicans verbum istud tertii præcepti, *sanctifices eum*, „ hoc verbo (inquit) ostenditur sabbathi diem religiosum esse, divinisque actionibus, ac sanctis rerum officiis consecratum. „ Numero verò 21. explicans quibus in operibus dies ille transigendus sit, illa esse dicit, ut „ ad Dei Templum accedamus, „ eoque loco piâ sinceràque animi attentione „ sacrosancto Missæ Sacrificio intersimus, divina Ecclesiæ Sacramenta .... crebrò adhibeamus .... peccata Sacerdotibus Christiani sæpè confiteantur .... sacrosanctum Eucharistiæ „ Sacramentum crebrò percipiant. Attentè præterea diligenterque sacra concio fidelibus audienda est .... exercitatio item fidelium, studiumque in precibus, divinisque laudibus frequens esse debet; præcipuaque eorumdem „ cura, ut quæ ad christianæ vitæ institutionem „ pertinent, ea diligenter addiscant; sedulòque „ se exerceant in eis officiis, quæ pietatem continent, pauperibus & egenis eleëmosynam tribuendo, ægros homines visitando, quique „ dolore afflicti jacent, piè consolando, &c.

39 Decimò, ex S. Antonino p. II. tit. 9. c. 7. §. 4. dicente : „ Debet ergo die festo insisti operibus spiritualibus orationis, meditationis, auditionis divinorum, lectionis, & „ eleëmosynis, & aliis ejusmodi. Et inter cætera debent homines vacare compunctioni & „ confessioni peccatorum suorum, recogitando „ quæ egerunt aliis diebus, in quibus fuerunt „ occupati. Dicitur enim Levit. 16. *Sabbathum requietionis est: affligetis animas vestras*, „ scilicet per contritionem, secundùm Origenem. Item auditioni Missæ, & divinorum Officiorum, & prædicationum .... Item insisti „ debet magis in eleëmosynis ..... Sed quis est „ hic, qui ita celebrat festa, vacando divinis, „ & laudabimus eum, cùm invenerimus? Nonne tota occupatio hominum in Festis est circa corpus? .... Mulieres non parum temporis exponunt in se ornando ad capiendas animas; famuli & famulæ ad præparandum cibos accuratiùs solito; mercatores ad faciendos suos computus, & ratiocinia .... inferioris conditionis homines ad audiendum de Platinis, vel spectacula vana .... Et quod cum multo labore per hebdomadam lucrati sunt, in Festis, in tabernis & ludis, non in eleëmosynis expendunt. O abusio perversa hominum, & jactura temporis irreparabilis, & negotium gratissimum dæmoni! Apte de his dixit Hieremias Thren. 1. *Viderunt eam hostes*, id est dæmones..... *& derisérunt sabbatha ejus*, id est festa, quia scilicet non Deo, sed sibi vacant, ventri, & dæmoni.

Addit tamen S. Antoninus, quòd abstinere 40
quidem ab operibus servilibus, & Missam audire, est in præcepto obligante sub mortali; non tamen vacare Deo pro majori parte diei. *Tamen*, inquit, *non sic vacare, peccatum est.* Quia non est sanctificare dies festos, uti præceptum est; sed sanctificare unam dumtaxat horam, vel mediam, reliquum sanctorum dierum illorum tempus nihil ab aliis diebus secernendo, nisi quòd à labore servili cessetur, à quo, juxta Augustinum, meliùs non abstinerent, quàm reliquum diem in popinis, ludis, saltationibus, &c. transigerent. Reverà enim ethnicum est, non christianum, hoc solum inter dies festos & profanos discrimen ponere, quòd quis somnum in clariorem producat lucem, splendidiùs vestiatur, lautiùs epuletur, dimidiâque horâ in auditione Missæ impensâ, reliquum diem otio, ludis, vanitatibus, ventri, potationibus impendat. Et quid inde consequitur? Hoc quod D. Antoninus deplorat ibidem §. 3. *O miseranda cæcitas Christianorum, quia plura peccata faciunt, & graviora, in diebus festivis. Aliis diebus laborant ut possint vivere; diebus festivis, quando deberent laborare pro anima, & Deo vacare, implicant se in multis vitiis.*

Atque hinc apparet, quòd abusus quietis 41
corporalis diebus Dominicis & festis, plurimis Christianis proxima sit occasio peccati mortalis. Tum ob neglectam notabiliter curam salutis, dum majorem festorum partem sic transigunt. Tum ob neglectum Dei cultum. Tum ob plurima peccata mortalia, quæ utplurimùm committunt, qui quiete illâ abutuntur ad indulgendum voluptati, non ad liberiùs vacandum divino cultui.

CAPUT VI.

Graviter peccant (saltem in linea peccati venialis) Christiani, qui cum peccati mortalis affectu, sive eo non deposito, Missam Dominicis & festis diebus audiunt.

CHristianos teneri diebus Dominicis ac 42
festis Missam audire, constat ex dictis, fusiùsque probabitur Deo dante to. 3. dum de sacro sancto Missæ Sacrificio tractabimus, ubi cætera huc spectantia deducemus. Sed

Missam quomodocumque audire non sufficit. Et ideò cum Illustrissimo D. Joanne Neercaselio, Episcopo Castorienſi, in suo Amore pœnitente l. 1. c. 33. §. 6. cumque insigni Authore præclari operis, cui titulus: *Morale Chrétienne sur le Pater* l. 3. sect. 3. a. 4. ab Episcopis quinque, & septem Facultatis Parisiensis Doctoribus, necnon ab Eminentissimo D. Cardinale Bona approbati, necnon Natale Alexandro Th. Dogm. & Moral. to. 9. l. 4. c. 5. art. 6. reg. 9. & Ecclesia Rupellensi in suis Conferentiis seu Collationibus Diœcesanis cap. 53. & seq. existimo Christianos, in peccato mortali existentes, satagere debere, ut affectum illius per contritionis actum deponant, ut Missam sicut oportet audiant. Aliàs namque graviter peccant, non quia Missam audiunt, sed quia eam non audiunt ut oportet, præcipuumque Christianæ Religionis actum valdè irreligiosè exercent, dum cum Sacerdote tremendum Altaris sacrificium, & seipsos in sacrificium offerre se profitentur exteriùs, oculos habentes plenos adulterii, & incessabilis delicti, vel animum irâ, odio, ulciscendi appetitu flagrantem, vel ambitionis, avaritiæ, vel invidiæ livore æstuantem, vel criminosis cogitationibus & desideriis occupatum.

43 Quòd enim Christiani, sacrosancto Missæ sacrificio adstantes, sacrificium istud unà cum Sacerdote offerant, constat ex eo quòd Sacerdos, ad populum (post Oblationem) conversus dicat: *Orate fratres, ut meum pariter ac vestrum in conspectu Domini fiat acceptum sacrificium.* Et in Canone: *Memento Domine famulorum.... & omnium circumstantium.... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* Et infrà: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine ut placatus accipias. Quibus verbis luce clariùs constat* (ait B. Petrus Damianus opusc. 11.) *quia sacrificium, quod à Sacerdote sacris altaribus superponitur, à cuncta Dei familia generaliter offeratur.*

44 Quòd ipsi etiam adstantes unà cum Christo in sacrificium offerantur, adeòque in sacro illo mysterio rationem habeant offerentium simul & victimarum, ratio est, quia totum Christi corpus, verum & mysticum, totum proinde Ecclesiæ corpus cum Christo, & à Christo summo Sacerdote, Deo in Missæ sacrificio velut victima offertur. Dicit enim Augustinus l. 10. de Civit. Dei c. 6. quòd *tota ipsa redempta civitas, hoc est congregatio societasque Sanctorum, universale sacrificium per Sacerdotem Magnum offeratur Deo.* Et infrà: *Hoc est* (inquit) *sacrificium Christianorum:* " Multi unum corpus in Christo. " *Quod etiam Sacramento altaris, fidelibus noto, frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur, quòd in ea re, quam offert, ipsa offeratur.*

45 Cùm igitur victimæ impiorum non respiscentium sint abominabiles Domino Prov. 15. & multò magis impii ipsi; necesse est, ut qui hostiam immaculatam, & unà seipsos in Missæ sacrificio cum Sacerdote offerunt, per affectum cordis contriti & humiliati, depositò peccati affectu, seipsos purificent, ut Missam sicut oportet audiant. Aliàs magis rei erunt quàm Judæi, vetera sacrificia cum peccati affectu offerentes. Ad ipsos proinde pertinebit quod Dominus ait Isa. 1. *Ne offeratis ultrà sacrificium frustrà: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbathum, & festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras, & solennitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis.... manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perversè, discite benè facere;* affectum proinde peccati deponite.

Enimverò nisi Christianus peccati mortalis 46
deponat affectum, novi peccati fit reus, Dominicam orationem recitando, prout docet Bellarminus l. 1. de bonis operibus cap. 6. multò ergo magis Missæ sacrificium audiendo & offerendo. Quærit ibi Bellarminus, *an qui ex animo non remittit injurias, & tamen in aliquo alio peccato voluntariè perseverat, possit hâc oratione aliquid impetrare?* Respondet: *Si non cupit gratiam conversionis, nec ex animo illam petit, orationem Dominicam recitando non solùm nihil impetrat, sed etiam ejus oratio fiet in peccatum: cùm in singulis ferè petitionibus mentiatur. Quomodò enim potest dicere:* " Pater noster, " *qui non vult esse filius?* Et " sanctificetur nomen tuum, " *per quem nomen Dei assiduè blasphematur.* Et " adveniat regnum tuum, " *qui nihil magis quàm adventum Domini timet.* Et " fiat voluntas tua, " *qui suam, non Dei voluntatem, semper facit,* &c.?

Denique si, juxta Evangelium, offerens 47
munus ad altare, recordatus quòd frater suus habet aliquid adversus ipsum, relinquere jubeatur ibi munus suum, & ire priùs reconciliari fratri suo, & tunc redire ad offerendum munus suum, Matth. 5. Si (inquam) ad sacrificandum, sive munus Deo offerendum, necessaria sit voluntas sincera reconciliationis cum fratre offenso: igitur à fortiori necessaria est voluntas reconciliationis cum Deo offenso; pravæ proinde voluntatis abjectio.

Dices 1°. si hoc verum esset, à Missa die- 48
bus festivis audienda arcendi forent quicumque in peccati mortalis affectu perseverant. Prorsus hoc non sequitur; imò potiùs adhortandi sunt, ut peccati affectum deponant, & Missam audiant. Corde ergo pro posse contrito, dicant cum Publicano: *Deus propitius esto mihi peccatori*, se indignos æstimantes, qui tanti mysterii celebrationi intersint. Ita fiet, ut venerandum istud sacrificium sit ipsis propitiatorium, cujus oblatione placabitur Dominus, gratiam & pœnitentiæ donum ipsis concedet, & peccata etiam ingentia di-

mittet, juxta Tridentinum sess. 22. cap. 2.

49 Dices 2°. saltem sequeretur, fideles in affectu peccati perseverantes, tot novorum peccatorum reos esse, quot Missæ toto terratum orbe celebrantur: cùm nulla sit, in qua suo modo offerentes non sint. Etiam ista sequela neganda est. Neque enim Christiani omnes, quocumque in statu sint, sive dormiant, sive vigilent, sive cum Deo sint, sive cum meretricibus, &c. Missæ Sacrificii sunt participes. Cùm istud asserere, fingere sit. Hoc unum dicimus cum Chrysostomo: *Quomodò cùm dominus adest in mensa, non oportet adesse famulos qui offenderunt, nisi veniam petant; ita hic quoque, cùm offertur sacrificium*, &c. Ne ipsis dicatur: *Cur intrasti non habens vestem nuptialem?*

PARS IV.

Amor parentibus obsequiosus.

Ad quartum Decalogi præceptum: Honora patrem & matrem, &c.

1 POst explicata tribus prioribus primæ tabulæ præceptis officia divini amoris erga Deum; explicanda supersunt officia dilectionis erga proximum, ad secundam tabulam spectantia. Quia, ut Augustinus dicit in l. de decem Chordis c. 6. *tota lex in duobus præceptis est, dilectione Dei, & dilectione proximi.* Ad duo itaque præcepta, id est ad dilectionem Dei & proximi, pertinet Decalogus. *Ad primum præceptum tres chordæ pertinent, quia Deus Trinitas; ad alterum verò præceptum, id est ad dilectionem proximi, septem chordæ, quomodò vivatur inter homines. Nam ipse numerus septenarius, tamquam septem chordarum, incipit ab honore parentum.* Honora patrem tuum, & matrem tuam; *ad parentes etenim suos homo aperit oculos, & hæc vita ab eorum amicitia sumit exordium. Quisquis autem suis parentibus non defert honorem, quibus parcere poterit? Et dicit Apostolus:* Honora patrem tuum & matrem tuam, hoc est primum mandatum. *Quomodò primum, quando quartum mandatum est, nisi quia in septenario numero est primum? Ad dilectionem proximi primum est in secunda tabula.*

2 Nec obstat quòd aliquibus aliis magis obstricti esse possimus, quàm parentibus, quòdque aliqui alii Deum magis repræsentare possint. Sancta namque Barbara v. g. magis obstricta fuit ei qui ipsam in fide instruxit, & ad vitam æternam perduxit, quàm parenti carnali, à quo vitam temporalem dumtaxat accepit, qui & eam ipsi violenter abstulit, & ad idololatriam pertrahere voluit. Summus quoque Pontifex, seu Christi Vicarius, magis repræsentat Deum, quàm pater carnalis. Objectiones namque istæ cessant, si reflectatur, quòd parentum nomine, in primo illo secundæ tabulæ præcepto, soli non intelligantur parentes, qui corpore nos genuerunt, sed & illi qui nos genuerunt mente, uti proximè videbitur. Sit itaque

CAPUT I.

Explicatur quinam in hoc præcepto parentum nomine sint intelligendi.

3 PRæter eos qui nos genuerunt, multi præterea sunt (ait Catech. Rom.) quos in parentum loco colere debemus, vel potestatis, vel dignitatis, vel utilitatis, vel præstantis alicujus muneris & officii nomine. Sed primo loco parentum nomine ii intelliguntur, ex quibus corporaliter geniti sumus, de quibus Eccli. 3. *Qui timet Dominum, honorat parentes; & quasi dominis serviet his qui se genuerunt.* Deinde Ecclesiæ Pastores & Sacerdotes nos spiritualiter in Christo genuerunt, juxta illud 1. Cor. 4. *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Et ad Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.*

Tertiò Reges & Principes nostri, Magistratus ac Reipublicæ Rectores, ac Gubernatores, sicut patres patriæ, sic patres nostri rectè dicuntur. Et ita Naaman à servis suis *pater* vocatus legitur 4. Reg. 5.

Quartò, etiam illi quorum directioni & institutioni commissi sumus, ut tutores, curatores, patroni, pædagogi, magistri (sicut & heri respectu famulorum & ancillarum) patres nostri appellantur: quia universim patres nostri sunt, à quibus accepimus vel esse, vel educationem, vel directionem, vel institutionem.

Quintò, seniores etiam patres dicimus. Unde Levit. 19. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum*, &c.

Ad litteram tamen, in hoc quarto præcepto, illi qui nos genuerunt præcipuè intelliguntur, & ideò à nobis honorandi sunt, *quia sunt immortalis Dei quasi simulacra, in ipsque ortûs nostri imaginem intuemur; ab iis vita nobis data est; iis Deus usu est, ut nobis animum mentemque imperiret; ab iis ad Sacramenta deducti, ad Religionem, ad humanum cultum civilemque instituti; ad morum integritatem & sanctitatem eruditi sumus*, ut loquitur Catechismus Rom. hîc. 4

CAPUT II.

Explicatur honor ex Dei præcepto parentibus debitus.

HOnor parentibus debitus importat sequentia: 1°. ut parentes summo post Deum amore prosequamur, maximâque ob- 5

rentibus nubentem mortaliter peccare : cùm in re gravi contraveniat præcepto divino de parentum veneratione. Ita etiam tradunt apud ipsum Sotus, Navarrus, Medina, Henriquez, Cardinalis Bellarminus, Petrus Ledesma, estque sententia ista communis Theologorum & Jurisperitorum, ipso teste. Nec certè leve peccatum censeri debet, quod *Ecclesia semper detestata fuit.*

108 Prorsus ergo rejiciendum, quod Tamburinus l. 5. in Decal. c. 2. §. 3. n. 5. novitiâ singularitate dicere ausus est : *probabile esse, & tutum, quòd filii possint matrimonium inire, etiam cum indignis, absque consensu parentum, imò ipsis dissentientibus.* Novitiâ (inquam) singularitate, quippe quæ communi tam veterum quàm recentiorum Theologorum consensui repugnat, sicut & rationi naturali. Contrariam namque sententiam *suaderi & civili, & naturali ratione*, Imperator Justinianus scribit Institut. l. 1. tit. 10.

Nec minùs improbandum, quod n. 6. addit : *Si statuit Evaristus Papa, ut pro nupta,* 109
legitimè utique, seu licitè, *nequaquam habeatur puella, quam pater ipse non desponsat. Si Leo Pontifex, & Ambrosius aiunt, non esse virginalis pudoris, maritum eligere, sed judicium parentum esse expectandum. Si etiam in sacris Scripturis parentibus tribuitur hoc munus. Si S. Paulus expresse hoc docet, à parentibus tradendas esse filias nuptui. Si multa sanctarum Scripturarum exempla id manifestè demonstrant. Respondeo cum Sanchez, inde probari, quòd esset honestum, ejusmodi consilium à parentibus exquirere; non quòd mortale peccatum esset secus facere.* Contrarium namque satis constat ex supradictis.

PARS V.

Amor justus erga proximi vitam.

Ad quintum Decalogi præceptum : Non occides.

Rost Deum & parentes, cæteros etiam proximos, sicut nosipsos, jubemur diligere; ipsis proinde nullum malum velle, multò minùs inferre, maximè mortem. Quæ quia inter corporalia mala primum ac principale est, primo loco prohibetur hisverbis : Non occides. A quo malo ut discipulos suos Salvator longiùs averteret, securim ad radicem apposuit, dicens : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Nec proximi dumtaxat occisionem; imò & odium, & iram, & vindictam, & impatientiam prohibuit, mansuetudinemque præcepit, dicens: *Audistis, quia dictum est antiquis : Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis : quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Matth. 5. Et iterùm : *Audistis quia dictum est, oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed siquis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium..... Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*, &c. Enimverò *charitas patiens est, benigna est.... non irritatur, non cogitat malum.* Per consequens non reddit malum pro malo, sed vincit in bono malum.

CAPUT I.

Necessitatem recurrendi ad tritam Majorum viam, Sanctorumque Theologiam, pro rectâ Decalogi intelligentia, demonstrant horrenda novaturientium Casuistarum de homicidio dogmata.

Rectè Sinnichius in Saüle suo observat, in 1
hujus præcepti explicatione nihil nisi exoticum expectari posse ab iis, qui præcedentia quatuor præcepta tam enormiter laxarunt, quique cum Apologista Casuistarum pag. 17. existimant, privatos (perinde ut Reges, supremosque Magistratus) solo rationis naturalis lumine discernere posse, quando liceat, vel non liceat occidere proximum. Immemores utique plagarum ingentium, quas in nobis causavit originale peccatum, immemores tenebrarum plusquàm Ægyptiacarum, quibus obscuratus est intellectus, offuscata ratio, totus homo vulneratus, corruptus, excæcatus, infinitis erroribus obnoxius.

Mirandum profectò, multùmque mirandum, novitios Scriptores (quos in comparatione *aquilarum irreverberato visu solem intuentium*, Anselmus l. de Incarn. Verbi c. 2. non dubitat *vespertilionibus & noctuis* comparare) post tot errorum experientiam, tantam adhuc in visa sibi ratione naturali habere fiduciam, ut eâ duce, neglectâ Sanctorum authoritate, inveniendam à se veritatem putent. An non Isidorus Pelusiota l. 4. epist 127. *animales, spiritum non habentes* appellat eos, qui ratiocinationibus potiùs innituntur, quàm Sanctorum sententiis, quique cum Caramuele Theol. fundam. n. 1330. edit. Lugdun. gloriantur, *se in omnibus plus rationi, & Dialecticæ, quàm authoritati detulisse?* Sed abire jusso Caramuele, Theodoretum potiùs audia- 2

mittet, juxta Tridentinum sess. 22. cap. 2.

49 Dices 2°. saltem sequeretur, fideles in affectu peccati perseverantes, tot novorum peccatorum reos esse, quot Missæ toto terratum orbe celebrantur: cùm nulla sit, in qua suo modo offerentes non sint. Etiam ista sequela neganda est. Neque enim Christiani omnes, quocumque in statu sint, sive dormiant, sive vigilent, sive cum Deo sint, sive cum meretricibus, &c. Missæ Sacrificii sunt participes. Cùm istud asserere, fingere sit. Hoc unum dicimus cum Chrysostomo: *Quomodò cùm dominus adest in mensa, non oportet adesse famulos qui offenderunt, nisi veniam petant; ita hic quoque, cùm offertur sacrificium*, &c. Ne ipsis dicatur: *Cur intrasti non habens vestem nuptialem?*

PARS IV.

Amor parentibus obsequiosus.

Ad quartum Decalogi præceptum: Honora patrem & matrem, &c.

1 POst explicata tribus prioribus primæ tabulæ præceptis officia divini amoris erga Deum; explicanda supersunt officia dilectionis erga proximum, ad secundam tabulam spectantia. Quia, ut Augustinus dicit in l. de decem Chordis c. 6. *tota lex in duobus præceptis est, dilectione Dei, & dilectione proximi.* Ad duo itaque præcepta, id est ad dilectionem Dei & proximi, pertinet Decalogus. *Ad primum præceptum tres chordæ pertinent, quia Deus Trinitas; ad alterum verò præceptum, id est ad dilectionem proximi, septem chordæ, quomodò vivatur inter homines. Nam ipse numerus septenarius, tamquam septem chordarum, incipit ab honore parentum.* Honora patrem tuum, & matrem tuam; *ad parentes etenim suos homo aperit oculos, & hæc vita ab eorum amicitia sumit exordium. Quisquis autem suis parentibus non defert honorem, quibus parcere poterit? Et dicit Apostolus:* Honora patrem tuum & matrem tuam, hoc est primum mandatum. *Quomodò primum, quando quartum mandatum est, nisi quia in septenario numero est primum? Ad dilectionem proximi primum est in secunda tabula.*

2 Nec obstat quòd aliquibus aliis magis obstricti esse possimus, quàm parentibus, quòdque aliqui alii Deum magis repræsentare possint. Sancta namque Barbara v. g. magis obstricta fuit ei qui ipsam in fide instruxit, & ad vitam æternam perduxit, quàm parenti carnali, à quo vitam temporalem dumtaxat accepit, qui & eam ipsi violenter abstulit, & ad idololatriam pertrahere voluit. Summus quoque Pontifex, seu Christi Vicarius, magis repræsentat Deum, quàm pater carnalis. Objectiones namque istæ cessant, si reflectatur, quòd parentum nomine, in primo illo secundæ tabulæ præcepto, soli non intelligantur parentes, qui corpore nos genuerunt, sed & illi qui nos genuerunt mente, uti proximè videbitur. Sit itaque

CAPUT I.

Explicatur quinam in hoc præcepto parentum nomine sint intelligendi.

3 PRæter eos qui nos genuerunt, multi præterea sunt (ait Catech. Rom.) quos in parentum loco colere debemus, vel potestatis, vel dignitatis, vel utilitatis, vel præstantis alicujus muneris & officii nomine. Sed primo loco parentum nomine ii intelliguntur, ex quibus corporaliter geniti sumus, de quibus Eccli. 3. *Qui timet Dominum, honorat parentes; & quasi dominis serviet his qui se genuerunt.* Deinde Ecclesiæ Pastores & Sacerdotes nos spiritualiter in Christo genuerunt, juxta illud 1. Cor. 4. *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Et ad Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.*

Tertiò Reges & Principes nostri, Magistratus ac Reipublicæ Rectores, ac Gubernatores, sicut patres patriæ, sic patres nostri rectè dicuntur. Et ita Naaman à servis suis *pater* vocatus legitur 4. Reg. 5.

Quartò, etiam illi quorum directioni & institutioni commissi sumus, ut tutores, curatores, patroni, pædagogi, magistri (sicut & heri respectu famulorum & ancillarum) patres nostri appellantur: quia universim patres nostri sunt, à quibus accepimus vel esse, vel educationem, vel directionem, vel institutionem.

Quintò, seniores etiam patres dicimus. Unde Levit. 19. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum*, &c.

Ad litteram tamen, in hoc quarto præcepto, illi qui nos genuerunt præcipuè intelliguntur, & ideò à nobis honorandi sunt, *quia sunt immortalis Dei quasi simulacra, in ipsque ortûs nostri imaginem intuemur; ab iis vita nobis data est; iis Deus usu est, ut nobis animum mentemque imperiret; ab iis ad Sacramenta deducti, ad Religionem, ad humanum cultum civilemque instituti; ad morum integritatem & sanctitatem eruditi sumus*, ut loquitur Catechismus Rom. hîc. 4

CAPUT II.

Explicatur honor ex Dei præcepto parentibus debitus.

HOnor parentibus debitus importat sequentia: 1°. ut parentes summo post Deum amore prosequamur, maximâque ob- 5

servantiâ veneremur, velut Superiores nostros, modo prorsus speciali Deum repræsentantes, velut Creatorem, Conservatorem, Gubernatorem, & Provisorem nostrum.

2°. ut ipsis per omnia, velut Deum repræsentantibus, affectu filiali voluntariè obediamus, juxta illud Prov. 1. *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Et Ephes. 6. *Filii obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est. Honora patrem tuum, & matrem tuam: quod est mandatum primum in promissione: ut benè sit tibi, & sis longævus super terram.*

3°. ut ea quæ parentum sunt, filii sibi attrahant velut sua, parentum scilicet honorem & bona, tam spiritualia, quàm temporalia. Hoc est enim quod Catechismus Rom. sibi vult, dum ait, *quòd proles debeant ea quæ parentum sunt maximi putare.*

6 Tres istæ obligationes capitales sunt, ex quibus plures aliæ consequuntur: ut quòd cordi nobis maximè esse debeat salus ipsorum; quòd necessitatibus ipsorum spiritualibus corporalibusque teneamur pro posse subvenire; de ipsis semper honorificè loqui; defectus ipsorum tegere, & supportare, juxta illud Eccli. 3. *In opere & sermone, & omni patientia honora patrem tuum.... Ne glorieris in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria, ejus confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filii, pater sine honore. Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua..... Quàm mala famæ est, qui derelinquit patrem, & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem*, &c.

7 Omnes, quos sive in Scripturis sanctis, sive in historiis legimus Deo fuisse gratos, valdè sollicitè ista observarunt, ac per hoc Dei benedictionem promeruerunt, ut Sem & Japhet, Isaac, Jacob, Joseph; ex adverso maledictionem incurrerunt, qui contrà fecerunt, ut Cham, Esaü, Absalon, &c. Ipsumque naturæ lumen obligationem istam tam apertè docet, ut de iis ipsi quoque Ethnici convenerint, & qui ex ipsis lumen naturale magis sequendo cæteris minùs aberraverunt, valdè solliciti fuerunt, ne in istis deficerent: ita ut pudor sit, inter Christianos, lege Dei instructos, non paucos inveniri, qui contra præceptum honorandi parentes, multò plus delinquunt quàm pagani.

8 Ipsos si non deterreant maledictiones filiis inobedientibus comminatæ; saltem ad debitum honorem parentibus exhibendum invitent divinæ benedictiones, quibus honorem illum divina commendat Scriptura, dicens: *Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur. Honora patrem tuum, ut semper veniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta.*

Ad hoc insuper provocare debet Christi 9 exemplum, qui, licèt Deus esset, beatissimæ tamen Virgini Matri suæ, & S. Josepho, honorem parentibus debitum deferre voluit, & ne quidem in cruce pendens, moxque moriturus, dilectissimæ Matris suæ curam negleXit, eam S. Joanni Virginem virgini commendando. Ad quod reflectens Augustinus tr. 119. in Joan. *Facti* (inquit) *quod faciendum admonet, & exemplo suo instruxit Præceptor bonus, ut à filiis piis impendatur cura parentibus; tamquam lignum illud, ubi fixa erant membra morientis, etiam Cathedra fuerit Magistri docentis.* Ex hac sana doctrina didicerat Paulus Apostolus quod docebat, quando dicebat: *Si quis autem suis, & maximè domesticis, non providet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Quid autem tam cuique domesticum, quàm parentes filiis, aut parentibus filii? Hujus itaque saluberrimi præcepti ipse Magister Sanctorum, de seipso constituebat exemplum, quando non ut famulæ Deus, quam creaverat, & regebat; sed ut Matri Homo, de qua creatus fuerat, & quam relinquebat, alterum pro se quodammodò filium providebat.

Et quæ non ingratitudo est, quòd proles 10 tot beneficiis à parentibus affectæ, ea ipsis officia recusent, quæ ipsummet naturale lumen ab ipsis postulat? *Memento* (ait Scriptura Eccli. 7.) *quoniam nisi per illos natus non fuisses; & retribue illis, quoniam & illi tibi. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus* (ait Tobias senior juniori:) *memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Matri* (inquit Ambrosius l. 2. in Luc.) *debes pudoris injuriam, virginitatis dispendium, partûs periculum. Matri longa fastidia, Matri longa discrimina, cui misera, in ipsis votorum fructibus, majus periculum est; & cùm ediderit quod optavit, partu absolvitur, non timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu, & multiplicatos alienis usibus census, jactaque agricolæ semina, posterorum ætatibus profutura. Nunne pro his obsequia saltem oportet rependi?*

CAPUT III.

Recensentur præcipui filiorum defectus, contrà honorem parentibus debitum.

PRimus defectus, certè non parvus, est 11 contemptibiliter agere cum parentibus seriò laborantibus, vel etiam defectuosis. Contra hunc defectum procedunt verba suprà relata Ecclesiastici: *Suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua.... Nam pro peccato matris* (id est pro defectu patienter tolerato) *restituetur tibi bonum.* Meminerint filii, quòd honor parentibus debitus non fundatur in perfectionibus quas habent, sed in aliis titulis n. 4. recensitis; quòdque proinde, ob imperfectiones

quas habent, debito non sint honore privandi.

12 Secundus defectus, priore major, est ipsos coram aliis, nonnunquam in conspectu ipsorum deridere. Quod adeò displicet Deo, ut Prov. 30. dicat: *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Capite verò 19. dixerat: *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est, & infelix.* Unde Genes. 9. Cham, filius Noe, cum posteritate sua maledictus fuit, quòd patrem in somno nudatum, non solùm non texisset, sed & coram fratribus irrisisset.

13 Tertius defectus, adhuc deterior, est maledicere patri vel matri, vel mortem ipsorum optare, ad captandam ipsorum hæreditatem. Contra illud prius Proverb. 20. dicitur: *Qui maledicit patri suo, vel matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Exodi 21. *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* Quod & repetitur Levit. 20.

14 Illud etiam observare par est, quòd filiorum maledictio in parentes, frequenter causa sit maledictionis parentum in filios; cujus causam dum filii dederunt, funestos effectus illius crebrò experiuntur, ut videre licet apud Augustinum l. 22. de Civit. Dei c. 8. circa finem, ubi narrat, quòd decem fratres de Cæsarea Cappadociæ maledicto matris, quæ recenter orbata marito, injuriam sibi ab eis factam acerbissimè ferebat, tali pœnâ sunt divinitùs coërciti, ut horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum; in qua fœdissima specie, oculos suorum civium ferre non valentes, quaquaversum cuique ire visum est, toto penè vagabantur Orbe Romano.

15 Quoad posterius de desiderio mortis, &c. non defuerunt Casuistæ, qui in tantum excesserunt, ut id licitum affirmarent hisce verbis: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quia nimirùm ei obventura est pinguis hæreditas.* Item: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis, à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias, inde ex hæreditate consecutas.* Verùm duas istas propositiones, horrorem piis auribus incutientes, Innocentius XI. ut minimùm velut scandalosas & pernicioſas Vaticano fulmine percussit. Addit Clerus Gallicanus in Censura anni 1700. eas *piarum aurium offensivas esse, & omnem humanitatis sensum in liberis extinguere.*

16 Quartus defectus est impiorum filiorum illorum, quos non pudet in parentes suos manus injicere; quos Deus morte dignos declarat cap. 21. Exodi: *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur.*

17 Quintus defectus est derelinquere parentes in indigentia, dum ipsis filii vel filiæ succurrere possunt. Crimen istud, apud omnes homines sanæ mentis, infame est, teste ipsâmet Scripturâ: *Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem?* Eccli. 3. Coram ipsis quoque Gentilibus infames sunt. Nam inter alias leges Solon (apud Laërtium) hanc tulit: *Siquis parentes non enutrierit, is ignobilis & obscurus esto.* Enimverò quid indignius, quàm eorum vitam terrenis facultatibus sustentare nolle, à quibus vitam accepimus? *Pasce patrem tuum* (inquit Ambrosius l. 8. in Evang. Lucæ) *pasce matrem tuam. Et, si paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa es; non reddidisti obsequia, quibus te illa gestavit; non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera; non reddidisti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid quod tibi noxium esset, ederet; ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit; tibi illa quem voluit cibum non accepit; tibi quem noluit cibum sumpsit, tibi vigilavit, tibi flevit. Et tu, mortalium ingratissime, illam egere pateris? O fili! quantum tibi sumis judicium, si non pascas parentem?* Ciconiarum pietas hac in re accusat & damnat impietatem tuam, prout idem Ambrosius pulchrè explicat l. 5. Hexameron. c. 16. *Quam* (inquit) *rationabilium non excedat pietatem ac prudentiam avis hujus clementia, considerandum, quam nec post exemplum quidem irrationabilium quisquam nostrûm imitari potuerit. Nam depositi patris artus per longævum senectutis, plumarum tegmine, alarumque remigio nudatos circumstans soboles, pennis propriis fovet. Et quid dicam? collatitio cibo pascit, quando etiam ipsa reparat naturæ dispendia, ut hinc atque inde sublevantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant, & in pristinos usus desueta jam revocat pii patris membra? Quis nostrûm levare ægrum non fastidiat patrem? Quis fessum senem suis humeris imponat, quod in ipsa historia vix credibile habetur? Quis, ut pius sit, non hoc servulis mandet obsequium? At verò avibus non est grave, quod pietatis est plenum; non est onerosum, quo solvitur naturæ debitum. Non recusant aves pascere patrem, quod etiam præscriptâ necessitate sub terrore pœnarum plerique hominum recusarunt*, &c.

Sed dicis (ait in priori loco) *te, quod eras pa-* 18
rentibus collaturus, Ecclesiæ malle conferre. Non quærit donum Deus de fame parentum. Unde reprehendentibus Judæis, quia discipuli Domini manus non lavarent, respondit Jesus: Quicumque dixerit, munus quodcumque est " ex me, tibi proderit, & non honorificabit pa- " trem aut matrem, " *id est, cùm petit aliquid ad sumptum egens pater, aut mater à filio, quia legem timens Judæus excusationem non dandi requirit, dicere solet:* " munus quod est ex " me, tibi proderit, " *ut dicatam à filiis Deo pecuniam pater religiosus accipere reformidet. Sed hæc traditio hominum est excusationem obtexentium avaritiæ suæ. Caterùm Dei traditio est, ut priùs pascas parentes. Nam si, juxta divinum Oraculum, contumelia parentis morte luitur; quantò magis fames, quæ morte gravior est?*

Ex

19 Ex dictis collige, graviter peccare filios, qui parentes egenos deserunt, ingrediendæ Religionis prætextu. Præpostera namque pietas est, imò vera potiùs impietas, mandata Dei violare, aut negligere specie implendi consilia. Unde can. *siqui filii* dist. 30. Concilium Gangrense dicit: *Siqui filii parentes, maximè fideles, deseruerint occasione Dei cultûs, hoc justum judicantes esse, & non potiùs debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipsum in eis venerentur, quòd fideles sunt, anathema sit.*

20 *Ille* igitur *qui nondum Religionem intravit* (ait S. Thomas quodlib. q. 6. a. 2.) *si videat patrem suum in magna necessitate, cui per alium subveniri non possit, non debet Religionem intrare, sed tenetur ministrare parentibus. Si verò per alium possit ejus parentibus ministrari, potest, si vult, Religionem intrare. Unde S. Chrysostomus exponens illud: dimitte mortuos sepelire mortuos suos, homil. 28. in Matth. dicit, quòd malum est abducere hominem à spiritualibus; & maximè cùm fuerint, qui ministerium parentum compleant. Erant enim alii, qui complere possent illius funeris sepulturam.* Et 2. 2. q. 189. a. 6. dicit, quòd *parentibus in necessitate existentibus, ita quòd eis commodè aliter quàm per obsequium filiorum subveniri non possit, non licèt filius, prætermisso parentum obsequio, Religionem intrare.*

21 Aliud est de Religiosis professis; tametsi enim parentibus suis ad inopiam redactis subvenire teneantur, quantùm possunt, salvâ obedientiâ, è Claustro tamen egredi non possunt, absque Superiorum licentia, ut ipsis subveniant, prout idem S. Doctor in priore loco tradit his verbis: *Postquam aliquis est jam in Religione professus, est mortuus mundo: unde per spiritualem mortem deobligatur à cura impendenda parentibus; sicut etiam deobligaretur per mortem corporalem. Et ideò non peccat, nec contra Dei præceptum agit, si in Claustro remaneat sub præcepto Prælati sui, parentum ministratione prætermissâ. Est enim factus impotens ad reddendum debitum ministerium absque propria culpa. Debet interim tamen, quantùm potest, salvâ ordinis obedientiâ, satagere, ut per se, vel per alium suis parentibus subveniatur, si in necessitate fuerint constituti.*

22 Hoc totum confirmat quodlib. 10. q. 5. a. 1. ubi sic: *Dicunt aliqui, quòd si aliquis habet patrem indigentem, debet ei dimittere, siquid habet, ad ejus sustentationem, & sic potest licitè Religionem intrare, parentum curam Patri cælesti committens, qui etiam aves pascit. Sed quia hæc opinio nimis videtur aspera; ideò melius videtur dicendum, quòd aut iste qui habet propositum intrandi Religionem, videt se in sæculo non posse vivere sine peccato mortali, vel non de facili? Si timet sibi periculum peccati mortalis, cùm magis teneatur saluti animæ suæ providere, quàm corporali saluti parentum, non tenetur in sæculo remanere. Si autem videt se posse in sæculo conversari absque peccato, distinguendum videtur: quia si sine ejus obsequio parentes nullo modo vivere possunt, sic tenetur eis servire, & alia opera perfectionis prætermittere; & peccaret eos dimittens. Si verò sine ejus obsequio possunt aliqualiter sustentari, non autem honorificè, non propter hoc tenetur opera perfectionis dimittere. Secùs autem est de illo, qui jam Religionem intravit: quia cùm jam sit mortuus mundo per professionem, solutus est à lege, quâ in mundanis obsequiis parentibus tenebatur. In aliis autem spiritualibus (puta orationibus, & hujusmodi) eis tenetur servire. Et hoc quod dictum est de introitu Religionis, potest etiam de observantia virginitatis, & de aliis operibus perfectionis dici.* Hactenùs S. Thomas.

CAPUT IV.

Declarantur ea in quibus filii parentibus obedire tenentur.

CUm generaliter Apostolus dicat: *Filii* 23
obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino, sequitur quòd, ut Augustinus ait in Præfat. Ps. 70. *in ea re sola filius non debet obedire patri suo, si aliquid pater ipsius jusserit contra Deum ipsius. Neque enim debet irasci pater, quando sic ei præponitur Deus. Ubi autem hoc jubet pater quod contra Dominum non sit, sic audiendus est, quomodò Deus: quia obedire patri jussit Deus.* Idem dicit S. Hieronymus in epist. ad Titum c. 3. & habetur can. *si Dominus* 11. q. 3. *Hoc ipsum & intelligamus de filiis apud parentes, quòd in illis tantum debeant parentibus esse subjecti, quæ contra Dei mandata non veniunt.*

Sed quia reperiuntur improbi parentes, qui 24
ea filiis præcipiunt, quæ Dei præceptis adversantur, tunc *magis obediendum est Deo quàm parentibus.* Et hoc sensu Salvator Luc. 14. dicit: *Siquis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et Matth. 10. *Qui amat patrem & matrem plusquàm me* (quod facit qui mandato Dei præfert mandatum patris) *non est me dignus.*

Et ideò S. Hieronymus epist. 1. ad Helio- 25
dorum: *Scriptura quidem præcipit parentibus obsequendum; sed quicumque eos supra Christum amat* (voluntatem ipsorum contra Christi voluntatem faciendo) *perdit animam suam. Imò tunc odium in suos, pietas in Deum est,* uti dicit in cap. 10. Matth. Unde rursus epist. 1. citatâ: *Dum parentes aliquid à te exigunt contra Deum, licèt sparso crine, & scissis vestibus, ubera quibus te nutrierat, mater ostendat, licèt in limine pater jaceat: per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.*

Enimverò *manifestum est* (inquit Augusti- 26
nus l. contra Adimantum c. 6.) *& honorem parentum in gradu suo esse servandum, & eos tamen in divini amoris comparatione, præsertim si impedimento sunt, nullâ dubitatione opor-*

re contemni. Cur ita? quia, ut Bernardus ait, vel quisquis est Author libri de modo benè vivendi serm. 12. de dilect. Dei: *majora tribuit nobis Christus, quàm parentes nostri; & ideò super parentes debemus diligere Christum. Stultum est aliquid plusquàm Deum amare: quia qui plus diligit creaturam, quàm Creatorem, peccat; & qui præponit amorem creaturæ amori Creatoris, errat.*

27 Licèt ista sint vera; divinum tamen præceptum, de obedientia filiorum erga parentes, enucleatiùs exponens S. Thomas quodlib. 2. a. 9. sic loquitur: *Ad illa se extendit debitum obedientiæ, ad quæ se extendit jus prælationis. Habet autem pater carnalis jus prælationis in filium; primò quidem quantùm ad domesticam conversationem: sic enim est paterfamilias in domo, sicut Rex in regno. Unde sicut subditi Regis tenentur obedire Regi in his quæ pertinent ad gubernationem regni; ita etiam filii, & alii domestici, tenentur obedire patrifamilias in his quæ pertinent ad dispensationem domûs. Secundò, quantùm ad morum disciplinam. Unde Apostolus dicit ad Hebr. 12.* „ Patres „ quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & „ obtemperabamus eis. „ *Debet enim pater filio, non solum educationem, sed etiam disciplinam. In his ergo filius tenetur obedire patri carnali, & non in aliis.*

28 Et juxta hoc intelligendum est quod laudati Patres aiunt, filios debere parentibus obedire in omnibus quæ non sunt contra Deum; in omnibus utique quæ pertinent ad disciplinam vitæ, & curam domesticam, uti S. Doctor intelligit 2. 2. q. 104. a. 5. in corp.

29 Et ideò si pater filio præcipiat, ut certorum hominum societatem vitet; ne certas domos adeat, ex quarum frequentatione periclitetur innocentia vel fama ipsius; ne huic vel illi feminæ nubat, quam ipsi convenientem, vel ipso dignam non censet; ne aleis ludat; ne tabernas frequentet; vel ipsi præcipiat, ut opera aliqua faciat, vel negotia gerat, ad utilitatem domûs: filius sub gravi peccato obedire tenetur; sicut & filia matri, prohibenti ne sola domo egrediatur; ne viros alloquatur; ne amatorias litteras, aut munuscula furtim recipiat; ne fucis utatur; ne pectus nudet; & alia ejusmodi ad curam domesticam pertinentia, in rebus gravis momenti. Mortaliter proinde peccant filii & filiæ, justis hisce mandatis contravenientes.

30 Non tenentur tamen, nec servi dominis, nec filii parentibus obedire in iis quæ concernunt statum vitæ eligendum, v. g. si pater filio præcipiat matrimonium contrahere, vel filiæ virginitatem servare. Partim quia hoc à divina dependet vocatione. Partim quia utrumque horum Deus in cujusque reliquit libertate, prout Doctores communiter tradunt cum S. Thoma, cumque S. Augustino epist. 199. ad Ediciam dicente, quòd *quamvis ad meliora excitandi & erudiendi sint filii Sanctorum; unusquisque tamen proprium donum habet à Deo: alius quidem sic, alius autem sic, ut Apostolus ait ad Ephes.* 4.

Itaque filii à parentibus compelli vel obligari non possunt ad statum Religiosum, vel Ecclesiasticum eligendum: cùm Deus solus attendendus sit, velut Author vocationis uniuscujusque; utpote à quo solo, non à parentibus, expectandæ sunt gratiæ necessariæ ad salutem operandam, in statu ad quem vocatus fuerit. 31

Hinc S. Bernardus in declamatione ad hæc verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, de vit. & honest. Cleric. c. 5. *Videte* (inquit) *vocationem vestram, ait vocatus Apostolus, consideremus & nos, an vocati venerimus, & vocati à Deo, cujus nimirùm hæc vocatio est. Nec communem vocationem dixerim.... sed quis vocaverit nos in honorem Cleri: convenire velim conscientias singulorum.... Huic enim parvulo, aut forsitan necdum nato, Ecclesiastica jam beneficia provida sanè parentum sollicitudo parabat.... Audi querelas Domini, quid super hac tanta hominum temeritate loquatur patiens redditor; pœnitentiam magis cupiens quàm vindictam:* " Ipsi (*inquit*) regnaverunt, " & non ex me; principes extiterunt, & ego " non vocavi eos. " " 32

Concilium quoque Burdigalense anni 1624. c. 6. de Ordine: *In nulla re profectò magis elaborant sæculi homines, quàm ut filii, præcipuè deformes, & ad sæcularia negotia inepti, in sortem Domini assumantur; in beneficia certè, non ad officia Ecclesiastica, quàcumque ratione, cùm non vocet Dominus, promovendi.* 33

Parentes ergo carnales plerumque securi non sunt ductores aut directores animarum nostrarum, dum agitur de statu vitæ deligendo; ideòque respiciendum non est ad carnem & sanguinem, dum filios impedire satagunt à sequenda divina vocatione, quâ vocantur v. g. ad ingrediendam Religionem, imò (Hieronymo judice suprà) *pietatis genus est hac in re esse crudelem.* Unde Petrus Blesensis ep. 2. ad R. Clericum: *Scio* (inquit) *quia parentes tui te retrahunt à proposito meliori; non differat, quæso, non evacuet propositum tuum conversionis proditoria & seductrix affectio parentum; noli eos diligere contra Christum, quos teneris odio habere pro Christo. Multi pro parentibus suis animas perdiderunt, quorum occasione mundus, qui in eis arserat, denùo revirescit.... Impius est qui animæ suæ pro suis parentibus est crudelis, majoremque temeritatem hâc nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis ita periculosè pro amicis suis.* 34

Propterea etiam Ecclesiastici obedire non debent parentibus suis, nec eorum sequi directionem, in iis quæ concernunt functiones ministerii sui; sed Christum imitari, qui *à comitatu sanctissimæ Matris suæ, patrisque nutritii sancti Joseph se subduxit manendo in templo, ut vacaret iis quæ patris sui erant.* Ideò cùm dixisset ei Mater: *Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus* 35

mus te? Jesus respondit: *Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Luc. 2. Qui etiam Joan. 2. sanctissimæ Matri, ipsum monenti de miraculo faciendo, deficiente vino, dixit: *Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.* Et Matth. 12. cùm dixisset ei quidam: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes loqui tibi.* Ipse respondens dicenti sibi ait: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*, &c.

36 Similiter, in ejusmodi rebus, imitandi sunt illi, de quibus per Moysen dicitur: *Qui dixerunt patri suo, & matri suæ, nescio vos; & fratribus suis, ignoro vos..... Hi custodierunt eloquium tuum, & servaverunt judicia tua.* Ad quæ verba Gregorius l. 7. Moral. c. 14. *Ille* (inquit) *scire Dominum familiariùs appetit, qui, præ amore pietatis, nescire desiderat quos carnaliter scivit. Gravi etenim damno scientia divina minuitur, si cum carnis notitia participatur. Extra cognatos ergo quisque ac proximos debet fieri, si vult Parenti omnium veriùs jungi, quatenùs eosdem, quos propter Deum viriliter negligit, tanìo solidiùs diligat, quantò in eis affectum solubilem copulæ carnalis ignorat ad profanos usus.*

37 Hinc dum parentes secundùm carnalia sua desideria disponere volunt de bonis ecclesiasticis filiorum suorum, ipsis filii cum Bernardo epist. 111. respondere debent: *Si me verè ut boni, ut pii parentes diligitis, si veram, si fidelem erga filium pietatem habetis, quid me Patri omnium Deo placere satagentem inquietatis?..... Verè nunc cognosco, quia inimici hominis domestici ejus. In hoc vobis obedire non debeo, in hoc non agnosco parentes, sed hostes: si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad meum atque vestrum, imò universorum Patrem.*

38 Nec verò bonorum ecclesiasticorum filiorum, etiam in patris potestate adhuc constitutorum, parentes administrationem habent, uti constat ex lege *sacrosanctæ* Cod. de Episc. & Cleric. & cap. *si annum* de judiciis in 6. Nec proinde de iis disponere possunt. Unde S. Car. Borromæus, à pueritia Clericali militiæ adscriptus, Abbatiâ postmodùm insignitus, *patrem admonuit, ne redditus in rem familiarem converterentur.*

CAPUT V.

Obligatio parentum erga filios.

39 QUemadmodùm filii parentibus amorem debent & honorem; sic parentes filiis 1°. amorem debent, tamquam sibi proximissimè (ut ita dicam) proximis. 2°. debent necessaria providere ad conservandam quam ipsis dederunt vitam; per consequens tenentur filios alere, educare, curam illorum gerere diligentem, dum parvuli sunt, ne quid ipsis mali contingat, ne in ignem vel aquam cadant, ne corpore defectuosi, v. g. lusci vel claudi fiant, ne in eodem secum lecto tenelli dormientes suffocentur, &c. 3°. debent adultis vivendi subsidia providere, sive alia vivendi media ipsis relinquendo, sive artem vel opificium quo honestè vivere possint, ipsos edocendo: *Non enim debent filii parentibus thesaurizare; sed parentes filiis.* 1. Cor. 12. 4°. præcipua cura ipsorum esse debet (ultra necessaria ad vitam corporalem) ipsis procurare necessaria ad vitam christianam & spiritualem, ut per eam pervenire valeant ad vitam æternam. Curam proinde magnam habere debent, ut renascantur nati, ut christianis moribus instruantur, fideique mysteria, Dei & Ecclesiæ præcepta doceantur. Ad hoc enim Christianum matrimonium est institutum, & ad Sacramenti rationem à Christo elevatum, ut per christianum illius usum proles nascantur, natæ Christo renascantur, & christianam à parentibus accipiant educationem, ut cælestem tandem consequi valeant hæreditatem. Nihil enim ipsis nasci prodesset, nisi renascerentur; nihil renasci, nisi per mores Christiano dignos cælum finaliter adipisci possent. Ideò ergo filios ab infantia docere debent timorem Domini, fugam peccati. Sic Susannam filiam suam erudierunt parentes ejus, Daniel. 13. Tobiam filium pater, Tob. 1. *Educate illos in disciplina* (ait Apostolus ad Ephes. 6.) *& correptione Domini. Filii tibi sunt* (ait Ecclesiasticus c. 7.) *erudi illos, & curva ab adolescentia sua.* Obligationis istius 40 magnitudo pensari potest, ex eo quòd Deus prolium suarum animas, Christi sanguine redemptas, parentum curæ commiserit, ut ipsorum sollicitudine renascerentur, renatæ crescerent in vita spirituali, & ad vitam æternam finaliter pervenirent: ita ut à Deo deputati sint velut spirituales pædagogi prolium suarum, velitque Deus ut in sollicitudine illa imitatores sint admirabilis charitatis Christi, qui pro ipsis mortuus est. Unde & graviter puniet parentes in eo negligentes, & econtrà copiosam mercedem daturus est parentibus, suo ea in re officio ritè fungentibus. *Neque enim parvi meriti est indultos à Deo liberos, ad ipsius exercere militiam, eique ab ipsis infantiæ pannis dedicare: nam si ejusce educationis fundamenta jecerint, magnis afficiendi sunt præmiis; quemadmodùm si neglexerint, magnis cruciatibus.* Verba sunt Chrysostomi Homil. 9. in epist. 1. ad Timoth. Cui conformiter loquitur Concilium Mediol. III. tit. de his quæ pertinent ad Sacram. matrim. *Sicut uberrimum ab optima institutione præmium paterfamilias capiet quicumque liberos, familiamque suam ad Dei cultum, & ad pietatem, christianarumque virtutum disciplinam erudierit; ita quicumque debitum hoc paternæ curæ officium neglexerit, vel prætermiserit, is expectet, ut in Die Domini sibi durissimum judicium fiat.*

41 Igitur ut accuratiùs explicem, parentum obligationem procurandi prolibus ſuis neceſſaria ad vitam ſpiritualem, dico 1°. ipſos valdè ſollicitos eſſe debere, ne proles Baptiſmo careat; ſollicitè proinde illa vitare, ex quibus contingere poſſet, quòd proles in utero ſine Baptiſmo moreretur.

42 2°. neceſſariam inſtructionem ipſis procurare per ſe, & per alios. Per ſe quidem, quia non ſufficit quòd aliis relinquant curam iſtam, ſed per ſeipſos, dum poſſunt, officio iſto fungi debent, utpote prolium ſuarum pædagogi ſpirituales à Deo conſtituti, à cujus officio alienum eſt, per alios facere, quod ex officio ſuo per ſe facere debent. Non quòd malè faciant parentes, dum filios ſuos collocant apud virum aliquem pium & idoneum, ut extra paternam domum majorem in pietate progreſſum faciant; vel etiam dum alium ipſis domi dant pædagogum, qui ipſos inſtruat; ſed quòd & ipſi per ſeipſos etiam inſtruere eos debeant, dum domi ſunt, maximè cùm benedictionem ampliorem Deus impartiri ſoleat inſtructioni parentum, quàm extraneorum.

43 Procurare etiam debent parentes, ut filii per alios inſtruantur, utique per Catechiſtas & Concionatores, ipſos obligando, & (quando opus eſt) compellendo, ut Catechiſmos Concioneſque frequentent.

44 3°. parentes non ſolùm inſtruere debent filios de credendis, ſed & de agendis; nec ſolùm ipſis procurare eorum cognitionem, ſed & affectum excitare ad ſectandas virtutes, & peccata cavenda, eorum horrorem ipſis velut inſpirando, exemplo Blancæ matris ſancti Regis Ludovici, quæ tantum ipſi peccati mortalis horrorem aſſiduis exhortationibus ſuis incuſſit, ut horrorem illum totâ vitâ retinuerit.

45 4°. debent filiis ſuis inculcare vanitatem rerum mundanarum, æternitatemque præmiorum, ac ſuppliciorum alterius ſæculi, ipſis ſeminando verbum hoc in tempore opportuno, occaſionem oſtendendi ipſis fallaciam divitiarum, honorum, & voluptatum hujus ſæculi captando, v. g. dum nuntiatur mors alicujus divitis, & dicendi quòd divitiæ, honores, & voluptates ipſum ſecutæ non fuerint poſt mortem; ſatis proinde ex hoc appareat earum fallacia & vanitas, maximè cùm mortem ipſius tantò reddiderint amariorem, quantò vita ipſorum magis in deliciis, & honoribus fuit. Ubi econtrà mors tam amara non eſt ei, qui in paupertate ſine honore vixit. Partim quia miſeriæ, quas paſſus eſt, effecerunt ut mundus, qui deſeritur, minùs ipſi placeret. Partim quia non fuit in iis peccandi periculis, quæ ſecum adferunt divitiæ, officiaque honorifica, & voluptates.

46 Occaſio etiamad id opportuna eſt, dum contingit divitem aliquem, vel honoratum virum, officio privari honorifico, vel facere jacturam magnam rerum terrenarum, vel aliter excidere è mundana felicitate: quippe quam fugacem eſſe experientia illa demonſtrat.

Occaſio denique loquendi prolibus de ſo- 47
liditate felicitatis æternæ ſeſe offert, dum incidit mentio de Paradiſo, vel de Beato aliquo; ſicut & occaſio opportuna loquendi de felicitate bonæ conſcientiæ eſt, dum mentio de ſpirituali incidit jucunditate, quam in hoc mundo experti ſunt Sancti.

5°. debent filios delinquentes corripere & 48
caſtigare ſtatim à pueritia: utpote quæ ad malum prona eſt, & niſi coërceatur, vitia contrahit, nunquam (ſi unquam) corrigenda. Et ideò Prov. 23. dicitur: *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum; qui autem diligit, inſtanter erudit.* Et rurſus: *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam; ſi enim percuſſeris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Et Eccli. 30. *Qui diligit filium ſuum, aſſiduat illi flagella, ut lætetur in noviſſimo ſuo.... Equus indomitus evadit durus, & filius remiſſus evadit præceps.... Non des illi poteſtatem in juventute, & tunde latera ejus, dum infans eſt, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Non iræ tamen impetu, ſed charitatis affectu filii corripiendi ſunt, prudentiam & moderationem ſic adhibendo, ut nec nimiâ ſeveritate filii ad iracundiam provocati, fracto animo fiant; nec nimiâ indulgentiâ diſſoluti fiant. Nimiam quippe Heli indulgentiam in filios ſuos graviſſimo Deus ſupplicio ultus eſt, dum de ſella cadens retrorſum fractis cervicibus mortuus eſt, duo filii ipſius occiſi, filii Iſraël à Philiſthæis profligati, arca Domini capta, tranſlatum à familia ipſius ſacerdotium, & calamitatibus multis poſteà ipſius afflicti fuere. Filios quidem ſuos, ob eorum ſacrilegia & ſtupra, verbis corripuerat; ſed quia ob graviſſima ipſorum crimina, in templo Dei cum ſcandalo populi commiſſa, ipſos ab officio ſacerdotali non removit, contentus verbis ipſos corripere, terribilem Dei ultionem expertus eſt, ut Hieronymus obſervat l. 1. contra Pelagianos, dicens: *Heli corripuit filios, & punitus eſt: quia non corripere ſolum, ſed abjicere debuit.*

Habent in Heli exemplum Superiores om- 49
nes Religionum, ſicut & Paſtores, & Patres ſpirituales quicumque, cum ſubditis vel pœnitentibus ſuis remiſſiùs agentes, dum ſeveritate opus eſt. Diſcant igitur non ſatis eſſe ſpirituales filiòs ſuos verbis corripere, dum ad ipſos à vitiis revocandos reali opus eſt correctione. Unde pereunt vel relaxantur Religiones, niſi ex defectu inflictionis pœnarum ad correctionem delinquentium per Religionum Statuta præſcriptarum? Quid eſt quòd ex tam multis pœnitentibus tam pauci emendantur, niſi quia à Confeſſariis ſuis nimis facilè abſolvuntur, eumque ipſis nimis indulgenter agitur? An non hoc teſtantur Sancti, etiam noviſſimi? *Quid Eccleſiam Domini hodie perdit, niſi Confeſſariorum & Paſtorum*

blandiens adulatio ? inquit S. Thomas Villanovanus Conc. in fer. 6 post Domin. 4. Quadrages. Similia dicunt S. Carolus Borromæus, & S. Franciscus Salesius, & rationem dat Cardinalis Bellarminus Conc. 8. in Domin. 4. Advent. *Non enim esset hodie tanta facilitas delinquendi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* Videant ergo Pastores, videant Confessarii, ne cum spiritualibus, imò pro spiritualibus filiis suis pereant. *Heli* (inquit Chrysostomus Homil. 9. in epist. 1. ad Timoth.) *propter filios periit. Illos quippe cùm acriùs coërcere debuisset, verbis tantùm levibus monuit. Quapropter dum illis molestus esse severâ increpatione* (vel Confessarius absolutionis dilatione) *recusat, illos & seipsum unà perdidit. Audite hæc patres, tam spirituales, quàm corporales, vestrosque filios in disciplina & correptione Domini erudite summa cum diligentia.*

50 6°. parentes filiis debent bono esse exemplo. Parum enim proderunt verba, parum etiam verbera, si quod verbis & verberibus ædificant, pravis suis destruant exemplis. Ideò ergo Bernardus Serm. 59. in Cant. *Exemplum.... verbo efficacius est. Dabis voci tuæ voces virtutis, si quod suades, priùs tibi illud cognoscens persuasisse. Validior operis, quàm oris vox. Fac ut loqueris, & non solùm me faciliùs emendas, sed te quoque non levi liberas probro.* Meritò proinde Hieronymus in epist. ad Lætam, docens quomodò filiam suam deberet educare: *Nihil in te* (inquit) *& patre suo videat, quod si fecerit, peccet. Mementote vos parentes virginis, & magis eam exemplis doceri posse, quàm voce.*

51 Sed quàm multi parentes in istis deficiunt! Quàm multi ipsis scandalo sunt, dum bono esse deberent exemplo! Sciunt à prolibus, ob naturæ corruptionem, faciliùs disci malum, quàm bonum; & qui filios peccantes acriter corripere deberent, coram eis ipsi peccant, filiosque suos pravis exemplis, jurandi, blasphemandi, imprecandi, maledicendi, obscœna loquendi, &c. jurare, blasphemare, imprecari, maledicere, obscœna loqui docent, ita ut filii verbis istis S. Cypriani l. de lapsis meritò conqueri possint: *Perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas.* Unde non dubium quòd judicium durissimum propterea de ipsis fiet, quòdque ideò *Deus visitat iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.*

52 Acriter ergo tales parentes à Concionatoribus & Confessariis redarguendi sunt; sicut & illi, propter quorum verba minùs casta, vel facta minùs circumspecta, causa sunt quòd filii ab ipsa pueritia de venereis cogitare, ad illaque inclinari, imò & ea perpetrare incipiunt. Dum enim non erubuerunt de istis coram pueris suis loqui, vel etiam coram ipsis in eodem secum lecto dormientibus exercere, quæ conjugium ipsis permittit, sed coram aliis, maximè prolibus, fieri honestas non sinit, eos docuerunt cogitare & facere, quæ non licet: ita ut puer & puella singuli quatuor dumtaxat annorum, inventi sint simul carnaliter commiscerì, propterea quòd parentum commixtionem puella animadverterat.

Nec ipsos excusat paupertas, quam allegant, dum corripiuntur quòd proles in eodem secum lecto dormire faciant. Tum quia non adeò difficile est ipsis lectum separatum invenire. Tum quia dato quòd sic proles duriùs cubarent, vita spiritualis prolium ipsis charior esse debet, quàm vita corporalis. Ideòque eam ut minùs curam, eumque laborem assumere debent, ut prolium castitati provideant, quàm ut provideant vitæ ipsorum corporali; ab iisque coram ipsis abstinere, quæ castitatem ipsorum possunt lædere: cùm liberis Magistros præbere sese debeant virtutis, æquitatis, continentiæ, & sanctitatis, prout Catechismus Romanus dicit. 53

Nec lugenda est dumtaxat cæcitas illorum, qui filiis suis malo exemplo causa sunt perditionis; sed & 1°. eorum, quorum tota de filiis cura in eo versatur, ut pecunias vel amplum ipsis patrimonium relinquant; fidem verò, pietatem, Dei timorem, peccati horrorem, mandatorum observantiam, sæculi contemptum, uno verbo vitam christianam & spiritualem, eos docere negligunt: quo fit, ut illis duces sint non ad cælum, sed ad infernum; eò quòd utique *parentibus suis filii non magis in patrimonium, quàm in vitia succedunt* (ut conqueritur Salvianus l. 1. ad Eccles. Cathol.) *nec magis facultates paternas sumunt, quam pravitates. Ac sic transeuntes semper in mores patrum, ante incipiunt eorum nequitiam, quàm substantiam possidere. Bona enim parentum nonnisi mortuis eis possident; viventibus autem adhuc, & videntibus, mores. Ac sic..... antequam habeant illa, qua falsò dicuntur bona, habent illa, qua verè probantur mala.* 54

Meminerint parentes, nullam esse ampliorem hæreditatem, nec præclarius patrimonium, quod filiis relinquere possint, quàm si effecerint, ut optimi Christiani evadant; quæ virtus omni terreno thesauro multò pretiosior est censenda, ut S. Carolus Borromæus loquitur cum Concilio suo Mediolanensi V. tit. de iis quæ ad matrim. pertinent. 55

2°. lugenda adhuc cæcitas eorum, qui filiis suis libertatem relinquunt quævis frequentandi consortia. Cùm tamen maximum ipsis periculum immineat à consortio malorum. Velut enim miraculum esset, quòd adolescens quispiam permaneret bonus, in consortio ipsorum. Quam ob causam mortalium sapientissimus teneram ætatem instituere volens, sollicitè monet ut à tali caveat consortio: *Fili mi* (inquit Proverb. 1.) *si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Fili mi, ne ambules cum eis. Prohibe pedem tuum à semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt.* Et c. 4. *Nec tibi placeat malorum via, fuge ab ea, nec transeas per illam, declina & desere* 56

eam. Et S. Teresia vitæ suæ c. 2. vehementer inculcat periculum imminens teneræ ætati, per consortia mala : quomodò per illa mundanus imbibatur spiritus, & vanus, & inde ad peccata alia deveniatur. Additque quòd nunquam credidisset, quantùm nociva sint, nisi experimento didicisset. Conqueritur namque quod parentes sui non magis solliciti fuerint, ne conversaretur cum illis, eo prætextu, quòd illi socii & sociæ de parentela sua essent.

57 Maximè culpandi parentes, filiis & filiabus suis permittentes consortia diversi sexûs. Quia in illis castitatem etiam puerorum periclitari norunt, qui eorum confessionibus audiendis versati sunt. Propterea, ut D. Hieronymus ait in epist. ad Gaudentium, *sexus femineus, sexui suo jungatur ; nesciat puella, imò timeat eum pueris ludere.* Concilium quoque Cameracense anni 1565. tit. de Scholis c. 2. jubet, ut, quantùm fieri possit, *in scholis puerilibus, puellæ separentur à pueris.*

58 3°. deploranda rursus est cæcitas parentum, filiabus suis permittentium lectionem Romannorum, ut vocant, vel frequentationem spectaculorum minùs honestorum, sicut & filiis libertatem frequentationis popinarum : cùm pessima in popinis consortia inveniantur, perque excessum in potu, jacturamque pecuniæ ac temporis (quo nihil pretiosius) sicut & per peccata alia, Deus ibi frequenter offendatur. Denique dum filii à tenera ætate popinarum frequentationem discunt, vix unquam posteà dediscunt. Quanta verò mala per Romannorum lectionem proveniant, S. Teresia se per experimentum didicisse testatur in vita sua. Per eam certè mundi spiritus imbibitur, amor obscœnus sensim sine sensu inspiratur, devotionis spiritus extinguitur.

59 Nec minùs lugenda est inconsideratio eorum, qui cùm prolibus suis inspirare deberent mundi contemptum, econtrà inspirant mundi amorem, divitiarumque, honorum, & cæterarum vanitatum æstimationem, proponendo v. g. filiis studium, tamquam medium ad divitias, & dignitates acquirendas ; vel pretiosas vestes, velut magnificum quidpiam. Qua de re Augustinus l. de disciplina Christiana c. 2. *Christiani parentes* (inquit) *cùm ad scholam filios mittunt, dicunt ipsis : Discite bonas litteras. Quare ? ut sis homo, id est, ut sis eminens inter homines. At nemo illis dicit, ut habeatis unde legere possitis Codices Dominicos.* Sanctus quoque Chrysostomus l. 3. adversi. vituperat. vit. Monast. sic loquitur : *Audias patres, cùm liberos suos ad studia litterarum hortantur, hujusmodi verba illis jugiter insusurrare ; ille humilis, humilique loco natus, quia dicendi facultatem consecutus est, summos Magistratus, maxima Imperia administravit, opes acquisivit ingentes .... istos illis virulentissimos amores inserentes, pecuniarum scilicet, &, quæ longè perniciosior est, levissimæ atque inanissimæ gloriæ. Horum verò cùm seorsum quilibet cuncta pervertere vi suâ sufficiat ; quid tandem ambo facturi existimantur, si simul coëant ; sicque in juvenis animum mollissimum ac tenerrimum irruant ? Nonne velut torrentes quidam conjuncti, bona simul omnia corrumpunt ac perimunt ?*

Pari reprehensione dignus est modus, quo 60
se gerunt pater vel mater in secundis nuptiis, respectu prolium primi thori, sic utique quasi obliviscerentur à se genitas proles istas, & quasi sic se gerere deberent, ut oblito priore, unicè complaceant conjugi secundarum nuptiarum. Quod prorsus inordinatum est. Neque enim per posteriores nuptias tollitur obligatio ipsorum, respectu prolium primi thori : cùm per eas non amittant qualitatem patris vel matris erga eas. Meminerint ergo Deo magis placendum, quàm novo conjugi, vitricoque, vel novercæ incumbere obligationem habendi curam prolium primi thori : cùm ideò pater & mater ab iis appellentur. Denique meminerint sese graviter peccare, dum, ob secundarum nuptiarum societatem, prolium primi thori educationem negligunt. Hoc enim contra naturam esse, probant Basilius Homil. 9. in Hexaëmeron, & Ambrosius l. 6. in Hexaëmeron c. 4. *Natura* (inquit) *hoc vel ipsis bestiis infundit, ut catulos proprios ament, fœtus suos diligant. Nesciunt illæ odia novercalia, nec mutato concubitu parentes à sobole depravantur, neque noverunt proferre filios posterioris copulæ, superioris autem negligere.... Nesciunt charitatis differentiam, odiorum incentiva, offensionum discrimina.... Quid dicit homo, qui mandatum negligit, naturam obliterat? .... pater abdicat filium .... facit irritum esse quod genuit, &c.* Unde L. *hac edictali* Cod. de secundis nuptiis, sancitum est, quòd nec pater, nec mater, liberos habens ex priore conjugio, possit in gratiam filiorum, ex secundo thoro susceptorum, quidquam amplius elargiri, sive per donationem, aliamvè inter vivos dispositionem, sive per testamentum, codicillum, aut quamvis aliam ultimæ voluntatis dispositionem, quàm genitis ex priore matrimonio. Quod & in Gallia servatur, ob Constitutionem Francisci I. editam anno 1560.

Alium insuper defectum redarguunt Basi- 61
lius loco citato, & S. Gregorius ad interrogationes Augustini, Anglorum Apostoli, cap. 20. Matrum utique, quæ proles suas non lactant, dum possent ; sed lactandas tradunt nutricibus. Ex quo sæpè fit, quòd infans vel non vivat, vel debilior fiat, vel etiam ut cum lacte pravas hauriat qualitates earum, à quibus lactatur, ita ut ad eas propendeat passiones, iræ, melancholiæ, &c. ad quas nutricia propendet ; fit denique quòd minor sit inter matrem & prolem amicitia, quàm foret, si prolem ipsa lactaret. Aliud est, dum necessitas cogit nutritiam assumere, dummodò mater annitatur, ut assumatur proba, & indolis bonæ.

CAPUT VI.

Pastoris erga oves sibi commissas obligationes.

DEbent Pastores gregem suum pascere, 62
juxta illud Joan. 21. *Simon Joannis a-*

mas me? pasce oves meas. Debent (inquam) gregem pascere exemplo conversationis, verbo prædicationis, fructu orationis, ut S. Bernardus ait tr. in Evangel. *Ecce nos reliquimus omnia.*

Primò itaque gregem pascere debent exemplo conversationis, imitatores facti Pastoris Pastorum Jesu Christi, qui *cœpit facere & docere.* Unde 1. Timoth. 4. Apostolus dicit: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* Et ad Tit. 2. *Circa omnes teipsum bonorum operum præbe exemplum.* Solet enim grex sequi exemplum Pastoris sui, sive in bonis, sive in malis. Unde *qui in conspectu populi malè vivit, quantùm in illo est, eum, à quo attenditur, occidit,* ait Augustinus serm. 46. aliàs 165. de temp. de Pastoribus loquens.

63 Secundò gregem suum, seu potiùs Christi, pascere debent verbo prædicationis: scriptum est enim Ezech. 33. *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël: audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie morte morieris; non fueris locutus, ut se custodiat impius à via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium, ut à viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua: ipse in iniquitate sua morietur: porrò tu animam tuam liberasti.* Quod de Pastoribus etiam novi Testamenti intelligi debere, constat ex eo quòd & ipsi de animabus sibi commissis rationem sint reddituri: & ideò in adimplendo officii sui munere vigilare debent, juxta illud Apostoli Hebr. 13. *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

64 Unde sequitur apud Ezechiel. c. 34. *Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos. Nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis.... gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abjectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis .... & dispersæ sunt oves meæ, eò quòd non esset pastor: & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri.... Propterea pastores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum,* &c.

65 Quinam Pastores pascunt semetipsos? qui in pastoratu honorem suum, & temporalia quærunt commoda, non commoda spiritualia ovium, uti faciunt qui ipsis non subministrant prædicationis & catechisticæ instructionis verbum.

Illi verò Pastores, quod infirmum est non consolidant, qui ad tentationes viriliter sustinendas, & adversa pro Christi amore toleranda, infirmam plebem verbo Dei non disponunt, nec confirmant. Illi etiam quod ægrotum est non sanant, qui animabus cupiditatum suarum morbo laborantibus salubria ex divinis Scripturis pharmaca non applicant. Nec tamen quod ægrotum est Pastores curare debent solâ divini verbi prædicatione, sed & solicitâ Sacramentorum administratione. Quem in finem in Diœcesibus vel Parochiis suis residere tenentur, & ab iis rarò abesse. Illi denique quod abjectum est non reducunt, & quod perierat non quærunt, uti reducere & quærere tenentur, qui à fide errantes, vel à via justitiæ aberrantes, ad fidem Catholicam, vel ad meliorem vitam reducere modis omnibus non satagunt, prædicatione, familiari instructione, vel exhortatione, obsecratione, increpatione, censuris (si earum habeant potestatem) doctrinâ, & patientiâ, juxta illud Apostoli 2. Timoth. 4. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina.*

Unde Gregorius homil. 11. in Ezech. *Impio* (inquit) *mors debetur, sed ei à speculatore via vitæ nuntianda est, & ejus impietas increpanda. Si verò speculator taceat, ipse impius in iniquitate sua morietur.... sed sanguinem ejus Dominus de manu speculatoris requirit: quia ipse hunc occidit, qui eum tacendo morti prodidit* (si enim non pavisti, occidisti, dicit Ambrosius.) *In quibus..... pensandum est, quantùm sibi connexa sunt peccata subditorum, atque præpositorum: quia ubi subjectus ex sua culpa moritur, ibi is qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. O quam liber à commissorum sibi sanguine fuerat Prædicator egregius, qui dicebat:* " Mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi quominùs annuntiarem omne consilium Dei vobis? " *Si enim non annuntiasset, mundus à sanguine non esset. In qua voce nos convenimur, nos constringimur, nos rei ostendimur, qui Sacerdotes vocamur, qui super ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus: quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus.* 66

Nec excusent se timidi Pastores, dicentes, se Parochianorum vitia non amare, imò odisse; sed vocem suam propterea non audiri, quòd Jansenistæ audiant, vel Rigoristæ. Et ideò se tacere, juxta illud: *Ubi non est auditus, ne effundas sermonem.* Quia eo non obstante jubet Dominus *ut prædicent, arguant, obsecrent, increpent, instent opportunè, importunè, in omni patientia & doctrina,* uti docet Apostolus, cumque Apostolo Augustinus serm 46. de Pastoribus c. 7. *Contumaces* (inquit) *sunt oves, quia quæruntur errantes; alienas se à nobis dicunt errore suo, & perditione suâ. Quid nos vultis? Quid nos quæritis? Quasi non ipsa causa sit, quare eas velimus, & quare quærimus, quia errant, & pereunt. Si in errore, inquit, sum, si in interitu, quid me vis? quid me quæris? Quia in errore es, revocare volo; quia periisti, invenire volo. Sic volo errare, sic volo perire. Sic vis errare? sic vis perire? Quantò melius ego nolo. Prorsus audeo dicere, importunus sum. Audio enim dicentem Apostolum:* " Prædica verbum, instà opportunè, importunè. " *Opportunè utique volentibus, importunè nolentibus. Tu vis errare, tu* 67

vis parire. Ego nolo. Non vult postremò ille, qui me terret. Si voluero, vide quid dicat, vide quid increpet : „ quod errabat, non re-
„ vocastis ; & quod periit, non inquisistis. *Revocabo errantem, requiram perditum, velis, nolis, id agam. Et si me inquirentem lanient vepres sylvarum, per omnia angusta me coarctabo ; omnes sepes excutiam ; quantum mihi virium Dominus donat, omnia peragrabo. Revocabo errantem, requiram pereuntem. Si me pati non vis, noli errare, noli perire.*

68 Ideò diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus, Parochi per se, vel per alios (si legitimè impediti fuerint) plebes sibi commissas, pro sua & earum capacitate pascere salutaribus verbis jubentur per Tridentinum sess. 5. de reform. c. 2. docendo utique *quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis, cum brevitate & facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadant, & cælestem gloriam consequi valeant..... Ne illud impleatur :* „ Parvuli petierunt pa-
„ nem, & non erat qui frangeret eis. „ *Catecheses etiam Dominicis aliisque Festis, in singulis Parochialibus Ecclesiis* haberi jussit eadem Tridentina Synodus.

69 Ut fructuosa verò sit prædicatio, & instructio Pastorum, tertiò gregem suum pascere debent fructu orationis, imitatores facti Apostolorum, qui ministerio verbi jungebant orationem. Act. 6. *Nos orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Nam quia *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, Pastor* (inquit Augustinus l. 4. de doctr. christ. c. 15.) *sit orator antequam dictor ; & antequam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet quod biberit, vel quod Deus impleverit fundat.*

CAPUT VII.

Patrum & matrum-familiæ erga servos & ancillas obligationes.

70 PRimò, patresfamilias cum Episcopis vel Pastoribus comparans Augustinus in Psal. 50. *Quomodò* (inquit) *ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis ; sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his, qui vobis sunt subditi.* Ipsos proinde considerare debent tamquam curæ suæ commissos, non solùm ut ipsis alimenta ad vitam necessaria tribuantur, sed & ut ab ipsis ad salutem necessaria non omittantur.

71 Per consequens sollicitus esse debet paterfamilias, ut tum bonorum operum exemplo, tum crebris exhortationibus servos & ancillas, cæterosque domesticos, ad piè & christianè vivendum excitent, & ut nemo de familia sit, qui fidei Christianæ rudimentis instructus non sit, atque ut statutâ horâ, manè & vesperi, tota familia certo loco congregata, Deum oret, frequenter ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum accedat, universa etiam familia, si fieri potest, quotidie Missam audiat, nec eam unquam Dominicis ac Festis omittat, nec diebus illis operibus servilibus vacet, ut vigilias quoque & cætera jejunia ecclesiastica servet, ubi justa necessitas non excusat.

2°. *pati non debet in familia esse quemquam,* 72
qui blasphemus sit, qui perjurus, qui corruptis moribus, qui obscœnè quidquam vel loquatur, vel agat, qui aleis ludat, qui denique cæteris turpis vitæ exemplum præbeat. Verba sunt Concilii Mediolanensis III. sub sancto Carolo Borromæo tit. de his quæ ad Matrim. Sacram. pertinent. Et ideò dum aliquem ex servis vel ancillis talem deprehenderit familiæ suæ esse scandalo, si monitus non desistat, solutis stipendiis, è familia ejicere debet. Aliàs graviter peccaturus.

3°. famulos & ancillas nunquam mercede fraudare, nec eam apud se retinere debet: 73
cùm hoc sit contra præceptum Domini Levit. 19. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque manè.*

4°. debet ipsis ægrotantibus subvenire, 74
ipsorumque curam gerere, Centurionis exemplo, qui ad Jesum pro servi sui valetudine supplex accessit. Est namque nimis inhumanum, ipsos morbo afflictos negligere : cùm ne sua quidem jumenta & pecora morbis afflicta negligant. *Novit* quippe *justus jumentorum suorum animas ; viscera autem impiorum crudelia.* Prov. 12. Unde licèt aliquo casu possint ipsos ad xenodochia mittere, dum in iis magna ipsorum cura habetur : utplurimùm tamen id satis humanum non est ; sæpè enim ex hoc affliguntur famuli, vel ancillæ, considerantes quòd tam citò à dominis deserantur, & ad xenodochia deportentur ; quod quia ipsis parum honorificum videtur, ideò affliguntur ; quam afflictionem domini & dominæ non debent contemnere, nec facilè permittere, ut famuli sui & famulæ occupent in xenodochiis loca, quæ aliàs occupata fuissent ab aliis miseris, & magis indigentibus.

5°. famulos & famulas corripere debet, 75
dum Deum offendunt ; imò & castigare, dum delicti gravitas exigit. Correctionem tamen mansuetudine temperando, minasque remittendo, juxta illud Ephes. 6. *Et vos domini eadem facite illis, minas remittentes, scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cælis, & personarum acceptio non est apud eum.*

Ex quo patet, quòd cum servis & ancillis 76
pater & materfamilias non debent durè & imperiosè agere, nisi contumaces fuerint ; sed mansuetè ac modestè, considerantes id quod proximè dixit Apostolus. Unde Augustinus l. 19. de Civit. Dei c. 14. *In domo justi, viventis ex fide, & adhuc ab illa cælesti civitate peregrinantis, etiam qui imperant, serviunt eis quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi ; non principandi superbiâ, sed providendi misericordiâ.* Et c. 16. *Etiamsi habuerint ser-*

vos

vos justi Patres nostri, sic quidem administrabant domesticam pacem, ut secundùm hæc temporalia bona, filiorum sortem à servorum conditione distinguerent; ad Deum autem colendum, in quo æterna bona speranda sunt, omnibus domûs suæ membris pari dilectione consulerent. Quod naturalis ordo ita præscribit, ut nomen patrumfamilias hinc exortum sit, & tam latè vulgatum, ut iniquè etiam dominantes hoc nomine se gaudeant appellari. Qui autem veri patresfamilias sunt, omnibus in familia sua tamquam filiis ad colendum & promerendum Deum consulunt, desiderantes atque optantes venire ad cælestem domum.... Quò donec veniatur, magis debent patres quòd dominantur, quàm servi tolerare quòd serviunt. Siquis autem in domo per inobedientiam domesticæ paci adversatur, corripitur, seu verbo, seu verbere, seu quolibet alio genere pœnæ justo atque licito, quantum societas humana concedit, pro ejus qui corripitur utilitate, ut paci, unde dissiluerat, coaptetur, &c.

CAPUT VIII.

Peccata famulorum famularumque erga dominos & dominas.

77 PEccata illa imprimis sunt inobedientiæ, obloquia & murmurationes, dum ipsis aliquid imperatur.

2°. mendacia, quibus se excusant, dum arguuntur.

78 3°. furta, quibus vinum, cerevisiam, cibos, grana, & alia dominis & dominabus surripiunt, pro se, vel pro amicis suis, vel etiam pro pecoribus dominorum suorum. Neque enim ipsis licitum est aliquid contra dominorum voluntatem surripere, etiam ad dandum filiis, vel pecoribus ipsorum. 1°. quia surreptio ejusmodi pro pecoribus utplurimùm fit ex vanitate, quâ dominorum applausum desiderant, de pecorum pulchritudine vel pinguedine, quorum ipsis cura incumbit. 2°. quia licèt necessarium subinde foret pecoribus plus dare, dominus habere potest justam rationem plus non dandi, v. g. quia in circumstantiis præsentibus non convenit ut majores sumptus pro pecoribus fiant. 3°. quia quidquid de his sit, non est famulorum & famularum de rebus dominorum disponere ipsis invitis, vel non consultis, dum dubia est voluntas ipsorum.

79 4°. famuli & famulæ peccant, dum curam & sollicitudinem sufficientem non habent pro conservandis rebus dominorum vel dominarum suarum; ipsisque imputantur damna per ipsorum negligentiam dominis obvenientia, tenenturque subinde ad restitutionem, uti dixi dum de ea agerem.

80 Nec verò dominis surripere quidquam possunt sub prætextu quòd salarium, quod ipsis datur, non sit sufficiens. Est enim damnata propositio illa: *Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.*

81 Omnia peccata ista damnat Apostolus ad Tit. 2. brèviter dicens: *Hortare... servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.*

Porrò servi dominis obedire debent, tamquam Deum repræsentantibus, cujus voluntas est, ut servi dominis obediant *cum timore & tremore, in simplicitate cordis, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo*, ut Apostolus dicit ad Ephes. c. 6. 82

Nec refert quòd domini fortè sint discoli, vel dominæ improbæ: quia subditi esse debent, in omni timore, dominis *non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis*, ut Petrus Apostolorum Princeps ait 1. Petr. 2. 83

Siquid tamen domini vel dominæ præcipiant contra Deum, seu lege Dei prohibitum, obedire non debent, sed cum Apostolis dicere: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Obedire proinde non debent, dum ipsis præcipitur, vel ut mentiantur, vel ut diebus Dominicis aut Festivis servilia exerceant opera, vel ut dominorum peccatis serviant, deferendo v. g. litteras dominorum, ad venerem vel ad duellum sollicitantes, vel ut ipsis alia ejusmodi servitia præstent, quibus peccatis ipsorum moraliter corperati censerentur, etiamsi ex recusata in similibus obedientia graves ipsis fierent comminationes. Est enim damnata propositio ista 51. *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties ei subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* 84

Nec obedire debent dominis, imperantibus promi vinum vel cerevisiam alicui quem viderint inde inebriandum: eò quòd jam biberit plusquàm satis. In dubio autem, an in isto vel illo casu sit ipsis licitum obedire, consulant Confessarium suum, vel Parochum, ut ab ipsis discant quid agere debeant. 85

Tandem famulos & famulas scire oportet obligationem suam deserendi servitium, dum ipsis est occasio proxima peccati mortalis, non obstante jacturâ cujuscumque commodi temporalis, quam ipsis adferret desertio ista. Sic enim præcipit Christus Matth. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Et rursus: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro anima sua*, &c.? 86

CAPUT IX.

Obligatio Parochianorum erga Pastores suos, & generatim erga Sacerdotes.

QUandoquidem proprius Parochus verè sit Pater spiritualis Parochiæ suæ; tantò 87

major ipsi honor ac reverentia debetur à Parochianis suis, quantò nobilior & sanctior est paternitas ipsius, directiùsque atque immediatiùs ad animarum salutem ordinata, quàm paternitas corporalis, vel civilis. Maximè cùm spiritualis salus Parochianorum, haud minùs à Parocho dependeat, quàm salus temporalis Regnorum ac Provinciarum ab iis, à quibus reguntur & gubernantur; vel vita corporalis filiorum à parentibus carnalibus ipsorum. Quemadmodùm enim parentes carnales filiis suis vitam dant corporalem, eamque conservant corporalibus alimentis; sic Parochi per Baptismum, & Pœnitentiæ Sacramentum Parochianis suis vitam dant spiritualem, eamque conservant divini verbi ministerio, sive Concionibus, Catechismis, privatisque instructionibus & admonitionibus suis, ipsosque in morte adjuvant, ut ad beatam perveniant æternitatem.

88 Accedit quòd sicut parentes carnis varios labores ac pericula subeunt pro filiis suis carnalibus; sic & Parochus pro filiis suis spiritualibus, sive pro salute animarum sibi commissarum: utpote pro quibus supremo Judici rationem sit redditurus. Accedit item quòd longè specialiori modo Christum repræsentet, quàm parentes carnales; ipsisque proinde longè specialiori modo conveniat istud Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Et istud Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

89 Ex his nemo non videt, Parochos comprehendi in præcepto de parentibus honorandis; ipsisque proinde, sicut patribus spiritualibus, deberi reverentiam, amorem, obedientiam, & quidem nobiliori titulo, quàm patribus carnalibus: cùm officium ipsorum longè sit nobilius: utpote ad vitam spiritualem & æternam, carnali ac temporali longè nobiliorem, directè & immediatè ordinatum. Videant itaque quàm graviter peccent, qui ipsos contemnunt: cùm Christum in ipsis contemnant.

90 Nec Parochis suis reverentiam dumtaxat, amoremque & obedientiam Parochiani debent, sed & congruam sustentationem, dum ipsis aliunde sufficienter non est provisum; nec alii sunt, v. g. decimarum possessores, ad quos habere possint recursum. Siquidem, ut Apostolus ait 1. Timoth. 5. *qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habentur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Et 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti... Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus.* Denique scriptum est Eccli. 7. *Honorifica Sacerdotes... da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum & purgationis.*

91 Unde sustentatio Pastoribus jure divino & naturali debita est. *Dignus est* enim *operarius mercede suâ*, ait Salvator Luc. 10. *Non sunt proinde ferendi, qui variis artibus decimas Ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis solvendas temerè occupant, & in rem suam vertunt: cùm decimarum solutio sit debita Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadant*, ait Tridentinum sess. 25. c. 12.

92 Nec suis dumtaxat Pastoribus, sed generatim Sacerdotibus omnibus magnam Christiani omnes debent reverentiam, propter admirabilem quam possident dignitatem, Regiâ etiam atque Imperatoriâ dignitate excelsiorem, quatenùs Æterno Patri Unigenitum suum immolant, Mediatoresque sunt inter Deum & homines. Ita ut Sacerdotibus novi Testamenti longè sublimiori titulo quàm Sacerdotibus antiquis debitum sit, quod Eccli. 7. dicitur: *In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes ejus sanctifica.... & Ministros ejus ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.*

93 Nec ideò Sacerdotibus aliquibus honor debitus non est, quia mali sunt. Quemadmodùm enim Regi improbo debitus equidem est honor respondens regiæ ipsius dignitati; sic & improbo Sacerdoti honor respondens sacerdotali dignitati ipsius. Nam, ut S. Ephrem ait to. 1. de sacerdotio, *sicut fulgidissimum aurum, licèt luto contaminatum, non percipit detrimentum; neque speciosissima margarita ex contactu quarumdam immundarum specierum: ad eundem modum nec sacerdotium ab ullo sordidum redditur, quantumvis indignus sit qui illud suscipit.*

94 Istam ob causam ipsemet Salvator fidelibus suis exemplo esse voluit honorificandi Sacerdotes, etiam improbos. Quia, ut Cypriani verbis utar epist. 65. ad Rogatianum Episcopum, *usque ad Passionis diem servavit honorem Pontificibus, & Sacerdotibus, quamvis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi servassent. Nam cùm leprosum mundasset, dixit illi:* " Vade, & monstra te Sacerdoti, offer donum. " *Humilitate eâ, quâ nos quoque esse humiles docuit, Sacerdotem adhuc appellabat, quem sciebat esse sacrilegum. Item sub ictu Passionis, cùm alapam accepisset, & ei diceretur, sic respondes Pontifici? nihil ille contumeliosè locutus est in personam Pontificis, sed magis innocentiam suam tuitus est*, &c.

95 Graviter ergo peccant, qui Sacerdotes ideò spernunt, irrident, vel ipsis detrahunt & maledicunt, quia mali sunt; sicut & illi, qui de ipsis detrahentes libenter audiunt. Nam, ut sapienter Hesselius, videntur *irrisores Sacerdotum similes iis, qui, in navicula fluctuante, in medio maris constituti, rident & gaudent, si nauclerus malè naviculam dirigat, & in scopulos impingat, quique, præ fatuitate, non cogitant quantum ex imperitia nauta sibi immineat periculum.*

96 Et quid de hominibus istis Augustinus epist. 78. aliàs 237.? *Ad quid aliud sedent isti, & quid aliud captant, nisi ut quisquis Episcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, jactent, contendant, sed non omnes posse manifestari? Et tamen etiam ipsi, cùm aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores suas, nec accusant matres suas. Cum autem de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, fatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur. Hos ergo de nostris doloribus suavitatem suæ malæ linguæ captantes, facile est ut illis canibus comparemus, qui lingebant ulcera pauperis illius, qui ante januam divitis jacebat, & (quousque veniret ad requiem sinûs Abrahæ) laboriosa & indigna omnia tolerabat.*

97 Si derisores detractoresque illi Salvatorem nolint imitari, saltem Constantinum Magnum imitentur, qui (apud Theodoretum l. 1. Historiæ Eccles. c. 11.) *nefas esse aiebat, ut Sacerdotum delicta ad vulgi notitiam pervenirent, ne populus offendiculi occasionem inde arripiens, licentiùs ad flagitia prorumperet.*

CAPUT X.

Prorsus improbanda est opinio, à mortali excusans filios & filias, inconsultis parentibus nubentes.

98 COmmunis Majorum sententia hactenùs fuit, contra præceptum de parentibus honorandis graviter peccare, qui ipsis invitis & inconsultis nubunt: cùm honor ipsis debitus in eo partim saltem consistat, quòd ipsorum consilium à filiis suis & filiabus requiratur in rebus magni momenti, præsertim quando totius familiæ interest; uti maximè interest, dum uxor ducenda est, vel maritus accipiendus. Videri potest Estius in 4. dist. 28. §. 2. ubi sic loquitur: *Nisi justa causa diversum suadeat, tenentur liberi parentum suorum consilium audire, & consensum expectare in contrahendo matrimonio, idque multas ob causas. Primò, propter honorem parentibus super omnes alios propinquos & amicos debitum, qui sanè postulat, ne quid magnum, cujusmodi est imprimis conjugium, aggrediantur filii, sine illorum consilio, & consensu. Secundò, quia parentum interest, quem generum, vel quam nurum sint habituri, cui & dotem annumerent, & parentis officium tamquam filio vel filiæ impendant. Cùm enim per matrimonium vir & mulier unum corpus efficiantur, debent generi & nurus quasi filiorum loco haberi à soceris. Tertiò, quia parentes plerumque & possunt filiis rectè consulere, quia prudentiâ per ætatem atque experientiam plus valent; & volunt, quia eos impensè diligunt. Postremò, quia filii jam conjugati in multis adhuc egent auxilio & consilio suorum parentum: qua in re promptiores & propensiores eos erga se invenient, si non absque eorum consilio & consensu in conjugium se dederint.*

99 Eadem rationes profert Hesselius l. 5. Catechi. c. 115. Sed principalem esse meritò dicit; quæ præcepto illo continetur: *Honora patrem & matrem.*

Propterea in Scriptura vituperatur Esaü, quòd uxores insciis & inconsultis parentibus acceperit; imò *quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ*, Genes. 26. adeò ut Rebecca dicetet ad Isaac: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth.* Genes. 27. 100

Propterea etiam D. Ambrosius epist. 64. aliàs 43. ad Sisynnium *justam* fuisse dicit *indignationem* ipsius contra filium suum, qui ipsò inconsulto uxorem acceperat. *Quoniam* (inquit) *venturam in locum filiæ tuæ debuisti eligere judicio, cui fieres pater. Nam aut naturâ filios suscipimus, aut electione. In natura casus est; in electione judicium: magisque in adoptatis offendimus, quam in genitalibus filiis: quia genitales filios esse degeneres, ad naturam refertur: adscitos vel adoptione, vel copulâ, dedecores esse, nonnisi errori adscribitur. Fuit ergo quòd succenseres filio.* Et l. 1. de Abraham c. ult. *Puella desponsalibus judicium spectat parentum: non est enim virginalis pudoris eligere maritum .... Unde illud Euripedeon .... in personâ mulieris, quæ tamen maritum volebat relinquere, & ad alias petebatur nuptias: sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit, hoc enim non est meum. Hoc ergo servate virgines. Mulier etiam, siqua amisso cùm marito adolescentula laqueum infirmitatis suæ timet incidere, si vult nubat, tantum in Domino, ut electionem mariti parentibus deferat.* 101

Augustinus q. 57. in Numeros ex Apostolo 1. Cor. 7. patris esse dicit filiam suam matrimonio jungere. 102

Evaristus Papa can. *aliter* 30. q. 5. legitimum dicit non esse conjugium, id est legibus consonum, nisi à parentibus puella sponsetur. 103

Hormisda, vel (ut aliis placet) Honorius Papa cap. *tua nos* de desponsi. impuber. statuit, ut sponsalia filii impuberis à patre contracta, *postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omninò debeat adimplere.* 104

Leo Papa epist. 90. aliàs 92. ad Rusticum: *Paterno* (inquit) *arbitrio viris junctæ, carent culpâ.* Refertur can. *non omnes* 32. q. 2. ubi Gratianus: *Datur intelligi, quòd paternus consensus desideratur* (regulariter utique) *in nuptiis, nec sine eo legitimæ* (id est licitæ, seu lege permissæ) *nuptiæ habeantur.* 105

Ad idem plura Scripturæ testimonia profert Cardinalis Bellarminus l. 1. de Sacram. matrim. c. 1. propos. 3. Non mirum proinde quòd, Tridentino teste sess. 24. c. 1. matrimonia inconsultis atque invitis parentibus contracta justissimis de causis *Ecclesia semper detestata est, atque prohibuit.* Quod profectò de solis matrimoniis clandestinis non dicit, sed & de iis quæ contrahuntur parentibus invitis, ut probat Illustrissimus Fagnanus ad cap. *tua* de desponsi. impub. num. 11. 106

Ideòque num. 13. infert, filiam invitis pa- 107

rentibus nubentem mortaliter peccare : cùm in re gravi contraveniat præcepto divino de parentum veneratione. Ita etiam tradunt apud ipsum Sotus, Navarrus, Medina, Henriquez, Cardinalis Bellarminus, Petrus Ledesma, estque sententia ista communis Theologorum & Jurisperitorum, ipso teste. Nec certè leve peccatum censeri debet, quod *Ecclesia semper detestata fuit.*

108 Prorsus ergo rejiciendum, quod Tamburinus l. 5. in Decal. c. 2. §. 3. n. 5. novitiâ singularitate dicere ausus est : *probabile esse, & tutum, quòd filii possint matrimonium inire, etiam cum indignis, absque consensu parentum, imò ipsis dissentientibus.* Novitiâ (inquam) singularitate, quippe quæ communi tam veterum quàm recentiorum Theologorum consensui repugnat, sicut & rationi naturali. Contrariam namque sententiam *suaderi & civili, & naturali ratione*, Imperator Justinianus scribit Institut. l. 1. tit. 10.

Nec minùs improbandum, quod n. 6. addit : *Si statuit Evaristus Papa, ut pro nupta,* 109
legitimè utique, seu licitè, *nequaquam habeatur puella, quam pater ipse non desponsat. Si Leo Pontifex, & Ambrosius aiunt, non esse virginalis pudoris, maritum eligere, sed judicium parentum esse expectandum. Si etiam in sacris Scripturis parentibus tribuitur hoc munus. Si S. Paulus expresse hoc docet, à parentibus tradendas esse filias nuptui. Si multa sanctarum Scripturarum exempla id manifestè demonstrant. Respondeo cum Sanchez, inde probari, quòd esset honestum, ejusmodi consilium à parentibus exquirere; non quòd mortale peccatum esset secus facere.* Contrarium namque satis constat ex supradictis.

PARS V.

Amor justus erga proximi vitam.

Ad quintum Decalogi præceptum : Non occides.

Rost Deum & parentes, cæteros etiam proximos, sicut nosipsos, jubemur diligere; ipsis proinde nullum malum velle, multò minùs inferre, maximè mortem. Quæ quia inter corporalia mala primum ac principale est, primo loco prohibetur hisverbis : Non occides. A quo malo ut discipulos suos Salvator longiùs averteret, securim ad radicem apposuit, dicens : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Nec proximi dumtaxat occisionem; imò & odium, & iram, & vindictam, & impatientiam prohibuit, mansuetudinemque præcepit, dicens: *Audistis, quia dictum est antiquis : Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis : quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Matth. 5. Et iterùm : *Audistis quia dictum est, oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed siquis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium..... Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*, &c. Enimverò *charitas patiens est, benigna est.... non irritatur, non cogitat malum.* Per consequens non reddit malum pro malo, sed vincit in bono malum.

CAPUT I.

Necessitatem recurrendi ad tritam Majorum viam, Sanctorumque Theologiam, pro rectâ Decalogi intelligentia, demonstrant horrenda novaturientium Casuistarum de homicidio dogmata.

Rectè Sinnichius in Saüle suo observat, in 1
hujus præcepti explicatione nihil nisi exoticum expectari posse ab iis, qui præcedentia quatuor præcepta tam enormiter laxarunt, quique cum Apologista Casuistarum pag. 17. existimant, privatos (perinde ut Reges, supremosque Magistratus) solo rationis naturalis lumine discernere posse, quando liceat, vel non liceat occidere proximum. Immemores utique plagarum ingentium, quas in nobis causavit originale peccatum, immemores tenebrarum plusquàm Ægyptiacarum, quibus obscuratus est intellectus, offuscata ratio, totus homo vulneratus, corruptus, excæcatus, infinitis erroribus obnoxius.

Mirandum profectò, multùmque mirandum, novitios Scriptores (quos in comparatione *aquilarum irreverberato visu solem intuentium*, Anselmus l. de Incarn. Verbi c. 2. non dubitat *vespertilionibus & noctuis* comparare) post tot errorum experientiam, tantam adhuc in visa sibi ratione naturali habere fiduciam, ut eâ duce, neglectâ Sanctorum authoritate, inveniendam à se veritatem putent. An non Isidorus Pelusiota l. 4. epist 127. *animales, spiritum non habentes* appellat eos, qui ratiocinationibus potiùs innituntur, quàm Sanctorum sententiis, quique cum Caramuele Theol. fundam. n. 1330. edit. Lugdun. gloriantur, *se in omnibus plus rationi, & Dialecticæ, quàm authoritati detulisse?* Sed abire jusso Caramuele, Theodoretum potiùs audia- 2

mus, qui in Polymorpho Dial. 1. *Velim* (inquit) *ne humanis rationibus inquisitionem Theologicæ veritatis subjicias, sed Apostolorum, & Prophetarum, & Sanctorum, qui hos secuti sunt, vestigia inquiras.*

3 Enimverò taliter præsumentes de visa sibi ratione, dum tritam Majorum semitam sequi detrectant, seseque sapientes putant, stulti fiunt, velut Principes Taneos; eò quòd stultam faciat Deus sapientiam hujus mundi, dumque eos dimittit in adinventionibus suis, abeunt in sententias novas, erraticas, periculosas, ut constat ex iis quas tom. 1. Prolegomeno 1. cap. 2. retulimus, sigillatim ex paucis sequentibus inter multò plures priora Decalogi præcepta concernentibus.

4 Circa primum: „ ignorans vincibiliter „ Deum esse, à peccato nihilominùs excusari „ potest, quòd eum non colat, etiam dum subo„ ritur ei dubium de Deo, omittitque inqui„ rere. Arriaga disp. 2. de Deo sect. 3. Ratio naturalis ipsius est, *quia multæ sunt res, de quibus occurrit mihi ratio dubii; non tamen pecco non ulteriùs inquirendo: sunt enim res quarum mea non interest, & de quibus non teneor ultrà inquirere.* Obstupesce, Lector, hoc à Theologo Christiano ad Dei existentiam, cultumque extendi, quasi hominis non interfit, orto de Dei existentia dubio, de ea inquirere, & an Deus colendus sit? Ex hoc ungue cognosce leonem; en specimen rationis naturalis, in qua novaturientes Casuistæ tantam fiduciam habent.

„ Licitum est Christianis, rationabili causâ „ interveniente, coram idolo exhibere actus & „ cultus, iis in locis, ubi ex recepta institu„ tione, & lege idololatrica, ad idolum referun„ tur, dummodò manu gestent, vel in altari in„ ter flores crucem abscondant, ad quam ipsi „ suam intentionem & cultum occultè dirigant, „ non ad idolum. Missionarii quidam Sinenses è Soc. apud Thomam Hurtadum in calce resol. Orthod. de Martyr. fid. De quo fidem etiam facit epistola Palafoxii Episcopi Angelopolit. ad Innocent. X.

„ Sinarum populus ferè per annos bis mil„ le (sine fide Christi) verum Deum coluit, „ eâ ratione & modo, quo Christianis exem„ plo & documento esse possit Author Commen„ tarii de Sinarum regno to. 2. pag. 141. edit. 1.

„ Prudentia humana viribus naturæ derelicta, „ probabilissimè crederet dari plures Deos. Caramuel Th. Mor. n. 1559. Infero cum Sinnichio: ergo probabilissimè coleret; sicque hominibus naturali rationi seu prudentiæ suæ relictis probabilissimè licitus foret polytheismus.

„ Colligit Sanchez, non esse superstitiosos, „ qui per quasdam Scripturas, sive ex Psalmis, „ sive ex aliis orationibus confectas, curant in„ firmos, quique suo tactu, vel orationibus, „ etiam incurabiles morbos pari modo sanant. „ Hos salvatores vocant. Tamburinus l. 2. in Decal. c. 6. §. 1. n. 30. Quæro quâ virtute morbos etiam insanabiles sanant? Profecto cùm non sint Sancti, in quorum manu sit potentia Dei; nec morbos illos curent humanâ seu naturali virtute: igitur diabolicâ.

Circa secundum præceptum intoleranda Sanchezii aliorumque de juramento dogmata habes p. 2. cap. 5. Hîc solùm addo tria sequentia: " Vocare Deum in testem mendacii " levis, non est tanta irreverentia, propter " quam velit, aut possit damnare hominem. " Baunius in Summa pag. 95. edit. 5. Sed hoc Innocentius XI. damnavit.

Negare verbis Deum, proferreque verba " blasphemiæ ex cholera & indignatione contra " proximum, absque motu indignationis in " Deum, formalique intentione Deum inho- " norandi, non est mortale peccatum. " Baunius in Summa c. 6. pag. 66. 67. 68. 69.

Si pœnitens dicat se ex choleræ impetu, vel " indignationis contra proximum, non contra " Deum, dixisse, *per caput, ventrem, mortem* " *Dei*, &c. judicari poterit non peccasse, nisi " venialiter. Idem ibidem.

Circa tertium præceptum: " Non est morta- " le, laborare quinque vel sex circiter horis die " festo. Pasqualigus decis. 300.

A mortali excusantur sutores, die festo la- " borantes, ne aliàs facilè à plerisque parochia- " nis suis deserantur. " Tamburinus l. 4. c. 2. §. 1. n. 13.

Si herus, habens duodecim famulos, in die " festo injungat eis laborem integri diei, assig- " nans singulis duas horas successivè ac divisivè, " non peccat mortaliter. " Tamburinus apud Sinnichium in Saüle l. 1. n. 400.

Puellæ possunt operari die festo, ad vitan- " dum otium, ne garriant, vel se conspicien- " das exhibeant. " Neotericus apud Caramuelem Th. fundam. edit. Lugdun. n. 1441.

Probabile est Missam omitti posse die fe- " sto, propter lucrum alioqui cessans. " Tamburinus l. 4. c. 2. §. 1. n. 3.

Circa quartum præceptum: " Licitum est " absoluto desiderio cupere mortem patris, " non ut malum patris, sed ut bonum cupien- " tis: quia nimirùm ei obventura est pinguis " hæreditas. " Tamburinus l. 5. c. 1. §. 3. n. 29. 31. 32. 33. Quasi filius plus amare non debeat patris vitam, quàm patris successionem.

Si filius recognoscere nolit patrem, non ex " contemptu, sed ad vitandum aliquod incom- " modum, aut erubescentiam, à mortali culpa " esset excusandus. " Tamburinus ibidem c. 2. §. 2. n. 17.

Si pater, in manu latronum constitutus, " versaretur in discrimine vitæ, nisi à divite " filio per petitam summam pecuniæ liberare- " tur, teneretur eam summam pro salvanda vita " patris, erogare ex superfluis, vel solùm statui " convenientibus, non ex necessariis, ita ut no- " tabiliter à suo statu dimovendus esset. " Tamburinus ibidem c. 1. §. 1. n. 11. addens non esse certum quòd ex superfluis vel solùm convenientibus dare teneretur. "

„ Probabile est & tutum, quòd filii possint „ licitè matrimonium inire, etiam cum indignis, „ parentibus dissentientibus. Tamburinus ibidem §. 3. n. 5

8 Videamus an magis toleranda sint, quæ circa quintum præceptum tradunt, qui visam sibi rationem naturalem adeò magnificant.

„ Fas est viro honorato occidere invaso„ rem, qui fustem vel alapam nititur impinge„ re, ut ignominiam inferat, si aliter hæc ig„ nominia vitari nequit. Lessius l. 2. c. 9. n. 77.

„ Licitum est honorato viro occidere contu„ meliosum, qui dicit, mentiris. Escobar tr. 1. exam. 7. ex Baldello.

„ Qui colaphum accepit, potest fugientem „ insequi, & occidere. Henriquez l. 14. n. 10. Azorius, Filiutius, Escobar, Herellus, Hurtadus de Mendoza, Becanus, Apologiâ Casuistarum pag. 91.

„ Alapâ percussus censetur tamdiù hono„ re privatus, quamdiù adversarium non interi„ mit. Escobar ubi suprà n. 45.

„ Dices, vanus est ille honor, non verus. „ Respondeo eum esse talem, ut absque eo „ conservato, vivere non possint nobiles. Est„ que tam verus honor, quàm divitiæ humanæ „ sint veræ divitiæ. Quia tamen Principes pro„ hibuerunt omnia duella, post prohibitionem „ eorum desinit esse verus honor. Quia nun„ quam est dedecus obedire Principi. Pro„ fessor è Societ. publicis in Prælectionibus Ca„ domi traditis. Quas Parlamento Parisiensi Fa„ cultas Parisiensis meritò detulit. Est enim pu„ tida, homineque Christiano indigna ratio illa. „ Si enim honor ille desinit esse verus post pro„ hibitionem Principis, quomodò non desinit „ esse verus post prohibitionem Dei?

„ Si quis falsis criminationibus apud Princi„ pem, Judicem, vel viros honestos, te infama„ re parat & nititur, & aliter non possis dam„ num illud avertere nisi eum occidendo, pote„ ris eum occidere. Dicastillus l. 2. tr. 2. disp. 12. p. 4. dub. 2. n. 414. & Herellus apud Bonaventuram Baronem in Ethicis p. 2. apolog. 5. act. 1. n. 10. Idem dicentes, licèt crimen „ sit verum, modò occultum.

„ Superest difficultas an omnibus personis li„ citum sit, in tutelam honoris invasorem oc„ cidere. Negant id concessum Clericis & Re„ ligiosis Doctores communiter.. Negari ta„ men non potest, quin honorem famamque „ illam, quæ ex virtute ac sapientia nascitur, „ quique verus honor est, justè defendere Cle„ rici aut Religiosi valeant, ac sæpè debeant.... „ etiam cum morte invasoris. Quin interdum, „ lege saltem charitatis, videntur ad illum de„ fendendum teneri. Amicus to. 5. de just. disp. 36. sect. 7. n. 118.

„ Unde (inquit) licebit Clerico, vel Re„ ligioso, calumniatorem, gravia crimina de „ se vel de sua Religione spargere minantem, „ occidere, quando alius defendendi modus „ non suppetit; uti suppetere non videtur, si „ calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel „ ejus Religioni, publicè & coram gravissimis „ viris prædicta impingere, nisi occidatur. " Est „ propositio damnata per Alexandrum VII., jus„ sitque Senatus Regius eam expungi in Editio„ ne Antuerpiensi.

Doctrinam illam Amici solam esse veram, „ & oppositam improbabilem, censemus om„ nes Docti. " Caramuel Th. Fundamental. fundam. 55. §. 6.

Doctrinâ illâ posset uti Religiosus adversus „ pellicem, cum qua peccavit, eamque factum „ enarrantem occidere, ne se infamaret. " Idem ibidem §. 7.

Licitum est occidere calumniosum Acto„ rem, testes, & injustum Judicem, ad ser„ vandam vitam, honorem, vel res familia„ res, si aliâ viâ non potest innocens damnum „ certò imminens evitare. " Amicus loco citato n. 75. & 131. Tannerus to. 3. disp. 4. q. 8. n. 83. Damnata est per Alexandrum VII.

Non solùm vitam, sed etiam bona tempo„ ralia; quorum jactura esset damnum gravissi„ mum, licitum est defensione occisivâ defende„ re... Fatemur rariùs id licitum esse Ecclesia„ sticis.... Si tamen aliquando futurum con„ tingat tale malum (id est gravissimum dam„ num) etiam ipsis licitum erit bona ista cum „ occisione furis defendere. " P. Stephani Je„ suita in Thesibus defensis in Seminario Leo„ diensi 3. Octobris 1699. Damnata per Cle„ rum Gallicanum anno 1700.

Ubi est scripta expressa permissio à Deo, ut Re„ ges & Respublicæ possint interficere reos? An est „ in Scriptura? An in traditione? Estne fidei arti„ culus? Si solo lumine naturali eò ducimur, pare„ re ut eodem lumine naturali judicemus, quid „ cuique privato liceat in occidendo aggressore, „ non solum vitæ, verùm & honoris, & rei fami„ liaris. " Apologiæ Casuistarum pag 87. & 88.

Dum Clerici & Religiosi possunt, si tamen „ nolunt fugere, non peccant contra justitiam, „ etsi invasorem occidant. Nec charitas ad id „ obligat, tametsi magis inclinet, ne proximus „ in æternum pereat. " Lessius l. 2. c. 9. n. 44. 55. & 86.

Regulariter occidere possum furem pro „ conservatione unius aurei. " Escobar tr. 1. exam. 7. Molina apud ipsum. Tamburinus l. 6. c. 10. §. 2. n....

Licèt res sit parvi momenti, si tamen tibi „ verteretur probro, nisi rem furi extorqueas, „ posses, si opus esset, occidere. " Escobar ibidem cum Molina. Lessius l. 2. c. 9. n. 68. exemplificans in pomo: *tunc enim* (inquit) *non tam rei, quàm honoris esset defensio.*

Licita est occisio ejus qui impedit iniquè de„ bitores meos, ne mihi satisfaciant. " Lessius ibidem n. 75.

Licitum est occidere furem, cum re ablata „ fugientem, quando res in judicio quidem est „ recuperabilis, sed nonnisi magnis molestiis. " Lessius ibidem n. 70.

Non solùm licitum est defendere, defen„

„ sione occisivâ, quæ actu possidemus, sed e-
„ tiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ
„ nos possessuros speramus. Amicus ubi suprà
„ sect. 8. n. 130. Edit. Duac. 1642. Damnata per
Innocentium XI.

„ Licita quoque est occisio ejus, qui invadit res
„ meas per famulum, vel arte magicâ per dæmo-
„ nem, si aliâ ratione, quàm nece ipsius, non
„ possit impediri. Lessius ubi suprà n. 75.

„ Licitum est innocenti duellum ad vitam,
„ honorem, & res familiares in notabili quan-
„ titate tuendas, quando constat omninò inju-
„ stè & per calumniam actorem procedere, &
„ certum omninò est, fore ut innocens hæc
„ amittat, nec aliud sibi evadendi remedium
„ suppetat.... Atque optimè Bannez ait, lice-
„ re innocenti in his casibus acceptare & offer-
„ re duellum..... Imò benè Navarra..... ait,
„ teneri innocentem non acceptare duellum,
„ nec indicere, si potest, illum occultè occi-
„ dendo, id vitæ, honoris, rerum familiarium
„ periculum evadere. Quippe sic proprium pe-
„ riculum, in duello imminens, vitabit, &
„ peccatum actoris offerentis aut acceptantis
„ duellum. Sanchez l. 2. in Decal. c. 39. n. 7.

„ Acceptare duellum, & comparere in tali
„ loco, non est intrinsecè malum, sed quiddam
„ indifferens, quod benè & malè fieri potest. Cur
„ ergo, si justa causa subsit, qualis est honoris
„ æstimatio, non possit licitè fieri? Filiutius
tr. 29. c. 8. n. 145.

„ Pone hominem nobilem, ab alio provo-
„ catum ad duellum, qui, si illud recuset, non
„ censebitur recusare propter legem Dei (quia
„ se facilè projicit in alia peccata) sed propter
„ timiditatem: & ideò ab aliis despicietur, a-
„ pud quos semper erit inglorius; ex quo non
„ levia damna & incommoda sequerentur. Est
„ igitur quæstio, utrùm in hoc casu possit pro-
„ vocatus exire in locum condictum, non cum
„ absoluta voluntate pugnandi, sed cum con-
„ ditionata, si à provocatore priùs petatur in-
„ justè. Provocati autem absolutè voluntas est
„ tueri opinionem viri fortis, & depellere in-
„ famiam timiditatis; quæ objecta per se sunt
„ honesta, necessaria viro nobili ad degendam
„ vitam decorè inter suos, præcipuè militi, qui
„ ab exercitu censebitur esse gallina, & non vir.
„ Media autem, quæ elegit ad hunc finem, sunt
„ indifferentia.... nempe egredi in agrum, &
„ in eo inambulare. Quæ media honestantur ab
„ illo fine, &c. Hurtadus de Mendoza in
2. 2. to. 2. disp. 170. sect. 13. §. 106. &
seqq. multis hanc suam opinionem probare
satagens, & addens eam speculativè esse pro-
babilem, sed practicè valdè difficilem.

„ Vir equestris, ad duellum provocatus, po-
„ test illud acceptare, ne timiditatis notam a-
„ pud alios incurrat. Hurtadus apud Dianam
p. 5. tr. 19. resol. 59. Damnata est per Ale-
xandrum VII.

„ Potest etiam duellum offerre, si non aliter
„ honori consulere possit. Amadæus Guime-
nius tr. de charit.

Militi in exercitu licitum est duellum ac- "
ceptare, quando alioqui ab exercitu censebi- "
tur gallina, & non vir. " Hurtadus ibidem.

Id saltem verum est, quando officio, di- "
gnitate, Principis vel Ducis favore, ob igna- "
viæ notam excideret, nisi provocanti se siste- "
ret. " Layman l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 2. &
3. Petrus Hurtadus apud Escobar tr. 1. exam.
7. n. 96.

Duellum potest acceptari, & offerri, in "
temporalium bonorum defensionem, si non "
adest alia via tuendi. " Petrus Hurtadus ibid.

Qui inimicum necat, haud proditoriè di- "
citur occidere, si per insidias, aut à tergo "
percutiat. " Escobar tr. 6. exam. 4. n. 26.

Reconciliatus inimico, cum fidejussione de "
non occidendo, licèt posteà occiderit, frui- "
tur Ecclesiæ immunitate: quia non est dicen- "
dus absolutè proditoriè occidisse, nisi inter- "
cessisset arctior aliqua amicitia, simul come- "
dendo, alloquendo. " Escobar ibidem n. 56.

Licitum est procurare abortum, ante ani- "
mationem fœtûs, ne puella, deprehensa gra- "
vida, occidatur, aut infametur. " Herellus
in Prælectionibus suprà relatis, & alius So-
cietatis Theologus, apud Dianam p. 6. tr. 8.
resol. 37.

Non videtur illicitum, ob salutem matris, "
certò alioquin morituræ, directè abortum "
procurare, si fœtus nondum sit animatus. "
Tannerus to. 3. d. 4. de just. q. 8. dub. 4. n. 60.
Sanchez l. 9. de matrim. disp. 20. n. 9. & 10.
Henriquez, & alii.

Qui aliter nescit carnis tentationes superа- "
re, potest seipsum castrare, ut vel sic reddat "
suam salutem securam. " Caramuel Th. Fun-
dam. n. 1158. Edit. Francof.

En propositiones humanæ societati exitia- 9
les; en aberrationes; en præcipitia, in quæ
prolapsi sunt, qui visam sibi rationem natura-
lem sequi maluerunt quàm definita Majo-
rum. Judicent Sapientes, judicet Orbis, an
non jure Isidorus Peluslota *animales, spiritum
non habentes* suprà vocaverit eos, qui ideò
talia sequuntur opinamenta, quia ratiocina-
tionibus suis potiùs quàm Patrum sententiis
innituntur, atque ex sensu suo *se inventuros ar-
bitrantur id quod justum sit atque utile.* Nemo
proinde imposterùm miretur, si divina ab iis
præcepta luxentur, laxenturque qui per tri-
tam Majorum viam gradi dedignantes, plus
dialecticis, seu potiùs sophisticis ratiocinatio-
nibus suis, quàm Sanctorum deferunt autho-
ritati.

CAPUT II.

Solâ Dei authoritate hominem licet occidere.

DEmonstratur, quia solus Deus est domi- 10
nus vitæ hominis. Manifestum est autem
quòd sine authoritate domini rem ipsius de-
struere non licet. Unde Deuteronom. 3. Do-
minus dicit: *Ego occidam, & ego vivere fa-
ciam.* 1. Reg. 2. *Dominus mortificat & vivifi-
cat, deducit ad inferos, & reducit.* Sap. 13. *Tu
es Domine qui vitæ & mortis habes potestatem.*

CAPUT III.

Divinum præceptum, Non occides, *generale est; ab eo proinde nullas exceptiones facere licet, nisi quas ipsa fecit divina Authoritas; quæ cùm nonnisi tres exceptiones feciſſe legatur, alias facere non licet.*

11 QUòd à generali illo præcepto nullas exceptiones facere liceat, nisi quas divina fecit Authoritas, manifestum est, tum ex dictis præcedenti capite, quòd solâ Dei authoritate liceat hominem occidere. Tum ex dictis to. 1. Prolegom 2. ubi demonstravimus à generali Dei lege, ratione vel authoritate purè humanâ exceptionem fieri non posse.

12 Unde cùm nonnisi tres exceptiones divina Authoritas feciſſe legatur: primam scilicet lege generali, permittendo ut justa bella gerantur: secundam similiter lege generali, dando gladium publicæ potestati, ut malefactores Reipublicæ noxios occidat: tertiam jussione speciali, alicui vel aliquibus mandando, ut se vel alium interficiant: alias exceptiones facere non licet. Quisquis proinde extra hosce casus hominem occidit, homicidii crimine innectitur, uti docet Augustinus l. 1. de Civit. Dei c. 21. *Quasdam verò exceptiones eadem ipsa divina fecit Authoritas, ut non liceat hominem occidi.* Tres verò proximè dictas recenset: primam his verbis: *Nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est:* „Non occides, „ *qui Deo Authore bella gesserunt.* Secundam verbis immediatè sequentibus: *Aut personam gerentes publicæ potestatis, secundùm ejus leges, hoc est justissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt.* Tertiam proximè subjecit: *Et Abraham non solùm non est culpatus crudelitatis crimine, verùm etiam laudatus est nomine pietatis, quòd voluit filium nequaquam sceleratè, sed obedienter occidere.* Post quæ concludit: *His igitur exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.*

13 Quisquis ergo prætendit exceptionem à generali illa Dei lege, *Non occides*, huic incumbit probare, quòd exceptio illa contineatur in una ex tribus illis. Partim quia *ubi lex est generaliter lata, exceptio debet ab allegante probari*, ut communis est ac recepta Jurisperitorum, Canonistarumque regula, fundata in L. *de pretio* 8. ff. de public. in rem act. ubi dicitur, quòd lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda, quamdiù utique non probatur quòd restringatur per aliam legem specialiter loquentem. L. *in toto* ff. de reg. Jur. Generi enim per speciem derogatur. L. *servis urbanis* ff. de Fun. instr. Partim quia nisi probetur eam contineri in una ex illis tribus, probari non poterit ex Scriptura, vel Traditione. Per consequens probari non poterit eam divinâ fieri authoritate: cùm sola Scriptura sacra & Traditio divinæ sint authoritatis securi indices.

14 Enimverò si aliam exceptionem facere liceat, præter illas tres, quas divinâ factas esse authoritate constat ex verbo Dei scripto & tradito, ratione purè humanâ licebit à generali Dei lege excipere. Quod loco citato fieri non posse demonstravimus, & ipsâmet ratione probatur: utpote quæ dictat, à præcepto, *Non occides*, alias exceptiones faciendas non esse, nisi tres illas, quas divinâ authoritate factas esse per divinam Scripturam & Traditionem edocemur. Nam, ut præclarè discurrit eruditissimus Denuntiator doctrinæ RR. PP. Collegii Anglo-Leod. Soc. Jesu Denuntiat. XI. nisi hic limes figatur rationi humanæ, nusquàm ea pedem certò figet, & sensim ratiocinando progressa, ipsum tandem præceptum evertet, uti manifestum faciunt exorbitantes opiniones cap. 1. exhibitæ. Quarum Authoribus imprimis æquum & rationi consentaneum visum est, occidere injustum invasorem vitæ. Deinde ex hoc ipso idem concluserunt de invasore honoris, qui ipsis visus est charior vitâ. Ab invasore honoris, progressi sunt ad invasorem pudicitiæ; cujus invasor, invasor est honoris. Atque idipsum concluserunt de invasore bonorum temporalium, sine quibus vita commodè vel honorabiliter duci non potest. Ac sic tandem pullularunt tot illæ exorbitantes opiniones, de quibus proximè; Deo utique per eas manifestante, adeò erraticam esse rationem purè humanam, ut si semel ipsi permissum fuerit à generalibus Dei legibus exceptionem, in Scriptura vel Traditione non fundatam, facere, nihil in illis firmum permanebit, in hoc statu naturæ corruptæ, in quo *unusquisque, non ex regula veritatis, sed ex cupiditate & consuetudine metitur malum*, ut Augustinus dicit in l. de mendac. c. 15. Cupiditas verò, sicut & consuetudo, adeò rationem offuscat, ut, teste Ariâ Montano c. 29. non defuerint populi, qui diis suis annuè sacrificarent quinquaginta hominum millia, quibus id nedum honestum, sed & religiosum esse sua ratio humana dictabat; quæ proinde *obbrutescere* facit homines (ut loquitur Athanasius) dum in interpretandis, restringendisque generalibus Dei legibus judex assumitur.

15 Itaque à generali Dei præcepto, *Non occides*, rationi purè humanæ non magis concessum est exceptionem facere, quàm à generalibus aliis Dei præceptis. Cur enim non ab aliis, si ab illo? Cur Christianis Chinensibus licitum non sit cultum divinum exteriùs idolis exhibere, eum interiùs ad verum Deum dirigendo, quando aliter vita & bona servari non possunt, si in tali circumstantia invasorem injustum occidere liceat? Cur similiter Susanna permittere non potuit senibus usum corporis sui, præceptum, *Non mœchaberis*, intelligendo, *nisi mœchari necessarium sit ad mortem evadendam?* Cur præceptum de non edendis carnibus porcinis Machabæi cum ista exceptione glossari non potuerunt, *nisi necessarium sit ad vitam servandam?* Et sic de aliis.

At

16 At (inquis) præceptum, *Non occides*, naturale est. Ad rationis ergo naturalis judicium est referendum, quando liceat vel non liceat occidere. Rationabiliter proinde dicitur præcepto illo solùm prohiberi, ne quis occidat sine justa necessitate.

Respondeo, etiam præceptum de uno Deo colendo, de non mœchando, &c. naturale esse; ab eorum tamen generalitate rationem naturalem non posse excipere, nec illa sic glossare, ut non liceat idola exteriùs adorare, mœchari, &c. sine justa necessitate. Ergo similiter, &c.

17 Si dicas præceptum, *Non mœchaberis*, nullam pati exceptionem, uti patitur præceptum, *Non occides*.

Respondeo 1°. præceptum, *Non occides, sine divina authoritate*, nullam etiam pati exceptionem, ut constat ex dictis c. 2.

18 Respondeo 2°. si Deus vellet concedere alicui usum corporis uxoris alienæ (uti concedere potest de potentia absoluta) dominio non concesso, in illo casu præceptum, *Non mœchaberis*, exceptionem pateretur, hanc videlicet, *Non mœchaberis, sine divina concessione*. Nec tamen adhuc illo casu, à generalitate præcepti, *Non mœchaberis*, ratione naturali liceret excipere.

CAPUT IV.

Principibus & Magistratibus, in bello justo, licitum est hostes occidere, sicut & malefactores Reipublicæ noxios, etiam pro solo furto.

19 SUperiori capite demonstravimus, à generali præcepto divino, *Non occides*, non dari exceptionem ullam, nisi quam Deus ipse fecit; præceptum proinde illud sic glossari non posse, *Non occides, sine justa necessitate*, cujus judex sit naturalis ratio nostra, nec aliam admittere exceptionem, nisi comprehensam in una ex tribus ibi designatis; utique non occides nisi speciali Dei jussione, vel publicâ authoritate, duobus in casibus à Deo concessâ, scilicet in bello justo, & in legitima malefactorum Reipublicæ noxiorum punitione.

20 Quòd enim liceat se vel alium occidere, ex speciali Dei mandato, ad ipsum extraordinariè directo, constat ex Genes. 22. ubi Deus mandavit Abraham, ut filium suum Isaac offerret in holocaustum. Apostolus quoque Hebr. 11. inter eos qui fide probati sunt, laudat Sampsonem, qui se unà cum Philisthiim occidit. Et Ecclesia pro Martyribus colit eas, quæ, ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent, in fluvium sese projecisse leguntur. Quod factum Augustinus lib. 4. de Civit. Dei c. 26. non aliter excusat, nisi quòd id Spiritu sancto interiùs jubente fecerint: *Sicut* (inquit) *de Sampsone aliud nobis fas non est credere*, nisi utique *quòd Spiritus latenter hoc jusserat, qui per ipsum miracula faciebat*,

21 Quòd etiam in bello justo, publicâ authoritate, Principes, eorumque milites non peccent, dum hostem aggrediuntur & occidunt, constat ex divina Scriptura docente quòd Deo authore justa bella geruntur. Deo namque authore, Abraham Genes. 14. hostes aggressus est, ac devicit. Similiter Moyses, Josue, David, &c. ut constat ex Numer. 21. & 31. ac toto penè libro Josue, &c. Unde cùm à Joanne Baptista Luc. 3. milites quæsissent, quid sibi faciendum esset, ipsis non prohibuit militare; sed *neminem* (inquit) *concusseritis, nulli calumniam faciatis, sufficiat vobis stipendium vestrum*, prout Augustinus advertit ep. 205. l. 22. contra Faustum c. 74. &c.

Denique publicâ Principum ac Magistratuum authoritate facinorosos homines, Reipublicæ noxios, ex legum justarum præscripto occidi posse, & debere, & ad hoc potestatem ipsis à Deo datam esse, constat ex 2. Paralipom. 19. ubi pius Rex Josaphat Judicibus Juda: *Videte* (inquit) *quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed Domini*, vindices ab ipso positi in iram iis qui malè agunt, juxta illud Rom. 13. *Si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* A Deo ergo Principes & Magistratus gladii jus acceperunt ad punitionem & vindictam malorum, ita ut contra commissum sibi à Deo ministerium peccent, si malefactores dimittant impunitos, juxta illud 3. Reg. 20. *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius.* 22

Nec Scotus jure excipit fures: cùm nec Scriptura excipiat, nec Traditio, & ratio propter quam Deus potestatem illam Magistratibus tribuit, etiam in furibus procedat. Cur enim alios malefactores à Magistratibus occidi voluit, nisi quia Reipublicæ noxii sunt, & amputandum est membrum toti corpori noxium ad salutem totius. At etiam fures Reipublicæ noxii sunt. Unde bonus latro in cruce confessus est se digna factis recepisse, & Deus Josue 7. jussit occidi Achan, ob furtum laminæ aureæ, uti dicitur ibi versu 11. observatque Imperfectus in Matth. homil. 41. 23

At, inquit novissimus Scoti defensor, Bonaventura Baro, in suis Ethicis Apolog. 5. act. 7. in Synagoga fures morte non plectebantur, sed mulctâ, ut patet Exodi 22. *Si quis furatus fuerit ovem, vel bovem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno restituet, & quatuor oves pro una ove.* Atqui in lege Evangelica, quæ dulcedinis est, duriùs puniri non debent, quàm in lege Mosaïca. Nec id justitia permittit, quia in justa punitione servanda est æqualitas inter pœnam & culpam; non servatur autem, dum bonum superioris ordinis, scilicet vita, aufertur pro bono inferioris ordinis, v. g. pecunia. 24

Respondeo 1°. etiam Synagogæ tempore fures & latrones morte mulctatos fuisse, ut constat in Achan, & in latronibus cum Domino crucifixis.

25 2°. olim quidem mitiùs actum fuisse cum furibus, quando tanta nondum erat furum multitudo; sed ex quo per experientiam comprobatum fuit, quòd nisi occiderentur, totus Orbis furibus impleretur, & ab ipsis turbaretur, morte mulctati fuerunt. Et sic habet praxis totius Orbis Christiani, quæ sine temeritate condemnari non potest.

26 3°. dum Magistratus suspendit furem, non considerat rem furto sublatam præcisè, sed Reipublicæ tranquillitatem, & humanam societatem ab ipso violatam. Et ideò justa est ipsius occisio. Satius est enim furem mori, quàm Reipublicæ pacem, & humanæ societatis securitatem violari. Sic dum miles in exercitu, ob gallinam contra Principis Edictum furto sublatam morti traditur, non traditur ob gallinam præcisè, sed ob violatam militarem disciplinam, cujus exacta observantia majoris est momenti, quàm privati militis vita.

CAPUT V.

Non est licitum privatâ authoritate occidere injustum invasorem vitæ.

27 EST communis doctrina Sanctorum, &, ut nobis videtur, est Evangelica, est Apostolica, est Christiana. Eratque multorum Scholasticorum sæculo duodecimo, uti testatur Alanus Magnus de Insulis, cognomento *Doctor Universalis* (qui eo sæculo scripsit) hisce verbis: *Multorum opinio est, non licere homini occidere hominem, ne ab eo occidatur.* Hanc esse S. Thomæ paulò post ostendemus. Est etiam Augustini de Ancona in l. de potest. Eccles. q. 52. a. 3. Hugonis & Richardi de S. Victore, Glossæ, Accurtii, Gersonis, Tostati Episcopi Abulensis p. 2. commentar. in Evang. Matth. c. 5. q. 105. Amaini apud Salonium hîc. Denique è Recentioribus est Eminentissimi Cardinalis Norisii in Vindiciis Augustinianis c. 4. §. 11. Francisci Geneti Episcopi Vasionensis in sua Th. Mor. Gratianopolit. to. 6. c. 1. n. 4. Eminentissimi Cardinalis Le Camus, Episcopi Gratianopolitani in approbatione illius, declarantis nihil in ea se inveniisse nisi solidum, & consonum doctrinæ, quæ est secundùm pietatem. Neesen in Supplemento de just. tr. 3. q. 2. dub. 4. Van Roy to. 3. c. 6. q. 9. pluriumque aliorum Doctorum Lovaniensium, Augustinianorumque.

28 Et probatur 1°. ex generali præcepto, *Non occides*, quo omnis prohibetur occisio hominis, præter eam quæ fit vel speciali Dei jussione, vel publicâ authoritate, ut constat ex dictis cap. 3. Ergo prohibetur occisio injusti invasoris vitæ, privatâ authoritate. Nec verò publicam occidendi authoritatem Deus concessisse legitur privatis hominibus, sed solis Principibus, Magistratibus, eorumque Ministris, jussa ipsorum exequentibus. Igitur privatis hominibus, sine jussu Principis, vel Magistratûs, injustum vitæ invasorem occidere non licet.

Non me præterit, Estium asserere, quòd 29
qui injustum vitæ suæ invasorem occidit, dum aliter evadere non potest, publicâ authoritate id facit, tamquam minister publicæ justitiæ constitutus lege naturali & positivâ. Cùm vim vi repellere jura omnia permittant.

Sed mallem hoc à decem Casuistis dictum, quàm ab uno Estio, quia prorsus incredibile est. Neque enim asseri potest publicam ad hoc authoritatem cuilibet à Deo esse concessam: cùm hoc ex verbo Dei scripto vel tradito probari nequeat, nec satis probetur ex hoc quòd vim vi repellere jura omnia permittant, uti posteà videbitur.

Multò minùs asseri potest, publicam ad 30
hoc authoritatem cuique concessam esse à Republica. Cùm eam Respublica concedere non possit. Quia (ut benè doctissimus Denuntiator n. 14. laudatus) sic quemvis privatum, etiam ineptissimum, eo tempore quo ratio in ipso turbatissima est, in causa propria, eaque sanguinis, non solùm Judicem constitueret, sed & Testem, & Executorem, ut, absque ulla juris forma, primùm quidem judicaret, se ab Adversario suo injustè ad mortem invadi; deinde aliter se quàm illum occidendo evadere non posse. Tum illum esse reum mortis. Postremo, ipsum inauditum, nedum convictum, nullâ exceptionis aut appellationis factâ copiâ, nullo spatio dato quo se ad mortem præparet, à se, tamquam publicæ justitiæ executore, esse occidendum.

Subinde quidem à Republica conceditur, 31
ut malefactores quidam à quovis privato occidantur. Sed tunc publicæ potestatis judicium præmitti necesse est, quo constet malefactores illos de crimine esse legitimè convictos, ad mortemque à quovis privato inferendam damnatos. Cui nihil simile in occisione invasoris vitæ, qui à nulla potestate publica de crimine convictus, vel condemnatus, imò ne citatus quidem, vel auditus, solo illius, qui invaditur, arbitrio interficitur. Quod prorsus improbat S. Thomas q. 64. a. 3. ad 2. dicens, quòd homo *indiget judicio publico, ut discernatur, an sit occidendus propter salutem communem.* Et a. 5. ad 3. *Malefactorem occidere non licet, nisi per judicium publicæ potestatis.* Hactenùs vir ille doctissimus.

Probatur 2°. ex præcepto quo jubemur 32
proximos diligere, etiam inimicos; adeòque ipsos injustos vitæ nostræ aggressores, ipsisque benè velle & benefacere. *Audistis* (inquit Salvator Matth. 5.) *quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* Cui conformiter Apostolus Rom. 12. *Benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere..... nulli malum pro malo reddentes.* Et quousque se extendere debet illa proximorum, etiam inimicorum, & invasorum nostrorum

dilectio ? Dilectus Domini Discipulus 1. Joan. 3. explicat dicens : *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quia scilicet *hoc est præceptum meum* (inquit Christus Joan. 15.) *ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Sic autem ipse dilexit nos, ut animam suam pro nobis, etiam inimicis, posuerit. Et nos ergo debemus pro fratribus, etiam inimicis, animas ponere, etiam dum injustè nos invadendo, seipsos damnationis periculo sponte exponunt. Nam & Christus pro talibus animam suam posuit, & Augustinus l. 1. de doctr. Christ. c. 30. dicit, *nullum exceptum esse, cui misericordia denegetur officium, quando usque ad inimicos etiam porrectum est, eodem Domino dicente : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.*

33 Parum ergo Christianum est quod plerique Adversarii dicunt, *non teneri nos cum periculo mortis subvenire ei qui sponte exponit se periculo damnationis.* Non enim licet ipsis privatâ authoritate allatum Christi præceptum sic restringere ; cùm generale sit, & absque discrimine ullo, vel exceptione, jubeat, ut proximum (etiam inimicum) diligamus, sicut Christus dilexit nos : atque insuper jubeat pro fratribus, etiam inimicis, & invadentibus nos, animas nostras ponere : quia nullos excipit, & Christus etiam pro inimicis & invasoribus suis, uti dixi, animam suam posuit. Et quinam magis indigent, ut consulatur saluti ipsorum, quàm illi, qui sponte se damnationis periculo exponunt, nos injustè persequendo ? Nec tamen à præcepto illo charitatis excepti sunt injusti persecutores nostri, Imò ne quis hoc crederet, Matth. 5. Christus dixit : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Et Apostolus : *Benedicite persequentibus vos, &c.* Non quòd semper pro improbis, sese damnationis periculo sponte exponentibus, mortem subire nos oporteat, vel illius periculo nos exponere (nec enim oportet, ubi nulla salutis ipsorum spes affulget ;) sed quòd istud charitatis officium ipsis eo prætextu subtrahendum non sit, quòd seipsos periculo damnationis sponte exponant : cùm tunc proximus tantò magis sit miser ; tantò proinde magis oporteat nos illi præstare officia charitatis & misericordiæ. Tunc proinde maximè urgeat istud charitatis & misericordiæ præceptum, *debemus pro fratribus animas ponere.* Quod proinde tunc maximè obligat, dum certum est periculum damnationis proximi, & certa salus propria. Atqui certum est periculum damnationis proximi, si occidatur, dum injustè, adeòque in ipso actu mortalis peccati, nos vult occidere ; certa quoque est salus propria, si pro salute ipsius animam suam ille ponat, qui invaditur. *Majorem* enim *hat dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Joan. 15. Talis proinde de sua securus est salute : utpote de maxima certus charitate, quæ operit multitudinem peccatorum.

Probatur tertiò : quia dum Christus præcipit, 34 ut proximos, etiam inimicos, etiam proinde nos actu persequentes, & vitam nostram invadentes diligamus, præcipit, ut ipsis benè velimus, & benefaciamus : *omnis* quippe *dilectio benevolentiam quamdam habet erga eos qui diliguntur* (inquit Augustinus tr. 8. in cap. 4. epist. Joan.) Unde & Christus quasi explicans id quod dixit : *Diligite inimicos vestros*, statim subjungit : *Benefacite his qui oderunt vos* ; & Apostolus : *Benedicite persequentibus vos.* Tenetur ergo is qui ad mortem invaditur, benè velle, & benefacere invasori suo, quàmlibet injusto. Et quid ipsi velle & optare debet ? *Opta illi, ut habeat tecum vitam æternam*, ait Augustinus ibidem. Si ad hoc tenetur : ergo non potest ipsum in ipso actu peccati mortalis voluntariè occidere. Manifestum est enim quòd ipsum in tali statu voluntariè occidere, non sit ipsum diligere, non sit ipsi vitam æternam optare, non sit ipsi benè velle, non sit ipsi benefacere, imò potiùs sit ipsum in infernum præcipitare, tempus ipsi salutis & pœnitentiæ auferendo.

Probatur quartò ex Matth. 5. *Ego autem dico vobis, non resistere malo ; sed siquis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Et Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes..... non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ.... Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Quibus verbis præceptum contineri, Augustinus agnoscit ; sed epist. 138. aliàs 5. ad Marcellinum dicit *ista præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intùs est, pertinere, quàm ad opus quod in aperto fit, ut teneatur in secreto animi patientia, cum benevolentia ; in manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse posse, quibus benè velle debemus.* Istis itaque præceptis jubemur talem in corde patientiam erga percussores & aggressores nostros semper retinere, cum benevolentia, ut non solùm non velimus ipsis malum pro malo reddere, sed etiam ipsis malum nobis inferentibus illud bonum debeamus velle, quod ipsis ad salutem prodesse judicamus. Atqui certissimum est quòd nunquam judicemus, nec judicare possimus ipsis ad salutem prodesse, quòd ipsos in actu peccati mortalis, æternùm proinde damnandos occidamus. Ergo contra præcepta illa certissimè facit, quisquis hoc vult, & facit. 35

Probatur qnintò ex Matth. 26. ubi Christus, 36 circumdatus ab iis qui ad ipsum comprehendendum, & morti tradendum venerant, non solùm non permisit Petro, ut gladio uteretur ad ipsius defensionem, sed & ipsum gladio utentem, eoque percutientem servum Principis Sacerdotum reprehendit, dicens : *Converte gladium tuum in locum suum : omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quod Joannes explicans Apocalyps. 13. dicit : *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia & fides Sanctorum.* Verbis il-

lis Sancti utuntur ad probandam veritatem assertionis nostræ: siquidem Augustinus in qq. ex utroque Testamento mixtim q. 104. ex illis infert, *quòd nulli licet, excepto Judice, quemquam gladio occidere. Apostolo autem Petro usque ad hoc permissum est, ut dolorem faceret, non quòd occideret. Ob hoc enim audivit, ne iterum percuteret.* Dicit præterea *quia Christianis jam factis occidere non licet.* Similiter Ambrosius proximè referendus sententiam illam Christi apertam & evidentem esse dicit pro eadem veritate.

37 Probatur sextò: quia Spiritum Christi habere debet omnis Christianus, Paulo attestante: *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Sed Spiritum Christi non habet, qui saltem earenùs Christi non imitatur patientiam, ut malit occidi, quàm injustum vitæ suæ invasorem occidere. Istud namque exemplum nobis reliquit Christus, ut in eo ipsum imitemur. Propterea quippe dixit: *Ego sum via*, &c. ut sequamur vestigia ejus, juxta illud 1. Petr. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus..... qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injustè.*

38 Septimò probatur ex communi traditione sanctorum Patrum, Evangelica, Apostolicaque Oracula illa ad sensum assertionis nostræ intelligentium, exponentiumque; quem proinde sensum usque adeò oportet agnoscere velut legitimum, ut contra eum illa non liceat interpretari; vetat enim Tridentinum sess. 4. ne quis *suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, S. Scripturam.... contra unanimem consensum Patrum..... interpretari audeat.*

39 Porrò quòd communis traditio sanctorum Patrum sacra Oracula illa sic interpretetur, videri potest in Tertulliano lib. de patientia c. 10. & in Apologetico. Cypriano epist. 56. & 57. Lactantio divin. Instit. l. 6. c. 20. Basilio epist. can. c. 55. Primasio in epist. ad Rom. c. 12. Cyrillo l. 11. in Joan. c. 12. Ambrosio l. 3. offic. c. 4. Augustino l. 1. de Civit. Dei c. 21. epist. 47. aliàs 154. Necnon epist. 204. aliàs 82, L. 1. de lib. arb. c. 5. S. Hildeberto epist. 90. Bernardo de præcept. & dispens. c. 7. & tr. de nova militia c. 1.

40 Sufficiet nonnullorum ex ipsis verba referre. Tertullianus in Apologet. sic habet: *Apud istam disciplinam* (Christianam) *magis occidi licet, quàm occidere. Christus exarmato Petro omnem Christianum discinxit.*

41 Cyprianus epist. 56. Christianis *occidere non licet* persecutores vitæ ipsorum, *sed occidi necesse est.* Epist. 57. addit, eos nec *repugnare contra impugnantes: cùm occidere innocentibus nec nocentem liceat.*

42 Ambrosius: *Quærunt aliqui, si sapiens in naufragio positus, insipienti naufrago tabulam extorquere possit... Mihi... non videtur, quòd vir Christianus, & justus, & sapiens, quærere sibi vitam alienâ morte debeat: utpote qui, etsi in latronem armatum incidat, ferientem referire non possit; ne dum salutem defendit, pietatem contaminet. De quo in Evangelii libris aperta & evidens sententia est:* "Reconde gladium "tuum: omnis enim qui gladio percusserit, "gladio ferietur. "*Quis latro detestabilior, quàm persecutor, qui venerat ut Christum occideret?* Totus contextus manifestè agit de repercutiente ex defensionis necessitate, *ne dum salutem defendit*, &c.

Augustinus, ut suprà vidimus, præcepto, 43
Non occides, vetitam asserit omnem hominis occisionem, exceptâ eâ quæ speciali sit Dei jussione, vel publicâ authoritate. Unde lib. 3. de lib. arb. dicit, eos à peccato non esse liberos, qui pro his rebus, quas contemni oportet (inter quas ponit corporis vitam) humanâ cæde polluuntur: *quomodò enim apud* divinam providentiam *sunt isti à peccato liberi, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti sunt?*

Bernardus tr. de nova militia c. 1. *Est qui* 44
nec ulciscendi zelo, nec vincendi typo, sed TANTUM EVADENDI REMEDIO *interjecit hominem. Sed ne hanc quidem bonam dixerim victoriam: cùm de duobus malis, in corpore quàm in anima mori levius sit.* Talem ergo *in anima mori* pronuntiat.

Octavò probatur ex jure canonico. Siqui- 45
dem Nicolaus Papa, can. *de his Clericis* dist. 50. sic loquitur: *De his Clericis, pro quibus consuluisti, scilicet qui se defendendo Paganum occiderunt, si postea per pœnitentiam emendati, possint ad gradum pristinum redire, aut ad altiorem conscendere: scito nos nullam occasionem dare, nec ullam tribuere eis licentiam, quemlibet hominem* (etiam injustum vitæ invasorem) *quolibet modo* (nec ergo in sui defensionem) *occidendi*; (quam tamen Clericis usque adeò concedunt Adversarii, ut Darellus in Thesi anno 1700. in Collegio Anglo-Leodiensi Soc. Jesu defensa dicat eam à Casuistis communiter concedi Clericis & Religiosis *in omni loco, etiam in Ecclesia*, etiam in altari, si ibi celebrans invadatur, *ita quòd celebrans, si aliter evadere non potest*, ibi possit *se defendere, & occidere..... Et si..... occiderit.... reassumpto officio celebrare*; sed non ita Pontifex: sequitur enim) *verùm si contigerit, ut Clericus sacerdotalis Ordinis Paganum occiderit, multùm sibi consulit, si ab officio sacerdotali recesserit; satisque est illi, in hac vita Domino, sub inferiori habitu, irreprehensibiliter famulari, quàm alta indebitè appetendo, damnabiliter in profundum demergi.* Clerici ergo pœnitentiæ subjiciebantur pro tali occisione, & ne post pœnitentiam quidem poterant in suo gradu, nisi damnabiliter ministrare. Unde cùm Ivo, Carnotensis Episcopus, Sacerdotem (qui injustum vitæ suæ invasorem pro sui defensione occiderat) *pro isto delicto* per septennium ab officio Dominicæ mensæ

suspendisset, & à S. Hildeberto Archiepiscopo Turonensi quæsiisset, an post pœnitentiam istam ad sacrum officium redire posset: S. Hildebertus epist. 90. sic ipsi respondit: *Non videtur Sacerdotem, reum sanguinis* (ipsum ergo censuit reum sanguinis) *oportere deinceps ministrare, quamvis tuendæ salutis necessitate homicidium occurrerit.* Datque pro ratione sententiam Ambrosii n. 42. relatam, quòd *vir Christianus, sapiens & justus, quærere sibi vitam alienâ morte non debeat*, &c.

46 Quid plura? Isaac Episcopus Lingonensis, inter Canones ex Decretis duorum Conciliorum à se collectos, atque à Zacharia Papa confirmatos, tit. de homicidiis can. 13. hunc refert: *Siquis quietè gradiens per viam, aut si etiam in domo sua fuerit, aut in platea civitatis, aut in villa, subitò ab alio superventus.... volens se defendere, non habens contra illum antè odium, interfecerit hominem; septem annis secundùm canonicam institutionem pœniteat* (graviter ergo peccasse censebatur) *tres verò communione privetur*, &c.

47 Nonò probatur ex S. Thoma, cujus doctrinam, doctrinæ SS. Patrum consonam esse probant argumenta sequentia.

Imprimis 2. 2. q. 64. a. 7. ad quæstionem, *utrùm liceat alicui occidere aliquem se defendendo?* Respondet: *Quia occidere hominem non licet, nisi publicâ authoritate, propter bonum commune..... illicitum est quòd homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam authoritatem.* Igitur cùm publicam authoritatem non habeat homo privatus, ipsi non licet se defendendo occidere hominem, nec id intendere, ut seipsum defendat. Idem repetit q. 65. a. 1. ad 2. *Privare aliquem vitâ, in nullo casu pertinet ad aliquem, nisi ad publicam potestatem, cui committitur procuratio boni communis.*

48 Deinde S. Doctor in priori loco probat, *illicitum esse, quòd homo intendat occidere hominem ut se defendat, nisi habeat publicam authoritatem.* Hoc (inquam) probat, *quia occidere hominem non licet nisi publicâ authoritate*, non propter bonum privatum, sed *propter bonum commune.* Et ideò in posteriori loco ait, id *nullo casu pertinere nisi ad publicam potestatem, cui committitur procuratio boni communis.* Non solùm ergo dicit esse illicitum id intendere, sed & facere. Enimverò si id facere liceret, liceret intendere. Cur enim non liceret intendere quod facere licitum est? Si, ut defendam meipsum, velle & intendere possim gladio vel sclopeto cor transfigere, seu aliam actionem ponere, cui occisio inseparabiliter conjuncta est: igitur velle & intendere possum ipsius occisionem, saltem indirectè & interpretativè. Quisquis enim directè vult ponere actionem, cui occisio inseparabiliter conjuncta est, occisionem vult, saltem indirectè & interpretativè.

49 Denique, postquam S. Doctor articulo illo 7. resolvit, illicitum esse occidere hominem ad vitæ suæ defensionem, ulteriùs non quærit an licitum sit occidere ad defensionem honoris, vel bonorum fortunæ; eò quòd utique de iis quæstio superesse non poterat, postquam jam resolverat id ne quidem licitum esse ad defensionem vitæ. At si articulo illo 7. resolvisset id esse licitum ad defensionem vitæ, ulteriùs inquirere debuisset, an etiam licitum ad defensionem honoris, & bonorum fortunæ? Cùm ergo nihil existimaverit de iis ulteriùs inquirendum, signum est articulo illo 7. resolvisse id ne ad vitæ quidem defensionem esse licitum.

Per consequens dum eodem art. 7. dicit ad 50
evitandam occisionem alterius prætermitti non debere actum moderatæ tutelæ, ex quo sequitur occisio alterius: loquitur de actu moderatæ tutelæ, ex quo sequitur occisio invasoris omninò præter intentionem se defendentis, sollicitè caventis actum per se lethalem infligere, licèt subinde contingat, quòd dum hoc sollicitè cavet, nec cor ferire vult, sed brachium, præter intentionem feriat cor, adversario vel ultrò in gladium incurrente, vel à brachio gladium repellente. Hunc quippe sensum probant argumenta n. 48. & 49. deducta, sicut & solita S. Doctoris consonantia cum unanimi doctrina SS. Patrum.

Postremò non deest ratio duplex, præmissa 51
confirmans. Prima, quòd homo Christianus, juxta ordinem charitatis, teneatur vitam suam corporalem postponere vitæ & saluti spirituali proximi, etiam inimici & aggressoris sui; per consequens, in sui defensione, teneatur id præterm ittere, ex quo scit salutem æternam proximi irremediabiliter amittendam, prout docent Augustinus & Thomas suprà laudati.

Secunda ratio: quòd lex divina prohibeat amorem tenacem earum rerum quas inviti possumus amittere; adeòque ipsius etiam vitæ corporalis, quam profectò tenaciter amare convincitur, qui eam tueri vult per crudele illud medium, quo vitam æternam, simul cum corporali, proximus irremediabiliter amittit, culpâ quidem suâ, sed culpâ etiam taliter vitam suam corporalem tuentis: utpote pro re, quam contemnere debebat, humanâ se cæde polluentis. Si enim in ipsum sæviebat inimicus, ipsius equidem misereri debebat: *cùm nullus excipiatur, cui misericordiæ denegetur officium*, juxta præceptum Domini: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Itaque in hoc Dei præcepto nullum prorsus expertem fieri oportet* (inquit Lactantius loco citato) *quin occidere hominem privatis hominibus semper sit nefas.*

CAPUT VI.

Solida responsio ad argumenta contraria.

OBjicies 1°. id quod Exodi 22. dicitur: *Si* 52
effringens fur domum, sive suffodiens inventus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis: quòd si

orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.

Respondeo, ex toto contextu istius & præcedentis capitis constare, quòd lex illa non spectet nisi ad forum externum, Judicesque fori externi instruat, non ut statuant quid coram Deo sit, vel non sit peccatum (hoc enim ad ipsos non pertinet) sed quid in foro externo punire, vel impunitum in tali vel tali genere relinquere debeant. Unde summarium capitis præcedentis est istud: *Præcepta judicialia quoad emptitios servos, & ancillas, furta, homicidia, &c.* summarium verò capitis objecti: *Furti, damnique illati pœna, depositi, commodati, conducti atque stupri lex*, pœnalis scilicet, & judicialis, ut manifestum est ex textu. Hoc ergo cap. 22. Exodi decernitur, *quod in legibus* antiquis *sæcularibus, quibus tamen ista est antiquior, invenitur: impunè occidi furem nocturnum quoquo modo; diurnum autem, si se cum telo defenderit*, ait Augustinus q. 84. super Exod. Ex eo verò quòd leges antiquæ sæculares, & lex illa Exodi permittunt furem nocturnum occidi impunè, quoquo modo occidatur, consequens non est eum occidi sine peccato, coram Deo. Aliàs sine peccato occideretur, non servato moderamine inculpatæ tutelæ. Cujus oppositum est certissimum.

53 Objicies 2°. caput *si perfodiens* 3. de homicidio, ubi dicitur, *non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occidatur.*

Respondeo totum istud caput esse contextum ex laudata lege Exodi 22. antiquisque legibus sæcularibus, junctâ interpretatione proximè recitatâ ex Augustino. Unde manifestum est non pertinere ad forum internum, sed ad externum dumtaxat.

54 Objicies 3°. caput *significasti* ibidem, ubi Innocentius III. dicit, quòd *vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittant.*

Respondeo, ex eo quòd permittant vim vi repellere, non sequitur quòd permittant occidere: cùm occidens non solùm vim vi repellat, sed etiam invadentem invadat. Et hoc est quod ibidem Pontifex insinuat, dicens, quòd *quamvis vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittant; quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam, non videtur idem Sacerdos à pœna homicidii penitùs excusari: tum ratione instrumenti, cum quo ipse percussit, quod cùm grave sit, non solet levem plagam inferre: tum ratione partis, in qua fuit ille percussus, in qua de modico ictu quis lethaliter solet lædi.* Quibus verbis Pontifex probat, à Presbytero illo moderamen non esse servatum, ex eo quòd voluerit occidere, dum voluit tali instrumento in capite percutere.

55 Objicies 4°. caput *si verò* de sent. excom.

Sed frustrà: quia ibi solùm dicitur, excommunicatum non esse, qui *Clericum vim sibi inferentem vi repellit, vel lædit.* De occisione nihil.

Objicies 5°. Clementinam *si furiosus* cap. 56 un. de homic.

Sed etiam frustrà: quia ibi solùm dicitur quòd *irregularitatem* non incurrat, qui mortem aliter evadere non valens, suum occidit vel mutilat invasorem. Ex eo verò quòd vitæ suæ invasorem occidens non incurrat irregularitatem, vel excommunicationem, nec puniatur in foro externo, consequens non est quòd non peccet in foro interno, ut suprà dixi. Quòd enim peccet, apertè colligitur ex Canonibus n. 45. & 46. allegatis.

Objicies 6°. authoritatem S. Thomæ q. 57 64. a. 7. dicentis: *Si moderatè quis violentiam repellat, erit licita defensio. Nam secundùm jura vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec est necessarium ad salutem, ut hunc actum moderatæ tutelæ prætermittat, ad evitandam occisionem alterius: quia plus tenetur homo vitæ suæ providere, quàm alienæ.*

Respondeo, verissimum esse quòd ad evitandam occisionem casualem alterius prætermitti non debeat actus moderatæ tutelæ; sed actus non est moderatæ tutelæ, si occisio alterius sub propriæ defensionis prætextu intendatur. Et ideò eam ad sui defensionem intendere non licet, nec proinde gladio vel scloperto directè impetere cor injusti aggressoris; sed necesse est omne studium adhibere, ne ictus lethalis aggressori voluntariè infligatur. Quo observato, etsi invasus prævideat, quòd se defendendo, fortè continget quòd invasor fortè in gladium incurret, vel dum invasus brachium ferire vult, cor præter intentionem feriat; non ideò debebit necessariam illam sui defensionem prætermittere: quia tunc occisio invasoris, præter intentionem contingens, ipsi non imputabitur. Et sic intellecta sancti Thomæ doctrina, optimè secum ipsâ cohæret, sicut & cum unanimi doctrina laudatorum Patrum. Quos inter vel unus, v. g. S. Augustinus, integræ legioni juniorum Casuistarum sine dubio est præferendus. Sequantur proinde ipsi suos Guimenios, Pirotios, Baunios, Tamburinos, Escobarios, Gobatios; gloria nostra hæc est, sequi potiùs Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, &c. Imò & ipsam Veritatem, jubentem ut benè velimus & benefaciamus persequentibus & invadentibus nos. Certè enim non est ipsis benè velle & benefacere, ipsos voluntariè occidendo in infernum mittere.

CAPUT VII.

Multò minùs occidere licet injustum invasorem bonorum temporalium.

ITa Theologi & Canonistæ tenebant anno 58
1510. uti testatur Joannes Briardus, sacræ Theologiæ Doctor & Procancellarius Lovanienſis, quodlib. 7. Illustrissimus quoque Fagnanus ad cap. *interfecisti* de homicid. *Secundùm Canones* (inquit) *in foro saltem pœnitentiali, & quoad Deum, absolutè credimus, non posse Laicum*, multò minùs Clericum, *sine*

sine peccato occidere spoliatorem. Et hanc esse dicit *communem Canonistarum sententiam.* Est etiam communis Legistarum apud Dianam p. 8. tr. 7. resol. 47. Ex Theologis, præter Alensem & Scotum, qui ipsi etiam publicæ potestati negant licitam occisionem furis, præcisè talis, præter Tabienam quoque, Gersonem, Augustinum de Ancona, Tostatum, &c. assertionem nostram tradunt Lovanienses & Augustiniani passim, Vulpes Scotista, Merbesius, Genetus, Joannes Baptista Du Hamel, Neesen, Leonardus Van Roy, Nicolaus Du Bois, &c.

59 Probaturque 1°. quia occidere proximum pro defensione rerum temporalium est contra præceptum, *Non occides*: utpote quo generaliter prohibetur hominem occidere sine divina authoritate, quæ nullibi legitur concessa privatis hominibus pro temporalium suorum defensione: maximè cùm ipsis ne quidem concessa sit pro vitæ suæ defensione, uti vidimus præcedenti capite.

60 2°. est etiam contra præceptum, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: utpote quo jubemur postponere temporalia nostra vitæ proximi, sicut temporalia nostra postponimus vitæ propriæ. Illis namque verbis dilectio ordinata præcipitur, juxta illud Cantic. 1. *Ordinavit in me charitatem.* Ordinata verò dilectio postulat, ut proximum plus diligamus quoad bona superioris ordinis, vitam scilicet corporis, & salutem æternam, quàm nos ipsos quoad bona inferioris ordinis, bona utique fortunæ, uti docent Augustinus l. 1. de doctr. Christ. c. 27. & S. Thomas 2. 2. q. 26.

61 Nec dici potest hoc solùm procedere in casu necessitatis in qua proximus seipsum juvare non possit: cùm juxta Evangelium procedat etiam dum proximus actu est inimicus, & juxta Augustinum, dum nos invadit; etiamsi seipsum juvare queat, ab inimicitia & invasione cessando. Dicit enim Evangelium: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos*; idque adeò generaliter, ut Augustinus loco citato cap. 30. dicat, *nullum excepturn esse, cui misericordiâ denegetur officium.* Et exposit. in Epistolam B. Joan. tr. 8. *Ne pigri sitis diligere inimicos. Sævit in te homo ille, tu deprecare. Ille odit, tu miserere... Sed persequitur rem tuam, tollit tibi nescio quæ habes in terra... Opta ut ille sanetur.* Tenemur ergo diligere inimicum temporalia nostra invadentem, tenemur illi benefacere, tenemur illi misericordiæ officium præstare. Ergo tenemur temporalia potiùs nostra amittere, quàm ipsum occidere, ne in æternum pereat, occisus in mortali crimine. Manifestum est enim, quòd ipsum tali in statu occidere, non est ipsum diligere, non est ipsi benefacere, non est ipsi misericordiæ officium præstare, non est optare ut sanetur, imò sanationis ipsi tempus auferre.

62 3°. proinde est contra præceptum Salvatoris Matth. 5. *Ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*, in præparatione scilicet animi, ita ut potiùs parati simus temporalia ista ei dimittere, quàm ipsi malum longè majus inferre, sive directè, sive indirectè, ut sic à nobis *teneatur in secreto animi patientia, cum benevolentia; in manifesto autem id fiat, quod eis ad salutem videtur prodesse posse, quibus benè velle debemus*, prout Augustinus explicat suprà n. 35. Ipsum verò occidere in mortali crimine, non potest ipsi prodesse: cùm sit ipsum in æternum perdere.

4°. est contra præceptum Domini Eccli. 29. *perde pecuniam propter fratrem.* Nam prorsus oppositum faciunt, qui propter pecuniam conservandam perdunt fratrem. 63

5°. est contra præceptum Christi: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Sic enim dilexit nos, ut animam suam pro nobis posuerit. Et ideò etiam *nos debemus pro fratribus animas ponere.* 1. Joan. 3. Multò ergo magis debemus bona temporalia pro fratribus ponere, sive amittere, ne æternùm pereant. 64

6°. est contra præceptum quo Deus Genes. 9. generaliter, & absque exceptione invasoris temporalium, dixit: *Quicumque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis ipsius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.* 65

7°. est contra præceptum Exodi 22. ubi occisor furis diurni dicitur reus mortis, quia *homicidium perpetravit.* 66

8°. est contra primum maximumque mandatum, quo sic jubemur ex toto corde, &c. diligere Deum, ut nihil extra Deum, sive nullam creaturam, nulla proinde temporalia bona diligamus tenaciter, & propter se, sed dumtaxat propter Deum, & secundùm beneplacitum voluntatis ipsius, uti to. 1. demonstravimus. Est autem beneplacitum divinæ voluntatis, ut *qui* bona temporalia *possident, tamquam non possidentes sint*, id est non plus illis afficiantur, seu per affectum inhæreant, quàm si ea non possiderent, nec plus turbentur & inquietentur ob jacturam eorum, quàm turbentur & inquietentur ob jacturam bonorum quæ non possident, sed possidentur ab aliis. Imò sic animo dispositi ac præparati esse debent, atque in tanta indifferentia constituti, ut, nisi aliunde impedirentur, parati essent non solùm non resistere ea auferenti, sed & ultrò ei plura dare, juxta præceptum Christi suprà n. 62. 67

Pauci quidem (fateor) Christiani in christiana illa sunt dispositione; sed propter multitudinem ea in re delinquentium leges suas Deus non relaxat, nec vim obligandi Evangelium amittit. 68

Verùm-enimverò quàm ab ea dispositione cæteris longiùs remoti sunt illi, qui pro bonorum terrenorum conservatione non verentur proximo ea invadenti vitam corporis, ac per consequens animæ eripere, ipsi eripiendo tempus resipiscentiæ! An non pudor est, pro 69

rebus, quas (ut Augustinus dicit) contemnere oportet, proximo tuo, quem sicut teipsum diligere debes, & ipsi, etiam inimico, & terrena tua invadenti, vitam temporalem & æternam optare, utramque ex eorum amore ipsi eripere, causamque ipsi esse, saltem indirectam, perditionis æternæ! Refert Augustinus serm. 309. Tutum-Lymeni, in visione pertractum ad Excelsum Judicem, graviter increpatum cæsumque fuisse, quòd debitorem quemdam suum, qui debitum negabat, provocasset ad jurandum, quem sciebat falsum juraturum; & ideò gravis peccati reum fuisse, quia, ut ipsi cælitùs dictum est, melius erat, quòd rem suam perderet, quàm animam istius hominis falsâ juratione perimeret, tametsi istius peremptionis causa directa non fuisset, sed indirecta dumtaxat. Similiter ergo gravis peccati reus est occisor invasoris injusti terrenarum rerum suarum: quia melius est, quòd terrenas res suas perdat, quàm proximum suum æternùm perdat, tametsi istius perditionis causa non sit directa, sed solùm indirecta, sicut ille Tutus-Lymeni causa fuit perjurii: cùm æternam perditionem suam sibiipsi directè causet invasor, eamque evadere queat ab invasione desistendo, sicut debitor ille perjurium evadere potuit verum jurando.

70 9°. Augustinus l. 1. de lib. arbitr. c. 5. propterea dicit se non videre, *quomodò apud divinam providentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti sunt.* Sanctus quoque Gregorius l. 31. Moral. c. 8. *Plus* (inquit) *ipsis raptoribus debemus metuere, ne semetipsos perdant, quàm rebus irrationabilibus defendendis inhiare.* Eandem esse sententiam unanimem reliquorum Patrum, constat à fortiori ex sententiis ipsorum cap. præcedenti laudatis.

71 10°. Monachum quemdam, qui ut vestes suas defenderet, earum invasorem occiderat, Alexander III. cap. *suscepimus* de homicid. graviter reprehendit, *ab altarisque ministerio abstinere, & peccatum* suum expiare jubet, hâc generali ratione, ex sacris Oraculis suprà allatis petitâ, in omnibusque tam Clericis & Monachis, quàm Laïcis locum habente: *quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quàm pro conservandis vilibus rebus, & transitoriis* (quales à Christianis reputandæ sunt res omnes terrenæ, juxta Evangelium) *tam acriter in alios exardescere.* Capite etiam *si perfodiens*, eodem titulo, ex Augustino dicitur, *ad homicidium pertinere, si fur diurnus occidatur, quia potest discerni, quòd ad furandum, non ad occidendum veniat, & ideò non debet occidi, nisi telo se defendat.*

72 11°. Legibus canonicis succinunt civiles, quæ in cap. *si perfodiens* referuntur: siquidem Lex 4. ff. ad L. Aquiliam prohibet occidi furem, dum non est plusquàm fur; similiter Lex *furem* ff. ad L. Corneliam de sicariis, etiam nocturnos fures interfici vetat, nisi mortis periculum inferant, prout ostendit Cuïacius in tit. Digestorum de jur. & just. ad Leg. 3. Lege etiam 9. ff. eodem §. *siquis hominem* sic habetur: *Siquis hominem occiderit, capitalem sententiam subeat, nisi probare possit, quòd vitam suam defendendo illum occidit.* Ideò Cuïacius loco citato: *Licet* (inquit) *repelliere eum qui venit feriendi, non occidendi causâ* (quod ex genere teli cognoscitur L. 1. §. *divus* ff. ad L. Cornel. de sicariis) *sed non licet occidere; & eodem modo, licet repellere eum qui venit eripiendæ possessionis gratiâ, sed non licet occidere.*

12°. opposita sententia omninò videtur 73
sanguinaria & pernicioſa: utpote nata perniciem corporum animarumque in Republica excitare, sicut & in Ecclesia, si ipsis etiam Clericis ac Religiosis hujusmodi defensio permittatur, uti à plerisque Casuistis verò permittitur. Nam (ut optimè Denuntiator suprà laudatus) quot cædes non committentur, si privato cuique liceat bona temporalia, saltem gravis momenti, cum occisione furis defendere?

Etenim (inquit) sic privatus quisque, 74
quantumvis ad judicandum ineptus, Judex constituitur.

Et Judex quidem in propria causa.

Et eo tempore quo ad judicandum minimè idoneus est, cùm scilicet ab adversario res ipsius invaduntur, & ipse ad eas defendendas animo perturbatur.

Et constituitur Judex de suo inimico.

Et ipsius judicio relinquitur, an jactura bonorum invasorum sit grave damnum, seu tale ad quod vitandum licita sit defensio occisiva: qua in re frequenter errant homines, æstimatione & amore rerum suarum passim excæcati.

Nec Judex dumtaxat constituitur, sed & judicii sui Executor.

Nec sanguinaria sententia illa distinguit, 75
quomodò invasor bona temporalia invadat, rapinâ, an furto; violentâ oppressione, an lite, hæreditate aut successione injustâ, contractu iniquo, usurâ, defraudatione, &c. sed quisquis bona temporalia, aliquo ex hisce modis invaserit, quorum jactura opinione hominis privati, nullo judicio præditi, irâ perturbati, cupiditate cæci, damnum grave, vel (ut nonnulli) gravissimum inferat, nullâ miseratione, mortis sententiâ condemnabitur, simul & occidetur.

Adde quòd nec sententia illa discernat in- 76
ter personas publicas, & privatas, sed occidi permittat ipsos etiam Ministros Regios, Consiliarios, Judices, Magistratus, imò nec Reges excipit, siquis sibi constare existimet, quòd ab ipsis bona sua injustè invadantur, nec se posse ea aliter quàm ipsorum occisione defendere.

Tandem sententia illa permittit occidere 77
generatim, inter occidendi modum & modum non distinguendo; per consequens occidere licebit, sive vi apertâ, sive ex insidiis occultis, sive ferro, sive veneno, sive alio

quovis

quovis modo, ut opportunum videbitur homini, qui bonorum suorum invasorem occidere decreverit. Proinde nulla via supererit, etiam innocentissimis plerisque, tuendi vitam suam adversus funestissimum istud tribunal, à quo semel ad mortem, velut invasores injusti fuerint condemnati.

78 Neque Respublica solùm (prosequitur Denuntiator) sed & Ecclesia homicidiis implebitur, si & Ecclesiasticis licitum sit bona temporalia cum occisione furis defendere, saltem ea quorum jactura sit ipsis malum grave, ut plerisque videtur; vel saltem malum gravissimum, ut alii restringunt. Quia frequentissimi erunt casus, quibus tale malum esse judicabunt: utpote qui eorum jacturam tantò gravius malum esse judicant, quantò turpius existimant Ecclesiasticis, quàm Laïcis, vitam sordidè, & parum honestè transigere. Quàm multi verò inter Clericos sunt, qui aut lite injustâ, aut oppressione violentâ, à percipiendis beneficii sui, quo solo victitant, fructibus impediuntur? Quàm multi inter Pastores, quibus injustè subtrahuntur decimæ, quæ in sustentationem necessariam ipsis debentur? Poterunt ergo illi defensione occisivâ uti, si hoc pacto malum indecoræ paupertatis, sanè ipsis valdè grave, imò gravissimum, avertere queant.

79 Jam verò quanta ubique hominum strages sequeretur, si doctrinam illam Pastores Parochianis suis, Abbates & Priores Religiosis suis, Abbatissæ & Priorissæ famulis suis domesticis belli tempore pro concione vel exhortatione proponerent: „ Charissimi, videtis bona „ omnia temporalia nobis à militibus eripi: „ vastantur agri, domus exspoliantur, excutiun„ tur horrea: damnum gravissimum omnes pa„ timur, & ad paupertatem redigimur. Verùm „ inter hæc mala consolari nos debet, quòd li„ citum sit, non solùm Laïcis, sed & Ecclesia„ sticis, bona nostra temporalia, quorum ja„ ctura malum est gravissimum, defensione oc„ cisivâ tueri. Agite ergo Christiani Pugiles, ar„ ma in milites sumite. Ego, qui eâdem vobis„ cum ruinâ involvor, præibo. Ducem sequi„ mini, & fures istos pessimos, sine miseratio„ ne, & sine scrupulo obtruncate, &c. „ Reprehendi-ne posset hujusmodi exhortatio, stante illâ Casuistarum doctrinâ? Hactenùs ferè Vir ille doctissimus, Casuistis illis pro coronide applicans increpationem Christi Luc. 9. *Nescitis cujus spiritûs estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.*

80 13°. nec sola illa inconvenientia sequuntur ex doctrina illa, imò amplius sequitur propositio 31ª. inter damnatas ab Innocentio XI. *Regulariter occidere possum furem, pro conservatione unius aurei.* Quòd id aliquando fieri posset, conficitur ex eo quòd jactura unius aurei aliquando sit damnum gravissimum homini, in necessitate constituto. Quòd id etiam regulariter posset fieri, hoc probatur argumento: Vel ad occidendum invasorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, regulariter loquendo proportio aliqua requiritur, inter rem quæ defenditur, & vitam invasoris; vel nulla requiritur proportio? Si requiritur proportio, cùm nulla sit inter pecuniam & vitam, pro defensione pecuniæ licitum non erit vitam invasori auferre. Si nulla requiritur proportio, nulla ratio reddi potest, cur regulariter id non sit licitum pro unius aurei, imò vel unius assis, sicut regulariter licitum esse dicunt pro defensione plurium aureorum. Si enim pro defensione unius aurei id regulariter non licet, nec licet pro defensione duorum, nec trium, nec quatuor, nec centum, nec ducentorum, &c. Nam si jactura unius aurei vel assis, damnum est nimis leve, in comparatione damni vitæ, quod infertur invasori; similiter jactura duorum, trium, &c. jactura centum, ducentorum aureorum, &c. damnum est nimis leve, in comparatione damni vitæ. Omnis proinde ratio propter quam damnum unius aurei censetur nimis leve, ut pro illo cavendo liceat inferre damnum vitæ, idipsum probat de damno cujuscumque summæ, sicut & cujuscumque rei pecuniâ æstimabilis. Siquidem omne damnum rei pecuniâ æstimabilis vile est in comparatione damni vitæ, prout Alexander III. dicit cap. *suscepimus* suprà relato, sicut & Augustinus & Gregorius suprà n. 43. & 70. Et ratio est, quia res quæcumque pretio æstimabilis vilior est comparatione vitæ, quàm pomum vel assis comparatione centum, mille, decem millium, centum millium aureorum (cùm poma vel asses sui multiplicatione adæquare possint valorem seu æstimationem decem millium, & centum millium aureorum; quàmlibet verò multiplicentur centum, mille, decem millia, centum millia aureorum, nunquam adæquare queunt valorem, sive æstimationem vitæ) sed pomum & assis, comparatione centum, ducentorum, mille, decem millium, centum millium aureorum, æstimantur res viles, & nimis leves. Similiter ergo, &c.

14°. nec sola illa 31ª. propositio sequitur, 81 sed & 32ª. ab eodem Innocentio XI. damnata: *Non solùm licitum est defendere, defensione occisivâ, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Sicut & 33ª. *Licitum est, tam hæredi, quàm legatario, contra injustè impedientem ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam, contra eorum possessionem injustè impedientem.* Ratio sequelæ est, quia doctrina illa licitum asserit defensione occisivâ defendere bona temporalia, quorum jactura est damnum grave, vel gravissimum. Jactura verò illius juris inchoati, & spei possidendi, non rarò est damnum grave vel gravissimum. Sicut & jactura quam incurrit, qui injustè impeditur à possessione hæreditatis, vel receptione legati sibi justè debiti: cùm jus certum ad hæreditatem, vel legatum,

minoris non valeat quàm hæreditas ipsa, vel legatum, uti demonstravimus agendo de contractu mutuo.

82 15°. sequitur quoque propositio 30ª. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, siquis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post inflictam alapam, vel ictum fustis fugiat.* Quia injuria quam vir honoratus incurrit per inflictionem alapæ, vel gravis calumniæ, plerùmque æstimatur gravius malum, quàm jactura aliquot aureorum. Si ergo ad impediendam jacturam istam occidere liceat; licebit & ad impediendam dictam injuriam.

83 Tandem sequitur quòd dum dominus vel non poterit juridicè rem suam recuperare (defectu probationis) vel saltem id non poterit absque magnis expensis, aut molestiis, tunc poterit vi furem aggredi & occidere, non solùm fugientem cum re furtiva (quod Adversarii passim admittunt) sed & postquam se recepit in domum suam, ibique rem illam pacificè aliquamdiù tenuit; poterit (inquam) ad recuperandam rem suam ipsum ibi occidere, si recuperationi resistat, & aliter sine magnis expensis & molestiis recuperare nequeat. Hoc autem licèt Vasquez, Lessius & Bonacina, apud Dianam p. 8. tr. 7. resol. 47. putent non esse inconveniens (quia quilibet habet jus (inquiunt) per seipsum recuperandi rem suam, etiam recuperatione occisivâ, dum non est spes aliter recuperandi absque magnis molestiis) esse tamen inconveniens probatur, quia si hoc liceret pro recuperatione boni sublati, liceret & pro extorquenda solutione debiti injustè negati. Et si liceret pro recuperatione boni fortunæ, liceret & pro recuperatione honoris, dum absque magnis molestiis juridicè obtineri non posset satisfactio læsi honoris. Quæ tamen asseri non possunt licita, nisi totus mundus horrendis confusionibus ac cædibus exponatur. Unde propositionem hanc P. Stephani Jesuitæ: *Non solùm vitam, sed etiam bona temporalia, quorum jactura esset damnum gravissimum, licitum defensione occisivâ defendere. Fatemur rariùs licitum esse Ecclesiasticis.... Si tamen aliquando futurum contingat tale malum (id est gravissimum damnum) etiam ipsis licitum erit bona ista cum occisione furis defendere*, Clerus Gallicanus anno 1700. pernicioſam & erroneam declaravit.

CAPUT VIII.

Casuistarum argumenta repelluntur.

84 TAmetsi assertio nostra tot & tam firmis fulciatur argumentis, ei nihilominùs contradicunt Cajetanus, Bannez, Arragonius, Tannerus, Azorius, Lessius, Malderus, Sylvius, Amicus disput. 36. ubi tamen ingenuè fatetur quòd nec divinum, nec humanum jus expressè permittit occisivam bonorum temporalium defensionem. Quod ipsi sufficere debuisset ad abjiciendum sanguinariæ illius defensionis patrocinium: cùm absque expressa Dei permissione privatis non liceat, hominem, ad imaginem Dei creatum, occidere; nec Authorum istorum opinio solidis nitatur argumentis, ut jam ostensum eo.

Objicies ergo 1°. caput *interfecisti* de homicid. 2°. caput *olim* de restit. spoliat. 3°. caput *dilecto* de sent. excom. in 6. 85

Respondeo ad 1^um. capite illo dici quidem, *Si sine odii meditatione, te tuaque liberando interfecisti*, immunis es, &c. sed imprimis sensus est quòd talis immunis est à pœna & pœnitentia canonica in foro externo, non immunis à culpa in foro interno, ut rectè Fagnanus. Qui insuper demonstrat *non agi* ibi *de defensione rerum tantùm, sed rerum & personæ simul*, uti docent communiter Canonistæ, quidquid in contrarium nonnulli Theologi dicant: quia (inquit) Canonum interpretatio *est propria messis Canonistarum*, & reverà ly *te tuaque* significat defensionem rerum & personæ simul; non enim importat copulam disjunctivam *vel*, sed copulativam *&*; ideòque verba illa accipi debent copulativè, non disjunctivè.

Nec refert quòd in initio dicatur disjunctivè, *interfecisti furem, aut latronem.* Quia, ut rursùm benè Fagnanus, prior illa particula, quæ indistinctè loquitur, debet declarari per secundam specialiter loquentem, juxta text. in L. *quemadmodùm*, adeò ut sit sensus: interfecisti furem, qui te & tua invaserat, ubi comprehendi poterat absque occisione; age pœnitentiam. Si autem interfecisti, ubi comprehendi non poterat, te tuaque liberando; non teneris agere, nisi ad cautelam. Huc usque Canonista ille celeberrimus. 86

Ad 2^um. respondeo caput *olim* non facere ad propositum, quia nulla ibi mentio de occisione, sed de violenti usurpatoris expulsione citra occisionem. 87

Ad 3^um. eadem est responsio, quia nulla etiam ibi mentio est de occisione, sed solùm approbatur defensio, quâ Decanus Aurelianensis temporalia bona Ecclesiæ suæ & corporali & spirituali adminiculo, quasi duobus quodammodò gladiis defenderat, ipsi scilicet corporaliter resistendo, & dum corporalis ista resistentia non sufficeret (suffeciſſet autem si fuisset cum occisione invasoris) ad arma spiritualia, excommunicationem scilicet & interdictum recurrendo. Ex quo nihil nec per apparentiam contra assertionem nostram. 88

Objicies 4°. bona temporalia sunt media necessaria ad conservationem vitæ, exercitiumque virtutum. 89

Respondeo, certum esse 1°. bona non esse materiam necessariam virtutum, imò frequentiùs esse materiâm vitiorum. 2°. nec esse media, sine quibus salus corporalis & spiritualis haberi nequeat. Cùm pauperes iis carentes & corpore vivant, & majorem ex paupertate sua salutis suæ fiduciam, juxta Evangelium, concipere valeant, quàm divites

ex bonorum temporalium abundantia. 3°. id quod absolutè necessarium est ad salvandam corporis vitam, adeò esse modicum, ut illius invasio casus penè sit metaphysicus, de quo quæstio nostra non procedit. 4°. ne pro defensione quidem istius necessarii ad vitam corporalem esse licitum occidere: cùm id ne quidem licitum sit ad vitæ propriæ defensionem.

90 Objicies 5°. non tenemur res nostras sinere perdi, vel certo eas perdendi periculo exponere, ut iniqui aggressoris vita servetur, quam ipse, si velit, servare potest, me cum rebus meis in pace relinquendo.

Respondeo, multiplici Dei præcepto, & amoris ordine, nos teneri perdere potiùs res nostras, quàm pro vilibus rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde pollui, uti constat ex dictis capite præcedenti. Unde possumus quidem res nostras defendere, etiam vim vi repellendo, sed salvo amoris ordine, & citra occisionem. Cùm enim debeamus pro fratribus, etiam inimicis & invasoribus nostris animas ponere, nobis profectò licitum non est pro rerum nostrarum defensione animam fratribus æternùm eripere.

91 Objicies 6°. etiamsi debeam, cæteris paribus, præferre bonum proximi, superioris ordinis, proprio bono inferioris ordinis; non tamen ubi cætera non sunt paria: quia jus innocentis ad bonum inferioris ordinis, præferendum est juri nocentis ad bonum superioris ordinis.

Respondeo 1°. argumentum nimis probare, quòd utique possem injustum invasorem occidere pro defensione juris quod habeo ad pomum mihi retinendum, quòdque possem animam proximi annihilare (si hoc foret necessarium, & intra sphæram activitatis meæ) pro tuenda pecunia mea, vel etiam corporali vita.

2°. negando antecedens, sic intellectum, ut possim auferre proximo bonum superioris ordinis pro conservatione boni inferioris ordinis: quia hoc est contra ordinem amoris, & contra Authoris vitæ voluntatem.

92 Objicies 7°. injustus aggressor bonorum meorum non habet jus tuendi vitam suam cum injuria mea.

Respondeo ipsum habere jus tuendi vitam suam adversùm illum qui eam ipsi eripere vult pro tuitione bonorum inferioris ordinis; sicut adulter, repertus in flagranti delicto, habet jus tuendi vitam suam adversus maritum adulteræ, volentem eam ipsi eripere. Nec magis unum quàm alterum facere injuriam in defensione vitæ suæ contra invasorem illius, sed solùm injuriam facere in adulterio, vel furto.

93 Objicies 8°. assertio nostra audaciores reddit fures & latrones ad furta sua & rapinas.

Respondeo 1°. sicut Ecclesia negans marito adulteræ facultatem occidendi uxorem in adulterio deprehensam, audaciores non reddit adulteros; sic assertio nostra audaciores non reddit fures & latrones: utpote qui sufficienter coërceri queunt pœnis à Jure statutis, quas magis timent, quàm peccatum.

2°. majus esse periculum humano generi à sententia Adversariorum: utpote quæ homicidiis patrocinatur, & perditionibus animarum; damnantur enim ferè tot animæ, quot ejusmodi fures & latrones occiduntur. Satius est autem temporalia omnia perire, quàm vel animam unam. Concludo proinde cum Innocentio IV. in cap. *si verò* de sent. excom. quòd *siquis pro rebus occidat, incidit in canonem, quia excedit modum cap. suscepimus de homicid.*

CAPUT IX.

Occidere non licet injustum invasorem pudicitiæ.

COntrarium putant Wiggers, Sylvius, &c. 94
Sed præ illis audiendus est Augustinus l. 1. de lib. arb. c. 5. dicens: *De pudicitia quis dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est, unde à violento stupratore eripi non potest? .... Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales* impunè *permittit interfici; sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Similia habet l. 1. de Civit. Dei ubi postquam per aliquot capita ostendit, servandæ pudicitiæ prætextu non esse licitam sui occisionem, (quia, ut c. 18. virgo quæ à violento stupratore opprimitur, nullum verum bonum amittit; non enim animi castitatem: quia eam nullus sine consensu suo amittit; non etiam corporis castitatem: quia *proposito animi casto permanente, per quod etiam corpus sanctificare meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ.*) Cap. 24. concludit, illicitam esse suiipsius, vel etiam invasoris occisionem: *quis ergo tam malus error obrepit, ut homo se occidat, vel quia in eum peccavit, vel ne in eum peccet inimicus; cùm vel peccatorem, vel peccaturum ipsum occidere non audeat inimicum?* Ne scilicet peccet contra præceptum *Non occides*, pudicitiæ invasorem occidendo sine authoritate Dei, qui nullibi legitur facultatem dedisse occidendi pudicitiæ invasorem. Et ne occidat hominem in flagranti crimine, æternâ proinde morte damnandum. Et hoc quidem absque necessitate: cùm violenter oppresso corpore nullum verum bonum amittatur; imò castitas ipsa duplicetur ad coronam, ut verè S. Lucia dixit. Nihil proinde amittitur nisi clausura pudoris per pelliculam quandam, ut aliqui volunt, vel per claustri pudoris compressionem, ut aliis placet. Quæ profectò compressio vel pellicula, non est verum bonum, magis quàm corporalis pulchritudo, vel saltem non est tantum bonum, pro cujus defensione invasori liceat inferre damnum incomparabiliter majus, mortem scilicet temporalem & æternam, contra præceptum *Non occides.*

Duo quidem objiciunt, qui contrà sentiunt. 95
1°. nisi pudicitiæ invasor occidatur, pericu-

lum esse succumbendi alienæ libidini cum animæ dispendio. 2°. jacturam virginitatis esse jacturam boni pretiosissimi, multis opibus præstantioris, imò quod pudicæ virgines tanti æstimant, ut mori malint, quàm fœdari. Unde sanctæ quædam virgines leguntur seipsas occidisse, vel occidi permisisse, ne fœdarentur.

96 Verùm etsi rationes istas Augustinus non ignoraverit, eas sufficientes esse non credidit, sed velut insufficientes, legique divinæ non congruentes refutavit.

Ad primam ergo respondeo, ad cavendum incertum peccatum futurum, non esse nunc committendum peccatum certum. *Quis* enim *ita desipiat* (ait Augustinus citato cap. 25.) *ut dicat: Jam nunc peccemus, ne postea fortè peccemus; jam nunc perpetremus homicidium, ne fortè postea incidamus in adulterium? Nonne si tantùm dominatur iniquitas, ut non innocentia, sed potiùs peccata eligantur, satius est incertum de futuro adulterium, quàm certum de præsenti homicidium? .... Cæterum abest à mente christiana, quæ in Deo suo fidit, in eoque spe positâ, ejus adjutorio nititur; abest* (inquam) *ut mens talis quibuslibet carnis voluptatibus ad consensum turpitudinis cedat*, &c.

97 Ad secundam rationem respondet Augustinus suprà, jacturam virginitatis corporis, salvâ virginitate mentis, non esse tantum bonum, propter cujus defensionem liceat se vel alium interficere. Nec refert quòd aliquæ maluerint mori, quàm corpore fœdari. Quia hoc secundùm ordinem amoris non maluerunt, nisi illæ quæ Martyres castitatis, Deo interiùs jubente, esse voluerunt. Aliàs enim *virgo prostitui potest, adulterari non potest; ubicumque virgo Dei est, templum Dei est*, inquit Ambrosius l. 2. de virginibus.

98 Instabis, idem Ambrosius l. 3. officior. dicit, quòd *periculum pudoris bonis feminis morte gravius est.* Augustinus quoque l. 1. de lib. arb. c. 5. *Multò immanius est, invitum hominem stuprum perpeti, quàm eum, à quo vis illa infertur, ab illo cui conatur inferre, interfici.*

Respondeo Ambrosii sensum esse, quòd bonis feminis gravius sit expositas esse periculo formalis stupri, quàm mortis corporalis. Augustinum verò eatenùs dicere, quòd immanius sit invitum hominem stuprum pati, &c. quatenùs stuprator violentus magis voluntariè stuprat, quàm ab ipso vim patiens, ipsum voluntariè occidat: hoc enim non prorsus voluntariè facit, sed ex necessitate pudicitiam tuendi; stuprator autem sine ullâ necessitate stuprat. Deinde si unum altero immanius sit: utrumque ergo immane illicitumque.

CAPUT X.

Nec licitum est occidere injustum invasorem honoris & famæ.

99 Sæpiùs miratus sum Casuistas illos qui in cæteris haberi volunt *benigni*, seseque invicem *benignos* & *humanos* appellant; sibi verò contradicentes, austeros, severistas, rigoristas, &c. in hoc genere (homicidii utique) adeò severos rigoristasque esse (ut barbaro ipsorum vocabulo utaar) ut etiam crudeles appellari posse videantur, dum omnis velut humanitatis obliti, tam crudelem permittunt modum defendendi, non solùm vitam & pudicitiam, sed & fallaces divitias, & mundanum honorem, per occisionem hominis ad imaginem Dei creati, Christique sanguine redempti, qui statim atque animam occisus exhalaverit, ad ignem æternum sit damnandus.

Si Casuistæ illi seriâ mente pensassent præ- 100
cepta patientiæ, quæ Christianis injuriam in honore patientibus Salvator in Evangelio tradit, in eam cæcitatem nunquam prolapsi essent, ut dicerent, esse licitum proximo vitam eripere, ne honorem nobis auferat ipse; honorem (inquam) non consistentem nisi in æstimatione hominum, quorum judicia & æstimationes frequentissimè neque habent conformitatem cum recta ratione, neque cum justo judicio Dei. An non indignum est homine Christiano, manus suas intingere in sanguine fratris sui, ad servandam æstimationem & laudes hominum, quas tot Scripturæ documentis jubemur contemnere, & econtrà gaudere, dum ab ipsis maledicimur & blasphemamur? Nunquid opinio ista bellè convenit cum istis Christi præceptis: *Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.* Et *siquis te percusserit in maxillam dexteram, præbe illi & alteram?* Matth. 5. *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Ibidem. *Quomodò vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis*, &c.? Joan. 5.

Similia leguntur in sanctis Patribus. Euse- 101
bius, Hieronymi discipulus, in epist. ad Damasum, Episcopum Ostiensem, de morte Hieronymi, Magistrum suum sic loquentem inducit: *Gaudete filii mei prædilectissimi, cum odit vos mundus; desiderate sufferre contumelias & opprobria ab hominibus: quia beati eritis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos*, &c. *Utinam insurgeret in vos totus iste mundus! Scitote quòd de mundo non estis: quoniam si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret. Omne gaudium vestrum existimate, cum multa habetis in sæculo opprobria, & adversitates, scientes quòd fortitudo & patientia ex ipsis oriuntur. Patientia autem perfectum opus habet.*

Ad majorem horum evidentiam, sciendum, 102
quòd duplex honor esse potest in homine: unus radicalis, consistens in excellentia quadam, ratione cujus unus præ alio honorabilis dicitur; & ista excellentia, vel consistit in spirituali bono, v. g. sapientia, prudentia, scientia, virtute, &c. vel in bono corporali, v. g. viribus, valetudine, pulchritudine, divitiis,

&c. Alter formalis consistens in æstimatione hominum, quâ unus alteri præfertur ob ejusmodi excellentiam spiritualem, vel corporalem, veram, vel fictam, præferentiaque ista signo exteriore manifestatur per laudem vel reverentiam ipsi exhibitam.

103 Honor radicalis, consistens in excellentia seu bono spirituali, homini ab homine auferri non potest, nisi velit: & ideò manifestum est quòd propter illius defensionem non liceat hominem occidere. Honor verò radicalis, consistens in excellentia quadam, seu bono corporali, certissimè bonum est multò minus quàm vita, vel certè non majus. Unde si non liceat hominem occidere pro defensione vitæ, multò minùs licet pro defensione aliorum bonorum corporalium. Quòdque non liceat pro defensione divitiarum, constat ex dictis cap. 6. & 7. Quòd id etiam non liceat pro defensione pudicitiæ corporalis, ostendimus capite præcedenti, estque manifesta sententia sancti Augustini. Pro quo igitur corporali bono licitum erit?

104 Quod spectat ad honorem formalem (qui juxta Philosophum non est in honorato, sed in honorante) est bonum nimis fragile, caducum, & secundùm se vanum, ut pro ipso liceat hominem occidere, tantisque expensis (morte scilicet corporali & spirituali fratris) defendere: maximè cùm magis obesse soleat, quàm prodesse, ipsoque longè utilior & salubrior utplurimùm sit humiliatio, ut probat allata Christi sententia: *Quomodò vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* probat & quotidiana experientia; probavitque ab initio nascentis Ecclesiæ: multò quippe plures, & multò faciliùs fidem amplectebantur, qui in statu erant humili, quàm qui in honore. Unde Apostolus 1. Cor. 1. *Videte vocationem vestram* (ô fideles!) *quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles.*

105 Et ratio idipsum probat, quia superbia unicuique adeò profundè impressa est, ut de ipsa gemant Sancti, atque ex ipsis non pauci de via sanctitatis ad viam iniquitatis per ipsam delapsi, finaliter in infernum fuerint præcipitati. Superbia verò, seu concupiscentia illius longè fortiùs & potentiùs aggreditur homines in honore & gloria, quàm in opprobriis & humiliationibus constitutos. Quid enim aliud sunt testimonia reverentiæ & æstimationis, quæ hominibus ab aliis exhibentur, nisi arma præcipua, quibus eos aggreditur superbia, magna ex parte inermis erga humiliatos & abjectos? Hinc Bernardus epist. 42. *In alto positos non altum sapere, difficile, & omnino insuetum est.* Et synchronus, amicusque ipsius, Richardus de S. Victore: *Quantum putas, quam magnum miraculum æstimas, tibi ipsi vilescere, tibi magis magisque displicere, eo præcipue tempore quo incipis veraciter magnus esse, magnusque hominibus apparere?* Quâ igitur ratione paupertatem divitiis prætulit Salvator, præfert Scriptura, præferunt Patres; eâ ratione humilitas gloriæ præferenda est, statusque humilis statui alto, concilianti honorem & æstimationem hominum. Ideò Ps. 83. dicitur: *Elegi abjectus esse in domo Domini, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Quare? *Scit* enim homo, *quia si se extollere voluerit* (cujus periculo valdè expositi sunt in alto vel in honore positi) *cadet; si se humiliaverit, erigetur.* Et ideò *elegit abjici ut sublevetur.... Bona vox, gaudenda vox, eligenda vox:* "Elegi abjici in domo Domini, &c." *Ipse* quidem *elegit abjici in domo Domini; sed ille qui invitavit ad convivium, eligentem inferiorem locum vocat ad superiorem, & dicit illi, ascende,* inquit Augustinus enarrat. in illum Psalmum.

Hinc sequitur 1°. jacturam honoris formalis, secundùm se præcisè considerati, ab homine Christiano reputari non debere jacturam magnam, imò præferendam esse conservationi ipsius. 106

2°. christianam non esse occisivam illius defensionem, si consideretur secundùm se præcisè: cùm honor iste magis nocivus sit quàm utilis, uti num. 105. ostensum est; nec propter se amari possit: cùm amor ipsius, secundùm se præcisè, sive propter se, superbia sit, ipsumque propter se desiderare, ambitio sit; gaudere de ipsius adeptione, ibi sistendo, mera sit vanitas: rectè proinde Stoïcus apud Ciceronem dixerit, *gloriæ causâ nec digitum à sapiente commovendum.* 107

Sed habemus firmiorem Apostolicum sermonem, quo veritas ista firmatur: *Si adhuc hominibus placerem* (ait Apostolus ad Galat. 1.) *Christi servus non essem.* Et alibi tam exile & vanum existimat illud bonum, quod in alienis judiciis, sæpè falsis, non in eo positum est, cujus bonum dicitur, ut idem Apostolus dignam hanc proferat sententiam: *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer.* 108

Cum Apostolo sentiunt sancti Patres, sicut & sentire debent Christiani omnes: *Reddere quidem cui honorem, honorem, jussi sumus* (ait Basilius in reg. brevior. reg. 36.) *quærere autem honorem, vetiti, cùm Dominus dixerit Joan. 5. Quomodò vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis? Ex quibus intelligitur, quod gloriam ab hominibus quærere, manifestissimum est argumentum infidelitatis, & animi alieni à cultu Dei, cùm Apostolus dicat, si adhuc hominibus placerem, &c.* 109

Augustinus quoque epist. 118. aliàs 56. hunc finem, quo quispiam vult, vel facit aliquid ne indoctus & hebes putetur ab hominibus, dicit esse *nugatorium, inanem, ventosum.* Et infrà addit, non esse finem miseriæ, *quamdiu finis officiorum nostrorum in re instabili,* v. g. in divitiis, honore, & aliis ejusmodi fluxis rebus collocatur. Lib. 50. homil. hom. 13. *Honor quærere te debet, non tu ipsum.* Lib. 83. qq. q. 36. *Cavendum, ne surrepat cupiditas* 110

placenti hominibus, aut per aliqua mirabilia, aut per difficilem continentiam, sive patientiam, aut nomine scientiæ vel eloquentiæ. In eo genere est & cupiditas honoris. Contra quæ omnia proferantur ea quæ scripta sunt de laude charitatis, & de inanitate jactantiæ, doceaturque quàm sit pudendum eis placere, quos nolis imitari. Aut enim boni non sunt; & nihil magnum est à malis laudari. Aut boni sunt; & eos oportet imitari. Sed qui boni sunt, virtute boni sunt; virtus autem non appetit, quod in aliorum hominum potestate est. Qui ergo imitatur bonos, nullius hominis appetit laudem; qui verò malos, non est dignus laude. Lib. de catechis. rud. c. 16. *Quid sunt honores sæculi, nisi typhus, & vanitas, & ruinæ periculum? quia sic Scriptura sancta dicit,* &c. Et l. 5. de Civit. Dei c. 17. *Si perversitas sæculi admitteret, ut honoratiores essent quique meliores; nec sic pro magno haberi debuit honor humanus: quia nullius est ponderis fumus.* Etgone licet occidere pro re, quæ haberi non debet magna?

111 Quæ cùm ita sint, consideret homo Christianus, an humanus honor dignus sit, pro cujus defensione homo occidatur; cùm ne quidem dignus sit qui secundùm se quæratur, vel propter se ametur? Item an ratio recta permittat pro fumo, pro vanitate, pro re minima, nugatoria, inani, & ventosa, hominem, ad Dei imaginem creatum, & Christi sanguine redemptum occidere? Certissimè hoc non solùm est contra rationem rectam, sed & contra Dei legem, *Non occides*, à cujus generalitate nullibi in Scriptura, Conciliis, Patribus excepta legitur tuendi honoris sui, aut contumeliæ alicujus repellendæ causâ. Nec ulli unquam ex Majoribus nostris, seu Doctoribus antiquis, in mentem ista venit exceptio; sicut ne ipsis quidem Principibus vel Magistratibus sæcularibus, quibus adeò compertum semper fuit, fas non esse hominem occidere tuendi honoris sui, vel repellendæ contumeliæ causâ, ut extremo supplicio afficiant id facientes; oppositamque opinionem Covarruvias in Clement. *si furiosus* p. 3. §. un. n. 4. *immoderatam, inhumanam, & Barbaris potius quàm Christianis convenientem*, alii (ut Vasquez) *gentilem, & à christiana lege prorsus alienam* censeant.

112 Futile proinde & fallax, imò barbarum & crudele est istud Adversariorum ratiocinium: honor vitâ charior est: ergo sicut pro defensione vitæ, sic pro honoris defensione licitum est hominem occidere. Primò namque quòd ne pro vitæ quidem defensione liceat hominem occidere, suprà demonstravimus. Secundò, vitæ servandæ alia subinde via non supereſt, nisi per cædem invasoris, vitaque semel amissa recuperari non potest: secùs honor amissus, utpote reparabilis authoritate Judicis, heroïcâ belli fortitudine, christianâ virtute, veritatis manifestatione, &c. Tertiò, calumniatoris occisione non abstergitur infamiæ labes: cùm per eam non probetur falsò vel injustè dicta esse, quæ per calumniam dicta sunt; sed solùm quòd calumniatus iniquo animo calumniam tulerit. Frequenter autem iniquo animo etiam verè ac justè dicta tolerantur. Quartò, frustrà ad defensionem honoris occisio adhibetur invasoris: cùm sic reverà apud viros timoratos (præ non timoratis curandos) non defendatur, sed potiùs deturpetur. Et magis honorabile sit elongare se ab homicidiis, quàm illa perpetrare, sub prætextu defendendi honoris. Si enim *honor est homini, qui separat se a contentionibus*, Proverb. 20. pari vel majori ratione honor est illi, qui separat se ab homicidiis. Quintò, per calumniam vis non infertur calumniato: non licet autem vi repellere nisi vim. Sextò, si honor formalis consideretur præcisè secundùm se, falsum est quòd charior sit vitâ: cùm nullum exilius bonum sit, quàm illud quod in aliorum judiciis positum est, ut suprà vidimus. Septimò, honor & fama 113
eatenùs solùm quæri & amari à nobis potest, adeòque eatenùs solùm defendi, quatenùs ad promovendam Dei gloriam, proximorum utilitatem & salutem dirigitur; quo sensu Eccli. 41. dicitur: *Curam habe de bono nomine.* Et Augustinus de bono viduitatis c. 22. dicit: *Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra; conscientia nobis, fama proximo.* Et Ivo Carnotensis epist. 260. ad Gaufridum Anachoretam: *Cùm omnis castæ religionis professor visceribus charitatis abundare debeat, & tam saluti proximorum, quàm suæ providere debeat; necesse est, ut hæc duo principaliter appetat, puram conscientiam, & bonam famam; conscientiam propter se, famam propter proximum. Qui enim negligit famam suam, crudelis est. Occidit enim proximum, quantùm in se est.* Atqui ad promovendam Dei gloriam, proximorumque utilitatem & salutem, necessaria non est proximorum occisio; imò impeditiva est salutis ipsorum: utpote per quam in orcum mittuntur; & non solùm non ædificat nocentes, qui occiduntur; sed nec innocentes, qui inde potiùs scandalizantur, & ad quorum ædificationem non solùm imitanda est mansuetudo & patientia Christi & Sanctorum, (orando pro calumniantibus nos, ipsisque benefaciendo) non solùm etiam vitanda redditio mali pro malo, sed & vitanda quæ speciem habent mali, prout haud dubiè saltem mali speciem habet occisio illa, Patribus & Theologis omnibus quindecim sæculorum vita adeò indigna homine Christiano, ut ne unus quidem illorum disputatione dignum censuerit, foretne, an non foret licita; eò quòd utique adeò certam habuerint negativam sententiam, ut superfluum existimarint, eam in controversiam revocare. Aliàs aliquod istius controversiæ vestigium extaret in operibus ipsorum. Nullum verò extat. Temerarium proinde est, nimisque temerarium, novam comminisci exceptionem à generali illo Decalogi præcepto, *Non occides*, nullâ authoritate succollatam,

quæ

quæ considerationem mereatur in Ecclesia Dei; imò contra quam expressa est authoritas Augustini: siqua enim violentia inferri possit honori, illa maximè quæ infertur pudicitiæ nobilis & castissimæ virginis; quæ apud mundanos homines inhonorata censetur, violato clausstro virginalis pudoris ipsius. Illicitam verò esse occisionem violenti invasoris pudicitiæ, Augustinus expressè docet, uti vidimus n. 94.

CAPUT XI.

Observatio notabilis circa curam honoris & famæ.

114 PRopter dicta tamen non negamus curam habendam de bono nomine, adeòque de honore nostro; sumpto non pro excellentia, seu præferentia, quâ aliis præferimur in æstimatione hominum, sed pro fama bona, quâ distinguimur ab infamibus, seu criminosis, vel de crimine suspectis. Quia cura illa non est ambitio, nec superbia; sed providentia, ne aliis simus scandalo, vel etiam ut aliis prodesse possimus. Et juxta hoc Salvator dixit: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem.* Et Apostolus: *Providemus bona, non solùm coram Deo, sed & coram omnibus hominibus.* Eodem quoque sensu, juxta Theologiam Sanctorum, tenemur regulariter curam habere de bono nomine; tametsi cum tristitia excipere non debeamus opprobria & humiliationes, bonæ famæ nostræ adversantes, sed eas cum gaudio excipere, uti docet Evangelium suprà laudatum.

Unde Hieronymus l. 2. epist. 90. inter selectas alloquens virginem, quæ necessitatis prætextu domi habebat virum, bona sua curantem, ex quo malæ suspiciones oriebantur: *Quòd si dixeris* (inquit) *mihi sufficit conscientia mea, Deum habeo Judicem, qui meæ vitæ est testis; non curo quid loquantur homines: audi Apostolum scribentem:* „ Providentes bona „ non tantùm coram Deo, sed & coram om„ nibus hominibus. „ Tales *existimationem hominum non imprudenter solùm, verum etiam crudeliter contemnere*, dicit Augustinus in l. de bono viduitatis, in fine, *cùm occidant animas aliorum, sive blasphemantium viam Dei, quibus secundum suam suspicionem quasi turpis, quæ casta est, displicet vita Sanctorum, sive etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum se custodit, sibi bene facit; quisquis autem & famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra; aliis fama nostra.*

115 Neque iis obstant ea quæ suprà diximus de opprobriis, contumeliis, &c. eorumque utilitate. Hoc enim quòd de iis Scriptura ibi relata dicit (sicut & Patres) non ad hoc dicit, quasi ea ultrò admittere, seu iis nos ingerere debeamus, dum de eo voluntatem Dei apertè non cognoscimus; sed quòd ob ea non debeamus contristari, nec nos inquietare, sed ea cum gaudio & patientia suscipere de manu Domini, dum permittit ea nobis accidere; sicut de martyrio D. Athanasius pulchrè loquitur in Apologia de fuga sua, sive homiliâ, quæ legitur in tertio nocturno Festi ipsius. Quòd si aliqui Sancti legantur nonnulla ultrò fecisse, quibus fatui, &c. reputarentur, ex speciali instinctu Spiritûs sancti id fecisse existimandi sunt, exemplo proinde admirando potiùs, quàm regulariter imitando.

Scriptura itaque illa, & Patres, hoc solùm 116
volunt, quod Augustinus ait paulò post verba ex ipso laudata: *Quoniam quantalibet humana cautela suspiciones malevolentissimas non potest omni ex parte vitare; ibi pro existimatione nostra quidquid rectè possumus, fecerimus, si aliqui de nobis vel malè fingendo, vel malè credendo, famam nostram decolorare conantur, adsit conscientiæ nostræ solatium, planèque etiam gaudium: quia merces nostra magna est in cælis, etiam cùm dicunt homines multa mala de nobis piè justèque viventibus.*

Non prohibemur ergo honorem & famam 117
nostram defendere, imò ad id tenemur, dum honor noster necessarius est ad salutem aliorum: quod duplici ex capite potest contingere, vel quia honor Superioris necessarius est ut regantur subditi; vel quia honor Magistri, Concionatoris, &c. necessarius est ut doceantur discipuli, seu alii proximi. Minùs enim persuadere potest Magister, si existimetur non esse doctus; minùs etiam Concionator, si existimetur dicere, & non facere, imò contrarium facere.

Igitur Superiores non rarò tenentur tueri 118
& conservare honorem, etiam sumptum pro æstimatione excellentiæ ipsorum: eò quòd sufficientem alioqui in subditos non habeant authoritatem. Quippe ea plurimorum est dispositio, ut nisi plus aliquid in Superiore concipiant excellentiæ, difficulter ei obediant, quomodò oportet. Quod dum contingit, permittere, imò subinde præcipere debent, sibi ab eis debita honoris signa deferri, specialiterque cavere, ne cum eis nimis familiariter & abjectè, velut æquales, agant, ne ipsis vilescat authoritas ipsorum; quod alioqui facilè fit.

Sed videant Superiores ne in eo mentiatur 119
iniquitas sibi, dum ex superbia fit, quod nonnisi pro bono subditorum fieri debet. Audiant proinde Augustinum epist. 22. alias 64. dicentem: *Seipsum præbeat patientiæ & humilitatis exemplum, minùs sibi assumendo quàm offertur; sed tamen ab eis qui se honorant nec totum nec nihil accipiendo, & id quod accipitur laudis aut honoris, non propter se, qui totus coram Deo esse debet, & humana contemnere, sed propter illos accipiatur, quibus consulere non potest, si nimiâ dejectione vilescat. Ad hoc enim pertinet quod dictum est 1. Timoth. 4.* " Nemo juventutem tuam contemnat. " Hisce verbis docet Magnus Doctor, illud honoris, quod Superior recipit vel exigit à subditis, propter se recipere non debere, nec exigere, sed propter utilitatem ipsorum, & fi-

naliter propter Deum, cujus toti esse, & cui in omnibus servire debemus.

120 Estque necessaria magna ad hoc reflexio: quia, ut Augustinus subjungit, *magnum est de honoribus & laudibus hominum non latari..... Et siquid inde necessarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium salutemque conferre... Ista quæ tecum confero, mihi dico.... quàm sint difficilia. Non enim hujus hostis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit: quia si cuiquam facile est laude carere, dum denegatur; difficile est eâ non delectari, cùm offertur. Et tamen tanta mentis in Deum debet esse suspensio, ut si non meritò laudemur, corrigamus eos.... Si autem meritò laudamur propter Deum, gratulemur..... non nobis.... sed Deo, cujus dono sunt omnia, quæ verè meritòque laudantur. Hæc mihi ipse canto quotidiè..... & tamen vehementer cum adversario dimicans, sæpe ab eo vulnera capio, cùm delectationem obiatæ laudis mihi auferre non possum.* Hactenùs Doctor maximus, simul & humillimus.

121 Ad conservandum verò, vel defendendum honorem, sumptum pro bona fama, pluribus ex capitibus obligatio esse potest. Primò, si injustè diffamatus sit membrum corporis seu communitatis, in quam infamia redundaret. Pars enim debet consulere toti. Secundò, si talis diffamatio foret aliis occasio liberiùs peccandi, vel suspectos habendi, ac velut suspectos depingendi eos qui pietatem profitentur, sive in Claustro, sive in sæculo. Tertiò, si ob talem diffamationem vilesceret ministerium sacrum, vel status v. g. sacerdotalis, vel officium Concionatoris, adeòque & verbum Dei. Quartò, si diffamatus se nimis infirmum seu non satis fortem agnoscat ad toleranda opprobria, contemptus & irrisiones ex tali diffamatione secuturas. Quintò, si puella v. g. prævideret, vel rationabiliter metueret eventuras sibi vehementes ad peccatum carnis sollicitationes, si non defenderet honorem suum ista in materia injustè læsum. Sextò, si vilesceret, uti frequenter vilesceret, authoritas Superioris diffamati, nisi famam suam defenderet contra injustos diffamatores.

122 Atque ex his perspicuè conficitur, arguendos non esse de superbia, vel humilitatis defectu, eos qui famam suam tuentur contra imposita sibi crimina: cùm ad id utplurimùm teneantur aliquo ex illis capitibus. Specialiter verò ad id tenentur Clerici & Religiosi, quorum infamia ordinariè redundat in dehonorationem Religionis, vel statûs Clericalis & Religiosi, quem profitentur. Præ cæteris denique ad id tenentur Sacerdotes, & maximè Parochi, aliique ejusmodi, quibus fama bona necessaria est ut fidelibus prosint.

123 Nec contra hoc facit exemplum sanctorum Sacerdotum vel Religiosorum, qui injustè accusati, famam suam non defenderunt; sic enim se gesserunt, quia fiduciam specialem in se senserunt, quòd Deus ipse manifestaret innocentiam ipsorum; vel certè provideret ne inconvenientia suprà allegata sequerentur. In eo proinde imitandi non sunt, nisi ab animabus pietate peculiari eximiis, sancti Spiritûs in se impulsum in idipsum sentientibus; sicut nec imitandi sunt in mirabilibus aliis, quæ Sancti extraordinariè fecerunt, super aquas ambulando, in fornacem vel clibanum accensum se projiciendo ex speciali fiducia divini adjutorii, &c.

Sciendum denique famam nunquam esse 124
defendendam mediis illicitis, uti faciunt imprimis qui falsum crimen imponunt, sive affingunt ei, contra quem famam suam, vel suorum defendunt. Hoc enim grave peccatum esse adeò certum est, ut mirum sit eò usque laxam fuisse nonnullorum Casuistarum doctrinam, ut sequentes propositiones docuerint, ab Innocentio XI. damnatas. 43. *Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis authoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?* 44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat; & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

Secundò, famam suam illicito defendunt 125
medio, qui sic eam defendunt, per revelationem criminis revera commissi, ut per revelationem istam non recuperent famam perditam, sed solùm lædant alienam. Quia talis defensio, non est defensio, sed vindicta: cùm per eam perdita non conservetur nec recuperetur fama.

Cæterùm non est generatim illicitum, ho- 126
norem suum defendere cum jactura famæ alterius, qui nos diffamavit. Quia nemo peccati arguit hominem, qui, ut à se avertat falsi criminis sibi impositi suspicionem, ostendit impostorem non esse fide dignum, ex hoc quòd aliâ adhuc occasione aliis similia falsa crimina affinxerit. Deinde ex Scriptura constat, vera proximi crimina aliquando revelari posse: sic enim S. Joannes Baptista, S. Stephanus, & ipsemet Christus revelarunt Scribarum, Pharisæorumque superbiam, avaritiam, hypocrisim, &c. Quòd si famæ proximi aliquando nocere liceat per revelationem veri criminis; non est cur id non liceat, dum necessarium est ad propriæ famæ defensionem, contra injustum illius invasorem.

Quia tamen medium istud propriæ famæ 127
defendendæ, de numero est eorum, quæ quodammodò violenta seu dura censentur, eo utendum non est nisi urgente necessitate, dum alia non suppetunt, sicut de aliis mediis violentis, seu valdè difficilibus ac duris dici solet: maximè cùm teneamur ipsosmet inimicos famam nostram lacerantes diligere ut fratres; durum proinde nobis videri debeat, famam ipsorum, quàmlibet nos diffamantium, perdere. Unde non excusantur qui ex ira & indignatione id faciunt: cùm id non faciant coacti necessitate, conservatâ simul dilectione, sed ex vindictæ potiùs & odii livore.

Non diffiteor tamen id fieri posse cum ira 128
sancta,

sancta, & non ex ira, quomodo Stephanus in Actis Judæos accusasse videtur. Verùm utplurimùm non convenit ut ira conjungatur, tum quia utplurimùm ex ira fit, dum conjungitur: tum quia audientes utplurimùm inde scandalizantur, dum facilè sibi persuadent, id ex ira & vindicta fieri, quod cum ira fit & clamore.

129 Tertiò, immoderata, adeòque illicita est defensio famæ propriæ per revelationem criminis alieni, dum proportio non est inter jacturam famæ quæ defenditur, & jacturam famæ quæ proximo causatur. Vel si proportio sit inter famæ detrimentum inflictum, & illud quod vicissim infligitur; infamia tamen vicissim inflicta redundatura est in corpus integrum, v. g. in omnes Sacerdotes, vel Religiosos; non sic illa quæ per detractorem causata est.

130 Quartò, illicita est, si fiat per media lege Dei prohibita, v. g. per pugnam, rixam, & à fortiori per homicidium. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona, quàmque ejusmodi media aliena sint à divinis Scripturis, Evangelicisque regulis, constat ex dictis præcedenti capite. Defensionem etiam per homicidium alienam esse à doctrina Ecclesiæ, constat ex condemnatione hujus propositionis per Innocentium XI. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post inflictam alapam, vel ictum fustis fugiat.*

131 Sed nunquid saltem alapâ vel fuste percussus repercutere potest? Respondeo negativè, juxta Scripturam, & Sanctorum Theologiam. 1°. quia Matth. 5. postquam Dominus dixit: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*, subjungit: *Audistis quia dictum est antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Nec istud merum est consilium, ut patet ex contextu; sed verum præceptum, quoad præparationem animi, ut dicit Augustinus. Sensus proinde est, potiùs esse debes paratus ad præbendam percussori alteram maxillam, quàm ad illum repercutiendum. Hinc Theophilactus ex Evangelico oraculo illo colligit, percussorem non esse repercutiendum, sed sustinendum: quia *non igne, sed aquâ extinguitur ignis.* Idipsum antè dixerat Chrysostomus hom. 18. in Matth. *Quid igitur? Non oportet nos resistere malo? Oportet quidem, sed non hoc modo, verùm eo quo præcepit modo, ut scilicet nos ad injurias sustinendas præbeamus. Sic enim illum profectò superabimus: nec enim aliquando ignis igne, sed aquâ utique ignis extinguitur.*

132 Dixi, ex contextu patêre, quòd locus ille Evangelii contineat præceptum, non merum consilium. Et ratio est, quia Christus ibi ostendit, in quo abundare debeat justitia nostra plusquàm Scribarum, &c. ut intrare possimus regnum cælorum, comparando ac velut opponendo præcepta novæ legis præceptis Mosaïcæ legis, declarans ista per illa non solvi, sed perfectiùs adimpleri: utique præceptum de non mœchando, per præceptum de non repudianda uxore; præceptum de diligendo proximum, per præceptum de diligendis quoque inimicis; præceptum talionis, *oculum pro oculo*, &c. per præceptum talis patientiæ, ut animus sit potiùs paratus ad præbendam alteram maxillam percutienti dexteram, quàm ad reddendam ipsi alapam pro alapa. Et ista est unanimis doctrina Sanctorum. Quia Chrysostomus loco citato utitur verbo *præcepit*, sicut & Augustinus, qui præter ea quæ suprà dixit, l. contra Adimantum c. 8. dicit illis Christi verbis *omnimodam injuriæ remissionem in novo Testamento esse præceptam.* Similiter Hilarius in Matth. cap. 4. *Acceptâ alapâ, maxillam alteram jubemur offerre.* Imperfectus in Matth. c. 5. vocat illud *quintum mandatum*, addens, quòd secundùm Christi mandatum neque *percussus repercutit.* Cum his S. Thomas lect. 3. in cap. 12. ad Rom. *Dominus mandavit Matth. 5. Si quis te percusserit*, &c.

2°. quia Salvator ibidem præcipit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri*, &c: repercutere verò non est diligere, & benefacere; sed vindicare se, & malefacere: cùm sit reddere malum pro malo; nec repercutiendo fiat ut alapa non sit inflicta, sed par pari reddatur, oculus pro oculo, dens pro dente, &c. quæ est justitia Scribarum & Pharisæorum, quâ abundantior esse debet justitia Christianorum. Aliàs non intrabunt in regnum cælorum. 133

3°. quia Rom. 12. Apostolus dicit: *Nulli malum pro malo reddentes*; quod esse præcepti, laudatus Imperfectus loco citato eleganter ostendit, dicens: *Homines crudeles peccare se non arbitrantur, si reddiderint mala pro malis, non considerantes quæ dicuntur in Psalmo 7.* Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis, &c. " *Quacumque enim ille dinumerat meritò se pati debere, si reddiderit retribuentibus sibi mala, sciant Christiani omnia illa meritò se esse passuros, si reddiderint retribuentibus sibi mala. Nam & easuri sunt ab inimicis suis inanes, & persecuturus est inimicus animas eorum, & comprehensurus & conculcaturus in terra vitam eorum, & gloriam eorum* (nota benè; pro ea namque captanda mundani homines percutientem repercutiunt) *in pulverem deducturus.* 134

Ex his Imperfectus concludit, legem Christi non permittere, ut percussus repercutiat, pulchrè respondens vulgari objectioni: *Sed dicis, quia dignus est ille repercuti, qui contra legem percussit. Sed tu non es dignus repercutere: quia illius discipulus es, qui maledictus* 135

non maledixit, percussus non repercussit, crucifixus pro crucifigentibus se rogavit. Si repercussisses ergo, primùm denegasti te Christi esse discipulum, non verbis, sed factis. Deinde cùm ejeceris oculum pro oculo, & fregeris dentem pro dente tuo, nunquid per hoc restituitur membrum tuum in loco proprio? Ac si apertè dicat, hoc non pertinere ad tui defensionem, cùm per hoc non serves te illæsum; sed ad tui ultionem & vindictam, propter quod subjungit: *Si ergo non reddideris malum pro malo, etsi membrum corporis perdidisti, lucrum patientiæ acquisisti; si autem reddideris, & corporis damnum passus es, & salutis.*

136 4°. quia idem Apostolus eodem loco dicit: *Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim: Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus.... Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Cujus Apostolicæ sententiæ priorem partem Dionysius Carthusianus ibi sic exponit: *Non vos defendentes charissimi, repercutiendo percutientem, cùm dicat Salvator, siquis te percusserit in una maxilla,* &c. Similiter Glossa interlinearis, quam refert, approbatque S. Thomas 2. 2. q. 64. a. 7. ad 5. *Non vos defendentes, id est, non sitis referientes adversarios.*

137 Cujus rationem duplicem Apostolus insinuat: primam his verbis: *Scriptum est enim, mihi vindicta,* &c. quasi dicat, id pertinere ad vindictam, ut suprà dixi; eò quòd repercussio non tam defensio sit, quàm vindicta, uti etiam laudatus Imperfectus suprà ostendit, proximè ampliùs ostensurus, & S. Thomas proximè laudatus apertè insinuat. Enimverò ad quid repercussio servit, nisi ad vindictam, cùm non magis serviat ad honoris reparationem, quàm ad membri per percussionem læsi redintegrationem? Neque enim honor per percussionem læsus reparatur apud Deum, Deique timorem habentes (apud quos verus honor est in ferendis patienter injuriis) neque apud mundanos reparatur, nisi per vindictam, quâ læsus, & injuriam passus, de aliena pœna sibi quærit medicamentum. Quod ad vindictam pertinere, Augustinus serm. 41. de verb. Dom. declarat, cùm dicit: *Læsus & injuriam passus vindicari vult,* dum utique *de aliena pœna quærit sibi medicamentum.* Imò juxta regulam mundi, prorsus antichristianam & antidecalogicam (quam proinde pudor est ab Escobario defendi) *quamdiù sinimus vivere illum, qui alapam ei fluxit, tamdiù sumus sine honore.* Quæ regula si vera esset, Christus sine honore fuisset, dum alapâ percussus, percutientem vivere permisit; sicut & maritus tamdiù sine honore esset, quamdiù uxorem adulteram vivere permitteret. Et sic de aliis. Ista-ne dici possunt ab homine Christiano?

138 Prorsus ergo insana est illa mundi maxima, nec audienda; sed audiendus potiùs Augustinus l. 1. de serm Dom. in Monte c. 37. *Omnia in quibus improbitatem aliquam patimur, in duo genera dividuntur, quorum alterum est quod restitui non potest; alterum quod potest. Sed in illo quod restitui non potest, vindictæ solatium quæri solet. Quid enim prodest quòd percussus repercutis? Nunquid propterea aliquid quod in corpore læsum est, restituetur in integrum? Sed tumidus animus talia fomenta desiderat,* contra Dei legem, rectamque rationem, quam Apostolus ubi suprà rationi jam explicatæ superaddit, dicens: *Noli vinci à malo,* &c. Qui verò repercutit, & malum pro malo reddit, non vincit in bono malum, sed à malo vincitur, inquit S. Thomas lect. 3. in illum locum: vincitur namque à diabolo, à sua impatientia, & ab ipsomet adversario, à quo percussus fuit. Per consequens argumentum non dat animi nobilis, magnanimi & fortis, sed ignobilis, pusillanimi ac debilis.

Imprimis vincitur à diabolo, quia (uti rursus egregiè Imperfectus, sive Joannes XLIV. Hierosolymorum Patriarcha) diabolus *ideò excitat aliquem, qui te percutiat, ut dum tu excitatus repercutis eum, pecces, & uno ictu vulnerat ambos. Scit enim quia vulnus corporis citò sanatur; vulnus autem animæ in quibusdam vix cum labore, in quibusdam autem nunquam sanatur. Ideoque si repercusseris eum, in prima quidem facie illum victisse videris, reverà autem à diabolo victus es. Et puras quia te satiasti de illo, verè autem diabolum satiasti de te.* 139

Deinde vincitur à sua impatientia: quia illi succumbit. Vincitur tandem ab adversario suo: quia, ut Ambrosius dicit l. 1. offic. cap. 26. *vindicare se, non est actus fortitudinis, sed abjectionis, & timiditatis: vincitur ab inimico, non vincit, qui se vindicat.* Cur ita? Quia, ut Tertullianus ait in l. de patient. *idcircò quis te lædit, ut doleas: quia fructus lædentis in dolore læsi est.* Si ergo doleas, & impatienter feras, ille te vicit. Si sustineas, tu vicisti. Nam *roga inimicum* (ait Chrysostomus) *an non doleat, an non censeat se victum, cum rides, cùm contemnis ejus injurias?* Idcircò pulchrè Augustinus in Psal. 111. *Gloriam quærit, qui desiderat vindicare se; sed attende quod dictum est: melior est qui vincit iram, quam qui capit civitatem. Et fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia.* 140

Est autem contra rationem, veram istam gloriam postponere falsæ & antichristianæ mundi gloriæ, quæ ex vindicta captatur, quæ soli Deo reservatur Deuteron. 32. *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Unde Tertullianus ubi suprà c. 1. & 10. *Hæc* (inquit) *ulciscendi libido, negotium curat, aut gloriæ, aut malitiæ. Sed gloria ubique vana est, & malitia Domino odiosa. Hoc quidem loco maximè, quia malum duplicat, quod semel factum est. Quid enim refert inter provocantem & provocatum, nisi quòd ille prior in maleficio deprehenditur, iste posterior? Uterque læsi Domini reus est, qui omnem nequam prohibet & damnat, quique præcipit malum malo non rependendum.* Et infrà: *Qui vindicat se,* 141

honorem unici Judicis, id est Dei, abstulit.

142 Est etiam contra rationem, sine ratione & fructu alium repercutere. Hoc verò facit, qui eum repercutit à quo percussus est. Quia, ut iterùm Imperfectus, *numquid si repercusseris eum, compescuisti eum, ut jam non te percutiat? sed magis excitasti eum, ut adhuc te percutiat. Nam iracundia per iracundiam non compescitur, sed amplius irritatur. Quemadmodùm si ignem cum igne conjungas, major flamma succenditur. Si autem non repercusseris eum, ille jam stabit (si quidem sapit) confusus; si autem non sapit, satiatus. Et non solum te iterùm non percutit, sed forsitan compunctius corde pœnitet, quia te vel semel percussit. Attamen etsi sic insanus est, ut nec patientiam tuam intelligat, nec confundatur in facto suo, nunquid potes tu te amplius vindicare, quàm erat Deus te vindicaturus? Ideòque si repercusseris eum, perdidisti vindictam* Dei, quia *teipsum vindicasti, & liberasti eum de manibus Dei, quia reddidisti illi quod fecit.*

143 Accedit quòd repercussione percussoris verus honor non conservetur, nec reparetur, (ut suprà visum est) sed amittatur potiùs & maculetur, cùm non sit argumentum fortitudinis, sed pusillanimitatis, animique victi, non victoris, prout ad confusionem Christianorum Gentilis agnovit Philosophus 4. Ethic. 3. ubi dicit: *Sicut debilis stomachi est cibum duriorem non posse concoquere; ita pusilli animi est verbum duriusculum non posse sustinere.*

CAPUT XII.

Nonnulla alia de homicidio & duello propositiones, cum execratione rejicienda.

144 Rejicienda est imprimis propositio 17ª. ab Alexandro VII. damnata. *Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.* Item 18ª. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.* Quas etiam propositiones Facultas Lovan. priorem anno 1653. posteriorem an. 1657. damnaverat, & Conventus Generalis Cleri Gallicani anno 1700. censuit *scandalosas, erroneas, Decalogo apertè repugnantes, cædibus patrocinantes, & Magistratibus, ipsique humanæ societati certam pernicisem intentantes.*

145 Item rejicienda est 19ª. ab eodem Alexandro VII. pariter damnata: *Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Nam, ut idem Gallicanus Conventus censuit, *est erronea, crudelitatem privatamque vindictam approbat*, uti satis colligitur ex dictis cap. præcedenti. Unde can. 9. 33. q. 2. ex Augustino dicitur, *secundùm legem Christi illicitum est adulteram occidere.*

Atque hinc à fortiori benè infertur, illicitum quoque esse, occidere eum qui te alapâ, vel fuste percussit: cùm atrocior sit injuria marito illata per adulterium, quàm alteri per alapam, vel ictum fustis. 146

Non me latet, novitios Casuistas aliquos prætendere, inter alapam & adulterium illud esse discriminis, quòd adulterium sit in se quid ultimò completum, nec occisione conservari queat honor per adulterium læsus, utpote irreparabilis & irrecuperabilis: honor verò, per inflictam alapam læsus, adhuc conservabilis sit, vel saltem recuperabilis per repercussionem vel occisionem percussoris, incontinenti factam: eò quòd inflictio alapæ non sit ignominia moraliter ultimò completa, nisi dum per fugam vel aliter impeditur repercussio vel occisio, per quam impeditur ultimum istius ignominiæ complementum. Et ideò repercussio vel occisio incontinenti facta, secundùm ipsos, non habet rationem vindictæ, vel reparationis honoris jam completè deperditi; sed conservationis, & defensionis honoris adhuc quodammodò pendentis. 147

Ita illi; sed turcicè, seu ethnicè potiùs quàm christianè. Est enim diabolica illa mundi maxima, per quam diabolus innumeras animas perdit. Conveniebat proinde à Theologis Christianis mundanam illam Philosophiam ex divinis Litteris reformari, atque in christianam commutari, utpote præceptis evangelicis rectæque rationi adversantem, ut suprà demonstravimus. *Non est* ergo *ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica*, ut beatus Jacobus loquitur in Canonica sua c. 3. sicut terrenus, animalis, diabolicus, non verus & christianus est honor emptus vel redemptus occisione, vel etiam repercussione percussoris. Honor profectò simillimus honori empto vel redempto per occisionem uxoris adulteræ, vel per acceptationem duelli, vel provocationem ad illud, de quo infrà. Quæcumque enim pro discrimine proferunt Adversarii, omninò gratis ac voluntariè proferunt. Nam si inflicta per alapam ignominia à mundanis hominibus non censetur moraliter ultimò completa, nisi dum per fugam vel aliter impeditur repercussio vel occisio percussoris incontinenti facta; idem prorsus est de ignominia per adulterium inflicta: quia licèt adulterium sit quidpiam completum in ratione talis peccati apud Deum (quod & de alapa dici potest) à mundanis tamen hominibus non censetur quid moraliter completum in ratione ignominiæ, nisi dum per fugam vel aliter impeditur occisio adulteri vel adulteræ incontinenti facta, per quam mundani homines censent ultimum illius complementum impediri. Quemadmodùm ergo, non obstante istâ mundi maximâ, seu æstimatione, occisio adulteri, vel adulteræ, licèt incontinenti facta, verè apud Deum & sapientes non est defensio, sed vindicta, seu vindex honoris deperditi reparatio, seu velut compensa- 148

tio; sic & occisio vel repercussio percussoris, licèt incontinenti facta, &c. utpote non magis conducens ad conservandum honorem pristinum, per alapam inflictam deperditum, quàm ad conservandum honorem perditum per adulterium. Quippe eadem est utriusque ratio, occisioque in utroque casu solùm servit ad vindicandam injuriam acceptam, acquirendumque novum honorem hominis insultam injuriam non sinentis; quem diabolicum honorem apud mundanos homines acquirit, qui se vindicat, acceptamque injuriam compensat cum morte vel repercussione injuriantis. Honorificum namque videtur mundanis hominibus se taliter vindicare, videtur & ipsis actus fortitudinis; licèt revera sit actus pusillanimitatis, uti pluribus ostendimus capite præcedenti.

149 Denique prorsus è Scholis Christianis eliminanda, & à Christianorum cordibus cum horrore abjicienda est opinio, seu propositio ista 2ª. ab Alexandro VII. proscripta: *Vir equestris, ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Sicut & ista à Facultate Parisiensi reprobata: *Potest etiam duellum offerre, si non aliter honori consulere possit.* Verissimè enim Generalis Conventus Cleri Gallicani in Censura anni 1700. *Doctrina* (inquit) *his propositionibus contenta, falsa est, scandalosa, contraria juri divino & humano, tam ecclesiastico, quàm civili, imò & naturali.* Quòd (inquam) verissima sit ista Cleri Gallicani Censura, satis ostendimus suprà l. 4. cap. 43. ubi duelli malitiam habes demonstratam.

150 Ex dictis ibidem pariter constat justissimum esse Edictum Belgii nostri Principum de die 27. Februarii 1610. quo duellantes art. 2. declarantur infames, privantur omni statu, officio, honore, pensione, mediæque partis bonorum confiscatione. Art. 3. morte plectuntur. Art. 4. dicitur: *Quoniam pleraque duella ortum habent ex falsa opinione, quasi degenere timore impediantur, qui manu sua injurias non vindicant; declarant Principes falsam eam esse opinionem, honorem injurias passorum sub suam protectionem recipiunt; & ne quis exprobret, sub suæ indignationis, & arbitrariâ pœnâ vetant.* In Gallia Ludovicus Magnus se inexorabilem reddit circa pœnas duellantium, quorum cadaver patibulo pede suspenditur, erexitque Rex Parisiis Tribunal summorum Tribunorum Militiæ Francicæ, quibus data est summa potestas ex omnibus Provinciis citandi & compellendi ad honorariam satisfactionem quoscumque nobiles, qui honorariam injuriam alteri nobili intulissent. Lege verò Tridentini sess. 25. de reform. c. 19. excommunicantur Imperatores, Reges ac Principes monomachiam in terris suis permittentes, sicut & duellantes, eorumque patrini, atque ex composito spectatores, qui etiam puniuntur confiscatione bonorum, atque infamiâ, ac privatione Ecclesiasticæ sepulturæ, si in duello moriantur. Quas pœnas innovarunt Pius IV. Gregorius XIII. Clemens VIII. eas extendentes ad milites, qui in adversariorum exercitu militantes, privatas simultates publicæ causæ immiscendo, etiam Ducum permissu, ex condicto ad singulare certamen descendunt, etiam cum pacto, ut cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, vel sanguinem effuderit, certamen dirimetur; vel etiamsi illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint, si per seipsos non steterit, quominùs illa committeretur. Et quamvis Concilium Tridentinum non reservaverit duellum; illud tamen sibi reservarunt Clemens VIII. & Urbanus VIII. si sit publicum, & ad forum contentiosum deductum; aliàs ab eo absolvere possunt Episcopi in vim Tridentini sess. 24. de reform. c. 6. solisque Episcopis ea reservarunt publica Cleri Gallicani Comitia.

CAPUT XIII.

Occurritur argumentis, quæ contra præmissa objiciuntur.

OBjicit 1°. Caramuel Theol. præterintentionalis num. 2607. altiùs & grandiùs de honore, quàm de vita sentitur apud generosos; centies enim nobilissimi Heroës vitam exponunt morti, ut vel parum in honore & authoritate proficiant. Et ratio est, quia vita moralis nobilior est quàm naturalis, vilioresque qui moraliter & politicè, quàm qui naturaliter & physicè mortui sunt, uti sunt omnes infames. Unde viri generosi malunt vitam naturalem amittere, quàm honorem & famam. Unde Poëta canit: 151

Omnia si pereant, famam servare memento:
Hâc semel amissâ, postea nullus eris.

Hinc concludit, quidquid sit de licita vel non licita occisiva defensione vitæ, licitam esse occisivam defensionem honoris & famæ.

Respondeo, si de vero honore agatur, amittendam quandoque vitam potiùs quàm aliquid committatur, unde aliqua honori nostro labes aspergi queat: siquidem Sacerdos & Religiosus vitam suam in discrimen potiùs adducere debet, quàm in criminis alicujus suspicionem meritò venire; vir etiam nobilis vel militaris, quàm in bello ignavè se gerat, stationem deserat, fugam arripiat, &c. Et huc spectat quod dicitur in objectione: vita moralis nobilior est quàm naturalis; quo etiam sensu Augustinus serm. 19. de verb. Apost. dicit, *melius est justum esse, quàm hominem esse.* Sed si sermo sit de falso honore, quo sæculi homines honorabile putant, contra Dei leges, se ulcisci, percussorem repercutere, uxorem adulteram cum adultero occidere, pro accepta alapa hominem interficere, in duello pugnare; de tali (inquam) honore intellectum Caramuelis argumentum, non solùm futile & falsum, sed & barbarum & antichristianum est, Turcâque potiùs quàm homine Christiano dignum. Unde qui pro tali honore vitam amittunt, vel exponunt, id ex recto non

faciunt judicio, sed perverso. Neque enim talis honor magnifieri debet ab homine sapiente & Christiano, neque habenda ratio æstimationis mundanorum hominum perversè judicantium: utpote apud quos perinde est esse, vel non esse in honore; cùm apud ipsos sæpè in honore sint indigni, & digni non solùm sine honore, sed sæpè sunt *opprobrium* mundanorum *hominum*, *& abjectio plebis*, uti patuit in Christo.

152 Objicies 2°. siquis viro honorato conetur infligere fustem, vel alapam, seu aliam atrocem in honore injuriam, præsertim in publico, non tenetur fugere. Igitur potest repercutere, vel occidere, si aliter honori consulere non possit. Durum est enim, vel debere fugere, vel tam atrocem pati injuriam, quæ tanta est (ait Caramuel n. 2646.) ut scire vellem an ex contrariæ sententiæ Authoribus unus esset, qui sororem suam in uxorem daret homini publicè fustibus excepto. Unde putat indiscretam esse pietatem eorum, qui dicunt, eum qui talem patienter sustinet injuriam, apud Deum & Sanctos honoratum manere, contrariamque mundanorum hominum æstimationem non debere curare.

Respondeo, virum honoratum non debere fugere, debere tamen potiùs ictum pati, quàm occidere, vel repercutere. Et idem est quoties impedire non possumns calumniatorem, nec famæ injuriam evitare, propter linguas vel aures malevolas, temerariasque vel nimis credulas suspiciones & opiniones hominum. Quo casu Sanctorum, imò Evangelii doctrina est, nobis esse gaudendum, potiùs quàm tristandum, cumque Apostolo Dei militandum *per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.* Tunc (inquit Gregorius l. 8. epist. 45.) *habemus Paulum dicentem: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ: Job quoque dicit: Ecce enim in cælo testis meus. Si ergo nobis testis est in cælo, testis in corde, dimitte stultos foris loqui quod volunt. Vocandi sunt tamen etiam ipsi, tranquillè monendi; eisque satisfieri omnibus modis decet, scientes quòd de eis Veritas dicit, ne fortè scandalizemus eos*, &c. Si tali honorato viro sororem suam Caramuel negaret, Spiritum Christi non haberet, sed mundi. Tametsi enim talis honore careret secundùm maximas mundi (cujusmodi honor nonnisi fumus est & vanitas) certè non secundùm Evangelium Christi; unde reverà non foret honore diminutus, sed auctus. Quòd si aliter mundus judicet, dicendum cum Hieronymo: *Vel Christus fallitur, vel mundus errat.*

153 Objicies 3°. pretia rerum ex communi non sanctorum, sed vulgarium æstimatione pensantur: nam sancti aurum argentumque contemnunt, quæ tamen metalla sunt pretiosissima, quæ vilescerent, si etiam vulgò contemnerentur. Sic etiam apud sapientes & doctos formica est nobilior auro: quia tamen vulgus aliter æstimat, civiliter ignobilior est. Quemadmodùm autem hoc in metallis verum est, sic & in honore: quia sicut vulgus metalla æstimat ex apparentibus, non ex occultis qualitatibus; sic & de hominibus honorandis judicat, non sicut judicat Deus, qui penetralia novit, sed secundùm ea quæ exteriùs parent, solentque in æstimatione vel ignominia esse in æstimatione mundi.

Respondeo sanctos aurum argentumque contemnere, non ut servit ad necessitates vitæ, sed ut amatorem sui inserit periculis & doloribus multis, & ut minùs æstimabile, quàm sit christiana paupertas. Et licèt formica sit nobilioris ordinis quàm aurum (ordinis utique viventium seu animatorum) in ordine tamen ad usus & necessitates hominum, minùs (etiam à sanctis & sapientibus) æstimari quàm aurum, quo meliùs quàm formicis comparantur necessaria ad vitam. Et hoc sensu aurum esse magis pretiosum. Sed hoc quid facit ad rem, cùm ne pro auro quidem & argento, imò nec pro vita defendenda liceat occidere hominem? Multò ergo minùs pro honore mundano, quem corrupti sæculi homines collocant in faciendis iis quæ divinis humanisque legibus prohibentur, utique in vindicando se, in occidendo uxorem repertam in adulterio, in duellando, &c. umbram pro luce, pro veritate mendacium, pro vero honore infamiam accipientes; quod non faciunt qui aurum pro auro accipiunt: cùm & Deus & sapientes aurum accipiant pro auro; sed nec Deus, nec sapientes veram infamiam unquam accipiunt pro honore, nec honore dignos æstimant divinarum humanarumque legum prævaricatores, cùm digni sint opprobrio sempiterno. Quòd si officio, dignitate, Ducis ac Principis favore aliquando priventur, qui eas nolunt prævaricari, nihil refert: quia quisquis sapit Deum, Deique legem, super aurum & topazion, super omnem sæculi dignitatem, Principumque omnium favorem diligit. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

Objicies 4°. esse vilem, abjectum, infa- 154
mem, etiam apud improbos sæculi homines, grande malum est (aliàs graviter non peccaret qui proximum apud tales infamaret) ergo contra infamiam istam licita est defensio, etiam occisiva.

Imprimis nego consequentiam: cùm certum sit occisivam defensionem non esse licitam adversus quodcumque grande malum.

Deinde esse vilem & infamem, infamiâ il- 155
lâ mundanâ, quæ (cùm in divinarum humanarumque legum observantia consistat) apud Deum & sapientes non est infamia, sed gloria, non esse reverà grande malum; imò grande bonum respectivè ad eum qui taliter diffamatur: esse tamen grande malum seu peccatum respectivè ad diffamantem, in quantum intendit, quantùm in se est, grande malum diffamati, blasphematque seu

contemptibilem reddit observantiam mandatorum Dei, ab eaque, quantùm in se est, probos avertit, & improbos in improbitate sua confirmat.

CAPUT XIV.

Seipsum directè & per se occidere nunquam licet, nisi Deo jubente, vel specialiter inspirante.

156 ITa S. Augustinus lib. 1. de Civit. Dei à c. 17. ad 28. S. Thomas q. 64. a. 5. aliique Patres ac Doctores; passim omnes, contra Circumcelliones hæreticos, & Petilianum Donatistam, quem S. Augustinus impugnat l. 2. contra litteras Petiliani c. 49.

Probatur 1°. quia præcepto, *Non occides*, generaliter prohibita est hominis occisio sine authoritate Dei. Seipsum verò occidere, est hominem occidere.

157 2°. Christus Joan. ult. dicens, *alius te cinget*, interprete Augustino tr. 51. in Joan. satis expressit, *non à seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.*

158 3°. *vita est quoddam donum divinitus homini attributum, & ejus potestati subjectum, qui occidit, & vivere facit.* S. Thomas loco citato. *Et ideò quisquis seipsum vitâ privat, in Deum peccat, sicut qui alienum servum interficit, & qui sibi usurpat judicium de re sibi non commissa.* Itaque ad solum Deum pertinet hominis occisio, juxta illud, *Ego occidam*, &c. Et ideò qui absque Dei commissione & authoritate occidit, in jura Dei involat, Deoque injuriam facit. Deus autem nusquam homini dedisse legitur authoritatem occidendi seipsum. Nam, ut S. Augustinus dicit 1. Civit. 20. *in sanctis canonicisque libris nusquam nobis divinitus præceptum permissumvè reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi cavendivè mali causâ, nobismetipsis necem inferamus.* Unde *hoc dicimus* (inquit c. 26.) *hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem sibi spontaneam mortem inferre debere, veluti fugiendo molestias corporales, ne incidat in perpetuas; neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum; neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vitâ opus est, ut possint pœnitendo sanari; neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur, quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit.*

159 4°. sicut parricida eò sceleratior est, quò propinquiorem hominem necat; sic sceleratissimus est suipsius peremptor: quia nemo est homini seipso propinquior. Ita arguit Augustinus l. de patientia. c. 13.

160 5°. „ si de duobus, mare scilicet & femina dictum est, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; qui animam à corpore separat, laqueo se strangulando, ecquam quæso veniam merebitur? ait Isidorus Pelusiota l. 5. epist. 287.

161 6°. propriâ manu perire, à communi omnium animalium natura discrepat (ait Josephus l. 3. de bello Judaïco c. 14.) quippe nullum est animal, quod ex industria vel per se moriatur; siquidem naturæ lex universalissima, ut velint vivere, in omnibus sita est. Eandem rationem sic exprimit S. Thomas ubi suprà: *Naturaliter quælibet res seipsam amat; & ad hoc pertinet, quòd quælibet res naturaliter conservat se in esse, & corrumpentibus resistit quantùm potest: & ideò quòd aliquis seipsum occidat, est contra inclinationem naturalem, & contra charitatem, quâ qualibet res seipsam debet diligere. Et ideò suipsius occisio semper est peccatum mortale, utpote contra naturalem legem, & contra charitatem*, &c.

162 Objicies 1°. Sampson Judic. 16. seipsum cum hostibus interemit, & Eleazarus 1. Machab. 6. & S. Apollonia seipsam in ignem injecit, & plures sanctæ feminæ fugiendo persecutores castitatis suæ, seipsas in flumen projecerunt, quas Ecclesia ut Martyres veneratur.

Respondeo, quòd omnes illi & illæ peccassent, si absque Dei jusso vel inspiratione id feciissent, prout Augustinus expressè dicit l. 1. de Civit. c. 21. & S. Bernardus l. de præcept. & disp. c. 7. & S. Thomas suprà ad 4. addens quòd nec Ecclesia sanctas illas feminas ut Martyres coleret, nisi Deo authore id feciisse crederet.

163 Objicies 2°. licitum est militibus navalibus ignem injicere in pulverem tormentarium, conjiciendo se in mare, ne navis cum magno Reipublicæ damno in hostium potestatem veniat, sicut & suffodere turrim unde opprimendi sunt cum hostibus.

Respondeo id quidem concedi à Diana, Hurtado, & Tamburino l. 6. c. 2. §. 2. Sed non ab Augustino, Bernardo, & S. Thoma n. 162. relatis: apertè enim docent factum Sampsonis aliter excusari non posse quàm per instinctum Spiritûs sancti intùs jubentis. Aliud est, si evadendi spes aliqua superesset, quia naufragii periculo pro salute & utilitate Reipublicæ se exponere possunt. At in navi manentibus ignem admovere non licet, nec in mare ad certum naufragium se demergere. Aliàs rei essent suicidii. Similiter in bello suffodere non possunt turrim, cujus mole certò cum hostibus opprimendi sunt absque ulla spe evasionis. Est enim factum simillimum facto Sampsonis. Nec Eleazaro 1. Machab. 6. licuit se supponere elephanti, quem occidebat, absque simili instinctu Spiritûs sancti, si certò crediderit se mole ipsius opprimendum, nec probabiliter evadere posse. Sed vel hoc probabiliter speravit, vel specialem S. Spiritûs instinctum habuit, ut Sampson. Et ideò miris ab Ambrosio laudibus effertur l. 1. officior. c. 40. quamvis à D. Gregorio 19. Moral. 13. *arrogans* vocetur.

164 Objicies 3°. si invasorem pudicitiæ suæ virgo aliter evadere nequeat, nisi se per fe-

neſtram dejiciendo, & occidendo, videtur id facere poſſe, ne concupiſcentiæ igne ſuccendatur, prout è turri præcipitare ſe poſſet, ne igne materiali conſumeretur. Unde Hieronymus in cap. 1. Jonæ: *In perſecutionibus* (inquit) *non licet propriâ perire manu, abſque eo ubi caſtitas periclitatur.* Et S. Ambroſius l. 3. de S. virginit. necnon in epiſt. 7. commendat Pelagiam, quæ ſeipſam occidit, ne caſtitas ipſius violaretur.

Reſpondeo negando ſuppoſitum: nunquam enim contingit, nec contingere poteſt, ſic quemquam invadi concupiſcentiæ igne, ut innocens evadere nequeat, niſi ſe occidendo. Unde Auguſtinus l. 1. de Civit. Dei c. 25. propoſito ſibi caſu qui objicitur, in quo videbatur, quòd *non jam propter alienum, ſed propter ſuum peccatum, antequam hoc quiſquam committat, ſe debet occidere.* Reſpondet, non eſſe perpetrandum ſuicidium, ne fortè poſteà cadat in adulterium: quia *ſi tantùm dominatur iniquitas, ut non innocentia, ſed potiùs peccata eligantur, ſatius eſt incertum de futuro adulterium, quàm certum de præſenti ſuicidium.*

Enimverò ſi licitum eſſet ſuicidium, propter pericula peccatorum futurorum, potiùs (inquit c. 27.) hortandi eſſent homines tunc ſe interficere, cùm lavacro ſanctæ regenerationis abluti, univerſorum remiſſionem acceperunt peccatorum. Tunc enim tempus eſt cavendi omnia futura peccata, cùm omnia ſunt deleta præterita: quod ſi morte ſpontaneâ rectè fit, cur non tunc potiſſimùm fit?

165 Nec contrarius eſt Hieronymus, cujus de eo ſententia refertur can. *non eſt* 23. q. 5. Quia, ut ibi Gloſſa ait, ly *abſque* ibi non ſumitur excluſivè, ſed incluſivè, ſicut cùm dicitur in Canticis: *pulchræ ſunt genæ tuæ, abſque eo quod intrinſecùs latet.* Vel certè Hieronymus caſum illum excipit, non quia tunc ſine ſpeciali Dei inſtinctu vel juſſione id liceat, ſed quia licet, dum adeſt, prout adfuit ſanctæ Pelagiæ, aliiſque ſanctis feminis. Sed tunc neceſſe eſt ut id Deus ſe jubere, vel concedere ſine ullis ambagibus intimet, prout loquitur Auguſtinus 1. Civit. 26. Debet enim de divina conſtare juſſione, vel conceſſione. Propter quod ſubdit: *Qui ergo audit non licere ſe occidere, faciat ſi juſſit, cujus non licet juſſa contemnere, tantummodò videat, utrùm divina juſſio nullo nutet incerto.*

166 Objicies 4°. quid ſi Antonia tam periculosè ſollicitetur ad turpia, ut niſi ſeipſam interficiat, certo certiùs ſciat ſe conſenſuram, v. g. quia ſcit Deum ſibi denegaturum auxilia efficacia, quibus negatis infallibiliter ſuccumbet? Quidni tunc poterit ſuâ manu mori, potiùs quàm fœdari, ait Caramuel.

Reſpondeo certò ſcire non poſſe ſe conſenſuram, niſi conſentire liberè velit, nec poſſe aliud ſcire, aut præſcire, niſi quòd in omni caſu per ipſam ſtabit non conſentire, ſuæque voluntati ac malitiæ tribuetur, ſi conſentiat. De divino ergo ſemper confidere debet adjutorio, cui ſi fideliter cooperari voluerit, non ſuccumbet. *Fidelis enim Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione profectum*, niſi per nos ſteterit. *Abſit enim à mente chriſtiana* (inquit Auguſtinus c. 25.) *quæ in Deo ſuo fidit, in eoque ſpe poſitâ, ejus adjutorio nititur; abſit, inquam, ut mens talis quibuſlibet carnis voluptatibus ad conſenſum turpitudinis cedat.*

Objicies 5°. exemplum cujuſdam Religioſi, qui (ut Caramuel narrat Theol. fundam. num. 1167.) cùm ſanctè vivere vellet, & peccare ſoleret, tædio ſui affectus, cùm poſt generalem confeſſionem, Miſſæque celebrationem, ad cellam reverſus, re Deo commendatâ, Biblia aperuiſſet, animo præſtandi quod ibi inveniret, incidit in verba illa Job. 7. *Suſpendium elegit anima mea*, quæ accipiens pro ſigno divinæ voluntatis, laqueo ſe ſuſpendit; in fluvium deinde projectus, & in vicino pago ſepultus, pagum à cæli inclementia (cui priùs erat obnoxius) impoſterùm mirè ſervavit, miraculum inclamantibus ruſticis, ejuſque ſepulchrum multo flore coronantibus. 167

Reſpondeo fabulam eſſe, niſi internus inſtinctus Spiritûs ſancti intervenerit, prout in facto Sampſonis. Quod parum credibile eſt, nec abſque cogenti neceſſitate præſumendum. Neque enim Religioſus ille potuit, niſi tentando Deum, verba illa accipere pro ſigno divinæ voluntatis.

CAPUT XIV.

Ne publicâ quidem authoritate, ſive jubente Judice, poteſt malefactor ſeipſum interficere.

168 EST communis contra Joannem Pontium, Dicaſtillum, & Tamburinum proximè relatum num. 6. ubi dicit, quòd *juſtè damnatus ut fame pereat, poteſt oblatum cibum reſpuere.* Et §. 1. n. 5. de damnato ad pereundum veneno dicit, quòd *licitè venenum, propinante miniſtro, aperto ore ſumit, deglutitque.*

169 Sed in contrarium eſt S. Thomas q. 69. a. 4. ad 2. dicens: *Nullus ita condemnatur, quòd ipſe ſibi inferat mortem, ſed quòd ipſe mortem patiatur. Et ideò non tenetur facere id unde mors ſequatur; quod eſt manere in loco, unde ducatur ad mortem. Tenetur tamen non reſiſtere agenti, quin patiatur id quod juſtum eſt cum pati. Sicut etiam ſi aliquis ſit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat, ſi cibum ſibi occultè miniſtratum ſumat: quia non ſumere, eſſet ſeipſum occidere.* Quæ poſtrema verba probant taliter condemnatum non modò poſſe, ſed & teneri cibum ſibi oblatum ſumere: quia citra ſpecialem Dei impulſum nemini licitum eſt ſeipſum occidere. Cùm ergo non ſumere, ſit ſeipſum occidere, talis juxta S. Thomam eodem jure tenetur oblatum cibum ſumere, quo tenetur ſeipſum non occidere.

170 Atque hinc aſſertio noſtra probatur ſic: homo tenetur conſervare vitam ſuam, quandocumque licitè poteſt. Atqui ille licitè poteſt,

cibum sibi occultè ministratum sumendo. Ergo tenetur.

171 Si neges minorem, quasi obstet Judicis sententia. Contrà : sententia Judicis non præcipit ut condemnatus non comedat (aliàs injusta foret) sed tantùm ut nemo ipsi cibos ministret. Quòd sententia injusta foret, si Judex præciperet ut malefactor in se sententiam mortis exequeretur, ratio est, quia Deus non reperitur dedisse Judici potestatem occidendi malefactorem, per ipsummet malefactorem (ob nimiam crudelitatem : summa quippe crudelitas est, quâ quis in seipsum adeò crudelis est, ut seipsum destruat, nec est quod natura magis horreat) sed per alium : maximè cùm hoc satis sit ad justitiam, quæ nunquam postulat, ut quis sibi mortem inferat, sed ut eam patiatur. Rationabiliter proinde non asseritur ampliorem potestatem Judicibus esse concessam, quamdiù de eo sine ullis ambagibus non constat. Non constat autem. Ergo, &c.

172 Nimis ergo crudeles sunt illi Tamburini soni; nec condemnatus ut veneno pereat, magis potest propinatum sibi venenum sumere & deglutire, quàm damnatus ut gladio pereat, gladio se possit interficere ; nec Judex magis unum præcipere potest, quàm alterum.

173 Objicies 1°. cum Caramuele Theol. præterintent. n. 2483. clarius est quòd non possis occidere proximum, quàm quòd non possis occidere te, vel (ut Theolog. fundam. n. 1137.) strictiùs non teneris te non occidere, quàm proximum ; imò fortè minùs strictè, aut saltem minùs clarè. At est in Republica authoritas ut possit carnifici præcipere, ut occidat alterum hominem reum. Ergo & ut reus occidat seipsum.

Respondeo negando majorem, utpote cui ipse naturæ horror, & unanimis Majorum doctrina reclamat, sicut & Augustinus suprà dicens : *Sine dubio pejor est, qui se occidit : quia nemo est homini seipso propinquior.* Et tr. 51. in Joan. *suicidas crudeliores & sceleratiores homicidas* appellans, comparatione aliorum.

174 Objicies 2°. siqua appareat crudelitas in suicidio, potest diminutione pœnæ compensari, ut patet in iis qui ex alta turri se præcipitant, ut ignem evadant. Quidni ergo justa esse queat sententia in reum, qui vivus comburi meruit : *Aut vivus in turri comburatur, aut ex ea se præcipitet cerò occidendus.*

Respondeo negando antecedens : neque enim ex alta turri se quisquam præcipitare potest, si nulla omninò spes sit mortem sic evadendi. Quia *nullius mali carendi cavendivè causâ seipsum interimere licet*, ut Augustinus dicit.

175 Objicies 3°. omnibus à natura concessum est, acerbissimam mortem, quà data porta, effugere.

Respondeo ita esse, sed per medium licitum, non per suicidium.

Objicies 4°. reus potest se accusare de crimine, propter quod occidetur. Ergo & se occidere : cùm se de tali crimine accusare, sit linguâ se occidere. Perinde est autem sive gladio linguæ se occidat, sive materiali gladio suo. 176

Nego consequentiam, quia se taliter accusans non occidit se directè & per se, sed justam dat causam ut occidatur per alium, authoritate Judicis : neque enim aliter gladio linguæ occidit se, accusando se, quàm fatendo crimen, dum accusatur ab aliis. Accedit quòd accusare se, Reipublicæ aliquando sit necessarium ; nunquam verò ipsi necessarium sit occidere se.

Objicies 5°. si aliquis in extrema necessitate constitutus solùm haberet id unde posset vitam suam conservare, posset illud dare Principi, seu magnæ personæ in eadem necessitate constitutæ, per quam Ecclesia vel Respublica sustentaretur. Ergo se posset occidere. 177

Respondeo 1°. propter istud argumentum, aliaque quæ ad idem adferri possunt, non videri intrinsecè malum se occidere defectu, id est non per actionem positivam sui destructivam, sed per omissionem alicujus necessarii ad vitam conservandam. Nam & Christus, & plerique Martyres seipsos liberare potuerunt à morte, id tamen omiserunt. Et S. Thomas 2. 2. q. 32. a. 6. concedit id quod assumitur in objectione : postquam enim dixit : *Si aliquis in articulo necessitatis constitutus, haberet solum unde posset sustentari.... de hoc necessario eleëmosynam dare, est sibi..... vitam subtrahere.* Protinùs addit : *Sed hoc dico, nisi fortè talis casus immineret, ubi subtrahendo sibi, daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia vel Respublica sustentaretur. Quia pro talis personæ liberatione seipsum & suos laudabiliter periculo mortis exponeret, cùm bonum commune sit proprio præferendum.*

Respondeo 2°. eum qui unicum illum panem sibi in tali casu subtrahit, datque Principi, ut in ipso Ecclesiam vel Rempublicam sustentet, non censeri se occidere (saltem propriè loquendo) sed solùm permittere se perire à causa naturali, seu se non conservare. Se verò non conservans solùm censetur se occidere (moraliter loquendo) dum tenetur se conservare. Ad quod non tenetur homo privatus in circumstantiis, in quibus commune bonum propriæ vitæ præferre tenetur. Propter similem etiam rationem Christus & Martyres permittendo se occidi à tortoribus, sese occidisse non censentur : quia se conservare non debuerunt, dum Dei voluntas fuit ut morerentur. Sed aliud censet S. Doctor de condemnato ut fame pereat, quia talis equidem tenetur vitam suam conservare quamdiù potest ; adeòque quamdiù cibus ad id necessarius ipsi ministratur. Quem proinde si non sumat, seipsum occidere censetur. 178

Collige 1°. licitum esse se objicere telo, vel gladio, aut globo ad conservandam vitam 179

Prin-

Principis, aliàs occidendi. Quia hoc non est se occidere, sed solùm se non conservare, periculoque mortis se objicere, præferendo commune bonum vitæ propriæ. Quod laudabiliter fit, juxta S. Doctorem n. 177. laudatum.

180 2°. esse licitum, in communi naufragio, dum unica tabula haberi potest, eam non arripere, cùm posses, sed Principi eam permittere. Eandem ob rationem. Si tamen eam prior occupasses, non posses eâ te dejicere, ut Principi dares. Quia eâ te dejiciendo teipsum positivè occideres, perinde ac si de navi te in mare dejiceres.

181 3°. suicidii reos esse, qui per frequentem crapulam, ebrietatem, vel obscœnam libidinem, aliasve animi perturbationes seipsos occidunt. Dicitur enim Eccli. 31. *Multos exterminavit vinum.... Quæ vita est ei, qui minuitur vino? Quid defraudat vitam? mors.* Et c. 37. *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Proverb. 17. *Animus gaudens ætatem floridam facit; spiritus tristis exsiccat ossa.* Eccli. 30. *Multos occidit tristitia.* 2. Cor. 7. *Sæculi tristitia mortem operatur.* Eccli. 29. *Zelus & iracundia minuunt dies*, &c.

182 4°. non esse quidem licitum jejuniis, laboribus, & aliis carnis afflictionibus macerare corpus ex intentione citiùs moriendi; licitum tamen laudabileque esse, id cum discretione facere, ex intentione placendi Deo, corpus in servitutem redigendi, Christi mortificationem jugiter in corpore circumferendi, seque peccatorem, nulli rei nisi pœnitentiæ natum, agnoscendi, etiamsi vita inde nonnihil abbrevianda sit. Hoc enim pluribus sacris testimoniis probat S Augustinus enarrat. in Psal. 40. docentque innumera exempla Sanctorum. Et ratio est, quia vita christiana continua pœnitentia esse debet, juxta Tridentinum: nam ipsimet justi semper aliqua ex parte sunt peccatores; ipsos proinde semper oportet gemere, semper corpus castigare & emendare, semper mortificare membra sua quæ sunt super terram.

183 Et idipsum confirmat laudabilis praxis Carthusianorum, qui ex suæ Religionis consuetudine à carnibus abstinent, etiam in periculo mortis, etiam non obstante Medicorum præscripto, carnes ad mortem evadendam necessarias judicantium; ad quod nihilominùs non tenentur, magis quàm S. Casimirus ad castitatem ex Medicorum præscripto acceptâ uxore amittendam, ut conservaret vitam suam: sive quia Medici in similibus sæpè fallunt & falluntur; sive quia regulariter alii sunt cibi, ex vitellis ovorum recentium, vel ex delicatis piscibus confecti, qui carnibus æquipollent, & convenientiores sunt debilibus stomachis, qui à longo tempore carnibus abstinuerunt; sive denique quia nunquam evidens est carnium necessitas ad vitæ conservationem. Stante verò inevidentiâ istâ, fallibilitateque judicii Medicorum, melius est se per abstinentiam exponere periculo mortis, quàm laudabilem Ordinis observantiam, sanctâ consuetudine introductam, periculo relaxationis. Sed hac de re plura & præclara videri possunt apud Gersonem in tract. de temperantia Carthusianorum.

CAPUT XVI.

Nunquam licitum est innocentem occidere directè & per se.

184 ITa S. Augustinus l. 1. de Civit. c. 7. & 19. S. Thomas q. 64. a. 6. & Doctores communiter.

Probatur ex c. 23. Exodi: *Insontem & justum non occides, quia aversor impium.* Quibus postremis verbis significatur id esse intrinsecè malum.

185 Objicies 1°. quia licitum est præscindere membrum, etsi sanum, pro salute totius corporis, ut si innocens à Tyranno sis occidendus, nisi tibi amputes manum catenâ constrictam, quâ captivus teneris. Similiter ergo licitum est civem innocentem, pro totius Communitatis conservatione occidere, dum v. g. Tyrannus, civitatem obsidens, vult sibi mitti caput ipsius; aliàs civitatem eversurus. Siquid enim obstaret, foret quòd solus Deus sit Dominus vitæ innocentis. At solus etiam Deus est Dominus membrorum innocentis, eo tamen non obstante membrum physicum, licèt innocens, pro salute totius corporis physici licitè amputatur: ergo & membrum politicum pro salute totius politici.

Et confirmatur, quia civis ille pro communi bono se exponere tenetur, & nisi faciat, in pœnam delicti à Republica occidi potest. Præstat enim ut unus homo, quàm tota gens pereat.

186 In isto casu Rempublicam posse, pro communi salute, innocentem directè occidere, docent Joannes Pontius Curs. Theol. disp. 5. q. 5. conclus. 4. n. 25. & Bonæ-Spei to. 3. tr. 4. disput. 8. dub. 2. resolut. 5. Sed in contrarium est laudatus Exodi locus, à cujus generalitate ratione purè humanâ non licet excipere. In contrarium quoque est Augustinus loco citato, Doctoresque passim omnes, existimantes id intrinsecè malum.

187 Nec ratio duorum illorum quidquam probat, quia nimis probat; eo utique casu licitum esse innocenti directè interficere seipsum, id exigente Tyranno, civitatem alioqui subversuro; quemadmodùm ipsi licitum est membrum suum exscindere pro salute totius corporis physici in casu posito in objectione. Absit verò ut id concedam: cùm Augustinus ubi suprà modis omnibus inculcet, nulli, præsertim innocenti, quacumque ex causa fas esse seipsum occidere sine jussu Dei.

188 Ad objectionem ergo respondeo negando consequentiam: quia hac in re philosophandum non est de politicis, sicut de physicis membris: eò quòd membrum physicum non habeat esse propter se, sed propter totum; po-

liticum verò, tametsi pars Reipublicæ, non solùm habeat esse propter Rempublicam, sed & propter se. Unde nec tantam habet subordinationem ad Rempublicam, quantam habet manus ad reliquum corpus.

189 Ad confirmationem, nego consequentiam: si enim in pœnam delicti tunc possit occidi: non ergo innocens, sed nocens. De quo posteà.

190 Objicies 2°. innocens, in casu quo id Reipublicæ salus exigit, tradi potest Tyranno, vel cogi ut seipsum tradat, exeundo ad Tyrannum. Igitur potest & occidi.

Negant antecedens Sotus l. 5. de just. q. 1. a. 7. Serra, Arragonius, Bonacina, & alii. 1°. quia innocentem tradere, vel cogere ut se tradat Tyranno, est actus destinatus ad necem ipsius, sicut ipsum tradere bestiæ devoraturæ; quod non subest potestati Reipublicæ. 2°. saltem est ad necem ipsius cooperari, eo modo quo cooperarentur satellites Tyranni ipsum capientes & tradentes. 3°. non licet occidere innocentem ob commune bonum: ergo nec ad mortem tradere: cùm enim vita justorum conservativa sit & promotiva, non destructiva boni communis, commune bonum non magis exigit ipsius traditionem, quàm occisionem. 4°. vita justorum solùm esse potest impeditiva boni communis ex malitia Tyranni: quemadmodùm ergo Tyranni malitiâ exigente non licet ipsos occidere; ita nec tradere. 5°. pro salute Reipublicæ fas non est Tyranno tradere innocentem virginem corrumpendam: ergo nec occidendam. Propterea Authores illi concedunt quidem Rempublicam posse tunc innocentem non defendere, imò è civitate quoque expellere; sed non tradere ad mortem poscenti, nec cogere ut seipsum tradat.

191 His tamen non obstantibus, satis probabiliter existimant Bannez, Ledesma, & alii communiùs, Rempublicam posse eo casu tradere innocentem, licèt occidere non possit, sicut ipsemet innocens potest, imò tenetur (inquit Tannerus disp. 4. q. 8. dub. 5. n. 54.) pro Reipublicæ salute seipsum tradere, animamque suam evidenti periculo exponere pro fratribus suis. Quia tenetur communem Reipublicæ salutem propriæ præferre, uti docet S. Thomas suprà n. 177. Et hoc est quod fecit Eleazar 1. Machab. 6. *Dedit* enim *se, ut liberaret populum suum*, prout ibi dicitur, & à S. Ambrosio mirificè laudatur l. 1. de offic. c. 40. Potest autem Respublica ipsum compellere ut faciat id quod facere tenetur; & si contumaciter resistat, ipsum, non jam innocentem, sed nocentem occidere, sicut occidere potest militem renuentem servare stationem, in loco ubi certa mors ipsi imminet, compellere etiam Chirurgum ad serviendum pestiferis, dum grassante peste, nullus ultrò vult servire.

192 Atque hinc facilè occurritur allegatis in contrarium. Ad 1^um. enim respondetur quòd sicut traditio sui in illo casu non est actio ex se & naturâ suâ ordinata ad suicidium; sic traditio ipsius à Republica non est actio ex se ordinata ad homicidium, seu innocenticidium, uti est tradere truculentæ bestiæ, utpote naturâ suâ feræ, & carenti libertate, quâ quia gaudet Tyrannus, potest istâ traditione benè uti, & non abuti.

Ad 2^um. respondetur, quòd sicut traditio 193
suiipsius non est cooperatio ad necem sui; ita nec traditio Reip. quæ ideò non censetur cooperari innocenticidio Tyranni, quia sponte non tradit, sed compulsa necessitate providendi saluti communi; quam proinde solam censetur intendere, non innocenticidium, sicut dum innocens tradit seipsum. Idem aliqui dicunt de iis satellitibus, qui innocentes capiunt & tradunt Tyranno, non sponte, sed ex necessitate vitandæ mortis, aliàs sibi comminatæ. Sed hoc non caret difficultate: quia ut se liberent à discrimine, non debent innocentem in illud conjicere. Sed si hoc ipsi non possint ut se liberent à discrimine privato, consequens non est Rempublicam non posse, ut se liberet à discrimine publico.

Ad 3^um. negatur consequentia: quia dispa- 194
ritas patet ex dictis n. 191. & quamvis commune bonum per se loquendo nunquam exigat traditionem justorum magis quàm occisionem; eam aliquando exigit per accidens: sicut enim per accidens aliquando exigit ut seipsum justus tradat; ita & ut ipsum renuentem Respublica tradat.

Ad 4^um. negatur iterùm consequentia: 195
quia innocentem occidere est intrinsecè malum; non tradere. Quod dum Respublica facit, non tradit ut occidatur, sed ut patria liberetur.

Ad 5^um. licèt Wiggers & Pontius negent 196
antecedens; eo ego concesso, nego consequentiam: quia sicut citra specialem Dei inspirationem (qualem habuit Judith) virgo non potest vehementi illi periculo peccandi se exponere; ita nec Respublica ipsam. Quòd autem virgo seipsam exponere non possit, etiam pro temporali salute totius mundi, Evangelium satis indicat, dum non solùm erui jubet oculum, manum, & pedem dextrum scandalizantem, sed & pro ratione dicit: *Quid enim prodest homini, si mundum universum* (si proinde temporalem patriæ salutem) *lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur*, &c.? Tentaret ergo Deum virgo, tanto animam suam periculo exponendo, divinumque sibi in eo auxilium promittendo. Non enim promisit illud Deus, nisi ejusmodi occasiones devitantibus.

Objicies 3°. saltem innocentes, obsides 197
interfici possunt, si hostes fidem fregerint. Aliàs hostes semel devicti in officio contineri non possent.

Concedit antecedens Azorius to. 3. l. 2. c. 7. q. 16. Sed illud nego cum Bonacina: non enim sunt facienda mala, ut hostes in officio contineantur; nec obsides eo ipso viden-

tur nocentes, quo obsides pro Republica nocente. Quia non videntur eo ipso participes violatæ ab ipsa fidei, ut patet in S. Sanctulo, qui sese obsidem dedit pro Diacono, quem Longobardi occidere parabant, pro nescio quo crimine, cujus certè particeps Sanctulus non fuit. Videri potest S. Gregorius ipsum laudans l. 3. Dialogorum.

198 Objicies 4°. si hostem insequentem fugiens non possis aliter salvare vitam tuam, nisi calcando & occidendo innocentem occupantem angustias viæ per quam te oportet transire, calcare potes & occidere, non hoc intendendo, sed præcisè salutem tuam.

Respondeo id hâc ratione à Doctoribus passim concedi, quòd tunc non censearis innocentem occidere per te atque ex intentione, sed per accidens & præter intentionem; neque enim intendis innocentem occidere, sed vitam tuam salvare; sicut qui ex turri conflagrante se præcipitat, licèt cum certo mortis periculo, ut flammam evadat, non censetur se occidere per se atque ex intentione, sed tantùm fugere certissimam & sævissimam mortem, per ignem se invadentem. Actus proinde ille exiliendi, licèt sit illativus mortis, & eo censeretur quis intendere sui occisionem, si sine extrema necessitate fieret; secùs in extrema illa necessitate: sic etiam qui justo bello civitatem obsident, tormenta sua dirigere possunt in turrim victoriam impedientem, etiamsi innocentes in ea ligati cum nocentibus perituri sint. Quia innocentium mors sequi censetur præter intentionem, & per accidens respectivè ad intentionem, etiamsi sequatur per se respectivè ad physicam turris subversionem. Et ita Doctores communiter tradunt.

CAPUT XVII.

Neque ipsi Judici fas est capitis damnare probatum in judicio nocentem, quem privatâ scientiâ certò scit innocentem.

199 ANtiqua est hac de re controversia, in qua Theologi Theologis, & Juristæ Juristis inveniuntur diversa sensisse.

Sed assertio nostra probatur 1°. ex cap. 23. Exodi, cujus titulus est, *Leges præfixæ Judicibus*, versu autem 2. dicitur: *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.* Et v. 7. *Insontem & justum non occides, quia averser impium.* Nec Judex ergo debet in judicio plurimorum acquiescere testimoniis, nec ex iis innocentem occidere, si sciat ea à veritate deviare, & eum qui per ea probatur in judicio nocens, reverà esse innocentem.

200 2°. quando Scriptura dicit: *Non mœchaberis*, vetat accessum ad non suam, etiam in judicio probatam suam, nec Judex privatâ scientiâ certò sciens Antoniam non esse uxorem Titii, licèt in judicio probata fuerit uxor, sententiam ferre potest, quâ Titius, tamquam executor publicæ istius sententiæ, ad ipsam accedat, quia id est intrinsecè malum. Atqui insontem & justum occidere pariter est intrinsecè malum, uti probatum est cap. præcedenti: dum ergo Scriptura dicit: *Insontem & justum non occides*, pariter vetat occisionem innocentis, in judicio probati nocentis, nec Judex privatâ scientiâ certò sciens innocentiam ipsius, sententiam ferre potest, ut occidatur.

3°. vita innocentis non magis subest au- 201
thoritati Judicis innocentiam ipsius certò cognoscentis (licèt scientiâ privatâ, non publicâ) quàm corpus uxoris non suæ in casu proximè dicto: nec Deus magis dedit authoritatem Judici disponendi de vita innocentis propter bonum publicum, servandamque formam judiciorum, quàm disponendi de corpore Antoniæ in eodem casu, propter bonum publicum, &c. Neque enim bonum publicum magis unum exigit quàm alterum.

4°. quando Deus dicit: *Non accedes ad* 202
non tuam, excipere non licet, *nisi in judicio probata fuerit tua:* quia istius exceptionis fundamentum non extat in Scriptura, nec in Traditione. Similiter ergo cùm dicit: *Innocentem non occides*, excipere non licet, *nisi in judicio probatus fuerit nocens:* quia istius etiam exceptionis fundamentum non extat in Scriptura, nec in Traditione. Nec ad hoc sufficit fundamentum petitum ex humanis legibus, quæ secundùm acta & probata judicandum esse decernunt. Cùm enim innocentis occisio prohibita sit jure naturali & divino, sicut copula cum non sua, nullâ lege humanâ reddi potest licita, magis quàm copula ista. Nec humana authoritas sufficit ad excipiendum à generali lege divina; sed ad hoc authoritas requiritur divina, nobis per Scripturam vel Traditionem manifestata. Deum verò dedisse Judicibus authoritatem occidendi innocentem, cognitum certò talem, licèt probatum in judicio nocentem, nullibi per Scripturam vel Traditionem manifestatur.

5°. *contra leges, vel divinas, vel humanas,* 203
Judex nullas probationes admittere debet. S. Thomas q. 67. a. 2. ad 4. Ergo Judex certò cognoscens (licèt scientiâ privatâ, non publicâ) testimonia contra innocentem esse falsa, non debet ea recipere, nec iis acquiescere ad faciendum contra legem divinam, *Insontem non occides.* Neque enim iis testimoniis fidem potest adhibere contra certam quam habet scientiam in contrarium. Cùm enim una & simplex sit veritas, & veritas veritati contraria esse non possit, Judex credere non potest esse verum, cujus contrarium certò scit esse verum; nec proinde vera esse publica testimonia, quæ certò scit esse falsa, v. g. esse verum quòd homicidium sit à Titio commissum, quod Judex propriis oculis vidit, non ab ipso, qui præsens non erat, sed ab alio fuisse commissum. Quoties ergo allegata & probata in judicio pugnant cum certa scientia (licèt privata) Judicis, fidem Judici facere non possunt. Atqui innocentem condemnare non potest propter allegata & probata,

quæ fidem ipsi facere non possunt, cùm L. *illicitus* §. 1. ff. de offic. Præt. sequi jubeatur *fidem eorum quæ probabuntur.*

204. Nec dici potest sequi fidem publicam, etsi non privatam, cùm fides Judicis dividi nequeat in publicam & privatam, magis quàm veritas ipsa, quæ taliter dividi non potest, quia veritas veritati (quæ una simplicissima est) contraria esse non potest. Propter quod nec Judex, uno eodemque tempore credere potest verum esse quod evidenter scit esse falsum. Et ideò Exodi 23. prohibetur sequi probationes peritas ex testimonio plurimorum contra veritatem sibi notam : *nec in judicio plurimorum acquiescès sententiæ, ut à vero devies*; prohibetur & insontem occidere in vim ejusmodi testimoniorum. Per consequens non potest ea recipere ut faciat contra illam Dei legem, sicut non potest similia testimonia recipere ut compellat non conjuges (licèt per ea probatos conjuges) ad faciendum contra legem *Non mœchaberis*, dum certò scit quòd contra eam facturi sint.

205 6°. omnis Judex temporalis subordinatur æterno. Nequit ergo Judex temporalis condemnare ad mortem, eum *quem æterni tribunal Judicis reum non habet*, prout loquitur Innocentius IV. cap. *cùm æterni* de sentent. & re judic. in 6. ubi propterea jubet, ut Judices *in concipiendis sententiis & ferendis, præ oculis habeant solum Deum, illius imitantes exemplum, qui querelas populi, tabernaculum ingressus, ad Dominum referebat, ut secundùm ejus imperium judicaret.* An Moyses ad mortem condemnasset innocentem, quem populus in judicio probasset nocentem, sed à consulto Domino Moyses innocentem esse didicisset? Certè non condemnasset, sed scandalum potiùs, seu murmur populi sustinuisset, juxta cap. *qui scandalizaverit* de reg. juris : *utilius scandalum permittitur, quam veritas relinquatur.*

206 7°. ut Judex licitè posset innocentem (cujus certò scit innocentiam) ex eo ad mortem condemnare, quòd probatus esset in judicio nocens, deberet facultatem ipsum occidendi à Republica sine ambiguitate accepisse. Non accepit autem, cùm eam Respublica ipsa non habeat, ut constat ex eo quòd innocentem occidere non possit, ne ad vitandum quidem totale excidium suum, aliàs certissimè eventurum. Et ratio est, quia vita innocentis soli est Deo subjecta, sine cujus authoritate, sine ambiguitate collata, innocens è vivis tolli à quocumque non potest. Deus autem sine ambiguitate non contulit Reipublicæ potestatem scienter è vivis tollendi innocentem, probatum in judicio nocentem, cùm eam ipsi à Deo collatam non esse, innumeri Doctores gravissimi censeant, Baconius noster, Lyranus, Angelus, Adrianus, Corduba, Hostiensis, Calderinus, Panormitanus, Felinus, Sylvius, Wiggers, &c.

207 8°. dignum & justum est, ut nota veritas, quæ omnia vincit, prævaleat omnibus judicè allegatis & probatis in contrarium, saltem ubi agitur de occidendo innocente, sicut iis prævalet, ubi agitur de accessu ad non suam, etsi judicè probatam suam.

Nec difficilis est responsio ad ea quæ in contrarium objiciuntur, nempe 1°. *in ore duorum vel trium perstet, qui interficietur.* Deuteron. 17. *Et in ore duorum vel trium stabit omne verbum.* Matth. 18. 2°. Judex regulari debet scientiâ publicâ, non privatâ, juxta illud S. Thomæ q. 67. a. 2. *Judicare pertinet ad Judicem secundùm quod fungitur publica potestate. Et ideo informari debet in judicando, non secundùm quod ipse novit tanquam persona privata; sed secundùm quod sibi innotescit tanquam personæ publicæ..... per instrumenta & testes.... quæ debet in judicando sequi, magis quam quod ipse novit tanquam persona privata.* 3°. Judex sacramentalis in foro extrasacramentali uti non potest scientiâ sacramentali. Ergo nec Judex in foro judiciali uti potest scientiâ extrajudiciali. 4°. assertio nostra Judicibus aperit latam portam liberandi nocentes, in judicio probatos nocentes, prætexendo eorum innocentiam, sibi privatim certò notam. 5°. cap. *pastoralis* de offic. & author. Judic. deleg. dicitur, quòd Judex delegatus exequi debeat sententiam, quam ipse novit injustam. 6°. Sacerdos dare debet Eucharistiam peccatori occulto publicè petenti : ergo Judex ferre debet sententiam mortis in innocentem occultum, publicè probatum nocentem. 208

Ad primum respondeo Deuteronomii sensum esse qui subjungitur ibidem : *Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium.* Vult proinde ad unius solius testimonium non posse quemquam occidi, sed necessarium esse testimonium duorum vel trium. Et idem est sensus verborum Christi, prout significat Alexander III. cap. *licèt* de testib. dicens, hoc à Christo dictum esse, quia licèt quædam causæ plures quàm duos requirant testes, nulla est causa quæ unius testimonio legitimè terminetur. 209

Ad secundum optimè respondet Sylvius, fidissimus S. Thomæ Interpres, Judicem quidem, si non possit probationes contra innocentem inductas de jure repellere, debere eas *in judicando sequi*, id est si judicet; neque enim ampliùs ibi dicit S. Thomas, nec ampliùs probant ea quæ allegat in corpore articuli, & in responsione ad argumenta; nec ampliùs exigit quæstio quam sibi eo loco proponit : *utrùm Judici liceat judicare contra veritatem, quam novit*, &c. Sed nec ibi, nec alibi dicit Angelicus Doctor quòd in casu, de quo agimus, debeat judicare. Et ideò non contradicimus ipsi, dicendo, quòd ubi agitur de occisione vel mutilatione innocentis, nec inductas probationes jure potest repellere, potiùs abstinere debeat à judicio, imò potiùs amittere officium Judicis, patique gravia quævis damna, imò & mortem ipsam, quàm innocentem certò cognitum, ad mortem condemnare. Si enim condemnet, insontem & justum occi- 210

dit contra Dei legem, contra quam nullas probationes admitti vult ipsemet S. Thomas.

211 Nec verò Judex tunc condemnans dici potest ipsum non occidere, sed eos qui eum accusant & testificantur nocentem. Quia reverà Judex, ad mortem condemnando, causa est mortis, uti patuit in Pilato respectu mortis Christi. Et, juxta Apostolum, digni sunt morte, non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Judex verò tunc non solùm consentit occisioni innocentis, sed & condemnando mandat occidi.

212 Ad tertium respondeo inde potiùs assertionem nostram roborari: quia licèt Judex sacramentalis in foro extrasacramentali uti non possit scientiâ sacramentali in odium pœnitentis, potest in favorem. Deinde in foro sacramentali uti potest scientiâ extrasacramentali, ad abstinendum à sacramentali judicio, seu absolutione, si ipsius incapacitatem in pœnitente certò sciat scientiâ extrasacramentali. Ergo similiter Judex forensis in foro illo uti potest scientiâ extrajudiciali, ad abstinendum à forensi judicio.

213 Ad quartum respondeo 1°. sententiam oppositam potiùs aperire latam portam Judicibus opprimendi innocentes, per falsos accusatores & falsos testes ad id subornatos. 2°. negando sequelam, quia rarissimè & vix unquam continget quòd Judex velit exponere se periculis & damnis, sibi impendentibus, si verè nocentes, probatos tales, à morte liberaret. 3°. malum istud à Principe caveri posse, multùm advigilando ut non constituantur Judices, nisi vero justitiæ zelo præditi. 4°. melius esse decem nocentes absolvi, quàm unum innocentem ad mortem condemnari; istud namque est intrinsecè malum, non illud.

214 Ad quintum respondeo non facere ad rem: quia ibi sermo non est de causa sanguinis, sed de merè Ecclesiastica; nec de Judice, sed de mero executore.

215 Ad sextum nego consequentiam, quia ministratio Eucharistiæ non est actio intrinsecè mala, prout occisio innocentis, imò licita esse probatur exemplo Christi in ultima cœna, qui sicut non concurrit ad irreverentiam Judæ indignè suscipientis, sed ad eam permissivè se habuit; ita & Sacerdos in casu objecto (qua de re plura ubi de Eucharistia.) Judex autem condemnans innocentem ad mortem, ad eam certissimè concurrit, habetque se activè, mandando, non permissivè dumtaxat.

CAPUT XVIII.

Se, vel alium mutilare nunquam licet, nisi quando & quantùm est necessarium ad salutem totius corporis.

216 ITa S. Thomas q. 65. a. 1. & Doctores communiter. Quia non aliter id concessit Deus, qui solus vitæ & membrorum hominis est Dominus; non homo, qui eorum solùm est usufructuarius; cujus est re uti, salvâ integrâ rei substantiâ. Non salvatur autem integra corporis substantia, dum aliquod illius membrum abscinditur.

Hinc ob salutem spiritualem fas non est se 217
vel alium mutilare. Quia, ut S. Doctor ait ad 3. *membrum non est præscindendum propter corporalem salutem totius, nisi quando aliter toti subveniri non potest. Salus autem spirituali semper potest aliter subveniri, quia peccatum subjacet voluntati. Et ideò in nullo casu licet membrum præscindere, propter peccatum vitandum.*

Unde SS. Patres unanimiter improbarunt 218
factum Origenis, & aliorum, qui se propter vitandam incontinentiam castraverunt, nominatim Chrysostomus, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, apud Sinnichium in Saüle Exrege l. 1. §. 418. Et secundùm Concilium Nicænum puniuntur, qui castraverunt sese propter castitatem servandam, prout videre est Can. *siquis abscíderit*, & Can. *siquis per agritudinem* dist. 55. Denique Canon 22. Apostolorum sic habet: *Siquis sibi virilia amputaverit, Clericus non efficitor; sui enim ipsius homicida est, & inimicus creationis Dei.*

Nec ob temporale lucrum fas est sibi vel 219
alteri præscindere aliquod membrum, nec castrare pueros ad conservandam vocis suavitatem, etiam in obsequium Ecclesiæ, etiam absque periculo vitæ, etiam de eorum consensu. S. Thomas ubi suprà communiter receptus contra Caramuelem, Tamburinum, Pasqualigum. Si enim id non licet ob bonum spirituale, cavendumque vel minuendum periculum incontinentiæ; multò minùs ob inferius bonum temporale.

Si dicas, bonum spirituale aliter obtineri 220
posse. Similiter dico aliter in Republica & Ecclesia haberi posse suaves Cantores, quàm masculos emasculando, iis videlicet utendo quos natura castravit, vel necessitas, seu mortis periculum, seu alius casus abscidit; & in eorum defectum alios pecuniâ licèt cariori conquirendo. Cùm enim membra sint altioris ordinis quàm pecunia, vel suavitas vocis; eorum jacturam nec pecunia, nec vocis suavitas compensat.

Confirmatur: siquis, vel siqua sciret ama- 221
ri se turpiter à Principe, vel alio viro potente, nec aliter servare posset pudicitiam, saltem corporis, nisi deformando se, v. g. per abscissionem nasi, non ideò hoc facere posset, nec sanctæ virgines quæ id fecisse leguntur, uti & S. Marcus qui pollicem sibi præscidit, ne sacris initiaretur, aliter à SS. Patribus excusantur, quàm ex speciali S. Spiritûs instinctu. Aliàs zelo indiscreto peccassent. Igitur multò minùs id licet ob pecuniarium emolumentum, vel aliud bonum, minus pudicitiâ. Unde contrariam opinionem meritò Doctores improbabilem censent.

Ad salutem tamen totius corporis, dum 222
salvari aliter non potest, membri salutem impedientis (ob putrefactionem v. g.) abscissio licita est, uti Doctores omnes conveniunt. Et idem probabile est, dum necessitas prove-

nit ab extrinseco, v. g. dum ligatus mortem effugere non potest, nisi pedem sibi, vel manum abscindat. Quia equidem pars abscinditur propter totum, aliàs periturum. Sotus l. 5. de just. q. 2. a. 1. Malderus, Mendosa, &c. Video tamen in contrarium fortia non deesse argumenta, de quibus alibi.

223 Si petas 1°. an corpore infirmus, ad salutem totius, pati teneatur necessariam membri, v. g. brachii, incisionem?

Respondeo teneri, si possit absque ingenti dolore. Quia dolorem aliquem, etiam aliqualiter magnum, sustinere tenetur, ut salvus fiat. Communis tamen sententia est, non teneri dolorem ingentem seu valdè magnum sustinere, ut vitam conservet, allegantes celebre dictum Marii Romani, dum crus illi aperiretur: *Non est tanto dolore digna salus.*

Si petas 2°. cur justa quacumque de causa licita non sit mutilatio, v. g. ob spirituale 224
bonum, cùm non sit intrinsecè mala. Aliàs licita non foret ob salutem totius.

Respondeo, quia est intrinsecè mala si fiat absque authoritate Dei, qui ex communi Sanctorum traditione sic concessit homini usumfructum membrorum suorum, ut eorum abscissionem solùm permiserit ob salutem totius. Rem verò alienam abscindere seu destruere absque authoritate & consensu Domini, intrinsecè malum est.

PARS VI.

Amor refrænans carnis opus, & concupiscentiam.

Ad sextum præceptum : Non mœchaberis.

Et nonum : Non concupisces uxorem proximi tui.

Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; hæc enim sibi invicem adversantur. Sed debitores sumus, non carni, ut secundùm carnem vivamus: si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Dominam ancillari, ancillam dominari, magna abusio est. Ordinem serva. Caro ancilla, anima domina: ancilla dominæ, caro animæ, anima Deo serviat. O anima! Dei insignita imagine, Christi dotata sanguine, par Angelis, thronum habens paratum in cælis, quid tibi cum carne? Erubesce cælum, descendere in cœnum. Ad majora nati sumus, quàm ut carni serviamus. Nos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, ipsius imaginem in nobis circumferentes, Deo donati & dedicati per Christum, per quem pretiosa nobis promissa donavit, divinæ naturæ consortes effecit, ad epulas Angelorum, ad paradisi delicias destinavit, pudeat nos siliquis pasci porcorum, spiritui gratiæ contumeliam facere, sanguinem Christi polluere, templum Dei profanare, de homine belluam, de Christi membris membra meretricis, de templo Dei templum dæmoniorum, de Angelo diabolum efficere: quamdiù enim castitatem homo servavit, Angelus; quando perdidit, diabolus effectus, virilisque animus de arce sua dejectus fuit, Augustino l. 1. soliloq. c. 10. contestante, *nihil esse quod magis ex arce dejiciat virilem animum*, quàm carnis sequi desideria.

CAPUT I.

Quisquis sive æstu libidinis abreptus, sive grandis mali metu percussus, plena cum deliberatione & consensu contra sextum agit præceptum, vel aliud quidpiam agit eorum, de quibus Apostolus Galat. 5. ait, quòd qui talia agunt, regnum Dei non consequentur, *à gratia Dei excidit, mortali illaqueatus crimine.*

Est certa sententia Doctorum omnium, contra Thomam Anglum, cujus erroneam hac de re opinionem nuper suscitare aggressus est Bourdaillius, Doctor Sorbonicus, in libro quem inscripsit: *Theologie Morale de saint Augustin*, ubi ex iis quæ Magnus ille Doctor l. 21. de Civit. Dei c. 26. scribit, opinionem illam stabilire conatus est. Posteaquàm enim dixit, *pleraque peccata, de quibus ait Apostolus, quòd qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, & quæ expresè adversantur præceptis Decalogi, mortalia dici posse.... quoniam.... horum facinorum rei aut amisere omnem charitatis sensum, aut exiguum retinent, ita ut ipsis omnino dominetur cupiditas.* Subjungit: *Id tamen intelligi posset, adhibito eo temperamento, ut qui plane repugnantes, ac velut inviti ista perpetrassent, aut gravis mali impendentis metu, aut æstu libidinis abrepti, ita ut ab istis angustiis liberati, acri dolore statim tangerentur ob commissum peccatum; tam certò affirmari non potest excidisse illos gratiâ, aut incurrisse pœnam damnationis; quamquam enim hoc momento actualiter dominata sit cupiditas, brevis & transitoria potuit esse ista dominatio, quâ voluntatis seu charitatis habitualiter dominantis intima dispositio non mutatur*, gratia proinde (charitatis habitualis comes individua) non amittitur..., *Hoc temperamentum naturaliter consequitur ex doctrina S. Augustini.*

Hunc errorem statim ut vidit duabus in 2
epi-

epistolis ab annis circiter 19. validè confutavit Celebris Doctor Arnaldus, & anno 1700. Clerus Gallicanus, in Palatio San-Germano congregatus, hâc meritissimâ Censurâ perstrinxit: *Hæ propositiones, quæ divinæ charitatis habitum docent, aut significant posse consistere cum peccatis adversus Decalogum, ac de quibus ait Apostolus, quòd qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, falsæ sunt, perniciosæ, erroneæ, verbo Dei contrariæ.* „ Quæ *enim* „ participatio justitiæ cum iniquitate..... aut „ quæ conventio Christi ad Belial? „ *Ad excusanda & minuenda cujusvis generis peccata viam aperiunt, & imponunt sancto Augustino.* Meritissimè (inquam) quòd enim *falsæ sint, perniciosæ, erroneæ*, ex sequentibus manifestum fiet. Quòd etiam *verbo Dei contrariæ* 3 sint, innumeris S. Scripturæ testimoniis demonstrari potest. *Manifesta sunt opera carnis* (ait Apostolus loco citato) *quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus....., homicidia, ebrietates... & his similia.....qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Non dicit Apostolus cum Bourdaillio, qui talia agunt *habitualiter*, sed simpliciter *qui talia agunt.* Omnes proinde talia plena cum deliberatione & consensu agentes comprehendit, illos etiam qui grandis mali metu, vel libidinis æstu abrepti talia agunt, sicut egit S. Petrus v. g. dum metu mortis Christum negavit, & sanctus Pontifex Marcellinus, dum ex eodem metu thus adhibuit idolorum simulacris. Qui licèt statim ad se reversi valdè pœnituerint id se fecisse, haud dubiè tamen mortali illaqueati fuerunt crimine, gratiâque & charitate habituali exciderunt. Quia in tentatione plus amaverunt vitam suam, quàm Christum. Et quicumque plus amat creaturam aliquam, quàm Deum, à gratia Dei excidit. Quippe non potest Christi esse discipulus, qui in tali occasione non odit, id est non perdit vitam suam, juxta illud Luc. 14. *Qui non odit patrem, & matrem.... adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*; per consequens nec potest Dei esse filius. Nec potest salvam facere animam suam. *Qui enim voluerit animam suam salvam facere*, in tali occasione *perdet eam.* Matth. 16. Unde & Luc 9. dicit: *Qui me erubuerit* (prout erubuerunt Petrus & Marcellinus) *hunc Filius Hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua.* Nec Salvator excipit casum quo quis ipsum momento erubescit metu mortis perculsus; imò metum illum abjici vult, cùm dicit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* Matth. 10. Vult enim à discipulis suis creaturis omnibus in amore præferri. Nam *qui amat patrem, aut matrem plusquàm me, non est me dignus.* Ibidem. Omnis proinde qui erubescit Christum in tentatione confiteri, omnis qui ipsum coram hominibus negat, eò quòd plus vitam quàm ipsum actualiter diligat, licèt transitoriè tantùm, omnis qui fornicatur, adulteratur, & injustè occidit aliquem, licèt transitoriè tantùm, æstu passionis abreptus, excidit à gratia Christi, juxta generalia ista verba Christi ibidem: *Omnis qui..... negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Omnis (inquit) qui me negaverit, non addit habitualiter, non addit extra metum mortis, sed generaliter & absque exceptione *omnis.* Non licet autem Bourdaillio à generalibus illis Christi pronuntiatis, privatâ authoritate exceptionem ullam facere, vel ea restringere ad sensum glossæ suæ, utpote quæ nullum habet in sacro ullo textu fundamentum.

Et aliàs pari temeritate liceret Decalogum totum pariter restringere & glossare, sic utique: *Non habebis* habitualiter *deos alienos. Non assumes* habitualiter *nomen Dei in vanum. Sabbathum* habitualiter *sanctificabis*, id est nihil facies habitualiter contra sabbathi sanctificationem. Nihil facies habitualiter contra honorem parentum. *Non occides* habitualiter. *Non mœchaberis* habitualiter, &c.

Meritissimè proinde Clerus Gallicanus in 4 Censura sua addit, Bourdaillii propositiones *viam aperire ad excusanda & minuenda cujusvis generis peccata*, omnia utique quæ ex gravi metu, vel subito passionis impetu contra Decalogi præcepta aguntur, dummodò nonnisi transitoriè, sive ex affectu transitorio, vel passione transitoriâ, non ex cupiditate habitualiter dominante agantur. Unde patet quàm perniciosæ & erroneæ sint propositiones illæ: utpote verbo Dei apertè contrariæ, excusantesque à mortali omnes Christianos, qui jussu Tyrannorum, metu mortis, Christo ad horam renuntiarunt; omnes item feminas, quæ libidini minitantium ipsis mortem ad momentum cesserunt, de eoque statim pœnituerunt; vel metu mortis falsum testimonium dixerunt, &c.

Tandem meritissimè dicit, easdem propo- 5 sitiones *imponere* S. Augustino: utpote qui iis contradicit eo ipso loco, in quo Bourdaillius se fundat. Ibi namque expressè dicit 1°. quòd *nihil in ædificio præponitur fundamento. Quisquis itaque sic habet in corde Christum, ut ei terrena & temporalia.... non præponat, fundamentum habet Christum. Si autem præponit, etsi videatur habere fidem Christi, non est tamen in eo fundamentum Christus.* 2°. quòd *si salutaria præcepta contemnendo, committat illicita, Christum postposuisse convincitur... dum contra ejus imperata.... suam per flagitia delegit explere libidinem.* 3°. exemplificat ut sequitur: *Siquis itaque Christianus diligit meretricem, eique adhærens unum corpus efficitur, jam in fundamento non habet Christum.* Atqui, ut infrà subjungit, in supplicium æternum ibunt illi omnes, qui in fundamento non habent Christum, sive qui aliquid Christo anteponunt; *& ideò* (inquit) quisquis hoc fecerit, *non per ignem salvus erit, sed salvus non erit: quia esse cum Salvatore non poterit, qui de hac re apertissimè loquens ait:* " Qui amat patrem, aut matrem, " plusquàm me, non est me dignus: & qui amat "

filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Nec Auguſtinus excipit caſum gravis tentationis, ne graviſſimæ quidem illius, quæ futura eſt Antichriſti tempore, imò de caſu etiam illo expreſsè loquitur ibidem. 4°. in lib. de continentia c. 3. producto Apoſtoli teſtimonio, *non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ad obediendum deſideriis ejus.... Non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Id ergo* (inquit) *nunc agitur, quamdiu eſt mortalis hæc vita noſtra ſub gratia, ne.... concupiſcentia peccati.... regnet in noſtro mortali corpore. Tunc autem regnare oſtenditur, ſi deſideriis ejus obeditur.* Tunc proinde ſub gratia non ſumus, quia ſecundùm carnem vivimus. Ut autem præmiſit ex Apoſtolo, *ſi ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.* Et cap. 14. cùm commemoraſſet Apoſtoli verba, *mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam.... propter quæ venit ira Dei in filios infidelitatis. Salubriter* (inquit) *terruit, ne putarent fideles, propter ſolam fidem ſuam, etiamſi in his malis viverent, ſe poſſe ſalvari.... Deponite* (inquit Apoſtolus) *& vos illa mala, propter quæ venit ira Dei in filios infidelitatis, nec vobis eorum impunitatem propter fidei meritum promittatis.... Quiſquis quaſi ſecurus ab hac eorum depoſitione ceſſaverit, illicò in arcem mentis proſiliens, eamque inde ipſa deponens, atque in ſuam redigens ſervitutem, turpiter deformiterque captivam. Tunc regnabit peccatum in hominis mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus: tunc ſua membra exhibebit arma iniquitatis peccato, & erunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* 5°. ſerm. 154. de verb. Apoſt. cap. 5. *Quienumque carnalibus concupiſcentiis cedis, atque conſentis, qui eas vel bonas putas ad explendam libidinis ſaturitatem, vel certè ſic jam vides malas, ut tamen cedendo conſentias, & quò ducunt ſequaris, & ea quæ mala ſuggerunt, perpetres, totus carnalis es. Tu, quiſquis talis eſt, totus* (tam ſcilicet mente, quàm carne) *carnalis es.* Totus proinde ſecundùm carnem vivis; adeòque in gratia non es: *ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.* 6°. dum Bourdaillius à mortali excuſat opera carnis quaſi invitè facta metu grandis mali imminentis, vel ex grandi æſtu libidinis, per hoc ipſum ſignificat opera multa, Decalogi præceptis diametraliter adverſa; imò ferè omnia, non eſſe niſi venialia: quandoquidem omnia, vel ferè omnia commiſſionis peccata, juxta Auguſtinum, vel ex tali timore fiant, vel ex inflammata cupiditate. Nam in expoſit. Pſal. 79. ad illa verba, *incenſa igni, & ſuffoſſa*, &c. ſic loquitur: *Succenſa igitur ſunt, quæ facit malè ardens cupiditas; & effoſſa ſunt, quæ facit malè jacens timiditas: hinc enim peccata omnia, aut cupiendo, aut timendo.* Nec tamen admittit Auguſtinus hinc à mortali omnia, vel ferè omnia excuſari. Imò ex timore peccantem dicit occidere animam ſuam, dum timet eum qui non poteſt niſi corpus occidere. Peccantem verò ex ardenti cupiditate dicit perdere animam ſuam, terreturque Evangelico fulmine iſto: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur; animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.* 7°. nec in loco quem Bourdaillius allegat, nec in ullo alio textu S. Auguſtini vel verbum invenitur, quo maximus ille poſt S. Paulum Moralis Chriſtianæ Magiſter vel leviter inſinuet gratiam & charitatem habitualem in eo vel momento eſſe poſſe in quo actu dominatur cupiditas, quâ creaturæ Creator poſtponatur. Et meritò: nam, ut ſapienter Clerus Gallicanus poſt Apoſtolum obſervat, *quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate.... aut quæ conventio Chriſti ad Belial?*

Tandem opinio illa Bourdailliana nimiam habet affinitatem cum hæreſi Elceſaitarum, ideò ab Eccleſia damnatorum, quòd dicerent, eos qui ad vitandam mortem cum repugnantia fidem abnegabant, non mereri damnationem. Sicut & cum hæreſi Calviniſtarum aientium, gratiam habitualem non deperdi à fidelibus, adulteria, homicidia, &c. committentibus. Quam hæreſim Doctor Arnaldus prorſus contrivit in aureo Libro, cui titulus: *Renverſement de la Morale par les Calviniſtes.* Et in alio quem inſcripſit: *Le Calviniſme convaincu de nouveau*; & conterendo Bourdaillium errare demonſtravit. 6

Concludo proinde cùm Auguſtino, charitatis habitum non manere in eo qui contra charitatem graviter obligantem vel momento agit, creaturæ Creatorem in amore poſtponendo. Si enim maneret, Creatorem creaturæ in amore non obſtante quâcumque tentatione præferret. *Ipſe eſt enim habitus, quo aliquid agitur cùm oportet*, inquit Auguſtinus de bono conjugali c. 21. In tentatione verò in qua agitur vel de Deo creaturæ in amore præferendo, vel de creatura præferenda Deo, ſi charitas in corde hominis habitualiter dominetur, opus eſt ut agat, ſeque manifeſtet; *virtutes* quippe *in opere manifeſtantur*, prout ibidem dicit. Si ergo ſe in opere tunc non manifeſtet, ſignum eſt ipſam in corde hominis habitualiter tunc non dominari, ſed potiùs cupiditatem ipſi diametraliter adverſantem. Concludo etiam cum Tertulliano, quòd opera Decalogo diametraliter adverſa *non admitteret omninò qui natus ex Deo fuerit, non futurus Dei filius, ſi admiſerit.* Hæc enim *uno ictu perimunt*, ait Auguſtinus ſerm. 29. de verb. Apoſt. 7

CAPUT II.

Explicatio ſexti & noni præcepti.

Duo iſta præcepta conjungimus, *Non mœchaberis, Non concupiſces uxorem proximi tui*: quia quod uno prohibetur explicitè, altero implicitè prohibetur, & contrà, niſi quòd nono præcepto, ex plurium Doctorum ſententia, non ſolùm prohibeatur concupiſcentia alienæ uxoris ex affectu venereo, ſed & ex alio affectu, v. g. avaritiæ, quia dives eſt, quia indu- 8

industriâ utilis ad mercaturam, &c. sicut decimo præcepto prohibetur similis concupiscentia domûs, agri, ancillæ proximi.

9 Et quemadmodùm quinto præcepto, *Non occides*, non solùm prohibetur opus externum homicidii, sed & alii actus, tam interni, quàm externi, eò ducentes, vel hominem excitantes; sic etiam sexto præcepto, *Non mœchaberis*, non solùm prohibetur opus externum adulterii, sed & omnes actus etiam interni, sive ad adulterium, sive ad alium quemcumque illicitum concubitum, & omnem illicitum membrorum genitalium usum ducentes, vel excitantes, prout Christus apertè declarat Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis, Non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo.* Nec refert quòd concupiscentia mulieris prohibeatur nono præcepto, quia idem duobus præceptis inhiberi nihil vetat. Videri possunt Augustinus l. 2. q. 72. in Exod. S. Thomas 1. 2. q. 100. a. 5. ad 5. Catechismus Rom. in explic. 9. & 10. præcepti.

10 Enimverò, cùm dicitur, *Non mœchaberis*, toti homini dicitur, qui cùm corpore constet & animo, non solùm prohibetur ne corpore, sed & ne animo mœchetur. Porrò nomine *mœchiæ, omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus, prohibitus debet intelligi*, ait Augustinus loco relato; omnis proinde actus & species luxuriæ, sive sit adulterium, sive fornicatio, sive stuprum, &c.

CAPUT III.

Morosa delectatio de rebus obscœnis est mortale peccatum contra hoc præceptum.

11 MOrosam delectationem intellige, quæ plenè deliberata est. Non enim morosa dicitur à mora temporis, sed à mora rationis & voluntatis, *ex eo* scilicet *quòd ratio deliberans circa eam immoratur, nec repellit, sed tenet, & volvit libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt*, ait S. Thomas 1. 2. q. 74. a. 6. ad 3. Morosa proinde delectatio non est de cogitatione sola, sed de re obscœna cogitata, v. g. de fornicatione, adulterio, &c.

12 Ante probationem assertionis, observandum 1°. Judæos aliquos tam crassè errasse, ut putarint, præcepto *Non mœchaberis* solùm prohiberi actus externos luxuriæ, non internos. Iste namque est error, quem Christus refutavit Matth. 5. cùm dixit: *Audistis, quia dictum est antiquis, Non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo.* Et ratione etiam refutatur, quia omnis actuum externorum malitia formaliter provenit ab internis, uti to. 1. demonstravimus. Meritò ergo Christus docet, posse aliquem in corde suo, & coram Deo, reum esse fornicationis, adulterii, &c. licèt nihil tale exteriùs commisisset.

Nec hoc potest invincibiliter ignorari, præ- 13
sertim à Christianis, qui scire tenentur Decalogum, ita ut mirum sit Sanchesio l. 1. in Decal. c. 16. n. 16. & 17. probari potuisse improbabilem hanc propositionem: *Si rusticus à viro, existimato docto & pio, audivisset, fornicationem & furtum externa esse peccata, at licere fornicandi & furandi desiderium, quibusdam Neotericis doctis videtur hanc ignorantiam minimè excusare.... At quamvis hoc probabile sit, probabilius tamen credo, illum actum internum excusari omninò à malitia, ratione illius ignorantiæ invincibilis.* O Deus! qualis aberratio in homine quem Bibliotheca Scriptorum Societ. adeò extollit! Ergone Scriptoris illius à suis adeò magnificati authoritas inducere potest opinionem probabilem, ignorantiamque inculpabilem, contra evidens naturæ lumen, & contra manifestissimam in contrarium Salvatoris declarationem?

Observandum 2°. diversis modis peccari 14
interno luxuriæ peccato. Primus est, dum homo in corde absolutè atque efficaciter resolvit committere opus aliquod luxuriosum, v. g. fornicationem, mollitiem, &c. Et hoc, omnium confessione, peccatum est, ejus speciei ac gravitatis, cujus est opus ipsum externum, efficaciter & absolutè volitum. Id enim apertè significant laudata Christi verba.

Secundus modus est, dum homo, seu vo- 15
luntas ipsius, absolutè quidem non resolvit committere opus illud externum, nec in illud absolutè consentit, affectus tamen ipsius non minùs inordinatus est respectu Dei: eò quòd opus illud non respuat secundùm se, ut est offensa Dei; imò illud amet, absolutèque committere vellet, si aliud non obstaret, nisi offensa Dei, sed illud hîc & nunc absolutè non vult, quia timet infamiam, vel parentum offensam, vel aliquid aliud distinctum ab offensa Dei.

Tertius est, dum ne quidem habetur ejus- 16
modi voluntas conditionata, habetur tamen consensus expressus in delectationem, ortam ex cogitatione rerum obscœnarum, seu ex rebus ipsis obscœnis cogitatis, quarum cogitationes non solùm non repelluntur, sed libenter habentur, in menteque retinentur, ut ex iis delectatio percipiatur. Tres illi modi contingere non solent animabus timoratis.

Quartus modus, ipsis aliquando contin- 17
gens, est dum expresè non admittitur obscœna cogitatio, seu delectatio inde resultans, admittitur tamen interpretativè, seu aliquo modo implicitè, quatenùs negligitur repulsa illius, quæ negligentia quantò est major, tantò culpabilior. Ad dijudicandum verò (quomodò ab homine dijudicari potest) an & quæ in eo culpa intervenerit, nonnulla attendenda sunt. 1°. an obscœnas passus cogitationes, ad eas reflexerit, & quamdiù? Nam si brevissimo tempore, v. g. medii *Ave Maria*, absque reflexione eas passus sit, rejeceritque statim atque reflexit, signum est non consen-

sûs. 2°. si conatus quidem sit rejicere, sed dubitet an non nimis languidè, ac per consequens an non interveñerit consensus aliquis saltem imperfectus? Videndum tunc an diù in illis manserit post reflexionem? Nam quò diutiùs, eò magis timendum (cæteris paribus) ne revera consensus aliquis adfuerit. 3°. dum cogitatio per aliquod tempus duravit, videndum quid fecerit, ut ab ea se liberaret? An scilicet conatus fuerit animum ab illa revocare per libri pii lectionem, per orationem, per piam cogitationem, per colloquium cum aliis, &c. 4°. videndum, an obscœnam cogitationem passus, sit homo timoratus, ejusmodi cogitationes horrere solitus, an homo liberior, iisque addictus? Aliter namque de uno judicandum in dubio, quàm de altero, favorabiliùs utique de priori, quàm de posteriori.

18 5°. quasdam esse cogitationes, secundùm se absolutè non obscœnas, quæ tamen cum obscœnis affinitatem habent, affectionesque seu etiam motiones venereas, dum illis non resistitur, facilè excitant, & sic in peccatum inducunt. Et ideò cor ab illis custodiendum, ne dæmon per eas in tentationem inducat. Sic enim tentare solet animas timoratas, quibus non statim immittit cogitationes apertè obscœnas (utpote quas statim rejicerent) sed paulatim progrediens, primò incipit ab illis, quæ quia aperrè non sunt obscœnæ, faciliùs admittuntur, & admissæ disponunt ad admittendas prorsus obscœnas, delectationesque venereas. Et ideò superveniens earum tentatio difficiliùs superatur, eique faciliùs succumbitur. Et ista est via magis ordinaria, per quam astutia diabolica castitatem expugnat timoratorum. Ideò etiam principiis obstandum, sollicitèque cavendum à dictis cogitationibus, tamquam disponentibus ad delectationes & affectiones obscœnas. Interficiendus quippe est hostis, dum parvus est. Siquidem *beatus qui tenebit & allidet parvulos ad petram.* Unde Hieronymus epist. ad Demetr. *Si in cogitationes tuas coluber ascenderit, omni custodiâ serva cor tuum.... Incentiva vitiorum statim in mente jugules, & parvulos Babylonis allide ad petram* (quæ est Christus) *in qua serpentis vestigia non reperiuntur.*

19 Hisce observatis probatur assertio nostra (quam cum S. Francisco Salesio Introd. ad vit. devot. p. 4. c. 61. tradit S. Thomas citatâ q. 74. a. 8. & 2. 2. q. 154. a. 4. & q. 15. de verit. a. 4. ubi contrariam paucorum opinionem reprobat velut *adversam Augustino, & vergentem in periculum animarum*) 1°. ex Matth. 5. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo*: verba namque ista SS. Patres non solùm intelligunt de vidente ad concupiscendum concubitum illius, sed etiam de vidente ad concupiscendam in mente delectationem de illa visa, sive de vidente ut oblectetur solo aspectu ipsius. Ita enim (cum aliis) Chrysostomus homil. 17. in illum locum.

20 2°. ex Job 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Quæ verba Glossa interlinearis intelligit de cogitatione delectationeque morosa. Quam esse mortalem, verba declarant sequentia: *quam enim partem haberet in me Deus?*

21 3°. S. Thomas a. 8. citato idipsum probat ex hisce Augustini verbis l. 12. de Trin. c. 12. *Nec sanè, cùm solâ cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volvens libenter, quæ statim ut adtigerunt animum respui debuerunt, negandum est esse peccatum, sed longè minus, quàm si & opere statuatur implendum..... Totus quippe homo damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.* Atqui *nullus damnatur, nisi pro peccato mortali*, uti subsumit S. Thomas.

22 Non itaque docuit sanctus Augustinus, morosam de rebus venereis delectationem solùm esse venialem, prout ipsi Martinonus imponit in præfatione sui Antijansenii, & quidam alii, decepti ex eo quòd ibidem dicat, quòd *de talibus cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum, atque dicendum, dimitte nobis debita nostra*, &c. Istud namque argumentum sibi objicit S. Thomas q. 15. de verit. a. 4. ad 1. respondetque, quòd *sicut Augustinus dicit in Enchiridio, oratio Dominica, & alia hujusmodi, non solùm ad delenda venialia valent, sed & ad remissionem mortalium, quamvis non ita sufficiant ad delectionem mortalium, sicut venialium.*

23 Dum autem l. 2. contra Julian. c. 10. veniales hujusmodi cogitationes dicit, de plenè deliberatis non loquitur, sed de iis quæ ex semiplena deliberatione, semiplenoque consensu furtim irrepunt, prout ostendit Cardinalis Norisius in Vindiciis Augustinianis.

24 4°. S. Thomas ibidem hac ratione assertionem nostram probat, *quòd aliquis consentiat in delectationem carnalem, hoc nihil aliud est, quàm quòd ipse consentiat in hoc quòd affectus ejus sit inclinatus in fornicationem. Nullus enim delectatur, nisi in eo quod est conforme appetitui ejus. Quòd autem aliquis ex deliberatione eligat quòd affectus ejus conformetur his quæ secundum se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale.*

25 In idem recidit discursus, quem facit de verit. a. 4. citato: *Quandocumque ratio se subjicit peccato mortali per approbationem, tunc est peccatum mortale... Tunc autem ratio se subjicit peccato mortali per approbationem, quando se subjicit huic delectationi perversæ. Tunc autem se subjicit huic delectationi perversæ, quando in eam consentit.*

26 In idem quoque recidit sequens argumentum: omnis amor objecti mortaliter mali, est mortale peccatum (sicut enim speciem, sic malitiam, malitiæque gravitatem, cæte-

ris paribus, sumit ab objecto, juxta illud Oseæ: *facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Et istud Augustini: *talis dilectio est, quale est quod diligit.*) Sed quisquis morosè delectatur de objecto mortaliter malo, amat illud: nullus enim delectatur, nisi de eo quod amat. Ergo, &c.

27 5°. delectationes eodem modo bonæ sunt, vel malæ, licitæ, vel illicitæ, quo operationes, seu objecta circa quæ versantur, ut ex Philosopho 1. Ethic. & 11. Metaphys. probat S. Thomas de verit. a. 4. non semel citato, & ratio est, inquit, quia *delectatio alicujus operationis, & ipsa operatio ad idem genus reducuntur, sicut operatio virtutis, & delectatio de eadem, ad eandem virtutem, v. g. operari justa, & delectari de operibus justis, ad eandem virtutem justitiæ. Sed ipse actus fornicationis est in genere peccati mortalis. Ergo & delectatio de fornicatione cogitata.* Et ibidem ad 8. *delectatio quæ consequitur cogitationem ex parte actûs cogitati, reducitur ad idem genus: quia nullus delectatur in aliquo, nisi afficiatur ad illud, & apprehendat illud ut conveniens. Unde qui consentit in delectationem interiorem, approbat exteriorem, & vult saltem eâ frui, cogitando de ea.*

28 6°. quisquis in materia exteriori voluntariè depingit tabellam inhonestam, delectaturque in aspectu illius, mortaliter peccat. Igitur & quisquis ejusmodi tabellam voluntariè depingit in mente sua, delectaturque in aspectu interiori, sive in repræsentatione ipsius.

29 7°. ad peccatum mortale necessaria non est approbatio efficax, sive consensus efficax in opus. Aliàs qui solo animo approbaret horrendum peccatum alienum, v. g. patricidium, sodomiam, &c. in eoque sibi complaceret, absque voluntate illud exequendi, mortaliter non peccaret, contra Apostolicum istud: *digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

30 Istæ sunt rationes, propter quas SS. Patres, Hieronymus, Gregorius, Bernardus, &c. tam vehementer inculcant, cogitationes malas, statim atque animum pulsant, jugulandas, laudatusque Gregorius can. *hinc etenim* dist. 49 dictarum cogitationum voluptate animum pascentes arcet ab altari. Quia (inquit) *aluere aliena peccata non valet, is quem adhuc propria devastant.*

CAPUT IV.

Satisfit objectionibus, earumque occasione variis difficultatibus.

31 OBjicies 1°. Jacobi 1. dicitur: *Peccatum, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Sed peccatum morosæ delectationis non est consummatum. Ergo non generat mortem.

Nego consequentiam. Neque enim Jacobus ibi dicit, peccatum, cùm consummatum non fuerit, non generat mortem, sed tria distinguit, conceptionem, partum & consummationem peccati. Concupiscentia verò tunc concipit peccatum, cùm tendit in objectum mortaliter pravum cum semipleno consensu. Parit autem, dum plenus consensus accedit. Consummat, dum in opus externum prorumpit. Apostolus itaque non negat in secundo gradu mortale peccatum, sed in tertio specialem agnoscit modum generandi mortem, seu æternam damnationem, quatenus peccator, dum usque adeò Dei timorem abjecit, ut peccatum non solùm mente pepererit, sed & opere perpetraverit, in illud facilè relabitur; ex repetitaque perpetratione facilè labitur in consuetudinem; ex consuetudine in quamdam peccati necessitatem, & ab ea in æternam tandem damnationem. Quod non tam facilè accidit, dum peccatum, licèt cogitatione admissum, opere non est perpetratum, sed aliquo Dei timore ab ista perpetratione prohibitum. Faciliùs namque sanatur, quàm quod exteriori opere est consummatum.

Objicies 2°. potest quispiam morosè dele- 32
ctari de objecto secundùm se malo, sed à malitia per mentem præciso, v. g. de copula cum femina, repræsentata tanquam uxore sua, vel sub conditione quòd uxor sua esset. Atqui mortale non est morosè delectari de objecto à malitia præciso; sicut mortale non est objectum à malitia præcisum desiderare, dicendo v. g. *vellem habere copulam cum illa, si foret uxor mea*, vel *si esset licitum.*

Respondeo repræsentationes illas esse de numero earum, quas n. 11. diximus affinitatem magnam cum obscœnis habere, affectionesque, seu etiam motiones venereas facilè excitare, atque in peccatum inducere. Et ideò tametsi ejusmodi præcisiones absolutè fieri possent physicè loquendo, moraliter vix esse possibiles in praxi propter naturæ corruptionem, sympathiamque magnam inter cogitationem, imaginationem, & partem sensitivam, quarum licèt prima sit præcisiva, secunda & tertia talis non est. Quo fit ut peccati mortalis periculo magno se exponat, qui ejusmodi repræsentationes voluntariè admittit, eâque ratione mortaliter peccet, uti magno damno suo innumeri experti sunt, quorum castitatem per similes repræsentationes diabolus expugnavit, ut suprà dixi. Ab illis proinde velut à facie colubri fugiendum: quia per eas coluber infernalis se insinuare solet, animasque alioqui timoratas seducere, ipsisque illudere.

Reverà namque præcisiones illæ in praxi 33
sunt illusoriæ, quia dum repræsentationes illæ à parte intellectiva transeunt ad imaginativam, imaginativa copulam illam repræsentat ut præsentem, de eaque ut præsenti delectationem, venereamque motionem (profectò non præcisivam) excitat in parte sensitiva, vel saltem excitare nata est. Igitur duplici ex capite peccatum incurritur mortale, tum quia copula illa sine malitia esse non potest præsens; cùm femina repræsentata de præsenti non sit uxor:

tum quia commotionem ſpirituum generationi ſervientium nata eſt excitare, quam profectò voluntariè excitare, ſeu voluntariam illius cauſam dare peccatum eſt mortale.

34 Accedit, quòd niſi præciſiones illæ forent illuſoriæ, conſectarium foret quòd vir religioſus non peccaret graviter contra rationem ſui ſtatûs, admittendo de præſenti delectationem moroſam de copula, quam femina haberet cum ipſo, præſcindendo per mentem à ratione ſpecifica ſui ſtatûs, ſive repræſentando ſe in ſtatu præciſivo à vinculo voti. Quod cùm dici nequeat, neceſſariò dicendum, quòd ſicut præciſio à malitia, petita ex ratione ſpecifica ſtatûs, in ſimilibus delectationibus illuſoria eſt, nec à malitia illa excuſat; ſic & præciſio à malitia, petita ex ratione ſpecifica objecti, illuſoria eſt, &c.

35 Si dicas cum Arriaga, rationem noſtram petitam ex motione partis ſenſitivæ, ſpirituumque generationi ſervientium, videri inefficacem, nec eâ probari illicitum eſſe conjugatis delectari de copula cum aliena, præſcindendo à circumſtantia alienitatis: cùm liceat ipſis commovere carnem, & ſpiritus generationi ſervientes, ſaltem in præſentia compartis.

Reſpondeo eâ ratione probari delectationem de copula cum aliena, præſcindendo, &c. illicitam eſſe, ipſis etiam conjugatis: utpote quibus licitum quidem eſt commovere carnem ex cogitatione ſeu delectatione circa propriam conjugem, non circa alienam. Quia in ordine ad alienam nihil ſpeciale habent conjuges præ aliis.

36 Objicies 3°. ſaltem mortalis non videtur delectatio de opere, ſecundùm ſe quidem mortaliter malo, ſed quod abſque culpa contingit, v. g. de pollutione ſecuta naturaliter in ſomno, de copula per vim abſque ullo conſenſu ſuo habita cum juvene pulcherrimo, de fornicatione per ignorantiam inculpatam commiſſa cum ea, quæ invincibiliter credebatur uxor ſua.

Non defuerunt, quibus viſum eſt id non eſſe mortale, imò nec mortale eſſe deſiderium inefficax ejuſmodi effectuum, non ſecundùm ſe & propter ſe, ſed propter bonum aliquod inde proveniens. Licitum namque eſſe vigilanti, ob corporis ſanitatem, vel libidinis & tentationis mitigationem, ſimplici affectu, ſine ulla procuratione, aut procurandi voluntate, deſiderare ut pollutio naturaliter eveniat, præſertim in ſomno, docent Toletus, Vaſquez, Sanchez, Leſſius, Layman, Filiutius, Fagundez apud Boſſium de conſc. ſcrupul. p. 3. tit. 1. n. 2251.

37 Sed id meritò improbant Adrianus, Sotus, Medina, Corduba, Azorius, Sylvius, & alii communiter. 1°. quia ſicut opus ipſum, ſic delectatio de opere, tunc ſolùm à mortali excuſatur, quando delectationem excuſat ignorantia, ſomnus, &c. ſicut excuſavit opus. Eſt enim regula, quòd dum actio aliqua ob ignorantiam, ſeu aliam quamvis cauſam, à culpa excuſatur, conſenſus in actionem illam, ſeu delectatio de ea non excuſatur, niſi cauſa excuſans, quæ adfuit actioni, adſit etiam conſenſui vel delectationi. Aliàs ſine mortali amare quis poſſet homicidium, imò & parricidium in ſomno vel amentia inculpatè commiſſum, ob effectum aliquem bonum, qui ſibi inde contigit. At oppoſitum Eccleſia declaravit, dum ſequentes propoſitiones per Innocentium XI. damnavit: 13am. *Si cum debita moderatione facias, potes, abſque peccato mortali, de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod emolumentum.* 14am. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis: quia nimirùm ei obventura eſt pinguis hæreditas.* 15am. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.*

Objicies 4°. delectatio de cogitatione operis pravi non eſt peccatum mortale: ergo nec delectatio de ipſomet pravo opere cogitato. 38
Nego conſequentiam: quia, ut S. Thomas ait 1. 2. q. 74. n. 8. *cogitatio ipſa ſecundùm ſe non eſt peccatum mortale* (ſicut eſt pravum opus cogitatum) *imò quandoque eſt veniale tantùm, puta cùm aliquis inutiliter cogitat de ea* (fornicatione) *quandoque autem ſine peccato omninò, puta cùm aliquis utiliter de ea cogitat, ſicut cùm vult de ea prædicare vel diſputare. Et ideò conſequens affectio & delectatio, quæ ſic eſt de cogitatione fornicationis, non eſt de genere peccati mortalis, ſed quandoque eſt peccatum veniale, quandoque nullum.* Sic etiam delectari de modo artificioſo furti ab ingenioſo fure commiſſi, non ſemper eſt mortale.

Diſcernere verò, an delectatio fuerit de re 39
ipſa mala, an ſolùm de ipſius cognitione, vel modo artificioſo, plerùmque eſt difficile; eò quòd frequenter hîc mentiatur iniquitas ſibi. Dignoſci tamen probabiliter poteſt ex occaſione, unde orta eſt delectatio. Nam ſi ex honeſta occaſione vir timoratus de pravo cogitet objecto, v. g. occaſione ſtudii, vel auditarum confeſſionum, delectatio in dubio potiùs præſumitur de cognitione, quàm de objecto cogitato. At ſi ex occaſione prava, v. g. ex aſpectu, vel colloquio turpi, vel etiam ex otioſitate, locutione inutili, lectione vana, aſpectu immortificato objecti allicientis, timendum eſt ne delectatio (ſaltem in minùs timoratis) ſit de objecto, prout obſervat Caſtro-Palao puncto 10. §. 1. n. 5.

Dumque delectatio de artificio fuit, attendi 40
debet, an ſimile artificium in rebus piis æquè te delectet, atque in rebus obſcœnis & pravis. Si enim artificium rerum honeſtarum, licèt elegantiorum, & æquè vel magis artificioſarum, te non delectet, indicium eſt non parvum, de ſolo te artificio non delectari, ſed de re ipſa obſcœna & prava.

Hinc plurimi convincuntur delectari de re- 41

bus turpibus, ſub prætextu artificioſi carminis; qui tamen elegantiora & artificioſiora de rebus piis carmina audire faſtidiunt, vel minori audiunt, leguntvè aviditate. Sicut & illi qui libentiùs ac frequentiùs de inhoneſtis loquuntur corporis partibus, quàm de honeſtis.

42 Contingit etiam plurimos à principio ſolùm delectari de cogitatione, ſed ex ea paulatim tranſire in delectationem de re ipſa, maximè in materia venerea, ſi nec ratio benè vigilet, nec cor benè cuſtodiatur.

CAPUT V.

Delectatio moroſa viduorum ac viduarum de copula in matrimonio habita, imaginata ut præſente, ſicut & conjugandorum de habenda, peccatum eſt mortale, tam ratione objecti, quàm ratione effectûs quem ejuſmodi delectationes per ſe natæ ſunt cauſare.

43 RAtione objecti quidem, ſive actûs repræſentati, utpote qui ipſis modò non eſt licitus, ſed prorſus illicitus. Cùm igitur delectatio talis ſit, quale objectum de quo eſt delectatio, & objectum ſit ipſis de præſenti mortaliter illicitum, delectatio de illo ut præſenti pariter eſt ipſis mortaliter illicita.

44 Ratione effectûs verò: quia ejuſmodi delectatio per ſe nata eſt cauſare commotionem partis ſenſitivæ, ſpirituumque generationi ſervientium. Dum enim talis objecti, ut præſentis, delectatione animus paſcitur, pars ſenſitiva, ſicut & imaginativa utplurimùm inde commovetur, & ad ſeminis deciſionem excitatur. Ejuſmodi verò commotiones de præſenti excitare cùm ſit ipſis graviter illicitum; ita & voluntariè admittere cauſam per ſe natam eas excitare.

Et ideò aſſertionem noſtram tradunt DD. communiter contra Emmanuelem Sa, Salas, &c.

45 Sunt quidem aliqui, qui cum Sylvio q. 74. a. 4. quæſito 2. & Card. de Lugo de pœnit. diſp. 10. ſect. 6. §. 4. n. 156. delectationem ſenſibilem partis ſenſitivæ, à delectatione ſeu gaudio ſpirituali voluntatis diſtinguentes, exiſtimant ipſis non eſſe mortaliter illicitum ſimplici volaticoque voluntatis affectu gaudere quòd actum illum experti, vel experturi ſint, abſque eo quòd illum repræſentent ut præſentem. Sed cùm hoc periculoſum ſit, in praxi non eſt de facili admittendum, mortaleque eſſe aſſerunt Palao, Dicaſtillo, & alii.

CAPUT VI.

Ipſis etiam conjugatis mortale eſt, venereum in carne ſua delectationem in abſentia comparte, moroſis de copula cum comparte cogitationibus, voluntariè excitare.

46 TAmetſi enim mortaliter peccare non videantur ratione objecti, dum ſibi repræſentant conjugalem actum ut præſentem: utpote quem præſens ſtatus facit ipſis per ſe licitum: Joannes Nider, Sylveſter, Navarrus, aliique graviores non ſine ratione cenſent ipſos mortaliter peccare ratione effectûs, ſeu venereæ illius delectationis in carne ſua voluntariè excitatæ: utpote quæ provenit ex commotione ſpirituum generationi ſervientium, quæ eſt inchoata quædam ſeminis deciſio, quæ cùm in abſentia compartis non ſit inchoatio actûs conjugalis; ſupereſt ut ſit inchoatio quædam pollutionis, quæ ipſis licita non eſt.

Accedit quòd velle in carne ſua venereum 47
excitare delectationem, abſente comparte, videatur eſſe mortale ratione objecti, ſive ratione iſtius venereæ delectationis: utpote quam conjugium non permittit, niſi conjugaliter excitatam: conjugaliter verò non excitatur, niſi dum captatur ex actu conjugali hîc & nunc exercito, vel in ordine ad illum exercendum, quorum neutrum fit, abſente comparte.

Et hinc eſt quòd v. g. tactus impudici pro- 48
priorum pudendorum, etiam ob ſolam delectationem carnalem, inde naturaliter conſurgentem, in abſentia compartis ſint ipſis graviter illiciti, ut meritò docent Monteſinus, Vaſquez, & Doctores communiùs, etiam indulgentiores, ut Diana, Joannes Sancius, Gobat, &c. contra Sanchez, Perez, & Caſtro-Palaum. Neque enim conjugium permittit ipſis ſecum captare venereum delectationem, ſed cum conjuge. Illi proinde tactus non ſunt conjugales, ſed non conjugales, & nimis infames. Neque deſerviunt fini vel uſui matrimonii (quorum alterutri deſervire debent, ut excuſentur à mortali.) Non fini: quia non deſerviunt generationi. Non etiam uſui: utpote ad quem non referuntur ex fine operantis, qui eſt ſola carnalis voluptas ejuſmodi tactûs. Neque ex fine operis: cùm tactus illi ex fine operis, ſive ex ſeipſis, indifferenter ordinabiles ſint ad actum conjugalem, vel non conjugalem; ſicut & ad deciſionem effuſionemque ſeminis naturalem, vel contranaturalem, ſive ad pollutionem, cujus periculo nimis magno ſe conjuges exponunt, dum ſeipſos, abſente comparte, tam turpiter tangunt, cum intentione venereæ delectationis.

Denique tactus illi, in abſentia compartis, 49
ex ſe non magis, imò minùs ſunt conjugales (id eſt ex ſe tendentes ad opus conjugale) non magis proinde, imò minùs à mortali excuſabiles, quàm plerique alii tactus infames, quos conjugati, nimiâ libidine furentes, inter ſeſe aliquando exercent, v. g. alter alterius pudenda oſculando, ea in os, vel inter compreſſa uxoris ubera immittendo, vel in præpoſtero vaſe ipſius perfricando, &c. (ignoſcant caſtæ aures, infamias iſtas non ſine ingenti pudore commemoranti.) Atqui ejuſmodi turpitudines ne quidem à mortali excuſantur, dum exercentur animo conſummandi, non ibi, ſed in vaſe naturali: cùm nimiam contineant indecentiam, quam ſatis indicat maximus conjugatorum pudor in iis confitendis. Unde Sanchez, poſtquam l. 9. de matrim. in 1. edit. propudioſas turpitudines illas à mortali excuſaſſet; in editione Antuerpienſi anni 1614. id meritò retractavit. Neque verò conjugatis uſque adeò laxandæ ſunt habenæ turpitudinis,

ut laxiores nonnulli faciunt apud Guimenium tr. de matrim. propoſit. 4. & 6. Neque ſanctitas chriſtiani conjugii, nuptialiſque benedictio tam immanem Chriſtianorum libidinem excuſat à grandi peccato; hoc enim ſine horrore vix aut ne vix quidem cogitari poteſt, cùm Apoſtolus dicat, quòd eos vocavit Deus *non in immunditiam, ſed in ſanctificationem, ut ſciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderii, ſicut Gentes, quæ ignorant Deum.* 1. Theſſalon. 4.

CAPUT VII.

Moroſa delectatio eſt peccatum ejuſdem ſpeciei, cujus eſt actus illicitus, de quo habetur delectatio.

50 ESt communiſſima ſententia Doctorum, poſt S. Thomam proximè referendum, & S. Antoninum p. 2. tit. 5. c. 1. §. 6. contra Vaſquez, Azorium, Reginaldum, & Caſtro-Palaum. Dicit ergo aſſertio, quòd moroſa delectatio de copula ſoluti cum ſoluta pertineat ad ſpeciem fornicationis, de copula cum conjugata ad ſpeciem adulterii, de copula cum Moniali ad ſpeciem ſacrilegii; ideòque explicandum ſit in confeſſione delectationis objectum.

51 Probatur 1°. authoritate S. Thomæ q. 15. de verit. a. 4. ad 8. dicentis quòd *delectatio alicujus operationis, & ipſamet operatio, ad idem genus pertinent, ſicut & operatio virtutis, & delectatio de eadem, ad eandem virtutem pertinent. Juſti enim eſt, & operari, & delectari de juſtis operibus.* Et infrà: *Delectatio, quæ conſequitur cogitationem ex parte rei cogitatæ, in idem genus coincidit cum delectatione exterioris actûs.... Unde conſtat, quòd talis delectatio, ſecundùm genus ſuum, inordinata eſt, inordinatione quâ eſt inordinata delectatio exterior.* Et a. 6. *Delectatio alicujus operationis, & ipſa operatio, ad idem genus peccati reducuntur.* Et in 4. diſt. 31. q. 2. a. 3. *Secundùm Philoſophum in 10. Ethic. idem judicium eſt de delectatione & opere.*

52 2°. ratione ejuſdem S. Doctoris ad 8. ſuprà, *quia nullus delectatur in aliquo, niſi afficiatur ad illud:* nullus proinde delectatur de fornicatione, ſine affectu ad fornicationem; affectus verò ad fornicationem contrahit malitiam illius; eò quòd affectus ad objectum, ſicut & amor illius, ſpeciem contrahat ab objecto, juxta illud Oſee 9. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt.* Et *talis eſt unuſquiſque, quale eſt quod diligit.*

53 Nec hoc verum eſt de ſolo affectu & amore efficaci. Quare enim affectus efficaces ab objectis ſpecificantur? Nonne quia eſſentialiter in ea tendunt? Atqui etiam inefficaces eſſentialiter in ea tendunt.

54 Nec magis verum eſt, quod aliqui dicunt, affectus inefficaces ſpecificari à ſolis objectis formalibus, ſeu motivis. Tam enim inefficaces, quàm efficaces, ſpecificantur ab objectis, etiam materialibus, ſecundùm omnem ſpecificam rationem, quæ illis cognoſcitur ineſſe. Quemadmodùm enim affectus inefficaces malitiam mortalem ſumunt ab objecto mortaliter malo, cognito ut tali, etiamſi non ferantur in objectum mortaliter malum formaliter ut tale; ita ſpeciem mortalis malitiæ ſumunt ab objecto mortaliter malo malitiâ talis ſpeciei, cognito ut tali, etiamſi non ferantur in objectum malum malitiâ talis ſpeciei, formaliter ut tale.

Et hinc 3°. probatur aſſertio, quia delectatio moroſa malitiam mortalem contrahit 55
ab objecto mortaliter malo, cognito ut tali, tametſi ſub ea ratione non excitet delectationem: ſimiliter ergo contrahit malitiam talis ſpeciei, ab objecto cognito in ratione mali malitiâ talis ſpeciei, tametſi ſub ea ſpecifica ratione non excitet delectationem. Antecedens nullus negare poteſt: aliàs delectatio moroſa, imò & deſiderium efficax rarò vel nunquam foret mortalis: cùm malitia mortalis objecti, formaliter ut talis, rarò vel nunquam exciter delectationem. *Nemo* enim *intendens in malum operatur.* Eo tamen non obſtante, *homo qui peccat, licèt per ſe non velit deformitatem peccati; tamen deformitas peccati aliquo modo cadit ſub voluntate peccantis* (indirectè ſcilicet, & interpretativè) *dum ſcilicet magis eligit deformitatem peccati incurrere, quàm ab actu ceſſare.* S. Thomas q. 3. de malo a. 2. Conſequentiæ bonitatem demonſtrat paritas omnimoda. Quemadmodùm enim qui efficaciter deſiderat fornicationem cum femina, ſciens eſſe conſanguineam, Deo ſacram, &c.; ſic qui moroſè delectatur de cogitata fornicatione cum femina, ſciens eſſe conſanguineam, Deo ſacram, &c. licèt per ſe & directè non velit deformitatem inceſtûs, ſacrilegii, &c. vult tamen indirectè & interpretativè, dum magis eligit delectari de cogitata fornicatione cum conſanguinea, Deo ſacra, &c. cognita ut tali, quàm ab ea delectatione ceſſare.

4°. aliàs delectationes omnes moroſæ, in 56
materia venerea, forent ejuſdem ſpeciei, non obſtante quacumque diverſitate objecti, ſive utique delectatio foret de copula adulterina, inceſtuoſa, ſacrilega, &c. ſive de beſtiali, ſodomitica, &c. ſaltem quando delectationis motivum non forent objecta illa formaliter ut talia, ſed quà carnalem delectationem excitantia præcisè. At contrarium ſequitur ex doctrina Sanctorum, ſecundùm quam ſicut aſpectus voluntarius ſpectaculorum inhoneſtorum contrahit malitiam ſpecificam objecti repræſentati; ita & cogitatio moroſa, quæ eſt aſpectus quidam internus. Id autem quod proximè dixi de aſpectu ſpectaculorum, &c. hiſce elegantibus verbis Salvianus exprimit l. 6. de provid. *Spectaculorum impuritates unum faciunt & agentium, & aſpicientium crimen, dum ſpectantes hæc comprobant, & libenter vident, omnes ea viſu ac aſſenſu agunt, ut verè in eos Apoſtolicum illud cadat:* " quia digni ſunt morte, " non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſen- " tiunt

tiunt facientibus. „ *Itaque in illis imaginibus fornicationum omnis omninò plebs animo fornicatur.* Si in externis imaginibus fornicationum libenter viſis animoque verſatis, plebs animo fornicatur: ergo & in imaginibus externis adulteriorum, inceſtuum, &c. libenter viſis, &c. animo adulterat, inceſtuat, &c. Unde Chriſtus Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo.* Ex quibus verbis Chryſoſtomus homil. 3. de David & Saüle infert adulterii reos eſſe pleroſque ſpectaculorum ſpectatores; nec id ſolùm intelligit de aſpicientibus ad concupiſcendum cum concupiſcentia efficaci; verùm & inefficaci, uti vidimus n. 53. Vide etiam infrà num. 62.

57 Ex his conſectarium eſt, moroſam delectationem ſpecificam ſortiri malitiam, in confeſſione aperiendam, pro ſpecifica diverſitate tam perſonæ repræſentatæ, quàm perſonæ repræſentantis: quia præmiſſa oſtendunt delectationem moroſam ejuſdem ſpeciei eſſe cum opere externo, de quo capitur delectatio, idque perſpicuè tradit S. Thomas ſuprà. Opus verò externum, v. g. fornicatio, ſpecificam diverſitatem ſortitur pro ſpecifica diverſitate tam perſonæ quæ fornicatur, quàm perſonæ cum qua fornicatur. Enimverò cui, ratione voti v. g. prohibitum eſt fornicari, prohibitum eſt de fornicatione delectari. Et ſic de aliis.

58 Conjugatus utique, vel conjugata, moroſè delectatus vel delectata de copula cum perſona ſoluta, tenetur matrimonii ſui circumſtantiam in confeſſione aperire: quia peccavit contra fidem & vinculum matrimonii; ſicut contra voti ſui vinculum peccat Religioſus per ejuſmodi delectationem. Siquidem matrimonii, ſicut & voti vinculum, non ſola ligat corpora, ſed & maximè affectus. Per conſequens non ſolùm impedit ne conjugatus cum non ſua jungatur corpore, ſed & ne jungatur venereo affectu, ſive efficaci, ſive inefficaci, per ejuſmodi delectationem; quantumcumque quis mente præſcindat circumſtantiam ſtatûs ſui: cùm ſe obligaverit ad abſtinendum ab ejuſmodi delectationibus, ut rectè Turrianus ſelect. p. 2. diſput. 16. dub. 1. oppoſitam opinionem Hurtadi, Euſebii, Herreræ, &c. meritò cenſens eſſe improbabilem.

59 Et hinc ulteriùs dicendum, delectationem moroſam de opere venereo contrahere malitiam cognitam circumſtantiarum objecti, etiamſi affectus voluntatis à circumſtantiis illis præſcindat; ſicut contrahit malitiam mortalem cognitam operis venerei, licèt affectus voluntatis ab ea præſcindat. Reverà namque ejuſmodi præciſiones illuſoriæ ſunt, ut ſuprà dixi. Nec affectus magis præſcindere poteſt malitiam ſpecificam cognitam, provenientem ex circumſtantia perſonæ repræſentatæ, quàm provenientem ex circumſtantia perſonæ repræſentantis, quam Bonæ-Spei (hoc in puncto nobis contrarius diſp. 8. de peccatis n. 82.) fatetur reverà præſcindi non poſſe, dum cognoſcitur ineſſe. Cur igitur potiùs dicit præſcindi poſſe circumſtantiam perſonæ repræſentatæ?

Quia (inquit) habet ſe antecedenter ad affectum. At ſimiliter circumſtantia perſonæ repræſentatæ habet ſe antecedenter ad affectum; quemadmodùm enim objectum, & quæcumque circumſtantia ſe tenens ex parte objecti, habet ſe antecedenter ad notitiam (juxta illud, *ex objecto & potentia paritur notitia*) ita ſe habet antecedenter ad affectum. Nec ad hoc magis neceſſe eſt quòd habeat ſe excitativè ad affectum, quàm id neceſſe ſit in circumſtantia perſonæ repræſentantis. 60

Atque hinc ampliùs oſtenditur, præciſiones ejuſmodi reverà eſſe illuſorias. Aliàs enim ſequeretur 1°. delectationes omnes moroſas de objecto quocumque venereo ejuſdem eſſe ſpeciei. 2°. non eſſe mortaliter illicitum, in materia venerea, moroſè delectari de objecto mortaliter malo, cognito ut tali, dum affectus non tenderet in illud quà tale. 3°. conjugatum & religioſum non peccare contra rationem ſpecificam ſui ſtatûs, admittendo delectationem moroſam circa non ſuam, cum affectiva præciſione à ratione illa ſpecifica, quàmlibet hîc & nunc cognita. Hoc autem certiſſimè dici non poteſt. Quemadmodùm enim religioſus per votum ſuum ſe totum & quoad corpus, & quoad affectum tradidit Deo, & maritus per matrimonium uxori; ſic uterque ſe totum ſubtraxit cæteris. Religio ergo voti tam impedit ne non religioſus moroſè delectetur circa religioſum, ſub ejuſmodi præciſione; quàm ne religioſus ſub ſimili præciſione moroſè delectetur circa perſonam non religioſam. 61

CAPUT VIII.

Aſpectus impudici & libidinoſi haud dubiè ſunt peccata mortalia.

PRobatur ex Matth. 5. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt corde ſuo.* Quæ verba explicans Chryſoſtomus Homil. 17. in Matth. *Chriſtus* (inquit) *non actum ſolummodò, ſed impudicum quoque coërcet affectum, ut diſcas ubi conſiſtat illud quòd ſupra Scribarum & Phariſæorum noſtra præcipitur abundare juſtitia. Propter quod ait*: " Qui viderit mulierem, &c. " *Hoc eſt dicere: qui dat operam in venuſta corpora curioſiùs intueri, & decoras aucupari facies, talique animam ſpectaculo paſcere, & obſcœnos pulchris etiam vultibus oculos affigere. Non enim idcircò Dominus advenîſſe contentus eſt, ut ſolummodò corpus à malis actibus, ſed ut priùs animam quoque ab hujuſmodi cogitationibus averteret.... Propterea non dixit, qui concupivit ad adulterandum, ſed qui viderit ad concupiſcendum.... id eſt, qui concupiſcentiam videndi curioſitate ſibi ipſi collegerit, quique, nullo omninò cogente, quieſcenti animæ feram ſubitò immiſerit.... Quod certè etiam veteri le-* 62

ge prohibetur Prov. 6. Noli (*inquit*) addiscere pulchritudinem alienam. *Cohibuit aspectum, ne hujusmodi licentiâ fidens, etiam in peccatum quandoque corrueres. Quid autem (inquis) si video, & concupisco, sed tamen nihil turpe ago? Et sic quidem jam in adulterorum parte numeraris. Pronuntiavit enim Lator legis, nec amplius aliquid oportet scrupulosius inquirere.... Dixit:* „ Qui viderit mulierem ad concupiscendam „ eam, *qui scilicet ad hoc aspicit, ut oblectet aspectum.*

63 Propterea etiam Eccli. 9. scriptum est: *Virginem non conspicias, ne forte scandalizeris in decore ipsius.... Propter speciem mulieris multi perierunt.* David post meridiem deambulans in solario domûs regiæ, vidit Bersabee se lavantem. Vidit & concupivit, & adulterium ac deinde homicidium perpetravit. Senes, ut dicitur Daniel. 13. videbant Susannam quotidie ingredientem & deambulantem in pomario viri sui, & exarserunt in concupiscentiam ipsius. Quod ne sibi contingeret: *Pepigi* (inquit sanctus vir Job 3.) *fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem Omnipotens de excelsis?* Ad quæ verba S. Gregorius lib. 21. Moral. c. 31. *Quisquis per has corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati, etiam nolens cadit, atque obligatus desiderii, incipit velle quod noluit.* Ut ergo sanctus vir *cogitationes cordis caste servare potuisset, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incaute aspiceret, quod postmodum invitus amaret. Valde namque est grave quod caro deorsum trahit, & semel species formæ, cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis manu solvitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est: quia intueri non decet, quod non licet concupisci.*

64 Nec ideò aspectus illos judicare debemus nobis non periculosos, quòd nihil mali in nobis produxerint, cùm aspeximus: cùm subinde contingat, ut etiam post annos nocumentum inferant. Cujus exemplum terribile idem Gregorius Magnus l. 2. Dialog. c. 2. refert in sancto Benedicto, qui post puritiam sanctè transactam, tam violentam in eremo passus est tentationem, *ut etiam penè relinquere eremum voluptate victus deliberaret.* Occasionem verò tentationis ibidem exprimit: *quamdam namque aliquando feminam viderat, quam malignus spiritus ante ejus mentis oculos reduxit.*

65 Non ideò tamen illicitum est personam alterius sexûs intueri, nec sæcularis unusquisque tenetur demissis oculis incedere per plateas, alteriusvè sexûs alloqui personas. Imò tanta præcautio posset aliquando plus obesse, quàm prodesse. Timor enim excessivus cogitare facit de objecto timoris, facilèque tentationes causantur, ad quas evitandas omittitur aspectus. Non est ergo per se illicitum personas alterius sexûs intueri, sed ex complacentia vel curiositate intueri, vel etiam oculos figere in earum aspectu. Propter quod Augustinus epist. 211. alias 109. dicit: *Oculi vestri, etsi jaciuntur in aliquem, figuntur in neminem.* Videri potest S. Antoninus p. 2. tit. 5. §. 7. ubi sapienter monet peccari per aspectum, *vel ex quadam curiositate, ut sciat quis factionem, seu formam ejus, vel ornatum earum, quâdam sensuali complacentiâ de pulchritudine ejus: sicut mulieres de Ægypto ascendebant per muros, ut viderent transeuntem Joseph pulcherrimum, quod sine peccato veniali non est: vel ut libidinosè inardescat in concupiscentiam ejus, & hoc est aspicere ad concupiscendum, quod est mortale. Et quod dictum est de viro erga mulierem, idem per totum de muliere aspiciente virum. Ex hoc ostenditur, quam graviter, & quam innumerabiliter peccant, qui diebus festivis, vel aliis, discurrunt per Ecclesias, vel vias, ad procandum* (vel aspiciendum) *mulieres, vel filo capti in aliqua, sequuntur eam. Ad quid enim, nisi ad concupiscendum libidinosè? qui tot peccata mortalia perpetrant, quot diversas concupiscentes aspiciunt, vel quot vicibus unam & eandem sequentes, diversis temporibus aspiciunt ad concupiscendum. Ipsæ etiam mulieres, perpendentes se adamari & procari, quotiescumque studiosè offerunt se aspectibus amatorum, ut illis placeant, toties peccant mortaliter, etiamsi nihil turpe agere vellent cum illis. Et ratio est, quia sunt causa efficax ruinæ illorum; & qui occasionem damni dat, damnum quoque dedisse videtur, ut habetur in canone.*

Atque ex dictis lethale quoque peccatum 66
est, seipsum, vel alium, cujuscumque sexûs, in partibus verecundioribus corporis, absque legitima causa, studiosè aspicere: quia ejusmodi aspectus natus est fœdas libidinis imagines in animum ingerere, obscœnosque motus in corpore excitare. Coïtum etiam brutorum animalium studiosè intueri, & considerare, periculosum est, & plerùmque mortale peccatum. Ob eandem rationem mortale quoque est effingere, pingere, palàm exponere, apud se retinere, libidinosè intueri imagines, aliquam turpitudinis speciem præ se ferentes, v. g. nudas feminas repræsentantes. Quia ad turpes imagines in adolescentum animis efformandas plurimùm valent. Siquidem *dæmon nudæ figuræ assidet*, inquit Chrysostomus in Psal. 113. Graviter proinde peccant qui ejusmodi figuras vel imagines aspectui adventantium vel domesticorum exponunt. Si enim aspectus vel unius picturæ talis adeò periculosus sit, quot peccatorum periculo adventantes & domesticos exponunt, qui eas publicè exponunt oculis ipsorum? Imò & seipsos periculo turpium cogitationum exponunt, qui eas non exponunt quidem in loco ad quem accessum habent exteri, nec ubi passim intrant domestici, sed ubi dormiunt ipsi. Et isti dum providere videntur saluti alienæ, obliviscuntur suæ.

Prop-

67 Propterea rerum turpium obscœnarumque imagines effingi, sacri vetant Canones, *delerique, vel ad honestatem reconcinnari* jubet Concilium Mediolanense V. p. 1. tit. *de his quæ ad sacramentalia, &c.* Statutaque Synodalia Ecclesiæ Bisuntinæ, sicut & Statuta Cardinalis Grimaldi, Aquensis Archiepiscopi, & Rituale Bituricense anni 1666. eos absolvi vetant, qui ejusmodi imagines apud se retinent, nec delere, vel ad honestam formam reconcinnare volunt; sicut & eos qui tales imagines effingunt, aut vendunt.

CAPUT IX.

Verba impudica, seu turpia proferre, obscœnas cantilenas canere, vel libenter audire, utplurimùm est peccatum mortale contra sextum præceptum, vel propter affectum minùs castum, vel propter periculum turpium cogitationum, vel propter scandalum.

68 PRopter affectum quidem minùs castum. Quia *ex abundantia cordis os loquitur*; ex turpiloquio proinde libenter prolato, proferens arguitur de affectu minùs casto. Quia, ut Hesselius ait in explicatione hujus præcepti, *manifestum est verba venerea, causâ recreationis prolata, significare quòd homo turpibus delectetur, & ad hoc proferri, ut alii similiter oblectentur.* Confer ea quæ S. Clemens Alexandrinus dicit infrà num. 71.

69 Nec à Confessariis recipienda est excusatio satis frequens eorum, qui verba ejusmodi proferre se dicunt absque ulla cogitatione mala. Cùm ut minùs id cogitent quod dicunt; aliquid ergo malum seu turpe cogitant. Deinde verba infamia non assumerent pro materia recreationis & risûs, si à rebus infamibus, per ea significatis, abhorrerent, uti abhorrere debent. Denique signum satis evidens est, quòd sordibus illis delectentur, eo ipso quo de ipsis libenter loquuntur, & in colloquio de illis jucundantur; etiamsi nullam habeant voluntatem aliquid ejusmodi faciendi. Neque enim voluntas ista requiritur, ut anima coram Deo rea sit gravis peccati, ut constat ex dictis de gravitate peccati delectationis morosæ.

70 Præterea turpiloquium illud utplurimùm grave peccatum est propter periculum turpium cogitationum, quas verba turpia excitare nata sunt tam in animo proferentis, quàm libenter audientis. Et hinc utplurimùm etiam grave peccatum est propter scandalum: scriptum est enim: *Corrumpunt mores bonos colloquia prava.* 1. Cor. 15. Et declaratur hâc ratione, quia verba turpia proximo sunt utplurimùm occasio turpium cogitationum. Vel enim audientes, omnes impudici sunt, vel aliqui ex ipsis pudici? Si omnes impudici, turpiloquium erit ipsis causa multorum peccatorum: quia ex eo facilimè ipsi deveniunt in cogitationes & delectationes venereas, occasionemque accipiunt turpiloquium continuandi. Si aliqui ex audientibus sint pudici, ex audito turpiloquio magis ferietur imaginatio ipsorum, quàm impudicorum, ita ut non solùm tunc, sed & diù post diabolus non rarò illius occasione vexet illos per turpes cogitationes, per quas aliqui ex ipsis forsitan amissuri sunt gratiam Dei. Constat enim, non paucas animas timoratas pluribus annis diù valdè tentatas vexatasque fuisse per ejusmodi cogitationes, occasione auditorum verborum turpium excitatas, seu etiam occasione verborum æquivocorum, quæ frequenter magis periculosa sunt, quàm apertè turpia: quò enim faciliùs recipiuntur, eò periculosiora sunt. Faciliùs verò ab animabus nondum omninò corruptis audiuntur verba turpia, dum teguntur velo aliquo, ipsorum infamiam tegente; dumque ejusmodi verba placent, ob eam quam non rarò continent subtilitatem, curiositatem provocant ad considerandam ipsorum significationem.

71 Videri potest S. Clemens Alexandrinus l. 2. Pædagogi c. 4. ubi dictis de causis vehementer invehitur in turpiloquium. Et c. 5. graviter monet, quòd dum aliquis turpia profert, *oportet quoque ipsum subrisum doceri & castigari; &, si ob turpes res excitatus fuerit, erubescere potiùs videri, quàm subridere: ne videamur per consensum collætari.* Capite verò 6. *à turpiloquio* (inquit) *& nos omninò abstinere oportet, & eis qui illo utuntur os obstruere, & aspectu severiore, & vultûs aversione, & subsannatione, & sæpè etiam asperiori oratione. Quæ enim* (inquit Christus Matth. 15.) *ex ore exeunt, coinquinant hominem. Profanum, intemperantem, & petulantem eum ostendunt* (nota pro confirmatione ejus quod dixi num. 68.) *non modestum, honestum & temperantem.*

CAPUT X.

Chorearum & saltationum frequentatio adeò periculosa est, ut sine peccato rarò vel nunquam fiat.

72 ITa S. Carolus Borromæus in tract. adversus choreas, & S. Franciscus Salesius Introd. ad vit. devot. c. 33. post SS. Patres Chrysostomum homil. 49. in Matth. Ephrem Syrum homil. cujus titulus est, *Christianos à ludicris rebus abstinere oportere.* Ambrosium l. 3. de virginib. c. 5. &c. Ne autem in æquivoco hæreamus, de choreis loquimur, prout vulgò fiunt, in quibus puellæ cum juvenibus, præludente instrumento, per intervalla saltitant, colloquiisque, osculis, amplexibus, &c. se oblectant. Earum frequentationem dicimus esse periculosam, quòd multorum peccatorum occasiones satis propinquas & incentiva exhibeat, quòd ad excitandas & fovendas pravas cupiditates & venereas delectationes sit vehementer opportuna, quòd ad pompas pertineat, quas in baptismo ejuravimus, ut S. Ephrem testatur loco citato, sicut & Tertullianus, Cyprianus, Minut. Fælix, Salvianus, quòd per frequentationem illam vigilantia christiana, spiritus orationis, compunctionis & pœnitentiæ extinguatur; quòd per eandem vanitates & insaniæ, chri-

stianæ innocentiæ corruptrices, per oculos, aures, & nimiam cum altero sexu familiaritatem, in animum immittantur, prout infelix experientia docet.

73 In illa ergo frequentatione facillimè, frequentissimèque peccatur mortaliter, si non opere, saltem complacentiâ, delectatione, datâque aliis peccandi occasione. Enimverò si vera sunt oracula Sanctorum quòd frequens cum feminis conversatio, sine necessitate, & causa legitima, admodùm periculosa sit. Si Author libri de singularit. Cleric. inter Opera Cypriani, *mentior* (inquit) *si non videmus exinde interitus plurimorum. Quanti & quales Episcopi, & Clerici, simul & Laici, post confessionum* (quibus generosè coram Tyrannis Christum professi erant) *victoriarumque calcata certamina, post magnalia, & signa, vel mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cùm volunt in navi fragili navigare*, id est in carne fragili familiariùs cum personis alterius sexûs conversari, &c. Plenus est liber iste sententiis ejusmodi. Si etiam Sancti clamant, tam periculosa esse prælia castitatis, tam frequentes pugnas, tam raram victoriam, ut etiam pietate ætateque provecti, opumque & bonorum terrenorum ac mundi contemptores hîc cespitent; *quid faciunt illi* (prosequitur laudatus Author) *qui ex utroque latere gladiis incumbentibus non cunctantur incumbere?* Quid (inquam) non timendum de cespitatione hominum, qui vanitate, suique & mundi amore pleni, in ipso ætatis æstu, cum junioribus personis alterius sexûs, ad lasciviæ incitamentum voce, veste, gestu, visu, & blandiloquentiâ compositis, familiariter conversantur, corridentes, nugantes, manus contrectantes, osculantes, amplexantes, choreas ducentes, &c.? Nonne scriptum est: *Qui amat periculum, in illo peribit.* Et *cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias eam, ne forte pereas in efficacia illius?*

74 Nec insontem quis se putet, quòd fortè motus impuros in se non sentit, tum quia præsumptuosum est propterea in se fidere. Tum quia nescit quid fiat in comparte, quid in aspectantibus, cæterisque choreizantibus, quorum choreizationem facto suo fovet, fovendoque ad easdem peccatorum occasiones frequentandas allicit.

75 Accedit quòd si gratiâ Dei steterit, ubi alii ceciderunt; timere debet ne tandem corruat. Quia castitas donum Dei est: à gratia proinde Dei dependens, quam Deus subtrahere solet in pericula ultrò se conjicientibus. *Ne igitur in præterita castitate confidas*, (inquit Hieronymus ad Nepotian.) *nec sanctior David, nec Sampsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior: Vtai quodam* (ait Climacus) *cum mulieribus cibum una sumere, ac degere continuò, nec unquam cogitatione pulsari: qui tamen hac fiducia decepti, ac negligentiores facti, cum in cellula sua pacem atque securitatem esse putassent, continuò in præcipitium præcipitati sunt.* Plerùmque utique dormitare se fingit diabolus, ut incautos deinde gravius decipiat.

Accedit item, quòd in choreis, ut Tertullianus loquitur, *propter mutuum videre & videri, omnes pompæ proferuntur, atque ita luxuria negotiatur.* 76

Ne igitur dicas, choreas non esse malas in se. Quia equidem malæ sunt *ratione concurrentium* (ut loquitur Alexander de Ales p. 4. q. 48.) *quæ sunt excitativa ad lasciviam, provocativa ad libidinem, impedimentum cultûs Dei.* Et quia viri sapientes observant, *choreas ob fragilitatem, & naturæ corruptionem, difficilè sine diversis peccatis agitari* (verba sunt Gersonis p. 4. Oper. in serm. Dom. 3. Advent.) *& omnia peccata cadere & concurrere in choreas.* 77

Et quid de choreis S. Antoninus? *Mulier* (inquit 2. p. tit. 6. c. 6. §. 3.) *secundùm Origenem est arma diaboli. Aliquando diabolus bellat cum homine per aspectum mulierum; aliquando per auditum vocis mulierum; aliquando per tactum; sed in choreis per omnes istos modos bellat cum homine. Nam ibi videntur totaliter cum suis ornatibus; ibi audiuntur in suis cantibus, & cachinnis, & locutionibus, & manu tanguntur: & ideò ibi diabolus fortiter pugnat, & vincit. Non mirum si chorizantes sunt inimici Dei, cùm faciant contra omnia mandata Dei, & Sacramenta. Nam contra baptismum militant: quia cùm in baptismo promiserint per Patrinum renunciare diabolo, & pompis ejus, per choreas promissionem frangunt, sequentes diabolum, pompam, & opera ejus. Contra Sacramentum Confirmationis: quia cum in ipso susceperint signum crucis; ipsi sibi imponunt in capite signum diaboli, ornamentum scilicet vanum diabolicâ instigatione. Contra Sacramentum Ordinis* (si Clerici sint) *quia cùm ordinentur Clerici ad cantandum Officium, & verba Dei, præcipuè in festis, ad consolationem spiritualem populi, ipsi officiant in Ecclesia diaboli, quæ est locus vanitatis, cantando cantilenas, ubi sunt verba diaboli vana, & turpia, per quæ avertunt plurimos à Vesperis & prædicationibus. Contra Sacramentum Matrimonii, quia multa mala desideria concipiuntur contra fidem datam inter conjugatos. Contra Sacramentum Pœnitentiæ, quia totam contritionem & compunctionem evacuant in hujusmodi vanitatibus, quam sibi in Quadragesima acquisierunt. Contra Sacramentum Eucharistiæ, quia cùm susceperint Christum in Communione Paschali, ipsum ejiciunt extra civitatem animæ, ad crucifigendum ipsum in sua conversatione mundana. Contra tandem Sacramentum Extremæ Unctionis, quia pedes, qui uncti sunt oleo sancto* (quoad illos qui illud receperunt, unde quasi consecrati sunt Deo) *eos movent ad offensam Dei. Non solùm autem chorizantes efficiuntur inimici Dei, sed & omnium Sanctorum: nam in festis omnium Sanctorum eam exercent,* 78

& quantò feſtum eſt ſolemnius, tantò magis his vacant. Nullum ergo Sanctorum interceſſorem habere poterunt in futuro judicio, cùm omnes offenderint. Unde S. Gregorius in 4. Dialog. narrat, B. Virginem dixiſſe alicui puellæ, quòd ſi vellet ſuis virginibus aſſociari, abſtineret deinceps à levitate chorearum.

79 Non mirum ergo quòd S. Ephrem affirmet *à ſerpente magiſtro edoctas eſſe choreas*; quòdque S. Carolus approbet hanc choreæ deſcriptionem : *Eſt circulus, cujus centrum eſt diabolus, & circumferentia Angeli ejus*; quòd etiam Concilia, Laodicenum, Toletanum III. Conſtantinopolitanum VI. Rhotomagenſe, Turonenſe, Mediolanenſe, &c. choreas prorſus improbent, & Epiſcopi ſuis in Diœceſibus eas interdicant, ut Maximilianus Epiſcopus Leodienſis, Antonius Trieſt Epiſcopus Gandavenſis, Alphonſus de Berghes Archiepiſcopus Mechlinienſis. Quos noviſſimè anno 1697. imitati ſunt Humbertus Succeſſor ipſius, Reginaldus Epiſcopus Ruremondenſis, Ferdinandus Epiſcopus Antuerpienſis, Guilielmus Epiſcopus Brugenſis, Philippus Erardus Epiſcopus Gandenſis, & Martinus Steyartius Vicarius Apoſtolicus Sylveducenſis.

CAPUT XI.

Malitia oſculorum, amplexuum & tactuum venereorum.

80 Rectè Concilium Colonienſe anni 1536. in explicatione ſexti præcepti obſervat, quòd *dum Chriſtus animi libidinem ac concupiſcentiam tam ſerò prohibet, ſimul quoque prohibet quæcumque eam vel excitant, vel nutriunt, qualia ſunt verba impudica, laſciva hiſtoria, ſpurcæ cantilenæ, imagines indecoræ; deinde, oſcula, tactus, amplexus, cogitationes*, & earum occaſiones ſtudiosè quæſitas, &c.

81 Ac de oſculis quidem, &c. S. Antoninus p. 2. tit 5. c. 1. §. 9. *Sextus* (inquit) *gradus luxuriæ eſt libidinoſa contrectatio, quæ fit per oſcula, amplexus, contactus manuum vel aliarum partium corporis. Hanc Apoſtolus nominat turpitudinem, cùm ait:* „ Omnis fornicatio, „ aut immunditia, aut turpitudo non nominetur „ in vobis. „ *Ubi Gloſſa : turpitudo, ut in oſculis, amplexibus, & hujuſmodi omnia talia ſunt mortalia, quando fiunt ex libidine extra matrimonium.* Enimverò uti S. Thomas arguit 2. 2. q. 154. a. 4. in arg. *Sed contrà, minus eſt aſpectus libidinoſus, quàm tactus, amplexus, vel oſculum. Sed aſpectus libidinoſus eſt peccatum mortale.... Ergo multò magis oſculum libidinoſum.* Et in corp. *Aliquid dicitur peccatum mortale duplicitèr : uno modo ſecundùm ſpeciem ſuam, & hoc modo oſculum, amplexus vel tactus ſecundùm ſuam rationem non nominant peccatum mortale : poſſunt enim hæc abſque libidine fieri, vel propter conſuetudinem patriæ, vel propter aliquam neceſſitatem, aut rationabilem cauſam. De more enim eſt* (proſequitur S. Antoninus ubi ſuprà) *in aliquibus locis, ut non ſolùm viri viros, ſed etiam viri mulieres, præcipuè conſanguineas ſuas, cùm de novo adveniunt, vel viſitant, amplexentur, & manus mutuò contingant, & oſculentur; ſicut & Jacob Patriarcha oſculatus eſt Rachelem adoleſcentulam amore caſto, ut conſanguineam.* Sed & *neceſſitas quandoque compellit & tangere totum corpus, & etiam ſecretiora naturæ, ut medicus infirmam in tali parte. Talia non ſunt peccata de ſe, quamvis poſſit ſupervenire & tentatio, & mala intentio; ſed hoc erit per accidens.*

Revertamur ad textum S. Thomæ : *Aliò* 82
modo (inquit) *dicitur aliquid eſſe peccatum mortale ex cauſa ſua; ſicut ille qui dat eleëmoſynam, ut inducat aliquem in hæreſim, mortaliter peccat propter intentionem corruptam.* At verò *dictum eſt ſuprà, quòd conſenſus in delectationem peccati mortalis eſt peccatum mortale, & non ſolùm conſenſus in actum.* Et ideò cùm fornicatio *ſit peccatum mortale.... conſequens eſt quòd conſenſus in delectationem talis peccati*, ſeu alterius actûs luxurioſi, *ſit peccatum mortale, & non ſolùm conſenſus in actum. Et ideò cùm oſcula & amplexus hujuſmodi, propter delectationem hujuſmodi fiunt, conſequens eſt quòd ſint peccata mortalia. Et ſic ſolum ſunt libidinoſa. Unde hujuſmodi ſecundùm quod libidinoſa ſunt, ſunt peccata mortalia.*

Et qui permittit hæc ſibi fieri ab eo quem æ- 83
ſtimat ad hoc moveri amore libidinoſo, mortaliter peccat (ait S. Antoninus) *quia facientem & conſentientem par pœna conſtringit, ut dicitur in can. notum 2. q. 1.* Et poſteà ex Ulrico concludit, quòd *iſta eſſe mortalia, tenendum eſt omninò, non tamquam opinio de qua aliter ſentire liceat, ſed tamquam veritas ad fidem pertinens, ſicut omnia quæ pertinent ad bonos mores. Et qui pertinaciter aſſereret contrarium, eſſet hæreticus : quia eſt contra Scripturam à Sanctis expoſitam.* Quod valdè notandum, ut videant (ait Illuſtriſſimus D. Genetus in Th. Mor. Gratianopolit. to. 6. tr. 7. cap. 2. n. 8.) in quæ præcipitia labantur, qui paſſim, in materia morum, à Canonum & ſanctorum Patrum dictis, neſcio quibus ratiunculis nixi, temerè diſcedunt, *docentes doctrinas hominum, & mandata hominum.* Qualis eſt doctrina Patris Gobat de Sacram. tr. 10. caſu 17. n. 672. excuſantis à mortali oſcula, amplexus & tactus inter ſponſos de futuro, qui in ipſis non ſponſis forent mortales; approbantis quoque, ſeu permittentis Confeſſario ſequi in praxi ſententiam Sancheſii aientis, oſcula, amplexus & tactus, factos ob delectationem venereamm, in ipſis non eſſe mortales.

Diſputant tamen Authores quidnam intelli- 84
gatur per oſculum venereum, ſeu libidinoſum? Aliqui intelligunt oſculum habitum ob delectationem concubitûs cogitati cum perſona alterius ſexûs. Alii libidinoſum cenſent omne oſculum perſonæ alterius ſexûs ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ oritur ex contactu perſonæ alterius ſexûs qua-

tenùs talis. Et isti intelligentiæ favere videtur damnatio hujusce propositionis per Alexandrum VII. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris & pollutionis.*

85 Verùm Lumbierus noster observat. 31. ad propositt. ab Alexandro VII. & Innoc. XI. damnatas n. 814. censet Pontificem ibi non loqui de quocumque osculo habito ob delectationem sensibilem: quia sicut sensus tactus potest in suavitate cujusdam holoserici delectari; sic labia possunt in genarum mollitie delectari, absque ullo libidinosi motûs vestigio; aliàs matres peccarent mortaliter, quoties sibi complacerent in iterata osculatione puerorum suorum: utpote genis mollium & delectabilium. Quare num. 816. & 817. censet Pontificem loqui de delectatione libidinosè sensibili, id est quæ ex se sit provocativa primorum motuum carnis, seu spirituum generationi servientium (licèt aliquando per accidens contingat eos non commoveri) & istam delectationem Pontifex ideò non vocat *sensibilem* præcisè, sed *carnalem & sensibilem*, peccatumque mortale esse declarat, quamvis ob eam oscula figens, in ea sola sistat, absque periculo consensûs ulterioris & pollutionis. Declarare namque vult Pontifex falsam & scandalosam esse propositionem, quæ materiæ parvitatem à mortali excusantem admittit in rebus venereis.

86 Et propterea laudatus Author non sine gravi fundamento n. 813. approbat opinionem, quæ dicit, *quemlibet tactum manûs ob ejusmodi delectationem*, vel cum illa, *sicut & quæcumque verba amatoria*, & à fortiori amplexus proximè provocativos illius, *esse peccatum mortale*. Quod & de tactu uberum personæ alterius sexûs, velut indubitatum tradit Layman l. 3. sect. 4.

87 Num. verò 818. ex dictis infert, opus non esse, quòd hæc oscula sint effectus amoris venerei, ut sint peccata mortalia, sed ad hoc sufficere, quòd sint initia, quantùm ex se, talium commotionum venerearum. Unde (inquit) allata propositio damnata non fuit ex præsumptione periculi in majus aliquid prolabendi, cùm Pontifex expressè declaret, ea oscula esse peccata mortalia, secluso periculo consensûs ulterioris & pollutionis.

88 Paulò aliter, si tamen aliter, Natalis Alexander to. 10. in explicatione sexti præcepti reg. 9. dicit osculum censeri libidinosum, dum sine rationabili causa, cum aliqua sit libidinis commotione, volita vel prævisa, seu quæ prævideri potuit ac debuit, quòdque quidquid homo agit ex consensu, vel cum consensu, tacito vel expresso, in delectationem, provenientem ex tali commotione, in ejus scilicet sensum habendum vel nutriendum consentiens, totum est mortale peccatum, ut dicit S. Thomas q. 15. verit. a. 4. allegatque ex S. Antonino V. Bedam, per visum mulieris ad concupiscendum eam (de quo Matth. 5.) intelligentem omnem motum voluntarium ad delectationem venereamextra matrimonium.

Enimverò quidquid sit de veritate speculativa opinionis, ad libidinosum osculum, amplexum, &c. requirentis ut fiat ex complacentia circa cogitatum opus venereum, v. g. fornicationem, certum videtur, opinionem illam in praxi esse periculosam, ideòque practicè non sequendam. Tum quia certum est oscula ejusmodi esse peccata, sacrasque Paginas & SS. Patres ab iis vehementer dehortari, ob periculum imminens incidendi in mortalia. Tum quia est in natura corrupta pondus magnum latentis concupiscentiæ carnalis, cui si voluntas tantillùm laxet habenas, magno impetu eam in præceps trahit, ut videre est apud Basilium de Constit. Monast. c. 3. Hieronymum ad illud Hierem. *Ascendit mors per fenestras.* Gregor. 21. Moral. 2.

CAPUT XII.

Fornicatio simplex, stuprum, raptus.

89 TOmo 1. agendo de peccatis capitalibus, ostendimus septem esse species luxuriæ: earum modò naturam & malitiam nos oportet explicare. Et imprimis naturam malitiamque fornicationis simplicis, quæ est *copula naturalis soluti cum soluta*, id est viri liberi à vinculo matrimonii, voti castitatis, sacri Ordinis, consanguinitatis, & affinitatis, cum femina pariter libera. Esse prohibitam sexto præcepto docet Augustinus q. 71. super Exodum.

90 Eam verò mortale esse peccatum, constat ex Deuteron. 23. Tob. 4. 1. Cor. 3. & 6. Et Ephes. 5. ubi dicitur: *Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Dei.* Videri etiam potest Hebr. 13. & Apocal. 22.

91 Hujus peccati gravitatem Apostolus 1. Cor. 6. hisce verbis demonstrat: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? .... Qui fornicatur in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est? .... Non estis vestri: empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Gravem proinde Deo & Christo injuriam facit qui miscetur fornicariæ: quia membra sua de membris Christi facit membra fornicaria: *qui* enim *adhæret meretrici, unum corpus efficitur.*

92 Gravem quoque injuriam facit Spiritui sancto, dum eum de templo suo turpiter expellit, Deique templum fornicatione polluit. *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* 1. Cor. 3. Sed & fornicatio Christianorum, ex redemptione & sanctificatione corporum per Christum, specialem habet enormitatem præ fornicatione Gentilium: quia ex hoc quòd empti sunt pretio magno, Deum glorificare & portare debent in corpore suo. Deum autem portare non possunt in corpore

per fornicationem polluto.

93 Et ipſa tamen Gentilium fornicatio grave peccatum eſt, Deoque valdè injurioſa : utpote per quam imago Dei violatur. *Ad imaginem quippe Dei factus eſt* omnis *homo*. Atque hinc Auguſtinus l. de 10. chordis c. 10. probat fornicationem jure naturæ eſſe vetitam : quia qui fornicatur, facit contra generale iſtud legis naturalis præceptum : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Verba ipſius ſunt : *Cùm imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes, & per diffluentias libidinis, non attendis cujus imaginem violaſti? Non vis corrumpi domum vel imaginem tuam ; quare corrumpis domum* vel imaginem *Dei?*

94 Sed & legi naturali adverſatur qui contra voluntatem domini utitur re ipſius. Corpora verò noſtra, non noſtra ſunt, ſed Dei. Deus autem eorum uſum & commixtionem in ſolo matrimonio conceſſit, extra illud prohibet, ut Auguſtinus ibidem : *Deus* (inquit) ... *uxorem conceſſit, nihil amplius. Hoc juſſit, hoc præcepit, ne per illicitas voluptates corruat templum ejus.*

95 Denique *fornicatio ſimplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui eſt ex tali concubitu naſciturus*, ait S. Thomas citatâ q. 154. a. 2. id probans ex hoc quòd importet inordinationem, quæ per ſe eſt contra bonum prolis educandæ. Ad quod per ſe requiritur conjunctio certi maris ad certam feminam, quæ eſt per matrimonium, uti S. Doctor ibidem oſtendit. *Nec obſtat* (inquit) *ſi aliquis fornicando aliquam cognoſcens, ſufficienter provideat proli de educatione.* Quia id non eſt per ſe, ſed per accidens, nec communiter accidit, ſed communiter & utplurimùm deficit. At verò *id quod cadit ſub legis determinatione, judicatur ſecundùm id quod communiter accidit, & non ſecundùm id quod in aliquo caſu* non communi *poteſt accidere.*

96 Quia verò maris & feminæ commixtio ex naturali inſtitutione non ſolùm ordinatur ad convenientem prolis educationem, ſed imprimis ad ejus generationem, & hæc impeditur per fornicationem cum meretrice, hinc gravior eſt fornicatio cum meretrice, quàm cum alia femina ſoluta. Quia etiam per concubinatum (quo certa femina, ſive domi, ſive alibi, ad hoc ab aliquo tenetur, ut eâ utatur cùm libuerit) homo non ſolùm fornicatur, ſed etiam permanet in ſtatu & continuo propoſito fornicandi, gravior eſt inordinatio in concubinatu, quàm in acceſſu ex occaſione ad meretricem, uti Doctores communiter tradunt. Unde Tridentinum ſeſſ. 24. de reform. matrim. c. 8. ſtatuit, ut concubinarius, ſi, ter monitus ab Epiſcopo, non reſipiſcat, excommunicetur ; concubina verò è Diœceſi ejiciatur.

97 Juxta Canones pœnitentiales à S. Carolo Borromæo extractos Laïcus ſolutus cum Laïca ſoluta fornicans, canonicam pœnitentiam ſubire debebat per tres annos, & quantò ſæpiùs, tantò majori erat pœnitentiâ afficiendus. Juxta Canones S. Baſilii pœnitere debebat annis ſeptem. Juxta extractum verò Canonum pœnitentialium ex jure canonico, Presbyter in fornicationem lapſus pœnitere debebat 10. annis hoc modo : " Tribus primis menſibus " quotidie, exceptis Dominicis & Feſtis, jejunare debebat in pane & aqua, ſacco indutus, " & humi proſtratus, miſericordiam Dei jugiter " implorans. Poſteà reſumptis aliquantulùm vi- " ribus, unum annum & dimidium, exceptis " diebus Dominicis & Feſtis, explere debebat in " pane & aqua. Hoc expleto, particeps erat " Corporis Domini. Deinde uſque ad comple- " tionem ſeptimi anni ſingulis ſeptimanis, excep- " to tempore Paſchali, tres legitimas ferias in " pane & aqua jejunabat. Tribus verò annis ſe- " quentibus, id eſt octavo, nono, & decimo, " ſine ulla redemptione omni feriâ ſextâ in pa- " ne & aqua jejunare jubebatur. "

Ex quo patet, quàm parvam ſeu nullam 98
potiùs plerique Confeſſarii ſervent proportionem, inter injunctam à ſe ſatisfactionem, & illius criminis gravitatem : cùm tamen Tridentinum ſeſſ. 14. c. 8. pro qualitate criminum & pœnitentium facultate convenientes ſatisfactiones ab ipſis injungi velit, ne alienorum peccatorum Confeſſarii participes efficiantur.

Stuprum eſt *naturalis concubitus, quo mulier* 99
virgo extra matrimonium defloratur. Eſt gravius ſimplici fornicatione, ratione injuriæ annexæ. Quia, ut S. Thomas ait a. 6. ad 3. *habet duplicem injuriam annexam. Unam quidem ex parte virginis, quam etſi non vi corrumpat, tamen eam ſeducit ; & ſic tenetur ei ſatisfacere. Unde dicitur Exodi 22. Si ſeduxerit quis virginem nondum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem. Si autem pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt. Aliam verò injuriam facit patri puellæ ; unde ei ſecundùm legem tenetur ad pœnam. Dicitur enim Deuteron. 22. Si tenuerit vir puellam, quæ non habet ſponſum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit ; dabit qui dormivit cum ea patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti, & habebit eam uxorem.* Videatur cap. 1. de adult. & ſtupr. ubi ſimile quid decernitur.

Stuprum itaque ſpecialem habet malitiam 100
injuſtitiæ ſupra malitiam ſimplicis fornicationis, dum fit virgine vel invitâ, vel ſeductâ, vel ſaltem invitis parentibus, ſub quorum adhuc eſt cuſtodia & poteſtate, uti probatum habes lib. 9. cap. 132. & 133. Ad quid verò ſtuprator teneatur, habes ibidem.

Stuprum aliquando latiùs accipitur pro 101
quacumque illicita violatione virginis, vel viduæ honeſtæ, triplexque ab Authoribus diſtinguitur, ſimplex, qualificatum, & violentum. *Simplex*, quando fit conſentiente virgine, ad id blanditiis, promiſſis, vel datis muneribus inductâ. *Qualificatum*, dum ei aliqua

alia circumstantia accedit, malitiam ipsius aggravans, ut dum fit cum diversis puellis sub promissione matrimonii singulis facta, vel dum curator aut tutor puellam sibi commissam deflorat. *Violentum*, dum virgo, vel mulier honesta per vim opprimitur. Et istud pœnâ capitis jure civili, & omnium ferè moribus punitur.

102 Gravitas stupri, etiam simplicis, colligitur ex gravitate pœnæ illius: siquidem Deuteron. 22. dicitur quòd puella adhuc existens in domo parentum, si permiserit se seduci, *ejicient eam extra fores domûs patris sui, & lapidibus obruent viri civitatis illius, & morietur: quoniam fecit nefas in Israël, ut fornicaretur in domo patris sui: & auferes malum de medio tui.*

103 Raptus aliquando idem est quod stuprum violentum, de quo suprà n. 191. Et sic est quando persona aliqua carnaliter cognoscitur per vim illatam ipsi, vel parentibus, aut tutoribus, sub quorum est potestate; vel ad eum finem aliò abducitur. Est quidem species luxuriæ, ait S. Thomas a. 7. sed *quandoque in idem concurrit cum stupro, quandoque autem invenitur raptus sine stupro, quandoque verò stuprum sine raptu. Concurrunt quidem in idem, quando aliquis violentiam infert ad virginem illicitè defiorandam; quæ quidem violentia quandoque infertur tam ipsi virgini, quàm patri, quandoque autem infertur patri, sed non virgini: puta cùm ipsa consentit ut per violentiam de domo patris abstrahatur. Differt etiam violentia & raptus alio modo: quia quandoque puella violenter abducitur à domo parentum, & violenter corrumpitur, quandoque autem etsi violenter abducatur, non tamen violenter corrumpitur, sed de voluntate virginis, sive corrumpatur fornicario concubitu, sive matrimoniali. Qualitercumque enim violentia adsit, salvatur ratio raptûs. Invenitur autem raptus sine stupro: puta si aliquis rapiat viduam, vel puellam corruptam. Unde Simmachus Papa dicit, & habetur 36. q. 2. cap. raptores: raptores viduarum, vel virginum, ob immanitatem facinoris tanti, detestamur. Stuprum verò sine raptu invenitur, quando aliquis absque violentiâ illatione illicitè deflorat.* Ex quibus verbis apparet, ad contrahendam malitiam specificam raptûs, prout distinguitur à stupro, à sancto Doctore solùm requiri violentiam, sive virgini, sive corruptæ illatam, non verò abductionem de loco ad locum; quam certè nec ad raptum universim requirunt canones, etiam in foro externo, & in ordine ad incurrendas pœnas raptoribus impositas: cùm cap. 3. de raptorib. 36. q. 1. raptor habeatur, raptorumque pœnis subjiciatur, quisquis feminam vel paternis in ædibus, vel in alio degentem loco, invitam & reluctantem oppresserit. Pro raptu verò Lex Civilis ultimi supplicii pœnam decernit L. un. C. de raptu virginum.

104 Tametsi ergo ad raptum specialiter dictum (de quo to. 3. inter impedimenta matrimonii) requiratur abductio de locò ad locum; ad raptum tamen, ut constituit speciem luxuriæ, solùm requiritur quòd per vim femina cognoscatur. Si verò femina sub cura parentum, vel tutorum constituta, repugnantibus ac resistentibus his, sub quorum tutela est, consentiens abducatur in locum, qui sit moraliter extra illorum potestatem, causâ libidinis cum ea explendæ, adhuc est vera luxuriæ species, in confessione explicanda, ob injuriam & violentiam, quæ licèt tunc feminæ non inferatur, infertur tamen parentibus, vel tutoribus, sub quorum est potestate, à qua seipsam ipsa non potest eximere.

Sciat tamen, sive virgo, sive femina quæ- 105
cumque, quæ per vim ipsi illatam opprimitur, se, sub mortali peccato, teneri ad clamandum (si clamor speretur profuturus) exteriùsque totis viribus resistendum. Neque enim in foro conscientiæ & coram Deo innocens erit, nisi modis omnibus sibi possibilibus, & legitimis, pudicitiam suam defenderit, violentoque stupratori restiterit clamando, domesticorum, vel vicinorum auxilium implorando (siqua auxilii spes fuerit) vim denique vi repellendo quantùm potuerit, etiamsi stuprator districto in pectus ejus pugione mortem ipsi comminaretur, si clamaret. Quemadmodùm enim consentire censetur, nisi manibus & toto corpore resistat quantùm potest, & ad resistentiam istam tenetur, etiamsi stuprator mortem ipsi minetur, si resistat; sic etiam consentire censetur, nisi clamet, ubi clamor speratur profuturus. Unde Deuteron. 22. puella, quæ in civitate vim patiens non clamasset, jubetur lapidibus obrui. Non censetur ergo vim perfectam pati, nisi modis omnibus legitimis sibi hîc & nunc possibilibus restiterit, mori potiùs eligens, quàm fœdari, exemplo Susannæ Daniel. 13. quæ licèt in angustiis comminatæ sibi mortis constituta, *Si enim* (inquit) *non egero*, sed modis omnibus pro posse restitero, *non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. Et exclamavit voce magnâ Susanna.* Censuit ergo se peccaturam, si non clamasset, cùm posset, seque ad clamandum teneri, etiam cum periculo mortis.

Et reverà sic erat: tenebatur enim us- 106
que ad sanguinis effusionem & mortem peccato resistere, juxta illud Hebr. 12. *Nondum usque ad sanguinis effusionem restitistis adversus peccatum repugnantes.*

Non sufficit ergo ad perfectam violentiam, 107
quæ prorsus involuntarium facit, quòd mens repugnet facinori, sed necesse est quòd homo, etiam exteriùs resistat quantùm potest. Aliàs ipsi imputabitur ad mortale peccatum, licèt non ita grave, ac si nullâ intentatâ violentiâ, nulloque incusso mortis metu stupraretur. Et ita docent SS. Patres, signanter Ambrosius l. de lapsu virginis consecratæ c. 3. ubi excusationem ipsius sic refellit: *Sed dices: nolui*

hoc

hoc malum, violentiam passa sum. Respondebit tibi fortissima illa Susanna, cujus tu nomen fallaciter bajulas : Ego inter duos Presbyteros posita, inter duos utique Judices populi, sola inter sylvas paradisi constituta, vinci non potui, quia nec volui. Tu ab ineptissimo adolescente, & in media civitate, quomodo vim potuisti perferre, nisi quia ultrò vitiari voluisti ? Quis denique tuas voces audivit ? Quis obluctationes sensit ?

108 Unde propositionem hanc Cornelii à Lapide in cap. 13. Daniel. v. 22. & 23. *In hac vi, & metu infamiæ, mortisque, poterat Susanna dicere : Non consentio actui, sed patiar, & tacebo ; ne me infametis, & adigatis ad mortem.... Fortè Susanna id vel nesciebat, vel non cogitabat : sic enim honestæ castæque virgines putant se esse reas, seque consentire leonibus, si non clamore, manibus, totisque viribus resistant..... Potuisset Susanna, in tanto periculo infamiæ & mortis, negativè se habere, & permittere in se eorum libidinem, modò interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata & execrata fuisset : quia majus bonum est vita & fama, quàm pudicitia. Unde hanc pro illa exponere licet.* Hanc (inquam) propositionem Generalis Cleri Gallicani Conventus anno 1700. Censurâ 44. sic perstrinxit : *Hæc propositio temeraria est, scandalosa, castarum aurium offensiva, erronea, & legi Dei contraria.*

CAPUT XIII.

Nonnulla observanda ab iis qui ad matrimonium tendunt, ne peccando contra castitatem, contra sextum peccent præceptum.

109 SExto præcepto, sicut & aliis, aliqua præcipiuntur, aliqua prohibentur ; quemadmodùm verò non solùm prohibetur externum opus contra castitatem, sed & omne illud quod eò tendit, seu inducit ; ita non solùm præcipitur castitas, aliæque virtutes ad eam servandam necessariæ, ut est continentia, pudicitia, verecundia, sobrietas, &c. sed & alia omnia media & exercitia necessaria, quibus istæ virtutes acquiruntur, & conservantur, ut sunt frequentes orationes, vigiliæ, custodia sensuum, corporis castigationes, jejunia, &c. prout variis docemur sententiis sacris, Sanctorumque testimoniis & exemplis.

110 Et ista omnibus quidem necessaria sunt, sed maximè personis ad matrimonium tendentibus ; ne conversatio cum altero sexu, etsi facta connubii causâ, ipsos inducat in peccata plurima. Ideò personæ illæ de sequentibus admonendæ sunt à zelosis Pastoribus & Confessariis.

111 Primò, quòd cùm (Scripturâ teste) nemo possit esse continens, nisi ex Dei dono, pro eo obtinendo Deus ab ipsis specialiter, ferventer ac frequenter orandus : cùm ipsi præ aliis, ratione ætatis juvenilis, & conversationis cum altero sexu, ob naturæ corruptionem aliàs nimis periculosæ, potentiori indigeant gratiâ, ut se contineant.

112 Secundò, ut visitationes, connubii causâ, quoad fieri potest, nec longiores sint, nec quotidianæ, sed breves & raræ ; aliter pericula vix aut ne vix quidem caveri possunt : cùm ab illis ipsis difficulter caveantur, qui in ejusmodi visitationibus parciores sunt.

Tertiò, ut visitationes ejusmodi non fiant 113
in solitudine, nec in tenebris, sed palàm & coram parentibus ; præsertim ab iis qui pericula castitatis honesto colloquio avertere non norunt.

Quartò, ut si alterutra pars, post aliquot 114
visitationes, non intendat cum hac persona nubere, vel nonnisi post longum tempus, conversationem ulteriorem abrumpat, ne se vel alteram partem peccatorum internorum vel externorum contra castitatem periculis exponat : utpote quæ tantò majora esse solent, quò in tempus longius continuata conversatio, maximè dum cessat justus finis ipsius.

Quintò, ut etiamsi utraque pars intendat 115
matrimonium simul inire, imò etiamsi jam sibi mutuò id polliciti sint, adeòque sponsalia inierint, nulla equidem impudicitia seu verborum, seu factorum, seu internorum affectuum ipsis magis licita sit, quàm iis qui de matrimonio inter se ineundo non cogitant.

Sextò, ut matrimonium ineatur quàm ci- 116
tissimè, monitis utrimque parentibus ut per illos, de eorumque consensu res ista tantò citiùs peragatur.

Septimò, quia post sponsalia, propensio ad venerea solet esse major, majora per consequens pericula castitatis : eò quòd minor inter sponsos sit pudor, minor etiam timor infamiæ, dum alter alteri persuader infamiæ ex actu venereo obviandum per subsequens matrimonium ; propterea identidem monendi sunt, ut contra pericula ista tantò magis se muniant, quantò pericula sunt majora. Imò de eo frequenter monendi sunt, etiam ante sponsalia, ne si ad ea per multiplices impudicitias verborum, factorum, & affectuum internorum perveniant, illicitè perveniant (quia Deo, parentibus, & aliis quos consuli oportet, inconsultis) matrimoniumque tandem ineant, non eo quo oportet fine christiano, sed ut libidini vacent, sicut equus & mulus.

Octavò, ut meminerint, tempus inter spon- 117
salia & matrimonium esse maximè opportunum, ut sponsi se præparent ad matrimonii Sacramentum ritè suscipiendum, istamque præparationem ipsis ideò esse valdè necessariam, quòd in statu matrimonii plurimùm iis indigeant gratiis, ob quas conferendas matrimonii contractus ad Sacramenti dignitatem à Christo est elevatus. Quibus gratiis privantur illud sacrilegè suscipientes ; maximè cùm Sacramentum hoc sacrilego obice sublato non reviviscat.

Nonò, ut debita præparatio ipsis fortiùs 118
persuadeatur, monendi sunt, statum omnem, quem Christianus homo suscipit, christianè esse suscipiendum : eò quòd susceptio statûs facta ut Christianos decet, divinam benedictionem, pro statu illo christianè obeundo,

impetrare soleat ; econtrà malè susçipientes, vix unquam benè in eo progrediantur & finiant.

119 Monendi insuper sunt de suppliciis, quæ malam præparationem subsequi solent, eos maximè qui sæpiùs simul antè fornicati fuerunt, quàm conjuncti. Tales enim loco pudicitiæ conjugalis habere solent libidinem brutalem, imò plusquàm brutalem, pro fide perfidiam ; pro amicitia odium ; pro christiana prolium educatione scandala, & animarum parricidia, cum evidenti periculo damnationis, tam conjugum, quàm prolium. Nonne Scriptura 2. Reg. 13. narrat de Amnon, quòd postquam ingenti amore deperisset Thamar sororem suam, in tantum ut propter amorem ejus *ægrotasset*, eâ per vim oppressâ, *exosam eam habuit odio magno nimis, ita ut major esset odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat ?* Et nonne istam ob causam occisus fuit ab Absalon fratre suo, Deo sic puniente crimen ipsius ? Nonne experientia etiam ipsa docet, quòd amori post expletam libidinem plerùmque succedat nausea, ita ut plurimæ, quæ post sponsalia permiserunt se à sponso violari, ab eo desertæ fuerint, amore in nauseam commutato ? Quid mirum si mala ista in peccati vindictam permittat Deus, cùm injuria Deo per fornicationem illata æterno digna sit supplicio ?

CAPUT XIV.

Peccata conjugum contra sextum præceptum.

120 GRaviter errant plerique inter conjugatos, dum existimant sibi, ratione matrimonii, licitum uti corpore conjugis prout libuerit, vel quamcumque inter sese libidinem exercere. Neque enim ad id matrimonium est institutum, ut homines in illo ament & quærant carnalem voluptatem propter se, eâque fruantur, sed ut eâ benè utantur, non transiliendo limites quos status ille requirit, & ipsimet Romani, dum adhuc ethnici forent, naturali lumine necessarios agnoverunt, atque in tabulis suis matrimonialibus expresserunt.

121 Et ideò hoc præcepto etiam ipsis præcipitur continentia & castitas conjugalis ; ad quam Dei dono impetrandam tantò magis frequenti ferventique indigent oratione & jejunio, quantò ipsis difficilius est eam benè servare, Augustino L. de bono conjugali c. 21. dicente, quòd *multi facilius se abstinent ut non utantur conjugio, quàm temperent ut benè utantur.* Et cap. 22. *Ego facilius non utor nuptus, quibus usus est Abraham, quàm sic utar nuptus, quemadmodùm est usus Abraham*, sine ullo utique peccato.

122 Et quidem ut actus conjugalis sit ipsis licitus, sicut & alius quicumque actus venereus, ita ut eo utens ne venialiter quidem in eo peccet, necesse est ut non ex libidine fiat, sive ex cupiditate venerea, sed ex casta Dei propter se dilectione, uti Deo dante to. seq. l. ult. demonstrabimus ; tunc proinde solùm peccatum omne vitatur, cùm vel debitum petitur eo fine ut proles inde nascatur, & nata Christo renascatur, vel ut debitum ex affectu justitiæ reddatur, omnisque circumstantia mala, excessusque omnis caveatur.

123 Nec tamen omnis excessus in conjugatis est mortale peccatum, etiamsi mortale sit 1°. si post emissum castitatis votum conjugalis actus exerceatur. 2°. si ita immoderatè, ut sanitati, vel proli quæ utero geritur, notabiliter noceatur. 3°. si ita importunè, ut tempus orationi ex præcepto impendendum, impediatur. Sic enim fieri debet, *ut* (sicut Apostolorum Princeps ait 1. Petri 3.) *non impediantur orationes vestræ.* Et 1. Cor. 7. *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Unde Augustinus ubi suprà c. 10. *Illum concubitum secundùm veniam concessit*, id est venialem esse dixit *Apostolus, qui fit per incontinentiam ; si tamen non ita sit nimius, ut impediat quæ sepositа esse debent tempora orandi* ; quasi dicat, quòd si impediat, nimietas non est venialis, sed mortalis. Et ratio est, quia conjugatis, ad vitandam incontinentiam, valdè necessaria est oratio, ob rationem num. 121. allegatam ; si ergo seipsos ineptos reddant ad orationem, dum veniunt orandi tempora, graviter peccant. 4°. graviter etiam peccant, dum ita ardenter illum actum exercent, ut magis meretricio exerceant affectu, quàm conjugali, eo in actu finem ultimum constituendo, sicut faciunt ii (de quibus Tob. 6.) *qui ita conjugium suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* De quibus propterea additur, quòd *habet potestatem dæmonium super illos.* 5°. qui actum illum exercent affectu adulterino, ut dum maritus in ipso actu conjugii affectu fertur in aliam sibi non uxorem, quam sibi per imaginationem repræsentat, quasi sibi hîc & nunc præsentem, sibique eo in actu consentientem. Quod & frequenter faciunt, qui turpi pollutionis peccato sese contaminant, imaginantes se cum ista vel illa persona alterius sexûs impudica commiscri. Libidine namque incensi facillimè agglutinantur objectis à se impudicè amatis. Super isto capite examinandi sunt mariti, non adeò probi, qui animo sunt ab uxore aversо, in alienamque conversо ; sicut & uxores minùs probæ, maritum non multùm diligentes, alienum verò ardenter amantes. Quia non sunt sine periculo adulterini affectûs. 6°. qui de industria conjugalem actum interrumpunt, ut generatio prolis impediatur. Istud est enim factum Onan, quem percussit Dominus, eò quòd *rem detestabilem faceret.* Genes. 38.

124 Improbanda proinde resolutio Dianæ, qui p. 6. tr. 6. resol. 37. narrat se, interrogatum de facto cujusdam, qui inchoabat copulam cum uxore, & posteà ob morbi periculum, ex ejus consensu se retrahebat, ita ut ex hoc aliquando sequeretur pollutio : narrat (inquam) se respondisse, factum illud esse licitum.

tum. Est enim hoc contra naturam, natumque causare pollutionem tam in viro, quàm in femina. Nec certè copulæ consummatio, magis quàm inchoatio, morbi periculum causare potest marito, sed ad summum uxori, ex prolis generatione. Igitur copulam incœptam ante seminationem abrumpere ad avertendum morbi periculum, est abrumpere ne proles generetur. At istud est factum Onan. Dianæ proinde in supradicta resolutione non benè animadvertit Sanchez l. 19. de matrim. disp. 7. qui & adhuc improbandus est, in eo quod docuit, ob paupertatem, aut numerosam prolem, vel ad sedandam concupiscentiam, licitum esse copulam inchoare, & ante seminationem mutuo consensu abrumpere, si absit periculum pollutionis. Sed, ut benè Layman l. 3. sect. 4. n. 19. periculum istud moraliter loquendo nunquam abest ab utroque. Opiniones proinde illæ non sunt practicè tutæ.

125 7°. sine dubio valdè execrabilis est concubitus cum uxore, si fiat contra naturam. Quia, ut rectè Augustinus ubi suprà c. 11. *cùm ille matrimonialis usus, quando prolabitur ultra pacta nuptialia, id est ultra propagandi necessitatem, venialis sit in uxore, in meretrice damnabilis; iste qui est contra naturam execrabiliter fit in meretrice, sed execrabiliùs in uxore.* Quia per nefandam turpitudinem illam, præter malitiam peccati contra naturam, à conjugibus violatur sanctitas Sacramenti matrimonii.

126 Nec per peccatum dumtaxat consummatum contra naturam violatur ab ipsis sanctitas istius Sacramenti, sed & per tactus valdè turpes quos subinde committunt, dum scilicet inter membrum tangens & tactum est fœda nimis & absurda disproportio, prout est in casibus num. 49. non sine pudore magno commemoratis.

127 Ex his patet, Concionatores monere debere populum, non omnia conjugibus esse permissa, sed ab ipsis sæpè turpissima gravissimaque peccata committi; nec ab ipsis immeritò commemorari terrificam historiam de matre, quæ in forma porci flammas ejaculantis apparuit post mortem filiæ suæ, lamentans, se ideò flammis æternis addictam, quòd cum ejus patre, marito suo, indignas turpitudines exercuisset in thalamo conjugali.

128 Sed & fideles omnes à Concionatoribus admonendi sunt, quòd propter infame carnis vitium æternùm pereat maxima pars hominum, Deo adeò displicens, ut propter illud (exceptis octo animabus) diluvio perierit universum genus humanum. Rationem quippe diluvii istam refert divina Scriptura, quòd *omnis caro corruperat viam suam*, quòdque propterea Deus, *tactus dolore cordis intrinsecùs, delebo* (inquit) *hominem quem creavi à facie terræ*, verbis istis more humano exprimens displicentiam vehementissimam ac prorsùs extraordinariam de tanta carnis corruptione. Quam & gravissimè punivit in Ophni & Phinees, in Onan, in Sodomitis, &c.

Nec desunt historiæ terribiles de iis quæ ac- 129
ciderunt post Christi adventum. Narrat enim D. Gregorius l. 4. Dialog. c. 38. de Chrisaorio quodam, qui suo tempore vixit, cùmque isti vitio addictus fuisset, *ad extremum veniens, eâdem horâ, quâ de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetros & nigerrimos spiritus coram assistere, & vehementer imminere, ut ad inferni claustra eum raperent*: quos videns, *cœpit tremere, pallescere, sudare, & magnis vocibus inducias petere, filiumque suum, nomine Maximum (quem ipse jam Monachum Monachum vidi,) nimiis & turbatis clamoribus vocare, dicens: Maxime curre, nunquam tibi aliquid mali feci, in fide tua me suscipe.... Cùmque constrictus nimis relaxari se jam posse desperaret, cœpit magnis vocibus clamare, inducias usque manè, inducias usque manè; sed cùm hæc clamaret, in ipsis vocibus de habitaculo suæ carnis evulsus est.*

Aliud terrible exemplum refert Cantipra- 130
tanus, testificans se præsente accidisse: Dum scholas (inquit) adhuc adolescens frequentarem, pro socio charissimo habui alium, qui moribus erat optimis, & illis virtutibus ornatus, quæ possent in adolescente desiderari. Verùm infelicissimè pro ipso contigit, ut in consortium pravum incideret, quo, prout solet, factum est, ut totus mutatus evaserit similis illis, quibuscum conversabatur, ita ut loco puritatis cor ejus immundus amor possederit. Continuavit per aliquod tempus in istis pudendis peccatis, sine pudore, & tandem terribili hoc modo punitus fuit à Deo, in exemplum aliorum. Profundè dormiebat, & ecce timore magno perterritum se sentiens, evigilavit, & evigilans cœpit modo horribili vociferari, ita ut tota familia à somno excitaretur, & ad eum curreret. Interrogatus ubi doleret, nonnisi clamoribus respondebat. Advocatur Confessarius, qui etiam cum lachrymis hortatur ut de peccatis doleat, & ad Deum totus convertatur. Sed frustrà instat Confessarius, & abundantiâ lachrymarum provocat eum ut respondeat, ac de peccatis doleat. Cui tandem vultu mirum in modum turbato, ac lachrymabili tono, his verbis respondit: *Væ væ illi qui me seduxit, frustrà ad Dei misericordiam implorandam recurrerem; infernum video apertum, ut me deglutiat.* Quibus pronuntiatis, clamores auxit, & desperans expiravit.

CAPUT XV.

Adulterium, ejusque gravitas.

ADulterium est legitimi thori violatio, sive 131
accessus ad alienum thorum. Ita S. Thomas q. 154. a. 8. Tribus modis committitur. 1°. per accessum soluti ad conjugatam. 2°. per accessum conjugatæ ad solutum. 3°. per accessum conjugati ad conjugatam, non suam. In tertio hoc casu duplex violatur thorus, duplex proinde committitur adulterium, duplex-

que injuria in confessione exprimenda, una in proprium vel propriam conjugem, altera in conjugem alterius. Errant proinde Sa & Ferrantinus aientes, tunc satis esse si dicatur, *commisi adulterium*; sed addere oportet, *conjugatus cum conjugata*. Ita Doctores communiter.

132 Adulterium est peccatum longè gravius fornicatione: adulter enim, inquit S. Thomas loco citato, *dupliciter contra castitatem, & humanæ generationis bonum delinquit. Primò quidem, in quantum accedit ad mulierem, non sibi matrimonio copulatam; quod requiritur ad bonum prolis propriæ educandæ. Aliomodo, quia accedit ad mulierem, alteri per matrimonium copulatam, & sic impedit bonum prolis alienæ*, facitque injuriam ei, cujus thorum & jus matrimoniale violat.

133 Nec cessat injuria, nec proinde adulterium, ex hoc quòd alter conjux consentiat. Quia validè consentire non potest, nec juri suo cedere. Aliàs vir & uxor sibi invicem validè remittere possent jus totum, quod in mutua habent corpora, sicque matrimonium suum, licèt consummatum, dissolvere. Quod est contra Evangelium: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Unde ab Innocentio XI. meritò damnata est ista propositio: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, atque adeò sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Eam diù antè improbaverat Augustinus l. 1. de serm. Dom. in monte c. 17. *Non enim* (inquit) *in tantum valet, quod dicit Apostolus,* Mulier non habet potestatem corporis sui, &c. „ *ut permittente uxore, quæ potestatem maritalis corporis habet, possit vir cum altera, quæ nec aliena uxor sit, nec à viro disjuncta, concumbere: nam alioquin hoc etiam femina, viro permittente, facere posset; quod omnium sensus excludit.*

134 Nec refert quòd Augustinus ibidem addat: *Quamquam nonnullæ causæ possent existere, ubi & uxor, mariti consensu, pro ipso marito hoc facere debere videatur*, v. g. ad salvandam mariti aliàs interficiendi vitam, nullâ ad hoc trahente libidine, sicut feciſſe narrat mulierem quamdam Antiochenam. Quo facto narrato, subjungit: *Nihil hîc in alterutram partem disputo, liceat unicuique æstimare quod velit. Non enim de divinis authoritatibus depromptа historia est. Sed tamen narrato hoc facto, non ita respuit hoc sensus humanus, quod in illa muliere, viro jubente, commissum est; quemadmodum anteà, cùm sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus.* Clarum est enim quòd ibi Augustinus non dicat, mulierem illam mortaliter non peccasse; sed solùm significet, sibi videri, plurimùm de adulterii gravitate per illam circumstantiam diminui, faciliùsque peccatum illud à divina misericordia ignosci, nec tantum humano sensui horrorem incutere, quàm extra ejusmodi circumstantiam.

135 Porrò adulterii gravitatem magnam probat 1°. divina authoritas Genes. 20. Levit. 20. Deuteron. 22. Proverb. 6. Lib. 2. Reg. c. 12. ubi David propter adulterium cum Bersabee cum posteritate sua gravissimè punitus fuit: *quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in æternum: eò quòd despexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi.* Ipsimet Romani, adhuc Ethnici, adulteros capite plectebant, ut constat ex lege Julia. Ecclesia verò, quæ apud Basilium can. 50. fornicationem solam plectebat pœnitentiâ septem annorum, apud eumdem can. 38. adulterium castigabat pœnitentiâ 25. annorum. Imò Concilium Illiberitanum adulteris, qui sæpiùs crimen istud commiserant, usum Sacramentorum solùm concedebat in fine vitæ.

Nec mirum, quadruplicem quippe inor- 136
dinationem adulterium continet. Primò inordinationem omnem, quæ reperitur in simplici fornicatione. Secundò violationem fidei & thori conjugalis; violationem (inquam) contractûs maximi momenti, in re maximi etiam momenti: quia *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir*, &c. Tertiò violationem dignitatis Sacramenti, significatæque per illud conjunctionis Christi velut sponsi, cum Ecclesia velut sponsa unica ipsius. Nam *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia.* Quartò, violationem, seu perturbationem pacis conjugalis: hanc enim adulterium natum est perturbare, & perturbando impedire bonum prolis ex isto conjugio procreatæ, vel procreandæ.

De obligatione ad restitutionem ratione adulterii, sicut & fornicationis ac stupri, satis dictum est l. 9. cap. 134. & 135.

An adulterium viri gravius vel minùs grave sit 137
quàm adulterium feminæ, disputant Doctores, nec desunt rationes pro aggravando adulterio feminæ; sed quia in hoc opere Sanctos sequimur, audiamus Augustinum l. 2. de adulterin. conjug. c. 8. dicentem: *Non solùm nihil volunt detrahere severitati; sed insuscuntur insuper veritati, & loquuntur, atque respondent; sed nos viri sumus. An verò sexûs nostri dignitas hanc sustinebit injuriam, ut cum aliis feminis, præter uxores nostras, si aliquid admittimus, in luendis pœnis mulieribus comparemur? Quasi non propterea magis debeant illicitas concupiscentias viriliter frænare, quia viri sunt. Quasi non propterea debeant mulieribus suis ad virtutis hujus exemplum se præbere, quia viri sunt. Quasi non propterea minùs debeant à libidine superari, quia viri sunt. Quasi non propterea minùs debeant lascivienti carni servire, quia viri sunt. Et tamen indignantur, si audiant adulteros viros pendere similiter adulteris feminis pœnas: cùm tantò gravius eos puniri oporteuerit, quantò magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere feminas. Christianis equidem loquor, qui fideliter audiunt:* “ *Caput mulieris vir: Ubi se agnoscunt duces, illas autem comites esse debere. Et ideò cavendum viro illac ire vivendo, quà timet ne uxor sequatur imitando..... Legant quid Imperator Antoninus, non utique Christianus, de hac re constituerit, ubi marius*

uxorem de adulterii crimine accusare non sinitur, cui moribus suis non præbuit castitatis exemplum, ita ut ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conflictus ipse convicerit..... Si hæc observanda sunt propter decus terrenæ civitatis; quanto castiores quærit cælestis patria, & societas Angelorum? Quæ cùm ita sint, nunquid ideò minor est, ac non potiùs major & pejor virorum impudicitia, quia inest illis superba & licentiosa jactantia? Verum quidem est quòd feminæ, tum propter obligationem sibi magis intimam, tum propter verecundiam & subjectionem, tum propter inconvenientia ex partu adulterino, magis incumbat in fœditatem istam non consentire. Sed utplurimùm vir est qui feminam ad istum consensum inducit, causa proinde potior est (attentis etiam Augustini rationibus) omnis culpæ, quam femina committit.

CAPUT XVI.

Incestus, & gravis malitia illius.

138 INcestus est copula carnalis extra matrimonium habita cum cognata, vel affine, intra gradus prohibitos.

Dicitur 1°. *cum cognata*, sive interim cognata sit cognatione carnali, quæ consanguinitas dicitur; sive cognatione spirituali, sive legali.

139 Dicitur 2°. *intra gradus prohibitos*, id est intra quos matrimonium prohibetur. Quales sunt omnes gradus consanguinitatis, sicut & affinitatis ex matrimonio contractæ, usque ad quartum gradum inclusivè; ex copula extramatrimoniali, usque ad secundum, intra quos etiam matrimonium inter se contrahere prohibentur cognati cognatione spirituali, vel legali. Incestuosa proinde est talium inter se carnalis copula.

140 An etiam copula Confessarii, cum filia confessionis? Affirmant aliqui, esse incestum spiritualem, quia can. *omnes* 30. q. 1. dicitur: *Omnes quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filii, sicut illi quos in baptismo suscipimus.* Sed quamvis sint nostri spirituales filii, non eâ tamen filiatione, de qua sacri Canones agunt, dum de matrimonii agunt impedimentis: cùm in cap. ult. de cogn. spir. Bonifacius VIII. declaret, ex nullo alio Sacramento spiritualem oriri cognationem, quàm ex baptismo & confirmatione. Ita ergo nostri sunt spirituales filii, sicut quos prædicatione, exhortatione, &c. à peccati statu ad statum gratiæ revocavimus. Ideò copula illa esse non videtur incestus, sed potiùs sacrilegium quoddam, dum Confessarius illam trahit ad peccatum, quam ex officio Patris spiritualis, Judicisque & Doctoris sacramentalis, à peccato revocare tenetur. Quam ob causam copula Confessarii cum filia confessionis fœdiorem quamdam & magis horrendam deformitatem habet, quàm cum alia muliere.

141 Et si Confessarius in ipsa confessione, vel occasione aut prætextu illius, ex cognita v. g. per sacramentalem confessionem fragilitate pœnitentis in ista materia, ipsam sollicitaret ad turpia, cum eaque peccaret, gravius adhuc & magis immane sacrilegium committeret, assumendo Sacramentum ut medium ad peccatum. Quod adeò horribile est, ut pœnitens sollicitata (etiamsi peccato non consenserit) Confessarium sollicitantem Ordinario denuntiare teneatur. Imò sacrilegium Confessarius ille adhuc committeret, casu quo eam ad peccandum frequenter visitaret sub prætextu, quòd curam haberet eam gubernandi ut pœnitentem suam. Id enim in Sacramenti redundaret irreverentiam, ut rectè Cardinalis de Lugo disput. 16. de pœnit. num. 355.

A fortiori Episcopus, vel Parochus, ex 142
justitia obligatus ad procurandum spirituale bonum, & avertendum spirituale malum ovium suarum, cum iis carnaliter peccando enormiter ac specialiter peccaret contra officii sui debitum, curamque Episcopalem, vel Parochialem. Lugo ibidem n. 356.

Demonstranda supereſt gravitas malitiæ in- 143
cestûs. Quatuor istius gravitatis rationes profert S. Thomas q. 154. a. 9. Prima est, *quia naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus, & per consequens aliis consanguineis, qui ex iisdem parentibus de propinquo originem trahunt, in tantum quòd apud Antiquos, ut Valerius Maximus refert, non erat fas filium cum patre balneari, ne se invicem conspicerent. Manifestum est autem, quòd in actibus venereis maximè consistit quædam turpitudo, honorificentiæ contraria. Unde de his homines verecundantur. Et ideò incongruum est quòd commixtio venerea fiat talium personarum ad invicem. Et hæc causa videtur exprimi Levit. 18. ubi dicitur*: " Mater tua est, non re- "
velabis turpitudinem ejus. " *Et idem postea dicitur de aliis.*

Secunda ratio est, *quia personas sanguine con-* 144
junctas necesse est ad invicem simul conversari. Unde si homines non arcerentur à conjunctione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venereæ commixtionis. Et sic animi hominum nimis mollescerent per luxuriam. Et ideò in veteri lege illæ personæ videntur specialiter prohibitæ esse, quas necesse est simul commorari.

Tertia ratio, *quia per hoc impediretur mul-* 145
tiplicatio amicorum. Dum enim homo uxorem extraneam accipit, junguntur illi quâdam speciali amicitiâ omnes consanguinei uxoris, ac si essent consanguinei sui. Unde Augustinus dicit 15. de Civit. Dei: " Habita est ratio certis- "
sima charitatis, ut homines, quibus esset uti- "
lis atque honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur, nec unus in "
uno multas haberet, sed singulæ spargeren- "
tur in singulos. "

Addit autem Aristoteles quartam rationem 146
in 2. Politic. quia cùm naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor, qui est ex commixtione venerea, fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentivum,

quod charitati repugnat. Unde manifestum est quòd incestus est in determinata specie luxuriæ.

147 Sed sub illa specie non una species continetur. Tametsi enim Cajetanus 2. 2. q. 154. a. 9. putet incestus omnes cum consanguinea vel affine ejusdem esse speciei : probabilius videtur imprimis incestum cum consanguinea specie differre ab incestu cum affine, ob specialem reverentiam consanguineo præ affine debitam. Quemadmodùm enim motivum reverentiæ consanguineis debitæ (descendentia scilicet ab eodem stipite) diversæ rationis est à motivo reverentiæ debitæ affinibus (copula utique vel matrimonium cum aliquo consanguineorum ;) sic reverentia debita diversæ est rationis, nec conjunctio utrobique est univocè eadem, sed analogicè dumtaxat. Ita Azorius, Lessius, &c.

148 Deinde incestus cum matre esse videtur diversæ rationis ab incestu cum filia. Ob specialem reverentiam parentibus debitam, tamquam principiis vitæ nostræ; reverentiam utique filialem, quæ naturalem quamdam inferioritatem subjectionemque importat. Quam ob causam incestus descendentium cum iis à quibus descendunt, diversæ rationis esse videtur ab incestu descendentis cum descendente, exempli gratiâ, incestus neptis cum avo, videtur ratione & specie differre ab incestu avi cum sorore sua. Quemadmodùm enim occisio matris diversæ rationis est ab occisione filiæ, & occisio avi ab occisione sororis; ita similiter, &c. Ita Vasquez de pœnit. q. 91. a. 1. dub. 9. Card. de Lugo ubi suprà n. 312.

149 Tertiò, incestus cum noverca, vivente patre, videtur specie differre ab incestu cum uxore fratris, vel filiastra, ob reverentiam quasi filialem, novercæ debitam, saltem quamdiù manet uxor patris mei.

150 Quartò, incestus cum cognata in tertio vel quarto gradu, specie distingui non videtur ab incestu cum cognata in secundo gradu. Quia non apparet ibi motivum specialis reverentiæ debitæ. Quò proximior tamen est gradus consanguinitatis, vel affinitatis, tantò gravior est incestus, ideòque in confessione explicandus saltem primus vel secundus gradus, licèt nonnullis idem non videatur de tertio & quarto.

151 Porrò conjugatus, cum filiastra sua fornicatus, debitum petere non potest ab uxore sua cap. 1. *de eo qui cognovit*, &c. Similiter conjugatus cum privigna sua, seu filia uxoris suæ incestuatus, debitum ab uxore sua sine peccato petere non potest, post mortemque uxoris perpetuò manere debet absque spe conjugii cum qualibet femina contrahendi. cap. *transmissa* eod.

CAPUT XVII.

Sacrilegii venerei malitia & gravitas explicatur.

152 *Sacrilegium venereum* (de quo hîc, non de sacrilegio in genere) est actus venereus exercitus per personam sacram, vel cum aut circa personam sacram, vel etiam in loco vel tempore sacro. Brevius, est *violatio rei sacræ per actum venereum*, per rem sacram intelligendo, sive personam, sive locum, sive tempus, sive rem Deo consecratam, v. g. Sacramentum, in cujus irreverentiam actus venereus nonnunquam exercetur. Per consequens sacrilegium, ultra malitiam contra castitatem, alteram habet contra religionem.

153 Ex allata descriptione ulteriùs consequitur, considerandas hîc varias circumstantias, ob quas actus venereus malitiam habet sacrilegii. Primò ex circumstantia *quis*, ratione cujus fornicatio v. g. vel delectatio morosa est sacrilegium, dum committitur à persona sacra, id est peculiari ritu Deo consecrata, sive per votum simplex, sive per votum solemne castitatis, sive per susceptionem Ordinis sacri.

154 De his qui simplici voto castitatis obstricti nubunt, vel fornicantur, S. Basilius epist. canon. ad Amphilochium can. 18. *Si* (inquit) *vidua gravissimo judicio subjecta est, ut quæ fidem in Christum irritam fecerit; quid de virgine putandum est, quæ est sponsa Christi, & sacrum vas Domino dedicatum? Magnum quidem est peccatum, ancillam quoque, quæ clandestinis matrimoniis se dedit, stupri domum implere, & possessorem per malam vitam injuria afficere. Sed multo est gravius sponsam fieri adulteram, & conjunctione cum sponso ignominiâ & dedecore affectâ, se incompetentibus voluptatibus tradere. Vidua itaque ut corrupta ancilla condemnatur; virgo verò adultera judicio subjicitur.* Quia, uti S. Cyprianus epist. 58. ad Pomponium ait, *Christi adultera est.*

155 Gravius tamen sacrilegium est violatio voti solemnis quàm simplicis. Quia, ut S. Thomas ait q. 88. a. 11. *votum solemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quàm votum simplex, & gravius peccat qui illud transgreditur.* Quamobrem non sufficit in confessione dicere se castitatis voto ligatum contra castitatem peccasse; sed omninò declarandum est, an votum simplex sit, an solemne. Videri potest epistola Innocentii I. ad Victriciam, ubi graviùs punit sacrilegium virginis velatæ, quàm non velatæ.

156 Gravius quoque sacrilegium est luxuria Sacerdotis, Diaconi, vel Subdiaconi Religiosi, quàm Sacerdotis, &c. non Religiosi. Quia per priorem duplex votum solemne, duplexque consecratio violatur; per posteriorem unicum dumtaxat votum solemne, & unica consecratio; strictiùsque votum solemne castitatis annexum est religiosæ professioni, quàm Ordini sacro. Quia, ut S. Thomas ibidem, *non est essentialiter annexum debitum continentiæ Ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ. Unde videtur quòd per Ecclesiam dispensari possit in voto continentiæ solemnizato per susceptionem sacri Ordinis. Est autem debitum continentia essentiale statui religioso, per quem homo abrenuntiat sæculo, totaliter Dei servitio mancipatus. Quod non potest simul stare cum matrimo-*

nio.... Et ideò in voto solemnizato per professionem Religionis non potest per Ecclesiam dispensari.

157 Tantò gravius denique sacrilegium est, quò cum graviore alia luxuriæ specie concurrit. Quia quantò fœdior est luxuria, tantò magis contrariatur reverentiæ debitæ rebus sacris. Unde S. Thomas q. 154. a. 2. ad 2. *Si aliquis abutatur personâ conjunctâ sibi secundum spiritualem cognationem, committit sacrilegium ad modum incestus. Si autem abutatur virgine Deo sacratâ, in quantum est sponsa Christi, est sacrilegium per modum adulterii. In quantum verò est sub spiritualis patris cura constituta, erit quoddam spirituale stuprum. Et, si violentia inferatur, erit spiritualis raptus: qui etiam secundùm leges civiles gravius punitur, quàm alius raptus.*

158 Quærunt hîc aliqui, committatne sacrilegium homo ligatus voto castitatis, qui alium non ligatum consilio vel auxilio inducit ad peccandum contra castitatem? Negant (quod mirum est) Dicastillo de pœnit. disp. 9. n. 326. aliique apud Dianam p. 9. tr. 9. resol. 65. Sed certissimè ille peccat contra votum suum, adeòque committit sacrilegium. Quia castitas ipsi interdicit sollicitare alterum ad luxuriam, sicut ipsi interdicit 1°. consensu suo vel cooperatione esse causam luxuriæ alterius, eamque approbare. 2°. verba de se impudica proferre. Talia sunt enim illa, quibus alterum provocat ad luxuriam, licèt secum non exercendam. 3°. lenocinium, quo aliis procurantur amasiæ, ab ipsis corrumpendæ. 4°. tactus, quibus procuratur pollutio in corpore alterius. Quod Llamas quidem ausus fuit excusare à sacrilegio. Sed ex Summa ipsius jure meritissimo expungi jusserunt Inquisitores fidei anno 1640.

159 Secundò, actus venereus specialem malitiam sacrilegii habet ex circumstantia *circa quid*, seu personæ, cum qua vel circa quam exercetur, ut si exerceatur cum persona, vel circa personam voto castitatis obstrictam.

160 Tertiò similiter ex circumstantia *ubi*, seu loci sacri, in quo actus ille committitur. Siquidem omnis actus venereus, saltem externus, voluntariè exercitus in loco sacro, v. g. tactus impudicus, pollutio, &c. sacrilegium est. Ad hoc quippe necessaria non est seminis effusio, sed ad solam pollutionem loci sacri, talem, ut indigeat reconciliatione, juxta cap. *significasti* de adulter. Itaque tactus impudici, etiam sine seminis effusione, in loco sacro exerciti, sacrilegi sunt. Quia sunt contra reverentiam loci sacri. Ita Sylvius ubi suprà cum Lopez. An etiam impudici aspectus, & verba turpia? Negat Sylvius cum plerisque Recentioribus, idem dicentibus de carnalibus desideriis actûs venerei extra locum sacrum exercendi. Sed contrarium videtur dicendum: quia ab omnibus istis, utpote verè ad impudicitiam pertinentibus, prohibere debet loci reverentia. Ideòque animæ timoratæ consultò in confessione declarabunt se ista fecisse vel habuisse in loco sacro.

Imò ipsa quoque copula conjugalis in loco 161
sacro sacrilega est, nec eam loci reverentia conjugibus permittit, etiamsi diù in eo debeant commorari. Nec ipsos excusat prætensum periculum incontinentiæ: utpote quam aliis remediis cohibere possunt, & debent (ut rectè Sylvius, post Paludanum, Tabienam, &c.) uti facere deberent, si ab invicem abesset, vel si compars gravi morbo, licèt diuturno, laboraret.

Et quamvis Doctores plerique negent, sa- 162
crilegam esse fornicationem gestantis sacras Reliquias collo appensas, secluso earum contemptu, vel abusu ad luxuriam; ipsorum opinio contra se habet hoc argumentum, quòd ex ea sequeretur idem dicendum de fornicatione, vel blasphemia sacram Eucharistiam secum portantis, vel proximè post Communionem commissa. Quod meritò improbat Lugo, cum pluribus aliis.

Quartò, ex circumstantia *quibus auxiliis*, 163
ut si Confessarius abusus sit administratione Sacramenti pœnitentiæ ad negotium libidinis suæ, vel abusus sit verbis & sententiis S. Scripturæ eundem in finem, ad provocandum scilicet pœnitentem ut suæ libidini consentiat, *& sic pro medicina venenum, pro pane aspidem porrexerit, & ex cælesti Medico infernalis venefícus, ex Patre spirituali proditor execrabilis animarum* fuerit effectus, prout Gregorius XV. loquitur in sua Constitutione quæ incipit, *universi Dominici Gregis*, sacrilegium istud *impium & nefandum scelus* appellans, tales Confessarios denuntiari jubens Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, præcedente degradatione sæculari Judici tradendos, ipsiusque arbitrio puniendos. Nec absolvi possunt feminæ taliter sollicitatæ, nisi sollicitantem denuntient, seu paratæ sint denuntiare, prout in eadem Constitutione habetur. Erravitque Castro-Palao to. 1. tr. 4. disp. 9. puncto 4. n. 2. dum probabilem censuit hanc propositionem: *Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, quâ ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.*

Quintò, ex circumstantia *quando*, pecca- 164
ta venerea, præsertim graviora, diebus Dominicis ac Festis perpetrata, sacrilegii malitiam contrahunt, ratione temporis sacri per illa violati. Quod & dicendum videtur de fornicatione v. g. vel voluntaria pollutione commissa ipso die sumpti sacratissimi Corporis Christi. Si enim reverentia sacratissimo illi Corpori debita juxta SS. Patres non permittit conjugatis debitum petere ipso die sumptæ vel sumendæ Communionis; quantò minùs permittit illicitas fœditates illas perpetrare?

CAPUT XVIII.

Malitia & species peccatorum contra naturam.

PEccatum contra naturam est voluntaria se- 165
minis effusio contra ordinem naturalem

venerei actûs, qui convenit humanæ speciei. Quatuor illius species enumerat S. Thomas q. 154. a. 11. scilicet mollitiem, sodomiam, bestialitatem, & innaturalem concumbendi modum: vitium contra naturam *potest pluribus modis contingere. Uno quidem modo, si absque omni concubitu, causâ delectationis venereæ, pollutio procuretur; quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam quidam mollitiem vocant. Alio modo, si fiat per concubitum ad rem non ejusdem speciei; quod vocatur bestialitas*; sub qua specie continetur concubitus cum dæmone. An etiam concubitus cum femina mortua? (quam sæpiùs, proh dolor! accidisse Diana commemorat p. 9. tr. 9. resol. 1.) Videtur quòd sic: quia femina mortua jam non est ampliùs ejusdem speciei, cùm non sit ampliùs femina. Aliunde videtur quòd bestialitas sit concubitus cum vivente alterius speciei. Nec videtur pertinere ad speciem fornicationis: quia etiam fornicatio est copula cum femina vivente. Videtur aliquibus reducenda ad mollitiem. Sed est plusquàm mollities: cùm ei superaddat malitiam contra pietatem & reverentiam corporibus Christianorum mortuorum debitam. An fortè aliquid etiam participat de bestialitate, licèt non totam rationem illius? Utplurimùm participare videtur malitiam affectûs ad corpus repræsentatum ut vivum, adeòque malitiam incestûs, si sit corpus cognatæ; sacrilegii, si sit corpus Monialis, &c.

166 *Tertiò* (prosequitur S. Thomas) vitium contra naturam est, *si fiat per concubitum ad non debitum sexum, puta masculi ad masculum, vel fœminæ ad fœminam, ut Apostolus dicit; quod dicitur sodomiticum vitium. Quartò, si non servetur naturalis modus, aut quantùm ad instrumentum non debitum, aut quantùm ad alios monstruosos & bestiales concumbendi modos*; si utique vir feminam cognoscat in vase non debito, vel femina feminam in vase quidem debito, sed cum instrumento indebito, vel si vir feminam cognoscat in vase & cum instrumento debito, sed modo indebito, qui est ut femina succumbat, & vir superaccedat, non à tergo (ut bestiæ) sed ab anteriori parte. Quorum duo priores modi semper sunt mortales; postremus in conjugatis non semper, uti suo videbitur loco; nec propriè est contra, sed præter naturam, nec contranaturalis, sed innaturalis concumbendi modus.

167 Porrò mollitiem, sodomiam & bestialitatem, inter se differre specie, constat ex Ecclesiæ declaratione, quæ per Decretum Alexandri VII. de 24. Septembris 1665. sequentem propositionem damnavit: *Mollities, sodomia & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideòque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.*

168 Denique quàm grandis sit malitia peccati contra naturam, secundùm Augustinum, satis patet ex eo quòd in lib. de adulterin. conjug. inter peccata luxuriæ, peccatum contra naturam dicat omnium esse gravissimum in genere suo, graviusque in conjugatis, quàm in aliis. Accipe verba ipsius: *Omnium horum est pessimum, quod contra naturam fit, ut si vir membro mulieris non ad hoc concesso voluerit uti. Usus enim naturalis, si ultra modum prolabitur, in uxore quidem veniale est, in meretrice damnabile; sed iste qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in uxore.*

Quod tamen non sic est intelligendum, ut 169
singula peccata contra naturam graviora sint quibuscumque aliis luxuriæ peccatis. Siquidem mollities (quæ infimum est inter peccata contra naturam) licèt ex sua specie gravior sit omni peccato, quod cum quacumque femina modo naturali committitur; attentis tamen circumstantiis, gravior non videtur adulterio, nec incestu cum matre, nec sacrilego concubitu Sacerdotis Religiosi cum Moniali, nec luxurioso abusu Sacramenti pœnitentiæ, longèque minori pœnitentiâ secundùm Canones olim puniebatur. Solùm ergo hisce omnibus gravior est intra lineam luxuriæ præcisè, utpote magis contra naturam generationis; tametsi quædam aliæ luxuriæ species ex alio capite graviores sint, in quantum contra justitiam, religionem, pietatem, &c. ut rectè Sylvius q. 154. a. 12.

CAPUT XIX.

Malitia mollitiei, seu immunditiæ & pollutionis.

CUm necessitas discernendi inter lepram & 170
lepram nos invitos cogat ad pertractandas immundissimas istas sordes, monendus est Lector, ut *præparet se audire castè, quod castitatis cognitione necessitas cogit aperire. Omnia* quippe *munda mundis* (inquit Apostolus) nec solares radii inquinantur ex eo quòd sordidissima loca pervadant. Adsis igitur nobis Sol justitiæ, & præsta, ut tam immunditias enarratas, quàm enarrandas puris mentibus percurramus.

Mollities itaque est voluntaria seminis effu- 171
sio extra vas quodcumque. Grave esse peccatum, constat ex 1. Cor. 6. *Neque molles regnum Dei possidebunt.* Esse intrinsecè malam, seu jure naturæ prohibitam, Innocentius XI. declaravit, dum sequentem propositionem condemnavit: *Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si eam Deus non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.* Et ratio est, quia Deus, naturæ Author, seminis administrationem in omni eventu, extra matrimonialem actum, homini denegavit duplici de causa. 1°. quia illud unicè instituit ob commune bonum, speciei utique conservationem, & individuorum illius multiplicationem, per legitimam generationem. Unde cùm solus Deus, non homo, sit illius Dominus, de eo disponere non potest nisi ad finem dictum; aliàs de re Domini disponit contra voluntatem ipsius. Quod est intrinsecè malum. 2°. quia adeò vehemens est, in illius

deciſione, voluptatis ſenſus, ut ſiqua de cauſa, extra matrimonialem actum, naturæ Author eam permiſiſſet, homines eâ voluptate excæcati & illecti, ſeipſos nimis facilè deciperent, ſibi perſuadentes, ſe juſtam habere ejiciendi ſeminis cauſam. Quod profectò cederet in præjudicium magnum dicti communis boni, ſtatûſque matrimonialis, hominesque redderet, nedum pecoribus ſimiles, ſed & deteriores.

172 Propterea ergo nullo unquam caſu, etiam vitandæ mortis, licitum eſt pollutionem voluntariè procurare, magis quàm fornicari.

Practicè proinde improbabilis eſt ſententia Tancredi l. 9. de matrim. diſp. 17. §. *quæres* 3°. ſicut & Sanchez, aliorumque Recentiorum, aientium, quòd dum ſemen judicio Medicorum eſt corruptum, licitum ſit medicamentis (Bonacina & Diana dicere audent licitum eſſe & tactibus) illud expellere, tametſi aliqua prævideatur veri ſeminis effuſio præter intentionem ſecutura. Quod enim ipſi putant, ſemen corruptum tunc moveri per ſe, vivum nonniſi per accidens ad motum corrupti. Prorſus eſt falſum, & non ſolùm contra Philoſophiam (quæ docet res mortuas per ſe eſſe immobiles) ſed & contra judicium Medicorum paſſim omnium, qui (teſte ipſomet Caramuele Theol. fundam. p. 2. n. 110.) dicunt ſemen mortuum, ſicut cæteras res mortuas, per ſe eſſe immobile, debereque lanceolâ, cùm maturuerit putrefactio, aperiri, nec aliter moveri poſſe: cùm fuerit extra vias ordinarias. Quamdiù verò intra illas eſt, nonniſi vivi ſeminis motu & impulſu moveri per accidens. Ergo quiſquis, ſive medicamentis, ſive tactibus ſemen mortuum expellere vellet, vellet directè & per ſe expellere ſemen vivum, ut ad motum ipſius corrupti ſeminis expulſio ſequeretur. Et ſic vellet directè & per ſe ſeipſum polluere. Quod eſt intrinſecè malum.

173 Notandum tamen 1°. cum S. Thoma ubi ſuprà, S. Antonino p. 2. tit. 6. c. 5. Gerſone p. 2. tr. de pollut. aliud eſſe pollutionem, aliud diſtillationem. Nam, præter urinam & ſemen, per virgæ meatum ſubinde effluit quidam humor, inter utrumque medius, ſemine aquoſior, aquâ viſcidior, ſemini tamen aliquouſque ſimilis in colore & infectione, ſed non in tanta copia, nec tanta cum voluptate diffluens, ac fieri ſolet in ſeminis deciſione, ſed cum minori, imò ſubinde nulla cum voluptate. *Et quidem immiſcet ſe talis humor medius* (ait Gerſon) *aliquando cum urinatione; aliquando per ſe diffluit, ſine cogitatione & ſenſu; quandoque verò fit cum delectatione, & pruritu.... Ex levioribus cauſis, ac majori facilitate movetur ad exitum, quàm ſeminalis humor, præſertim in mulieribus, adeò quòd ex leviſſimo motu corporis, abſque aliqua cogitatione, & abſque ſenſu proveniat: ex effectu autem percipitur, per ſordidationem viſcoſam in carne ſua, vel pannis.* Iſtius proinde humoris fluxus non eſt pollutio, ſed à Doctoribus appellari ſolet diſtillatio. Nam, *ut dicunt Medici, ſine libidinoſa delectatione, & carnis rebellione, nullus poteſt pollui vigilando, ſecùs diſtillationem pati*, ait S. Thomas opuſc. 64. Et ideò de diſtillatione, dum accidit ſine delectatione, carniſque rebellione, timorata mens anxiari non debet, ut Cajetanus, aliique Doctores obſervant. Dum tamen accidit cum delectatione, & rebellione carnis, non licet eam promovere, nec in annexa delectatione ſibi complacere, utpote libidinoſa, ſive orta ex commotione ſpirituum generationi ſervientium.

Notandum 2°. quòd ut pollutio, in ſe 174
non voluntaria, voluntaria ſit, adeòque culpabilis in cauſa, tria ſint neceſſaria, primò quòd præviſa fuerit, vel potuerit debueritque prævideri. Secundò, quòd cauſam illius poſſis non ponere, vel poſitam auferre. Tertiò, quòd ad id tenearis, ne pollutio ſequatur. Quorum omnium probationem, applicationemque ad varios caſus, habes to. 1. agendo de voluntario indirecto.

Notandum 3°. cum S. Thoma in 4. diſt. 175
9. q. 1. a. 4. q. 1. ad 3. quòd pollutio, quæ, ſine cauſa illius antè data, incipit in ſomno, licèt terminetur in vigilia, non ſit peccatum, niſi voluntas in ea tunc ſibi complaceat. Quia *ex quo in dormiendo eſt excitatus motus carnis, non ſubjacet voluntati vigilantis*, niſi quoad complacentiam: ob quam *in ipſa evigilatione peccatum oritur, ſi quidem pollutio propter delectationem placeat. Quod quidem erit veniale peccatum, ſi ſit ex ſurreptione talis complacentia*, non ex plena deliberatione. *Mortale autem, ſi ſit cum* plenè deliberante *conſenſu, & præcipuè cum appetitu futuri.* Hæc S. Doctor. Ex cujus doctrina Gerſon & alii paſſim colligunt, quòd pollutio, quæ in ſomno cœpit eſſe in naturali ſuo fluxu, non ſit neceſſariò contra naturæ vim & impetum cohibenda in vigilia (nec enim cohiberi ſeu retineri poteſt, niſi violentè, & vix quidem ſic; ſemen autem violentè retentum corrumpitur, nocetque corpori inſtar veneni, ut Medici docent, ſignanter Boudewinſius in Ventilabro Medico-Theologico p. 1. q. 19. §. *Galenus dicens*) ſed ſatis eſt quòd eam voluntariè non promoveas, nec in ea complaceas, ſed diſpliceat ſenſus illius.

Notandum 4°. à Joanne Jejunatore, & 176
Joanne Monacho in Canonario, duplicem diſtingui pollutionem. Unam, quam in ſeipſo quis ſeu contrectatione, ſeu alio quovis modo concitat. Alteram, quæ alienâ manu excitatur. Qua de re Confeſſarius inquirere debet: quia licèt omnis pollutio voluntaria ſit *res deteſtabilis* (uti factum Onan vocatur Geneſ. 38.) ſecunda peccatum eſt longè gravius: utpote cujus author ſe & ſuo & alieno flagitio contaminat, & ad illud proximum incitat, & fortè tantæ malitiæ neſcium docet.

Notandum 5°. Confeſſarium inquirere 177
etiam debere de variis pollutionum ſpeciebus: neque enim omnes ejuſdem ſunt ſpeciei (quid-

quid dixerit Filiutius) cùm alia sit pollutio sacrilega, alia adulterina, alia incestuosa, &c. pollutio etiam, quam maritus & uxor in se invicem provocant, diversæ sit speciei à pollutione solutorum. Eò quòd maritus & uxor per eam dividant carnem suam contra fidem exigentiamque matrimonii. Ita Azorius p. 3. n. 339. & ipsemet (alioqui tam indulgens) Diana p. 11. tr. 8. resol. 36. Et idipsum docere videtur Augustinus suprà, cùm dicit: *Quod contra naturam est, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in uxore.*

178 Eadem ratio esse videtur de pollutione, quâ conjugatus seipsum polluit, absque cooperatione compartis. Quia fides & status matrimonialis exigit ut quisque conjugum comparti servet castè corpus suum, neque eo utatur nisi ad matrimonii fidem, actumque conjugalem. Et ideò conjugatus, qui pollutionem commisit, in confessione exprimere debet statum conjugii sui; sicut statum conjugii sui exprimere debet, si sodomiam cum uxore commiserit. Quia in utroque casu injuriam magnam fecit, & matrimonio suo, & conjugi.

179 Notandum 6°. illum etiam qui alieno adminiculo pollutionem procuravit, debere id exprimere in confessione, nec satisfacere dicendo: *passus sum voluntariam pollutionem*, nisi addat, *alieno adminiculo*, v. g. tactibus alienis. Aliàs non exprimeret se cooperatum peccato alieno. Non ideò tamen pollutio, alieno adminiculo procurata, absque affectu ad conjunctionem corporum, specie differt à pollutione propriis tactibus procurata; uti nec pollutio procurata tactibus viri specie differt à pollutione procurata tactibus feminæ. Neque enim verum apparet quod nonnullus ait, pollutionem tactibus viri procuratam ex se, sive ex natura sua, intentioneque operis ad sodomiam ordinari; pollutionem verò procuratam tactibus feminæ ex se ordinari ad fornicationem. Quia hoc ipse absque fundamento dicit, cùm ex se, sive ex natura sua ordinabilis sit ad quodcumque placuerit procuranti. Et quamvis pollutio adminiculo feminæ procurata, vel quâ quis se polluit inter femora ipsius, videatur frequenter fieri ex affectu copulæ cum ipsa, ideòque frequenter participare videatur malitiam istius affectûs; pollutio tamen procurata tactibus alterius viri rarò procedit ex affectu copulæ cum ipso, sodomiticæ utique. Cùm homines, licèt in pollutionem proclives, ut plurimùm horrorem habeant sodomiæ.

CAPUT XX.

Grandis malitia reliquarum specierum peccati contra naturam.

180 OMisso innaturali concumbendi modo, qui secluso periculo impediendæ generationis (quod periculum utplurimùm abesse Medici testantur) in conjugatis solùm est veniale peccatum; imò nullum, si corporis dispositio aliter fieri non permittat. Secunda species peccati contra naturam, est quando in concumbendo cum persona ejusdem speciei, sed alterius sexûs, non servatur debitum vas, ut dum vir feminam cognoscit in vase præpostero, vel alio vase, seu modo monstruoso, quem pudor exprimere non permittit. Estque procul dubio valdè grande peccatum.

Tertia species est *sodomia*, quæ est copula 181
carnalis inter personas ejusdem sexûs. Neque enim ad eam amplius requirit S. Thomas, secundùm cujus doctrinam circumstantia vasis indebiti spectat ad secundam speciem peccati contra naturam, non ad tertiam. Unde concubitus feminæ cum femina, licèt in vase naturali, est sodomia, non concubitus viri cum femina in vase præpostero; quem in secunda specie collocat S. Doctor.

Sodomiticum porrò peccatum, antonomasticè 182
nefandum, seu *indicibile* dicitur; eò quòd malitiam ipsius lingua exprimere non sufficiat. In illud veteres Philosophos corruisse Rom. 1. dicit Apostolus, Deo id permittente in pœnam superbiæ & idololatriæ ipsorum. Propterea namque Deus *tradidit illos in desideria cordis eorum, in immunditiam.... in passiones ignominiæ. Nam & feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum qui contra naturam est. Similiter & masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.*

Et quamvis adeò immane sit hoc vitium, 183
ut contra illud Os aureum Homil. 4. in epist. ad Rom. meritò exclamet: *Quid enim viro corpus suum meretricio more prostituente abominabilius? Quid sceleslius? O vos & brutis insipientiores, & canibus impudentiores! Nusquam enim hujusmodi congressus apud illos, sed agnoscit proprios terminos natura. Vos autem genus nostrum infamius brutorum genere effecistis*; tanta nihilominùs Gentilium illorum cæcitas fuit, ut illud à viris ingenuis commissum pro peccato non haberent (licèt servis non permitterent) eique deditos viros optimos existimarent, v. g. Trajanum Imperatorem, qui (Dione teste) Sodomita fuit; novis tamen Principibus acclamare solebant, *Augusto felicior, Trajano melior.*

Sciendum tamen 1°. quòd dum peccatum 184
istud detestabile inter casus reservatos ponitur, sodomia illa intelligitur, quâ personæ ejusdem sexûs commiscentur. Sylvius ubi sup. a. 12.

2°. dum persona conjugata peccatum istud 185
committit, in confessione conjugii sui statum exprimere debet. Ob injuriam magnam per illud conjugio suo & conjugi illatam. Et idem est proportionaliter dum consanguinei & affines illud inter se committunt; dum etiam femina virgo cum femina illud committere non erubescit.

3°. in confessione quoque exprimendum, 186
an fuerit sodomia perfecta, id est inter personas ejusdem sexûs; an imperfecta, quâ vir feminam in vase præpostero cognoscit. Ob differentiam specificam utriusque; prior enim ad tertiam, posterior ad secundam pertinet

pertinet ſpeciem vitii contra naturam.

187 4°. confitens juxta Card. de Lugo, & pleroſque alios, ſimiliter exprimere debet fuerítne agens, an patiens : vel quia agens committit pollutionem, non patiens quà talis ; vel quia turpiter agens multò criminoſior eſt eo qui patitur. Sed contra eſt quòd agens & patiens ad idem crimen ſodomiæ concurrant per modum unius cauſæ totalis, ſicut agens & patiens concurrunt ad idem crimen fornicationis. Quemadmodùm ergo fornicatus in confeſſione exprimere non debet, an agens fuerit, an patiens. Ita ſimiliter, &c. Paſſus tamen ſodomiticam pollutionem propriam, ultra cooperationem ad pollutionem agentis, id exprimere debet : quia pollutio illa ſpecie differt ab actu ſodomitico alterius ; ex quo licèt nata ſit ſequi, non ideò confitenda non eſt dum de facto ſecuta eſt, utpote in ſe etiam mortiferè peccaminoſa.

188 5°. ſodomita jure civili pœnâ ignis punitur, juxta Codicem Theodoſianum L. 9. tit. 7. Pœnâ verò capitis juxta Authenticam *ut non licet contra naturam* Collat. 6. Juxta Canones verò Laïcus ſodomita excommunicandus eſt, cap. *Clerici* de exceſſ. prælat. Clericus autem privatur omni privilegio clericali, officio, beneficio, dignitate ; atque inſuper degradatur, brachioque ſæculari traditur, juxta Bullam Pii V. quæ incipit *horrendum illud ſcelus*. Quod tamen plerique Doctores intelligunt de Clerico horrendum illud ſcelus committente frequenter, vel ſaltem (ut Cherubinus & Cevallos) bis vel ter : quia in Bulla illa ſolùm nominantur *exercentes ſodomiam* ; quo nomine venire non putant eum qui ſemel dumtaxat eam commiſit. Quidquid de eo ſit, tales de Clero dejici, vel ad agendam in Monaſteriis pœnitentiam detrudi jubet Leo X. Bullâ *Superna*.

Quarta ſpecies peccati contra naturam eſt 189
beſtialitas, ad quam (ut ſuprà dixi) reducitur concubitus cum dæmone, ſive incubo, ſive ſuccubo. Quod peccatorum horribilium contra naturam eſt horribiliſſimum, cùm ſit concubitus non ſolùm cum vivente alterius ſpeciei, ſed & cum capitali hoſte Dei, totiuſque generis humani.

De beſtialitate itaque differens S. Thomas 190
ubi ſuprà ad 4. docet, quòd *inter vitia, quæ ſunt contra naturam, infimum locum tenet peccatum immunditiæ .... Graviſſimum eſt peccatum beſtialitatis : quia non ſervatur debita ſpecies. Unde ſuper illud Geneſ. c. 37.* " accuſavit fratres ſuos crimine peſſimo, " *dicit Gloſſa, quòd cum pecoribus miſcebantur. Poſt hoc autem eſt vitium ſodomiticum ; cùm ibi non ſervetur debitus ſexus. Poſt hoc autem eſt peccatum ex eo quòd non ſervatur debitus modus concumbendi ; magis autem ſi non debitum vas, quam ſi ſit inordinatio ſecundùm aliqua alia pertinentia ad modum concubitûs.*

In beſtialitatis confeſſione, quæ locorum 191
Ordinariis communiter reſervatur, neceſſe non eſt dicere cum qua beſtia. Sed omninò exprimendum, ſi cum dæmone, ob nimis horribilem immanitatem, & irreligioſitatem, quæ (præter beſtialitatem) eſt in iſta execrabili ſocietate. Inter Canones pœnitentiales Juri Canonico inſertos decimus ſic habet : *Qui coierit cum brutis, pœniteat pluſquàm ſeptem annis.* Levitici verò 20. ſic habetur : *Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite.*

PARS VII.

Amor aliena nec ſurripiens, nec concupiſcens.

Ad ſeptimum præceptum : Non furtum facies.
Et decimum : Non concupiſces rem proximi tui.

INfinitus Dei erga homines amor in tota ſerie divinorum præceptorum elucet. Nam & per præcepta primæ tabulæ Deus amari quidem vult ab homine, ſed ut beatos faciat amatores ſuos. Scit enim *ipſo amore beatos eſſe qui ſe amaverint*, ut Mellifluus Doctor loquitur ſerm. 83. in Cant. Scit etiam verè ab Amoris Doctore Auguſtino dictum (in Pſal. 31.) *pigri, mortui, deteſtandi, miſeri eritis, ſi non ametis*, non peritura & caduca bona, ſed ſempiterna ; non terrena, ſed cæleſtia. Ideò namque per Apoſtolum ſuum Coloſſ 3. dicit : *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens ; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. O anima !* (ait rurſum Auguſtinus in Pſal. 102.) *erige te, tanti vales ! ..... Summum bonum, hoc eſt tuum bonum.... Sunt & inferiora bona, quæ aliis & aliis bona ſunt. Pecori quid bonum eſt, fratres, niſi implere ventrem, carere indigentiâ, dormire, geſtire, vivere, ſanum eſſe, generare.... Tu tale bonum quæris? .... Cohæres Chriſti, quid gaudes : quia ſocius es pecori ? Erige ſpem tuam ad bonum bonorum omnium.* Dic ei, *qui ſatiat in bonis deſiderium tuum, quaſi* (proſequitur Auguſtinus) *quaſi reſponderet anima : Non ſatiabor de mortalibus, non ſatiabor de temporalibus, aliquid æternum donet, aliquid æternum concedat : Sapientiam ſuam det mihi, Verbum ſuum mihi det, Deum apud Deum, & ſe Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum.... Novi quid mihi ſufficiat.... Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Propterea ergo fœdarum voluptatum concupiſcentiam ſexto & nono præcepto, temporalium quoque bo-

norum proximi concupiscentiam septimo & decimo inhibet præcepto, simul volens, ut inter homines pax, charitas & concordia conservetur, præsensque etiam vita tranquillè & sine cujusquam injuria transigatur. Iste est finis ad quem Deus secundæ tabulæ præcepta ordinavit, vetando non solùm homicidium & mœchiam, quibus injuria proximo fit in præcipuis inferioribus bonis; sed & quodcumque furtum ac rapinam, omnemque injuriosam actionem, quâ ipsi in fortunæ bonis nocumentum infertur, specialem suam providentiam & amorem ostendens erga genus humanum, usque ad infima bona ista se extendentem, ut homines inde moveantur ad laudandum & amandum Deum, sollicitèque servanda præcepta ipsius, ut sicut in favorem tuum Deus aliis prohibet res tuas invadere & concupiscere; ita & tu ex amore tam amabilis legis caveas ab invadendis concupiscendisque rebus alienis, conformiter ad istud generale legis naturalis Edictum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

CAPUT I.

Furti definitio ac divisio.

1 FUrtum strictè sumptum est *occulta acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito.* Dixi 1°. furtum *strictè sumptum*, quia furtum latiùs accipitur, dum hoc præcepto prohibetur, pro omni utique illicita usurpatione rerum proximi; *neque enim rapinam permisit* (inquit Augustinus q. 71. super Exod.) *qui furtum prohibuit; sed utique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi auferetur.*

2 Dixi 2°. *occulta*, ad differentiam rapinæ; non quòd furtum & rapina specie differant penes occultum & manifestum præcisè, sed quia furtum, hoc ipso quòd fit occultè, solùm importat injuriam illatam circa rem alterius, sine vi; per quod differt à rapina, quæ est *violenta acceptio rei alienæ, præsente & rationabiliter invito Domino*; atque ita ultra injuriam illatam rei alterius, importat injuriam illatam personæ per violentiam ipsi illatam, juxta Philosophum 5. Ethic. 2.

3 Dicitur 3°. *acceptio*, sic tamen ut eo nomine intelligatur *etiam injusta detentio*, inquit S. Thomas q. 66. a. 3. ad 2. Per injustam proinde acceptionem intelligitur omnis injusta contrectatio, non quâ quis rem alienam damnificat (injusta quippe combustio v. g. domûs alienæ non est furtum) sed quâ eam sibi applicat.

4 Dicitur 4°. *rei alienæ*, sive aliena sit quoad proprietatem, sive quoad usum, sive quoad detentionem oppignoratitiam, &c. Unde quispiam fur esse potest rem suam accipiendo, ut si eam Monti pietatis oppignoratam occultè surripiat, taxâ non solutâ.

5 Dicitur 5°. *domino rationabiliter invito*, per dominum intelligendo quemcumque legitimum occupatorem, seu detentorem. Si enim de consensu ipsius res accipiatur, non est furtum; uti nec dum accipitur ipso quidem invito, sed irrationabiliter, ut si rem ipsius accipias in extrema necessitate, in qua tenetur consentire; vel si accipias in bonum ipsius, v. g. si gladium surripias furibundo, ne aliis noceat.

Furtum, sic definitum, dividitur in sim- 6
plex & qualificatum. Simplex est illud quod aliam non habet malitiam nisi simplicis furti. Qualificatum, quod specialem habet malitiam. Unde furtum qualificatum in quatuor subdividitur species seu modos; videlicet sacrilegium, plagium, abigeatum, & peculatum.

Sacrilegium est furtum rei sacræ de loco 7
sacro, vel non sacræ de sacro, vel sacræ de non sacro. Can. *quisquis* 7. q. 9. Siquis rem sacram de loco sacro furatus fuerit, utramque circumstantiam illam debet aperire in confessione. Per bona sacra, ea intelliguntur, quæ sacrorum cultui, Ecclesiæ Ministris, & pauperum usui piè attributa sunt; quæ si ipsimet Ecclesiæ Ministri in privatas cupiditates, pernicioſasque libidines convertant, sacrilegi sunt, ut ait Catechismus Concilii Tridentini, & Augustinus tr. 50. in Joan. probat exemplo Judæ: *Ecce fur Judas, fur & sacrilegus. Non qualiscumque fur; fur loculorum, sed Dominicorum; loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro qualiscumque furti & peculatûs (peculatus enim dicitur furtum de Republica; & non sic judicatur furtum rei privatæ, quomodò publicæ;) quanto vehementius judicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuerit, non undecumque tollere, sed de Ecclesia tollere? Qui aliquid de Ecclesia furatur, Judæ perdito comparatur.*

Sed estne sacrilegum furtum bursæ divitis 8
in Ecclesia orantis? Negat Diana p. 1. tr. 7. resol. 27. cum Fagundez, Henriquez, & aliis, aientibus, furtum rei non sacræ de loco sacro non esse sacrilegum, si res illa non sit ibi tamquam commodata ad usum vel ornatum loci sacri, vel ibi depositа tamquam in azylo, sed ibi sit per accidens. Sed contrarium videtur dicendum cum Petro Ledesma, Menochio, Suarez, Reginaldo, Layman, &c. Quia Joannes Papa citato can. *quisquis*, absolutè & indistinctè definit, sacrilegum esse furtum rei non sacræ de loco sacro. Ubi verò lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, nec verba generalia legis pro arbitratu nostro restringere, sed generaliter & indistinctè accipere, quod lex generaliter & indistinctè dicit L. *de pretio* 8. ff. de publici in rem act.

Plagium est furtum hominis liberi, vel alie- 9
ni servi.

Abigeatus est furtum, seu injusta & dolosa abductio alienorum equorum, ovium, pecorum.

Peculatus est *furtum de Republica*, ut Augustinus suprà, sive furtum rei pertinentis ad Fiscum, vel ærarium publicum.

10 Furtum & rapinam esse peccata ex genere suo mortalia, declarat Apostolus 1. Cor. 6. dicens: *Neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Enimverò injustitia, quam continent, est ex suo genere mortalis.

11 Nec contrarium dicitur Prov. 6. *Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit*, &c. Quia (ut S. Thomas a. 6. ad 1. observat) id ibi dicitur *vel propter necessitatem inducentem ad furandum, quæ diminuit, vel totaliter tollit culpam.* Unde subditur: *furatur enim, ut esurientem impleat animam.* Vel id dicitur, non absolutè, sed comparativè ad adulterium, uti manifestum est ex contextu. Unde V. Beda: *Furtum, non ex sua æstimatione, sed ex comparatione peccati majoris, id est adulterii, non grandis esse culpa perhibetur. Sicut Hierusalem peccanti dicitur:* „ Justificata est Sodoma ex te; „ *non quia Sodoma nulla, vel parca, sed quia Hierusalem plura peccavit.*

12 Fures etiam se excusare non possunt, ex hoc quòd omnia bona jure naturæ sint communia. Neque enim hoc verum est positivè, sed negativè, in quantum jure naturæ particularibus non sunt applicata, sed jure gentium dumtaxat. Sed ex quo jure gentium facta est ipsorum applicatio & divisio, lex naturæ prohibet illa surripere, juxta illud Augustini lib. 11. Confess. c. 4. *Furtum certè punit lex tua Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur? Nec copiosus adactum inopiâ.*

13 Porrò *furtorum tam multa sunt genera* (ait Catechismus Rom. p. 3. c. 8. n. 6. & 7.) *ut ea dinumerare sit difficillimum; quare de his duobus, furto & rapina, dixisse sat erit, ad quæ.... reliqua.... referuntur.* Non soli itaque illi sunt fures, qui res alienas occultè surripiunt, sed *illi etiam sunt fures, qui furto sublatas res emunt, vel aliquo modo inventas, occupatas, aut ademptas retinent. Ait enim Augustinus l. 50. homil. 9.* „ Si invenisti, & non reddidisti, rapuisti. „ *Quòd si rerum dominus nullâ ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda..... Eodem se alligant scelere, qui in emendis vendendisque rebus fraudes adhibent.... Graviores & iniquiores in hoc furtorum genere sunt ii qui fallaces & corruptas merces vendunt pro veris & integris; quivè pondere, mensurâ, numero & regulâ decipiunt emptores.... Furtum etiam apertum est operariorum & artificum, qui totam & integram mercedem ab iis exigunt, quibus ipsi justam & debitam operam non dederunt. Nec verò distinguuntur à furibus servi dominorum, rerumque custodes infidi: quin etiam eò sunt detestabiliores (quàm reliqui fures, qui clavibus excluduntur) quòd furaci servo nihil domi obsignatum, aut occlusum esse potest. Furtum prætereà facere videntur, qui fictis simulatisque verbis, quivè fallaci mendacitate pecuniam extorquent; quorum eò gravius est peccatum, quòd furtum mendacio cumulant. Illi quoque in furum numero reponendi sunt, qui cùm ad privatum aliquod publicumve officium conducti sunt, nullam vel parvam operam navantes, munus negligunt, mercede tantum ac pretio fruuntur.*

14 *Rapinæ* etiam *patent latiùs: nam qui debitam operariis mercedem non persolvunt, sunt rapaces.... In hoc quoque crimine rapacitatis includuntur, qui quæ Ecclesiæ Præsidibus & Magistratibus debentur vectigalia, tributa, decimas, & reliqua hujus generis, non dissolvunt, vel intervertunt, & ad se transferunt. Huc etiam referuntur fœneratores, in rapinis acerrimi & acerbissimi, qui miseram plebem compilant & trucidant usuris.... Item rapinas faciunt nummarii Judices, qui venalia habent judicia, & pretio muneribusque delniti, optimas tenuiorum & egentium causas evertunt. Fraudatores creditorum, & inficiatores* debiti, *quique sumpto temporis spatio ad solvendum, suâ vel alienâ fide merces emunt, neque fidem liberant, damnabuntur eodem rapinarum crimine:* sicut & omnes in solvendo ita morosi, ut nonnisi per litem cum sumptibus creditoris cogi possint ad solvendum. Et qui prodigalitate, luxuriâ, comessationibus, ludis, luxu creditoribus decoquunt; debitaque contrahunt, cùm sciant se non esse solvendo; & qui bonis cedunt in fraudem creditorum; & qui dolo à creditoribus impetrant remissionem partis debitorum, fingentes se totum solvere non posse, cùm reverâ possint; & Dynastæ, qui contra jus auferunt aliquid à subditis, aut etiam ab extraneis; & illi milites, vel militum Duces, qui in bello injusto prædas ex hostibus accipiunt; & rursum milites, qui, etiam in bello justo, absque jussu Principis, vel Ducis, agros populantur, vel domos incendunt, vel in itinere, hyemalibusvè stationibus, rusticos vel cives hostilem in modum vexant, spoliant, pecuniamque seu alia, præter id quod sibi constitutum est, extorquent; & quicumque res naufragorum diripiunt (quos anathemate percellunt varia Concilia, Romanum sub Gregorio VII. Lateranense III. sub Alexandro III. cap. 24. &c.) denique *raptores dicuntur à SS. Patribus, qui, in frugum inopia, comprimunt frumentum, faciuntque ut suâ culpâ rarior ac durior sit annona; quod etiam valet in rebus omnibus ad victum & ad vitam necessariis, ad quos illa Salomonis pertinet execratio:* " Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.

CAPUT II.

Quantitas requisita ad furtum mortale.

15 VAldè difficilis est exacta determinatio istius quantitatis: quia difficillimum, imò vix aut ne vix quidem possibile est definire, quænam præcisè quantitas ad hoc ita requiratur, ut minor non sufficiat. Nec hoc solùm habet locum in furtis, sed & frequenter in aliis peccatis. Quia quemadmodùm Medici de multis morbis certi sunt, quòd ex se lethales sint, & de multis, quòd soli mortem non inferant;

at de plerisque incerti, sintne an non sint mortiferi; ita & Theologi de multis peccatis sciunt quòd lethalia sint, de multis quòd talia non sint; at de plerisque adeò incerti, ut *difficillimum sit invenire* (inquit Augustinus l. 21. de Civit. Dei c. ult.) *periculosissimum definire. Ego certè* (prosequitur Aquila Doctorum) *usque ad hoc tempus, cùm inde satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat.* Ex qua Augustini confessione conficitur, animarum Directores non posse semper determinare an hoc vel illud peccatum, de quo interrogantur, mortale sit, an veniale tantùm, sed in multis cum Augustino fateri debere hoc sibi esse incertum; imò se nescire; quod & ipsimet interrogantibus utile est confiteri, ut dum dubitant, sitne hoc vel illud mortale, an veniale tantùm, illud vel ideò studiosè caveant, ne se periculo peccati mortalis exponant.

16 Dixi *cum Augustino*, &c. ut ad humilem Augustini confessionem reflectant, qui passim in omnibus definire audent, hoc esse mortale, istud veniale dumtaxat. Vel enim se existimant scire, quod nescivit Augustinus; vel, licèt Augustino inferiores, temerè definire audent, quod ausus non fuit Augustinus, imò agnovit sibi esse periculosissimum definire. Et hoc non sine suo aliorumque periculo. Sunt enim aliis causa, quòd dum sibi persuadent solùm venialia esse, quæ revera mortalia sunt, minùs sollicitè ea caveant, periculoque salutem suam exponant.

17 Ut igitur ad propositum redeamus, quàm difficile sit determinare præcisam quantitatem necessariam ad furtum mortale, satis ostendit magna opinionum hac in re diversitas: lucem tamen aliquam dabunt regulæ sequentes.

18 *Regula prima*: pro ritè formando judicio de furto, num sit mortale, an veniale, duo potissimùm consideranda sunt, nimirùm ex parte rei ablatæ ejus quantitas, aut valor; & ex parte personæ cui aufertur, sitne multùm vel parum rationabiliter invitus. Patet ex furti definitione, ex qua habemus ista duo esse furto intrinseca, rem scilicet ablatam, & quòd ablatio ista fiat domino rationabiliter invito.

19 *Regula secunda*: cùm ex dictis certò determinari non possit aliqua certa quantitas, infra quam furtum ratione parvitatis materiæ semper sit veniale dumtaxat, & supra quam semper mortale, videtur hoc petendum ex communi æstimatione prudentum, qui talem quantitatem sic judicant notabilem, ut dominus in ejus ablatione sit rationabiliter multùm invitus. Eò quòd rerum valor à communi prudentum æstimatione pendeat, ex variis considerationibus sic vel sic judicantium, habitâ ratione commodi quod ex earum possessione & usu homines percipere solent; habitâ etiam ratione temporis & loci. Quia res uno tempore & loco communiter pluris æstimatur quàm alio.

20 *Regula tertia*: datur aliqua quantitas, quæ sive à paupere, sive à divite, vel etiam à ditissimo auferatur, sufficiat ad mortale peccatum, etiamsi ditissimus ex ablatione ipsius in sua persona quoad victum & vestitum non multùm incommodetur. Quia ex ipsius ablatione multùm equidem incommodari potest in facultate de ea disponendi in ordine ad varias functiones & onera sustinenda. Et talis quantitas communi Doctorum sensu ac judicio, est valor unius aurei, seu decem Juliorum, vel trium florenorum Brabanticorum. Furtum proinde unius aurei valdè probabiliter æstimatur mortale, etiamsi persona cui surripitur, sit Rex, vel Princeps, vel homo ditissimus. Quia licèt aureus videatur res parva comparativè ad divitias immensas Regis, vel Principis, est tamen res secundùm se absolutè magni valoris in ordine ad usus humanos: utpote in ordine ad quos est notabiliter utilis & commoda; cùm sufficiat ad stipendium diurnum decem militum v. g. Gravitas verò furti per se spectanda non est à sola paupertate vel divitiis ejus cui aufertur; sed à valore rei quæ surripitur. Si enim valor ipsius in ordine ad usus humanos sit magnus, damnum ipsius censetur magnum, sive res illa auferatur Regi, sive pauperi.

21 *Regula quarta*: valdè etiam probabiliter asserunt multi, duos regales, id est decem asses Belgicos, moraliter loquendo, esse materiam sufficientem ad furtum mortale, sive quis illam surripiat à communi cive vel mercatore, sive à Rege vel ditissimo homine. Ita Sylvius, & alii apud ipsum. Tametsi enim respectivè ad Regem, vel hominem ditissimum, seu potiùs respectivè ad divitias ipsorum duo regales non videantur quid magnum, sed modicum; sicut unus aureus respectivè ad decem, viginti, vel centum aureorum millia, non videtur quid notabile; in se tamen, & secundùm se est quid notabile: cùm sufficiat honesto operario ad victum & stipendium diurnum, essetque furibus magna furandi illecebra contra Reipublicæ bonum, si absque mortali furari possent duos regales, tam à ditissimis, quàm à mediocriter divitibus, & honestis artificibus vel civibus: cùm eos furandi occasiones sint admodùm frequentes, & ex iis commodum non modicum furibus proveniret. Unde (Navarro teste) quibusdam in Diœcesibus, de consilio virorum doctorum ac prudentum, statutum est, ut excommunicatio pro furto duorum regalium concedatur.

22 Nec dicas quòd furtum duorum regalium viro prædiviti non afferat notabile incommodum vel damnum. Tum quia licèt non afferat ipsi notabile incommodum, vel damnum in ordine ad victum & vestitum ipsius; ipsum tamen privat facultate disponendi de re in se & secundùm se notabili; affertque ipsi notabile incommodum & damnum in ordine ad varias functiones vel usus, ad quos quantitas

illa applicari potest : utpote quæ Regi sufficit ad solvendum stipendium diurnum duorum militum.

23 Tum quia materia furtiva hîc distinguenda est à materia damnificativa : quia materia aliqua potest esse furtivè levis, licèt damnificativè sit gravis, & contrà. Subula namque furto sublata sutori, vel acus sartori est furtivè levis, damnificativè tamen gravis, si contingat sutorem vel sartorem, ob furtum illius à labore cessare debere toto uno die, cùm ex hoc privetur honestâ illius diei sustentatione. Quo tamen non obstante fur illius non incurret excommunicationem contra fures latam : utpote quæ non incurritur nisi ob furtum materiæ furtivè gravis. Ex adverso aureus furto sublatus homini ditissimo, modicum ipsi incommodum affert in ordine ad victum & vestitum ipsius, modicum etiam damnum ut sic affert personæ ipsius : quia tamen in se & secundùm se est materia notabilis, furtum illud est furtivè grave, licèt damnificativè leve, sensu dicto. Simile quid accidit ex parte involuntarii domini, ad furtum requisiti ; contingit enim dominum esse notabiliter invitum, si ipsi auferatur res, secundùm se levis, cui multùm afficitur, & quidem magis invitum, quàm si auferretur ipsi illa pecuniæ quantitas quam Doctores passim concedunt sufficere ad furtum mortale ; furtum tamen illud, licèt domino adferat notabile incommodum, seu privationem rei quâ multùm delectabatur ; non est furtivè mortale, sed veniale dumtaxat. Sic ex adverso dicunt Doctores, furtum aliquod posse esse grave ex parte materiæ furto sublatæ, sic tamen ut non sit mortale, eò quòd dominus non sit notabiliter invitus, vel non sit invitus quoad substantiam, sed quoad modum dumtaxat ; quomodò censent aliquando contingere, quòd filius à patre surripiat unum aureum, absque peccato mortali. Qua de re plura infrà.

24 *Regula quinta :* aliquo nihilominùs sensu verum est quod Arragonius, Valentia, Layman, Bonacina & alii dicunt, eandem quantitatem, quæ parva est respectu divitis, posse esse magnam respectu pauperis ; per consequens, dum materia furti non est in se & secundùm se absolutè magna, videndum an non sit magna respectivè ad personam cui aufertur. Tametsi enim furari sex asses Belgicos v. g. non sit furari materiam, seu quantitatem magnam absolutè, & secundùm valorem quem habet in ordine ad commercia ; est tamen furari materiam, seu quantitatem magnam respectivè ad personas, quæ à manè in seram noctem laborare debent, ut eam acquirant, & à fortiori respectu personarum, quæ ne totâ quidem die, à manè in seram noctem laborando, quantitatem illam acquirere possunt : meritò enim reputatur materia magna respectu eorum, quibus tanti constat acquisitio illius : cùm sit eos spoliare pretio, imò plusquàm pretio & valore laboris magni, sicut & sustentatione diurnâ, vel plusquàm diurnâ. Igitur materia, quæ respectivè ad divitem reputatur levis ob abundantiam, meritò reputatur gravis respectivè ad pauperem, ob longè minorem abundantiam, & quia pauper longè plus laborare debet ut acquirat quinque, quàm dives ut acquirat decem, & quia quinque pauperi sufficiunt ad honestam sustentationem diurnam ; diviti verò ad eam non sufficiunt decem, nec plerùmque viginti, &c. Materiæ proinde furtivæ gravitas taxari non debet penes solum valorem, quem habet in ordine ad publica commercia, sed vel inde, vel etiam penes valorem quem habet in ordine ad privatas necessitates & usus, sicut & penes laborem respectivè impendendum pro illius acquisitione. Sic enim taxavit Sapientia Patris Luc. 21. dum plus æstimavit donum duorum minutorum ærario Templi factum à paupercula vidua, quàm dona in se absolutè longè majora divitum : *Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquàm omnes misit : nam omnes ex abundanti sibi miserunt ; hæc autem ex eo quod deest illi ad victum.* Unde patet quòd vel tres asses furari ei qui toto die nêre debet ad eos lucrandos, & cui quantitas ista sufficit ad diurnam sustentationem, sit furari quantitatem furtivè magnam, adeòque furtum mortale.

Et quia de ratione intrinseca furti est quòd 25
dominus sit rationabiliter invitus, & de ratione intrinseca furti mortalis, quòd sit rationabiliter multùm invitus ; hinc etiam judicium furti mortalis pendet intrinsecè à circumstantiis personarum furis, & ejus cui fit furtum : plerùmque enim dijudicari nequit, an dominus sit vel non sit, vel an sit rationabiliter multùm vel parum invitus, nisi consideratis circumstantiis illis. Siquidem dominus non est rationabiliter invitus, si accipiens in extrema sit necessitate, vel ipse dominus sit debitor adeò morosus, ut creditor ab ipso recipere nequeat sibi debitum, nisi ipsi surripiat in justam compensationem. Neque ex hoc quòd dominus sit rationabiliter multùm invitus rem suam sibi surripi ab extraneo, eo ipso talis censetur respectu uxoris vel filii. Et hinc sit

Regula sexta : tametsi Doctores, ut suprà 26
dixi, majorem, imò duplò majorem quantitatem requirant ad mortale furtum filii respectu patris, vel uxoris respectu mariti, quàm ad mortale furtum extraneorum ; hîc tamen non sunt laxandæ habenæ ; nec dicendum cum Card. de Lugo saltem 50. aureos requiri ad mortale furtum filii Principis, vel (cum Lessio & Dicastillo) à mortali excusari filios à parente divite furantes duos vel tres aureos. Quandoquidem doctrina ista videatur periculosa, soluspue Deus norit in qua præcisè quantitate mortaliter peccent filii, furantes à parentibus suis. Ideòque periculosum sit ipsos temerè à mortali excusare peccato, dum materia in se notabilis est.

1°. quia Scriptura sacra temeritatem illam 27

damnare videtur, dum dicit Proverb. 28. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & hoc dicit non esse peccatum*, vel non esse mortale, dum materia est gravis, *particeps homicidæ est*, quia occidit animam suam, vel alterius, cui hoc dicit.

28 2°. septimo Decalogi præcepto filiis, æquè ut aliis, dicitur: *Non furtum facies*, id est alienum non surripies, absque consensu domini, dum haberi potest. Unde Catechismus Rom. hîc dicit, furti reos esse filios & uxores à patribus & maritis surripientes.

29 3°. doctrina illa portam latam aperit domesticis furtis, ex quibus mala multa nata sunt sequi, graves utique discordiæ, suspiciones, & judicia temeraria, jactura magna rei familiaris quam pater reservabat ad usus necessarios.

30 4°. illius doctrinæ patroni nimis facilè præsumunt, vel permittunt filiis præsumere, quòd pater hujusmodi furtis non multùm dissentiat; cùm contrarium potiùs præsumendum sit: quia filius ex una parte debet parentibus honorem, qui exigit ut nihil notabile agat, nisi requisito eorum consensu; ex alia parte obligatio quam habent parentes erga filios, & alios qui ad suam curam pertinent, exigit quòd non sint faciles in consentiendo hujusmodi furtis. Ad patrem enim pertinet jus administrandi bona familiæ, cognoscendique & judicandi quos in usus impendi debeant. Ipsi quoque ex officio incumbit impedire luxum, vanitates, & superfluos usus, propter quos furta illa frequenter committuntur. Si enim rationabilis causa surripiendi utplurimùm intervenire dicatur, cur non petitur expressus patris consensus? Quis non videt, fundamentum esse præsumendi quòd occultè surripientes in conscientia existiment non obtinendum consensum, si peteretur; sed parentes rationabiliter negaturos, ob rationes quas filiis exponere non solent, quarum una est quòd sciant filios vel filias frequenter cupere hanc vel illam pecuniæ quantitatem, ut in vanos vel malos fines expendant.

31 Per hæc tamen non intendo dicere, quòd filii semper mortaliter peccent dum aliquid in se notabile parentibus surripiunt, absque expresso ipsorum consensu; sed quòd per hoc periculo se exponant peccati mortalis, nisi ex indiciis particularibus satis ipsis constet de tacito consensu ipsorum; quòdque Confessarii faciles esse non debeant in excusandis occultis ejusmodi surreptionibus.

32 *Regula septima*: de Religiosis furantibus de bonis Monasterii, non est philosophandum uti de filiis, quasi tanta quantitas requiratur ad mortale furtum ipsorum, quanta requiritur ad furtum mortale filiorum. Quia licèt filii sint Monasterii cap. *licèt* de sepulturis; est tamen inter filios Religiosos & sæculares differentia magna. Tum quia Religiosi non sunt hæredes in spe bonorum Monasterii, sive nullum habent jus successionis, nec capacitatem proprietatis, uti habent filii sæculares. Tum quia longè alia est professio ipsorum ac sæcularium, longèque majorem perfectionem, seu perfectiorem abdicationem rerum temporalium profitentur, ratione voti paupertatis. Ideòque Superior ipsorum jure præsumendus est magis rigorosè invitus respectivè ad ipsos, quàm pater carnalis respectivè ad filios carnis suæ. Unde nimis laxa, religiosæque disciplinæ noxia videtur opinio Soti & Rodriguez, ad mortale furtum in ipsis requirentium duos aureos; sicut & opinio Petri de Ledesma, aientis in ipsis ad mortale furtum non sufficere octo vel novem regales. Imò rationabiliùs dicitur in ipsis sufficere duos regales, sive eam quantitatem quæ sufficit in sæcularibus non filiis ad furtum mortale. Ita Rebellius, Azorius, Graffius, Bonacina, aliique communiùs. Et ita anno 1594. determinatum fuit in Congregatione Generali Patrum Societatis. Congregatio verò Fulensium, tametsi divitum, in suo Generali Capitulo, unanimi voto decrevit, summam unius Julii, id est sex circiter assium Belgicorum, esse sufficientem in Religiosis istius reformatissimæ Religionis ad furtum mortale, prout refert Bartholomæus à S. Fausto disp. 34. q. 51.

Suarez tamen cum plerisque aliis censet, 33 mortalis furti facilè non condemnandos Religiosos, esculenda & poculenta ad usum suum surripientes (licèt in eo notabilem sæpè indecentiam committant contra religiosam perfectionem) nisi damnificatio Monasterii foret nimia, vel res illæ, non ad unum actum comedendi vel bibendi surriperentur, sed valdè magna in quantitate, ut occultè retentæ paulatim consumerentur.

CAPUT III.

Casus in quibus mortale est repetitis vicibus furari modica, ut exinde tandem excrescat quantitas magna.

PRimus casus est, dum multi ab uno aliquo homine auferunt singuli modicam 34 quantitatem, ita tamen ut ex modicarum illarum quantitatum collectione, dominus grave damnum patiatur, ut dum ager vel vinea à multis hominibus concurrentibus vastatur; qui si simul conspirent ad istud totale damnum, adeòque singuli confluant ad totalitatem illius, singuli mortaliter peccant, & singuli (juxta dicta de restitutione) in solidum tenentur ad restitutionem totius damni. Si tamen non conspiraverint, sed fortuito occursu, non adjuvantes alter alterum, quid modicum de vinea singuli vastaverint, singuli venialiter tantùm peccaverunt, solùmque tenentur ad restitutionem pro parte sua; quippe qui ad alias damni partes non influxerunt, ut supponitur.

Secundus casus est, dum unus à diversis 35 personis modicum surripit, ex quo singulæ quidem personæ leve damnum patiuntur, sic tamen ut ex omnibus damnis simul spectatis gra-

ve

ve damnum resultet, ut fieri solet in iis qui ponderibus ac mensuris utuntur dolosis, quæ singulos accedentes obolo defraudant, & in sartoribus, assuetis retinere fragmenta residua ex vestibus à se confectis, non ita vilia, ut rationabiliter censeantur à dominis derelicta. Et isti sine dubio rei sunt furti mortalis. Quia modus ille furandi, licèt fortè nulli in individuo notabile damnum inferat; infert tamen multitudini sic damnificatorum, graviterque nocet humanæ societati; & nisi graviter prohibitus esset, lata pateret janua diteſcendi, statumque suum augendi per furtivas ejusmodi machinationes, honestasque artes & commercia negligendi, in grave Reipublicæ detrimentum. Propter quod Prov. 11. Spiritus sanctus contestatur: *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Et Deuteron. 25. *Non habebis in sæculo diversa pondera, majus & minus; abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hoc.*

36 Quicumque ergo hoc faciunt ex proposito, in continuo sunt statu peccati mortalis, tenenturque restituere personis damnificatis, si moraliter fieri queat; sin minùs pauperibus, maximè illius loci. Illi verò qui non ex proposito, sed casu multa modica furantur à multis, tunc mortaliter peccant, dum advertunt iis notabilem compleri quantitatem.

37 Dicunt quidem plerique majorem eo casu quantitatem ad furtum mortale requiri, quàm si res tota simul & semel ab uno surriperetur. Sed quia istius excessûs quota determinari vix aut ne vix quidem potest, pro casuumque varietate varia admodùm esse potest; in praxi facilè connivendum non est iis qui quantitatem satis notabilem surripuisse deprehenduntur, tametsi à diversis surripuerint; sed ad cavendum periculum, tutius est eligendum; ideòque tales efficaciter inducendi sunt ad restituendum.

38 Tertius casus est, dum quis ab uno & eodem, diversis vicibus, modicum quid singulis vicibus accipit, sic tamen ut modica simul constituant notabilem quantitatem. Et tunc dicendum 1°. cum S. Thoma a. 6. ad 3. & Doctoribus communiter, quòd si singulis vicibus hoc faciat animo expresso vel interpretativo perveniendi ad notabilem quantitatem, in quolibet furtulo peccat mortaliter. Quia quodlibet furtulum procedit ex voluntate graviter damnificandi, tamquam actus imperatus ab actu imperante; actus verò exterior imperatus à voluntate mortaliter mala, est mortaliter malus, utpote participans malitiam interioris actûs imperantis, uti constat ex dictis to. 1. Quia tamen malitia actûs interni non est executivè completa, nisi dum perveniatur ad notabilem quantitatem, ante eam restitutionis obligatio non urget sub mortali.

39 Dicendum 2°. eum qui ex occasione, sine animo perveniendi ad notabilem quantitatem, sæpiùs furatur modicum ab eodem, solùm peccare venialiter donec ad notabilem perveniat quantitatem. Verùm ubi advertit se per furtulum v. g. decimum, cæteris moraliter conjunctum, notabilem quantitatem complere, peccat mortiferè, etiamsi ex collectione omnium furtulorum venialium unum mortale non constituatur. Est sententia communis, quoad omnes partes.

Ratio primæ partis est quia talis nec aufert, nec auferre vult notabilem quantitatem, nec inferre proximo grave nocumentum.

Ratio secundæ partis est opposita: isto nam- 40
que casu vult inferre, infertque de facto grave nocumentum, eo ipso quo complere vult, & de facto complet grave damnum. Hoc autem facit qui sciens quantitatem notabilem compleri per ultimum furtulum, præcedentibus furtulis additum, illud addere vult, de factoque sciens & volens addit; non enim illud addere vult seorsim à præcedentibus, sed conjunctim, cùm velit ultimum illud furtulum præcedentibus conjungere. Vult ergo materiam gravem, & grave proximi damnum complere. Per consequens vult mortale peccatum, non solùm injustæ detentionis (ut volunt Medina, Navarrus, Lessius, & alii) sed & injustæ acceptionis (ut rectè Vasquez, Layman, & alii communiùs) eo ferè modo quo sæpiùs faciens in die jejunii parvas comestiunculas, scienter tandem pervenit ad ultimam, quæ juncta cæteris complet comestionem magnam; vel modico sæpiùs tempore laborans in die festo, scienter pervenit ad tempus quidem adhuc in se modicum, sed quod cæteris adjunctum, complet notabile tempus, v. g. duarum horarum. Et ratio est, quia licèt ultimum furtulum, ultima comestiuncula, ultima pars temporis quo laborat, in se non sit magna, magis quàm præcedentes, ob moralem tamen cum præcedentibus conjunctionem complet tempus magnum, comestionem magnam, furtum magnum; & ideò mortaliter peccat ultimo furto, ultimo labore, ultimâ comestione, potiùs quàm præcedentibus, factis absque intentione perveniendi ad quantitatem magnam.

Et ampliùs ostenditur, quòd non solùm 41
peccet mortaliter peccato injustæ detentionis, sed & peccato injustæ acceptionis, quia non solùm peccat mortaliter dum scienter & volenter ultimum assem v. g. superaddit præcedentibus, quos adhuc habet, & restituere potest, verùm etiam dum eos ampliùs non habet, nec habet in re, nec in spe, unde eos restituat. Quia superadditione ultimi assis equidem voluntariè complet gravem proximi læsionem, aliàs non futuram gravem. Æquè verò mortale est, voluntariè complere gravem proximi læsionem, dum potest non complere, quàm completam non tollere, seu non reparare, dum tollere potest & reparare. Talis verò mortaliter non peccaret in sententia Medinæ. Non enim peccato injustæ acceptionis (ut ipse vult cum aliis suprà relatis) neque peccato injustæ detentionis; quia iste non est in-

justus detentor, nisi ultimi assis; non verò præcedentium, quos nec habet ampliùs, nec potest, ac per consequens non tenetur restituere. Siquidem eo ipso desinit injustè detinere materiam præcedentem, quo desinit obligari ad illius restitutionem: cùm non detineat injustè nisi qui tenetur restituere.

42 Ratio tertiæ partis, quòd utique ex collectione omnium furtulorum venialium non constituatur unum mortale furtum, est quia in illo casu unum furtum mortale non constituitur ex collectione omnium furtulorum, præter ultimum (cùm cætera sine ipso, tam collectivè, quàm distributivè, supponantur levia) neque ex collectione omnium cum ultimo; quandoquidem ultimum nunquam fuerit veniale, sed semper mortale, prout ex præmissis constat. Igitur ex multis venialibus furtulis, etiam collectivè sumptis, non constituitur unum furtum mortale. Vide dicta to. 1. ubi ostendimus, ex collectione omnium venialium de mundo nunquam fieri posse unum mortale, eò quòd malitia mortalis & venialis non sint ejusdem ordinis, sed malitia mortalis sit superioris, & in infinitum excedentis; veniale verò inferioris; imò in infinitum inferioris ordinis, prout docet S. Thomas 1. 2. q. 88. a. 4. Multiplicatio verò rerum inferioris ordinis quantalibet sit, nunquam evehit eas ad superiorem ordinem. Unde licèt voluntas furandi unum eundemque assem in infinitum multiplicetur, nunquam equidem fit mortalis. Aliud est de materia levi & gravi, quæ quia ejusdem sunt ordinis, materia levis per sui multiplicationem fieri potest gravis.

43 Dicendum 3°. sicut furtum ultimi assis, v. g. decimi, scienter & volenter præcedentibus additum, est mortale; ita & furtum undecimi, duodecimi, &c. assis. Ita Rebellius, Bonacina, &c. Tam enim undecimo, duodecimo asse, &c. præcedentibus addito, completur notabilis læsio proximi, quàm decimo.

44 Dicendum 4°. si fur ultimum assem, v. g. decimum, furripiendo, nullo modo adverteret ad furta præcedentia, ne virtualiter quidem, vel interpretativè, vel ultimum superadderet, postquam furtula præcedentia per restitutionem reparasset, mortaliter non peccaret. Tunc enim furtula præcedentia moraliter ita se haberent, ac si non præcessissent.

CAPUT IV.

Satisfit objectionibus quæ fiunt contra dicta capite præcedenti.

45 OBjicies 1°. per leves detractiones nunquam pervenitur ad gravem: ergo nec per furta levia ad furtum grave.

Nego antecedens cum Card. de Lugo disp. 14. sect. 1. sunt enim aliqui defectus, de se leves, quorum frequens multiplicatio non modicam certis personis causat infamiam: tametsi enim vir religiosus non multùm infametur dicendo quòd semel iterùmque mentitus sit; secùs dicendo quòd adeò frequenter mentiatur, ut mendax seu mendaciis obnoxius censeatur.

Objicies 2°. dum repetitis vicibus furatur quis modica, singula furtula non sunt mortale peccatum: ergo nullum ex illis est mortale peccatum; si enim singula non sint, non est cur unum præ alio, v. g. ultimum præ primo. 46

Nego consequentiam; ratio namque cur ultimum potiùs mortale sit quàm primum, est quia ultimum complet materiam gravem, non primum, & qui primum assem furatur, nihil cogitans, nec intendens de ulterioribus furtis, non vult conjungere, nec de facto conjungit illum cum ulterioribus: utpote necdum existentibus in re, nec in intentione: qui verò furatur ultimum advertenter ut suprà, vult illum conjungere, de factoque conjungit cum præcedentibus adhuc existentibus, saltem in effectu, damnificatione scilicet proximi.

Objicies 3°. non satis explicatur, quomodò ultimum moraliter conjungatur cum præcedentibus, potiùs quàm primum cum subsequentibus. In quo enim consistit major illa conjunctio? Non in eo quòd novem præcesserint, & moraliter adhuc perseveret obligatio restitutionis eorum. Aliàs mortale foret furtum decimi assis post triginta annos additum novem aliis ante triginta annos eidem sublatis, nec adhuc restitutis. Non etiam in eo quòd novem præcesserint, & post breve tempus superaddatur decimus assis. Sic enim acceptio decimi assis æquè moraliter conjungitur novem acceptionibus præcedentibus, ac decimus assis novem assibus præcedentibus. Vel ergo ob hanc conjunctionem moralem, acceptio decimi assis, ut conjuncta novem acceptionibus præcedentibus, constituit unam acceptionem mortalem (adeòque ex collectione decem acceptionum venialium fit una acceptio mortalis) vel ob illam conjunctionem moralem decimus assis, ut conjunctus novem assibus præcedentibus, non constituit unam materiam gravem. Denique moralis illa conjunctio non consistit in expressa intentione quasi iteratò accipiendi retinendique novem asses præcedentes unà cum decimo, qui jam furripitur; nec in furreptione decimi assis cum reflexione ad novem asses antè furreptos eidem. Tum quia non est cur intentio illa, vel reflexio magis uniat asses, quàm eorum acceptiones. Tum quia expressa illa intentio nunquam vel rarò adest; quemadmodùm verò fur, qui per revelationem sciret se repetitis vicibus commissurum decem furtula, singula unius assis, non peccaret mortaliter primum furando; sic mortaliter non peccat, furando ultimum, cum reflexione ad anteriora furtula. 47

Respondeo id satis explicatum in responsione ad objectionem præcedentem: fur enim furripiens decimum assem cum advertentia ad novem non diù ante furreptos, non vult furari

rati decimum illum seorsim, sed conjunctim cum illis. Nec obstat ratio objecta in contrarium. 1°. quia non ideò negamus ex acceptione decimi assis & novem acceptionibus præcedentibus, collectivè sumptis, unum mortale furtum coalescere, quia ultima illa acceptio moraliter non conjungitur cum præcedentibus, prout earum materiæ conjunguntur; sed ob rationem num. 42. allatam. Moralis itaque conjunctio decimi assis cum novem præcedentibus consistit in eo quòd novem præcesserint, & adhuc sint, vel in se, vel in effectu suo, seu nocumento domini, illisque decimus assis advertenter superaddatur, post tempus non ita longum, quin dominus, moraliter loquendo, perinde damnificetur, ac si uno eodemque tempore physico cæteris superadditus fuisset.

48 Objicies 4°. vel ultimum furtulum consideratur in ratione acceptionis, vel in ratione detentionis. Atqui neutro modo est mortale peccatum. Non primo, cùm solùm sit acceptio materiæ levis. Nec secundo modo, quia nec sic esse potest mortale peccatum, nisi sub ultima acceptione materia hujus, & præcedentium sit moraliter una (cùm detentio supponat acceptionem.) Ergo vel in ratione acceptionis est mortale peccatum, vel tale non est in ratione detentionis.

Respondeo n. 40. & 41. nos ostendisse, ultimum furtum esse mortale in ratione injustæ acceptionis; utrumvis tamen dicatur, & utrovis modo furtum ultimi assis consideretur, periculum non est, ne ex multis venialibus unum mortale coalescat. Si enim ultima acceptio consideretur in ratione acceptionis, equidem ut facta cum advertentia unionis materiæ ipsius cum præcedentibus, nunquam est acceptio unius assis seorsim ab aliis voliti; adeòque nunquam est venialis, sed semper mortalis. Si autem consideretur in ratione detentionis, adhuc clariùs apparet, quomodò voluntas accipiendi ultimum assem, ut retineatur simul cum præcedentibus, sit voluntas retinendi materiam notabilem, adeòque ultimum furtum, ex tali voluntate imperatum, sit mortale peccatum.

CAPUT V.

Famuli & famulæ domesticæ non possunt heris occultè furripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod accipiunt.

49 HÆc est doctrina Ecclesiæ: utpote quæ contradictoriam propositionem per Decretum Innocentii XI. propositione 31. ad minus ut scandalosam & in praxi perniciosam condemnavit. Quam & Facultas Lovanienſis, ad instantiam Episcopi Gandavensis antè proscripserat anno 1657. Sicut & Facultas Parisiensis anno 1641. Cùmque eam additis quibusdam restrictionibus nonnulli tuerentur, *etiam additis restrictionibus falsa est, & periculosa* (inquit Facultas Parisiensis) *& domesticis furtis viam aperit. Eò vel potissimùm* (inquit Facultas Lovan.) *quòd ista compensatio ipsorummet famulorum vel famularum judicio relinquitur.* Et sic homines ad officium Judicis utplurimùm ineptos, in propria causa Judices constituit, in taxando scilicet laboris sui stipendio, & in materia quæ homines de se pronos ad malum, lucrique cupidos, in errorem sibi faventem facilè inducit. De eadem doctrina Archiepiscopus Senonensis 3. Septembris 1658. sic censuit: *Hæc doctrina, quibuslibet additis restrictionibus, perniciosa est, pacem familiarum, famulorum fidem labefactat, &c.* Eandem simili ferè censurâ notarunt Vicarii Generales Ecclesiæ Parisiensis 23. Augusti ejusdem anni. Sicut & Generalis Cleri Gallicani Conventus anni 1700.

Et meritò: quia famulorum operæ, sicut 50
res aliæ non uno pretio mensurantur, sed triplici, summo, medio, infimo. Sibi proinde imputare debent, quòd convenerint infimo, nec illud, propriâ authoritate, in summum possunt commutare.

Imò tametsi constaret, infra pretium infi- 51
mum factam esse conventionem, interest dominorum scire, quò usque famuli & famulæ salarium suum extendendum compensandumque velint, operasque ipsorum sub extensione illa acceptare, vel non acceptare. Neque enim illas acceptare tenentur, sed in ipsorum libertate est carere operâ famulorum, si non inveniant qui ad minus salarium sponte servire velint; licèt peccent, si illorum servitio indigentes, famulos & famulas conducunt salario quod ipsorum servitio improportionatum norunt. Quia mercedem operariorum pro parte defraudant.

Nec refert quòd famuli & famulæ in ta- 52
lem conventionem consentiant. Quia consensus ille necessitate potiùs extorquetur, quàm liberâ & spontaneâ voluntate præstetur.

CAPUT VI.

Occulta nihilominùs compensatio, servatis debitis conditionibus speculativè videtur licita, sed in praxi non facilè permittenda.

RAtio posterioris partis sumitur ex pro- 53
nitate magna hominis in malum, quâ plerùmque fit, ut, excæcato judicio, debitæ conditiones exactè non serventur.

Priorem partem tradunt Sylvester, Adria- 54
nus, Cajetanus, Navarrus, Medina, Lopez, & Doctores communiter, concurrentibus hisce conditionibus.

Prima, quòd res quæ accipitur, hîc & nunc accipienti debita sit ex justitia, non ex sola charitate, vel ex justitia quidem, sed hoc tempore non implenda. Totum namque fundamentum occultæ compensationis est justitiæ violatio, aliâ viâ irreparabilis. Si ergo justitia hîc & nunc non violetur, quia nondum urget, non est locus compensationi.

Secunda, ut debitum sit liquidum, cap. *bo-* 55
na fides de depositio. Et ratio est, quia in dubio, imò in casu incerto, bonæ fidei possessor

non debet re suâ spoliari : quia *bonæ fidei possessor sine plena & evidenti probatione removeri non debet.* § *retinendæ* Instit. de interdict. Non probamus ergo, imò prorsùs improbamus, quòd Spinula de elect. opin. disp. ult. sect. 7. & Sancius in select. disp. 33. & 43. licitam asserunt occultam compensationem, dum debitum solùm est probabile. Quod profectò nimis injustum est, quia si res non sit tibi certò debita, possessorem (cujus in pari causa melior est conditio) totaliter privas re, ad quam jus saltem probabile habet, sicut tu, & insuper habet possessionem. Et si Judex à Republica constitutus injustè profert sententiam certam in re incerta (*grave* enim *satis est*, ait Gregorius Papa Can. *gravè* 11. q. 3. *& indecens, ut in re dubia certa detur sententia*;) quantò magis homo privatus in causa propria se judicem constituens certam sententiam injustè profert, & exequitur, in re solùm probabili, adeòque incerta ?

56 Tertia conditio est, ut non plus accipias, quàm tibi certò debitum sit.

Quarta, ut non possis, sive in judicio, sive extra judicium, rem tibi certò debitam obtinere, nisi cum magna molestia, gravibus expensis, litibus, amicitiæ jactura, &c. Si enim solutionem obtinere possis, petendo à debitore, vel à Judice, peccas occultâ utendo compensatione, juxta Augustinum, S. Thomam, S. Antoninum, &c. Dicit enim Augustinus l. 22. contra Faust. c. 72. quòd licèt Ægyptii injustè detinerent mercedem Hebræis debitam *pro eorum tam duris & injustis laboribus.... quòd tamen si Moyses suâ sponte Ægyptios hoc titulo rebus suis privasset, aut hoc Hebræi suâ sponte fecissent, profectò peccassent.* Dicit etiam S. Thomas 2. 2. q. 66. a. 5. ad 3. quòd *qui furtum accipit rem suam, apud alium injustè detentam, peccat quidem, non quia gravet eum qui detinet (& ideò non tenetur ad restituendum aliquid, vel ad compensandum) sed peccat contra communem justitiam, dum ipsi sibi usurpat rei suæ judicium, juris ordine prætermisso : & ideò tenetur Deo satisfacere, & dare operam, ut scandalum proximorum, si inde exortum fuerit, sedetur.*

57 Verba denique S. Antonini p. 2. tit. 1. c. 15. §. 1. sunt ista : *Si ille à quo abstuliſti tantundem haberet de suo, & nolebat reddere, in tali casu non tenetur ad restitutionem : peccavit tamen talis graviter sic auferendo, si poterat in judicio rem suam recuperare,* Quia *non debebat sibi facere justitiam, sed Judex. Si autem in judicio non poterat rehabere suum, vel propter defectum probationis, vel propter tyrannidem, vel potentiam ipsius : tunc etiam nec accipiendo peccavit, nisi inde aliis scandalum pararetur.*

58 Quinta conditio est, ut absit violentia : utpote solùm licita authoritate publicâ, non privatâ, nisi adversùm invasorem. Excipit quidem Sylvius q. 66. a. 3. casum, quo Respublica foret adeò perturbata, ut nullus in judicio jus suum obtinere posset. Sed non placet exceptio. Tum quia ne tunc quidem violentiæ usus esse potest absque periculo scandali, perturbationisque populi. Tum quia non magis apparet cur tunc liceat tibi ipsi privatâ authoritate, per vim satisfacere pro debito, quàm pro accepta injuria, postquam aggressio desiit.

Propterea Sotus, Valentia, Lessius, & alii 59
fatentur violentam compensationem non esse licitam, dum res tua apud debitorem non extat in specie : secùs (inquiunt) dum extat. Sed cur licita non est, dum in specie non extat ? Quia (inquiunt) privatâ authoritate vim inferre non licet, nisi injusto invasori. Sed cùm ob existentiam rei tuæ in specie non magis sit invasor actu, quàm si in specie non existeret, sed in genere dumtaxat, vel ratio illa probat neutro casu licitam esse violentam compensationem, vel nihil probat. Neutro proinde casu licita est, dum debitor est pacificus possessor rei debitæ.

Sexta conditio est, ut non fiat cum debi- 60
toris damno longè majore quàm sit debitum. Quia æqualitas non permittit illationem damni longè majoris pro vitando minori.

Septima, ut caveatur periculum, ne debi- 61
tor, vel hæredes ipsius, occultæ compensationis ignari, peccent ex conscientia erronea, perseverando in affectu non solvendi ; caveatur quoque periculum, ne iterùm solvant. Ad quod cavendum monendi erunt à creditore, sibi satisfactum esse, seque remittere si satisfactum non sit. Ita S. Antoninus p. 2. tit. 1. c. 15. §. 1. Navarrus in Manuali c. 17.

Octava, ut fiat in re eadem specie ac nu- 62
mero cum ea quæ debetur, si fieri queat : quòd si nequeat, fieri potest in re quacumque, servatâ æqualitate. Layman tr. 3. p. 1. c. 1. n. 10.

Nona, ut non fiat accipiendo rem tertii, 63
extantem apud debitorem. Quia creditor nullum in eam habet jus, furtique reus esset, surripiendo eam invito domino.

Decima, ut etiam non fiat accipiendo rem 64
debitoris depositam apud se, vel apud unum tertium. Doctores communiter ex cap. *bona fides* de depositis L. *siquis vel pecunia*, & L. ult. Cod. de depositis.

Undecima, ut non fiat cum præjudicio 65
creditorum magis privilegiatorum, seu anteriorum, accipiendo rem debitoris non extantem apud te. Doctores communiter, aientes, non posse etiam fieri ex rebus ipsius, apud te extantibus, si sint diversæ rationis ab iis quæ tibi debentur, nec sint apud te loco pignoris. Tametsi plures apud Dianam p. 3. tr. 5. resol. 10. p. 5. tr. 13. resol. 49. & p. 7. tr. 10. resol. 18. distinguentes damnum à præjudicio, existiment fieri posse cum damno creditorum anteriorum, ex rebus tui debitoris, etiam diversæ rationis, apud te quocumque titulo extantibus : tum quia videtur nimis durum quòd creditor rebus alienis providere debeat cum

proprio damno, dimittendo quod manu tenet, cum jactura ejus quod sibi debetur. Tum quia consuetudo obtinuisse videtur, ut creditor tunc dicere possit: *Jam sum de meo credito securus; rem debitoris mei teneo, non redditurus, nisi debitum solvat.*

66 Verùm obstare videntur canones & leges de iis qui priores sunt in solutione debitorum. Dicunt quidem ipsi jura illa solùm procedere in foro judiciali, non in foro conscientiæ. Sed cur hoc potiùs dicunt de canonibus & legibus illis, quàm de canonibus ac legibus spectantibus ad præscriptionem? Jura illa in conscientia obligare docet S. Antoninus p. 2. tit. 2. c. 7.

CAPUT VII.

Furari nunquam, sive nullo unquam casu est licitum, quia intrinsecè malum: furripere autem alienum, permissum quidem est in extrema necessitate, quando aliter haberi non potest; sed illud extendere indefinitè ad necessitatem gravem, est dare ansam pauperibus ad passim furandum.

67 ITa verbotenus Facultas Lovanienſis in censura hujus propositionis: *Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Quæ est 36. ex damnatis ab Innocentio XI. Et 45. ex damnatis à Clero Gallicano anno 1700. de ea sic censente: *Hæc propositio, quatenùs furtum permittit in gravi necessitate, falsa est, temeraria, & Reipublicæ perniciosa.*

68 Enimverò constitutus in necessitate, non habet jus furripiendi alienum propriâ authoritate, nisi pro casu quo omnia sunt communia; quod ex communi Majorum traditione non contingit nisi in extrema necessitate. Unde S. Thomas 2. 2. q. 32. a. 7. ad 1. & q. 66. a. 7. ad. 2. nulli nisi extremæ necessitati tribuit vim efficiendi ut omnia sint communia. Et ibidem in corp. ad hoc ut liceat alienum furripere, necessitatem requirit talem, ut persona manifestè periclitetur; & non solùm status ipsius: *Si adeò sit evidens & urgens necessitas, ut manifestum sit instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subvenendum, puta cùm imminet personæ periculum, & aliter subveniri non potest, tunc licitè potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subvenire, sive manifestè, sive occultè sublatis.* Extra quem casum ibidem addit, quòd *quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri, committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum, ut ex eis subveniat necessitatem patientibus.*

69 Similiter S. Raymundus l. 2. cap. de furtis §. 10. *Si aliquis furatur cibum, vel potum, vel vestimentum, propter necessitatem famis, vel sitis, vel frigoris.... ita quòd nisi furetur, credit se non posse evadere mortem, non committit furtum, nec peccat.... quia in necessitate* tali *omnia debent esse communia.* Ita etiam Durandus, Major, Adrianus, & Doctores passim omnes.

70 Extra necessitatem verò extremam, cùm cuique commissa sit rerum suarum dispositio, arbitrioque ipsius relicta determinatio pauperum, quibus velit dare; ex multis necessitatem gravem patientibus non tenetur determinatè dare tibi, sed tibi vel alteri. Si non teneatur dare tibi, tu ergo non potes accipere.

71 Nec dicas 1°. quemlibet habere jus à se propulsandi necessitatem, etiam gravem. Quia extra necessitatem extremam jus non habet necessitatem suam propulsandi, alienum propriâ authoritate furripiendo; sed eleëmosynam petendo, vel Ecclesiastici Judicis officium implorando, ut divites compellat ad largiendum. Nam, ut notat Navarrus de redditib. eccles. q. 6. n. 6. naturali æquitate, vel solâ charitate obligatus ad aliquid faciendum, Judicis officio compelli potest.

72 Nec dicas 2°. in gravi necessitate divites non esse rationabiliter invitos, cùm teneantur dare, juxta illud Ambrosii: *Esurientium est panis, quem detines.* Quia ubi plures sunt necessitatem gravem patientes, divites non tenentur determinatè dare tibi, uti dixi n. 70. &, ut tenerentur, saltem non ex justitia, sed ex sola charitate, cujus obligatio non tribuit tibi jus alienum propriâ authoritate furripiendi. Neque enim licitum est furripere quodcumque ex charitate debitum. Unde S. Raymundus ubi suprà: *Si autem non patitur necessitatem ita magnam* (id est extremam) *peccat furripiendo: attenuatur tamen peccatum propter necessitatem; & in tali casu intelligitur Decretalis extr. de furtis: siquis propter necessitatem famis, aut nuditatis fuerit cibaria furatus, vel vestem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres.*

73 Non ergo in quacumque, etiam gravi necessitate, omnia sunt communia. In qua igitur? Respondet S. Thomas q. 32. a. 7. ad 3. *In casu extremæ necessitatis omnia sunt communia. Unde licet ei qui talem necessitatem patitur, accipere de alieno ad sustentationem, si non inveniat qui sibi dare velit.* Rationem dat q. 66. a. 7. quia *secundùm naturalem ordinem, ex divina providentia institutum, res inferiores ad hoc ordinantur, ut ex his subveniatur hominum necessitati, atque ut homines possint iis vitam suam servare.* Hoc ergo jus à naturali institutione competit hominibus; nec sublatum est per rerum divisionem; quæ cùm solo jure gentium introducta fuerit, jus illud naturale auferre non potuit: facta proinde fuit salvo illo jure servandi ex iis vitam suam, extrema in necessitate, dummodò proximus, à quo res aufertur, in pari non sit necessitate, in qua sine dubio foret rationabiliter invitus.

PARS VIII.

Amor in sermone verus, & justus.

Ad octavum præceptum : Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.

AMabilis Dei providentia non solùm ordinavit affectus & actiones hominum, ut inter sese rectè & pacatè vivant ; sed ordinavit & verba, nequis verbo proximum læderet ; ideòque præcepit in sermone veritatem, sinceritatem, justitiam ; prohibuit non falsum dumtaxat testimonium, sed & quamcumque simulationem, fallaciam, mendacium, adulationem, detractionem, contumeliam, suspiciones, & judicia temeraria. *Charitas* enim *benigna est .... non cogitat malum .... congaudet autem veritati.* 1. Cor. 13. Charitas, sicut *quæ desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ & fructibus bonis ; non judicans, sine simulatione*, germana soror justitiæ ac veritatis. Unde Ephes. 4. Apostolus monet : *Veritatem facientes, in charitate crescamus in illo per omnia. Omnia peccata duæ res faciunt in homine* (ait Augustinus in Psal. 49. *cupiditas & timor.* Utrumque charitas excludit. *Corrumpere te vult aliquis, ut dicas v. g. falsum testimonium. Adtendisti in Deum, & dixisti in animo tuo*, „ quid prodest homini, si totum „ mundum lucretur, animæ autem suæ detrimen- „ tum patiatur ? „ *Non adducor præmio, ut perdam animam meam pro lucro pecuniæ. Convertit ille se ad incutiendum metum : qui præmio corrumpere non valuit, incipit minari damnum, expulsionem, cædes fortassis & mortem.* Memineris scriptum esse : *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non valent occidere. Anima tua non morietur, nisi eam volueris occidere. Perimat aliena iniquitas carnem tuam, dum servet veritas animam tuam. Si autem à veritate resilieris, quid tibi amplius facturus est inimicus, quàm tu tibi ipse facis ? Inimicus sæviens carnem potest occidere ; tu autem dicendo falsum testimonium, animam occidis. Audi Scripturam :* „ Os quod mentitur, occidit ani- „ mam. „ Cùm homini in christiana Religione rectè instituto, & secundùm Dei legem viventi, *sit semper persuasum, Deum esse ubique* (ait Clemens Alexandrinus l. 7. Stromat.) *& erubescat non verum dicere, & falsum dicere cognoscat se esse indignum .... ideò non mentitur .... neque unquam veritatem sibi cognitam negat, ne falsum dicat ; etiamsi moriatur in tormentis .... Is est ejusmodi, ut à timore non redigatur in servitutem ; verus in sermone, tolerans in labore, nec in ea quæ profertur oratione volens unquam mentiri, & in ea se semper ita gerens, ut non peccet ; quandoquidem ipsum mendacium, ut quod cum aliquo dolo dictum sit, non est sermo otiosus, sed exercetur ad vitium .... Undique ergo veritati testimonium fert is solus qui est cognitione præditus, & factis, & oratione. Semper enim in omnibus se rectè gerit, & in sermone, & in actione, & in ipsa cogitatione. Hæc est Christiani pietas & religio.*

CAPUT I.

Falsum testimonium est peccatum mortale gravissimum

OB injuriam magnam quam Deo irrogat, 1
cooperando ad perversionem judicii à Deo instituti, ipsumque mendacii gravissimi testem appellando cum perjurio ; justitiam denique & charitatem proximo debitam violando. *Falsidicus* quippe *testis, tribus personis est obnoxius* (ait Isidorus l. 3. de summo bono c. 59.) *primùm Deo, cujus personam contemnit. Deinde Judici, quem mentiendo fallit. Postremò innocenti, quem falso testimonio ladit.* Unde Proverb. 6. *Sex sunt, quæ odit Dominus.... proferentem mendacia, testem fallacem.* Cap. 21. *Testis mendax peribit.* Et c. 28. *Testis iniquus deridet judicium, & os impiorum devorat iniquitatem.*

Propterea Concilium Arelatense I. can. 14. 2
De iis (inquit) *qui falsò accusant fratres suos, placuit eos usque ad exitum non communicare.* Quod & repetit Concilium Arelat. II. can. 25. & refertur can. *eos* 3. q. 10. Secundùm Edictum verò Francisci I. editum anno 1531. falsi testes capitali supplicio plectuntur.

Paris criminis rei sunt, pari proinde pœnâ ; 3
puniuntur, qui falsa Instrumenta conficiunt, aut vera adulterant, iisque ad pervertendum judicium utuntur. Et si vi falsorum Instrumentorum causam vicerint, tenentur ad omnia damna parti resarcienda, cap. *super eo* de crimine falsi. Eadem ratio est Litigatorum, Procuratorum, Advocatorum, & aliorum, qui adversæ parti subtrahunt, vel supprimunt aut abscondunt Instrumenta ipsi profutura, cap. *pervenit* de cogend. test.. *Quod qui fecerit* (ait ibi Glossa) *tenetur ad interesse*, 12. q. 2. can. *si quis* de Cleticis.

Porrò falsi testimonii reus est, qui coram 4
Judice pro certo testificatur id quod certò non novit, sed probabiliter dumtaxat, vel ex aliorum relatu. Quia exponit se periculo illius, adeòque appellandi Deum in testem falsi, justitiamque & charitatem violandi. Quapropter S. Thomas q. 70. a. 4. ad 1. *In testimonio* (inquit) *ferendo, non debet homo pro certo asserere, quasi sciens, id de quo certus non est ; sed dubium debet sub dubio proferre, & id de quo certus est, pro certo asserere.*

Quotiescumque verò propter falsum testi- 5

monium periclitatur quis de capite, falsus testis debet, etiam sub proprii capitis periculo, illud retractare, quamdiù spes affulget, quòd per hoc possit innocenti prodesse. Quia unusquisque tenetur damnum, iniquè à se alteri paratum, ab eo avertere, cum pari suo damno. Nec potest vitæ suæ conservationem præponere conservationi vitæ alterius, nisi in pari causa innocentiæ.

CAPUT II.

Mendacium omne est intrinsecè malum, nullo-que omninò casu licitum.

6 MEndacium definiri solet *locutio contra mentem :* sed quia aliis etiam signis, quàm verbis, potest quispiam mentiri, generaliùs definiri potest, *internorum per externa significatio contra mentem*, sive contra id quod interiùs est in mente. Quia, ut Augustinus ait l. de mendacio c. 3. *ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel aliis quibuslibet significationibus enuntiat. Unde etiam dicitur duplex cor esse mentientis, id est duplex cogitatio; una ejus rei, quam veram esse scit, vel putat, & non profert. Altera ejus rei, quam pro ista profert, sciens esse falsam, vel putans. Ex quo fit, ut possit falsum dicere non mentiens, si putat ita esse ut dicit, quamvis non ita sit; & possit verum dicere mentiens, si putat falsum esse quod enuntiat, quamvis revera ita sit. Ex animi enim sui sententia, non ex ipsarum rerum veritate & falsitate, mentiens aut non mentiens judicandus est.*

Hinc mendacium non tam opponitur veritati rerum, quàm veracitati, quæ est virtus inclinans ad rectum usum signorum, quibus manifestamus mentem nostram, ut scilicet in signis illis semper sit veritas saltem existimata, id est conformitas cum eo quod mente existimamus ita esse. Videri potest S. Thomas q. 109. ubi docet veracitatem esse virtutem pertinentem ad justitiam, quia est virtus ad alterum, ponens quamdam æqualitatem seu conformitatem eorum quæ alteri significantur, cum iis quæ habentur in mente, æqualitatemque illam considerans velut alteri moraliter saltem debitam debito fundato in ipsa natura hominis, in quantum animal sociale est. Societas quippe hominum consistere non potest, nisi homines sibi invicem credant dum suam sibi mentem mutuò manifestant; non crederent autem, nisi alter alterum crederet veracem, ut S. Doctor ait q. 110. a. 3. ad 1.

8 Porrò officium veracitatis est 1°. intùs amare veritatem in dictis & factis. 2°. ex illo amore sollicitè cavere ne quid dicatur aut significetur contra mentem. 3°. rei veritatem diligenter inquirere. 4°. cavere, ne per ignorantiam, passionem, aut præcipitationem aliquid dicatur vel fiat in præjudicium veritatis. 5°. aliis fideliter manifestare animi sui sensum, dum id ratio & circumstantiæ postulant. 6°. promissa fideliter adimplere.

9 Atque ex his innotescit malitia seu inordinatio mendacii, sive omne mendacium esse intrinsecè malum, & nullo casu licitum. Quia, ut S. Thomas q. 110. a. 7. ait : *illud quod est secundum se malum ex genere, nullo modo potest esse bonum & licitum : quia ad hoc quòd aliquid sit bonum, requiritur quòd omnia rectè concurrant (bonum enim ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus, ut D. Dionysius dicit 4. cap. de divin. nomin.) mendacium autem est malum ex genere : est enim actus cadens super indebitam materiam. Cùm enim voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est & indebitum, quòd aliquis voce significet id quod non habet in mente. Unde Philosophus dicit in 4. Ethic. quòd mendacium est per se peccatum, & fugiendum; verum autem est bonum & laudabile. Unde omne mendacium est peccatum, sicut etiam Augustinus asserit in lib. contra mendacium, sicut & in lib. de mendacio, & Enchirid. c. 22. ubi sic : Omne mendacium ideò dicendum est esse peccatum, quia homo non solùm quando scit ipse quòd verum sit, sed etiam siquando errat & fallitur sicut homo, hoc debet loqui quod animo gerit, sive illud verum sit, sive putetur & non sit. Omnis autem qui mentitur, contra id quod animo suo sentit loquitur, voluntate fallendi. Et utique verba propterea sunt instituta, non per quæ se homines invicem fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Nec ideò ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim & furando, si pauper, cui palàm datur, sentit commodum, & dives, cui clàm tollitur, non sentit incommodum..... Possumus & adulterando, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura, &, si vixerit, pœnitendo purganda. Nec ideò peccatum negabitur tale adulterium*, nec furtum.

Et rursus ibidem : *Non ideò mendacium po-* 10
terit aliquando laudari, quia nonnunquam pro salute quorumdam mentimur. Peccatum ergo est, sed veniale, quod benevolentia excusat, & fallacia damnat. Et in l. contra mendacium c. 18. docet, nec pro vita sua, vel alterius, servanda licitum esse mentiri. Quod & Alexander III. definivit cap. *super eo* de usuris, dicens, quòd *Scriptura sacra prohibet pro alterius vita mentiri.* Imò nec pro æterna alicujus salute procuranda id licitum esse, Augustinus ibidem docet cap. 20. Ad detegendos verò hæreticos se hæreticum mentiri, vel simulare, grave peccatum esse, pluribus ostendit ibidem cap. 6. & 7. est enim fidem Catholicam, ipsum proinde Christum, ore negare. Unde cùm Priscilianistæ modis omnibus hæresim suam occultarent; ideòque quibusdam Catholicis videretur sibi licitum, se Priscilianistas simulare, ad arcana ipsorum detegenda, S. Augustinus id prorsus illicitum esse ibi demonstrat : non enim fallaciâ & dolo, sed veritate sunt cavenda, veritate detegenda, veritate convincenda mendacia &

rores. Ad quod utinam attendissent Duacenæ fallaciæ artifices !

11 Præter rationem n. 9. allatam, hâc insuper ratione Augustinus c. 15. probat mendacium omne esse peccatum, quia est contra legem æternam. *Dictum est enim Deo, lex tua veritas. Quod autem est contra legem Dei, justum esse non potest, & per consequens nec illud quod est contra veritatem. Quis autem dubitet contra veritatem esse omne mendacium ? Nullum ergo potest esse justum mendacium. Item, cui non clareat ex veritate esse omne quod justum est? Clamat autem Joannes 1. epist. c. 2.* „ Omne „ mendacium non est ex veritate. „ *Omne ergo mendacium non est justum. Non est ergo verum, aliquando esse mentiendum.*

12 Deinde cap. 18. id probat ex duplici absurdo, quod sequeretur, si liceret ex causa mentiri. Primum est, *quia si concesserimus pro aliqua causa, ut pro salute corporali alicujus, esse mentiendum, ita paulatim minutatimque succrescit hoc malum, & brevibus accessibus ad tantum acervum mendaciorum sceleratorum sensim subintrando perducitur, ut nunquam possit penitùs inveniri, ubi tantæ pesti per minima additamenta ad immensum convalescenti, possit obsisti.* Secundum est, quòd siquando licitum esse posset mendacium, ob bonam causam, idem pari ratione dici posset de furto & adulterio, ut suprà n. 9. Augustinus ostendit.

13 Christi ergo fideles à Concionatoribus & Confessariis plurimùm deterrendi sunt à mendaciis. 1°. quia plurimùm displicent Deo, qui est Veritas æterna: scriptum est enim Prov. 12. *Abominatio est Domino labia mendacia.* 2°. propter inconvenientia magna, ex mendaciis consectaria; per ea namque destruitur humana societas & conversatio, dum destruitur humana fides, quam alter alteri debet. Eâ verò destructâ oriuntur altercationes multæ, suspiciones, & alia mala multa. 3°. propter infamiam, quam patiuntur mendaces : Nam, ut scriptum est Eccli. 20. *opprobrium nequam in homine mendacium.... Potior fur, quàm assiduitas viri mendacis. Perditionem autem ambo hæreditabunt. Mores hominum mendacium sine honore: & confusio eorum cum ipsis sine intermissione.* 4°. propter difficultatem magnam liberandi se à prava mentiendi consuetudine, in quam facilè dilabuntur, qui mendacia parvi faciunt. Et ideò Catechismus Romanus hîc dicit, *quòd ferè insanabilis est is animi morbus.* 5°. propter bona quibus privat mentiendi consuetudo. Valdè enim amabilis est Deo & hominibus veracitas, in tantum, ut à Spiritu sancto inter prædestinationis signa Ps. 14. reponatur : ibi namque Psalmistâ interrogante: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Spiritus sanctus respondet : *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.*

14 Propterea etiam fideles deterrendi sunt à simulatione, per quam aliud factis significatur, quàm in mente habeatur : quia, ut S. Thomas ait q. 111. a. 1. *sicut veritati opponitur, quòd aliquis per verba exteriora aliud significet quàm habet apud se (quod ad mendacium pertinet) ita etiam opponitur veritati, quòd aliquis per aliqua signa factorum, vel rerum, aliquid significaret contrarium ejus quod in eo est; quod propriè simulatio dicitur*, estque verum mendacium, ut constat ex dictis n. 6. Deterrendi quoque sunt à restrictionibus mentalibus, quas etiam vera esse mendacia constat ex dictis ad secundum præceptum.

Quid ergo (inquies) ad exempla quæ pro- 15
feruntur ex Scriptura ? Quæstio namque de mendacio facilè solvitur, si sola præcepta intueamur (inquit Augustinus q. 68. super Levit.) *Nam quid isto præcepto absolutius, non mentiemini? Sed exempla faciunt difficultatem. Mentitæ sunt obstetrices Ægyptiæ, & bona illis Deus retribuit. Mentita est Raab pro exploratoribus terræ, & ideò liberata est.* Sed & Sara Angelis mentita est Genes. 18. Jacob Patriarcha patri mentitus videtur Genes. 27. David 1. Reg. 20. & 21. Elisæus 4. Reg. 6. Angelus Tob. 5. Judith 5. Michæas c. 2. Quid ad hæc Augustinus?

Respondet 1°. peccasse mulieres illas, nec ideò à Deo remunerationem accepisse, quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Peccavit etiam Sara, peccavit & Judith mentiendo, & *quando ista in Scripturis sanctis legimus, non ideò quia facta credimus, etiam facienda vel dicenda credere debemus* (inquit l. de mendac. c. 5.) *ne violemus præcepta, dum passim sequimur exempla.* Constat enim, *quòd non omnia quæ à sanctis vel justis viris legimus facta, transferre debeamus in mores.* Scripturæ, inquit, c. 14. *habent conscripta mala & bona, illa vitanda, ista sectanda.*

Respondet 2°. Jacob Genes. 27. Joseph Ge- 16
nes. 37. Davidis simulantis insaniam 1. Reg. 21. &c. *mendacia judicanda non esse, sed locutiones actionesque propheticas, ad ea quæ vera sunt intelligenda referendas.* Constat enim Jacob benedictionem quidem fratri præripuisse, sed hanc præreptionem à Deo prædictam, Spiritu Dei gestam, ab Isaac divinitùs illustrato approbatam, & ab Apostolo velut rei maximæ mysterium explicatam fuisse. Verisimile proinde est Jacob divinitùs etiam intellexisse, quid à se figuratè diceretur, & ageretur, & hoc significare voluisse ; se utique hædinas pelles induendo, figuram esse Christi, qui aliena peccata portavit; dicendo verò : *Ego sum primogenitus tuus Esaü*, figuram esse populi Gentilis, qui substituendus erat in locum populi Judaïci, sicut communis veterum Patrum sensus agnoscit. Hoc proinde sine mendacio gessit ac dixit : quia sicut in quibuslibet metaphoris & parabolis; ita & in figuratè dictis & factis figura ipsa non consideratur, sed id quod per eam figuratur.

Nullum itaque mendacii genus est licitum, 17
neque perniciosum, neque officiosum, neque jocosum : mendacium quippe in tria illa genera,

nera, seu species dividitur à S. Thoma q. 110. a. 1. & S. Bonaventura in 3. dist. 28. a. 1. q. 5. in corp. Mendacium *perniciosum* est quo proximus læditur in bonis fortunæ, famæ, vel vitæ. *Jocosum*, quod ad jocum seu recreationem profertur. *Officiosum*, quod profertur ob utilitatem proximi. De duobus postremis Augustinus in Psal. 5. ad illa verba, *perdes omnes qui loquuntur mendacium*, dicit, quòd *in illis non est magna culpa, sed tamen non sunt sine culpa, cùm aut jocamur, aut ut proximis prosimus, mentimur.* Qua in re erraverunt Origenes, Cassianus, & quidam alii Patres, aientes esse licitum uti mendacio officioso velut helleboro, propter magnum bonum consequendum. Quod ab Augustino lib. contra mendacium est improbatum, & ab Ecclesia definitum. *Perniciosum* ex suo genere mortale est: *cùm nocere proximo* ex suo genere *sit mortale*, inquit S. Thomas a. 4. Ad pernicioſum reducitur mendacium circa res divinas, dum earum veritatem mendacio quis occultat, vel corrumpit. Quod *non solùm opponitur virtuti veritatis, sed etiam virtuti fidei, & religioni* (ait S. Thomas ibidem) *& ideò hoc mendacium est gravissimum, & mortale*, illudque Augustinus l. de mendacio c. 14. vocat *capitale mendacium, longèque fugiendum.*

CAPUT III.

Natura & malitia detractionis & contumeliæ.

18 UT sciamus quid sit detractio, quid contumelia, præmittere oportet differentiam inter famam & honorem. Fama ex D. Thoma q. 73. a. 1. & 2. est *bona existimatio quæ à pluribus habetur de aliquo.* Honor, prout distinguitur à fama præcisè, ex eodem q. 108. a. 1. ad 2. est *exterior testificatio excellentiæ alterius, sive per verba*, sive per facta, v. g. per reverentiam ipsi exhibitam. Prout verò distinguitur à laude, est exterior testificatio excellentiæ ipsius per facta, sive per reverentiam opere externo ipsi exhibitam. Laus enim *exterior est testificatio, seu deprædicatio excellentiæ alterius per verba.* Gloria est *fama cum laude*, sive, ut alii, *clara cum laude notitia.*

19 Fama injuriosè læditur per judicium temerarium (de quo infrà) sicut & per detractionem & infamationem: honor verò per contumeliam, convicium & improperium.

20 *Detractio* itaque est *injusta diffamatio occulta*, sive injusta denigratio famæ *alicujus personæ absentis. Infamatio* est injusta *alienæ famæ denigratio*, sive publica, sive occulta.

21 *Contumelia est injusta dehonoratio personæ præsentis.* Dicitur 1°. *dehonoratio*, id est positiva honoris violatio: quia omissio debiti honoris præcisè non est contumelia.

22 Dicitur 2°. *personæ præsentis*, quia juxta S. Thomam, communiter receptum, contumelia differt à detractione, sicut rapina à furto, quòd scilicet detractio fiat in occulto, absente & ignorante personâ cui detrahitur; contumelia in publico, sive præsente & sciente dehonorato, saltem attentâ intentione dehonorantis, volentis quòd sua dehonoratio deveniat in notitiam dehonorati. Unde S. Thomas q. 72. a. 1. in corp. dicit, *propriè pertinere ad contumeliam, quòd contumeliosus, id quod est contra honorem alicujus, deducat in notitiam ejus, & aliorum.*

Nec refert quòd plerique contumelias ja- 23
ciant in absentes & nescientes. Quia actus morales ex agentium intentione dijudicantur. Contumelioſus autem semper intendit in notitiam dehonorati deducere id quod est contra honorem ipsius. Tripliciter namque contingit ipsum contumeliis affici. Primò ipso vidente, vel audiente, & sic velut in faciem ipsius. Secundò per litteras, aut libellos famosos, ut ad ipsum perveniant. Tertiò per verba, vel signa facta personæ in se absenti, sed præsenti in aliquo sui, v. g. in sua imagine, vel statua; vel absenti physicè, sed moraliter præsenti in intentione contumeliam proferentis, sive ad hoc aliqua ipsius inhonorativa dicentis, vel facientis, ut ad ipsius notitiam perveniant.

Contumelia itaque *propriè in verbis consistit* 24
(ait S. Thomas loco citato) *tamen quia etiam per facta aliqua significatur aliquid, quæ, in hoc quod significant, habent vim verborum significantium, inde est quòd contumelia extenso nomine etiam in factis dicitur. Unde Rom. 1. super illud*, " contumelioſos, " *dicit Glossa*: " Contumelioſi sunt, qui dictis vel factis con- "
" tumelias & turpia inferunt. "

Ad contumeliam reducitur convicium & 25
improperium; quæ consistunt in verbis, sicut & contumelia (ait S. Doctor ibidem ad 3.) *quia per hæc omnia repræsentatur aliquis defectus alicujus, in detrimentum honoris ipsius.* Per contumeliam repræsentatur defectus culpæ; per convicium repræsentatur defectus, sive culpæ, sive pœnæ, vel naturæ; per improperium defectus minorationis, vel indigentiæ. Qui ergo proximum vocat v. g. cæcum, vel gibbosum, convicium dicit, non contumeliam; qui futem, convicium dicit & contumeliam; tunc autem dicit improperium, dum ipsi injuriosè objicit auxilium vel beneficium ipsi collatum, vel inferioritatem in gradu, aut dignitate, &c.

Porrò detractio & contumelia, peccata sunt 26
ex suo genere mortalia, furto graviora: utpote justitiæ gravius adversantia, in quantum violant bonum divitiis præstantius, honorem scilicet, & famam. Honorem quippe divitiis præstare Philosophus 4. Ethic. 3. docet, aiens, honorem esse maximum inter bona externa. De fama idem testatur mortalium sapientissimus Prov. 27. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Quibus conformiter S. Thomas a. 3. *Inter exteriora bona* (inquit) *fama præeminet divitiis; eò quòd propinquior est spiritualibus bonis.* Unde Eccle. 20. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui oc-*

cultè detrahit. 1. Joan. 3. *Omnis qui detrahit fratri suo, homicida est* (sic refertur can. *summa* proximè referendo) quia scilicet ipsum privat vitâ civili. Proverb. 24. *Abominatio hominum, detractor.* Ibidem c. 21. *Cum detractoribus ne misceris, quoniam repentè consurget perditio eorum.* Psal. 100. *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* Rom. 1. *detractores* dicuntur *Deo odibiles.* Jacob. 4. *Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem.* Can. *summa* 16. q. 1. *Summa iniquitas est, fratres detrahere & accusare. Unde scriptum est:* „ Omnis qui detrahit fratri suo, homicida est (pro „ quanto scilicet fratrem tuum, quantum in se „ est, privat vitâ civili) & omnis homicida non „ habet partem in regno Dei. „ Propterea etiam Chrysostomus homil. 3. ad pop. Antioch. *Eliminemus omnem ex ore nostro detractionem, scientes, quòd etsi cinerem comedamus, nulla nobis asperæ vitæ hujus utilitas proderit, nisi detractione abstineamus.* Detractionem homicidii malitiæ & crudelitati proximam esse declarat canon proximè relatus. Declarat & Tertullianus lib. de idololatria c. 2. quia *homicidium non in sola sanguinis profusione, & animæ ereptione est reputandum. Homicidium enim in verbo maledicti & convicii judicat Deus.* Et Optatus Milevitanus aiens de Donatistis, qui sacerdotii honore seu gradu Sacerdotes in Ecclesia Catholica ordinatos movebant: *Vos vivum feciſtis homicidium.... ad infigendum morsum honoribus alienis, dentes vestros in sagittas & arma vertistis; linguas aculistis in gladios, quas movistis in mortes, non corporum, sed honorum,* vel famæ. *Jugulastis, non membra, sed nomina.... Necis multa sunt genera, sed unum nomen est mortis.... Quid interest an gladio feriás, an linguâ percutias? Indubitanter homicida es, si per te mortuus fuerit, qui vivebat...., fundendo sanguinem, non corporis, sed* famæ, vel *honoris?* Et S. Anselmus cap. 147. similitud. ex S. Clemente tria esse dicit homicidii genera, scilicet interfectionem, odium, detractionem. Et S. Bernardus serm. 24. in Cant. *Omnis qui detrahit, primùm quidem seipsum prodit vacuum charitate. Deinde... ferit charitatem in omnibus qui se audiunt, lingua maledica; & quantùm in se est, necat funditùs & extinguit. Non solùm autem, sed & in absentibus universis, ad quos volans verbum fortè per eos qui præsentes sunt, pervenire contigerit. Vides quam facilè, & in brevi, ingentem multitudinem animarum, velociter currens sermo tabe malitiæ hujus inficere possit? Propterea de talibus dicit propheticus Spiritus:* „ Quorum os maledictione, & amaritudine plenum „ est, veloces pedes eorum ad effundendum „ sanguinem. „ *Utique tam veloces, quàm velociter currit sermo. Unus est qui loquitur, & unum tantùm verbum proferi; & tamen illud unum verbum, uno in momento, multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit.*

Si quæras utrà gravius sit peccatum, detractio, an contumelia? 27

Respondeo cum distinctione; quia ut S. Thomas observat q. 73. a. 1. detractio differt à contumelia dupliciter, objecto scilicet, & modo. Objecto, quia contumeliosus derogat honori; detractor famæ. Modo, quia contumeliosus manifestè derogat, detractor occultè. Si ergo detractio & contumelia spectentur quoad objectum cuique proprium, detractio est peccatum gravius contumeliâ; utpote violatio boni præstantioris: fama namque per detractionem violata, præstantior est violato per contumeliam honore: utpote consistente in externa testificatione; fama verò in interna existimatione consistit. Actus verò interni externis præstantiores sunt.

Nec verum est quod Lessius opponit, honorem includere famam: cùm frequenter honorentur peccatores, de quibus siniſtra est opinio; econtrà justi honore careant, qui tamen famam bonam habent. 28

Si verò contumelia & detractio spectentur quoad modum, *gravius peccatum est contumelia, quàm detractio* (inquit S. Doctor ad 2.) *in quantum habet majorem contemptum proximi: sicut & rapina peccatum gravius est, quàm furtum.* 29

Cæterùm contumelia quâ quispiam alteri objicit aliquod crimen coram aliis, regulariter est peccatum gravius simplici detractione: quia non solùm lædit honorem, sed & famam, majori cum proximi contemptu. 30

CAPUT IV.

Varii modi detractionis.

Octo recensentur versibus sequentibus comprehensi, quorum prior continet quatuor modos ipsum diffamandi directè, ipsi causando malam famam; posterior quatuor alios complectitur modos ipsum diffamandi indirectè, diminuendo famam bonam ipsius. 31

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens:
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatvè remissè.

Primò itaque proximus diffamatur, ipsique detrahitur, falsum ipsi crimen imponendo. Et ista detractionis species pessima est, præsertim si scienter id fiat. Arguit enim nequitiam valdè magnam in detractore, infertque innocenti proximo injuriam longè majorem, quàm dum crimen verum revelatur. Nec excusatur prætextu magnorum bonorum inde resultantium. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona. Meritò proinde ingemiscunt pii, quòd vitium istud tam commune sit apud homines certi Instituti sub prætextu promovendi ipsius bonum, seu honorem & gloriam. 32

Secundò proximus injustè diffamatur, augendo malum, quod fecit proximus: participat enim malitiam prioris modi, quatenùs imponi 33

imponit augmentum falsum.

34 Tertiò injustè diffamatur, occultum crimen ipsius sine necessitate & causa justa revelando. Quartò, id quod de se est bonum, seu non malum, malâ intentione factum criminando. Quintò & sextò, bonum proximi negando, vel minuendo. Septimò, illud reticendo in circumstantiis, in quibus reticentia significare censetur, quòd proximus tantam non mereatur laudem, vel æstimationem, quanta de ipso habetur. Octavò, frigidè laudando; quod frequenter faciunt invidi, seu alii, qui ingeniosè detrahere volentes, dum negare non possunt bona quæ proximus habet, & propter quæ in bona est æstimatione, illa quidem, vel ex illis aliqua fatentur, sed tam frigidè, ut satis insinuent, se non judicare proximum mereri tam bonam quæ de ipso habetur æstimationem.

35 Non est tamen detractio, si justa sit ratio non concurrendi ad laudes quæ immeritis dantur, qualis ratio est, dum fama, quam ultra meritum habet persona laudata, nociva est proximo. Et quamvis alia non esset ratio, quàm quòd mentiri non liceat, ratio ista haud dubiè sufficit, ut non teneamur, nec possimus explicitè vel implicitè dicere, proximum revera mereri laudes quæ ei deferuntur, si revera non mereatur.

CAPUT V.

Varii modi quibus augetur gravitas detractionis.

36 PRimus: detractio eò gravior est, quò fama magis denigratur, vel ex parte criminis majoris, quod imponitur, vel ex parte majoris divulgationis, proportionaliter ad majorem numerum eorum, qui præsentes sunt detractioni, vel ad majorem garrulitatem eorum, ob quam fieri natum est, quòd apud alios magis & magis divulgabitur.

37 Secundus: detractio eò gravior est, quò magis libera, cumque majori sit advertentia & reflexione.

Tertius: eò est gravior, quò magis injusta. Propterea enim cæteris paribus longè gravius peccat, qui falsum crimen imponit, quàm qui verum revelat.

38 Quartus: detractio eò est gravior, quò magis persuasiva. Unde detrahendo, gravius peccat vir, qui multùm æstimatur, vel qui probus & sincerus creditur, quàm alius. Ob eandem rationem gravior est detractio hypocritica, qualis exempli gratiâ est illa, quâ detractor dolenter se referre dicit, quod refert. De ea S. Bernardus serm. 24. in Cant. ita scribit. *Sunt species pestis hujus, dum alii quidem nudè atque irreverenter, uti in buccam venerit, virus evomunt detractionis; alii autem quodam simulato verecundiæ fuco, conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum gravitate & tarditate, vultu mœsto, dimissis superciliis, & voce plangente egredi maledictionem, & quidem tanto perswasibiliorem, quantò creditur, ab his qui audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo, quòd diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius, mihi quidem, ait, benè compertum de illo istud; sed per me nunquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum, dolens dico, reverà ita est. Et addit: grande damnum. Nam aliàs quidem in pluribus valet: cæterùm in hac parte, ut verum fateamur, excusari minimè potest.*

Ob eandem quoque rationem gravior ex 39
isto capite est detractio, dum detrahens dicit, crimen quidem illud se audivisse, nolle tamen se asseverare ab ipso esse commissum. De quo detractionis modo Dominicus Soto l. 5. q. 5. a. 3. sic habet: *Modus iste infamandi est tantò perniciosior, quantò usitatior, & minoris æstimationis: nempe dum quis quæ audivit refert. Audisti scilicet vicinam tuam amicum acceptare. Id autem, ut ingenium est hominum, statim in aures vicinæ hisce verbis insusurras: hoc aut illud audivi. Ego quidem non credo, sed audita refero. Est profectò ingeniosus, sed pestilens detrahendi modus. Nam quò tu teipsum sanctiùs justificas, majorem tibi arrogas fidem. Et..... sic fama crescit eundo.*

Quintus modus: eò detractio est gravior, 40
quò finis ipsius est magis perversus. Ideòque multò gravius peccat revelans crimen ex odio, vel invidia, quàm ex garrulitate. Quia ut S. Thomas ait q. 73. a. 2. *peccata verborum maximè sunt ex intentione dicentis dijudicanda. Detractio autem, secundùm suam rationem, ordinatur ad denigrandam famam alicujus. Unde ille per se loquendo detrahit, qui ad hoc de aliquo obloquitur, eo absente, ut famam denigret. Auferre autem alicui famam, valdè grave est. Quia inter res temporales videtur fama esse pretiosior, per cujus defectum impeditur homo à multis benè agendis.... Contingit tamen quandoque, quòd aliquis dicit verba aliqua, per quæ diminuitur fama alicujus, non hoc intendens, sed aliquid aliud. Hoc autem non est detrahere per se & formaliter loquendo, sed solùm materialiter, & quasi per accidens. Et si quidem verba, per quæ famam alterius diminuit, proferat aliquis propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio. Si autem proferat ex animi levitate,* absque animo nocendi, absque odii, iræ, vel invidiæ affectu, *propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale: nisi forte verbum, quod dicitur, notabiliter famam alicujus lædat, & præcipuè in his quæ pertinent ad honestatem vitæ.* Tunc enim lethale peccatum est, ait ibi Sylvius: quia tunc, etsi non expressè, implicitè tamen intendit proximi famam lædere, dum ea verba vult proferre, ex quibus gravis læsio famæ proximi per se nata est sequi. Ad quod potest & debet ad-

vertere, qui de iis loquitur, quæ tangunt famam proximi; ideòque virtualiter & interpretativè advertere censetur, licèt fortè non formaliter.

41 Sed lubet hîc addere memoranda verba Gersonis, uberiùs ista explicantis in respons. ad qq. quatuor q. 1. (to. 4. pag. 355.) ubi sic: *Inquirendum ad quem finem dicitur malum de absentibus, & occurrunt sex fines generales. Primus, quandoque hoc fit ad instructionem præsentium & id audientium, ut caveant similia facere. Secundus: quandoque fit ad præsentium cautelam, ne scilicet ex ignorantia decipiantur, per malam aliorum societatem*, vel famulatum, *quos præsumunt bonos. Tertius, quandoque etiam fit ad utilitatem absentium, ut videlicet præsentes eis referant, pro ipsorum correctione & emendatione. Quartus, quandoque fit ex quadam compassione amicabili, ut scilicet seipsum & audientes referens provocet ad orandum instantiùs pro aliorum peccatis, & eorum conversione. Quintus, quandoque etiam fit ex sola curiositate, & assueta loquacitate, & quadam libidine loquendi de aliis. Sextus, quandoque autem fit ex odio, vel invidia, ac pro diminutione famæ alienæ, & ex animi indignatione.*

42 Sit ergo prima conclusio: *primis quatuor modis potest esse non solùm licitum, imò & meritorium, referre mala absentium, dummodò non intendatur principaliter alius finis, quàm aliquis prænotatorum quatuor: & si non misceatur alia intentio fermentata, & sibi ipsi mentiens: atque dum benè provideatur, ne sint falsa quæ dicuntur, aut in malo, ultrà quàm in se sunt, per referentem ampliata, aut forsan sinistrè interpretata: ac etiam quòd non plus noceat talis locutio absentibus, & eorum famæ, quàm prosit præsentibus, & eorum ædificationi. Quoniam pro parvo bono consequendo non est magnum malum committendum*, id est magnum damnum inferendum; sed necessaria quædam velut æqualitas, seu compensatio, inter bonum & malum, sive inter damnum & lucrum.

43 Secunda conclusio: *malè loqui de absentibus ad solùm satisfaciendum propriæ loquacitati, & libidini loquendi de aliis, etiamsi sit pro sola deductione temporis, & quasi pro solatio, ut sic tempus sine tædio transeat, vix aut nunquam excusatur à peccato, & sæpiùs transit in mortale peccatum. Tale enim verbum non solùm otiosum, sed & communiter est pernicioſum, & multipliciter nocivum*, seu damnificativum *aliorum in fama....*

44 *Loqui* autem *malum de alio directè ex odio & invidia, semper est peccatum. Et (quando notabiliter læditur per hoc aliena fama, & loquens hoc advertit in sua conscientia, aut advertere posset) est gravius peccatum sæpissimè quàm furtum, aut quàm foret esus carnium die veneris, vel jejunii Ecclesiæ magni cujuscumque.*

45 Sextus modus: eò gravior est detractio, quò majora mala ex ea resultant. Et ob hanc causam longè gravior est detractio de Religiosis, quorum infamia redundat in Communitatem, nec non de Ecclesiasticis, quàm de aliis, & maximè de Ecclesiasticis laborantibus in vinea Domini, v. g. Parochis, Confessariis, Concionatoribus, &c. Unde hisce temporibus, illusio est mirabilis, quâ plures animæ, aliàs timoratæ, mirum in modum timentes in cæteris detractionem, licitum sibi existimant nescio quæ referre, vel audita credere, vel suspicari, de fide, vel praxi Parochorum suorum, vel istorum illorumque Confessariorum. Horrent audire (inquit perillustris D. Denis, Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis Canonicus-Theologus) ebriosum vel impudicum Ecclesiasticum describi talem qualis est; & nihilominùs, absque conscientiæ remorsu, piissimos quosque infamant, vel libenter audiunt infamari; tametsi ea quæ dicunt, vel ab aliis audiunt, omni careant verisimilitudine. Ejusmodi detractionum gravitas tantò major est, quantò majores alioqui fructus spirituales facerent in conversione animarum. Videri potest Lensæus in lib. de piorum persecutionibus, in quo plures exhibet SS. Patres hac de re conquerentes, specialiter cap. 54. ubi refertur ista de Donatistis Augustini querela l. 2. contra Petilian. c. 87. *Judæi persecuti sunt carnem ambulantis in terra; vos Evangelium sedentis in cælo: quod Evangelium mitiùs passum est sævientium Regum flammas, quàm vestras patitur linguas. Quia illis incendentibus unitas mansit; vobis loquentibus manere non potuit.* Quis non videt verba ista nostris optimè quadrare temporibus, contra eos qui nescio quibus calumniis, odiosisque figmentis Moralem Evangelicam impugnant, unitatem discindunt, divisiones in Ecclesia faciunt?

CAPUT VI.

Casus, in quibus narratio defectuum proximi solùm est peccatum veniale, vel nullum.

PRimus est dum materia est levis; quæ tamen pensanda non est ex eo præcisè quòd peccatum narratum sit in se leve, sed ex eo quòd, pensatis circumstantiis, leviter, non graviter lædat famam vel honorem proximi. Contingit enim famam ipsius per narrationem peccati levis graviter lædi, & contrà per narrationem gravis criminis non lædi graviter. Quia peccatum absolutè leve, respectivè ad certam personam esse potest graviter infamativum, ut si de spectabili puella, vel de Episcopo, probovè Religioso, vel Ecclesiastico, dicas, quòd commiserit levitatem, in se quidem levem, sed quæ ipsi magno vertitur probro, tametsi respectivè ad alios vix reputaretur. Istud proinde leve de tali persona narrare, non est leve, sed grave peccatum, utpote graviter diffamativum; & eò gravius, quò persona sublimior, & majoris est æstimationis. Econtrà si de quibusdam laxioris vitæ, v. g. Aulicis, juvenibusque lascivis, vel militi- 46

bus dicas, quòd puellam deceperint, quòd duellum commiserint, & alia ejusmodi, de quibus ipsi lætantur, glorianturque, vix aut ne vix quidem reputatur. Habenda est igitur ratio circumstantiarum omnium, scilicet 1°. & maximè personæ infamatæ, cujus qualitas & conditio maximi est momenti ad discernendam detractionis gravitatem. 2°. infamantis: quia plurima sunt quæ magnam impressionem faciunt, si à viro gravi narrentur, vel objiciantur; parvam, vel nullam, dum narrantur, vel objiciuntur à vilissimis personis. Quo ex capite scurræ, pueri, mulierculæ, similesque personæ gravia sibi invicem objicientes, à mortali sæpè excusantur contumeliæ vel detractionis peccato, licèt sæpè non à gravi peccato odii, iracundiæ, vel vindictæ. 3°. habenda est ratio personarum audientium, numeri scilicet & qualitatis earum. Nam apud vel unum virum gravem diffamari sine dubio majus peccatum est, quàm apud virum nullius, vel ferè nullius considerationis; minus quoque est diffamari apud unum, quàm apud multos, cæteris paribus.

48 Secundus casus, quo narrans defectum proximi, vel eum ipsi objiciens, solùm venialiter peccat, est dum id non facit ex intentione nocendi proximo, sed ex levitate, vel joco, vel ob causam non necessariam, iis in circumstantiis, in quibus nec proximi fama, nec charitas inde notabiliter læditur, nec audientes graviter inde scandalizantur. Ita enim docet S. Thomas suprà n. 40.

49 Tertius casus est dum ex motu imperfectè, seu non plenè deliberato quis profert aliquid lædens notabiliter proximi famam. Illi tamen qui absque consideratione præcipitanter effutire solent quidquid venit ipsis in buccam, ex hoc capite se excusare non possunt. Quia læsio famæ proximi ipsis satis voluntaria est in pravo illo usu præcipitanter effutiendi, &c. dum usum illum corrigere non satagunt.

50 Cæterùm regulariter & utplurimùm solùm veniale est, veniales defectus alterius revelare, sine quibus justi non vivunt, nisi attentis circumstantiis gravem infamiam inurant ut suprà. Lessius quoque, Layman, & alii putant solùm esse veniale, in genere dicere, aliquem esse glorioſum, iracundum, avarum, &c. Sed licèt hoc aliquando verum fortè sit, si talia dicantur de sæcularibus hominibus de vulgo: quia non nisi levem dedecoris notam inurit; aliud meritò videri potest de sacratis hominibus, præsertim Ecclesiam regentibus; quorum famam sicuti graviter lædit, qui narrat ipsos promiscuè mentiri; ita & qui narrat ipsos promiscuè irasci, vanæque gloriæ, ostentationi, avaritiæ passim cedere: ex hoc enim plerùmque sic diminuitur fama bona, & authoritas ipsorum, ut impedimento sit, ne spiritualem fructum in Ecclesia referant, vel ne ipsis beneficia conferantur, vel ad officia eligantur quibus ob præclaras dotes aliàs digni forent, Ecclesiæque utiles futuri. 3°. licèt videri posset solùm esse venialem revelationem defectuum naturalium; eò quòd à natura homini accidant, contra ipsius voluntatem, nec ipsi imputentur ad culpam. Certum tamen est, talem revelationem posse esse mortalem, & non rarò esse talem: cùm non rarò fieri soleat, quòd fama ipsius graviter inde lædatur, & ipse vilior apud alios reddatur. Sicut enim laudari solent homines, non à solis virtutibus, sed & à qualitatibus naturalibus; ita & ab illis vituperari. Unde ordinariè mortaliter censendus est peccare, qui honoratum virum, qui habetur pro nobili, legitimo, &c. diceret esse spurium, ignobilem, patrem ipsius fuisse suspensum, &c. Nec dubium, quòd siquis alteri in faciem istiusmodi defectus exprobraret, ipsi graviter injurioſus & contumelioſus foret. Denique non dubium, graves ex hujusmodi defectibus, in vulgus sparsis, contemptus, graviaque damna frequenter provenire. Quando tamen ob ejusmodi defectum secundùm canones, vel leges, ad hæreditatem, ordines, matrimonium, beneficium quispiam est inhabilis, peccatum non est, eum servato juris & charitatis ordine revelare.

Quartus casus, huc pertinens, sic ponitur à S. Thoma q. 72. a. 2. ad 1. *Ad eutrapeliam pertinet, dicere aliquod leve convicium, non ad dehonorationem, vel ad contristationem ejus, in quem dicitur, sed magis causâ delectationis, & joci. Et hoc potest esse sine peccato, si debita circumstantiæ observentur. Si verò aliquis non reformidet contristare eum in quem profertur hujusmodi jocosum convicium, dummodò aliis risum excitet, hoc est vitiosum.*

Causâ etiam correctionis ac disciplinæ, sicut Superior potest subditum verberare, vel in rebus damnificare; ita & alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod convicioſum potest dicere. Sic enim Dominus discipulos vocavit *stultos*. Et Apostolus Galatas *insensatos*. *Tamen, sicut dicit Augustinus, rarò, & magna cum necessitate ejusmodi objurgationes sunt adhibendæ.* S. Thomas ibidem. 51

CAPUT VII.

Gravia de proximo narrans ex auditu, frequenter, non semper peccat graviter contra justitiam, licèt nullam narratis authoritatem addat.

52 Est contra Scotum, Sylvestrum, Navarrum, qui censent talem rarò peccare mortaliter contra justitiam; eò quòd taliter narrantibus rarò adhibeatur fides ab auditoribus, scientibus à multis multa non vera dici. Unde putant narratores istos rarò lædere famam proximi, saltem graviter, nisi ex modo narrandi authoritatem, seu majorem certitudinem narratis adjungant, quàm simpliciter dicendo, se ab aliis audivisse, ad quorum fidem se remittant. Siqui enim sic narratis

credant, leviter credunt, juxta illud: *Qui citò credit, levis est corde.*

53 Tales nihilominùs frequenter peccare graviter contra justitiam asserimus cum Soto, Card. de Lugo, Layman, Bonacina, & aliis. Ob rationem oppositam. Quod enim Scotus in 4. dist. 15. q. 4. ait, raram hujusmodi narratoribus fidem adhiberi, est contra experientiam, econtrà docentem ipsis frequenter fidem adhiberi, si non certam, saltem talem, quâ saltem in dubium revocatur, adeòque graviter læditur fama bona proximi. Quoties verò tales sunt circumstantiæ, ut narratio nata sit (spectatâ fragilitate hominum) ingerere fidem, suspicionem, vel dubitationem graviter diminutivam famæ bonæ proximi, talis narratio est mortale peccatum contra justitiam: cùm taliter narrans sit vera causa notabilis diminutionis famæ bonæ proximi. Et iste est communis Doctorum sensus. Imò certa sunt crimina, ut hæresis, proditio, &c. de quibus suspicio vel dubium, magis infamat hominem, aliàs probatæ famæ, quàm certitudo de aliis criminibus, ut benè advertit Bannez q. 73. art. 2.

54 Cavendum ergo à narrationibus ex auditu, tamquam in praxi valdè periculosis: quia licèt in speculatione fieri possit, quòd præcisè referens se hoc vel illud audivisse de tali, se tamen nihil de eo scire, nec credere, contra justitiam graviter non peccet, si prudenter judicet, auditores nec credituros, nec de tali malè suspicaturos: sæpè tamen hîc mentitur iniquitas sibi, sæpè nimia de aliis loquendi facilitas sibi blanditur. Et dato, non concesso, quòd talis non peccaret contra justitiam, saltem peccaret graviter contra charitatem, si advertere posset auditores ex sua levitate credituros, ut ostendit Layman hîc.

CAPUT VIII.

Occultum crimen proximi revelare tres causa permittunt, scilicet justitia, charitas, necessitas.

55 PRima itaque causa est justitia; ex cujus dictamine Judex, vel Superior (servato juris ordine) occulta subditorum peccata manifestare potest, vel ad eorum correctionem, vel ad aliorum exemplum. Si enim servato juris ordine Judex possit ex justitiæ dictamine malefactorem occidere, potest & diffamare. Unde nec peccant, qui zelo justitiæ (servato fraternæ correctionis ordine, dum utiliter servari potest) in judicio accusando, vel testificando, crimen alterius Judici manifestant.

56 Secunda causa est charitas, ex qua occulti defectus proximi (servato, ut antè, fraternæ correctionis ordine) Superiori denuntiantur ad emendationem ipsius, vel aliis etiam revelantur, ob aliquam ex quatuor prioribus causis, seu finibus num. 41. ex Gersone enarratis. Et ideò detractor non est, qui occultum crimen proximi revelat ad avertendum periculum alioqui imminens Communitati, vel privato innocenti. Quia commune & privatum innocentis bonum præferendum est bono privato nocentis. Quam ob causam licitum est (circumspectè tamen) revelare occultos defectus illius, qui aliàs, cum publico damno, præficiendus esset alicui officio. Licitum etiam monere proximum, ut sibi caveat ab occulto fure (aliàs ipsi nocituro) vel declinet consortium ejus, quem scit corruptis esse moribus; ne per istud consortium vel colloquia corrumpatur. Quâ ratione Christus Luc. 12. manifestavit hypocrisim Pharisæorum, & Apostolus 2. Timoth. 4. *Alexander* (inquit) *Evagrius multa mala mihi ostendit, quem tu devita.* Denique S. Thomas q. 70. a. 1. ad 2. dicit manifestanda esse ea quæ homini commissa sunt sub secreto, *si pertinent ad corruptionem multitudinis, spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ.*

Si itaque nosti quempiam furtis addictum, monere potes, imò ex charitate debes (saltem interrogatus) ut sibi caveant, vel ne sibi eum in famulitium suum accipiant. Si videas innocentem extremo supplicio afficiendum, potes, imò debes Judici revelare homicidam, ne pro eo innocens pereat. Dumque agitur de officio, beneficio, religione, matrimonio, si nosti impedimentum, ex quo prudenter timeas grave damnum obventurum, teneris revelare, nisi aliâ viâ, v. g. correctione fraternâ, malum avertere valeas. 57

Hoc etiam titulo multi Doctores excusant eos, qui ex amica compassione manifestant occultos fratris defectus. Verùm ad hoc opus est lapide lydio, ad discernendum, an charitatis aurum tunc verum sit, & purum, an scoriâ mixtum, vel aurum falsum, potiùs quàm verum: subtilissimè namque fallit privatus amor, ut per fictam compassionem securiùs & perniciosiùs ad detrahendum inducat, prout ostendit D. Bernardus Serm. 24. in Cant. 58

Tria igitur à te observanda sunt, si decipi non vis. 1°. an non leviter id facias, uti contingit dum ex impetu moveris absque matura discussione spei profectûs, utrùm benè fundata sit, an non. 2°. an is cui revelas, utiliter ad profectum illum collaborare velit & possit. 3°. an nullum inde malum immineat delinquenti, præter id quod necessarium est ad procurandam ipsius emendationem. Nisi ad ista attenderis, ne tibi de compassione blandiaris, sed time, ne in te quadret istud Sapientis: *à facie verbi parturit fatuus*; time etiam, ne dum prætextu charitatis revelas occulta fratris, charitatem justitiamque lædas, absque justa necessitate revelando, vel defectus incertos, solâque suspicione notos, pro certis manifestando. Cùm injustum sit ex causa incerta quempiam afficere infamiâ certâ. 59

Tertia causa est necessitas, ut si aliter ab injuriosa vexatione nequeas liberari, nisi occultum vexatoris crimen declarando. Qua tamen in re servandum est inculpatæ tutelæ mo- 60

deramen, sicut in quacumque alia justa defensione adversus injustum aggressorem. Hâc ratione reus potest injustam contra se depositionem infirmare, manifestando crimen occultum (dummodò verum) deponentis.

61 Huc plerique Doctores revocant necessitatem consilii, consolationis, seu doloris leniendi; ex qua permittunt uni vel alteri amico narrare injuriam ab altero occultè acceptam, tametsi aliquam inde infamiam sit incursurus. Hanc enim sibi imputare debet (inquiunt) eò quòd nimis durum esset, acceptam injuriam apud se debere concoquere, nec posse de ea conqueri apud amicum, consilii vel consolationis gratiâ.

62 Verùm id non facilè admiserim. Nec enim consonum videtur Oraculo Apostolico: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*, uti nec aliis Evangelicis Christianæ patientiæ documentis. Imò nec rationi Christianæ, quæ dictat proximum sine cogente necessitate non infamandum. Hoc autem fit in illo casu. Neque enim ad leniendum dolorem necessaria est proximi diffamatio: cùm sine illa dolor leniri queat ad Deum amicorum amicissimum confugiendo, ab ipsoque patientiam & consolationem necessariam exorando, qui *consolatur nos in omni tribulatione nostra. 2. Cor. 1.*

63 Et quæ necessitas nominandi personam, consilii accipiendi, vel consolationis gratiâ? An non potest amicus amicum consolari, consiliumque ipsi dare, licèt nesciat personam injuriantis? Sed & afflictus animus difficilè servare potest necessarium moderamen, soletque acceptam injuriam exaggerare, suspicionesque & judicia temeraria interserere, amicisque indiscretis, eam ulteriùs propalaturis, accipiendæ consolationis prætextu rem revelare, vel pluribus quàm necesse sit. Denique justum non est pro exigua consolatiuncula gravem proximo infamiam causare (uti plerùmque fit) cùm moderamen justum excedatur, dum tanto proximi malo exigua consolatiuncula emitur.

64 Nec ratio contradicentium solida est: quia non videtur satis christiana, imò siquid probat, probat licitam esse vindictam, seu redditionem mali pro malo ad leniendum dolorem, ut consideranti apparebit.

65 A fortiori rejiciendum est id quod Joannes de la Cruz ait in Directorio suo §. 8. q. 2. a. 2. dub. 3. *Si persona secretò injuriata, non valens se à dolore cohibere, in querimonias erumpat publicas, non illicò de peccato mortali damnatur, si injurians infametur: durum enim videtur, sic afflictum animum cohibere... cùm hæc naturalissimum sit*, &c. Ex sola namque imperfecta deliberatione excusari potest à mortali, si ex hoc injurians graviter infametur, nec nisi vitio corruptæ naturæ naturalissimum dici potest factum istud, eo scilicet modo quo naturalissima dicitur vindicta, cujus abstinentia, licèt naturæ corruptæ dura, sub gravi obligatione est. Similiter ergo, &c. Christianus ergo, istis in casibus, dicere debet cum Psalmista: *propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.*

Dicit quidem S. Thomas q. 73. a. 2. *Si* 66 *verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio.* Verùm observanda est clausula ista: *propter bonum necessarium*: necessitate utique tantâ, quæ abstergere queat & quodammodo compensare proximi infamiam, aliaque inconvenientia ex ea secutura. Tantò proinde gravior est detractio, quantò hinc minor est necessitas, inde gravior infamatio, notabilioraque inconvenientia ex ea sequi pronum est.

CAPUT IX.

A mortali detractione non excusatur, qui vel uni viro prudenti, sine justa necessitate, revelat grave crimen occultum proximi, etiamsi vir ille credatur secretum servaturus.

Est communis contra Cajetanum, Cordu- 67
bam & Navarrum, quibus id non videtur esse mortale, quia ipsis videtur, quòd tali viro prudenti dicere, moraliter perinde est ac nulli dicere, vel saltem non est proximum graviter infamare. Cùm enim fama sit bona plurium opinio de aliquo, notabile non est, si unus vel alter malam de te opinionem concipiat: utpote quæ non est infamia simpliciter, sed secundùm quid.

Sed in contrarium est S. Chrysostomus, dum 68
hom. 3. ad popul. Antioch. dicit: *Hoc verò ridiculum magis est, quòd talem habentes vitam, & res suas negligentes, cùm aliquid arcanum dixerint, rogant audientem, & adjurant, ne cuiquam amplius alteri dicat, hinc declarantes, quòd rem reprehensione dignam commiserunt. Si enim illum ut nemini dicat, rogas, & velut de re non exigui momenti adjuras, multò magis te priorem huic dicere non oportebat. In tuto sermonem habebas: postquam ipsum prodidisti, tunc salutem ipsius curas. Si non vis efferri, neque alteri ipse dicas. Postquam verò alteri prodidisti sermonis custodiam, superflua facis, & inutilia, admonens & obtestans pro dictorum custodia. Sed jucundum detrahere: imò jucundum non detrahere. Detrahens enim* deinceps *in agonia est, suspicatur, & timet, pœnitentiam agit, & linguam suam mandit, timens & tremiscens, ne forte aliis enuntiatum verbum, magnum sibi periculum afferat... Apud seipsum verò continens, in securitate plurima cum multa vivet voluptate.* Audisti sermonem (inquit Eccles. 19.) moriatur in te: confide, non te disrumpet. *Quid est*, moriatur in te? *extingue ipsum, defode, nec exire, neque penitùs moveri permittas.* Hactenùs Os aureum, manifestè innuens talem esse detractorem, in re non parva; adeòque graviter peccare.

Assertio itaque nostra probatur 1°. ex Chry- 69
sostomo. 2°. ex S. Thoma q. 73. a. 1. ad 2. aiente: *Etiamsi uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus, non in toto,*

sed in parte, & quidem in parte notabili, dum notabile crimen proximi revelatur uni viro gravi & prudenti, uti patet in judicio temerario, vel ab uno concepto de gravi crimine alterius.

70 3°. sicut pluris facienda est bona opinio apud unum virum gravem, prudentemque, quàm apud multos imprudentes & leves; sic pluris facienda est bonæ opinionis corruptio apud unum virum prudentem, &c. Rectè proinde Sotus l. 5. q. 10. a. 2. concluſ. 4. *Mallem crimen meum notum esse tribus, aut quatuor, quàm uni gravissimo viro. Nam quamvis ex una parte præsentius periculum immineat, ab illis evulgatum iri, quàm ab isto; tamen ab altera parte ego pluris æstimo, in bona esse æstimatione apud illum virum gravissimum, quàm apud plures alios minoris æstimationis. Unde infamia non est solùm accipienda hic in rigore juris, quando est apud plures; sed etiam secundùm rei naturam.*

71 4°. vix est probus & honestus, qui non ægriùs fert corruptionem bonæ famæ suæ apud unum vel alterum virum gravem, quàm jacturam magnæ summæ pecuniariæ.

72 5°. si mortale non sit, grave crimen alterius uni amico prudenti revelare; neque hic amicus prudens mortaliter peccabit, alteri amico prudenti revelando; nec iste rursus revelando alteri. Atque ita crimen occultum proximi sine peccato mortali passim fieri poterit publicum (nemo est enim, qui amicum non habeat, quem credit prudentem) id autem concedi non potest.

73 Conjuges tamen sibi invicem revelare possunt occulta crimina filiorum, aliorumque domesticorum. Quia hoc spectat ad rectam familiæ administrationem. An etiam Religiosi Prælatis occulta peccata Confratrum? Non, si gravia sint, nec Communitati nociva, per fraternamque correctionem emendabilia. Quia Religiosus mallet crimen suum sciri à pluribus aliis, quàm à solo Prælato suo, meritòque ægriùs fert infamiam apud Prælatum, quàm apud 20. fratres. Qua de re plura dixi agendo de correctione fraterna. Nec Confessariis pœnitentes absque necessitate revelare possunt delicta complicum, sub prætextu cautæ utilis. Non enim sufficit quæcumque utilitas, sine necessitate. Aliàs liceret occultum crimen proximi, per fraternam correctionem emendabile, Judici immediatè deferre. Quod est contra Evangelium.

CAPUT X.

Mortalis detractionis reus est, qui publicè diffamatum in uno peccati genere, in alio non connexo diffamat.

74 ITa Adrianus quodlib. 2. diffic. 1. Salonius, Arragonius, & alii passim. Quia laborans infamiâ in uno peccati genere, non ideò amisit jus ad famam in alio genere. Publicus namque concubinarius v. g. non propterea excidit famâ hominis à re aliena manum cohibentis, vel fidem Catholicam profitentis. Si tamen peccata sint connexa, justè diffamatus de uno, absque injustitia diffamatur de altero. Quia ex peccatis connexis una resultat infamia. Nova proinde infamia non inuritur meretrici, si de ipsa dicas quòd juvenem ad peccatum verbis vel gestibus provocaverit.

Non placet ergo Sylvester verbo *detractio* indistinctè dicens, non esse mortale, infamatum in uno genere graviori, infamare in alio leviori: tametsi non diffitear, aliquos homines esse famæ adeò prostitutæ, ut parùm ipsis accrescat infamiæ, si aliud crimen, etiam non affine, de ipsis dicatur; ideòque tunc non sit nisi veniale. 75

CAPUT XI.

Non est mortale contra justitiam, nec contra charitatem, nescientibus revelare crimen alicujus, in loco ubi de eo justè diffamatus est, sive per publicam sententiam Judicis, sive per notorietatem facti, vel famæ.

ESt sententia communis. Sed ante probationem notandum 1°. crimen proximi tripliciter esse posse publicum, seu notorium. Primò publicitate juris, quando per confessionem vel convictionem in judicio, vel per sententiam Judicis de eo constat. Secundò publicitate facti, dum crimen patratum est in loco publico, coram multis. Tertiò publicitate famæ, vel (ut alii) publicitate indiciorum, quando fama criminis, ex sufficientibus indiciis orta, pervenit ad multos de Communitate, ad majorem scilicet partem illius, vel ad tot de Communitate personas, ut spectatis circumstantiis, moraliter fieri nequeat, quin ad notitiam majoris partis Communitatis, seu Civitatis, Pagi, Parochiæ, Viciniæ, Collegii vel Monasterii deveniat, ut si notum sit septem vel octo personis de Communitate, constante viginti personis; vel notum sit quindecim vel viginti personis diversarum familiarum, de Communitate centum, vel mille personis constante. 76

Notandum 2°. crimen notum majori parti unius loci, non censeri publicum nisi respectivè ad eum locum. Unde si fama criminis solùm vigeat in majori parte viciniæ, non illicò publicum censetur in tota urbe, si valdè sit spatiosa; sicut nec eo ipso quo fama illius viget in una urbe, publicum censetur in tota Provincia. His notatis 77

Probatur, id non esse contra justitiam, quia dum quis uno loco justè diffamatus est aliquo ex dictis modis, illo in loco excidit jure ad famam, & per accidens est quòd illam apud aliquos ignorantes adhuc retineat. Neque enim jure, sed facto dumtaxat retinet. Si enim de eo diffamatus sit per publicam Judicis sententiam, infamia ipsius censetur pars pœnæ pro peccato à Judice inflictæ: cùm eo loco & tempore sententia publica proferri soleat, quo magna esse solet populi frequentia, ut 79

omnibus ad terrorem & exemplum innotescat. Si autem diffamatus sit per publicitatem facti, vel famæ, seu indiciorum, eo ipso famam abjecisse censetur, quo ipsum non puduit publicè crimen admittere, vel sufficientia illius indicia in publico dare.

80 Et hinc probatur id etiam non esse mortale contra charitatem : quia proximus ex hoc nec grave nocumentum accipit, cùm ibi equidem publicè sit infamis; nec potest rationabiliter id multùm ægrè ferre, cùm vel istam pœnam justè promeruerit, vel famam ipse suam abjecisse censeatur, ut proximè dixi.

81 Si tamen nulla sit ratio, quæ invitet ad loquendum de similibus, de iis loqui, etiam coram scientibus, esse videtur veniale contra charitatem : utpote quâ unumquemque proximum diligere tenemur, sicut nosipsos. Quemadmodùm ergo charitas nobis non permittit sermonem instituere de personis nobis conjunctissimis, si earum aliqua crimen infame commiserit, v. g. furtum, vel adulterium; imò molestè ferimus de eo sermonem ab aliis institui, optamusque ab iis sermonem averti, nisi de eo aliquid ex amica compassione dicatur, ut audientes provocentur ad ferventiùs orandum pro ipsa, vel aliqua alia justa ratio invitet ad aliquid de eo dicendum : similiter charitas non permittit sermonem de aliis instituere, nisi, &c,

82 Imò videretur mortale contra charitatem ipsimet peccatori in faciem objicere ejusmodi crimen, vel, ratione illius, ipsum digito notare, cum gravi ipsius mœrore, seu contristatione. Juxta communem quoque sententiam (apud Layman l. 3. tr. 3. p. 2. c. 3.) mortale est contra justitiam, evulgare crimen solùm publicum per rei in judicio confessionem, vel testium depositionem : quia tunc nondum est publicum in ordine ad populum, sed in ordine ad Judicem dumtaxat, ut reum condemnare possit. Si tamen crimen per sententiam Judicis brevi publicandum certò sciatur, plerique censent grave ipsi nocumentum non inferri ab eo qui illud divulgat : quia fama brevi justè destruenda non videtur magnæ æstimationis. Sed tu cogita, & ab istis tutiùs abstine.

CAPUT XII.

Mortale est contra justitiam, crimen uno loco publicum solâ publicitate facti, vel famæ, divulgare in alio loco distanti, ubi aliàs nunquam vel difficulter sciri potuisset.

83 HAnc etiam communem esse testatur Layman ubi suprà. Tenent nominatim Adrianus, Sylvester, Sotus, Molina, Petrus Navarra, Amicus, Dicastillo, & ipse Layman, contra Lessium, Fagundez, Cardinalem de Lugo, &c. Quia licèt quis publicè peccando, vel publica peccati indicia dando, jus amiserit ad famam, respectivè ad locum in quo publicè peccavit, vel publica sui peccati indicia dedit, sicut & respectivè ad vicina loca, ad quæ peccati notitia, attentâ humanâ conditione, velut nata est pervenire; non tamen respectivè ad loca & locorum personas, ad quæ & quas, te non divulgante, vix aut ne vix quidem perventura fuisset : quemadmodùm enim famam abjecisse non censetur respectivè ad posteriora loca & personas, sed respectivè ad priora dumtaxat; sic jus ad famam amisisse non censetur nisi respectivè ad priora loca, &c.

Et confirmatur : ille qui anteriori tempore 84
per publicum crimen diffamatus fuit, si post diuturnum tempus famam bonam recuperaverit per commissi criminis oblivionem, posteriori isto tempore non potest justè diffamari, imò contra justitiam peccat, qui crimen illud in memoriam aliorum revocat, vel enarrat iis qui de eo nihil audierunt. Quia qui publicè peccavit, jus equidem habet ad famam pro tempore quo peccatum suum desiit esse publicum. Similiter ergo qui uno loco per crimen ibi publicum diffamatus fuit, si famam bonam retineat in alio loco remotiore, in quo crimen ipsius non est publicum, sed prorsus ignoratum, non potest in isto remotiore loco justè diffamari, imò contra justitiam peccat qui ipsum ibi diffamat. Quia jus retinet ad famam in isto loco, licèt illud amiserit in alio loco, ubi publicè peccavit, sicut & in vicinis locis, in quibus, ob viciniam, & incolarum communicationem natum est fieri, ut quod in uno loco publicum, ibi etiam moraliter publicum censeatur.

Propterea contra justitiam peccant Histo- 85
rici, qui similia crimina publicis mandant historiis. Nec contraria est timoratorum praxis, nisi fortè sectatorum oppositæ sententiæ, vel nisi respectivè ad ea crimina, quæ adeò publica sunt in toto aliquo regno, ut eorum fama nata sit volare per totum mundum. Nec verò Historicis privatâ authoritate scribentibus, præ aliis privatis licitum est proximum diffamare, etiam prætextu communis boni. Cùm commune bonum non sit ipsis specialiter commissum, aliique privati communis boni prætextum allegare queant, sicut ipsi, dicendo, de communi bono esse, quòd talis unusquisque ab aliis ubique cognoscatur, qualis uno loco publicè est, eaidemque ad id probandum rationes allegare, quas allegare possent Historiographi. Si verò Historici publicâ authoritate scribant, v. g. jussi à Principe vel Magistratu, adhuc non possunt crimen uno loco per sententiam Judicis non divulgatum per totum mundum divulgare, magis quàm ipsi Judices & Magistratus, qui contra justitiam peccarent, si non servato ordine juris, nec secutâ sententiâ id facerent.

Quidquid tamen de eo sit, pro certo tenen- 86
dum est, crimen in una Religione publicum, etiam per sententiam Judicis regularis, non posse absque injustitia extra eam revelari. Cùm inter unam & aliam Religionem, & à fortio-

ri inter Religionem & sæculares nullum sit, nec expediat esse quoad ista commercium, utpote communi Religionum bono perniciosum; istamque ob causam diffamatio alicujus in una Religione, nata non sit extra eam diffundi; nec Judex, seu Prælatus Religionis id permittere possit: quia permissio ista non foret in ædificationem, sed in destructionem; ideòque in Religionibus id prohibitum esse solet sub pœna excommunicationis; sicut in nostra prohibitum est.

CAPUT XIII.

Non est mortale contra justitiam, crimen uno loco juste publicum per publicam Judicis sententiam, manifestare in alio loco, ubi publicum non est; si tamen absque causa id fiat, in materia gravi, mortale esse videtur contra charitatem.

87 ESt rursum communis pro utraque parte. Ratio prioris partis est, quia justè diffamatus per publicam Judicis sententiam, jus ad famam amisit pro omni loco. Isto namque jure sententia Judicis ipsum privavit per modum pœnæ, ut cæteris ubique terrarum sit in exemplum & terrorem, ut suprà dixi, patetque in iis quorum dorso stigma inuritur. Patet etiam ex praxi totius Orbis, ad ejusmodi criminum ubique terrarum evulgationem dante licentiam Historicis.

88 Ratio posterioris partis est, quia charitatem graviter lædit, qui proximum, absque justa utilitate, lædit in re gravi, fama utique bona, quam alibi abique cujusquam injuria & offensa pacificè possidet, tametsi jus non habeat ad illam. Quisque enim graviter ferret hoc sibi fieri. Hæc est autem naturalissima charitatis regula: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

89 Dixi *per publicam Judicis sententiam*: si enim Judicis sententia certis limitibus circumscripta sit, uti aliquando fit, ita ut Judex crimen illud ubique divulgari nolit (ut fit in Religionibus) injustitiæ reus est, qui extra limites illos crimen illud divulgat.

CAPUT XIV.

Contra justitiam peccat, qui occultum crimen proximi, uno in loco injustè publicatum, sive isto in loco, sive in aliis scienter nescientibus revelat.

90 ET ista est communis contra Lessium, Molinam, Tamburinum, &c. quorum fundamentum est quòd proximus eo casu non retineat jus ad famam, sive fundatum in intrinseca probitate sua, seu innocentia; verè enim supponitur crimen commisisse: neque fundatum in communi hominum æstimatione; cùm eo ipso quo crimen ipsius factum est publicum, in communi æstimatione factus sit nocens, non ampliùs innocens.

91 Sed contrà: licèt proximus eo casu non retineat jus ad famam fundatum in communi æstimatione quæ de facto sit; retinet tamen jus fundatum in communi æstimatione, quæ esse debeat de jure, quamdiù crimen ipsius factum non est publicum, nisi per injuriam. Neque enim jus per injuriam amittitur. Et sicut non amisit jus ut fama sibi injustè ablata sibi restituatur ab iis qui crimen ipsius injustè publicarunt; ita nec amisit jus ad hoc ut crimen suum, injustè publicatum, ulteriùs non publicetur, nec fama sua ulteriùs laceretur. Quod qui faciunt, non minùs obnoxii sunt restitutioni, quàm primi divulgatores: quemadmodùm enim isti primæ publicationis injusti sunt authores, sic illi ejusdem sunt injusti extensores, seu amplificatores.

Simile est in pretio mercium per monopo- 92
lium aucto: neque enim injustitiæ rei, restitutionique obnoxii sunt soli primi authores istius augmenti, sive illi qui stante eâdem mercium copiâ, quæ fuit ante augmentum, isti augmento causam per monopolium dederunt; sed & illi qui & ipsi eo pretio easdem merces vendunt. Tametsi enim primi authores non fuerint istius augmenti, sunt tamen continuatores, nec magis jus habent eo pretio vendendi, quàm primi authores illius. Justum namque mercium pretium, non est illud quod inductum est per injustum monopolium, sed quod communi æstimatione, sine fraude & monopolio, attentâ mercium copiâ, vel inopiâ currit. Quemadmodùm ergo sola communis æstimatio valoris mercium justè & sine fraude ac monopolio inducta tribuit jus eo pretio ulteriùs vendendi; sic sola communis æstimatio criminis proximi, justè inducta, tribuit jus crimen istud ulteriùs divulgandi.

CAPUT XV.

Peccatum audientis detractorem.

AUdiens detractorem quadrupliciter se ha- 93
bere potest ad ipsum, scilicet 1°. sic ut ipsum incitet inducatque ad detrahendum, ipsum interrogando, ipsi applaudendo, vel alio signo exteriori ipsi animum adjiciendo ad prosequendam detractionem, v. g. ostendendo eam sibi placere, seque libenter audire, propter odium ejus cui detrahitur. Et talis sæpè *non minùs peccat, quàm detrahens; imò quandoque magis*, ait S. Thomas q. 73. a. 4. Unde Bernardus l. 2. de considerat. c. 13. ait: *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim.* Et S. Paulinus ep. ad Celantiam: *Non modò ipsa non detrahas, sed ne alii quidem detrahenti aliquando credas. Nec obtrectatoribus authoritatem de consensu tribuas, ne eorum vitium nutrias annuendo.* " Noli (*inquit Scriptura*) consentaneus esse " cum derogantibus adversus proximum tuum, " & non accipies super illum peccatum. " Et alibi: " Sepi aures tuas spinis, & noli audi- " re linguam nequam. " *Unde & B. David diversas innocentiæ species justitiaque dinumerans, de hac quoque virtute non tacuit, dicendo:* " & opprobrium non accepit adversus pro- " ximos suos. " *Propterea quod ipse non solùm aver-*

aversatur, sed etiam persequitur detrahentem. Ait enim: „ detrahentem secretò proximo „ suo, hunc persequebar .... „ Enimverò *nihil tam inquietat animum, nihil est quod ita mobilem mentem, & levem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia injusta nascuntur. Hoc est quod sæpè de amicissimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas animas maliloqua lingua dissociat. At contrà, magna quies animi, magnaque est morum gravitas, non temerè de quoquam sinistri quid audire. Beatusque est, qui ita se contra hoc vitium armavit, ut apud eum detrahere nemo audeat. Quòd si hæc in nobis esset diligentia, ne passim obtrectatoribus crederemus, jam omnes detrahere timerent, ne non tam alios, quàm seipsos viles detrahendo facerent. Sed hoc ideò malum celebre est, idcircò in multis fervet hoc vitium* (certè in tam multis, quòd S. Hieron. epist. ad Celant. testetur, *paucos esse qui huic vitio detractionis renuntient.... tanta* quippe *hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum diaboli laqueum incidant*) *quia penè ab omnibus libenter auditur.*

94 Secundò sic aliquis detractorem audit, ut ipsum ad detrahendum non inducat, nec excitet, exteriùs testificando sibi placere detractionem, detractio tamen ipsi interiùs placeat, quatenùs proximi diffamativa, propter odium ejus cui detrahitur. Et iste graviter quidem peccat contra justitiam & charitatem (*digni* enim *sunt morte non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Rom. 1.) non tenetur tamen ad restitutionem, sicut prior: quia non est moralis causa detractionis, dum exteriùs in eam non influit, complacentiam exteriùs ostendendo, etiamsi interiùs non minùs peccet quàm detrahens; imò quandoque magis, pro majoritate odii, vel complacentiæ.

95 Tertiò sic ut nec inducat, nec interiùs placeat ipsi detractio; quatenùs proximi diffamativa, audiat tamen libenter ex curiositate sciendi facta proximi. Et istum non peccare mortaliter docent Navarrus, Toletus, Lessius, Bonacina, &c. Quia delectatio ipsius non est de detractione formali, sed de curiosa cognitione factorum proximi, quæ ipsis non videtur nisi venialis. Mihi tamen peccatum ipsius simile videtur illi, quod committit, qui, non ex odio, neque revelandi vel diffamandi animo, sed ex sola curiositate clàm observare vult occultum proximi crimen, v. g. adulterium, ut illius habeat scientiam: qui si mortaliter peccet (uti probabile videri potest; eò quòd proximus habeat jus subtrahendi cognitioni aliorum non superiorum occulta crimina sua) idem de curioso auditore illo dicendum videtur.

96 Quartò sic ut nec inducat, nec placeat ei detractio, nec audiat libenter ex curiositate, nihilominùs *ex timore, negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem.* Et iste *peccat quidem* (ait S. Thomas ubi suprà) *sed multò minùs quàm detrahens, & plerumque venialiter. Quandoque* tamen *etiam hoc potest esse peccatum mortale, vel propter hoc quòd alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere* (prout incumbit Superioribus, Parochis, patribus & matribus-familias, dominis & dominabus, Magistratibus, & quibuscumque pollentibus authoritate, respectu subditorum) *vel propter aliquod periculum consequens* (periculum scilicet gravis damni quod ex detractione prudenter timetur eventurum detrahenti, vel illi cui detrahitur, vel utrique; quod ex charitate erga proximum unusquisque tenetur avertere, si possit: aliàs mortaliter peccat contra charitatem) *vel propter radicem timoris, quia timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale*, si nempe sit timor mundanus, ex eoque negligatur præceptum correctionis fraternæ, dum graviter obligat.

Addit tamen S. Doctor quòd *non semper* 97
aliquis resistere debet detractori, arguendo eum de falsitate, maximè si sciat verum esse quod dicitur, juxta illud Eccli. 4. " Non contradicas " verbo veritatis ullo modo; " *sed debet eum verbis redarguere de hoc quòd peccat fratri detrahendo. Vel saltem ostendere, quòd ei detractio displiceat, per tristitiam faciei*: quia ut dicitur Proverb. 25. " Ventus Aquilo dissipat " pluvias, & facies tristis linguam detrahentem. Et iste est optimus modus, dum detrahentem apertè reprehendere non expedit, uti quandoque non expedit, si nempè detractor sit persona superior, vel si nulla sit spes fructûs, imò probabilis potiùs timor detractorem magis inflammandi.

CAPUT XVI.

Mortale est contra justitiam calumniatori, vel detractori, sive in judicio, sive extra, notabile crimen falsum scienter objicere, ad finem defendendi honorem suum, vel famam, etiamsi sic defendi possit, aliter non possit.

ID esse veniale propter mendacium, sed non 98
mortale contra justitiam, docent Cardinalis de Lugo, Gaspar Hurtado, Dicastillo, & alii quos sequitur Tamburinus l. 9. in Decal. c. 2. §. 2. n. 5. quia licèt mendacium istud quodammodò sit pernicioſum, nocumentum quod per illud infertur proximo jure defensionis, ad injustitiam non imputatur, nec ad culpam mortalem.

Addit quidem Lugo id in judicio mortale 99
esse propter perjurium, licèt non propter injustitiam; eò quòd in judicio non credatur tibi, falsum crimen objicienti, nisi per juratos probaveris testes: probare verò crimen falsum per testes juratos, est perjurio ipsorum participare. Quod est mortale peccatum.

Verùm Tamburinus loco citato modum à 100
se excogitatum saltem dubitanter suggerit evadendi tunc perjurium; imò & veniale peccatum. Quia (inquit) perjurium, imò &

mendacium, tam à me, quàm ab aliis quibus certa est innocentia mea, vitari potest per æquivocationem, juramento adhibitam.

101 Dixi *dubitanter*; ait enim, *incertum sibi esse, an id fieri posset sine culpa.* Sed quis non videt ipsum, etiam dubitativo isto modo, portam aperire latissimam judiciis pervertendis? Si enim dubium est, vel incertum an id sine culpa fieri possit, sequitur incertum esse, an id octavo Decalogi præcepto censendum sit prohibitum. Quo dato, secundùm ipsum censendum est prohibitum non esse. Ait enim l. 1. c. 3. §. 7. n. 1. *Si adhibitâ diligentiâ dubites, an sit aliqua lex, vel ad aliquem casum se extendat, non teneris ad illam.... Quia tunc possides libertatem; quæ cùm sit certa, non potest ligari lege incertâ.* Erit ergo licitum, juxta Tamburini principia, falsum crimen proximo objicere, etiam in judicio, illudque firmare juramento, adhibitâ æquivocatione, seu amphibologiâ, &c.

102 Verùm enimverò pernicioſa & ſcandaloſa eſt aſſertio iſta, & ut talis ab Innocentio XI. jure damnata propoſitione 26. 27. 43. & 44. Si enim ne extra judicium quidem ſine mortali peccato contra juſtitiam, calumnia per calumniam repelli poſſit, & ſine dubio perjurus ſit, qui eam juramento confirmat; quantò minùs id ſine injuſtitia & perjurio fieri poteſt in judicio? Quòd autem id extra judicium fieri nequeat, conſtat ex hoc quòd damnata ſit propoſitio 26. docens id beneficio reſtrictionis mentalis ſine mendacio & perjurio fieri poſſe. Sicut & 26. dicens, quòd *cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium eſt ad honorem tuendum.* Et iſta 43. *Quidni nonniſi veniale ſit detrahentis authoritatem magnam, ſibi noxiam, falſo crimine elidere.* Et 44. *Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* De qua propoſitione Generalis Cleri Gallicani Conventus anno 1700. cenſuit ſic: *Hujus propoſitionis doctrina falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, erronea, ſpatioſam calumniatoribus & impoſtoribus portam aperit; & clarè detegit, quam nefaria placita probabilitatis nomine inducantur.* Tametſi ergo quilibet habeat jus defendendi honorem ſuum & famam; non tamen mendaciis, calumniis & perjuriis: ſiquidem omne jus & poteſtas à Deo eſt, qui cùm ſit æterna Veritas, Juſtitiaque æterna, certiſſimè non dedit hominibus poteſtatem defendendi ſe per ea quæ contraria ſunt veritati ac juſtitiæ.

103 Et ſi in judicio nec veritas nec juſtitia, nec divini nominis reverentia permittat ſe defendere per falſos teſtes, per litteras ſeu Inſtrumenta falſificata, &c. profectò nec per alia mendacia & falſitates. Per quas ſi ſe vel ſua in judicio defendere fas eſſet, fas eſſet & per ejuſmodi teſtes ac Inſtrumenta. Si verò fas hoc eſſet, quomodò publica ſtarent judicia, quomodò conſtaret fides Authenticorum Inſtrumentorum? Iis autem ſublatis, quomodò ſtaret publica juſtitia, ſine qua *quid ſunt regna, niſi magna latrocinia?* inquit Auguſtinus l. 4. de Civit. Dei c. 4.

Huic argumento Tambutinus, non auſus 104
ſub propria, quaſi ſub aliena reſpondet perſona: *Inveniantur teſtes veri, ut ſancta requirunt tribunalia: dum enim falſi teſtes quàcumque arte repelluntur, publica judicia firmantur potiùs quàm infirmentur.*

Sed contrà eſt 1°. ſicut publica judicia firmari nequeunt, niſi per teſtes veros, ſic firmari non poſſunt per calumnias, quocumque fine prolatas. Quemadmodùm enim juſtitiæ, ſic judiciorum firmamentum eſt veritas, non mendacium. 105

2°. inveniri non poterunt teſtes, de quorum veritate conſtet, niſi pernicioſa Tamburini doctrina è mundo exterminetur. Si enim æquivocationum mentaliumque reſtrictionum artificio publica judicia pervertere liceat; ubinam reperientur homines, de quibus conſtet eo artificio non uti, etiam dum jurant ſe non uti? Unde enim ſciri poterit quòd idipſum cum æquivocatione, mentalivè reſtrictione non jurent? Iterùm ergo dico, non magis licitum eſſe, ſe per calumniam, vel objectionem falſam in judicio defendere, quàm per teſtes falſos, ſcripturaſque falſificatas. 106

Solvuntur objectiones.

OBjicies 1°. non eſt contra juſtitiam tueri proprium honorem per revelationem criminis occulti. Ergo nec per objectionem criminis falſi. 107

Nego conſequentiam. Eſt enim diſparitas, quòd prius nullo jure prohibeatur; poſterius verò octavo prohibeatur præcepto, tamquam contrarium juſtitiæ & veritati, cui prius non contrariatur.

Objicies 2°. injuſtus non eſt qui injuſtum 108
vitæ aggreſſorem ſpoliat vitâ, dum aliter ſuam tueri non poteſt. Ergo nec qui injuſtum aggreſſorem honoris & famæ, ſpoliat honore & famâ.

Reſpondeo 1°. negando antecedens. 2°. eo diſſimulato negando conſequentiam, ſi id fiat per mendacium & calumniam. Nec enim fas eſt injuſtum vitæ invaſorem per calumniam vitâ ſpoliare; uti nec per falſos teſtes, ſcripturaſque falſificatas.

Objicies 3°. ſi injuſto vitæ tuæ invaſori 109
mendacio cauſares lapſum in præcipitium, & conſequenter mortem, reus quidem eſſes mendacii, ſed non injuſtitiæ. Ergo ſimiliter, &c.

Reſpondeo 1°. iterùm negando antecedens. Aliàs injuſtus non eſſet, qui mendacio & calumniâ tertium induceret ad talem occidendum, vel ipſum etiam ad ſeipſum occidendum. 2°. negando conſequentiam, ſi ſermo ſit de mendacio leviter credito ab invaſore, ſibi talibus in circumſtantiis parum attendenti; tunc enim mentiendo forſitan non

tam fores causa mortis ipsius, quàm occasio.

CAPUT XVII.

Ad vitanda gravia tormenta, falsum tibi ipsi crimen in judicio imponere, ob cujus confessionem sis morte plectendus, mortale peccatum est.

110 ITa Cajetanus verbo *detractio* n. 4. Navarrus in Manuali c. 18. Covarruvias l. 1: variarum c. 2. n. 8. Sinnichius in Saüle l. 1. §. 486. Molina, Lugo, Bonæ-Spei, &c. contra Angelum, Sylvestrum, Sotum, Toletum, Lessium, Mastrium, Valentiam, Amicum, Caspensem, &c.

111 Probatur 1°. quia id perjurium est, si confessionem juramento confirmet. 2°. mortale est in genere mendacii pernicioši, fallentis fidem justitiamque publicam in re gravi. 3°. mortale est in genere homicidii: talis namque sui ipsius homicida est. Quemadmodùm enim falso testimonio causans alteri mortem, verè homicida est; ita & qui falsâ confessione sibi ipsi causat mortem. Quòd autem falso testimonio causans alteri mortem homicida sit, ratio est quia gladio linguæ ipsum occidit, sicut de Judæis Augustinus in Psal. 61. dicit, ipsos occidisse Christum gladio linguæ, dum falsum adversus ipsum testimonium dixerunt. Videatur idem S. Doctor l. 19. de Civit. Dei c. 6. ubi rem intolerabilem esse dicit, maximèque plangendam, & fontibus lachrymarum dignam, eligere potiùs ex hac vita migrare, quàm tormenta illa diutiùs sustinere, crimen verè non commissum, velut commissum confitendo.

112 Confirmatque hoc ipsum D. Hieronymus in epist. *de muliere septies ictâ*, quæ à marito Judici tradita, velut cum juvene adulterata, ipso in tormentis confitente (cùm innocens esset) capiteque plexo, ipsa elegit fortiter mori potiùs, quàm in caput suum mentiri. Quod factum Deus miraculo comprobavit: cùm enim ad primum gladii ictum juvenis amisisset caput & vitam, ipsa septies icta mori non potuit.

Argumenta contraria dissolvuntur.

113 OBjicies 1°. quando duæ leges simul concurrunt, quæ simul servari non possunt, servari debet potior; sed in proposito casu duæ simul concurrunt leges, quæ simul servari non possunt, lex scilicet salvandi famam suam, & lex salvandi vitam suam. Ergo servari debet potior, nimirùm lex salvandi vitam à tam gravibus tormentis.

Respondeo negando minorem, quia lex utraque salvari potest, cavendo mendacium; sic enim salva erit fama simul & vita; ubi per confessionem & fama amittetur, & vita.

114 Objicies 2°. si id esset mortale, vel esset quia seipsum graviter infamaret; vel quia mentiretur, vel quia sibi ipsi esset causa mortis. Non primum, quia seipsum graviter infamare ex rationabili causa licitum est. Non etiam secundum, quia mendacium istud officiosum foret, non pernicioşum: utpote per quod evaderet tormenta gravissima. Non denique tertium, quia confessio illa directè non foret sibi causa mortis, sed indirectè; non enim fieret ad hoc ut occideretur, sed ad hoc ut à tormentis morti æquivalentibus liberaretur. Sicut dum quis consulit virgini ut potiùs interfici se sinat à milite, quàm stuprari, consilium istud directè non tendit ad virginis interfectionem, sed ad stupri declinationem.

Respondeo id esse mortale propter illa tria; non seorsim, sed simul sumpta, quia scilicet seipsum mendaciter diffamat diffamatione directè movente Judicem ad ipsius occisionem. Confessio proinde ipsius directè est ipsi causa mortis; nec ipsi proficit ad tormentorum illorum declinationem, nisi mediante morte, per quam tormentis illis subtrahitur. Per consequens aliter se habet ad ipsius occisionem, quàm dictum consilium: utpote per quod non consulitur aliquid ad quod occisio virginis secundùm justitiæ regulas sequi debeat, (prout ad confessionem falsi criminis sequi debet occisio confitentis) sed ad quod per se sola sequitur vitatio stupri; ad cujus declinationem occisio virginis ex sola sequitur malitia militis.

Objicies 3°. qui falsum sibi crimen impo- 115
nit, ad cujus confessionem occidendus est, non aliter censendus est se occidere, quàm qui verum crimen morte dignum confitetur. Non magis ergo censendus est sui ipsius homicida, quàm iste.

Nego consequentiam: quamvis enim aliter se non occidat physicè; secùs moraliter. Quia per confessionem falsi criminis sibi ipsi est causa injusta mortis; per confessionem verò criminis veri, sibi ipsi non est causa mortis injusta, sed justa: cùm reus à Judice legitimè interrogatus, confiteri teneatur crimen verè à se commissum. Deinde sicut mortale est contra justitiam esse proximo causam mortis per impositionem falsi criminis; ita & sibi ipsi taliter esse causam mortis. Denique sicut homicida proximi non censetur, qui legitimè interrogatus testificatur crimen ipsius verum, licèt homicida foret, si testificaretur falsum; ita similiter, &c. licèt interim verum crimen confessum eodem modo Judicem moveat ad occidendum, quàm falsum, cujus falsitas Judicem latet.

Objicies 4°. nemo tenetur vitam suam ser- 116
vare tantis cum doloribus & cruciatibus, ut constat in infirmo, qui non tenetur pati acerbissimam tibiæ abscissionem ad vitam conservandam. Igitur quisque potest falsum sibi crimen imponere ad vitandos acerbissimos torturæ dolores, licèt inde occidendus sit.

Nego consequentiam: quia qui pati non vult abscissionem tibiæ, positivè moraliter non causat sibi destructionem vitæ suæ, sed solùm non conservat vitam suam; qui verò falsum sibi crimen imponit coram Judice, non so-

lùm non conservat vitam suam, sed etiam positivè moraliter causat illius destructionem, positivè moraliter Judicem movendo ad eam physicè destruendam. Tam verò intrinsecè malum est per impositionem falsi criminis positivè moraliter causare destructionem vitæ suæ, quàm alienæ.

CAPUT XVIII.

Reus, in judicio criminali legitimè interrogatus, fateri tenetur crimen à se verè commissum, etiamsi pro eo confessio sit morte plectendus.

117 ESt sententia communior & expressa S. Thomæ q. 69. a. 1. contra Lessium, Tannerum, Card. de Lugo, Tamburinum & alios, dicentes non teneri sub mortali, si sit spes evadendi. Sed assertio nostra

Probatur 1°. ratione S. Thomæ, quia *quicumque facit contra debitum justitiæ, mortaliter peccat. Pertinet autem ad debitum justitiæ, quòd aliquis obediat suo Superiori, in his ad quæ jus prælationis se extendit. Judex autem Superior est respectu ejus qui judicatur. Et ideò ex debito tenetur accusatus Judici veritatem exponere, quam ab eo secundùm formam juris exigit. Et ideò si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat. Si verò Judex hoc exquirat, quod non potest secundùm ordinem juris, non tenetur ei accusatus respondere; sed potest, vel per appellationem, vel aliter licitè subterfugere. Mendacium tamen dicere non licet.*

118 Judex autem veritatem à reo exigit *secundùm ordinem juris* (ait S. Doctor a. 2.) *cùm præcessit infamia super aliquo crimine, vel aliqua expressa indicia apparuerunt, vel etiam cùm præcessit probatio semiplena.* Tunc verò infamia præcessit, cùm reus in suspicionem criminis vocatur à multis, qui viri probi & graves habentur, non malevoli, non maledici, non leves, nec aliquâ contra eum sinistrâ affectione præventi; vel cùm accusatus publico rumore talis criminis reus conclamatur; quem rumorem Juristæ *clamosam insinuationem* vocant. Per *expressa indicia*, signa probabilia intellige. Per *probationem semiplenam*, assertionem unius testis omni exceptione majoris.

119 Itaque dum unum ex hisce tribus, Judicis interrogationem præcesserit, reus à legitimo Judice interrogatus veritatem absque ambagibus & æquivocatione, seu mentali restrictione simpliciter confiteri tenetur, licèt certò sciat eâ se confessione ad mortem damnatum iri. Quia *obediendum omni Superiori legitimè præcipienti.* Nec tunc *ipse se prodit, sed ab alio proditur, dum ei necessitas respondendi imponitur, per eum cui obedire tenetur*, ait S. Doctor ad 1. Nec si tunc mentiatur ut se liberet à morte, mendacium ipsius est simpliciter officiosum (ait ad 2.) *sed habet aliquid de perniciosо admixtum.* Quia *cùm aliquis mentitur in judicio, ad excusationem sui, injuriam facit ei, cui obedire tenetur, dum sibi denegat quod ei debet, scilicet confessionem veritatis.* Ad 3^um. verò addit, quòd *ille qui mentitur in judicio, se excusando, facit & contra dilectionem Dei, cujus est judicium*, ipsi negando debitam confessionem laudis (confessio namque veritatis in Dei judicio *est quadam confessio laudis & gloriæ Dei ex ipsius Josue sententia, qui Achan ad veri confessionem adhortatus inquit:* " Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël, " ait Catechismus Romanus, inde inferens, quòd *Deus vult reos verum confiteri, cùm ex judicii formula interrogantur*) *& contra dilectionem proximi, tum ex parte Judicis, cui debitum negat; tum ex parte accusatoris, qui punitur, si in probatione deficiat.*

Probatur 2°. quia contraria opinio crimi- 120
nibus & criminosis omnibus securitatem & impunitatem largitur, ut liberè peccent, dùm plenè convinci nequeunt; nec torturis ad veritatem confitendam adigi queunt, etiamsi semiplena contra ipsos probatio habeatur (cùm iniquum sit ad veritatem confitendam torquere eos qui veritatem confiteri non tenentur.) Atqui hoc est contra judiciorum praxim, quæ ubique gentium, tam apud Ethnicos, quàm apud Christianos, & timoratæ conscientiæ Judices viget, & ut licitam, Reipublicæque bono necessariam agnoscunt, defenduntque SS. Patres, Eusebius Papa epist. 1. ad Galliæ Episcopos (refertur can. *illi qui* 5. q. 5.) Ambrosius l. de Cain & Abel c. 9. Augustinus l. 19. de Civit. c. 6. Et meritò defendunt. Cùm enim in infinito criminosorum numero crimina multa committantur, quæ Reipublicæ salus postulat exemplariter puniri, ordinatiè tamen plenâ probatione convinci non possunt; si eorum authores saltem torturâ adigi non possent ad eorum confessionem, multi, & valdè multi, impunitatis confidentiâ freti, in magnum Reipublicæ malum, ejusmodi crimina liberiùs committerent.

Mira proinde hîc Tamburini laxitas: quip- 121
pe qui non contentus l. 1. in Decal. c. 3. §. 7. dixisse, in dubio an legimè interrogetur à Judice, reum non teneri ad ejus mentem respondere, *etiamsi Judex sub pœna excommunicationis præcipiat. Quia reus & testis sunt in possessione suæ libertatis valendi æquivocare ex causa. Ergo ab hac non possunt deturbari propter dubium legitimæ interrogationis. Causa autem hic semper intervenit, quia semper ii possunt velle custodire jus suum, quo possunt non aperire veritatem ei cui ex certa & manifesta obligatione non debeant.* Idque procedere dicit, etiamsi nonnisi exiguum malum ex manifestata veritate timeatur, *quale esset modicam pecuniam amittere.... Quia prædicta possessio libertatis.... prævalet, sive grave, sive leve damnum timeatur.* Libro 3. c. 4. §. 3. plus audet, utique quòd esto legitimus sit Judex, legitimèque per semiplenam probationem interroget; si tamen periculum vitæ sincerè respondenti subsit, *probabilissimum dicit esse ac*

tutum, reum minimè obligari ad fatendum crimen suum, undè tantum malum sibi parari videat. Quia obligatio ista foret *onus supra naturæ vires difficile.* Unde *in re tam ardua Judex non est Superior.* Numero verò 9. id verum putat, non solùm ubi periculum est vitæ, sed & cujuscumque gravis mali, v. g. gravis infamiæ. Et num. 10. *quid de malo levi?* Etiam tunc à mortali excusat cum æquivocatione negantem crimen à se commissum. *Quia de jure naturæ esse videtur, ut ne leve quidem vulnus mihi infligam,* &c. Ecce ratiunculas, ob quas omnis penè Superiorum potestas vix non radicitùs evertitur. Si enim Judici & Superiori legitimè præcipienti aliquid, unde grave vel leve malum, seu incommodum timetur, parendum non est, quando & in quo parendum erit? Etiam in dubio an Superior legitimè præcipiat, parendum esse constat ex dictis tom. 1. ubi de conscientia dubia.

122 At (inquit Busembaum l. 4. c. 3. dub. 7.) saltem nemo tenetur obedire Superiori in caput suum. Tum quia lex humana communiter non obligat cum periculo mortis. Tum quia inhumanum videtur, ut qui convinci non potest, teneatur præbere arma contra se, quibus occidatur, aut gravem pœnam subeat. Tum quia non videtur tam heroïcus actus præcipi posse.

123 At (inquam ego) commune Reipublicæ bonum, judiciorum praxis, authoritas & necessitas, dilectioque Dei & proximi contrarium exigit, ut probatum est suprà; exigit (inquam) ut in casu assertionis nostræ reus obedire teneatur cum periculo mortis; exigit ut reus veritatem confiteatur, licèt ob confessionem occidendus sit; denique exigit actum illum, tametsi difficilem, præcipi posse, ut etiam præmissa evincunt. Ea proinde in re, licèt ardua, Judex non desinit esse Superior, uti Tamburinus existimat n. 6.

CAPUT XIX.

Nemini licet scripturas publicas ementiri ad innocentiam suam contra testem injustum defendendam, nec ille qui veram apocham, schedulam obligatoriam, seu quodvis aliud instrumentum amisit, cujus defectu gravissimi momenti litem amissurus est, falsum fabricare ac supponere potest absque gravi peccato.

124 TAmburinus l. 9. c. 3. §. 2. postquam in materia invidiosa ad quæstionem, *Quid enim si sodomitam oportet probari esse illum testem* contra te falsò deponentem, *si hæreticum, si excommunicatum*, an hoc licebit ad repellendum ipsius testimonium? velut sub aliena persona *respondebit* (inquit) *aliquis, sibi testis falsus id imputet.* Subjungit: *audio, sed adhuc hæreo. Quid enim si sit necesse publicas scripturas ementiri, possetne Notarius publicus ad hoc induci, si Notario constaret mea innocentia?* Iterùm sub aliena velut persona, *respondebis, quidni? Id enim non est infidelem esse Reipublicæ, sed maximè fidelem, dum ejusdem Reipublicæ innocentes sic defenduntur.* Sic ille, in aliud quidem tempus id evolvendum reservans, & incertum relinquens, an id licitum non sit. Verùm hæresis est dubitare an licitum sit, quod octavo certò prohibitum est præcepto, uti sapienter Curiones Parisienses in scripto suo nono observant. Et verò si certò prohibitum non est, si (inquam) ad casum illum certò se non extendat octavi præcepti prohibitio, juxta eundem Tamburinum certò est licitum. Quia, ut ait l. 1. c. 3. §. 7. *si adhibitâ diligentiâ dubites, an lex ad aliquem casum se extendat, non teneris ad illam, quia tunc possidet libertas, quæ cum sit certa, non potest ligari lege incertâ.* Cui conformiter Terillus in fundam. Th. Mor. q. 23. n. 161. *Lex non obligat, nisi sit sufficienter promulgata; talis autem non est, nisi sit manifestè & evidenter cognita.* Et ante utrumque Caramuel Theol. fundam. edit. Lugdun. n. 275. *Nihil habendum illicitum, nisi quod impingit evidenter in aliquam legem, obligatoriam evidenter.* Tamburiana proinde Decalogi explicatio, verius est ipsius relaxatio, uti Sinnichius demonstrat in Saüle suo Exrege.

Propterea omninò abjicienda est illa ipsius 125
responsio, licèt sub dubio ac veluti aliena sub persona proposita. Sicut & propositio ista Emmanuelis Sa verbo *falsarius* n. 2. edit. 1. *Falsare non est, nec peccatum mortale, amissa scripturæ de hæreditate, aut nobilitate, aliam similem efficere.* Et iterùm apud Guimenium p. 112. n. 2. *Falsificans aliquam privatam scripturam aut syngraphum, aut apocham, fidem facientem se satisfeciisse debito pecuniæ mutuò acceptæ, dum aliam legitimam à creditore acceptam amisit, alio modo non valens probare solutionem, non est damnandus peccati mortalis.* Sunt enim Reipublicæ pernicioſæ opiniones istæ, sunt falsæ, sunt scandalosæ. Quamvis enim similia faciens injuriam non faciat proximo, committit tamen mendacium Reipublicæ, ac publicæ fidei pernicioſum, & ad ea Notarium inducens, inducit ad perjurium, sive ad violandum juramentum ab eo Reipublicæ præstitum.

CAPUT XX.

Octavo præcepto non solùm prohibetur externa locutio contra proximum, sed & interna per dubitationem, suspicionem, opinionem, & judicium temerarium, quorum natura & malitia explicatur.

ANte omnia explicandum est discrimen 126
inter dubitationem, suspicionem, opinionem, & judicium. *Dubitatio* est hæsitatio intellectûs, non magis declinantis in unam, quàm in aliam partem, sed in medio suspensum tenens intellectum. *Suspicio* est inclinatio seu propensio intellectûs ad assensum unius partis, sic tamen ut necdum assentiatur, vel adeò debiliter, ut in primo gradu ultra dubitationem subsistat, in inchoato scilicet, &

imperfecto assensu. *Opinio* est assensus cum formidine. *Judicium*, ut condistinctum ab opinione, suspicione, & dubitatione, est assensus excludens formidinem, seu definitiva sententia, firmaque adhæsio intellectûs ad unam partem.

127 Omnes isti actus, dum procedunt ex levibus indiciis, temerarii dicuntur, temeraria utique dubitatio, temeraria suspicio, temeraria opinio, judicium temerarium. Levia porrò indicia, illa censentur, quæ consideratâ facti & personæ qualitate, aliisque circumstantiis, non sufficiunt ad movendum virum gravem, seu prudentem, ad formandam talem dubitationem, vel suspicionem, vel opinionem, vel judicium.

128 Contingit autem indicia, insufficientia ad judicium, sufficientia esse ad opinionem; & quæ non sufficiunt ad opinionem, sufficere ad suspicionem; quæ denique ad suspicionem non sufficiunt, sufficere ad dubitationem. Cùm enim minus sit dubitare quàm suspicari, minus suspicari quàm opinari, minus opinari quàm judicare, minora requiruntur & sufficiunt ad dubitationem non temerariam, quàm ad suspicionem. Et sic proportionaliter de aliis. Verùm, ut dixi, ad prudenter de his judicandum, præter circumstantiam facti, consideranda est circumstantia personæ, non solùm de qua judicatur, sed & illius quæ delictum alterius narrat.

129 Nam ut benè Natalis Alexander Theol. Dogm. & Mor. to. 10. cap. 10. art. 3. reg. 18. „ indicium quod in uno grave est, in „ altero est leve. Nam si persona de qua judi„ catur, consuetudine illius peccati devincta est, „ cujus ipsam ream putas, vel suspicaris; mi„ nora signa & indicia sufficient ad fundandum „ judicium, vel suspicionem de illo, quàm de „ altero: si v. g. videas juvenem petulantem & „ luxuriosum secretò cum meretrice colloquen„ tem, grave argumentum est, quo judicetur „ illum de libidine cogitare. Si virum gravem, „ & vitæ famæque integerrimæ, ita loquentem „ videas, leve ac insufficiens indicium est: cùm „ potiùs judicare debeas, ipsum cum muliere lo„ qui de re seria & bona, & fortè de ipsius con„ versione.

„ Similiter si persona, quæ alterius peccatum „ narrat, sit gravis & proba, nec de aliis detra„ here, aut falsos rumores spargere solita, nec „ ipsi subinfensa, aut adversus illum commota, „ grave indicium est, quo judices alterum tale „ peccatum commisisse, præsertim si homo vul„ garis est, aut nullius nominis, de quo proba„ bile sit similia commissurum. Si verò alter ille, „ de quo delictum narratur, sit etiam persona „ probitatis opinione, & vitæ integritate com„ mendata; non est fundamentum sufficiens ju„ dicii vel opinionis, sed ad summum dubita„ tionis, extremas inter opiniones suspensæ: for„ tè fecit, quia alioquin talis non assereret: for„ tè non fecit, quia vir probus est, & qui re„ fert, decipi potest.

„ Considerari etiam debet circumstantia temporis; nam si videas hominem ædes alienas „ perfodientem, per fenestras ascendentem, „ aut scalas eis admoventem noctu, clàm & fur„ tivè; sufficiens indicium est ut judices eum, „ vel furandi, vel alterius flagitii perpetrandi „ causâ id agere. Si autem videas aliquem in„ terdiù, palàm, & sub omnium oculis id facien„ tem; non est sufficiens argumentum, ut mali „ aliquid suspiceris. „

Considerandæ est & circumstantia loci: si „ enim in Oppido, ubi cædes plurimæ fiunt, „ videas aliquos noctu armatos huc illuc cir„ cumcursare, quibus tamen non incumbit ex„ cubias agere, custodire civitatem, aut obser„ vare malefactores; non leve indicium est, „ quo facinorosos homines esse judices, ad ali„ quem occidendum aut percutiendum compa„ ratos. Si vides adolescentem & adolescentu„ lam concubiâ nocte, clàm, & in obscuro loco „ colloquentes, & petulanter colludentes, mu„ tuisque amplexibus & osculis indulgentes, „ quos tamen conjuges non esse certò nosti; „ non temerè judicaveris, aliquid mali subesse, „ Secùs si solum quidem cum sola videris col„ loquentem, sed honestè, modestè, ac loco pa„ tente. " Hisce præmissis sit

Assertio prima.

Judicium temerarium est peccatum ex genere suo mortale contra justitiam.

Est communis ac certa sententia S. Thomæ 2. q. 60. a. 3. Et probatur 1°. verbis Christi Luc. 6. *Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini.* Divino ergo judicio condemnabuntur, qui temerè de proximo judicando, ipsum condemnaverint. Nam *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 7. 130

2°. probatur ex Jacobi 4. *Qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem*, id est contemnit & despicit legem, prout Oecumenius ibi interpretatur. Unde verbis istis Apostolus judicium temerarium, detractionem vocat, temerèque judicantem arguit, tamquam divinæ legis condemnatorem, & contemptorem. 131

3°. quilibet habet jus, ne judicetur malus, quamdiù non probatur sufficienter talis; & non solùm ne quis falsum ipsi crimen attribuat, sed & ne quis se periculo exponat falsum crimen ipsi attribuendi; quod profectò facit, qui de proximo temerè judicat. 132

4°. detractio, etiam apud unam solam personam, est peccatum ex genere suo graviter injuriosum proximo, quia per eam exteriùs efficitur, ut malè de ipso sentiatur. Igitur & judicium temerarium, per quod id interiùs efficitur. 133

5°. qui de proximo temerè judicat, ea facta, quæ bono animo fieri possunt, deteriorem in partem interpretando, injuriam Deo facit, Dei judicium usurpando & præveniendo. Sibi namque Deus reservavit de talibus judicium. Unde Apostolus Rom. 14. 134

Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. Et 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus.* Et ideò Augustinus epist. 77. aliàs 136. *Quis ego sum, ut audeam Dei prævenire sententiam, in delendo vel supprimendo* servi Dei *nomine, de quo nec suspicari temerè mali aliquid Episcopus debui, nec dilucidè judicare homo de occultis debui. Cum in ipsis causis sæcularibus, quando ad majorem potestatem refertur arbitrium judicandi, manentibus sicut erant omnibus rebus, expectetur illa sententia.... ne superiori cognitori fiat injuria, si ejus pendente judicio aliquid fuerit commutatum.* Et utique multùm *interest inter divinam & humanam, quàmlibet excelsissimam potestatem.* Et epistolâ 78. *Ne malevolo animo de servis Dei falsa suspicando pereatis, illud Apostolicum recordamini: Nolite ante tempus judicare quidquam, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis.* Et S. Prosper epigrammate 21.

Culpare in quoquam, quæ non sunt nota, malignum est:
Præsertim quæ non cognita, si bona sunt.
Non pateam faciles sævis rumoribus aures:
Quæ nescire juvat, credere non libeat.
Linquantur secreta Deo: qui, siquid opertum est,
Inspicit, & nullis indiget indiciis.

6°. probatur ex S. Thoma loco citato, dicente: *Cùm aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis.... hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi.*

135 Nec peccatum istud rarum est, imò tam frequens, ut ei maxima pars hominum subjecta sit, teste Cæsario serm. 26. in Append. serm. Augustini. Per consequens audiendus non est Tamburinus l. 9. c. 1. n 19 dicens, quòd *rarò mortaliter peccatur per temerarium judicium.* Contrarium enim norunt Confessarii, nec scitur quo fundamento Tamburinus id asserat, nisi fortè quia sequitur opinionem Lessii l. 2. de just. c. 29. dub. 2. n. 9. dicentis, quòd *judicium temerarium non est peccatum, priusquàm advertas, vel dubites, te ex signis insufficientibus judicare. Quia priusquàm advertas, causas ex quibus judicas non esse sufficientes, vel saltem priusquàm de illis dubites, non est illud judicium ullo modo voluntarium, saltem quâ parte temerarium.*

136 Verùm ut in simili ostendimus to. 1. agentes de peccatis ignorantiæ, ad hoc ut judicium temerarium sit voluntarium, etiam quà temerarium, necesse non est actu & formaliter advertere ad insufficientiam indiciorum, de eavè dubitare, sed vel formaliter & actu, vel virtualiter & potestate: cujusmodi advertentia consistit in eo quòd si debitam quis ad hoc diligentiam sepositâ omni passione & præventione adhiberet, nec in fraterna charitate deficeret, eorum insufficientiam actu adverteret, per consequens culpa ipsius sit quòd non advertat. Si tua ergo passio, si mala præventio, si invidia, si odium & malevolentia, seu aliàs charitatis defectus causa sit quòd judicium præcipites, citòque malè judices, causam de qua judicas diligenter non examinando, antequam judices, & ideò actu non advertas insufficientia esse indicia ad taliter judicandum, tibi haud dubiè imputatur: quia ad judicandum procedis absque debita animi dispositione, absque debita etiam veritatis inquisitione, contra id quod dicitur Job. 29. *Causam quam nesciebam diligentissimè examinabam.* Ad quæ verba Gregorius l. 19. Moral. c. 14. nos monitos vult, *ne ad proferendam sententiam unquam præcipites esse debeamus, ne quælibet mala audita nos moveant, ne passim dicta sine probatione credamus*, uti facilè & citò faciunt, qui malè erga aliquem affecti sunt. Quisque enim, prout affectus est, facilè & citò judicat. Et ista mala tua affectio causa est quòd debitam diligentiam non adhibeas, ad veritatis & sufficientiæ indiciorum examen. Causa proinde est temeritatis judicii. Ex quo tandem fit quòd temeritas ista tibi voluntaria sit in causa illa, quòdque proinde temeritatis istius, insufficientiæque indiciorum inadvertentia & inconsideratio culpabilis sit, utpote non invincibilis, sed vincibilis. Eam quippe facilè vinceres, si malum affectum tuum expurgares.

Errant igitur qui actualem ad insufficientiam 137
indiciorum advertentiam ad judicium temerarium requirunt. Si enim requireretur, judicium temerarium non daretur. Nullus enim temerariè judicans, dum sic judicat, unquam actu advertit, vel dubitat, ex signis se insufficientibus judicare, quia ad hoc ut certitudinaliter & sine formidine judicet (in quo temerarium judicium ab opinione differt) necesse est ut motiva judicandi hîc & nunc ipsi proponantur ut sufficientia & certa; si enim actu proponerentur ut incerta & insufficientia, sive per determinatam advertentiam, sive per solam dubitationem, intellectus formare non posset judicium certum firmumque. Eo ipso namque advertentia illa, vel dubitatio formidinem ingereret; cum formidine verò judicium firmum & certum stare nequit, sed opinativum ad summum.

Cæterùm licèt dixerim judicium temera- 138
rium non rarò, sed frequenter esse mortale, non inficior tamen subinde non esse nisi veniale peccatum, vel nullum, sive quia judicium est motus primò primus, absque ullo deliberato voluntatis consensu formatum, ex sola intellectûs promptitudine; sive ob defectum deliberationis perfectæ; sive ob materiæ levitatem, quæ ex supradictis circumstantiis colligenda est; sive quia indicia quibus homo movetur ad judicandum, talia sunt, ut licèt non omninò sufficiant ad certum judicium, propè tamen ad certitudinem accedunt, ita ut efficiant rem valdè probabilem. Non enim tanta videtur distantia inter moralem certitu-

dinem, & probabilitatem valdè magnam, ut notabilis censeatur injuria. Omitto, quòd de temerario plerique judicio se accusant, in quibus judicium nullum fuit, sed nuda objecti repræsentatio ex dæmonis suggestione, vel naturali intellectûs promptitudine.

ASSERTIO SECUNDA.

Etiam opinio, suspicio & dubitatio temeraria peccata sunt ex genere suo mortalia (si notabili cum temeritate concipiantur). tametsi plerùmque non sint nisi peccata venialia.

139 ITa Sotus l. 3. q. 4. a. 3. Molanus Theol. Pract. tr. 3. c. 36. n. 36. Bannez, Medina, Arragonius, Turrianus, Rodriguez, Sayrus, Sylvius, &c. contra Cajetanum, Navarrum, Mastrium, Dianam, Tamburinum, &c.

Probatur 1°. quia Scripturæ loca, ex quibus suprà deduximus temerarii judicii gravitatem, non loquuntur de solo judicio firmo ac certo, sed indistinctè, & generatim de judicio. At verò suspicio, & à fortiori opinio, quædam judicii (generatim sumpti) species est. Proinde dum Jacobus indistinctè dicit, *qui judicat fratrem, judicat legem*, id dicit sive de judicante certitudinaliter, sive cum formidine, &c. Unde etiam *suspiciones malæ* 1. Timoth. 6. inter peccata mortalia recensentur.

140 2°. cùm Augustinus serm. 66. aliàs 202. de temp. diversa de suspicionibus documenta proposuisset, subjungit: *Hæc si diligenter consíderare & observare volumus*, NON DE PARVO PECCATO *cum Dei adjutorio liberamur.* Censet ergo suspiciones ex se, sive ex genere suo non esse parva peccata.

141 3°. idem S. Doctor serm. 306. aliàs 112. de diversi. ostendit grandia mala sequi nata ex pravis suspicionibus, dicens: *Pleraque malæ generis humani non aliunde oriuntur, nisi de suspicionibus falsis. Credis de homine, quòd oderit te, qui fortè amat te; & per pravam suspicionem fis inimicissimus amicissimo. Quid faciat, cui non credis, & cor suum tibi demonstrare non valet?.... Ideò securum te facere voluit ab eo peccato, qui tibi dixit:* „ Diligite inimicos vestros. „ Pravæ proinde suspiciones ex se sunt contra charitatem, quæ *non cogitat malum*, id est (inquit Chrysostomus homil. 33. in 1. Cor. 13.) *non modò nihil mali comparat contra illum qui diligitur, sed ne suspicatur quidem.* Ea verò peccata, quæ ex se sunt contra præceptam charitatem, ac dilectionem, ex se mortalia sunt.

142 4°. idem Augustinus rursum conc. 12. in Psal. 118. temerè suspicantes diabolo similes esse dicit, qui *de occultis Job suspicatus est, quòd non gratis coleret Deum.* Homo verò dici non solet diabolo similis nisi per mortale peccatum. Denique epist. 137. dicit per malevolas suspiciones homines perire: *Ne malevolo animo de servis Dei falsa suspicando pereatis, illud Apostolicum recordamini: Nolite ante tempus judicare.*

5°. S. Thomas q. 60. a. 3. ad 2. & a. 4. in corp. dicit: *Ex hoc ipso quòd aliquis malam opinionem habet de alio*, sine causa sufficienti, indebitè *contemnit ipsum, & ideò injuriatur ei.* Et ad 3. *Tunc judicium suspicioſum directè ad injustitiam pertinet* (ex se proinde, sive ex genere suo peccatum est mortale) *quando ad actum procedit. Et tunc est peccatum mortale. Judicium autem interius pertinet ad injustitiam secundùm quod comparatur ad exterius judicium, ut actus interior ad exteriorem, sicut concupiscentia ad fornicationem, & ira ad homicidium.* 143

6°. juxta Jacobum Apostolum, *qui judicat fratrem, judicat legem*, non minùs proinde peccat, quàm ille qui judicat legem. At mortale est judicare legem esse malam, non solùm certo firmoque judicio, sed etiam judicio opinativo & suspicioso, si plenè deliberatum sit; mortale quoque est dubitare de bonitate & justitia legis absque idoneo & sufficienti fundamento. Ergo, &c. 144

7°. quilibet homo habet jus, ne quisquam malam de ipso habeat opinionem, vel suspicionem, & ne in dubium revocet ipsius bonitatem, quamdiù non apparent sufficientia ad id indicia. Et hoc jus cuique illæsum vult ille, qui graviter præcipit, *Nolite judicare, ut non judicemini*, judicio scilicet condemnationis; sequitur enim: *Nolite condemnare, & non condemnabimini.* Lædit autem graviter jus illud, non solùm per temerarium judicium, sed & per temerarias suspiciones. Unde nullus est vir gravis & probatæ vitæ, qui non existimet gravem sibi injuriam fieri, dum intelligit suam probitatem cum plena deliberatione à quoquam in dubium aut suspicionem temerè revocari, malletque sæpè magnam pecuniæ summam amittere, quàm pravis ejusmodi suspicionibus subjacere. 145

8°. eum qui de persona dignissima, eminentisque probitatis & sanctitatis, ex indiciis valdè levibus, cum perfecta deliberatione, crimen enorme suspicatur, vel in dubium revocat, an non illud commiserit, v. g. hæresim, proditionem, sodomiam, &c. mortale peccatum committere, adeò communis est sensus hominum, ut vix credibile sit, Adversarios pro levi injuria habituros si deprehenderent ejusmodi se suspicionibus, & dubitationibus impeti. Et meritò: si enim graviter injuriosus sit probo Episcopo, vel Religioso, qui ipsum temerè judicat mendacem, ut vel ipse fatetur Tamburinus; rari profectò sunt Episcopi, & Religiosi insignis probitatis, imò rari homines probatæ honestatis ac virtutis, qui non mallent subire judicium de mendacitate, quàm opinionem, suspicionem, vel dubitationem deliberatam de enormibus criminibus illis. Quapropter Isidorus Pelusiota l. 5. epist. 129. contestatur, quòd in suspicionem vocari illos, qui virtutis attigêre culmen, maximè sit calamitosum. 146

Satisfit

Satisfit objectionibus.

147 OBjicies 1°. probabile est quòd detractio apud unum solum prudentem, non manifestaturum, mortale non sit peccatum, licèt fiat absque justa causa. Igitur probabile quoque est, quòd temerarium de aliquo judicium conceptum ab uno solo prudente, id exteriùs non manifestaturo, non sit mortale peccatum.

Nego antecedens, si materia sit gravis, & si ex eo legitimè deducatur istud consequens; utpote quod attentis præmissis probabile non est. Ex probabili namque non sequitur improbabile. Ne ergo consequens istud deducatur, negandum est antecedens esse probabile: cùm de utroque videatur pariformiter philosophandum; eò quòd proximus tam habeat jus, ne vel uni dicatur malus, quando ex vi notitiæ existimationisque publicæ est bonus, quàm ne vel ab uno judicetur malus, quando ex vi indiciorum est bonus.

148 Objicies 2°. opinio & suspicio sunt quid imperfectum in genere judicii. Ergo non sunt mortale peccatum ex genere suo.

Iterùm nego consequentiam: quia licèt sint quid imperfectum in genere judicii, hoc sensu quòd non habeant perfectionem, seu firmitatem & certitudinem judicii temerarii; sunt tamen quid perfectum in genere suo (scilicet opinionis, & suspicionis) quando cum perfecta deliberatione & advertentia versantur in materia gravi.

149 Objicies 3°. S. Augustinus serm. 41. de Sanctis dicit, suspiciones temerarias *ad minuta peccata pertinere, non dubium est.* Quia ad humanam pertinent tentationem, sine qua vita ista non ducitur.

Respondeo S. Augustinum hoc non dicere de suspicionibus plenè deliberatis (utpote quæ non pertinent ad humanam tentationem, sed ad diabolicam; nec tam sunt ex humana fragilitate, seu humano errore, quàm ex malevolentia) sed de levibus, repentinis, & nondum satis deliberatis; ex humana proinde fragilitate, seu humano errore, non ex malevolentia provenientibus.

150 Objicies 4°. S. Thomas q. 60. a. 3. distinguens tres gradus suspicionis: *Primus* (inquit) *est, dum homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipit: & hoc est veniale & leve peccatum; pertinet enim ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur.... Secundus gradus est, dum aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis: & hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale.... Tertius gradus est, cùm aliquis Judex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum*, &c.

Respondeo cum Sylvio & melioribus Interpretibus S. Thomæ, ipsum manifestè ibi loqui ad sensum proximè allatum ad verba sancti Augustini, utpote in quibus se fundat; nec certè verum est quòd sine pravis suspicionibus omninò voluntariis, ac plenè deliberatis vita non transigatur humana, præsertim si sint extraordinariæ illæ, quibus personas eminentis virtutis, ex signis levissimis, vocamus in suspicionem enormis criminis, & vocare continuamus post accessum perfectæ deliberationis. Unde consultò ibi S. Thomas in primo gradu simpliciter non dicit, *qui dubitat*; sed *qui incipit dubitare*; quod rectè non dicitur de eo qui post plenam advertentiam de exorta in se temeraria suspicione, equidem vult eam continuare; sed de eo dumtaxat, in quo dubitatio nondum est perfectè deliberata.

Hinc meliores (ut dixi) Interpretes S. 151
Doctoris censent in primo illo gradu non solam comprehendi suspicionem & dubitationem, sed & opinionem, & judicium temerarium, quatenus ex imperfecta deliberatione surrepunt. In secundo quoque gradu rursus ista omnia contineri, quatenus ex perfecta quis deliberatione pro certo æstimat malitiam fratris velut certam per judicium; vel dubiam, suspectam, opinabilem per dubitationem, suspicionem vel opinionem. Unde quod ibi in secundo gradu dicit de judicio, ad 3^um^. extendit ad opinionem, quòd scilicet non sit sine contemptu & injuria proximi, uti vidimus n. 135.

Objicies 5°. nullum judicium in hac ma- 152
teria est mortale citra certitudinem, ob suam imperfectionem; non quòd ad mortale peccatum semper requiratur judicium certum (cùm dubius in fide sit hæreticus, adeòque mortaliter peccet, nisi indeliberatio excuset) sed quia deficiente certitudine, definitivâque sententiâ, non intervenit completè contemptus proximi, inquit Cajetanus; vel quia non est perfecta temeritas, nec læsio gravis (inquit Tamburinus) quando ille qui sic suspicatur, habet actualiter vel virtualiter formidinem oppositi, estque quasi facilè paratus ejusmodi suspicionem deponere. Quod totum quasi essentialiter imbibitur in ipso actu suspicionis & opinationis.

Respondeo negando antecedens: quia ad gravem proximi læsionem & contemptum, sicut & ad gravem temeritatem necessaria non est judicii certitudo, tametsi necessaria sit ad temeritatem & contemptum usquequaque perfectum, atque ultimatè completum, sine quo complemento haberi potest contemptus gravis, prout haberi potest infamatio gravis sine infamia usquequaque completa; de factoque habetur, dum apud unum virum gravem, non apud multos de alio quispiam detrahit. Nec magis verum est quod Tamburinus addit, omnem temerè suspicantem facilè paratum esse suspicionem deponere, seseque corrigere, si sciret se temerè suspicari. Nam dato quòd hoc verum sit de suspicante suspicione repentinâ & imperfectè deliberatâ; verum profectò non est de suspicione continuante post plenam rationis advertentiam, deliberationemque; si enim taliter dispositus foret,

debitam diligentiam adhiberet ad veritatem cognoscendam, nec ante adhibitam debitam diligentiam continuaret suspicionem post perfectæ deliberationis accessum.

153 Objicies 6°. si dubitatio, suspicio, & opinio forent peccata ex suo genere mortalia, socialis hominum conversatio plena foret scrupulis, periculisque: quia (teste Augustino) in his rerum tenebris humanarum suspiciones vitare non possumus.

Respondeo negando sequelam; tametsi enim omninò vitare non possimus suspiciones subreptitias, repentinas, imperfectèque deliberatas; secùs perfectè deliberatas, præsertim enormes, de quibus suprà. Unde manifestum est de illis Augustinum non loqui. Ne tamen homines timorati, propriæque salutis curam magnam habentes, ob præmissa scrupulizent, uti possunt hâc regulâ (inquit Sylvius, post Sayrum & Arragonium) quòd si non meminerint se consensum dedisse cogitationi, quam habuerunt de gravi malo proximi, anxii esse non debeant de mortali, etiamsi cogitatio illa diù duraverit: quia prudenter credere possunt, se non dedisse consensum, saltem perfectum, post plenam deliberationem, vel sufficientia se ad id indicia habuisse, maximè si post plenam advertentiam, dubitationem vel suspicionem à se non potuerint repellere. Aliud est de intimoratis, deque salute sua parùm sollicitis, sed vitam alienam facilè carpere solitis: ipsi enim in dubio de consensu, semper scrupulum habere debent, seu justam dubitationem de mortali peccato, in materia gravi, seque sub dubio in confessione accusare. Quia, cùm ex communiter contingentibus, in dubio conjectura sumatur, probabile est ipsos consensisse.

CAPUT XXI.

Regulæ secundùm quas dubia meliorem in partem interpretanda sunt, vel non sunt.

154 *Regula prima*: in ordine ad cautelam, vel damnum vitandum, adhibendumque malis nostris remedium, dubia deteriorem in partem interpretanda sunt, non definiendo, sive judicando, vel suspicando, sed eam rebus nostris, vel alienis cautelam adhibendo, dum ignotum vel dubium est an proximus sit malus, quam prudentia dictaret adhibendam, suppositò quòd talis esset. Ita Doctores communiter cum S. Thoma q. 60. a. 4. ad 3. ubi sic: *Interpretari aliquid in deteriorem, vel meliorem partem, contingit dupliciter: uno modo per quamdam suppositionem; & sic cùm debemus aliquibus malis adhibere remedium, sive nostris, sive alienis, expedit, ad hoc ut securius remedium apponatur, quòd supponatur id quod est deterius.* Ratio est, quia sic debemus esse justi erga proximos, de ipsis malè non judicando, nec suspicando, sine sufficientibus indiciis, ut tamen simul prudentes simus in providendo rebus nostris, vel proximi nostri, vel nostræ Communitatis.

Hâc regulâ uti debent parentes erga filios, 155
domini erga servos, Prælati erga subditos, dum dubia ipsis occurrunt indicia malitiæ ipsorum, nihil in animo judicantes, nec sine indiciis sufficientibus suspicantes, eas tamen cautelas, custodias, remediaque adhibentes, ac si mali essent, modò id faciant tanta cum prudentia & discretione, ut nullo modo derogent bonæ ipsorum famæ, nec inferiores in Superiore notare possint malam de se opinionem.

Ex eadem regula suffragatores in Novitia- 156
tibus, finito Novitiatûs tempore, dubitantes de idoneitate Novitiorum, Communitati propositorum, possunt, imò debent ipsis negare suffragium (eadem est ratio electorum ad Prælaturas in Capitulis.) Ita post Venerabilem & Illustrissimum nostrum Joannem à S. Sampsone, D. Joannes Sancius in lib. spiritualium Exercitiorum, Ludovicus de Scildere de princip. consc. tr. 5. Caramuel Theol. Regul. c. 6. n. 470. contra Tamburinum. Probationem vide suprà cap.....

Nec dicas, Novitium in tali dubio judi- 157
cati non posse inidoneum. Neque enim hoc judicat, qui in tali dubio negativum dat ipsi suffragium: utpote per quod non censetur ipsum positivè habere inidoneum, sed solùm non invenisse idoneum, sive in ipso non invenisse sufficientia idoneitatis indicia, ut judicium seu sententiam de idoneitate ipsius ferre queat per suffragium suum admissivum, quod ex sensu Religionis habet se per modum sententiæ de ipsius idoneitate, quam sententiam ferre non potest, qui de ea dubius est.

Dixi, *finito tempore Novitiatûs*: quia, stante ejusmodi dubio, non debet antè dimitti, 158
sed diutiùs probari, ad videndum, an fortè ante finem Novitiatûs, daturi non sint sufficientia suæ idoneitatis indicia.

Regula secunda: ubi non agitur de cautela, 159
damnovè vitando, vel adhibendo malis nostris, vel alienis remedio, dubia de proximo meliorem in partem interpretanda sunt, sive, ut S. Thomas ait loco citato, *ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est.* Est communis doctrina Sanctorum, eique consona sunt varia pronuntiata sapientum, ex quibus formatæ sunt regulæ juris: *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda. In dubio nullus præsumitur nocens. Delictum in dubio non præsumitur, sed demonstrari debet.* Quæ omnia fundata sunt in notissima ista naturæ voce: *Quod tibi non vis fieri, ne feceris alteri. Et omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Sic enim nobis fieri volumus omnes.

Regula tertia: dubia de nobis ipsis, seu 160
actibus nostris, in foro conscientiæ, ubi vertitur animæ periculum, deteriorem in partem interpretari debemus, ut alibi non semel ostendimus.

Regula quarta: dubia de proximo non te- 161

nemur semper interpretari meliorem in partem positivè, prorumpendo in actum opinionis bonæ de proximo; sed solummodò dum de ipso oportet judicare. Aliàs sufficit negativè id facere, malam de ipso opinionem non concipiendo. Ita Cajetanus ad citatum S. Thomæ locum, Bannez, Valentia. Nullo enim præcepto jubemur positivum in omni dubio judicium de proximo ferre, sed solùm bonitatem ipsius ex levibus indiciis in dubium positivè non revocare, & secundùm regulas sequentes nos gerere.

162 *Regula quinta:* si dubitare incipias de proximo, de quo bonam antè habebas opinionem, judiciumque in tali dubio suspendendo, læderetur vel minueretur in te bona de ipso opinio; debes tunc meliorem in partem dubium positivè interpretari. Ita Sotus l. 3. q. 4. a. 4. Quia proximus non solùm habet jus, ut de ipso mala opinio absque sufficientibus indiciis non habeatur; sed etiam ne bona de ipso opinio præconcepta, absque sufficienti fundamento lædatur, vel minuatur. Atqui dubium exortum non est sufficiens ad id fundamentum, ut constat ex laudatis regulis juris, sapientumque pronuntiatis.

163 *Regula sexta*: sive dubium de proximo ex levibus, sive ex gravibus indiciis sit exortum, non sufficit omninò negativè se habere, sed in bonam partem se oportet inclinare, saltem in præparatione animi; quamvis per se loquendo necesse non sit formaliter & explicitè meliorem in partem dubium interpretari, sed satis sit exortam dubitationem ita compescere, ut animus æquè paratus sit ac anteà bonam de ipso opinionem, ubi & quando opus fuerit, formaliter concipere. Quia satis est quòd bona opinio, de proximo præconcepta, in nullo lædatur, minuaturvè. Siquidem hoc posito non apparet cur debeamus caput nobis frangere, ut prorumpamus in formalem actum opinionis, quo absolutè judicemus talem hominem esse probum; si enim nullum in nobis dubium exortum fuisset, in eum prorumpere necesse non fuisset.

164 *Regula septima*: practicè loquendo, ubi de cautela non agitur, proximum in dubio sic tractare debemus, ac si bonus esset, exhibendo ipsi consueta charitatis & honoris officia, sicque in praxi, & vitæ civilis usu, dubia in animo obversantia contemnendo, cumque ipso agendo, ac si nullum de ipso dubium in animo nostro obversaretur. Quia justum non est, consuetis officiis charitatis & honoris spoliare proximum, ob solum exortum dubium.

Objectionibus obviàm itur.

165 OBjicies 1°. verum dubium tunc est, quando non occurrunt sufficientia motiva particularia, sive in bonam, sive in malam partem. Atqui malum est tunc judicare, sive in bonam, sive in malam partem. Est enim temerè judicare: quia absque sufficienti fundamento. Temerè verò judicare, sive in unam, sive in alteram partem, malum est.

Respondeo, meliorem in partem interpretari dubium de proximo, secundùm allatas regulas, non esse temerè judicare, sed rationabiliter, ac secundùm regulas juris & prudentiæ, prout ex dictis constat.

Objicies 2°. nemo tenetur erroris ac falsitatis periculo se exponere. Sed hoc facit, qui bonam in partem judicat in dubio. 166

Respondeo, eum qui dubia de proximo meliorem in partem negativè interpretatur, nulli se erroris ac falsitatis periculo exponere. Et quamvis ea interpretans positivè, exponat se periculo metaphysico ac speculativo erroris ac falsitatis; non tamen morali & practico: cùm ea interpretetur secundùm principia moraliter & practicè certa. Certum quippe est, ex communi doctrina Sanctorum, laudatisque prudentiæ regulis, ea sic esse interpretanda, & ut S. Thomas ait 1. 2. q. 57. a. 5. ad 3. *verum intellectûs practici aliter accipitur, quàm verum intellectûs speculativi, ut dicitur in 6. Ethic. Nam verum intellectûs speculativi accipitur per conformitatem intellectûs ad rem, &c. verum autem intellectûs practici accipitur per conformitatem ad appetitum rectum*, & regulas morum, utique (in casu nostro) per conformitatem ad regulas justitiæ, prudentiæ & charitatis, ac denique per conformitatem ad istud generale juris naturalis principium, *Quod tibi non vis fieri*, &c. Unde Augustinus l. de un. baptism. contra Petilian. c. 6. *Puto* (inquit) *nos justiùs posse reprehendi, si ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen ullâ testificatione demonstrant, nocentes potiùs quàm innocentes crediderimus: quia si forte aliter veritas habet, ipsi certè humanitati*, justitiæ, charitati *debitum redditur; cùm homo de homine nihil mali temerè suspicatur, nec cuivis criminanti facilè credit.* Et Hieronymus epist. 99. ad Asellam: *Tu benè facis, quòd in tua mente, etiam malos, bonos putas: periculosum quippe est de servo alterius judicare, & non facilis venia, prava dixisse de rectis.* Similia habet S. Thomas num. 168. referendus.

Accedit quòd speculativæ etiam falsitatis periculum caveri queat, dubia de proximo sic meliorem in partem interpretando, ut speculativum judicium de bonitate ipsius Deo relinquentes, solùm practicè judicemus ipsum à nobis habendum bonum, dum non constat esse malum; in eo quippe nulla falsitas esse potest: cùm certissima veritas sit bonum esse à nobis hominibus honorari proximum, etiam honore indignum in notitia Dei, quamdiù talis non est in notitia hominum, quâ homines diriguntur. 167

Objicies 3°. in dubiis præsumendum quod frequentiùs accidit, juxta regulam istam juris, *Inspicimus in obscuris quod verisimilius est, & quod utplurimùm fieri consuevit.* Sed frequentiùs accidit homines esse malos, quàm bonos; 168

bonorum enim finitus, malorum seu *stultorum infinitus est numerus.*

Respondeo, in dubiis de proximo, esse præsumendum quod frequentiùs accidit, quando in eo nullum est periculum injuriæ proximi. Quod periculum est in casu nostro; & ideò id potiùs præsumendum, quod à periculo isto est alienum, juxta aliam juris regulam: *In dubio via tutior eligenda est.* Unde S. Thomas hîc a. 4. ad 1. ait: *Potest contingere, quòd ille qui in meliorem partem interpretatur, frequentiùs fallatur. Sed melius est, quòd aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quòd rariùs fallatur, habens malam opinionem de aliquo homine bono: quia ex hoc fit injuria alicui; non autem ex primo.*

Objicies 4°. *semel malus, semper præsumitur malus* reg. 8. juris in sextò. 169

Respondeo regulam istam procedere in ordine ad cautelam; non in ordine ad judicium, in foro conscientiæ, de proximo ferendum.

LIBER UNDECIMUS.

De Præceptis Ecclesiæ.

Quinque Ecclesiæ Præcepta dinumerari solent, versibus hisce comprehensa:

Festa colas, præsens Sacro, jejunia serves:
Annua sit saltem scelerum confessio, Pascha
Tempore percipies Christi venerabile Corpus.

De primo Præcepto egimus ad tertium Decalogi præceptum. De secundo, quarto & quinto acturi sumus, Deo dante, to. 3. De secundo scilicet & quinto, libro 4. de Eucharistia. De quarto, libro 5. de Pœnitentia. Solum proinde superest hîc exponendum tertium Præceptum: *Jejunia serves.* De ipsius namque observantia sollicitus est

Amor Dei ministrum sese exhibens in jejuniis.

JEjunium amant amatores Christi, utpote qui Apostolo teste Galat. 5. *carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis.* Enimverò qui Christi amatores sunt, cum gaudio Apostolicum istud usurpant 1. Cor. 9. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei Ministros, in vigiliis, in jejuniis, in castitate.* Sciunt enim per jejunium carnis petulantiam coërceri, juxta illud: *Carnis terat superbiam potûs cibique parcitas.* Sciunt quòd jejunium, Hieronymo teste, *non solùm perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est, & sanctificatio;* quòdque (attestante Augustino) *jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentia nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, & castitatis lumen accendit.* Sciunt quòd *si jejunet oculus à curiosis aspectibus, jejunet auris nequiter pruriens.... jejunet lingua.... jejunet manus.... jejunet stomachus,* Deo acceptissimus religionis cultus exhibetur, orationi & cælestium contemplationi anima præparatur, Divina Majestas peccatis nostris offensa placatur, peccatorum venia impetratur, imminentia mala avertuntur, beneficia Dei, tam temporalia quàm spiritualia impetrantur. Unde ad avertendam à Ninivitis Dei iram, etiam pueri & jumenta jussa sunt jejunare, & tria Christianorum millia, in Palestina, jejunio armata, quadraginta Saracenorum millia prostrarunt. Sciunt denique quòd *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*; & ideò concludunt cum Augustino serm. de utilit. jejunii: *Si ergo caro in terram vergens onus est animæ, & sarcina prægravans volantem; quantùm quisque delectatur superiore vitâ suâ, tantùm deponit de sarcina sua. Ecce quod agimus, jejunantes.*

CAPUT I.

Jejunii definitio, & tria ad illud requisita.

JEjunium quadruplex assignari potest, spirituale, morale, naturale, ecclesiasticum. 1
Spirituale est abstinentia à vitiis & peccatis, juxta illud Augustini tr. 17. in Joan. *Jejunium magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus sæculi*; verùm istud non est jejunium propriè dictum, sed metaphoricum. *Morale*, sive virtutis, est abstinentia à cibo & potu, juxta temperantiæ regulas, ita scilicet, ut non plus cibi & potûs sumatur, quàm ratio dictat. *Naturale*, est abstinentia ob omni cibo & potu. *Ecclesiasticum*, de quo hîc, est *abstinentia à certo ciborum genere, pluribusque refectionibus, juxta formam ab Ecclesia præscriptam.*

Forma illa ab Ecclesia præscripta, in tribus 2
consistit: 1°. in abstinentia à certis cibis. 2°. in abstinentia à pluribus refectionibus. 3°. in certa refectionis hora. Et ista sunt tria ad jejunium ecclesiasticum requisita.

Primum itaque requisitum est abstinentia 3
à certis cibis, principaliter à carnibus, quarum esus in die jejunii peccatum est mortale, nisi materiæ parvitas excuset. Eam quippe Doctores communiter admittunt, sed nonnulli nimis laxè determinant ad dimidiam carnis unciam; quod vel ipse Diana (aliàs tam benignus) velut nimis laxum rejicit p. 10. tr. 14. resol. 32. octavam ipse unciæ partem cum pluribus aliis designans. Sed & an ista quantitas sumi queat absque mortali, incertum est. Et ideò qui eam in die jejunii, absque causa excusante, voluntariè comedisset, confiteri teneretur tamquam de mortali dubio, imò tam-

quàm qui voluntariè se exposuisset peccati mortalis periculo. Hoc enim facit, quisquis voluntariè facit aliquid illicitum, quod an mortale sit, an veniale, est prorsus incertum. Quisquis proinde in ejusmodi incerto sollicitè non cavet periculum, incidit in Oraculum istud: *Qui amat periculum, in illo peribit.*

4 Abstinentiam verò à carnibus, certis diebus Ecclesia præcipit, non quòd eas secundùm se malas existimet, vel hominem coinquinantes, ut plerique olim hæretici senserunt, sed quia abstinentia ab illis affligit carnem, justumque & sanctum est eam affligere ob fines ante caput 1. enarratos. Hoc enim præcepit Deus Levit. 16. Hoc fecisse Sanctos, constat ex Tob. 12. Judith. 9. Esther 4. Daniel. 10. Joël 2. Luc. 2. Matth. 6. Actor. 13.

5 Ob eamdem rationem Ecclesia diebus jejunii præcipit quoque abstinentiam ovorum & lacticiniorum, quia illa omnia à carne *sementinam trahunt originem.* Videri potest S. Gregorius relatus dist. 4. cap. 6. In diversis tamen locis, ut in Belgio nostro, lacticiniorum usum consuetudo permittit, etiam in Quadragesima, exceptis paucis diebus, quos Episcopi designare solent. Extra Quadragesimam etiam permittit esum ovorum. Servanda proinde generalis regula, secundùm quam diebus jejunii abstinendum est à cibis vetitis, nisi eos legitima consuetudo permittat.

6 Hinc licèt pluribus in locis *esum ovorum* consuetudo permittat extra Quadragesimam; in Hispania tamen, & bona Galliæ parte usus ille non permittitur, imò nec esus lacticiniorum. Propterea S. Thomas q. 147. a. 8. ad 3. *In jejunio* (inquit) *Quadragesimalis interdicuntur universaliter etiam ova & lacticinia. Circa quorum abstinentiam in aliis jejuniis diversæ consuetudines existunt apud diversos; quas quisque observare debet, secundùm morem eorum, inter quos conversatur. Unde Hieronymus dicit, de jejuniis loquens:* „ Unaquæque Provincia „ abundet in suo sensu, & præcepta Majorum „ leges Apostolicas arbitretur. „ Tametsi enim *jejunium in communi cadit sub præcepto legis naturæ; determinatio temporis, & modi jejunandi, secundum convenientiam & utilitatem populi Christiani, sub præcepto est juris positivi ecclesiastici*, ait S. Doctor a. 3. in corp. *Per actus verò maximè multiplicatos, qui consuetudinem efficiunt, mutari potest lex* humana, *& exponi* (uti docet 1. 2. q. 97. a. 3. in corp.) ... *& secundùm hoc consuetudo & habet vim legis, & legem abolet, & est legum interpretatrix.*

7 Ubi ergo consuetudo est non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima, eam esse obligatoriam certum est ex communi fidelium sensu, Majorumque traditione; nec non ex Ecclesiæ declaratione, quæ propositionem hanc Pellizarii in Manuali Regular. to. 1. tr. 5. c. 5. per Alexandrum VII. damnavit: *Non est videns, quòd consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget.* Cùmque obligatio ista sit in materia gravi, erravit Fagundez apud Lumbierum nostrum observat. 29. ad propos. damnat. n. 773. dum scripsit, non obligare sub mortali; in contrarium namque semper fuit communis sensus fidelium, traditioque Majorum, prout Lumbierus testatur ibidem. Qui etiam n. 772. meritò improbat Modernos aliquos Theologos, qui severè inquirendo circa varias consuetudines ecclesiasticas, communi existimatione obligatorias, an haberent omnia ad obligandum necessaria, nec ne, cùm habere omnia certò & liquidò assequi non possent, eas à pacifica obligandi possessione (in qua dudum perstiterant in tota Ecclesia Dei) deturbare conati sunt, & non obligare censuerunt, nisi constaret esse fundatas in aliquo voto, vel lege. Ita nominatim Arriaga to. 2. in 1. 2. disp. 25. n. 8. qui per hoc patentissimam laxitatibus multis januam aperuit, justissimamque meruit reprehensionem, quòd nimis emungendo elicuerit sanguinem. Nisi enim immemor fuisset oraculi Sapientis: *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, aliud quærere non debuisset majus fundamentum obligationis earum, quàm immemorialem Majorum nostrorum traditionem, ab universo populo Christiano sic intelligente receptam.

Secundum requisitum ad jejunium eccle- 8
siasticum, est abstinentia à pluribus refectionibus. Quia, ut S. Thomas ait a. 6. *jejunium ab Ecclesia instituitur ad concupiscentiam refrænandam; ita tamen quòd natura salvetur. Ad hoc autem sufficere videtur unica comestio, per quam homo potest naturæ satisfacere, & tamen concupiscentiæ aliquid detrahit, diminuendo comestionum vices. Et ideò Ecclesiæ moderatione statutum est ut semel in die à jejunantibus comedatur.* Idque probat Ecclesiæ, tam modernæ, quàm veteris consuetudo. Olim namque jejunantes nonnisi vespere, vel horâ nonâ, id est tertiâ vespertinâ comedebant. Unde Gregorius Nyssenus orat. in principio jejunii reprehendit eos, qui dilationem refectionis usque ad vesperam impatienter ferebant, quasi *gravarentur sole tardiùs ad occasum tendente. Dies solito longiores appellitant.* Modernæ verò Ecclesiæ consuetudo, ultra prandium, cœnulam quidem permittit, quam collationem vocant, non solùm ne potus noceat, sed alicujus etiam alimenti gratiâ, sed non cœnam.

Porrò cœnulam illam consuetudo introdu- 9
xit; & ideò mensura & quantitas illius ex probata piorum & timoratorum consuetudine determinanda est, non eadem in omnibus & ubique, sed alia & alia secundùm diversas corporum complexiones, laborumque ac regionum diversitatem, quarum aliæ aliis frigidiores sunt; ideòque alii aliis majore cibo indigent. Unde periculosè nonnulli Casuistæ, pro suo quique arbitrio, pro mensura illius universim assignant, alii tres uncias cibi, ut Graffius; alii quatuor, ut Victorellus; alii sex, ut Villalobos; alii octo, ut Fagundez, Sanchez, & alii, tam laxè, ut Joannes San-

cius istam quantitatem, mediam utique libram permittat, non obstante quòd eâ quispiam ita maneret saturatus, ac alius qui cœnaret splendidè. Quod certè communis piorum ac timoratorum sensus & usus non probat. Alii denique permittunt quartam partem cœnæ ordinariæ, ut Reginaldus, Layman, Filiutius. Sed quia & hoc videtur pro arbitrio dictum, tutiùs elige cum timorationibus minus, quàm cum minùs timoratis amplius periculosè sumere: quia in rebus incertis ac dubiis tutius est eligendum. Quantitas proinde adeò modica sumenda est, ut nec cœnula vertatur in cœnam, nec (inquit Natalis Alexander) æquivaleat ei quod pro jentaculo juvenes accipere solent diebus jejunio non obstrictis. Sanè D. Carolus Borromæus in disciplina familiæ suæ p. 1. tit. *de gubernat. spirit.* in cœnula *panis unciam cum dimidia, & vini poculum tantùm* concedebat iis qui indigebant. Sed nec hoc scrupulosiùs urgendum, nec fideles obligandi ut panem suum appendant in statera. Moraliter proinde intelligendum, nec statim culpandus, qui paulò plus sumit, uti nec (in Belgio nostro) qui cum modico panis, butyrum, caseum, vel etiam piscículos in modica sumit quantitate (licèt hoc P. Alexander non probet) sic enim habet piorum consuetudo.

10 Tertium requisitum est certa refectionis hora, quæ secundùm hodiernum Ecclesiæ morem est meridies, vel circiter, licèt olim Quadragesimale jejunium ad tempus vespertinum protraheretur. Missa namque celebrabatur horâ nonâ (inquit Natalis Alexander) seu tertiâ pomeridianâ; Missam Vesperæ sequebantur; post Vesperas refectio sumebatur. Medio circiter sæculo X. refectionis hora erat, dum horâ nonâ peractâ, vespertina incipiebat. Tempore S. Thomæ, horâ nonâ refectio sumebatur. Sed tandem Ecclesiâ permittente, horâ sextâ, seu meridianâ, vel circiter, non antè, refectio sumi potest. Ita enim universalis obtinuit consuetudo. Ut tamen aliquod maneret vestigium ac monumentum veteris illius Disciplinæ, vespertinum ante meridiem Officium in Quadragesima celebratur, ut memores sint Christiani, olim refectionem in Quadragesima permissam non fuisse, antequam vespertinum Officium celebratum fuisset.

11 Dixi 1°. quòd refectionis hora est meridies, vel circiter: mediâ namque horâ ante meridiem, etiam in Quadragesima, refectionem sumere, variarum Religionum consuetudo est, Ecclesiâ permittente, seu earum Constitutiones sic præscribentes approbante, prout Urbanus VIII. & Innocentius X. nostras approbarunt p. 1. c. 16. n. 7. diebus jejunii Ecclesiastici prandii signum mediâ post undecimam dari statuentes.

12 Explodendum igitur est (inquit Natalis Alexander to. 9. c. 5. a. 7. reg. 13.) quod asserere quidam non dubitarunt, non solvi jejunium, cùm anticipatur, sine justa causâ, hora comedendi, die jejunii, prandium sumendo unâ horâ ante meridiem in hyeme. Sicut & quod nonnulli scribunt, Religiosos Mendicantes, & qui eorum privilegia participant, jejuniorum diebus posse duabus horis hyeme, tribus æstate, ante meridiem, mensæ accumbere, ex causa studii, negotii, &c. etiam sine peccato veniali.

Multò magis improbandi videntur Lessius, 13
Bonacina, Vidal, & alii 29. quos refert sequiturque Leander hîc q. 8. aientes, solùm peccare venialiter, eos qui notabiliter, v. g. ad tres vel quatuor horas, horam refectionis absque justa causa antevertunt. Nimiùm profectò laxa est opinio ista, communi timoratorum fidelium sensui, atque Ecclesiæ consuetudini contraria, nec solidâ ratione suffulta. Ratio namque istius opinionis est quòd hoc non sit contra essentiam, sed contra accidentalem dumtaxat conditionem jejunii; cujus violator jejunium, seu substantiam ipsius non solvit, cùm equidem jejunet tot horis, quot oportet.

Sed Casuistas illos refellit S. Thomas in 4. 14
dist. 15. q. 3. a. 4. quæstiunc. 3. dicens: *Ille jejunium solvit* (mortaliter proinde peccat) *qui Ecclesiæ determinationem non servat. Unde cùm Ecclesia instituerit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit*; licèt paululùm anticipare, v. g. horâ dimidiâ ante meridiem, moraliter pro non anticipatione reputetur, ut suprà dixi. *Non enim* (prosequitur S. Doctor) *Ecclesia intendit arctare ad subtilem temporis inspectionem, nec oportet astrolabium accipere ad horam comestionis cognoscendam. Unde sufficit, si circa illam horam, quam Ecclesia instituit, jejunans sumat cibum. Ad jejunium enim* (ut ait 2. 2. q. 147. a. 7. ad 2.) *requiritur hora determinata, non secundùm subtilem examinationem, sed secundùm grossam æstimationem.*

Eosdem Casuistas refellunt Covarruvias l. 15
4. variar. c. 10. n. 16. Navarrus c. 21. n. 27. Paludanus in 4. dist. 15. q. 4. a. 4. Sylvester verbo *jejunium*. Cajetanus verbo *jejunium*. Et quâ (amabo) ratione Adversarii probant, refectionis horam minùs esse de substantia jejunii, quàm duo priora requisita? Nullâ profectò. Irrationabilis proinde, infundataque est opinio ipsorum, & (præter dicta) contra se habet can. *solent* de Consecr. dist. 1. dicentem, quòd *nullatenùs jejunare credendi sunt, qui in Quadragesima antè manducaverunt, quàm vespertinum celebretur Officium.* Habet & Concilium Rothomagense anni 1072. statuens, ut *nullus in Quadragesima prandeat, antequam horâ nonâ peractâ, vespertina incipiat.* NON ENIM JEJUNAT, QUI ANTE MANDUCAT. Non dicit, non jejunat perfectè, vel secundùm omnem conditionem, etiam accidentalem jejunii; sed simpliciter & absolutè, *non jejunat.*

Ex assertione tamen nostra Sanctius in se- 16
lect. disp. 53. non benè infert, eum qui manè,

nè, justa vel injusta de causa prandium sumpsit, non teneri ampliùs eo die jejunare, eò quòd jejunii essentiam formamque destruxerit, ideòque ampliùs jejunare non possit. Videtur enim Sancius de numero esse ingeniorum, in opiniones Christianæ vitæ relaxativas prurientium; quippe qui assertionem illam nostram ex solo simplicis veritatis amore non videtur amplexus, sed ut ex antecedente verissimo consequens inferret falsissimum, atque à communi sensu piorum fidelium alienissimum.

17 Prorsus ergo neganda est illatio, seu consequentia illa. Tametsi enim refectionis hora sit quasi de essentia, seu potiùs substantia jejunii, non est tamen tota substantia illius, sed pars substantiæ dumtaxat. Unde cùm ille, de quo in casu, totam non destruxerit substantiam jejunii, sed supersint duæ partiales substantiæ illius non destructæ, eas servare tenetur. Impotens enim ad totum, non excusatur à parte, ad quam est potens, uti vidimus l. 1. de legibus.

CAPUT II.

Variæ quæstiones ex dictis resolvuntur, variæ etiam opiniones ob nimiam laxitatem refelluntur.

18 QUæritur 1°. an non habens alium die jejunii cibum, nisi carnes, eas comedere possit. 2°. an justa de causa dispensatus super carnium esu, eo ipso absolutè dispensatus censeatur à jejunio, ità ut plures refectiones sumere possit. 3°. an iis in locis, quibus in Quadragesima prohibitus est esus ovorum, lacticiniorumque, etiam prohibitus censendus sit Dominicis Quadragesimæ. 4°. an illis diebus, quibus ova & lacticinia permittuntur, etiam pinguedo & laridum permittatur. 5°. an in Quadragesima licitus sit esus anatum marinorum. 6°. an etiam esus panis biscocti, in quo aliquid est ovi, ubi ova non sunt permissa. 7°. an pueris ante septennium liceat ministrare carnes, & alia diebus jejunii prohibita. 8°. an ille qui jejunium per secundam violavit refectionem, in tertia, quarta, &c. peccet. 9°. an peccet mortaliter, qui in die jejunii manè sumit prandium. 10°. an licitum sit cauponariis, diebus jejuniorum præsentare cœnam obligatis ad jejunium, quos probabiliter, imò certò sciunt illud violaturos?

19 Ignosce Lector, quòd has quæstiones Christianus Christianis proponam, de quibus (exceptâ saltem 5. 6. & 7.) nulla inter Christianos esse deberet controversia. Nec enim à me proponuntur, tamquam in dubium revocante quid circa eas tenendum sit; sed ut agnoscas, cordate Lector, quousque novaturientium Casuistarum laxitas se extenderit.

20 Ad primam itaque quæstionem Pasqualigus decis. 49. & Vidal de jejunio inquisit. 1. n. 72. affirmativè respondent, etiamsi panem habeat; imò etiamsi (inquit Pasqualigus) per unicum solum diem aliis careret cibis, præter panem. Verùm ut hoc tolerabile videri posset pro personis delicatis, & assuetis delicatioribus cibis, quæ solo pane vesci non possent, absque notabili corporis detrimento: secùs pro personis robustis, & assuetis vilioribus escis; quibus non ita grave est uno vel altero die solo vesci pane. Ecclesiæ namque præceptum servare debent quicumque sine notabili gravamine, vel corporis detrimento possunt. Aliud fortè videri posset, si per plures dies solo pane vesci deberent, qui aliis cibis assueti sunt. Quo casu carnium esum ipsis permittunt Anglez, Vega, aliique plures. Sed nec istis id concedendum foret sine dispensatione, saltem Pastoris sui. Nec hoc nimis rigorosum dicent, qui meminerint, quòd cùm imperante Justiniano gravis Constantinopoli urgeret fames, jussisset-que Imperator, secundâ Quadragesimæ hebdomadâ carnes in macello venum exponi, fideles ab iis emendis & edendis prorsus abstinuisse, *mortem sibi potiùs tolerandam ac subeundam existimantes, quàm ut quidpiam de patriis moribus ac traditionibus immutarent.* Item quòd Concilium Toletanum VIII. decernit eos, *quos etas inurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non aniè prohibita violare præsumere debere, quàm à Sacerdote permissum accipiant.*

21 Ad secundam similiter affirmativè respondent Toletus, Azorius, Filiutius, &c. Tum quia qui non tenetur à carnibus abstinere, non tenetur jejunare. Nec enim potest: cùm jejunii essentia non consistat cum carnium esu; essentiæ namque rerum, juxta Philosophum, sunt sicut numeri, consistuntque in indivisibili. Tum quia abstinentia à carnibus est potior seu principalior pars seu conditio jejunii (unde causa gravior requiritur ad dispensandum in abstinentia à carnibus, quàm ad dispensandum in abstinentia à secunda refectione) major verò pars trahit ad se minorem, & minor sequitur majorem, cap. *per tuas* de arbitr.

22 Verùm hisce philosophicis argutiis Ethica Christiana non innititur, sed christianis rationibus sequentibus, quibus doctrina illa validè refellitur. Prima est quia, ut sapienter observat Cajetanus in Summa, verbo *jejunium* cap. 3. n. 8. *moralia præcepta*, non philosophicè, sed *moraliter sunt interpretanda in executione, ut mos bonus intentus, in executione, quantum fieri potest, servetur. Satisfacit enim Ecclesiæ præcepto, qui impotens ad jejunium totius Quadragesimæ, alternis diebus jejunat, aut bis aut ter in hebdomada, juxta vires suas.* Et si hoc possit, ad hoc tenetur. *Et similiter qui jentaculo serotino, seu collatione eget pro sustentatione naturæ, non est propterea licentiatus ut cœnet.* Nec licentiatus erat olim, cùm jentaculum istud aliis non permittebatur. Nec, ob infirmitatem, licentiati ad sumendam refectionem ante nonam, vel vesperam, propterea licentiati erant, vel ad edendas carnes, vel ad plures refectiones. Sicuti nec mo-

dò ob neceſſitatem licentiati die feſto ad opera ſervilia, licentiati ſunt ad Miſſam non audiendam, ſi eam audire poſſint. Nec excuſati ab una parte, etiam majore, Horarum, ab omnium recitatione illicò excuſantur. Nec ob impotentiam deobligati à ſolvendo toto ære alieno, deobligati ſunt à ſolvenda parte quam poſſunt. Atque ex his eruitur

23 Secunda ratio: quia lex plura continens, ſi ſervari nequeat in toto, in eo ſervanda eſt, in quo ſervari poteſt; nec deobligatus (ob impotentiam) à toto opere præcepto, deobligatus eſt à parte ad quam eſt potens, ſi præceptum de re ſit diviſibili. Id namque Eccleſia declaravit, dum cap. *cùm dilecti* de dolo & contumac. ſtatuit, quòd cùm *duo mandantur, v. g. ut quis ad Judicem veniat, & ad diem ſibi præfixum accedat.... ſi venire non poſſit ad diem aſſignatum, tenetur nihilominùs ſe Judici præſentare, nec ideò erit à mandato ſolutus.* Dum etiam per Innocentium XI. damnavit hanc propoſitionem 54. *Qui non poteſt recitare Matutinum & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur: quia major pars trahit ad ſe minorem.* Videri poſſunt quæ hac de re dixi lib. 1. cap. 21.

24 Tertia ratio: ſicut præceptum *accedendi ad Judicem tali die* duo diſtincta complectitur, unum accedendi ad Judicem, alterum accedendi tali die, prout dicitur capite illo *cùm dilecti*; ſic præceptum jejunandi tria complectitur: unum, pluſquàm unam refectionem; ſecundum, carnium eſum; tertium, refectionem ante talem horam prohibens; nec iſtorum unum ab altero inſeparabile eſt, vel dependens; quamvis enim Dominicæ Quadrageſimales à primo & tertio, non tamen à ſecundo liberæ ſunt. Non ſunt igitur immunes à primo & tertio, quicumque per diſpenſationem immunes ſunt à ſecundo. Diſpenſativa namque immunitas cauſam requirit, illiuſque cognitionem. Aliàs non tam diſpenſatio erit, quàm diſſipatio. Non rarò verò contingit, eſſe cauſam diſpenſandi in ſecundo; non eſſe verò diſpenſandi in primo & tertio. Tunc proinde Superior Eccleſiaſticus cenſendus non eſt velle diſpenſare ultrà quàm cauſa ſe extendit. Cùm igitur actus agentium non operetur ultra intentionem eorum: diſpenſatus ab abſtinentiæ lege, ob infirmitatem, ſi duplici non egeat refectione, nec anticipatione horæ, cenſendus non eſt diſpenſatus in iſtis. Maximè cùm diſpenſatio ſtricti juris ſit (utpote exorbitans à jure communi;) ſtrictè proinde accipienda, non amplè; reſtringenda, non extendenda, cap. *is qui* de filiis Presbyterorum in ſexto.

25 Nec obſtant argutiæ, ſeu ratiunculæ allegatæ in contrarium. Prior namque ſoluta eſt num. 17. Poſteriorem in ſimili reprobavit Innocentius XI. ſuprà num. 23. in fine. Vide dicta de Legibus citato cap. 21.

26 Ad tertiam quæſtionem, negativè reſpondent Paſqualigus deciſ. 72. Llamas, Eſcobar, Machado, Martinus de San Joſeph. Sed in contrarium meritò ſtant Doctores communiter. Stat etiam communis piorum fidelium ſenſus & conſuetudo, opinionemque illam S. Congregatio Indicis, & ſancti Officii, è libro quodam deleri juſſit, teſte Diana p. 10. tr. 11. reſol. 46.

Ad quartam, pudor eſt iſtiuſmodi quæſtionem à Caſuiſtis moveri, & à pluribus ipſorum affirmativè reſolvi: cùm negativa reſponſio certa ſit, ubi conſuetudo non invaluit in contrarium (ſicut in quibuſdam Brabantiæ & Hannoniæ locis invaluit conſuetudo edendi pinguedinem & juſculum ex carnibus, ſabbathinis diebus, in quibus non eſt jejunium eccleſiaſticum) quia licèt pinguedo non ſit caro, magis tamen ad carnem pertinet quàm ova & lacticinia, imò ad carnem reducitur, ſicut medulla, nervi, cartilagines. Et idem à fortiori eſt de lardo; quod ne in dictis quidem Brabantiæ locis permittitur, licèt pinguedo permittatur, communique fidelium exiſtimatione prohibitâ carne prohibitum cenſetur. 27

Ad quintam, marini anates, quibuſdam in locis (ut juxta Bononienſem agrum, in Gallia) ex lignis navigiorum putrefactorum naſcentes in littore maris, omnibus conſideratis à Medicis judicati ſunt piſces, vel ad genus piſcium reductivè pertinentes. Et ideò à timoratis, etiam Regularibus, abſque ſcrupulo eduntur, etiam in Quadrageſima. Videri poteſt Bertrandus Loth in Caſibus Belgicis tr. 19. q. 1. 28

Ad ſextam, affirmativè reſpondet Paſquali- 29
gus deciſ. 85. & probabile cenſet Boſſius de Jubilæo ſect. 4. caſu 18. Sed (ſeclusâ particulari conſuetudine) negativè reſpondendum eſt cum Vega, Ledeſma & aliis, niſi in iis tam parum ſit de ovo, ut parum pro nihilo reputetur; quomodò biſcocti illi apud Minimos in uſu eſſe videntur.

Ad ſeptimam, affirmativa reſponſio eſt com- 30
munis, quia legibus eccleſiaſticis non tenentur, niſi qui rationis uſum ſunt adepti. Quod ante ſeptennium completum utplurimùm non contingit. Siqui tamen rationis uſum anteà fuerint conſecuti, non licet illis carnes miniſtrare.

Ad octavam, negant Valentia, Suarez, Leſ- 31
ſius, Tannerus, aliique non pauci, ſed ſolis philoſophicis argutiis ſubnixi, ut dixi ſuprà in ſimili. Reſolutivè ergo affirmandum cum Majore, Covarruvia, Medina, Monteſino, Sylvio, Wiggers, &c. Quia licèt præceptum jejunandi, quoad formam verborum, eſſe videatur affirmativum, in ſe tamen continet triplex negativum, ſcilicet non comedes carnes, plures refectiones non ſumes, non ſumes refectionem ante horam præſcriptam. Quemadmodùm ergo alia præcepta negativa non ſolùm violantur per primùm vel ſecundum actum iis oppoſitum, ſed & per ſequentes quoſcumque; ita pariter per ſecundam, tertiam, & quaſcumque ſequentes refectiones,

jejunii violatur præceptum. Quemadmodùm etiam ex eo quòd Ecclesia Sacerdotibus prohibet celebrare plusquàm semel quolibet die, & fidelibus prohibet esum carnium in die jejunii, sicut & ingressum in septa Monialium, Sacerdotes toties peccant, quoties plusquàm semel celebrant, & fideles non solùm peccant primâ vice quâ carnes manducant, septaque illa ingrediuntur, sed & toties quoties.

32 Nec valet, si dicas esse disparitatem, quòd in omnibus exemplis istis, post primam violationem adhuc servari possit forma præcepti; secùs in casu nostro. Quia nec in exemplis illis servari potest perfectè. Quamvis ergo forma præcepti servari non possit perfectè, eâ die quâ violatum est, servari tamen potest secundùm aliquid, abstinendo scilicet ab aliis refectionibus, quæ etiam prohibitæ sunt jejunii præcepto, quo post primam refectionem prohibetur altera. Quæ prohibitio toties violatur, quoties altera sumitur.

33 Et confirmatur, quia ex oppositâ sententia sequeretur 1°. eum qui secundam inadvertenter sumpsit refectionem, non peccare, postmodùm advertenter sumendo tertiam. Quod admitti non potest, licèt admittant Bonacina, Diana, Leander & Pasqualigus, ob rationem proximè allatam, quòd utique talis eo die non possit ampliùs servare formam jejunii, utpote destructam per secundam refectionem, licèt inculpatam ob inadvertentiam. Ita illi consequenter quidem ad principia sua, sed ex dictis non solida. Et ideò talem per tertiam refectionem peccare fatentur Lessius, Gordonus, Filiutius, Sancius, Pellizarius, &c.

34 Sequeretur 2°. eum qui horâ undecimâ matutinâ, nondum habens vigesimum primum ætatis annum completum, prandium sumpsit, etiamsi meridies annum illum complevisset, non teneri eo die jejunare, sed posse vesperi cœnare. Quod à vero deviare monstratur à simili: nam qui alieno in territorio, ubi jejunium non erat, pransus est, eo die reversus ad proprium, in quo est jejunium, in eo tenetur reliquo die jejunare, nec ibi potest cœnare. Ergo similiter, &c. Quemadmodùm enim alieno in territorio prandisse, obstat ne cœnes in territorio proprio; sic prandisse ante ætatem obligantem ad jejunium, obstat ne eo die cœnes, si eo die ante cœnam in ætate obligante fueris.

35 Abjicienda est igitur opinio Escobarii tr. 1. exam. 13. c. 3. n. 38. dicentis: *Si quis ætatem 21. annorum horâ post mediam noctem primâ compleverit, non tenetur eo die jejunare. Quia præceptum totum diem respicit.* Quia totum diem non respicit indivisibiliter, sed divisibiliter, ita ut unamquamque diei partem respiciat independenter ab altera; sicut unumquodque ex tribus ad jejunium requisitis respicit independenter ab altero.

36 Ad nonam quæstionem Lessius, Bonacina, Vidal, Leander, & plerique alii putant id solùm esse veniale. Sed prorsus dicendum cum Sylvio esse mortale. Ob ea quæ dixi n. 13. 14. & 15.

37 Ad decimam Tamburinus l. 4. c. 3. §. 6. n. 7. id ipsis existimat licitum. Sed pro certo tenendum est, quòd sicut peccant mortaliter cibos vetitos scienter ministrando ad jejunium obstrictis; ita & cœnam præbendo iisdem benè pransis. Quia haud dubiè mortale peccatum est scienter cooperari peccato mortali alterius. Hoc autem ipsi faciunt; & quamvis causa non sint peccati ipsorum, quoad initium pravæ voluntatis; cooperatores tamen sunt actûs, quo prava illa voluntas executioni mandatur. Tametsi ergo hospites illi carnes, vel cœnam petant, ipsis ministrare cauponarii non debent; etiamsi hospitium ipsis propterea forent desefturi. Si tamen viri honesti, de quibus dubium est, an lege jejunii teneantur, cœnam peterent, caupones dubium illud meliorem in partem interpretantes; arbitrari possent ipsos non teneri, ideòque cœnam ipsis possent ministrare, nisi vehemens ratio contrarium suaderet. Videri potest Concilium Mediolanense V. in quo; & cum quo S. Carolus Borromæus tit. *de his quæ ad dies festos, & sacra tempora pertinent*, vetat, ne caupones hospitibus, peregrinis, viatoribusque vetitos in Quadragesima cibos apponant, vel alio loco paratos, in mensa apponi patiantur, sub pœnis contra Quadragesimæ violatores sancitis. Videantur etiam quæ dixi l. 4. c. 51. in fine.

CAPUT III.

Etiam potu jejunium olim violabatur. An etiam hodie? controvertitur. Saltem indistinctè verum non est effatum istud: Liquidum non frangit jejunium.

38 QUòd potu jejunium olim violaretur, Natalis Alexander regulâ 14. probat ex testimoniis exemplisque Sanctorum, præterquàm enim quòd Esdras jejunans *panem non comedit, & aquam non bibit*, Esdræ 1. c. 10. eò quòd utique ad concupiscentias carnis reprimendas jejunium assumitur, ad eumque finem non solùm serviat tolerantia famis, sed & tolerantia sitis. Unde & jejunium Ninivitis indictum abstinentiam panis pariter & aquæ comprehendit: *Homines & jumenta non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant.*

39 Ista exempla secuti veteres Patres, non solùm à cibo, sed & à potu diebus jejunii abstinendum censuerunt; & ideò Gregorius Nyssenus orat. in princip. jejun. *Amarum* (inquit) *est jejunium, sed dulcis Paradisus. Molesta est sitis, sed propè est fons; ex quo qui biberit, non sitiet in æternum.*

40 Propterea etiam S. Fructuosus, Episc. Tarraconensis & Martyr, cùm ad supplicium duceretur, oblatum potum recusavit, quia jejunii dies erat, & nondum advenerat hora nona, prout S. Prudentius refert hymno 6. Peristephanon:

Jejunamus, ait, recuso potum,
Nondum nona diem resignat hora;
Nunquam conviolabo jus dicatum.

41 Sylvanus Abbas, ut Rufinus refert l. 3. de vit. Patr. c. 46. discipulum sitientem, & aquam bibere volentem prohibuit, eò quòd esset jejunii dies. Similiter Author sermonis quadragesimi de jejuniis & eleëmosynis, inter opera S. Ambrosii, his verbis refellit excusationem aientium æstivo se tempore jejunare non posse, eò quòd sitim ferre non possent: *Dic mihi, ô delicate Christiane, qui æstum solis jejunando ferre non potes, nunquid æstus, quem sustentaturus es, torrentior est gehenna?*

42 Imò olim toto Quadragesimali tempore interdictus erat potus vini, ut docet Author libri de vita contemplativa, significatque Augustinus serm. 205. aliàs 68. de diversi. & serm. 210. aliàs de diversi. 74. Sicut & Cyrillus Hierosolym. Catechesi. 4. & testatur Clemens Rom. l. 5. Const. Apost. dicens: *Abstinete his diebus à vino & carne.*

43 Verùm hunc rigorem moderna Ecclesiæ consuetudo mitigavit. Et vini usum permittit, nec prohibet potum necessarium ad sitim sedandam, extra horam refectionis, uti S. Thomas docet lect. 4. in cap. 2. epist. 1. ad Corinth. in 4. dist. 15. q. 3. a. 4. & 2. 2. q. 147. a. 6. ad 2. ubi sic: *Jejunium Ecclesiæ non solvitur, nisi per ea quæ Ecclesia interdicere intendit; non autem intendit Ecclesia interdicere sumptionem potûs, qui magis sumitur ad alterationem corporis* sedandam, *& digestionem ciborum assumptorum, quàm ad nutritionem, licèt aliquo modo nutriat. Et ideò licet jejunantibus pluries bibere.*

44 *Nec* tamen *hinc inferendum est, jejunium nunquam solvi per potum* (ait Sylvius ad sextum illum articulum) *imò solvitur, dum in magna quantitate sumitur potus valdè nutritivus, ut cerevisia crassa, multùmque substantiosa, vinum sacchara, vel aliis aromatibus conditum*, &c. Quod etiam docent Reginaldus, Thomas Hurtadus, Bertrandus Loth, &c. si utique sumptio illa fiat extra refectionis horam. Nec certè S. Thomas asserit ampliùs permissum, quàm quòd extra refectionem, absque violatione jejunii, sumi possit aliquis potus *ad alterationem corporis* sedandam, *ad digestionem ciborum* (ut scilicet *in stomacho non comburantur*, prout alibi dicit) *non ad nutritionem*, nec *in fraudem* jejunii. Siquidem in 4. dist. 15. q. 3. a. 4. *Qui potat* (inquit) *extra horam unicæ comestionis..... propter hoc statutum Ecclesiæ non frangit, nisi fraudem faciat.* Similiter citatâ q. 147. a. 6. ad 3. postquam dixit quòd electuaria aliquo modo nutriant, sicut ad 2. dixerat de potu; quia *tamen* (inquit) principaliter non assumuntur *ad nutritionem* (sicut nec potus) *sed ad digestionem ciborum, non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio; nisi fortè aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi*, id est nutriendi gratiâ. Cùm ergo pariformiter de potu loquatur, ac de sumptione electuariorum, sicut censet ab eo jejunium violari, qui in fraudem jejunii electuaria sumit in magna quantitate, ad corpus nutriendum; idem procul dubio censet de sumptione potûs.

Igitur asserere cum Tamburino l. 4. c. 5. §. 2. quòd *probabile est licere, intra diem jejunii, bibere vinum, mustum, cerevisiam, aquas ex herbis, vel ex eodem vino distillatas, etiam de manè, etiam ob solam delectationem, etiam multoties in die, etiam in fraudem jejunii*, damnandus error est, ut rectè Natalis Alexander loco citato. Similiter error est asserere cum Escobar tr. 1. exam. 13. n. 75. quòd *vinum, etiam in magna quantitate, extra refectionis horam, assumi potest in die jejunii, etiam hypocras.* Numquid bellè jejunat, qui sic jejunat? *Jejunium* (inquit S. Doctor q. 47. a. 1.) *assumitur principaliter ad tria*: 1°. *quidem ad concupiscentias carnis reprimendas....* 2°. *....ad hoc quòd mens liberiùs elevetur ad sublimia contemplanda*, Deum scilicet, & divina. 3°. *ad satisfaciendum pro peccatis. Unde dicitur Joël 2.* "Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu." Et hinc a. 3. concludit, quòd *unusquisque ex naturali ratione tenetur tantùm jejuniis uti, quantùm sibi necessarium est ad prædicta. Et ideò jejunium in communi cadit sub præcepto legis naturalis; sed determinatio temporis, & modi jejunandi, secundùm convenientiam & utilitatem populi Christiani, cadit sub præcepto juris positivi*, &c. Et ad 2. *Præcepta quæ per modum communis statuti proponuntur.... obligant omnes... secundùm quod requiritur ad finem, quem Legislator intendit. Cujus.... statutum..... si aliquis hoc modo transgrediatur, ut impediatur finis quem intendit, peccat mortaliter talis transgressor. Si autem ex aliqua rationabili causa quis statutum non servet..... talis transgressio non constituit peccatum mortale.* Quis autem non videt per sumptionem vini, cerevisiæ, hypocras, &c. in magna quantitate, extra refectionis horam, præsertim ob solam voluptatem, &c. impediri fines illos, ob quos S. Thomas asserit institutum esse jejunium, unicuique necessarium necessitate præcepti naturalis, quantùm sibi necessarium est ad eosdem fines? Unusquisque ergo (juxta S. Doctorem) eo modo, jure naturali, jejunare tenetur, quo ad fines illos sibi necessarium est. Quod profectò non fit modo illo Tamburiniano, nec Escobariano. Quemadmodùm verò mandatum, quo Rex pugnare præcipit pro interceptione civitatis, obligat ad eo modo pugnandum, qui necessarius est ad illum finem; sic dum lex naturæ, vel Ecclesiæ præcipit jejunare pro assequendis finibus supradictis, obligat ad eo modo jejunandum, qui necessarius est ad fines illos assequendos.

Effatum proinde illud, *liquidum non frangit jejunium*, ratione & authoritate tam Ecclesiæ, quàm S. Thomæ destituitur, nisi intelligatur ut suprà n. 44. dictum est, illudque, aliter intellectum, falsum esse, Antiquis igno- 46

tum, ab Ecclesiæ doctrina & mente alienum, non fine ratione asserit Natalis Alexander.

47 Enimverò malè intellectum, januam aperuit, non solùm laxitati illi Tamburinianæ & Escobarianæ, sed & pluribus aliis, v. g. quâ Thomas Hurtadus, & ipsum referens Tamburinus n. 3. censent fine fractione jejunii manè sumi posse potum chocolatæ, etiam ad nutrimentum, & famem sedandam, inquiunt Filiutius & Fagundez apud Dianam p. 1. tr. 9. resol. 23. Sed utrumque improbabile esse judicat noster Lezana Consulto 48. n. 88. & seqq.

48 Item, eum qui sæpiùs bibit, toties quoties sumere posse aliquid cibi, ne potus noceat. Pro qua opinione Leander de jejunio q. 10. citat, sequiturque 24. Casuistas; quos inter Bonacina permittit toties quoties sumere duas ficus. Diana quinque vel sex amygdalas saccharo confectas. Ledesma duodecim confectos, vulgò *confites*. Pasqualigus quamlibet quantitatem infra unciam. Sed ex opinionibus illis sequeretur, quòd *is qui in die jejunii sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Quia scilicet non sumit per modum cibi, sed per modum remedii, ne potus noceat. At istud est frivolum. Non enim bibat, tunc potus non nocebit. Unde propositionem Alexander VII. meritò damnavit propos. 29.

CAPUT IV.

Nonnullæ aliæ Casuistarum opiniones confutatæ.

49 IMprimis probanda non est opinio Filiutii, Bossii, Pasqualigi, Vidal, & aliorum, existimantium non frangi jejunium, si poma, pira, & similia sumantur ad sedandam sitim. Quia sumuntur (inquiunt) per modum potûs. Idem de malis citricis dicit Pasqualigus decis. 135. Et de uvis recentibus decis. 136. Ita etiam Vidal n. 155. Sed ideò probandi non sunt: quia similia sumere, reverà est comedere, non bibere, ut communis est hominum sensus.

50 Deinde probandum non est, quòd iidem Pasqualigus & Vidal benè valentibus & robustis licitam asserunt sumptionem electuariorum, conservæ, & similium, ad conservandam (inquiunt) bonam corporis constitutionem. Nec enim sanctus Thomas, & Doctores graviores id permittunt, nisi per modum medicinæ. Quod autem sumitur per modum medicinæ, supponit indispositionem, vel quæ sit de facto, vel quæ alioqui de proximo timeatur.

51 Hinc etiam benè valentibus & robustis non licet manè modicum sumere jentaculum, sed solis debilibus, quibus id necessarium judicant Medici. Nec enim id licitum, nisi per modum medicinæ.

52 Servitores tamen & Lectores mensæ, diebus jejuniorum, licitè sumunt aliquid, antequam serviant, vel legant, idque ipsis Doctores communiter permittunt. Sive quia id obtinuit piorum consuetudo; sive quia tunc censentur cum aliis incipere prandium, licèt deinde illud per tempus non longum interrumpant, ad satisfaciendum suo muneri. Quæ interruptio communi æstimatione duplicem non constituit refectionem.

53 Tertiò, Paludanus, Richardus, Joannes de la Cruz, Rodriguez, Azorius, Leander à SS. Sacramento, &c. meritò improbant opinionem Medinæ, Bonacinæ, Sanchesii, Filiutii, Reginaldi, & aliorum, aientium, quòd jejunans, rogatus ab amico, possit, absque culpa, post prandium sumere aliquid cibi, in quantitate excusante à mortali, ne videatur inurbanus. Quia christiana urbanitas id non videtur exigere; neque enim apud verè Christianos inurbanus censetur, si excuset se ratione jejunii.

54 Quartò, prorsus erronea videtur sententia Filiutii, Trullench, Pasqualigi, Leandri, qui tenent, quòd ille qui in die jejunii potest cœnare, possit urbanitatis causâ invitare amicum (cui licitum non est cœnare) ad cœnandum secum, etiamsi alioqui paratus non esset cœnare. Quia hoc est ad illicitum invitare, & causam esse peccati ipsius, ut rectè Vasquez, Bonacina, Azorius, Lessius. Non inficior tamen invitari posse ad communionem mensæ, dummodò non invitetur, nec urgeatur ad cœnam. A quo tamen abstinendum, si prævideatur abusurus.

55 Quintò, licèt præfixum non sit tempus, quod insumere liceat inter prandendum in die jejunii. Non licet tamen illud ad tres vel quatuor horas protrahere, multò minùs à meridie usque ad tempus cœnæ. Quia hoc esset æquivalenter prandere & cœnare. Nec id magis in Germania licitum, quàm alibi. Unde si ista sit ibi consuetudo, habenda non est pro licito usu, sed pro abusu, quidquid dixerit Pasqualigus decis. 157.

CAPUT V.

A sanctis Patribus culpantur, & saltem jejunii meritum perdunt, qui diebus jejuniorum, varia gulæ in cibis & liquoribus irritamenta exquirentes, negotium non agunt domandæ carnis, imò potiùs voluptatis.

56 ITa tradit S. Augustinus serm. 205. 207. 208. & 210. ubi sic: *Sunt quidam observatores Quadragesimæ, delicioſi potiùs quàm religioſi, exquirentes novas ſuavitates, magis quàm veteres concupiſcentias caſtigantes; qui copioſis, pretioſiſque apparatibus fructuum diverſorum, quorumlibet obſoniorum varietates & ſapores ſuperare contendunt. Vaſa, in quibus coctæ ſunt carnes, tamquam immunda formidant, & in ſua carne ventris & gutturis luxuriam non formidant. Jejunant, non ut ſolitam temperando minuant edacitatem, ſed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus reficiendi advenerit, opimis menſis tamquam pecora præſepibus irruunt; numeroſioribus ferculis corda obruunt, ventreſque diſtendunt. Artificioſis, & peregrinis condimentorum diverſitatibus gulam, ne vel copiâ compeſcatur, irritant. Denique tantum capiunt manducando, quantum digerere non ſufficiunt jejunando. Sunt etiam qui vinum ita non bibunt, ut aliorum expreſſione pomorum, alios ſibi liquores, non ſalutis causâ, ſed jucunditatis exquirant. Tamquam non ſit Quadrageſima piæ humilitatis obſervatio, ſed novæ voluptatis occaſio. Quantò enim honeſtius, ſi ſtomachi infirmitas aquam potare non tolerat, vino uſitato & modico ſuſtentetur, quàm quærantur vina, quæ vindemiam neſciunt, quæ torcularia non noverunt....? Quid autem abſurdius, quàm tempore, quo caro arctiùs caſtiganda eſt, tantas carni ſuavitates procurare, ut ipſa fauſtium concupiſcentia nolit Quadrageſimam præterire? Quid inconvenientius, quàm in diebus humilitatis, quando pauperum victus omnibus imitandus eſt, ita vivere, ut ſi toto tempore ſic vivatur, vix poſſint divitum patrimonia ſuſtinere? Cavete iſta, dilectiſſimi, cogitate quod ſcriptum eſt: "Poſt concupiſcentias tuas non eas." Quod ſaluberrimum præceptum ſi omni tempore obſervandum eſt; quantò ampliùs his diebus, quando ita turpe eſt, ſi cupiditas noſtra ad inuſitatas laxetur illecebras, ut meritò culpetur, qui non reſpuerit uſitatas.* Diebus utique pœnitentiæ, quibus tantò 57 unuſquiſque abſtinere debet à licitis, quantò ſe meminit & illicita perpetraſſe, ut Gregorius Magnus ait homil. 20. & 34. in Evang. Et S. Eligius homil. 9. prope finem: *Quia, fratres chariſſimi, multa illicita commiſiſtis, debetis abſtinere à licitis.*

Quod & tradit Jonas Aurelianensis de Institut. Laïc. l. 1. c. 9. Nicolaus I. in respons. ad Consulta Bulgarorum c. 4. aiens, id esse *secundùm sacra Decretalia*. Et idipsum ratio ipsa docet, quia *pœnitentia vera* exterior (inquit B. Albertus Magnus in Paradiso animæ c. 41.) *est abstinentia à licitis, cùm de illicitis venia postulatur*. Unde etiam S. Thomas in 4. dist. 15. q. 3. a. 1. dicit, quòd *qui illicita commisit, oportet etiam à licitis abstinere*. Et qualis (amabo!) pœnitentia, ubi nulla solitarum deliciarum subtractio? Ejusmodi pœnitentem irridet Tertullianus lib. de pœnit. cap. 11. Audi S. Joannem Climacum in Scala Paradisi gradu 5. *Pœnitentia* (inquit) *est seipsum condemnans cogitatio; est consolationis corporeæ perpetua repudiatio; est voluntaria rerum omnium, quæ affligunt, toleratio; est cruciatuum sibi semper opifex; est valida ventris afflictio*, &c. Nonne ista bellè conveniunt iis, qui vix ullas sibi delicias, vel carnales voluptates subtrahere volunt? Non putat Theodulphus, Aurelianensis Episcopus, qui in Capitulari c. 40. de pœnitentiæ, seu jejunii diebus loquens, *abstinentia* (inquit) *in his diebus omnium deliciarum esse debet*.

CAPUT VI.

Similiter à sanctis Patribus, & sacris Canonibus, unanimique Canonistarum, ac plurium magni nominis Theologorum sententia, Christiani hominis officium plenè implere non censentur, qui in Quadragesima, & aliis diebus jejunio consecratis, à petitione non abstinent debiti conjugalis.

58 Conjugatos à jejunii observantia excusat Tamburinus n. 37. quando jejunando nequeunt reddere debitum, etiamsi compartem precibus à debito exigendo avertere possent. Ita etiam Angelus, Bossius, Sanchez, &c. Verùm hæc opinio tolerabilis non est *falsaque, erronea, castasque aures & animos offendens*, non sine ratione vocatur à Natale Alexandro reg 3. Quia (inquit) tantùm abest ut jejunium violare possint conjugati, absque mortali peccato, ut conjugale debitum invicem reddant, quin potiùs optet, ac vehementer suadeat Ecclesia, ut tunc ab opere conjugali abstineant, ut orationi vacent & jejunio. Idque ipse etiam Spiritus sanctus commendat Joël. 2. *Sanctificate jejunium.... egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo*. Et Paulus 1. Cor. 7. monet quidem conjugatos, ne fraudent invicem, sed addit exceptionem, *nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*; Græcus textus addit, *& jejunio*. Apostolus quoque Petrus vult quidem viros uxoribus *cohabitare*, sed *juxta scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem* (certis temporibus abstinendo à coïtu, inquit Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum c. 4. Siquidem *si abstinemus nos à coïtu, honorem tribuimus uxoribus*) *ut non impediantur orationes vestræ*. Ecce (ait iterùm Hieronymus) uterque Apostolus, *eodem sensu, quia & eodem spiritu, impediri dicit orationes officio conjugali*. Propter quod præmiserat: *Quamdiù impleo officium mariti, non impleo* omni ex parte *officium Christiani*: quia jejunii tempus, tempus orationis est, & non lætitiæ ac voluptatis,
59 sed pœnitentiæ & mœroris. Ad quod significandum, instante jam diluvio, dicit Scriptura Genes. 7. quòd in arcam primò *ingressus est Noë, & filii ejus*, deinde *uxor ejus, & uxores filiorum ejus*. Cùm verò egrediendum fuit de arca, dixit ei Dominus: *Egredere tu, & uxor tua; filii tui, & uxores filiorum tuorum*. Quem ordinem considerans Ambrosius l. de Noë & arca cap. 21. *Quæramus* (inquit) *quâ ratione, quamdiù ingrediebantur in arcam? hic ordo fuit ingredientium, ut primò ipse ingrederetur, & filii ejus; inde ejus uxor; & uxores filiorum ejus: quandò autem exierunt, commutatum sit*. Et respondet, quòd *littera significat in ingressu abstinentiam generationis, in egressu generationis usum.... id est non commiscetur sexus in introitu, commiscetur in egressu. Quia in ingressu mœroris tempus; non lætitiæ erat. Et inde justus consortio non delectabatur uxoris, vel filii justi petebant copulam conjugalem. Apertè igitur, velut ordine ipso ingressionis, vocem quamdam justus emittit, tempus illud non esse concubitûs, neque deliciarum, quo omnibus imminueret interitus*: quia pœnitentiæ & orationis tempus erat. *Unde in Evangelio Dominus ait, reprehendens, quòd temporibus Noë manducarent, & biberent, uxores ducerent, & filias nuptui traderent; & ideò propter intemperantiam eorum supervenisse diluvium*.

Certum proinde videtur multos, & valdè mul- 60
tos conjugatos hac in re nimis intemperantes esse, intemperantiamque ipsorum Deo displicere, quòd ne pœnitentiæ quidem & orationis tempore ab uxoribus magis abstinere velint, quàm lætitiæ tempore; sed omni tempore velint carnalibus voluptatibus indulgere. Quasi de nihilo scriptum sit Eccle. 3. *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus*. Quod sancti Patres unanimi sensu sic hactenùs intellexerunt, ut pœnitentiæ tempore Christianus longè fieri debeat ab amplexibus. Unde rursum Ambrosius lib. 2. de pœnit. c. 10. *An illam pœnitentiam quisquam putat, ubi... ipsius copulæ conjugalis usus?* Augustinus serm. 205. aliàs de divers. 68. *Per alios dies adulteria, fornicationes, omnesque illicitas corruptelas nolite contingere; per hos autem* Quadragesimæ *etiam à conjugibus abstinete*. Et serm. 208. *Quicumque etiam estis conjugibus alligati, nunc maximè* (in Quadragesima scilicet) *Apostolica monita nolite contemnere, ut invicem abstineatis ad tempus, ut vacetis orationibus. Quod enim & aliis diebus utiliter fit, nimis inverecundum est, si modò non fiat*. Sermone etiam 204. *A conjugali* (inquit) *concubitu hi dies postulant continentiam. Arbitror* (inquit serm. 208.) *onerosum esse non debere*, anniversariâ observatione *hoc facere conjugatos.... quod totâ vitâ sanctæ virgines susceperunt*. Sanctus Eligius homil. 16. *Diebus Quadragesimæ vos omnibus modis à conjugum commixtione vestrarum sicut decet Christianos, abstinere oportet*. Theodulphus, Episcopus Aurelianensis, in Capitulari c. 41. *Abstinendum est his sacratissimis diebus à conjugibus, & castè, & piè vivendum.... Quia penè nihil valet jejunium, quod conjugali opere polluitur*. Idipsum tradunt S. Cæsarius serm. 46. in Appendice Augustini 142. Herardus Turonensis Archiepiscopus in suo Capitulari. Nicolaus I. in respons. ad Consulta Bulgarorum c. 9. Solebatque Elphesus, Vintonensis Episcopus, in capite jejunii Quadragesimalis conjuges è suggestu monere, ut Quadragesimæ tempore, uxores velut sorores habendo, castitatem servarent, & jejunium, carnem suam macerando, strictè decurrerent.

Quid plura? In Pœnitentiali Romano, ab an- 61
nis plusquàm octingentis edito, legitur Decretum istud: *Qui in Quadragesima ante Pascha cognoverit uxorem suam, & noluerit abstinere ab ea, annum unum pœniteat.... Si per ebrietatem, & sine consuetudine acciderit, quadraginta dies pœniteat*. In Orientali quoque Ecclesia, ipsos Communione Paschali, aliisque pœnis mulctatos fuisse, testatur Balsamon, Patriarcha Antiochenus, in respons. ad q. 10. Marci Patriarchæ Alexandrini, uti videre est pag. 386. *Juris Orientalis*.

Et quare solemnes celebrationes nuptiarum tem- 62
pore Quadragesimali sacri prohibent Canones? Respondet Concilium Toletanum anno 1473. celebratum can. 6. quòd *sacrorum Canonum inten-*

tio fuit, non tam Ecclesiæ solemnitates, & nuptiarum benedictiones, quam carnales commixtiones prohibere. Prohibitionem istam solemnitatis nuptiarum diligenter ab omnibus observari jubet Concilium Tridentinum sess. 24. de reform. matrim. cap. 10.

63 Et ideò Prosper Fagnanus in cap. *Capellanus* de feriis, unanimem Canonistarum penè omnium, & magni nominis Theologorum sententiam esse dicit, carnalem commixtionem in Quadragesima conjugibus esse prohibitam (licèt contrà sentiant Sotus, Bellarminus, & Sanchez) laudatque pro illa sententia S. Raymundum, S. Antoninum, Paludanum, Sylvestrum, Cajetanum, & S. Congregationem Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum; quæ proposito sibi dubio, an matrimonium coram Parocho quocumque tempore contrahi possit? Respondit affirmativè, *sed temporibus comprehensis in cap. 10. sess. 24. de reform. matrim. nuptiarum solemnitates, traductiones ad domum, & carnalem copulam prohiberi.* Enimverò quare traductio sponsæ ad sponsum prohibetur? Respondet S. Thomas in 4. dist. 32. q. 1. a. 5. quæstiunc. 4. *quia quando novæ sponsæ traducuntur, animus conjugum magis ex ipsa novitate ad curam carnalium* (id est circa carnalia) *occupatur....* Et propter hoc illis temporibus, in *quibus homines præcipuè debent se ad spiritualia elevare, prohibitum est nuptias celebrare.* Atqui animus conjugis circa carnalia magis occupatur in copula ipsa carnali, quàm in sponsæ traductione. Si ergo propter istam rationem prohibita est traductio, multò magis carnalis ipsa commixtio, juxta laudatam traditionem sanctorum Patrum.

CAPUT VII.

Declarantur dies quibus est jejunandum.

64 JEjunandum imprimis per totam Quadragesimam, incipientem à feria quarta Cinerum, usque ad Sabbathum sanctum inclusivè, Dominicis exceptis can. *non liceat*, & can. *non oportet* de Consecr. dist. 5.

65 2°. feriis 4ª. 6ª. & Sabbatho quatuor temporum can. *statuimus*, & can. *jejunium* dist. 76. Falluntur proinde Patqualigus decis. 168. & 169. aiens, quatuor temporum jejunia non esse de jure canonico, nec obligare sub mortali. Simili modo fallitur Burghaber centur. 3. casu 13. dicens, consuetudinem abstinendi à pinguedine & lardo, diebus & locis, in quibus ova & lacticinia permittuntur, introductam non esse absolutè animo se obligandi, sed initio ex devotione, postea ex errore credentium adesse obligationem; ideòque vim legis non habere, etsi omnes illam observent. Sed utrique isti opinioni, profectò nimis liberæ & audaci, communis Doctorum omnium, ac fidelium sensus contradicit.

66 3°. in vigiliis Nativitatis Domini, & Assumptionis B. Virginis cap. *ex parte*, & cap. *consilium* de observat. jejun. ubi etiam adduntur vigiliæ omnium Apostolorum, præterquam Philippi, & Jacobi, & S. Joannis Evangelistæ. Verùm in Belgio consuetudo obtinuit, ut non jejunetur in omnibus illis vigiliis: nam v. g. in Diœcesi Mechliniensi non jejunatur in vigiliis S. Jacobi in Julio, Bartholomæi, Thomæ, Barnabæ, & Mathiæ.

67 4°. in vigiliis S. Joannis Baptistæ (quæ dum incidit in Festum Corporis Christi, anticipatur feriâ 4. præcedenti, juxta Bullam Urbani VIII. *cùm exurire* datam 13 Octobris 1638.) S. Laurentii, Sanctorum omnium, & Pentecostes; etsi non jure scripto, saltem universali Ecclesiæ consuetudine; licèt aliqui apud Leandrum q. 11. negent ex obligatione jejunandum in vigilia Pentecostes, saltem sub mortali.

Præterea à carnibus abstinendum omnibus feriis sextis (exceptâ eâ in quam incidit Festum Nativitatis Domini) omnibus item Sabbathis totius anni, demptis per consuetudinem in Belgio, & aliis quibusdam locis, iis quæ veniunt à Festo Nativitatis Domini ad Festum Purificationis inclusivè. Item tribus diebus Rogationum, & in die sancti Marci can. *Rogationes* de Consecrat. dist. 3. ubi dicitur quidem esse jejunandum, sed de consilio, non de præcepto, uti Glossa dicit ibidem. Sicubi tamen extat Synodale præceptum jejunandi usque ad meridiem, servandum est. 68

CAPUT VIII.

Declarantur personæ obligatæ ad jejunium.

OMnes (inquit S. Thomas) *ad jejunia ab Ecclesia instituta communiter obligantur, nisi in eis fuerit aliquod speciale impedimentum.* Quemadmodùm enim fines, propter quos jejunia instituta sunt, omnes concernunt; ita & obligatio jejunii. Unde Leo Magnus serm. 2. de Quadrag. *Adest* (inquit) *maximum sacratissimumque jejunium, quod observantiam sui universis fidelibus sine exceptione denuntiat. Quia nemo tam sanctus, ut non sanctior; nemo tam devotus, ut non debeat esse devotior.* Et S. Basilius orat. 2. de jejunio: *Nulla est insula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non sit auditum jejunii edictum. Quin & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores, omnes pariter audiunt edictum, & summo gaudio excipiunt. Nequis igitur semet excludat à numero jejunantium, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formæ censentur.* 69

Oquàm olim alia fuit, quàm modò sit, idæa obligationis jejunii! Olim summo cum gaudio jejunii suscipiebatur edictum; hodie cum tristitia. Nullus erat olim, quem Patres non hortabantur ad illud; hodie vix ad aliud plerique Casuistæ anniti videntur, quàm ut ab eo Christianos eximant. Olim *mulieribus* (inquiebat Basilius) *quàm est naturale respirare, tam est conveniens jejunare*; hodie pudor est quàm futilibus, imò ridiculis de causis ipsas excusare contendunt. *Uxor* (inquit Filiutius) *non valens se gratam servare viro, ob maciem, vel pallorem, à Doctoribus excusatur à jejunio.* Et quid Tamburinus? *Excusatur* (ait) *puella, nubere volens, si ex continuato Quadragesimæ jejunio speciositatem faciei* (pro modico utique tempore illo) *notabiliter minueret, ita ut, eâ visâ, de facie extra suum morem notaretur.* Grande utique malum, ob quod negligere liceat tam solemne, tamque animabus, corporibusque tuendis necessarium Ecclesiæ præceptum! *Senibus* (aiebat rursum Basilius) *levem reddit laborem jam olim contracta cum jejunio familiaritas. Sexagenarii robusti & validi* (ait Sanchez l. 7. de matrim. disp. 32. n. 17.) *non tenentur jejunare. Si tantùm Quadragesimæ tempus advenerit* (verba sunt S. Chrysost. serm. 52.) *licèt cohortetur nemo, licèt consilium det nemo, etiam is qui negligentissimus fuerit, excitatur, & oblatum ab ipso tempore consilium & cohortationem admittit.* Hodie pauci sunt, qui dispensationem non petunt, vel sese jejunare non posse non prætendunt, facilèque inveniunt Medicos & Casuistas, à quibus excusantur. Nam Caramuel Theol. fundam. num. 1126. & seqq. relatis ad singula pluribus Casuistis: *Excusantur* (inquit) *sutores, sartores, barbitonsores, & similes. Prædicatores, Lectores, Confessarii, &c. Advocati, Procuratores, Scriptores, &c. Etiam Musici. Iter agentes, prægnantes, lactentes. Qui ergo manent in mundo, qui debeant jejunare? Sanè cives, qui nullum munus habent.*

At isti omnes, aut ferè, conjugati sunt. Quorum aliqui prætendunt (inquit) se uxori condormire non posse, simul & jejunare, cò quòd magis debilitentur, venerem exercendo, quàm suendo, sartiendo, tondendo, & licèt possint equidem mariti officium exercere, solùm id possint diminutè. Dicit verò Diana p. 1. tr. 9. resol. 11. quòd nullus tenetur causâ jejunii *diminutè suum exequi munus.*

71 Sed ista ferè omnia adeò laxa sunt, adeò ridicula, ut explosione magis quàm refutatione digna sint. Refutabuntur tamen capite sequenti. De conjugatis cap. 6. dixi ipsos ab usu veneris abstinere debere in Quadragesima, juxta Scripturam, Canones, & Patres. Ridiculum est ergo ipsos à jejunii observantia excusare, ut veneri possint vacare, dum veneris usum cum jejunio non possunt componere, vel dum jejunando non possunt nisi diminutè debitum reddere. Pudor est contrarium à Christianis vel cogitari.

72 Non inficior, conjuges teneri ad reddendum debitum comparti moderatè petenti. Sed moderationem christianam in petendo non servat, qui petit tempore indebito, sicut nec qui petit loco indebito. Improbabile proinde est quòd conjugem conjux ab immoderata petitione non teneatur avertere, dum potest. Non possunt certè Christiani conjuges libidini vacare sicut equus & mulus, sed tempora, sicut & loca servare tenentur Tenetur famulus conductitius ex justitia reddere domino opus injunctum; si tamen dominus in die jejunii injungat ipsi opus cum jejunio incompatibile, non tenetur illud reddere, nec dominus potest tunc illud exigere, si pro tunc non sit necessarium, sed in aliud tempus differri queat, ut docent Richardus, Paludanus, Gabriel, Navarrus, &c. Similiter ergo de conjuge dicendum, quòd licèt carnis debitum ex justitia comparti illud exigenti reddere teneatur; si tamen opus illud cum jejunio sit incompatibile, & compars illud exigat in die jejunii, non tenetur tunc illud reddere, nec compars potest tunc exigere, si pro tunc non sit necessarium, sed in aliud tempus differri possit, uti potest & debet, juxta dicta cap. 6. Compars ergo tunc rogari debet ut differat, teneturque consentire, quia tunc non est *tempus amplexandi*, sed *tempus vacandi ab amplexibus*, ut vacetur orationi & pœnitentiæ; cui si compars vacet, ut oportet, carnis teret superbiam oratio & pœnitentia; & sic rationabiliter allegare non poterit periculum incontinentiæ. Cui tamen si conjux ipsam videret subjacere, ad impediendum gravius malum, ipsi posset & deberet subvenire.

CAPUT IX.

Ab ecclesiastici jejunii observantia tres causæ excusant, labor necessarius, infirmitas, ætas, cum jejunio incompatibiles; vel, si mavis, unica causa, moralis scilicet impotentia.

73 QUantùm ad laborem, ad quem reducitur peregrinatio, sic optimè S. Thomas q. 147. a. 4. ad 3. *Si peregrinatio & operis labor commodè differri possit, aut diminui, absque detrimento corporalis salutis, aut exterioris statûs, qui requiritur ad conservationem corporalis, vel spiritualis vitæ, non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda. Si autem immineat necessitas statim peregrinandi, & magnas diætas faciendi, vel etiam multùm laborandi, vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem* (v. g. propter conciones habendas, confessiones audiendas, &c.) *& simul cum hoc non possint Ecclesiæ jejunia observari* (nota benè singula) *non obligatur homo ad jejunandum. Quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, & magis necessarias causas.* Similia habet in 4. dist. 15. q. 3. a. 2. quæstiunc. 4. in corp. & ad 1. & 3.

Ratione ergo laboris, vel itineris (juxta S. 74
Thomam, quem sequitur S. Antoninus p. 2. tit. 16. c. 2. §. 6.) soli illi excusantur, qui opus, vel iter pro tunc necessarium faciunt, quo adeò defatigantur, ut simul cum jejunio laborare vel itinerari non possint. Non ergo excusantur 1°. *omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant*, prout novaturientes aliqui Casuistæ docuerunt, dicentes, quòd *non debent se certificare, an labor sit incompatibilis cum jejunio.* Hoc enim Alexander VII. damnavit propos. 30. sicut & damnavit propositionem 31. eorum qui cum Diana & Leandro dicunt, quòd *excusantur absolutè omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant*, v. g. octo vel decem leucarum. Ex quarum propositionum damnatione Christianus Lector satis videt, quòd labor itineris, vel opificii non excuset, nisi necessarius, & incompatibilis cum jejunio. Et hinc

2°. excusantur quidem artifices, *laboriosas ar-* 75
tes exercentes, qui labore suo plurimùm fatigantur, ut fabri ferrarii, lignarii, fossores, lapicidæ, bajuli, agricolæ, vinitores, aurigæ, & cursores, (prout Eugenium IV. declarasse refert Compendium Privileg. FF. Minorum) iis utique diebus quibus laborant, vel quibus ex præcedenti labore sunt plurimùm fatigati: sed non excusantur sartores, barbitonsores, nec pictores, nec calceos incidentes, nec famuli & famulæ nentes, fila ducentes, vestimenta sarcientes, etiam majori parte diei, quidquid dixerint varii Recentiores.

3°. non excusantur etiam Typographi, qui 76
torcular non tractant, sed characteres dumtaxat componunt, quidquid dixerit Leander q. 88.

4°. nec Scribæ & Notarii, totâ licèt die scri- 77
bentes, prout idem putat q. 123.

5°. nec Procuratores, Advocati, Consiliarii, Judices, Musici, & alii hujusmodi opera facientes, quæ vires corporis non ita debilitant, ut ad ferendum jejunii laborem impotentes efficiantur.

6°. nec communiter excusantur facientes iter 78
pedestre duarum leucarum cum media, ut vult Pasqualigus decis. 313. Nec facientes iter trium leucarum, ut vult Leander q. 95. Nec facientes iter quatuor leucarum, seu duodecim millium Italicorum, ut putat Diana p. 10. tr. 14. resol. 2. Imò ne quidem omnes facientes iter quinque leucarum, ut existimat Fagundez l. 1. c. 8. & alii absque alio fundamento, quàm arbitrio suo, quasi in ipsorum arbitrio positum sit in eo privatâ authoritate statuere regulam practicè tutam. Non nego concurrere posse circumstantias, v. g. magni æstûs, viæ valdè arduæ, montosæ, lutosæ, &c. percurrendæ à persona delicatæ complexionis, quas ob circumstantias, iter quatuor vel quinque leucarum ad excusandum possit sufficere; verùm extra hujusmodi circumstantias, *magnam diætam* requirit S. Thomas. Magna verò diæta non est iter quatuor vel quinque leucarum, saltem Belgicarum; nec isto itinere, saltem unius aut alterius diei, adeò fatigantur viri fortes & robusti, ut moraliter impotentes sint jejunare. Quod tamen S. Thomas requirit, ad hoc ut sint excusati.

Itaque cum S. Thoma dicamus quòd si labo- 79
riosum opus, vel iter differri queat sine notabili incommodo, in aliud tempus differendum est, ut jejunium servetur. Si differri non possit, soli illi ratione laboriosi operis vel itineris excusati cen-

censeantur, *qui labore* operis vel *itineris adeò affliguntur, ut simul cum jejunio itinerari*, vel opus suum facere *non possint*, uti S. Doctor loquitur in 4. dist. 15. a. 2. quæstiunc. 4. ad 1. Dicamus etiam, laboris vel itineris, sicut & senilis ætatis præcisam quantitatem à nobis tam accuratè determinari aut mensurari non posse, ut ad unum usque affirmari queat, hoc opus, hæc itineris vel ætatis longitudo quemlibet istud opus vel iter facientem, vel ætatem illam assecutum excusare à jejunio, opus verò, vel iter isto minus, vel ætas minor neminem excusare. Quia excusari potest unus hoc opus vel iter faciendo, alter verò non excusari; sicut excusari potest unus, dum ad sexagesimum v. g. ætatis annum pervenit, altero non excusato. Exceptis ergo laboriosis operibus pro quibus Ecclesia vel Pontifex declaravit tale opus exercentes excusatos esse, consulat unusquisque propriam experientiam, ex eaque discat num sufficientes ad jejunium ferendum cum tali opere, vel itinere, vel ætate vires habeat, vel non habeat. Si habeat, jejunet; si non habeat, non jejunet; si dubius sit, sine dispensatione jejunium solvere non præsumat.

80 7°. Facultas Lovanienſis, ad instantiam Episcopi Gandavensis, anno 1657. meritò reprobavit hunc articulum ordine 22. desumptum ex Escobario exam. 13. c. 3. n. 67. & Filiutio apud ipsum: *Qui dormire nequit, nisi vesperi sumptâ cœnâ, non tenetur jejunare; imò neque in prandio collationem sumere, quamvis hoc modo isti incommodo obviare posset. Quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.* O ridiculam rationem! Reprobavit & hunc ejusdem Filiutii & Escobarii ibidem c. 2. n. 23. *Defessus ex quocumque labore, licito, vel illicito, v. g.* (horreo referre) *cum feminis commixtione, liberatur à lege jejunii.* O indignam Doctore Catholico sententiam. Certè non descendit è cœlo. Ascenditne igitur ex orco? Certè *ad hoc totam vim malignitatis suæ intendunt tartarei inimici, atque ad hoc acriori insidiantur astutia* (ait Leo Magnus serm. 1. de Quadragesi.) ut sacratissimos Quadragesimæ dies negligenter prætereamus, *in quorum observantia omnes præteritæ desidiæ castigantur, omnes negligentiæ diluuntur .... ut celebraturi sanctum Paschа Domini, in aliquo inveniamur indigni, & unde nobis obtinenda erat propitiatio, inde contrahatur offensio.*

81 Sed ecquod tam propudiosæ sententiæ fundamentum? Dicent fortè, quia licitum est apponere causam fractionis jejunii: siquis enim suâ culpâ sit infirmus, durante infirmitate non tenetur jejunare. Verùm, ut optimè Wendrochius, aliud est infirmitas, id est morbus, aliud defatigatio, quæ jejunium tantùm molestius ac difficilius reddit: quam molestiam quando quis sibi flagitiis suis accersivit, impudenter eam subire recusat. Deinde quisquis voluntariè posuit causam, ex qua prævidit, vel prævidere debuit, secuturam violationem præcepti, non solùm peccavit interne contra præceptum illud, pro tempore quo voluntariè posuit causam illam, sed & externè peccat, pro tempore quo actum præceptum omittit, vel prohibitum committit, uti plùribus to. 1. demonstravi. Igitur ille, de quo in casu, non solùm peccavit pro tempore quo posuit voluntariam causam violationis jejunii, sed adhuc peccat pro tempore quo jejunium violat, etiamsi tunc foret impotens ad jejunium observandum. Quia impotentia culpabilis & voluntaria non excusat à culpa, prout ostendimus ibidem. Hinc

82 8°. non excusantur à jejunio venatores pro solo beneplacito absque ulla necessitate tantum laboris in venando sustinentes, qui, ex necessitate susceptus, à jejunio excusaret. Et idem est de iis qui lusu pilæ, & similibus se multùm fatigant. Quos eo titulo à jejunio excusare, quid aliud est, nisi januam patentissimam libertinis aperire ad prætermittendam observantiam ecclesiasticorum præceptorum, laboriosas venationes, vel lusus assumendo, vel de una civitate ad aliam sine ulla necessitate excurrendo, ut post fatigationem liberi sint à jejunio, ab auditione Sacri die festo, &c.? Utique ipso die festo summo manè, vel etiam die præcedenti, pro sola voluntate excurrerent ad venationem, &c. in loco, ab Ecclesiis tam remoto, ut ipsis possibile non sit, satis tempestivè reverti, pro Sacro festivo die audiendo.

9°. à jejunii lege non excusat sola jejunandi 83
difficultas, quâ sit ut scholasticus v. g. non ita commodè studeat, vel mulier ex debilitate jejunii servitia domûs cum magna difficultate operetur. Quia aliud est difficultas, licèt utcumque magna, aliud moralis impotentia, quæ sola excusat; &, si nulla foret in jejunando difficultas & molestia, caro non affligeretur: cùm tamen ad carnem affligendam, ac per hoc spiritui subjiciendam instituta sint jejunia. Ita Anglez, Medina, Ledesma, &c. contra Bonacinam.

10°. excusantur tamen qui adeò laborant, v. 84
g. plures eâdem die conciones habendo, confessionibus audiendis, vel aliis piis functionibus totâ die, vel magnâ diei parte vacando, ut vires ipsis multùm exhauriantur, si vel ex officio, vel ex pietate, vel propter spiritualem proximorum utilitatem opera illa (quæ jejunio per se meliora sunt) præstentur, nec à tali persona simul cum jejunio valeant exerceri. Ita Doctores communiter, idem meritò censentes de iis qui infirmis assistunt totâ nocte, vel majori illius parte vigilantes, totâ etiam die in eorum servitio se fatigantes, molestiasque magnas sustinentes. Nam jejunium, quod præcipitur ob bonum, impedire non potest excellentioris charitatis bonum. Ob solam tamen peregrinationem, licèt piam, si commodè differri queat, solvendum non est jejunium, sed differenda potiùs peregrinatio, uti docent S. Thomas suprà, Cajetanus, Toletus, Sylvius, &c. contra Palaum, Sancium & Leandrum q. 135.

Hactenùs de excusatis vel non excusatis ra- 85
tione laboris. Quæritur jam quinam excusentur *ratione infirmitatis*? Respondet Concilium Toletanum VIII. can. 9. omnes quos *langor extenuat*. Canon verò 68. ex iis qui Apostolici inscribuntur, omnes *qui propter imbecillitatem corporis* impediuntur, vel talem patiuntur infirmitatem, cui *jejunia Medici dicant esse contraria*, uti S. Gregorius loquitur epist. 34. lib. 11. *Cùm non subjaceat legi necessitas*, ait Innocentius III. cap. *consilium* de observat. jejunior.

Hinc excusantur infirmi omnes, sicut & conva- 86
lescentes, quos infirmitas valdè extenuavit. Quod & Doctores extendunt ad laborantes febri tertianâ, vel quartanâ diuturnâ. Sed improbamus Sancium in select. disp. 54. Edit. Lugdun. excusantem eos qui habent duo vel plura cauteria: cùm cauteria illa non ita debilitent habentem, ut egeant cœnâ, prout experientia docet. Similiter improbamus Leandrum q. 30. excusantem eos qui magnam partem noctis dormire non possunt, nisi sumptâ cœnâ. Cùm, salvo jejunio, isti incommodo occurrere valeant, collationem meridie sumendo, plenamque refectionem in vesperum differendo; ideòque tales nulla impotentia excusèt.

Ratione denique *ætatis*, pueri (juxta S. Tho- 87
mam) utplurimùm excusantur usque ad finem tertii septennii, id est usque ad annum vigesimum primum complectum. Dicit enim q. 147. a. 4. ad 2. quòd *in pueris maximè est evidens causa non jejunandi, tum propter debilitatem naturæ, ex qua*

provenit quòd indigent frequenti cibo, & non multo simul sumpto. Tum etiam quia indigent multo nutrimento, propter necessitatem augmenti quod fit de residuo alimenti. Et ideò quamdiù sunt in statu augmenti, quod est, ut in pluribus, usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad ecclesiastica jejunia observanda. Adolescentes tamen Religiosi obligantur ad jejunia, tum Ecclesiæ, tum Religionis, sibi per Regulam, vel Constitutiones Ordinis præscripta, non vi ecclesiasticæ legis, sed religiosæ professionis. Unde Ecclesiæ jejunia violando, non peccant mortaliter, nisi per Regulam sub reatu peccati mortalis injungantur.

88 Addit etiam S. Thomas loco citato, *conveniens esse ut* adolescentes, etiam non Religiosi, ante tertium septennium completum *se ad jejunandum exerceant, plus vel minùs, secundùm modum suæ ætatis*; ad quod proinde meritò à parentibus & Confessariis inducendi sunt: maximè cùm non rarò, ante vigesimum primum annum completum, esse desinant in statu augmenti, solùmque *ut in pluribus* oppositum contingat, ut dicit S. Thomas. Tunc verò non est cur à jejunio excusentur. Et ut excusarentur ab ecclesiastica jejunii lege; certè non à lege naturali, quâ tenentur ebullientes malas concupiscentias (quibus tunc exæstuat natura corrupta) per jejunium refrænare, si non per totam Quadragesimam, saltem per alternos, vel certè per duos vel tres in hebdomada dies, juxta Confessarii prudentis arbitrium. Unde D. Basilius orat. 2. *Pueri* (inquit) *velut plantæ virides, jejunii aquâ irrigantur.* Sententia quidem S. Thomæ communiter est recepta, sed non usquequaque certa: Quidam enim *dicunt quòd tempus* finale *augmenti est vigesimus annus* (inquit Alexander de Ales p. 4. q. 102. memb. 2. a. 3.)... *alii dicunt, quòd in quinto decimo anno obligantur homines ad jejunium: quia tempore isto incipit libido invalescere, contra quam est institutum jejunium*, nec tertium septennium completum ad id est ab Ecclesia determinatum... *Tempus aptum jejunio*, idem Alensis censet esse *tempus octodecim annorum... Unde in ætate octodecim annorum homines* (inquit) *ad quadragenale jejunium obligantur.* Quidquid tamen de eo sit, probanda non est opinio Tamburini l. 4. c. 5. §. 7. n. 2. dicentis: *Si quis in prima hora mediæ noctis impleat annum vigesimum primum, tenetur, si prima hora pertinet ad vigesimum secundum talis ætatis, in quo urget præceptum... si sit natus in ipsa prima hora mediæ noctis, non obligatur.* Prorsus enim non est ratio, cur non teneatur totis 23. horis quæ supersunt ex illo die.

89 Ad senes quod attinet, *si sunt multùm debiles* (ait S. Antoninus ubi suprà § 5.) *eo modo possunt excusari, sicut dictum est de infirmis. Ratione autem senectutis tantùm non excusantur, si sunt fortes ad sufferendum jejunium. Nec est determinata ætas ab aliquo, usque ad quos annos quis tenetur ad jejunium.* Unde Cardinalis Ximenes, Archiepiscopus Toletanus, ultra septuagesimum ætatis annum provectus, se adhuc existimabat adstrictum lege ecclesiasticorum jejuniorum; nec ab ea à Leone X. absolutus fuit ob solam senectutem, sed *ob varias corporis infirmitates*, prout ex Pontificio Rescripto constat, quod Odoricus Raynaldus refert ad annum 1517. Hoc idem exemplo suo confirmat Navarrus in Manuali c. 21. *Octuagesimum* quippe *annum agens, perinde* (inquit) *possum jejunare, ac cùm agerem sexagesimum, imò & quinquagesimum.* Unde concludit, standum non esse opinioni illorum, qui jejunandi obligationem limitant ad annum sexagesimum. Improbabilemque Laymannus l. 4. tr. 8. c. 3. n. 2. censet opinionem Thomæ Sanchez, absolventis hominem sexagenarium ab obligatione servandi jejunia, quæ voverat se per totam vitam observaturum certis anni vel hebdomadæ diebus.

Nec S. Antoninus recipit opinionem Innocen- 90
tii in cap. *ex parte* de observ. jejun. dicentis, quòd viris jejunare prohibentibus, uxores possunt jejunia ex voto susceptа relinquere. Quia earum vota dependent à maritorum consensu; non verò Ecclesiæ jejunia. Vel saltem propter scandalum vitandum dispensari possunt, si ex eorum observantia fierent impotentes ad debitum reddendum, vel nimis tædiosæ maritis. Ast huic opinioni S. Antoninus sententiam magis piam, & religioni consentaneam opponit Paludani, quòd istud maritorum scandalum sit pharisaïcum, ideòque contemnendum, nisi ex talis voti observantia nimia debilitas vel infirmitas rationabiliter timeretur, quâ ad uxoris officium, & familiæ curam moraliter impotentes efficerentur.

Ad senes igitur revertendo Fagnanus ad cap. 91
cùm sis de conversi. conjugatorum post laudatum S. Antoninum rectè observat, ex veriori & magis recepta opinione in iis, sive masculi sint, sive feminæ, nullum tempus determinatum esse, in quo ab obligatione jejunii absolvantur. Unde (inquit) solùm excusari possunt tamquam infirmi vel debiles, vel propter ætatem decrepitam, seu caducam, languentem & *incurvantem*, ut loquitur Concilium Toletanum VIII. uno verbo propter moralem impossibilitatem. Et ita docent (inquit) Richardus de Media villa, S. Antoninus, Tabiena, Rosella, Sylvester, Astensis, Medina, Azorius, aliique Theologi melioris notæ. Pro certo proinde habendum, senes vegetos jejuniorum lege teneri, etiamsi sexagenarios, etiam fortes & vegetos, absolutè deobligent Leander q. 27. & alii viginti Casuistæ apud ipsum. Imò mulieres quinquagenarias absolutè à jejunio Sanchez excusat. Sed (ut Fagnanus observat) solus ipse primus hanc opinionem in medium attulit, prout ipsemet fatetur, propterea subjungens, hanc suam opinionem non esse usitatam in praxi. Verum quidem est quòd sint viris frigidiores. Sed vel ob idipsum magis obstrictæ sunt ad jejunandum: nam ex caloris debilitate major in ipsis pituita, & crudorum humorum copia generatur. Et propterea jejunium faciliùs ferunt; & multò plures fœminæ, quàm viri, visæ sunt, quæ naturaliter longum servaverunt jejunium. Nam, ut Fagnanus prosequitur ex Alberto Magno, plures sex, septem, & pluribus mensibus vixerunt sine ullo externo alimento, pituitâ, & crudorum humorum copiâ ipsis pro alimento serviente. Imò relatum est à Dyno Medico (inquit Mereularis l. 3. practic. c. 7.) mulierem quamdam suo tempore fuisse, quæ septem annis, sine ullo appetitu, & cibis vixerat. Et quod est mirabilius, Conciliator diff. 112. prope finem, Certificatum est (inquit) mihi per fidelem socium Joannem de Corceo, cum aliis multis, in Normandia extare mulierem, quæ amodò per spatium 36. annorum nihil assumpsit. Hactenùs illustrissimus Fagnanus.

Nihilominùs prægnantes & lactantes mulieres 92
excusat S. Antoninus, si debilitas impedit eas, vel periculum sit de defectu alimenti pro fœtu. At sine ulla modificatione Navarrus c. 21. n. 16. cum communi eas excusat; quippe quas non solùm sibi, sed aliis etiam oportet edere. Ideòque una ipsis refectio non sufficit. Imò existimat eas peccaturas, si jejunent, cum præjudicio prolis. Si tamen robustæ sint, nihil ipsis nec proli timendum videtur ab uno vel altero jejunii die.

Denique de pauperibus S. Thomas q. 147. a. 4. 93
ad 4. ait, quòd *si possunt sufficienter habere, quod eis sufficit ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem à jejuniis Ecclesiæ.* A quibus tamen *excusari videntur illi, qui frustatim elee-*

mosynas

mosynas mendicant : quia non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat. Ita etiam Richardus, Durandus, Bachonius noster, Lezana, Urbanus ab Ascensione, Lumbierus, Reginaldus, &c.

CAPUT X.

Declarantur potestatem habentes in jejuniis dispensandi.

94 EAm non solùm habent Episcopi, sed & Parochi, absque recursu ad Episcopum, etiamsi Episcopus non sit absens. Quia sic est consuetudine introductum ac receptum, uti Doctores communiter tradunt, eandem potestatem concedentes Vicario Parochi, ipso absente.

95 Superiores quoque Regularium cum subditis suis dispensare possunt in jejuniis tam Ecclesiæ, quàm Regulæ. Quia in suos potestatem habent quasi Episcopalem; idque Superioribus Ordinis S. Hieronymi (& consequenter aliorum Ordinum cum ipsis communicantium) concessit Eugenius IV. & FF. Ordinis Minorum Clemens VII. uti videre est apud Pellizarium tr. 5. c. 5. n. 65. Consequenter id posse Vicarios ipsorum, ipsis absentibus, docent Azorius, Sanchez, Gordonus, &c.

96 Id etiam Confessarios posse cum suis pœnitentibus dixerunt Rosella & Palacios. Sed veritas est, ipsos, sicut & alios viros doctos, ac Medicos, solùm posse declarare, causam dispensandi sufficientem esse, vel non esse, seu etiam (ubi res certa est) jejunandi obligationem non esse.

97 *Caveant* tamen Confessarii, & Medici *diligenter ne alienæ culpæ participent, nimiâ facilitate suâ, in fide facienda necessitatis* non jejunandi, vel *utendi cibis vetitis*, ait S. Carolus Borromæus in Edicto super observatione Quadragesimæ, Actor. Eccles. Mediolan. p. 3. pag. 361. & 362. Ita etiam Concilium Avenionense anni 1594. cap. 44. & Concilium Narbonense ann. 1609. cap. 10. Unde S. Antoninus ubi suprà c. 11. § 60. *De consilio rationabili Medici* (inquit) *infirmus solvens jejunium, vel comedens carnes diebus prohibitis, non peccat; sed peccaret Medicus, si sine causa rationabili, vel saltem dubia, talia mandat, vel ordinat infirmis.* Quod dum facit cum causa quam judicat dubiam, monere debet de petenda dispensatione.

Porrò dum dubium est, an detur causa sufficienter excusans, Prælatus & Parochus licitè dispensant. Quia minor causa requiritur ut quis cum dispensatione deobligetur, quàm sine dispensatione. Causa proinde certa ad dispensandum non requiritur: utpote quâ existente, opus non est dispensatione. Ita S. Thomas, Cajetanus, Navarrus, & Doctores communiter. 98

Quòd si dubium sit, an detur causa sufficiens ad dispensandum, Prælatus partim dispenset, partim commuter in aliud opus pium, inquit Navarrus. Ob solam tamen jejunandi difficultatem non debet dispensare; sed suaviter monere, quòd hujusmodi difficultas consuetudine vincitur; tametsi Leander q. 32. & alii apud ipsum dicant tunc posse dispensare. 99

Meminerint quoque Superiores & Parochi, majorem causam requiri ad dispensandum super carnium esu, quàm super secunda refectione. Sic enim habet consuetudo, docentque Sylvester, Cajetanus, &c. Porrò Parochos, & Superiores Regularium cum subditis suis dispensare posse super carnium esu, consuetudo obtinuit pro Parochis, & Eugenius IV. concessit Regularium Prælatis, prout iidem Authores tradunt. 100

Dispensatum denique super carnium esu pro toto tempore Quadragesimæ, iis vesci posse, etiam feriis sextis & sabbathis, necnon quatuor temporibus occurrentibus, docet Pellizarius n. 69. nisi consuetudo obstet, sed videtur hoc speciali notâ dignum, nec facilè præsumenda ista dispensantis intentio, nisi dispensandi causa id manifestè requirat. Atque hæc de legibus ac præceptis in genere, necnon de præceptis Theologicarum, ac virtutum Cardinalium, de justitia & jure, deque Decalogi atque Ecclesiæ præceptis dicta sint, salvo meliori judicio sapientiorum. 101

Finis Tomi secundi.

Approbatio Theologorum Ordinis.

NOs infrascripti, ex Commissione Reverendissimi Patris Generalis, magna cum attentione, parique animi oblectatione perlegimus Opus inscriptum : *Theologia Sanctorum circa universam morum doctrinam, &c.* per Reverendum admodùm Patrem Henricum à sancto Ignatio Ordinis Fratrum B. V. M. de Monte Carmelo Exprovincialem, nuper Commissarium Generalem, S. Theologiæ Professorem emeritum, &c. in eoque nihil reperimus à fide & bonis moribus devium; sed doctrinam Catholicæ Religioni, tutissimorum Augustini & Aquinatis dogmatum veritati, Christianique hominis sanctitati & dignitati consentaneam, utpote depromptam ex sacræ Scripturæ oraculis, sanctorumque Patrum sententiis, quas Author omnigenâ eruditione, copioso solidarum rationum agmine, miràque terminorum claritate sic illustrat, ut omnis Amator veritatis hìc inventurus sit plurima ad excitandum pietatis studium, plurima ad bonos mores promovendos, plurima ad Concionatorum, Confessariorum & Pastorum institutionem maximè utilia. Quapropter Opus hoc laude luceque dignum (salvo meliori) censuimus in Carmelo nostro Xhavensi die 8. Junii an. 1707.

Fr. MARCELLINUS A S. THERESIA,
Definitor, ac S. Th. Professor.

Fr. HENRICUS A S. THERESIA,
S. Theol. Professor.

Approbatio sapientissimi Domini Arnoldi Eyben, Cathedralis Ecclesiæ Antuerpiensis Canonici Theologalis, & Thesaurarii, Archipresbyteri Ruralis, ac Librorum Censoris.

CHristianis præcipit S. Joannes Epist. 1. c. 2. ut in eo, quod audierunt, firmi permaneant, quo & ipsi in Patre, & Pater in ipsis maneat. Communis hic Prophetarum & Apostolorum sensus est, qui in veteri & novo Testamento nihil severiùs vetant, quàm ne ab antiquis viis recedamus, transcensisque Patrum limitibus patiamur nos doctrinis variis & peregrinis obduci, ac profanis vocum novitatibus captari. Hinc Theologia ad illud lumen applicare se debet, quod à Christo Ecclesiæ collatum, perpetuâ Patrum traditione continetur, iisque doctrinæ & pietatis christianæ fundamentis insistere, quæ à sanctis Patribus quasi manu tradita per tot ætatum decursus Ecclesia accepit, sicut ea Patrum Antiquissimi ab Apostolis, Apostoli à Spiritu sancto, Spiritus sanctus à Filio, Filius à Patre acceperat. Hàc regulâ semper est usa Ecclesia ad corruptelas erroresque ac nova humani ingenii commenta extirpanda, quibus hominum improbitas vel inscitia sanctissimam Christi doctrinam depravare conata est. Hàc S. Augustinus Pelagianos convincit, cùm productis contra eos aliquot Patribus, *quod*, inquit, *incenerunt in Ecclesia, tenuerunt : quod didicerunt, docuerunt : quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Hujus regulæ præsidio utitur Gregorius VII. dum ait : *Ad sanctorum Patrum decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostrâ statuentes : sed primam & unicam Ecclesiasticæ disciplinæ regulam & tritam Sanctorum viam relicto errore repetendam & sectandam esse censuimus. Nam*, teste Gregorio Magno, *tunc Sacerdos irreprehensibiliter graditur, cùm exempla Patrum præcedentium indesinenter intuetur, cùm Sanctorum vestigia sine cessatione considerat.* Proinde publicam lucem meretur, & plurimùm commendanda est hæc *Theologia Sanctorum*, quæ ex sanctis Doctoribus, ac præsertim ex tutissimis & inconcussis sanctorum Augustini & Thomæ dogmatibus præclarè ostendit, qualem esse oporteat vitam christianam, quàmque ab Evangelii regulis, & doctrina Sanctorum aberret novitia doctrina complurium Casuistarum. Dabam Antuerpiæ hàc 28. Januarii 1709.

ARNOLDUS EYBEN, Cathed. Antuerpiensis Canonicus Theologalis, Librorum Censor.

Approbatio Reverendi Domini Joannis Le Beau Examinatoris Synodalis.

HÆc *Theologia Sanctorum* secundùm nominis excellentiam procedit, dum exhibitas à Sanctis veritates, & velut stellas in Ecclesiæ Firmamento positas, educit è nebulis, quas variæ Quorumdam opiniones obtenderunt. Hinc in caliginoso deficientis hujus sæculi tempore, eidem tamquam lucernæ benè facient attendentes, studiosi quicumque veritatis Amantes, atque spes est quòd non tantùm inde lucebunt, sed & sic ardebunt, ut flammescat igne charitas, accendat ardor proximos, eosque per semitas justitiæ deducat ad æternæ Veritatis fruitionem. Proinde sub beneplacito Superiorum, jure prodibit in publicum. Dabam 16. Octobris 1699.

JOAN. LE BEAU, S. Adalberti Leodii Curio-Decanus, Exam. Synod.

Permissio Ordinarii.


PLacet imprimatur. Hàc decimâ-septimâ Octobris 1699.

GUIL. BERN. DE HINNISDAEL,
Coadminist. & Vic. Gen. Leod.

ERRATA.

Littera P. paginam. C. columnam. L. lineam indigitat. Littera Italica correctionem.

P. 157. C. 2. L. 54. cultum, *culum*. P. 181. C. 1. L. 14. 1711., 1612. P. 184 C. 1. L. 4. XI., 2. P. 191. C. 2. L. 51. probatæ, *prolata*. P. 215. C. 2. L. 27. effectum, *affectum*. P. 242. C. 2. L. 12. post *taliter*, adde *affectus*. P. 257. C. 1. L. 32. similitatis, *simultatis*. C. 2. L. 43. Trullem, *Trullenc*. P. 272. C. 2. L. 52. furtum, *furtim*. P. 281. C. 2. L. 51. fuerit, *non fuerit*. P. 316. C. 1. L. 10. post *ad*, adde *quod*. P. 348. C. 1. L. 46. negligentiæ, *negligentia*. P. 353. C. 1. L. 55. restitutum, *restitutionem*. P. 357. C. 2. L. 27. visibilis, *usibilis*. P. 361. C. 1. L. 25. effectivè, *affectivè*. P. 371. C. 1. L. 15. possint, *possunt*. P. 381. C. 2. L. 18. tempore utique, *elapso utique tempore*. P. 385. C. 2. L. 57. dele *vel adipiscitur*. P. 390. C. 1. L. 12. fortem, *fructus*. C. 2. L. 12. est casus, *est inter casus*. P. 399. C. 2. L. 51. commodè, *æquè commodè*. P. 415. C. 2. L. 3. magis, *majus*. P. 423. C. 1. L. 20. qua, *quo*. P. 425. C. 1. L. penult. dibitur, *dicitur*. P. 433. C. 1. L. 19. venditionis, *traditionis*. P. 451. C. 1. L. 40. capuli, *lupuli*. P. 458. C. 1. L. 1. dele *ita nempe ut*. Ibid. L. 3. debeat, *debet*. P. 461. C. 2. L. 26. post 1673. adde *censuerunt*. P. 463. C. 1. L. 11. etsi, *& si*. P. 470. C. 1. L. 6. allegaret, *allegarent*. P. 486. C. 2. L. 13. dele, *sed non video firmam hujus rationem. Fateor quidem quid.* In locum lege *enimverò*. P. 498. C. 2. L. 18. contractum, *contrarium*. P. 504 C. 2. L. 7. ac, *ad*. P. xxiv. C. 1. L. 5. partem illam, *partem omissam*. In fine elenchi librorum, Heptalogo, *Pentalogo*.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HENRICI
A S. IGNAT.
THEOLOG.
TOM. I. ET II.

Th
443a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HENRICI
A
S. Ignatio
S.

THEOLOGIA
Sanctorum
Tom I et II
D. V.
29

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN